

ZEGERI BERNARDI
VAN-ESPEN

PRESBYTERI, JURIS UTRIUSQUE DOCTORIS,
ET SACR. CANONUM IN ACADEMIA LOVANIENSI PROFESSORIS,

JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM
CÆTERAQUE SCRIPTA OMNIA

Decem Tomis comprehensa.

OPUS NATIVÆ INTEGRITATI SUMMO STUDIO RESTITUTUM. Episcopis, eorum Vicariis, & Officialibus, Archidiaconis, ac Sacris Judicibus, Advocatis, Pastoribus, Parochis, Confessariis, omnibus Theologiæ quam Jurisprudentiæ Viris studiosis utilissimum, & apprime necessarium.

EDITIO RECENTISSIMA

[illegible]

CLARISS. DOCT. THEOLOGI, ET CANONISTÆ

JOANNIS PETRI GIBERT

NUPERRIME AUCTA ET ILLUSTRATA

TOMUS SEPTIMUS.

VENETIIS, MDCCLXXXI.
EX TYPOGRAPHIA JOANNIS GATTI,
IN VICO S. RAPHAELIS ARCHANGELI,
SUPERIORUM APPROBATIONE, AC PRIVILEGIIS.

ZEGERI BERNARDI
VAN-ESPEN
PRESBYTERI, JURIS UTRIUSQUE DOCTORIS
ET SACR. CANONUM IN ACADEMIA LOVANIENSI PROFESSORIS

JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM
CÆTERAQUE SCRIPTA OMNIA
Decem Tomis comprehensa.

OPUS NATIVÆ INTEGRITATI SUMMO STUDIO RESTITUTUM
Episcopis, eorum Vicariis, & Officialibus Ecclesiasticis, ac Laicis Judicibus, Advocatis, Patronis, Parochis, Confessariis, tam Sac. Theologiæ quam Jurisprudentiæ Viris studiosis utilissimum, & apprime necessarium.


EDITIO RECENTISSIMA
Omnibus anteactis longe præstantior, & nitidior, plurimis Tractatibus hactenus ineditis, Litteris, & Monumentis passim suo loco positis, præsertim vero selectis Adnotationibus

CLARISS. DOCT. THEOLOGI, ET CANONISTÆ
JOANNIS PETRI GIBERT
NUPERRIME AUCTA ET ILLUSTRATA

TOMUS SEPTIMUS.



VENETIIS, MDCCLXXXI.
Ex Typographia Joannis Gatti,



IN VICO S. RAPHAELIS ARCHANGELI,
SUPERIORUM APPROBATIONE, AC PRIVILEGIIS.

INDEX
CAPITUM ET PARAGRAPHORUM
COMMENTARII
IN CANONES JURIS VETERIS ET NOVI
Quæ in hoc Septimo Volumine continentur.

OBSERVATIO EDITORIS
In prætermissos Canones Concilii Ephesini.

DISSERTATIO PROŒMIALIS
In negotium Eutychetis, & in Concilium Chalcedonense.

CAPUT PRIMUM.
De Negotio Eutychetis.

CAPUT II.
De Convocatione, & actis Concilii Chalcedonensis.

CAPUT III.
Scholia in Canones Concilii Chalcedonensis.

DISSERTATIO
In Synodum, & Canones Sardicenses.

SCHOLIA
In Canones Sardicenses.

DISSERTATIO

In Synodos Africanas, & earum Canones.

ARTICULUS I.

SCHOLIA

In Canones Africanos.

DIGRESSIO.

SCHOLIA.

DIGRESSIO.

SCHOLION *in idem.* ibid.

SCHOLIA.

TRES ARTICULI

In Codice Africano inserti post Canonem LVI.

PRÆFATIO

SCHOLIA

SCHOLIA

DISSERTATIO

In Synodum OEcumenicam Septimam sive Nicænam secundam, ejusque Canones.

SCHOLIA

In Canones Synodi Nicænæ II.

DISSERTATIO.

In Schisma Photii, & conventus tunc habitos.

SCHOLIA

In Canones pseudo-Synodi Constantinopolitanæ sub Photio 879.



COM-

COMMENTARIUS IN JUS NOVUM CANONICUM.

PARS PRIMA.

De primis Decretalium Collectionibus.



ELEN-

ELENCHUS

Eorum, quæ in Septimo volumine continentur.

PARS SECUNDA.



ZEGE-



ZEGERI BERNARDI VAN-ESPEN
IN CANONES
JURIS VETERIS
COMMENTARIUS.

OBSERVATIO
EDITORIS
IN PRÆTERMISSOS CANONES CONCILII EPHESINI.



Canonibus Concilii Constantinopolitani succedere deberent Concilii Ephesini Canones, & eorum Scholia: at Synodum hanc, quæ tertia OEcumenica est, omisit Doctissimus Van-Espen; nec istius prætermissionis ullam rationem dedit. Suspicari tamen licet hos Canones, quos plurimi Canonistæ collegerunt, a nostro Auctore fuisse omissos;

1. Quia in Latinis Dionysii Exigui, Isidori Mercatoris, aliorumque Collectorum editionibus non reperiuntur; quapropter in latino Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ desiderantur. Cum vero Doctissimus Van-Espen utplurimum sequi videatur Ecclesiæ Romanæ Codicem, inde forsan contigit, quod Ephesini Canones ab Auctore nostro omissi fuerint.

2. Clarissimus Scriptor Canones Ephesinos fortasse omisit, quia septem primi solum de fide, nihil de disciplina, de statu & regimine Ecclesiæ decreverunt. Porro id unum in suo Commentario sibi proposuit, ut Ecclesiæ disciplinam in Canonibus contentam exponeret.

3. Forsan eruditus Van-Espen arbitratus est, Canones, qui Ephesini dicuntur, non esse ejusdem Concilii Decreta. Et sane Guillelmus Beveregius *annotatione in Canonem I. Ephesinum* existimat *primo introitu deprehendi, quod isti Canones non seorsim aliorum ad instar Canonum editi fuerint, sed aliis, quæcumque fuerint, verbis annexi* . . . . . *in Actis Concilii Ephesini* addit Auctor ille, *quod extet Epistola quædam Synodica, qua sequentes sex primi Canones ordine quisque suo continentur.*

Canon VII. qui a plurimis Canonistis ultimus dicitur, exaratus non legitur in Epistola Synodica, quæ modo citata est, sed videtur constare quibusdam Concilii Ephesini Decretis, *quæ*, inquit Beveregius, *aliis occasionibus Synodo emergentibus edita sunt*. Quamquam Canon iste e numero Ephesinorum Canonum excluditur ab iis Criticis, qui septimum nuncupant eum Canonem, quem alii octavum solent computare.

Istæ rationes aut simul collectæ aut separatæ ab invicem probabiliter moverunt Doctissimum Van-Espen, ut in suo Commentario Canones, qui Ephesini dicuntur, non collocaret.

DISSERTATIO PROOEMIALIS,

In Negotium Eutychetis & in Concilium Chalcedonense,

Tria erunt hujusce Dissertationis Capita : primum de Negotio Eutychetis; secundum de convocatione & Actis Concilii Chalcedonensis; tertium de Scholiis in Canones ejusdem Synodi .

CAPUT PRIMUM.

De Negotio Eutychetis.

§. I.

De Eutychete , ejusque in Concilio Constantinopolitano sub Flaviano damnatione.

Hæresis Eutychetis

ÆRESIM Eutychianam præbuisse præcipuam occasionem indictioni Concilii Chalcedonensis apud omnes in confesso est . Quapropter hujus hæreseos initia , & quæ ejus occasione acta sunt , priusquam Concilium Chalcedonense indiceretur , præmittenda censui .

Eutyches , a quo hæresis hæc nomen mutuavit , Presbyter erat & Archimandrita ; præsidens Constantinopoli celeberrimo cuidam Monasterio .

Monachus hic adversarius acerrimus semper fuerat Nestorii, qui duas in Christo personas dogmatizabat , ac propterea in Concilio Œcumenico Ephesino damnatus fuerat.

Verum hæresim hanc Nestorianam ardentiore zelo impugnans , in oppositam hæresim incidit ; non unam duntaxat in Christo personam , sed & *unam naturam* adstruens . Scribit enim Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* 11. *Urgente Satana prædicabat (Eutyches) Dominum nostrum Jesum Christum consubstantialem nobis non esse secundum carnem , sed de cœlo corpus habuisse . Rursusque , varians dicebat ante adunationem duas in Christo fuisse naturas , post adunationem vero* unam *factam esse.*

Apertius id expressit Domnus Patriarcha Antiochenus in sua Synodica ad Theodosium Imperatorem , apud Facundum Hermianensem , *lib.* 8. *cap.* 5. scribens: *Vestram docere cogitur pietatem , quoniam Apolinaris Hæresiarchæ impietatem Eutyches Presbyter renovare pertentat , & Apostolicas labefactare doctrinas , Mysterii Incarnationis dogma corrumpens , & Divinitatem Unigeniti & humanitatem unam naturam vocans , commixtionemque , & confusionem asserens factam , & salutarem passionem ipsi incontaminabili Deitati adnectens.*

Hæc sua dogmata primum suis Monachis instillabat ; tum furtim cum amicis , & iis , quos novitatis avidos noverat , communicabat .

Porro inter amicos & familiares Eutychetis (*a*) erat Eusebius Episcopus Dorylei , civitatis Provinciæ Phrygiæ salutaris , uti citato *cap.* 11. testatur Liberatus Diaconus , qui *Eutychetem audiens talia docentem (inquit) cum esset orthodoxus , & prius ejus amicus , prohibuit eum talia sapere & docere .*

Addit dein Liberatus pertinaciter : *sed Eutychete audire nolente , retulit Eusebius causam ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum .*

Eutyches citatus coram Concilio Constantinop. sub Flaviano. Anno 448.

Cum autem circa idem tempus haberetur a Flaviano Constantinopoli Synodus , conveniruntque triginta Episcopi ad dirimendam litem Florentii Sardeorum Episcopi , Lydie Metropolitani , adversus Episcopos suæ Provinciæ Joannem & Cossinium , Eusebius Episcopus Dorylei *obtulit libellos Flaviano , & omni Concilio , conjurans omnes advenire adversus Eutychetem Presbyterum , ut sub eorum præsentia convinceretur ab eo , hæretica dogmata sapere & docere , uti scribit Liberatus citato cap.* 11. *& latius refert in actis hujus Concilii quæ relata sunt Actione* 1. Concilii Chalcedonensis

His autem libellis adversus Eutychetem lectis , Patres illico detestati doctrinæ pravitatem , rogavere Eusebium , ut dignaretur convenire eum , & disputare cum eo de recta fide . Sed abnuit Eusebius , dicens , quod quidem amicus illi erat prius ; quodque non semel , nec secundo , sed sæpius convenisset cum eo pro hac causa , & invenisset eum non recta sapere ; omnemque movisse lapidem , ut eum ad meliora reduceret , sed irrito conatu : uti fusius acta Concilii referunt apud Labbeum , *t.* 4. *Conc. col.* 154.

Quibus auditis Patres ablegarunt Joannem Presbyterum , & Andream Diaconum , ut *pergentes ad Eutychem , porrectum adversus eum libellum ei relegant , & commoneant occurrere ad hoc sanctum Concilium , & se ipsum defendere* : non enim (*ait Concilium*) in levi accusatur causa ". Acta Concilii *col.* 155.

Cum vero Eusebius Episcopus Dorylei accusator Eutychetis , aliique Episcopi orthodoxi Nestorianismi insimularentur ab Eutychete & Monachis ei adhærentibus , petiit Eusebius *Act.* 2. hujus Concilii , ut relegerentur Litteræ Cyrilli Alexandrini ad Nestorium , & ad Joannem Antiochenum ; quibus lectis , ipse Eusebius , aliique Episcopi , litteras , & in iis contenta probarunt ; plerisque adjicientibus , eas esse consonas fidei Nicænæ ; atque hoc pacto se a Nestorianismi suspicione purgarunt .

Responsio Eutychetis.

Actione 3. auditi sunt qui a Concilio ad Eutychem fuerant destinati , retuleruntque : *Cum pervenissemus ad eum in ejus Monasterium , libellos ei legimus , & exemplaria ei dedimus , & accusatorem ei manifestavimus , & vocationem ei denuntiavimus , & satisfactionem apud vestram sanctitatem : ipse autem occurrere quidem & satisfacere penitus abnegavit , dicens : hoc apud se esse decretum , & definitione quadam ab initio teneri , ut nusquam alibi egrediatur a sua fraternitate : quodammodo enim tamquam in sepulcro degere in Monasterio* ,,. Acta Concilii *col.* 191.

Postulavit insuper Eutyches nuntiari Concilio per dictos Commissarios , quod Eusebius Dorylei Episcopus detractionis , & injuriæ causa hanc accusationem adversus eum confecerit , eo quod inimicus ei jamdudum existeret .

Adhæc referebant , quod Eutyches assereret , se paratum ,, expositioni SS. Patrum , qui in Nicæa , & in ,, Epheso congregati sunt ,, consentire , & subscribere ,, interpretationibus eorum spondebat . Addit tamen ; ,, Si vero aliquid contigit eos in aliquibus dictis aut ,, falli , aut errare , hoc neque reprehendere , neque ,, suscipere : solas autem scripturas scrutari , tamquam ,, firmiores Sanctorum Patrum expositionibus ". Ibidem *col.* 194.

Hic obiter notandum , hodiernos & vicinos nobis Hæreticos rejicientes auctoritatem Ecclesiæ , necnon traditionem juxta unanimem SS. Patrum expositionem in decidendis dogmatibus fidei , sed solas scripturas pro judice controversiæ statuentes , ipsum Eutychem hæresiarcham magistrum habere & imitari .

Referebant præterea Commissarii , quod Eutyches professus hæc fuisset : ,, Post incarnationem Dei Verbi , hoc est post nativitatem D. N. J. C. unam *naturam* adorare , & hanc Dei incarnati & inhumanati .

Dixit insuper Eutyches , uti testantur allegati ,, contumelias aliquas adversus se ab aliquibus dictas quasi ,, dixerit , quia *Deus Verbum carnem secum de cœlo deduxerit* ; se innoxium ab hujusmodi contumelia esse . Ex duabus autem naturis unitis secundum subsistentiam factum fuisse D. N. J. C. : neque didicisse ,, ex expositionibus SS. Patrum , neque suscipere , si ,, contigerit ab aliquo ei tale aliquid legi ; quia divinæ scripturæ , ut dicebat , meliores sunt Patrum doctrinis .

§. II.

De secunda citatione Eutychetis , & Commissariorum relatione .

Secunda citatio Eutychetis.

FACTA relatione Commissariorum de iis , quæ responderat Eutyches , dixit Eusebius Dorylei Episcopus , hæc quidem sufficere , ut innotescat Concilio quem habeat impium sensum , & contrarium expositionibus SS. Patrum . Supplicabat , tamen , ut secundo citaretur . *Paratus enim sum (inquiebat) arguere eum testimoniis multorum , male sapuisse , & sapere & docere* ". Co-*lum.* 195.

Supplicationi annuit Concilium , iteratam citationem in scriptis decernens , directique fuere Mamas & Thophilus Presbyteri : *ut commonerent eum , reddentes ei a nobis transmissa vocationis scripta , quatenus ad nostram sanctam perveniat Synodum , scandalizatam non solum ex accusatoris libellis adversus eum porrectis ab Eusebio Dei amantissimo Episcopo , sed etiam ex facta depositione , quasi male sentiente eo , & pertinaci manente , ut dictum est a religiosissimo Joanne Presbytero & Defensore , & Andrea , & Athanasio reverendis Diaconibus ; forte & quando veniens , & evomens priorem suam impietatem , & cognoscens rectam fidem , & expositionem sanctorum Patrum nostrorum , veniam mereatur , quam* Ejus responsum. *decet dari a nobis his , qui ad pœnitentiam respiciunt .*

Hi Presbyteri ad Monasterium Eutychetis pervenien-

(*a*) In hujus Dissertationis decursu , legetur modo *Eutychetis* , *Eutycheti* , &c. modo *Eutychis* , *Eutychi* ; id oritur ex eo quod D. Van-Espen nihil in textibus , quos citavit , voluerit mutare .

nientes, invenerunt ante januas Monaſterii Monachos, quibus cum nuntiaſſent ſe velle alloqui Archimandritam, dixerunt eum ægrotare, & alloquium non dare; cumque Presbyteri a Concilio directi acquieſcere noluiſſent, tandem Eutyches eos ad colloquium admiſit, eique ſcriptam citationem prælegerunt: qua prælecta, dixit: „ Ego apud me definitum habeo, citra mortis „ neceſſitatem non egredi Monaſterium ". Dedit autem & Chartulam manu ſua ſubſcriptam ad Synodum deferendam; uti latius refertur in actis *col.* 199. & apud Liberatum Diaconum *cap.* 11.

§. III.

De tertia citatione Eutychetis, & Deputatorum relatione.

Tertia citatio Eutychetis.

POſtquam Synodo expoſuerunt Commiſſarii, quæ cum Eutychete acta erant, & quæ reſpondiſſet, petiit Flavianus Synodi præſes, ut quod placet declaret. Sancta Synodus dixit: *Rationis eſt & tertio a ſancta & magna hac Synodo reverendiſſimum Presbyterum & Archimandritam Eutychem commoneri, ut ad hanc ſanctam Synodum occurrat. Quod ſi hoc minime fecerit, ſeipſum culpabit.*

Decreta eſt ergo tertia citatio in ſcriptis, in qua dicit Concilium: *Arbitrabimur te non ignorare, quæ a ſanctis Regulis definita ſunt adverſus minime obedientes, & nolentes ad ſatisfaciendum occurrere; cum & tertia ad eos vocatio facta fuerit* ". Acta Concilii *col.* 201. & 203.

Directi ſunt autem Memnon, & Epiphanius Presbyteri, & Germanus Diaconus.

Procuratores Eutychetis.

Sequenti autem die a decreta tertia citatione venit ad Flavianum Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, & Synodi præſidem Abraamius Archimandrita, & tres Diaconi Monaſterii, cui Eutyches præerat, ab eo miſſi. Dixit autem Abraamius: *Direxit nos* (*Eutyches*) *ægrotans*. Reſpondit Flavianus: *Et intermittimus, non urgemus. Dei enim eſt dare ſanitatem, noſtrum autem expectare ſoſpitatem ipſius. Neque enim in abſciſſionem inſpicimus, ſed ad incrementum.*

Cumque dixiſſet Abraamius, quod & alia quædam ei mandaſſet Eutyches; *quæ* (ait) *ſi interrogatus fuero, dico*. Flavianus dixit: *Quomodo* (*rogo te*) *eſt poſſibile, altero accuſato, pro eo alterum dicere?* Etenim & Canones & Leges *criminali* judicio ſiſti mandant ipſum reum, excluduntque procuratorem. Itaque urget Flavianus, ut Eutyches ipſe reſponſurus Concilio ſe ſiſtat, idque affectu plane paterno. *Adveniat huc* (*ait*); *ad Patres veniat, & ad fratres, non ad ignorantes eum, immo hactenus in amicitia permanentes*. Deinde eum ad reſipiſcentiam & pœnitentiam invitat dicens: *Pœnitentia non adfert confuſionem: ſed permanere in peccato, opprobrium eſt: ſicut enim vermis conſumit lignum, ex quo naſcitur, ita & peccatum permanens in faciente illud.*

Præteritorum, ſi reſipiſcere velit, plenam veniam & oblivionem ultro offert, uti latius in actis, *col.* 206. refertur; ubi quoque refertur ferventem admodum fuiſſe in hac Eutychetis accuſatione Euſebium Epiſcopum Dorylei; dicebat enim ad Abraamium Flavianus: *Cognoſcitis zelum accuſatoris? quoniam & ipſe ignis frigidus illi videtur propter pietatis zelum, & Deus ſcit. Et monui & rogavi dicens: Noli obſecro intermitte. Cum autem immineret; quid eram facturus? Numquid ego diſperſionem veſtram volo? Abſit; & non magis congregari vos? Inimicorum eſt diſpergere; Patrum autem colligere* ". Acta *col.* 206.

Relatio Commiſſariorum Concilii.

Actione 3. quæ habita eſt 17. Novembris, relationem fecerunt, qui pro tertia citatione Eutychetem nomine Concilii accerſerant, retulitque Memnon: *Pervenientes uſque ad Reverendiſſimum Presbyterum & Archimandritam Eutychetem redidimus ei ſcripta, quæ a veſtra ſancta Synodo tranſmiſſa ſunt ei. Accipiens autem & perlegens, dixit nobis*: Quia direxi Reverendiſſimum Presbyterum & Archimandritam Abraamium ad ſanctiſſimum & beatiſſimum Archiepiſcopum noſtrum, necnon & ſanctum Concilium, quatenus ex perſona mea conſentiat omnibus, quæ dicta ſunt a ſanctis Patribus in Nicæa, vel in Epheſo congregatis, & omnibus quæ a beato Cyrillo.

Poſtquam autem Euſebius Doryleenſis pro ſuo zelo aliqua interpoſuiſſet, adjicit Memnon: „ Dicebat vero Eutyches: *eo quod in infirmitate conſtitutus ſum*, hac de cauſa *miſi Presbyterum* & Archimandritam Abraamium.

Sed cum Memnon, aliique a Synodo miſſi ferventius Eutychem urgerent, ut ſe Synodo ſiſteret, tandem reſpondit: *Peto ſupplicari Domino Archiepiſcopo & ſanctæ Synodo, quatenus inducias mihi tribuat præſentis ſeptimanæ: & ſecunda feria, volente Deo, ingredior & ſatisfacio & Domino, & ſanctæ Synodo.*

His auditis inſtabat Euſebius Eutychetis accuſator ſufficientia eſſe, quæ ad Synodum relata ſunt ad expoſitionem Eutychis, haſque petitas inducias eſſe duntaxat technas & tergiverſationes.

Induciæ conceſſæ Eutycheti.

Flavianus dixit: „ ſufficiunt quidem univerſa, quæ „ adverſus Eutych. Presbyterum & Archimandritam „ depoſita ſunt ad oſtendendum nobis, quia aliena a „ recta fide ſapit, & conturbare feſtinavit Eccleſiam, „ quatenus amodo jam vindictæ Canonicæ ſubjaceret, „ & alienaretur, & a Sacerdotali, qua fungitur, dignitate, & a principatu Monaſterii. *Propter pleniorem vero examinationem* (ait) poſtulatas ab eo „ præſtamus inducias: ſic enim occurrens in faciem „ convincetur ". Acta *col.* 211.

§. IV.

De comparitione Eutychetis coram Synodo, ejuſque condemnatione.

Eutyches comparet in Synodo Monachis, militibuſque, & Miniſtris Imperatoris ſtipatus.

EUtyches impetratis octo dierum induciis ad comparendum coram Synodo *refugiens ad Imperatorem Theodoſium, impetravit ab eo, ut fertur, per Chryſaphium Eunuchum, quem Eutyches ſuſceperat de ſacro Baptiſmate, ut cum Patricio Florentio & magno Silentiario Concilium illud Flaviani ingrederetur: timere enim ſe dicebat Flaviani calumnias* ". Ita refert Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* 11.

Itaque cum magno Silentiario, & maxima multitudine militum, ſive excubitorum & clamydatorum & Monachorum, venit Eutyches die ſtatuta, id eſt 22. Novembris, ad Concilium, quemadmodum & acta, & Liberatus Diaconus teſtantur.

Mandatum Imperatoris, ut Florentius Patricius interſit audientiæ Synodi.

Intromiſſus magnus Silentiarius, annuente Synodo, recitavit Imperatoris mandatum, ita ſe habens: „ Nos „ pacem cogitamus ſanctarum Eccleſiarum & Catholicæ fidei, & cuſtodiri volumus rectam, & Deo inſpirante prædicatam fidem a ſanctis Patribus noſtris. „ qui in Nicæa congregati ſunt, trecentis decem & „ octo, & ab his, qui Epheſi interfuerunt damnationi Neſtorii. Hoc ergo volumus, ne ſcandalum in „ prædicta Catholica fide immittatur. Et quoniam ſcimus, magnificentiſſimum Patricium Florentium eſſe „ fidelem & teſtimoniis probatum in recta fide, volumus ipſum intereſſe audientiæ Synodi, quoniam ſermo de fide eſt.

Dum hoc Imperatoris mandatum legeretur, Synodus fauſta omnia Imperatori acclamavit, eique gratias egit; tametſi ſatis pateret, hoc mandatum eſſe opus Chryſaphii Eunuchi Eutycheti faventis, ipſam Synodum ſpretæ Synodi Epheſinæ & reſuſcitati Neſtorianiſmi ſuſpectam reddens; uti recte notavit Chriſtianus Lupus t. 1. Schol. in Canones *pag.* 490.

De admiſſione Florentii Exprefecti, *Flavianus dixit: Domnum Florentinum fidelem omnes ſcimus, & teſtificationibus probatum in Catholica fide, & volumus eum intereſſe.*

Voluit autem Synodus audire ab Eutichete, num ipſe intereſſe vellet, qui dixit: *Quod vult Deus, & Sanctitas veſtra, facite: ego me vobis commendo.*

Petiit ergo Flavianus a magno Silentiario, ut dignaretur accedere Patricium Florentium, eumque rogare ad Synodum venire.

Examen cauſæ Eutychetis.

Hic cum veniſſet, ſancta Synodus dixit: „ ſtent in „ medio accuſator & accuſatus, & legantur ab initio, „ quæ acta ſunt de negotio, quod vertitur inter Dei „ amantiſſimum Epiſcopum Euſebium, & venerabilem „ Presbyterum & Archimandritam Eutychem, ut inſtructi ex his, quæ geſta ſunt, congruentem æquitati & ſanctis Canonibus terminum demus his, quæ „ mota ſunt.

Ubi autem perventum eſt ad locum S. Cyrilli, ubi aſſerit, unionem naturæ divinæ & humanæ factam in Chriſto, interrupit Euſebius Doryleenſi, dicens: „ Iſte „ (Eutyches) per veſtigia veſtra, hoc non confitetur, „ nec his aliquando conſenſit, ſed contraria illis ſenſit, & locutus eſt ad unumquemque ad ſe venientem, & docuit.

Florentius Patricius tunc dixit: „ Si placet veſtræ „ ſanctitati, interrogetur Papas Eutyches, utrum his „ conſentiat.

Verum Euſebius Doryleenſis veritus, ne his conſenſiſſet Eutyches; petiit ut pergeretur in lectione actorum: „ neque ſi modo conſenſerit, ſumens aliunde documentum ſeu expoſitionem, debeo pati præjudicium. Nam ego demonſtravi eum, & per profeſſiones eorum, qui ad eum miſſi ſunt a ſancta Synodo, „ & per teſtes Epiſcopos ſanctiſſimos; eadem poſſum „ rurſus oſtendere, ſi negaverit.

Fatebatur candide ipſe Euſebius, quod *metueret ipſius concuſſionem ſeu circumventionem*; dicebatque: *Ego pauper ſum, nihil poſſidens. Minatur mihi exilium; divitias habet. Deſignat mihi jam nunc Oaſim* (*id eſt petram exilii*).

Tum Florentius Patricius dixit: „ Interrogatio offeratur Eutychi Presbytero, ut exponat quemadmodum credit & dicit; & tunc rurſus interrogeretur, „ cur modo iſta aſſerens, ante aliter aſſerebat.

Conſenſit Euſebius, modo præjudicium ſibi non fieret ex ejus repentina conſenſione. Reſpondit Flavianus: „ Non erit tibi præjudicium, ſi modo conſen„ ſerit; nam quæ ante acta ſunt, habent propriam firmitatem.

Confeſſio Eutychetis.

Illis dictis interrogatus fuit Eutyches, utrum confiteretur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum conſubſtantialem nobis ſecundum carnem? Tandem poſt varias tergiverſationes & æquivocas reſponſiones, interrogante eum Patricio Florentio: „ Duas naturas dicis, & „ conſubſtantialem nobis eſſet „? Tandem reſpondit Eutyches: „ Ego legi ſcripta B. Cyrilli, & SS. Pa„ trum, & ſancti Athanaſii, quoniam ex duabus qui„ dem naturis dixerunt ante adunationem, poſt adu„ nationem autem & incarnationem, *non jam duas* „ naturas, ſed *unam* naturam dixerunt.

Tum Florentius Patricius; „ Confiteris duas naturas *poſt adunationem*? dic: ſi non dixeris, damnaberis „. Eutyches Presbyter dixit: „ legi jubete ſancti „ Athanaſii ſcripta, ut advertatis quoniam nihil tale „ dicit.

Ejus condemnatio.

His auditis univerſa Synodus exurgens anathematizavit eum, & Flavianus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus Synodi Præſes, dixit: „ Per omnia Euty„ ches quondam Presbyter & Archimandrita, & ex „ his quæ antea acta ſunt, & nunc propriis ejus con„ feſſionibus, Valentini & Apollinaris perverſitate re„ pertus eſt ægrotare, & eorum blaſphemias incom„ mutabiliter ſequi; qui nec noſtram reverens perſua„ ſionem atque doctrinam rectis voluit conſentire dog„ matibus. Unde lacrymantes & gementes perfectam „ ejus perditionem, decrevimus per Dominum no„ ſtrum Jeſum Chriſtum ab eo blaſphematum, extra„ neum eum eſſe ab omni officio Sacerdotali, & a „ noſtra communione, & primatu Monaſterii; ſcien„ tibus hoc omnibus, qui poſtea colloquentur ei, & ad „ eum convenerint, quoniam rei erunt, & ipſi pœ„ næ excommunicationis, ut qui non declinaverint „ confabulationes ejus.

Huic ſententiæ ſubſcripſerint viginti novem Epiſcopi, & viginti quatuor Archimandritæ, ſive Monaſteriorum Abbates.

§. V.

De appellatione, quæ a ſententia Synodi Conſtantinopolitanæ per Eutychetem facta dicitur.

Prætenſa appellatio Eutychetis.

POST latam a Flaviano nomine Concilii in Eutychetem ſententiam, ipſum appellaſſe dixit Conſtantinus Monachus Eutychetis defenſor: *Eutyches* (*ait*) *dum legeretur damnatio, appellavit ſanctum Concilium ſanctiſſimi Epiſcopi Romani, & Alexandrini*, & *Hieroſolymitani, & Theſalonicenſis, & hæc in geſtis non ſunt inſerta. Tomo* 4. *Concil. col.* 244.

Idipſum & ipſe Eutyches affirmat in pſeudo-Epheſino Concilio dicens ſe a Flaviano damnatum provocaſſe ad Concilium & Epiſcopos: *Nullum* (*inquit*) *verbum facientes* (*Flaviano*) *de appellatione mea ad veſtram ſanctitatem ..... Sed ſicut poteſtatem habens, omnia de fide ſolus agere, & nihil veſtræ ſanctitati de talis æquitate judicii reſervare, condemnavit me, & ab Eccleſia, ut putabat, abſcidit, & ſacerdotio, ut arbitratus eſt, privavit ...... ſed ......* poſt appellationem *fecit in me prolatam legi ſententiam, & anathematizabat me, & eos, qui conveniebant ad me ...... non expectans veſtræ ſanctitatis judicium, ſed & ſubſcribere dictam adverſus me ſententiam compellebat ...... & in Orientem, & per alias diverſa loca deſtinavit chartas, ut etiam & ab aliis religioſiſſimis Epiſcopis & Monachis, & hoc qui non judicaverunt ſubſcriberentur, cum magis oportuerit ante omnibus* (*alia lectio habet, ante omnia*) *Pontificibus ſcribere, quos & appellaveram*. Acta *col.* 143. Verum hanc appellationem Eutychetis, ſi quæ fuerit, non contigiſſe coram Synodo, ſed Synodo jam ſoluta, Florentius Patricius, qui juſſu Imperatoris Synodo interfuerat, teſtatus eſt, dicens: *Turba facta, &* diſſoluto *conventu, dixit ad me* ſilenter, *appellans Romanum, & Ægyptium, & Hieroſolymitanum Concilium. Et ego arbitratus indecens eſſe, latere hoc ſanctiſſimum & Reverendiſſimum Archiepiſcopum Flavianum, abſcendens, dixi ei*. In actis *columna* 244.

Subjunxit Baſilius Reverendiſſimus Epiſcopus: *Jam in veritate dico, adhuc ipſo conventu ſedente & proponente hoc ſanctæ Synodo; ut diceret iſte duas naturas inſeparabiles & inconfuſas in uno Domino & poſt adunationem; ſcio quia dixit religioſiſſimus Archimandrita Eutyches: ſi præceperint mihi Patres, Romanus & Alexandrinus, dico hoc ipſum. Hoc autem non quaſi appellans dixit; ſed dicens: Non ſum auſus dicere propter Patres*.

Similiter Flavianus Archiepiſcopus dixit: „ *Non audivi ego ab illo, ſed a viro magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Exconſule & Patricio aſcendente me in ſuperius hoſpitium poſt ſolutam Synodum*.

Obteſtatus eſt poſt hæc Florentius Patricius Epiſcopos, ut, ſi Eutychetem appellantem audiverint, dicant: *Julianus* (*Conenſis*) *Epiſcopus dixit: Coram Deo dico; Nihil tale ab Eutyche Monacho audivi in conſeſſu*.

Seleucus Epiſcopus quoque dixit: *Dum eſſet Concilium, & interrogatio proveniret, nihil tale cognovimus dictum ab Archimandrita Eutychete de appellatione. Idipſum & reliqui Epiſcopi præſentes dixerunt*.

Ex his ſat probatum eſt Eutychetem, dum pronunciaretur adverſus ipſum ſententia, non appellaſſe coram Synodo, illudque mendaciter ab Eutychete & per ejus procuratorem Conſtantinum Monachum fuiſſe aſſertum.

Illud quoque habetur ex teſtimonio Florentii & Flaviani, ab Eutychete appellationis verba fuiſſe uſurpata, quamvis *ſilenter*, & poſt *ſolutam* Synodum. Inſuper ex dictis Baſilii Epiſcopi diſcimus, dum cauſæ examini incumberetur, ab Eutychete mentionem factam Epiſcoporum Romani & Alexandrini, non tamen ut ad eos provocaret, ſed ut eum, quem præſcriberent, loquendi modum ſequeretur.

Hæc partim latenter, partim æquivoce dicta, audaciam fecerunt Eutycheti, imponendi Patribus, ſe in Synodo Conſtantinopolitana appellaſſe, & hanc appellationem neglectam, & actis non inſertam fuiſſe. Aſſertio enim hæc a Conſtantino Monacho facta fuit in conventu Conſtantinopolitano ſex circiter menſibus a ſoluta priore Synodo coacto, in quo Synodi acta relata ſunt, ut infra dicetur.

§. VI.

De Litteris Eutychetis ad S. Leonem Papam; & quomodo eum circumvenire ſtuduerit.

EUTYCHES videns ſe nihil proficere, de ſua damnatione ad S. Leonem Romanum Epiſcopum reſcripſit, & apud Conſtantinopolim poſuit edicta, & injuſtitiam ſe fuiſſe paſſum, populum conteſtatus eſt; uti ſcribit Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* 11.

Eutyches conatur circumvenire S. Leonem.

Epiſtolam Eutychetis ad Leonem edidit Chriſtianus Lupus, eamque recuſam una cum aliis ab eodem Lupo editis inſeruit tomo primo novæ collectionis Conciliorum Stephanus Buluzius *col.* 932. & 933. edit. Pariſienſis anni 1683.

Hic ſcribit Eutyches, quod Euſebius Dorylenſis Epiſcopus libellum contra ipſum obtulerit Flaviano Epiſcopo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, & quibuſdam aliis Epiſcopis inventis in eadem urbe, qui propter diverſas cauſas ſuas huc convenerant; *non veritate* (ait) *accuſationem movens, ſed perniciem mihi machinans, & perturbationem Eccleſiis Dei*.

Exponit præterea, quod vocatus, ſed gravi ægritudine ſupra ætatem retentus, occurrerit ad purgationem, *non ignorans* (ait) *compoſitam factionem contra ſalutem meam*.

Dicit a ſe oblatum libellum manu ſua ſubſcriptum, ac inſuper ſcripta, *oſtendens* (ait) *de ſancta fide profeſſionem meam*.

Conqueritur autem hæc a Flaviano non fuiſſe ſuſcepta, additque. *Et reſpondente me ipſis verbis, fidem, quæ Nicææ expoſita eſt a ſancta Synodo, confirmata vero apud Epheſum*, (*Flavianus*) *expetebat* (ait) *duas naturas fateri, & anathematizare eos, qui hoc negarent*.

Hoc fateri ſe noluiſſe ſat aperte agnoſcit Eutyches; dicens, quod metuens definitionem Synodi, nec adimere, nec addere verbum contra expoſitam fidem a Nicæna Synodo voluerit: *Sciens* (*ait*) *ſanctos & beatos Patres noſtros, Julium, Felicem, Athanaſium, Gregorium ſanctos Epiſcopos refutantes duarum naturarum vocabulum, & non audens de natura tractare Dei Verbi, qui in carnem venit ultimis diebus in uterum ſanctæ Virginis Mariæ immutabiliter, quomodo voluit & ſcit in veritate; non in phantaſmate homo factus, aut anathematizare ſupra dictos Patres noſtros*.

Clarum hic eſt vafrum hominem tegere duntaxat hæreſim ſuam ſtuduiſſe, ac propterea merito adactum fuiſſe in Synodo Conſtantinopolitana, ut clare & ſine ambagibus, duas in Chriſto *poſt adunationem & incarnationem confiteretur naturas*, uti §. 4. notavimus.

Dicit præterea in hac Epiſtola, ſe rogaſſe, ut *innoteſcerent iſta* (*ait*) *ſanctitati veſtræ, & quod vobis videretur, judicaretis, profitens omnibus modis me ſecuturum, quæ probaſſetis*.

Hæc poſtrema plane conſona ſunt his, quæ de Eutychete dixit Baſilius Epiſcopus, cujus verba ſupra relata ſunt, & e quibus cognoſcimus, uti notavimus, his verbis Eutychetem non inſtituiſſe *appellationem* ad S. Leonem, ſed tantum petiiſſe, quid ille de fide Incarnationis ſentiret; pollicitus, ſe conſenſurum iis, quæ probaſſet: quod & de Alexandrino Epiſcopo eum dixiſſe ex citatis verbis Baſilii Epiſcopi patet.

Poſt hæc conqueritur, quod iis omnibus neglectis, ſententiam dejectionis contra ipſum publicarint: *quam* (*ait*) *adverſus me calumniæ factione inſtruebant, ut & ſaluti meæ diſcrimen incumberet, niſi cito opera Dei,*

ora-

orationibus sanctitatis tuæ militaris manus me ab incursione repuisset.

Quod præterea *duces aliorum Monasteriorum cogere cœperint in (suam) dejectionem subscribere, quod (ait) nunquam ne in ipsos, qui se Hæreticos professi sunt, vel adversus ipsum Nestorium factum est.*

Insuper queritur, quod nec permiserint publicari justificationem suam, qua plebi satisfaceret: *ut exinde (inquit) tamquam hæreticus apud omnes haberet.*

In hoc igitur statu constitutus, dicit, se ad ipsum S. Leonem, tamquam religionis defensorem, & hujusmodi factiones execrantem confugere, quodque anathematizet *Apollinarium, Valentinum, Manem, & Nestorium, & eos, qui dicunt carnem D. N. J. C. Salvatoris e cælo descendisse, & non e Spiritu Sancto, & Sancta Virgine Maria, & omnes hæreses usque ad Magum Simonem, & nihilominus (ait) tamquam Hæreticus de vita periclitor.*

Denique obsecrat S. Leonem: *ut nullo præjudicio facto ex his, quæ contra me per insidias (ait) gesta sunt, quæ visa vobis fuerit, super fidem proferre sententiam, & nullam deinceps permittere a factiosis contra me calumniam procedere, & non excuti & eximi de numero orthodoxorum eum, qui in continentia & omni castitate septuaginta annos vitam peregit, ita ut ipso exitu vitæ naufragium patiatur.*

Adjunxit & huic epistolæ libellum supplicem, quem contra ipsum obtulerat Eusebius Dorylensis, necnon professionem fidei, quam ipse Synodo exhibuerat, quæ & subjicitur huic epistolæ in citato tomo Baluziano, *col.* 934. continetque damnationem hæresum Apollinarii, Nestorii, & omnium hæreticorum usque ad Simonem Magum, sed de duabus in Christo naturis *post incarnationem* altum silentium.

Hinc patet quomodo vaferrimus hic & versipellis Monachus hæresim suam involvere, & S. Leonem circumvenire per techuas & fallacias conatus sit.

§. VII.

Qualiter Eutyches opera Chysaphii impetraverit a Theodosio Imperatore novum Concilium, in quo acta prioris fuerunt relecta.

Alterum Concilium Constantinop. coactum anno 449.

NEc his contentus homo inquietus *obtulit preces Imperatori, questus de falsitate gestorum, quasi aliqua a notariis superaddita fuissent, aliqua vero dicta, nec gestis inserta*: ait Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* II.

Postulavit autem (ait Liberatus) *ut sub præsentia Thalassii Episcopi, & Florentii Patricii rursus in palatio, Flaviano occurrente, ipsum congregaretur Concilium, & ex interrogatione personarum veritas panderetur.*

Neque difficile fuit homini freto potenti patrocinio Chrysaphii Eunuchi id ab Imperatore impetrare: unde & subjicit Liberatus: *Annuit Imperator fieri, & easdem preces manu sua ita subscripsit*: Deponant apud reverendissimos Episcopos non solum qui dudum convenerunt verum etiam & apud reverendissimum Thalassium, ut omnibus his præsentibus, quæ supplicatio loquitur, negotii veritas inquiratur.

Concilium hoc congregatum fuit I. Aprilis anno 449. præsentibus triginta Episcopis, quorum aliqui priori Concilio quoque interfuerunt. Thalassius Cæsareensis in Cappadocia præcipuum locum tenebat, uti Eutyches optaverat: similiter Florentius Patricius ut judex interveniebat, & Tribunus Macedonius Notarius & Referendarius Synodum dirigebat.

Procuratores Eutychetis audiuntur jussu Imperatoris.

Igitur ingressis & sedentibus Episcopis, Macedonius Notarius & Referendarius mandavit, ut vocarentur, qui ab Eutyche missi erant. Patricius ad hoc Macedonii mandatum, dixit: *Quid pro hoc placet reverendissimis Episcopis?* Eusebius Dorylensis respondit: *Si per procuratorem dicit, me jubete recedere.*

Patricius ad hæc dixit: *Quod Imperialis præcepit auctoritas, omnibus modis observandum est. Unde si consentiunt reverendissimi Episcopi, ut suscipiantur hi, qui pro persona reverendissimi Monachi agere parati sunt, dicant.*

Respondit Meliphthongus Episcopus Julionopolitanorum civitatis: *Tali facta accusatione, consequens est adesse eum, qui accusatur, præsertim quia hujusmodi accusationes non sine periculo fiunt.* Et cum Imperator Regulas Canonicas nolit violari, petit hæc referri ejus clementiæ: *Et si jusserit (inquit) in criminali causa alterum pro altero decertare, & hoc suscipimus, præcipue quia universalem præcepit fieri Synodum, & necesse est majores causas in illud reservare Concilium.*

Cumque alii Episcopi similiter respondissent, se velle suscipere quod Imperator jusserit, interrogavit Florentius Patricius Macedonium, quæ mandata haberet: qui respondit: *Piissimus Dominus noster cognoscens damnatum esse prædictum virum Eutyche.., (...) Eutychetem) jussit pro eo omnibus modis directos ingredi, ut cognoscant in relectione chartarum, quæ ab Archiepiscopo ad eum dicta sunt, & quæ ab eo ad sanctissimum Archiepiscopum.*

Quibus dictis, mandante Florentio Patricio ingressi, qui ab Eutychete missi erant, Constantinus, Eleusinius, & Constantius Monachi, & stantes in medio, Macedonius præ se ferens sanctum Evangelium *jussit eos, qui dudum præsentes fuerunt, sacratissimos Episcopos sub* Sacramento *dicere, si veræ sunt elegendorum monimentorum professiones ab utraque parte illatæ.*

Declaratio in fide Sacerdotis loco juramenti.

Respondit Basilius Seleuciensium Ecclesiæ Episcopus: *Hactenus juramentum Episcopis nescimus oblatum, sed & præceptum est nobis a Domino Christo, non jurandum, neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum Dei est; neque per caput suum quemquam jurare, quia nullus potest unum capillum eorum, qui a Deo creati sunt, ipse facere. Unusquisque vero sicut antealtare Dei stans, Dei timorem habens præ oculis, & propriam conscientiam mundam servans Deo, quod in memoria retinet, nullatenus debet intermittere.*

Post hæc mandante & instante Florentio Patricio post varias altercationes tandem relecta fuere acta Concilii, in quo Eutyches fuerat damnatus; nihilque a fautoribus Eutychetis actorum sinceritati objectum, nisi hoc fere unum, quod appellatio Eutychis, actis inserta non esset; sed ostendebatur nullam coram Concilio ab Eutychete appellationem fuisse interjectam, uti supra notavimus.

Unde scribit Liberatus Diaconus in Breviario, *cap.* II. *quod discussis gestis, instantibus Notariis cum Episcopis Deum timentibus, cum Eutychi aliqui faverent pro tempore, nihil falsitatis inveniri potuit.*

§. VIII.

Flavianus, aliique orthodoxi Episcopi ab Eutychete in suspicionem Nestorianismi accusantur.

Aula Imperatoris favet Eutycheti.

EX actis & hactenus narratis manifestum est aulam Imperatoris Eutychi favisse, patrocinante ei Chrysaphio, qui singulariter infensus Flaviano, Eutychi ejus adversario impense patrocinabatur. Hinc & facile recipiebatur, quidquid ab Eutyche contra Flavianum, & ei adhærentes Episcopos spargebatur, nimirum quod a Nicæna & Ephesina Synodo recederent, Nestorioque faverent.

Flavianus jussu Imperatoris exhibet professionem fidei suæ.

Quare sub hoc tempus contigisse videtur, quod teste Liberato Diacono citato, *cap.* II. *expetiverit a Flaviano Imperator fidei ejus confessionem, manu ejus scriptam & subscriptam.* Confessionem hanc manu sua scriptam & signatam obtulit Imperatori Flavianus, eaque exstat integra apud Liberatum, & parte prima actorum Concilii Chalcedonensis, *cap.* 5. *tom.* 4. *Concil. general. editionis Labbæanæ, col.* 15. dixitque in initio: *Nihil ita convenit Sacerdoti Dei & dogmatibus erudito divinis, quam paratum esse ad satisfactionem omni petenti rationem de spe, quæ in nobis est & gratia* Non enim erubesco Evangelium Dei. Virtus enim Dei est ad salutem omni credenti. Ad *Rom. cap.* I. *vers.* 16.

Prima S. Leonis ad S. Flavianum Epistola in causa Eutychetis.

Profitetur se sequi expositiones SS. Patrum, qui Nicææ; item 150. qui Constantinopoli; item qui Ephesi sub Cyrillo Alexandrino congregati fuerunt. Profitetur unum Dominum Jesum Christum ante sæcula quidem ex Deo Patre sine principio secundum divinitatem natum, & propter nostram salutem ex Maria Virgine secundum humanitatem, Deum perfectum, & perfectum hominem, *consubstantialem Patri secundum divinitatem & consubstantialem Matri* secundum humanitatem, in duabus naturis unam personam, unum Christum, & unam Verbi Dei naturam (ait) incarnatam tamen & inhumanatam dicere non negamus, eo quod ex ambabus unus atque idem sit Dominus Jesus Christus. Anathematizat autem eos, qui dicunt duos filios, duas substantias, aut duas personas, & notanter Nestorium, ejusque Sectatores.

§. IX.

De Litteris S. Leonis ad Flavianum; & Theodosium Imper. in causa Eutychis, & Flaviani ad Leonem.

INTEREA dum Constantinopoli acta relegerentur, aliaque agerentur, S. Leo Pontifex Romanus receptis litteris Eutychis, una cum libello eis adjuncto, scribit ad Flavianum: „Cum Christianissimus Imperator „(ait) sancta & laudabili fide pro Ecclesiæ catholicæ pace sollicitus, ad nos scripta transmiserit de „his, quæ apud vos perturbationis strepitum commoverunt, miramur fraternitatem tuam, quid illud „scandali fuit, nobis silere potuisse, & non potius „procurasse, ut primitus non insinuatio tuæ relationis instrueret, ne de rerum gestarum fide possemus „ambigere.

Addit, se accepisse libellum Eutychis Presbyteri, quo quæritur se „immerito communione privatum, maxime cum vocatum se adfuisse teste-„tur,

,, tur, nec ſuam præſentiam denegaſſe; adeo ut in
,, ipſo judicio *libellum appellationis* ſuæ ſe aſſerat ob-
,, tuliſſe, nec tamen fuiſſe ſuſceptam, qua ratione
,, compulſus ſit, ut conteſtatorios Libellos in Conſtan-
,, tinopolitana urbe proponeret.

Hæc ſat manifeſte reſpondent litteris Eutychis ad Leonem, quarum ſummam ſupra exhibuimus.

Conteſtatorii libelli, quorum hic meminit S. Leo, fuiſſe videntur edicta, de quibus loquitur Liberatus in Breviario *cap.* 11. ſcribens: *Et Eutyches ..... poſuit edicta apud Conſtantinopolim, & injuſtitiam ſe fuiſſe paſſum, populum conteſtatus eſt.*

Scribit ulterius S. Leo, quod nondum agnoſcat, qua juſtitia a communione Eccleſiæ fuerit ſeparatus Eutyches; nihil tamen voluiſſe definire, priuſquam plenam cauſæ notitiam habuerit: rationem notandam addens, *Qui Sacerdotum Domini matura volumus eſſe judicia nihil poſſumus* incognitis *rebus, in cujuſquam partis præjudicium definire, priuſquam univerſa, quæ geſta ſunt, veraciter audiamus.*

Idcirco monet Flavianum, ut *pleniſſima relatione ſignificet, quid contra antiquam fidem novitatis emerſerit, quod ſeveriori ſententia dignum fuerit, vindicari.*

Aſſerit inſuper, non difficile ſibi videri, *pacem*, quam magnopere optat, obtinere: *cum memoratus Preſbyter* (*Eutyches*) *libello proprio ſit profeſſus, paratum ſe eſſe ad corrigendum ſi quid in ſe inventum fuerit, quod reprehenſione ſit dignum. Decet enim* (*ait*) *in talibus cauſis hoc maxime provideri, ut ſine ſtrepitu concertationum & charitas cuſtodiatur, & veritas defendatur.* Eſt hæc inter Epiſtolas Leonis 20. in editione Quenelli.

S. Leoni ad Theodoſium Imperatorem Epiſtula. Scripſit & S. Leo ad Theodoſium Imperatorem Epiſtolam, quæ eſt 21. Multum ejus pro fide pietatem & zelum laudat, ne ſcilicet *in populo Dei aut ſchiſmata, aut hæreſes, aut ulla ſcandala convaleſcant; quia tunc* (*ait*) *eſt optimus regni veſtri ſtatus, quando ſempiternæ & incommutabili Trinitati unius Deitatis confeſſione ſervitur.*

Deinde ſignificat nondum ſe potuiſſe plene cognoſcere, quid acciderit Conſtantinopoli, quid ita Flavianum potuerit commovere, ut Eutychem Presbyterum communione privaverit; quamvis memoratus Presbyter *ad Sedem Apoſtolicam per libellum doloris ſui querimoniam miſerit.*

Poſt hæc ſcribit ſe a Flaviano plenam de toto negotio inſtructionem petiiſſe; eumque de moroſo ſuo in hac cauſa ſilentio arguiſſe.

Prima Epiſtola Flaviani ad Leonem. Cæterum poſtquam ex litteris Leonis intellexiſſet Flavianus, Eutychem ad Leonis patrocinium confugiſſe, quo ſibi Occidentalium favorem conciliaret, cenſuit & ipſe de tota hac difficultate, actiſque in hac cauſa Leonem informare, ſcripta Epiſtola, quæ exſtat in actis Concilii Chalcedonenſis *part. I. cap.* 4. & græcæ ac latine apud Quenellum poſt Epiſtolam 21. Leonis.

In hac Epiſtola primum deſcribit Flavianus errorem Eutychis nolentis *duas* in Chriſto *naturas poſt incarnationem* agnoſcere.

Deinde eum ab Euſebio Epiſcopo " accuſatum, inquit,
,, quit, & occurrentem ad ſanctum Concilium, pro-
,, priaque voce quid ipſe ſentirent) Patribus Synodi
,, detegentem, ut qui alienus ſit a recta fide, depoſui-
,, mus, prout *ſanctitatem veſtram docebunt cuncta ſu-*
,, *per eo confecta acta, quæ & miſimus cum hiſce no-*
,, *ſtris litteris.*

Finalia verba evincunt, nihil de hoc negotio ante has litteras ad Leonem fuiſſe a Flaviano tranſmiſſum, neque eum per Flavianum de hæreſi Eutychis, aut ejus in Synodo damnatione fuiſſe edoctum; ut merito proinde ab eruditis paſſim contra Baronium notatum ſit, hanc eſſe primam de hoc negotio per Flavianum ad S. Leonem de hac cauſa datam Epiſtolam & informationem.

Cur autem poſt receptas has Leonis litteras, totam ſeriem negotii ei intimandam cenſuerit, ſubjicit:
,, Æquum porro eſt mea quidem ſententia, ut hoc
,, quoque edoceamini, quod Eutyches idem juſte & ca-
,, nonice depoſitioni ſubjectus, cum debuiſſet ſaltem
,, ſecundis curare priora, necnon per exactam pœni-
,, tentiam, multaſque lacrymas Deum placare, & cor
,, noſtrum valde in lapſu ejus contriſtatum vera reſi-
,, piſcentia delinire; non ſolum id non fecit, quin
,, immo per omnia connifus eſt ſanctiſſimam hujuſce
,, loci Eccleſiam conturbare, tabulas publice propo-
,, nens, contumeliarum & maledictorum plenas; &
,, inſuper hæc, preces offerens piiſſimo & Chriſti
,, amantiſſimo noſtro Imperatori, eaſque arrogantia
,, & petulantia refertas, in omnibus divinos Canones
conculcare tentans.

Poſt hæc addit: " Verum his ita ex conſecutione
,, peractis, redditæ nobis ſunt litteræ Sanctitatis ve-
,, ſtræ per Comitem omni admiratione dignum Pau-
,, ſopium: ex quibus edocti ſumus, eumdem Eutychem
,, libellos ad vos miſiſſe plenos fallacia & aſtu, dicen-
,, tem ſe tempore judicii libellos appellationis tradi-
,, diſſe nobis & ſanctæ Epiſcoporum tunc præſentium
,, Synodo, atque appellaſſe ad veſtram Sanctitatem,
,, quod nequaquam ab eo factum eſt, ſed hac quoque
,, in parte fefellit, velut pater mendacii, ſe veſtris
,, auribus ſubrepturum arbitratus.

Hic aperte ſcribit Flavianus, *mentitum* Eutychem, dum perſuadere voluit S. Leoni, a ſe tempore judicii, fuiſſe *appellatum* ad ipſum Leonem.

Ulterius liquet, Flavianum non ante de litteris ea de re ad Leonem ſcribendis cogitaſſe, quam cum didicit Pontificem improbis Eutychis artibus deceptum falſam de judicio Conſtantinopolitano opinionem concepiſſe.

Concludens tandem Flavianus convertit ſe ad Sanctum Leonem, dicens: *Commotus igitur, Sanctiſſime Pater, ob omnia, quæ auſus eſt, & propter ea, quæ adverſus nos, Sanctiſſimamque Eccleſiam facta ſunt atque fiunt, ſolita fiducia utere, ſicut Sacerdoti convenit, & vindicans communem rem, ſanctarumque Eccleſiarum compoſitionem, dignare per proprias quidem litteras ſuffragari depoſitioni canonicæ adverſus eum factæ.*

Rogat quoque confirmari Imperatoris fidem, quem ſciebat per Eutychem favente Chryſaphio præoccupatum. " Res namque (ait) ſolo indiget ex vobis im-
,, pulſu atque ſubſidio, quod per veſtram prudentiam
,, ad tranquillitatem & pacem cuncta ſtatim tranſlatu-
,, rum eſt. Sic enim & quæ inſurrexit hæreſis, & ob
,, eam excitatus tumultus facile ceſſabit, Deo coope-
,, rante, per veſtras ſacras litteras: prohibebitur vero,
,, & quæ evulgatur futura eſſe Synodus; ut ne ſan-
,, ctiſſimæ totius orbis Eccleſiæ perturbentur.

Hæc nos docent, jam tum de Synodo *generali* habenda rumorem fuiſſe, priuſquam de ea convocanda a Leone eſſet ſcriptum ad Imperatorem. Patet quoque ex his, quod Flavianus non putaverit conveniens, novam Synodum congregari, *ut ne ſanctiſſimæ totius orbis Eccleſiæ perturbentur* propter unius Monachi inquieti & ſeditioſi errorem ac malitiam. Prævidens & indubie Flavianus, quam periculoſa tunc eſſet Synodi congregatio, præcipue in Oriente, ubi Eutyches faventem ſibi aulam habebat.

Secunda Epiſtola Flaviani ad Leonem. Extat & ſecunda Epiſtola Flaviani ad S. Leonem, in qua elucet magnus Flaviani pro veritate & fide zelus: exponitque breviter errorem & impietatem Eutychis; dicitque acta, quæ in hoc negotio confecta ſunt, ſe direxiſſe, in quibus & ipſius Eutychis a Sacerdotio depoſitio, & a communione abſciſſio continetur.. " Ut (ait) ſanctitas veſtra hoc cognoſcens,
,, quod circa illum actum eſt, omnibus Epiſcopis ſub
,, Beatitudine veſtra degentibus manifeſtare dignetur
,, illius impietatem: ne neſcientes aliqui quid ille ſen-
,, ſerit, quaſi ad orthodoxum vel per litteras, vel per
,, aliquam conjunctionem loquantur.

Altera Leonis ad Flavianum Epiſtola. Receptis igitur geſtis Synodi Conſtantinopolitanæ una cum litteris Flaviani, reſpondit S. Leo Flaviano; atque inter alia ipſi ſignificat ſe cognoviſſe, quod Eutyches, aliter quam convenit, de fide ſentiat; laudatque in Flaviano zelum fidei: additque quod non patietur ipſum diutina adverſæ partis impugnatione turbari; aut Eutychem in ſuæ perſuaſionis pravitate perſiſtere. Datæ ſunt hæ litteræ 21. Maji 449. Eſt Epiſtola 22. apud Quenellum.

Altera ad Imperatorem. Quia autem Flavianus petierat a Leone; ut Imperatoris fidem firmaret, eumque a Synodo indicenda abſtraheret, ſcripſit S. Leo ad Theodoſium Auguſtum 25. ejuſdem menſis Maji, dicitque quod jam ante ſatis ſignificaverit, quæ ab ipſo, atque ab omnibus Catholicis Sacerdotibus, Evangelicæ fidei pietas defendatur: *Nos enim .....* (*ait*) *ſicut Neſtorii dogma perverſum merito anathematizavimus, ita juſte etiam horum impietatem, qui veritatem carnis noſtræ negante a Domino Jeſu Chriſto ſuſceptam eſſe, damnamus.* His verbis, inſinuatam voluiſſe Eutychis impiam aſſertionem evidens eſt.

Remedium hiſce contentionibus & ſcandalis ſedandis & removendis ſuggerit ſcribens: " Si pietas veſtra ſug-
,, geſtioni ac ſupplicationi noſtræ dignetur annuere,
,, ut intra Italiam habere jubeatis Epiſcopale Conci-
,, lium, cito auxiliante Deo poterunt omnia ſcanda-
,, la, quæ in perturbationem totius Eccleſiæ ſunt
,, commota, reſecari: ut per univerſum veſtrum re-
,, gnum Catholicæ fidei integritate ſervata, & pacem
,, chriſtianam manere, & veſtram apud Deum creſce-
,, re gloriam gaudeamus.

Quando hæc ſcribebat Leo, ipſi innotuerat Synodum generalem Epheſi ab Imperatore eſſe indictam. Scribit enim in Epiſtola 27. ad Pulcheriam, litteras Imperatoris convocatæ Synodi indices ſibi tertio idus Maji redditas; adeoque 12. circiter diebus ante ſcriptam Epiſtolam ad Theodoſium.

Mirum ergo cur de eadem Synodo indicta nullam apud Principem mentionem faciat. " Forte (ait)
,, Quenellus in nota ad *Epiſtolam* 25. ad Theodoſium,
,, diſſimulandum cenſuit Pontifex, ut liberius Syno-
,, dum intra Italiam congregandam poſtulare a Theo-
,, doſio poſſet, vel dicendum in alterutra Epiſtola
,, mendoſum eſt numerum diei aut menſis.

Quidquid ſit, hoc ſat conſtat, Leoni non minus, quam

quam Flaviano persuasum fuisse, quod admodum periculosa esset indictio Synodi in Oriente, ob patronos, quos in aula habebant potentissimos Eutyches, ejusque fautores. Quam autem fundatus fuerit hic metus, docuit eventus, ipsaque gesta hujus indictæ Synodi Ephesinæ docebunt.

§. X.

Quomodo Eutyches impetraverit a Theodosio Imp. indictionem Concilii Ephesini; & qualiter indictio in favorem Eutychis fuerit adornata.

Indictio Concilii Ephesini per litteras Theodosii Imperatoris.

SCRIBIT Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* 12. quod postquam Eutyches novisset, nihil repertum fuisse falsi in actis Synodi Constantinopolitanæ sub Flaviano relectis in conventu 30. circiter Episcoporum, petierit Dioscorum Alexandrinum Episcopum, *ut quæreret, quæ de illo acta sunt, & causam examinaret*: additque Liberatus: *Scripsit ergo Dioscorus Theodosio Imperatori, quia aliam fieri Synodum generalem oporteret, & ut fieret persuasit Eutyches. Annuit Imperator (ait Liberatus) & dirigens Sacram Dioscoro in Alexandriam, præcepit, ut cum decem Metropolitanis Episcopis, quos voluisset, ipse eligeret, & veniret Ephesum.*

Sacra hæc, sive Epistola Imperatoris data tertio calendas Aprilis, qua mandat, ut Episcopi ad calendas Augusti Ephesum Asiæ Metropolim convenire absque ulla dilatione festinent, exstat inter acta Concilii Chalcedonensis, tomo 4. Concil. general. *col.* 99.

Finem seu scopum indictæ Synodi generalis expressit his verbis: *Quatenus universis sanctissimis & beatissimis Episcopis, quos convenire per sacras nostras Epistolas sanximus ad prædictam concurrentibus civitatem, & subtilissime investigantibus, & quærentibus, omnis de medio error contrarius auferatur, Catholica autem doctrina, & orthodoxæ fidei Salvatoris N. Christi amicissima solidetur, & consuete effulgeat; quod universi in posterum inconcussum, Deo propitio, & intemeratum custodiant.*

Deinde addit, quod si quis ad tam necessariam Synodum non convenerit, nullam apud Deum, neque apud se excusationem inveniet: *Sacerdotalem enim conventum (ait) non nisi quis mala propria conscientiæ sauciatus evitat.*

Theodoretus Cyri Episcopus ex Synodo excludi jussus.

Theodoretum Episcopum Cyri civitatis, quem pridem jussimus (inquit) suæ soli vacare Ecclesiæ, sancimus non prius ad sanctam Synodum convenire; nisi universo sancto placuerit convenienti Concilio, & ipsum concurrere, & pariter interesse. Hanc Thedoreti exclusionem etiam notavit Liberatus citato *cap.* 12. scribens: *Theodoretum vero Cyri Episcopum adesse Concilio interdixit, & in sua civitate permanere eum jussit.*

Epistola Theodosii ad Dioscorum, qua jubet Barsumam Archimandritam Synodo assistere.

Scripsit & Imperator Epistolam singularem ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum die 15. Maji, qua significat, intentionis suæ esse, ut Archimandrita Barsumas, nomine omnium Monachorum Orientalium, qui adversus quosdam Episcopos, qui *Nestoriana impietate ægrotare dicuntur*, pro Catholica fide contenderet, Synodo assisteret, additque: *Dignetur proinde tua religio, videns quia nobis est pro Catholica fide sollicitudo, affectuose & prædictum Archimandritam suscipere, & operam dare vestræ eum sanctæ Cynodi participem fieri.* Ipsum dicit, *puritate vitæ & Catholica fide probatissimum*. Extant hæ litteræ tomo 4. Concil. general. *col.* 103.

Alia ad Barsumam.

Die præcedenti scilicet 14. Maji 449. dederat & litteras ad ipsum Barsumam, in quibus scribit, quod *Imperatoriam pietatem latere non potuit, in quali sint certamine constituti per Orientem religiosissimi, & sanctissimi Archimandritæ, pro fide laborantes Catholica, &* quosdam Episcopos *in civitatibus Orientis constitutos* Nectorianæ hæreseos *participes aversantes, collaborante, etiam orthodoxo populo eisdem religiosissimis Archimandritis*. Extant ibidem *col.* 106.

Cum inter illos emineret Barsumas, significat illi Imperator, intentionem suam esse, ut ipse locum teneat in Synodo omnium Archimandritarum Orientalium. Cujus deputationis meminit quoque Liberatus Diaconus citato *cap.* 12. dicens: " Jubens (Imperator) " Barsumam Archimandritam interesse Concilio, & vices agere omnium Monachorum Orientales Episcopos accusantium.

Porro hi Archimandritæ erant fautores Eutychis, & illorum Coryphæus Barsumas; Episcopi vero, qui Nestorianæ hæreseos & impietatis accusabantur, & ut tales hisce in litteris insimulantur, erant Flavianus, aliique orthodoxi ei adhærentes, impietatem Eutychis detestantes; ut vel solæ hæ litteræ palam ostendant, aulam Imperatoris pro Eutyche contra Flavianum, & alios orthodoxos Episcopos multum fuisse præventam; quod sequentes Imperatoris litteræ evincunt.

Quidam primarii Ministri Imper. jubentur Synodo assistere.

Sub idem enim tempus dedit litteras ad Elpidium comitem sacri Consistorii, ut Synodo Ephesi habendæ, una cum Eulogio Tribuno & Notorio, assistat, & nullum *tumultum fieri permittat*: Sed & si quem (ait) ,, videritis conturbationibus & tumultui studentem ad ,, læsionem sanctæ fidei, hunc custodiæ mancipare, & ,, ad nostram perferre notitiam.

Flavianus cum suis jubetur adesse Synodo absque suffragio.

Addit dein, quod hi, qui pridem *Eutychetis religiosissimi Archimandritæ* judices extiterunt, præsentes quidem sint *& tacentes nullum tamen* judicantium *habentes locum, sed communem aliorum omnium sanctorum Patrum sententiam expectantes: quoniam (ait) ea, quæ dudum ab ipsis judicata sunt, nunc retractantur.*

Itaque ex præscripto Imperatoris Flavianus Archiepiscopus Constantinopolitanus, aliique orthodoxi Episcopi jubentur cum Eutyche, & aliis Monachis coram Synodo disceptare, & tamquam reos se judicandos sistere. Ecce quid non valeat præventio & favor etiam in materia fidei & religionis!

Litteræ Imperatoris ad Proconsulem Asiæ.

Litteras quoque scripsit Theodosius ad Proculum Proconsulem Asiæ, quibus indicat ad Synodum indictam se destinasse Elpidium Comitem Sacri Consistorii, & Eulogium Tribunum ac Notarium *quibus volumus (ait) necessarium a te conferri præsidium, per quos omnis ab his, quæ aguntur, conturbatio repellatur, & ex nostræ serenitatis jussione nullus tumultus fieri permittatur.*

Idem ad Synodum,

Dedit insuper litteras ad ipsam Synodum, quibus contestatur, se optasse, quod ipsos (Episcopos) apud suas Ecclesias permittere potuisset; sed quod *Flavianus* Episcopus aliqua de sancta fide movere voluerit contra Eutychem Archimandritam, & congregata Synodo aliqua agere cœperit; quodque quidem sæpius conatus sit conturbationem, quæ mota est, compescere, monendo Flavianum sibi sufficere debere traditam in Synodo Nicæno fidem; quam & Synodus, quæ in Epheso facta est, confirmavit (*a*); sed frustra; ideoque " cogitantes non esse tutum, absque vestra sancta Synodo, & ubique Sanctarum Ecclesiarum Præsulibus hujusmodi quæstionem de fide renovari; necessarium duximus vestram convenire sanctitatem, quatenus vos, quæ hic acta sunt, cognoscentes, & quæstionem motam & omnem diabolicam stirpem possitis evellere, & eos, qui impii Nestorii blasphemiam sectantur aut retinent, a sanctis Ecclesiis repellere; catholicam vero fidem firmissimam & inconcussam custodiri disponere: quoniam nostra omnis spes, & nostri Imperii firmitas ex catholica fide, & ex vestris sanctis orationibus pendet.

Item ad Dioscorum quibus eum designat Concilii Præsidem.

Denique litteras alias scripsit ad Dioscorum, quibus ipsi auctoritatem, & primatum in hac Synodo ante omnes alios Episcopos assignat, quoniam suspicabatur ,, aliquos *Sectatores Nestorii* assumere studium & conferre, ut Theodoretus Episcopus Cyri (quem Imperator interesse Synodo nolebat) omnimodo intersit sancto Concilio.

Scribit præterea se scire: " quod & Archiepiscopus ,, Hierosolymorum Juvenalis, & Thalassius, & omnis ,, talis fervens amator & æmulator orthodoxæ fidei, ,, consentanei erunt (ait) tuæ sanctitati, radianti per ,, Dei gratiam honestate vitæ & catholica fide ". Ita de Dioscoro, aliisque Eutychis fautoribus loquitur Theodosius.

Tandem concludens ait: *Eos namque, qui aliquid per additamentum aliquod aut immutationem conati sunt dicere præter quæ sunt exposita de fide catholica a sanctis Patribus, qui in Nicæa, & postmodum qui in Epheso congregati sunt, nullam omnino fiduciam in sancta Synodo habere patimur, sed & sub vestro judicio esse volumus.*

Hæc adversus Flavianum, cæterosque adhærentes Episcopos dirigi haud obscurum est, unde nec mirum, si contra ipsos per aulam Imperatoriam jam quodammodo damnatos injustum judicium prolatum sit, uti ex dicendis patebit.

§. XI.

De vocatione Leonis Papæ ad hanc Synodum: & ejus ad eam missis Legatis, & variis litteris ea occasione scriptis.

VOCATUS est quoque ad hanc Synodum S. Leo Pontifex Romanus uti ex ejus litteris manifestum est.

S. Leo ad Synodum vocatus; mittit Legatos.

Respondit S. Leo, non esse consuetudinem Romani Episcopi extra Romam Conciliis interesse; nec esse tempora, quibus civitatem deserat, neque opus esse Synodo ad fidem defendendam, cum tam evidens causa fidei sit: de qua tamen si cogitandum esset, expedire magis (ait) ut in Italiæ partibus congregaretur. Ne tamen fidei videatur deesse, significat se mittere, qui amputandis scandalis pro causæ qualitate sufficiant: ,, quique (ait) præsentiæ meæ impleant vicem: ,, quia non talis quæstio orta est, de qua aut

,, possit

(*a*) Eo loci agitur de Concilio III. OEcumenico quod Ephesi anno 431. adversus Nestorii errores habitum fuit; cur de eo & ejus Canonibus non dissernerit D. Van-Espen, rationes saltem probabiles superius redditæ sunt.

„ poſſit, aut debeat dubitari „. Miſſi autem ſunt a Leone, Julius Epiſcopus Puteolanus, Renatus Presbyter titulo S. Clementis, Hilarus Diaconus, & Dulcitius Notarius. Quæ omnia habentur ex *Epiſt.* 23. & 33. ad Theodoſium, & *Epiſt.* 27. & 30. ad Pulcheriam.

De celebri Epiſtola S. Leonis ad Flavianum.

Plures Litteras in Orientem deferendas iiſdem Legatis tradidit S. Leo, at quæ pleræque ſunt ejuſdem *datæ*, ſcilicet die 13. Junii anni 449. Inter eas eminet, meritoque primum locum tenet celebris illa Epiſtola 24. ad Flavianum, a Patribus in Concilio Chalcedonenſi probata, & multis encomiis celebrata, atque ad fidem Eccleſiæ de Chriſti Incarnatione explicandam compoſitam, de qua Gelaſius I. in Decreto de libris Apocryphis. „ Probamus Epiſtolam B. Leonis Papæ ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum deſtinatam, „ cujus textum quiſpiam ſi uſquam ad unum iota diſpunxerit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema ſit.

Poſt expoſitam dilucide admodum in hac Epiſtola fidem Eccleſiæ catholicæ circa Incarnationis Myſterium, addit: „ Ad omnem vero cauſam pie ac fideliter exequendam, fratres noſtros Julium Epiſcopum & Renatum Presbyterum tituli S. Clementis, ſed & filium meum Hilarum Diaconum vice noſtra direximus. Quibus Dulcitium Notarium noſtrum . . . ſociavimus.

Ex hac itaque, aliiſque S. Leonis Epiſtolis, conſtat Julium Epiſcopum ad Synodum Epheſinam fuiſſe miſſum, quamvis in Synodo legamus Julianum Coenſem Epiſcopum vices Leonis egiſſe, quia veriſimiliter Julius ante inchoationem Synodi abierat, & in locum ejus fuit ſuffectus Julianus, uti multis adſtruit argumentis Quenellus *nota* 39. in hanc Epiſtolam

Notandum quod & Julium Epiſcopum, & Renatum Presbyterum Leo vocet *Fratres noſtros* „ quod congruit „ illius ævi moribus, cum Epiſcopi Presbyteros fratres „ vocitabant “: ait Quenellus ibidem *nota* 38,

Epiſtola Leonis ad Julianum Coenſem.

Aliam dedit Leo Epiſtolam ad Julianum Coenſem Epiſcopum, in qua rurſus fidem catholicam de Myſterio Incarnationis adſtruit, & errorem Eutychis vehementer inſectatur; eumque vocat *imprudentiſſimum ſenem*, qui Neſtorianæ hæreſeos nomine eorum lacerat opinionem, quorum piiſſimam non poteſt convellere fidem.

Ad Theodoſium.

Epiſtola 26. ad Theodoſium ſcribit, quod licet „ Eutiches, quantum geſtorum Epiſcopalium ordo patefecit, imperite atque imprudenter errare detectus ſit, „ debueritque a ſua merito reprobabili perſuaſione diſcedere; quoniam tamen (ait) *pietas veſtras*, quæ „ in honorem Dei religioſiſſime catholicam diligit veritatem, apud Epheſum conſtituit Synodale judicium, ut *imperito ſeni* ea, in qua nimis caligat, veritas innoteſcat, *fratres meos* Julium Epiſcopum, & Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarum Diaconum miſi, qui ad vicem præſentiæ meæ pro negotii qualitate ſufficerent.

Hinc manifeſtum eſt, quod Leo Pontifex nequaquam judicaverit Synodum in cauſa hac eſſe indicandam; vocatus tamen ad eam ab Imperatore indictam, crediderit mittendos, qui ejus vicem in ea gererent, ne fidei cauſam deſerere videretur,

Ad Pulcheriam.

Ejuſdem diei legitur *Epiſtola* 27. ad Pulcheriam Auguſtam, qua fidem Incarnationis rurſus exponit; una declarans, merito damnatum Eutychem, quia in errore ſuo obduratus permanſit „ damnationis ſententiam „ utique ſi in ſuo ſenſu voluerit permanere, nullus „ (ait) poterit relaxare, Sedis enim Apoſtolicæ moderatio hanc temperantiam ſervat, ut & ſeverius „ agat cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis.

Conqueritur inſuper, quod „ Imperator Epiſcopali „ Concilio, quod Epheſi vult haberi, nimium breve „ & anguſtum tempus indixerit, diem calendarum Auguſtarum præſtituendo conventui. Cum (ait) a tertio iduum Majarum, quo ſerenitatis ejus ſcripta ſuſcepimus, major pars reliqui ſit temporis abſumenda, ut profectio Sacerdotum, qui negotio ſufficiant, „ valeat ordinari.

Itaque conſtat, non tantum auctoritate Imperatoris indictam fuiſſe Synodum hanc Epheſinam; ſed & diem ab ipſo eſſe præſtitutam, qua inchoanda erat; atque ad eam litteris Imperatoris Leonem Pontificem fuiſſe vocatum.

Ad Archimandritas Conſtantinop.

Dedit præterea S. Leo Epiſtolam 28. ad Martinum, & reliquos Archimandritas Conſtantinopolitanos, qui Eutychis errori ſe opponebant; ipſoſque pro pleniore inſtructione remittit ad litteras, quas ad Flavianum ſcripſerat: „ ut per inſinuationem Præſulis veſtri (ait) „ quid ſecundum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti in omnium fidelium cordibus fixum eſſe cupiamus, noſcatis.

Ad Synodum.

Epiſtolam 29. dedit ad Synodum indictam & congregandam Epheſi; atque in ea, prius damnato errore Eutychetis, ſcribit, quod „ & pie ac religioſe Chriſtianiſſimus Imperator haberi voluerit Epiſcopale Concilium, ut pleniore judicio omnis poſſit error aboleri, fratres noſtros (inquit) Julium Epiſcopum, „ Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarum „ Diaconum, cumque his Dulcitium Notarium probatæ nobis fidei miſi: qui vice mea ſancto convetui „ veſtræ fraternitatis interſint, & communi vobiſcum „ ſententia, quæ Domino ſint placitura conſtituant.

§. XII.

Exordium Synodi; quis præſederit, & quæ recitata?

Dioſcorus præſes Concilii, item ordo ſeſſionis.

TANDEM die 8. Auguſti anno 449. habetur Synodus Epheſi in Baſilica Dei Genitricis; in qua ante an. 18. celebratum fuerat Concilium generale Epheſinum I. contra Neſtorium.

Convenerunt 130. Epiſcopi ex Diœceſibus Ægypti, Orientis, Thraciæ, Ponti, & Aſiæ.

Præſidebat ex mandato Imperatoris Dioſcorus Alexandrinus Epiſcopus; poſt eum ſedebat Julius vel Julianus Epiſcopus, *agens vices & locum tenens ſanctiſſimi Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ Leonis*, uti habent acta hujus Synodi relata *actione* 1. Concilii Chalcedonenſis, tomo 4. Concil. general. *col.* 115.

Juvenalis Hieroſolymorum tertium, Domnus Antiochenus quartum, & Flavianus quintum locum occupabant. Sed hic Flavianus non tamquam judex, ſed tamquam judicandus ſedebat, uti teſtatur Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* 12.

Poſt hæc cunctis Epiſcopis ſedentibus, Joannes Presbyter & Primicerius Notariorum, dixit, ipſos „ ab „ Imperatore huc convocatos; quatenus quæ nuper „ emerſerunt de catholica & immaculata noſtra fide, „ quærantur, & ea radicitus evellantur, & ut ea cuſtodiantur in perpetuum inconcuſſa & immaculata, „ quæ in Nicæna Synodo primum definita, poſtmodum in Epheſina I. confirmata fuerunt.

Leguntur litteræ convocatoriæ.

Tum litteras Imperatoris Synodi convocatorias coram omnibus legit. His lectis Epiſcopus locum tenens Leonis Papæ, dixit, quod eodem tenore ab Imperatoribus Leo Papa Romanæ Eccleſiæ Præpoſitus, vocatus ſit. Idem aſſeruit alter Leonis legatus Hilarus Diaconus; dixitque quod voluntate Imperatoris obſequi potuiſſet „ ſi hujus rei aliquod præceſſiſſet exemplum. Nam melius (ait) veſtra poteſt cognoſcere ſanctitas, quia „ neque in Nicæna, neque in Epheſina ſancta Synodo, „ neque in alio tali ſancto Concilio Papa perpetuæ ſanctiſſimæ ſedis adfuit. Pro qua re, hujus formæ ſequens conſuetudinem, nos direxit.

Dioſcorus avertit lectionem celebris Epiſtolæ Leonis ad Flavianum.

Petiit dein Legatus, ut legerentur litteræ Leonis ad hanc Synodum ſcriptæ; ſed cum ad lectionem litterarum, & præcipuæ earum, quæ ad Flavianum datæ erant (quibus Myſterium Incarnationis apertius exponebatur) perventum eſſet, divertit Dioſcorus, juſſitque legi litteras Imperatoris. Poſt hæc ſecutæ ſunt variæ acclamationes, quibus extollebantur definitiones Synodi Nicænæ & Epheſinæ, & anathema pronuntiabatur in Neſtorium,

§. XIII.

In Synodo admiſſus Eutyches & abſolutus.

Vafra confeſſio Eutychetis.

LITTERIS recitatis, introducitur Eutyches; qui continuo conatur diluere labem hæreſeos. Hinc confeſſionem fidei ſuæ Synodo offert, in qua integrum Symbolum Nicænum continebatur; dixitque: *Et in hac fide baptizatus, ſignatus ſum, & uſque hodie vixi, in ea & opto mori*, nihil addi vel demi velle proteſtans, uti nec doctrinæ S. Cyrilli a Synodo Epheſina I. approbatæ; ac deinde adjecit: „ Et omnes „ enim ſanctos Patres, ſicut & veſtra ſanctitas, catholicos habui & fideles, & doctores meos poſui, „ anathematizans Manem, Valentinum, Apollinarium, & Neſtorium, & omnes hæreticos, uſque ad „ Simonem Magum, & eos qui dicunt, carnem Domini & Dei noſtri Jeſu Chriſti de cælo deſcendiſſe.

Hac vafra ac perplexa fidei expoſitione lecta, aliiſque auditis, quæ Eutyches in ſuam defenſionem coram Synodo dixerat, tunc „ Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus dixit: Iſte accuſatorem habuit Euſebium, jubete eum adeſſe.

Patres Concilii Conſtantinop. ſub Flaviano in judicium vocantur ut rei.

Verum recuſavit Elpidius Comes, dicens „ Imperatorem præcepiſſe, eos qui dudum judices fuerunt, „ in loco eorum eſſe qui judicandi ſunt “; addiditque „ Patres conveniſſe, ut eos, qui judicaverant, judicent; non ut iterum accuſatoris perſonam ſuſcipiant, & perturbationis rurſus initium alterum fiat. „ Jubete „ ergo (inquit) ſi placet, ſecundum ordinem, reliqua „ omnia, quæ in cauſa acta ſunt, relegi ad id quod „ vobis viſum fuerit,

Acta ejuſdem Concilii releguntur.

Propoſitio Elpidii placuit Juvenali Hieroſolymitano, aliiſque pluribus Epiſcopis, quibus & ſuffragatus eſt Dioſcorus. Unde tandem Synodus dixit: *Omnes volumus acta recitari: legantur quæ geſta ſunt.*

Interrogatus poſt hæc a Dioſcoro Julianus Epiſcopus Vicarius ſanctiſſimi Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ Leonis, „ ſi congruit huic ſanctæ Synodo, & vult & „ ipſe relegi, quæ de hoc negotio acta ſunt Conſtantino-

„ tinopoli . . . dixit: Hac ratione volumus gesta relegi, ut prius Papæ legatur Epistola ". Idem respondit Hilarius Diaconus, alter Leonis Vicarius.

Eutyches hæc audiens dixit, hos Leonis Vicarios sibi esse suspectos. *Manserunt enim (ait) apud religiosissimum Flavianum Episcopum, & pransi sunt apud eum, & munerati sunt, & omne obsequium eis præbuit. Postulo ergo sanctitatem vestram, si quid ab eis injuste factum fuerit contra me, id præjudicium mihi non generare.*

His per Eutychem dictis, conclusit Dioscorus: *Consequens & rationabile est primitus, quæ in hoc negotio acta sunt, relegi, & ita Epistolam beatissimi Episcopi Romani. Unde secundum quod placuit Sancto Concilio acta percurrantur.*

Eutyches absolvitur.

Recitata itaque sunt acta Concilii Constantinopolitani, in quo Eutyches damnatus & depositus fuerat. His lectis declararunt Concilii Patres: cum Eutyches semper professus sit fidem Synodi Nicænæ & Ephesinæ, eum esse orthodoxum, & injuste condemnatum; eique consequenter Presbyteri locum, & Archimandritæ, sive Præfecturam Monasterii, cui præfuerat, restituendam.

Horum Patrum sententias confirmans Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit. *Omnes sancti hujus & universalis Concilii sententias super reverendissimo Archimandrita Eutyche confirmans, & meam ipsius simul introduco voluntatem, quatenus numeretur in ordine Presbyterii, præsit etiam & proprio Monasterio sicut antea.*

Sic Eutyches turbulentus Monachus, & impius ac vafer hæresiarcha, favore Dioscori & Chrysaphii Eunuchi triumphanti similis, declaratur innocens, & solvitur ab excommunicationis vinculo.

§. XIV.

De condemnatione Flaviani, & aliorum orthodoxorum Episcoporum.

Damnatur S. Flavianus cum suis recitata act. 4. Concilii Ephesini.

POSTQUAM favore Dioscori & Chrisaphii Eutyches esset absolutus, eorumdem furor, se in Flavianum & alios ei adhærentes Orthodoxos convertit.

Hos ut opprimeret Dioscorus, jussit recitari actionem sextam Concilii Œcumenici Ephesini, ut vel hinc prætextum sæviendi in Flavianum Episcopum Constantinopolitanum captare posset. Hujus enim Actionis actis recitatis Dioscorus pronuntiavit Flavianum, uti & Eusebium Dorylei Episcopum, tamquam Nicænæ fidei corruptores, juxta definitionem Concilii Ephesini (quod fidei Nicænæ quidquam addi aut demi vetuerat) esse damnandos. *Unde & nos (ait) quæ eorum sunt (Conciliorum Nicæni & Ephesini) confirmantes, memoratos, idest Flavianum & Eusebium ab omni Sacerdotali & Episcopali dignitate esse judicamus alienos.*

Dioscoro consenserunt Juvenalis Hierosolymorum; Domnus Antiochiæ, Thalassius Cæsareæ Cappadociæ, aliique plures Episcopi.

Scribit autem Liberatus Diaconus in Breviario *c.* 12. Cum Dioscorus Flavianum damnavit: *surgentes quidem venerabiles Episcopi tenuerunt genua Dioscori, & rogabant, ne Flavianus innocens damnaretur: qui nec diu petere potuerunt (ait)* metu militum & monachorum *stantium cum gladiis & fustibus.*

Hic adverte, Episcopos metu & violentia ad damnandum Flavianum obsequendumque Dioscoro fuisse inductos; quod & ex dicendis §. sequenti amplius patebit.

Scribit & ibidem Liberatus, a Dioscoro fuisse damnatum Flavianum, „ quasi male damnantem Euty„ chem, & quia dixerit, *in duabus naturis cognosci Christum.*

Appellatio Flaviani.

Porro quando Dioscorus depositionis sententiam contra Flavianum pronuntiabat, advertens Flavianus Dioscorum jam non ut Episcopum aut Consilii præsidem, sed ut tyrannum agere, dixit: *Recuso te*, ut habent græca: vel ut habent latina, *Appello a te:* quod posterius magis conforme apparet iis, quæ narrat Liberatus Diaconus *citato c.* 12. scribens: „ Flavianus „ autem, „ contra se prolata sententia, per ejus (Papæ Leonis) „ Legatos, Sedem Apostolicam *appellavit* libello ". Quis finis fuerit & vis hujus appellationis, apparebit ex dicendis §. sequenti.

Contradictio Hillari Legati Leonis.

Similiter cum a Dioscoro sententia damnationis Flaviani pronuntiaretur, „ Hilarus Diaconus Romanæ „ Ecclesiæ dixit: *Contradicitur* ": uti habent acta. Liberatus autem Diaconus scribit: Porro locum obti„ nentes Papæ Leonis, omnibus, quæ gesta sunt, *con„ tradixerunt* ". Verisimile est hanc contradictionem factam esse sub finem Concilii, quod & Liberatus insinuat, periodum, e qua dicta verba sunt desumpta, ita concludens. „ Et hunc *terminum* illa Synodus habuit.

Quanta autem sustinuerint Legati Leonis Papæ ob hanc contradictionem, patebit ex epistolis Leonis infra §. *sequenti* referendis.

Ibas Edessenus absens damnatur.

Constat præterea ex Liberato citato *cap.* 12. quod Synodus *jussione Dioscori, Ibam Edessenum damnaverit ut absentem, multis nescientibus Episcopis quid de illo actum esset. Et tertio vocatum tamquam contemptorem, & non occurentem ad sanctum Concilium, damnavit absentem.*

Prætextum depositionis subjicit Liberatus: *Clamabatur autem, inquit, quoniam testimonium contra eum perhibebatur ab adversariis, tamquam dixisset:* Non invideo Christo facto Deo, quoniam si volo & ego fio: *& quasi dixisset:* Hodie Christus factus est Deus: *& alia hujusmodi, & propter epistolam ad Marim ab Iba directam.*

Plura de hoc Episcopo Edesseno dicentur in actis Concilii Chalcedonensis; ubi de ejus restitutione agitur.

Theodoretus Cyri absens damnatur.

Quamvis Theodoretus ad Synodum non accessisset, immo decreto Imperatoris vetitum ei esset accedere, nihilominus absens damnatus est: *propter illa (ait Liberatus) quæ scripsit contra* 12. *anathema Cirilli, & propter Epistolam missam ab eo Clericis, & Monachis, & Laicis, contra primam Ephesi Synodum ante Ecclesiæ pacem.*

De recursu Theodoreti ad S. Leonem Papam, & quomodo hic ipsum in communionem receperit; ac tandem a Synodo Chalcedonensi ut orthodoxus restitutus sit, infra dicetur.

Eusebius Doryleensis damnatus.

Adhæc damnavit quoque memorata Synodus (uti scribit Liberatus) Eusebium Episcopum Dorylei, eo quod dixerit, duarum naturarum perfectarum Christum.

Ulterius deposuit & Savinianum Episcopum Perrhensium, teste ibidem Liberato.

Domnus Antiochenus absens damnatur.

Et licet Domnus Antiochenus consensisset Dioscoro in injusta Flaviani depositione, nihilominus & ipse depositus est dolo Dioscori. Ita enim scribit Liberatus: *Post omnes autem Domnum Antiochenum remanentem ab orthodoxorum depositione, quia particeps factus Dioscori in depositione orthodoxorum, & Eutychetis absolutione. Depositus est autem dolo Dioscori sic: Postquam consensit in omnibus Dioscoro, datis in medio ejus epistolis, quas ad ipsum Dioscorum Antiochenus Domnus contra duodecim Cyrilli capitula scripserat, eo quod essent obscura, damnavit ægrotum & absentam illa die.*

Episcopi coguntur subscribere, & S. Flavianus necatur.

Hactenus Liberatus Diaconus in Breviario, ex quo, uti & ex actis ejusdem pseudo-Synodi intelligimus, quod in ejus gesta timore *Episcopi subscripserint in Eutychetis absolutionem, & orthodoxorum Episcoporum depositionem hæresim non resipientium: & quoquo modo omnibus gestis ejus contradicentium:* uti apud Liberatum *cap.* 12. legendum conjicit Quenellus in Dissert. de gestis S. Leonis ad annum 449. *num.* 12.

Quin & addit Liberatus: *His ergo omnibus malis a Dioscoro perpetratis, cæsus Flavianus, & multis injuriis affectus, dolore plagarum migravit ad Dominum. Ordinatusque est pro eo Anatolius Diaconus, qui fuit Constantinopoli Apocryfarius Dioscori.* Licet diversimode a variis mors hujus sancti viri referatur, hoc tamen sat constat, impulsu Dioscori pessime affectum fuisse, ut & propterea merito in Concilio Chalcedonensi plurimi Dioscorum *percussorem & homicidam* Flaviani, & alterum *Cainum* appellaverint.

§. XV.

Sanctus Leo acta hujus Synodi, necnon errorem Eutychetis improbat.

SCRIBIT Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* 12. quod *Legati Sedis Apostolicæ ab ipso Concilio fugientes, retulerint Papæ Leoni iniquitates Dioscori: quomodo Dioscorus, vi magis, quam justitia, in illa egerit Synodo.*

Hilarus Legatus refert S. Leoni gesta in Latrocinio Ephesino.

An plures Legati e manibus Dioscori elapsi sint, incertum. Hoc constat ex epistolis S. Leonis, Hilarum Diaconum ejus Legatum, ne per vim subscribere cogeretur, vix effugisse, sive *ab Epheso furtim elapsum* esse; atque per illum de gestis in Synodo S. Leonem fuisse instructum.

Litteræ Leonis ad Theodosium.

His itaque intellectis, S. Leo mox Concilium Episcoporum cogit, e quorum sententia litteras scribit ad Theodosium, quibus deplorandam Ecclesiæ faciem, & vulnera, quæ religio Catholica ex hoc Ephesino Latrocinio acceperat, ob oculos ponit.

Atque in primis scribit, quod compererit *convenisse ad Synodum plurimos Sacerdotes, quorum utique frequentia (ait) consultationi & judicio profuisset, si is qui sibi locum principem vendicabat, sacerdotalem moderationem custodire voluisset; ut, sicut moris est, omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo constitueretur examine, quod & fidei congrueret, & errantibus subveniret.*

Episcopi judices in Conciliis.

Hic obiter meretur notari, S. Leonem supposuisse, in legitima Synodo concludendum esse ex omnium Sacerdotum seu Episcoporum *sententiis ex libertate prolatis:* ac per consequens, omnes Episcopos, qui adsunt, esse veros judices, e quorum sententiis sive suffragiis conclusio formanda sit.

Verum deplorat S. Leo, in hac Synodo ,, alios fuiſ- ,, ſe rejectos, alios intromiſſos, qui pro ſupradicti Sa- ,, cerdotis (Dioſcori, qui principem locum vendicabat) ,, arbitrio, impiis ſubſcriptionibus captivas manus de- ,, derant, & nociturum ſtatui ſuo ſciebant, niſi impe- ,, rata feciſſent, talemque ab ipſo prolatam eſſe ſen- ,, tentiam, ut in omnes, per eam, ſæviretur Eccle- ,, ſias.

Addit dein, hunc procedendi modum adeo impium & catholicæ fidei contrarium apparuiſſe his, qui ab Apoſtolica Sede erant directi: ,, ut ad conſentiendum ,, nulla potuerint oppreſſione compelli: conſtanterque ,, in eadem Synodo, ut decuit, fuerint proteſtati, ,, nequaquam id quod conſtituebatur, Sedem Apoſtoli- ,, cam recepturam: quoniam revera (ait) omne chri- ,, ſtianæ fidei ſacramentum, quod abſit a temporibus ,, veſtræ pietatis, exſcinditur, niſi hoc ſceleſtiſſimum ,, facinus, quod cuncta ſacrilegia excedit, aboleatur.

§. XVI.

Agit S. Leo apud Theodoſium ut generalis Synodus indicatur; ſed fruſtra.

Epiſtola S. Leonis ad Theodoſium adverſus Latrocinium Epheſinum.

IN litteris, quibus Theodoſio oſtenderat S. Leo irregularem & tyrannicum modum, quo in Synodo proceſſerat Dioſcorus; & Hæreticum Eutychis dogma ibidem eſſe probatum (de quibus §. præcedenti) una rogat Theodoſium: ,, ut omnia in eo ſtatu eſſe jubeat, ,, in quo fuerunt ante judicium, donec major ex *toto* ,, orbe Sacerdotum numerus congregetur.

Et quia myſterio ſive ſacramento Incarnationis, quo confitemur veram divinitatem & veram humanitatem in Chriſto, nunc a paucis imprudentibus obviatur: ,, omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes Manſue- ,, tudini veſtræ cum gemitibus & lacrymis ſupplicant ,, Sacerdotes, ut quia & noſtri fideliter reclamarunt, ,, & eiſdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus ,, dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam ,, celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat aut ,, mitiget, ne aliquid ultra ſit vel in fide dubium, vel ,, in charitate diviſum: convenientibus utique Orien- ,, talium provinciarum Epiſcopis, quorum ſi qui ſupe- ,, rati minis atque injuriis a veritatis tramite devia- ,, runt, ſalutaribus remediis in integrum revocentur, ,, ipſique, quorum eſt cauſa durior, ſi conſiliis melio- ,, ribus acquieſcant, ab Eccleſiæ unitate non excidant.

Appellatio ad Concilium Œcumenicum.

Hic obiter notandum, ex appellatione Flaviani Epiſcopi Conſtantinopolitani, *ſive libello appellationis*, quem Flavianus dederat Legatis ſuis, uti hic ſcribit Sanctus Leo, ſanctum Leonem arguiſſe neceſſitatem congregandæ Synodi Œcumenicæ.

Ex quo evidens apparet, hanc Flaviani appellationem fuiſſe ad Synodum Œcumenicam; ſive Flavianum a judicio Dioſcori ſive ejus Synodi appellaſſe ad *majorem* Synodum, ut in hac de novo diſcuterentur acta in priore Synodo.

Ut convocationem Synodi fortius perſuadeat S. Leo, adducit & auctoritatem Canonum ſub nomine Synodi Nicænæ, dicens: ,, Quam autem poſt appellationem ,, interpoſitam hoc *neceſſario* poſtuletur, Canonum Ni- ,, cææ habiturum decreta teſtantur, quæ a totius mun- ,, di ſunt Sacerdotibus conſtituta, quæque ſubter an- ,, nexa ſunt.

Dubitari nequit, quin S. Leo hic præ oculis habuerit Canones, qui volebant, ut poſt appellationem Epiſcopi depoſiti a Synodo interpoſitam, alia Synodus *neceſſario* indiceretur, ad quam cenſeretur appellatum.

Porro inter Canones Nicænos nullum extare, qui hoc ſtatuat, apud omnes expeditum eſt: ideoque cenſent paſſim eruditi, Canones hic a Leone indicatos fuiſſe Canones Sardicenſes, quos ſub nomine Canonum Nicænorum a Romanis Pontificibus ſæpius citatos eſſe noſcitur. Vide inferius Diſſertationem in Synodos & Canones Africanos §. *X. num.* 3. *&c.* Juvatur hæc conjectura ex actis græcis Concilii Chalcedonenſis, quæ in calce hujus epiſtolæ ſubjectum habent Canonem IV. Sardicenſem.

Ex hiſce Sardicenſibus Canonibus, ac ſignanter VII. aliqua ſaltem veriſimili conſequentia elicere potuit S. Leo, neceſſitatem congregandæ Synodi Œcumenicæ, propter interjectam a Flaviano appellationem.

Cum enim Canon facultatem tribuat Epiſcopo Romano decernendi Synodum ex finitima & propinqua provincia, in qua renovetur examen cauſæ Epiſcopi, a ſententia propriæ provinciæ appellantis (ut in Scholiis ad Can. III. Sardicenſem oſtenditur): ſi ab univerſali Orientalium Provinciarum Synodo appellaretur (uti appellavit Flavianus) ſequitur, ut univerſalem alteram in Occidente, ad quam & concurrant Orientales, poſtulare poſſit.

Itaque hoc voluit S. Leo, ut convocaretur *major* ſive *generalis* Synodus, in qua cauſa Flaviani rurſus examinaretur, præſertim poſt appellationem per Flavianum interpoſitam, conformiter ad Canones Sardicenſes, ut latius oſtendit Quenellus in Diſſertatione octava operibus S. Leonis ſubnexa, in qua erudite de hac appellatione Flaviani, & mente S. Leonis diſſerit, ſolideque probat, nequaquam ad S. Leonem, ſed ad majorem & generalem Synodum provocaſſe.

Epiſtola Leonis ad Pulcheriam.

Eodem tempore, eodemque die dedit quoque litteras S. Leo ad Pulcheriam Auguſtam, in quibus inter alia ſcribit, quod ,, hi qui miſſi ſunt, quorumque unus ,, vim Alexandrini Epiſcopi ſibi omnia vendicantis ef- ,, fugiens, rerum geſtarum nobis (ait) ordinem fide- ,, liter nuntiavit; reclamarunt in Synodo, ſicut op- ,, portuit, unius hominis non tam judicio, quam fu- ,, rori; proteſtantes ea, quæ per vim, metumque ge- ,, rerentur, Sacramentis Eccleſiæ, & ipſi ſymbolo ab ,, Apoſtolis inſtituto præjudicare non poſſe.

Significat inſuper: ,, quoniam Flavianus Epiſcopus, ,, in noſtra omnium communione perſiſtit; atque hoc ,, quod factum eſt ſine conſideratione juſtitiæ, & con- ,, tra omnem Canonum diſciplinam, ratum haberi ra- ,, tio nulla permittit: & quia diſſenſionis ſcandalum ,, non abſtuliſſet Epheſina Synodus, ſed auxiſſet; ha- ,, bendo intra Italiam Concilio, & locus conſtituere- ,, tur & tempus, omnibus querelis, & præjudiciis par- ,, tis utriuſque ſuſpenſis: quo diligentius univerſa, quæ ,, offenſionem generaverunt, retractentur, & abſque ,, vulnere fidei, abſque religionis injuria, in pacem ,, Chriſti redeant, qui per impotentiam ſubſcribere ,, coacti ſunt Sacerdotes, & ſoli auferantur errores.

Rogat dein Pulcheriam, quatenus ad id obtinendum ſe apud Imperatorem Theodoſium dignetur impendere: ,, Ut priuſquam civile hoc & exitiale bellum intra Ec- ,, cleſiam convaleſcat, redintegrandæ unitatis copiam, ,, Deo auxiliante concedat, ſciens Imperii ſui viribus ,, profuturum, quidquid catholicæ libertati benigna ,, ipſius fuerit diſpoſitione collatum.

Ejuſdem ad Flavianum.

Scripſit & eodem die ad ipſum Flavianum, eumque conſolatur; hortaturque, ut patienter toleret, quæ ſibi ad æternam gloriam non dubitat profutura. Opem quoque ſuam ei addicit, aſſerens, ſe ,, pro cummuni ,, cauſa nihil eorum, quæ agenda ſunt, præterire; ut ,, primitus ad ea, quæ univerſitati fidelium proſunt, ,, pervenire mereamur.

Ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem.

Datæ ſunt & eodem die litteræ ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem, in quibus primum narrat, ,, ſe relatione Diaconi ſui Hilari cognoviſſe ,, magnum ,, facinus Alexandrino Epiſcopo auctore vel executore ,, commiſſum eſſe: ut dum in fratrem noſtrum Fla- ,, vianum (ait) veteres æmulationes & odia privata ,, deſæviunt, nec innocentiæ probatiſſimi Sacerdotis, ,, nec Chriſtianæ fidei parceretur.

Per *veteres æmulationes* intelligit Leo æmulationes, quæ jam dudum fuerant Alexandrinum inter & Conſtantinopolitanum Epiſcopum ob prærogativam ſedis ſuæ Eccleſiæ, quam Conſtantinopolitano delatam ægre ferebat Alexandrinus.

Per *privata odia*, intelligere voluit odia Cryſaphii in Flavianum; quæ potiſſimum omnem hanc tragœdiam excitarunt.

Itaque congratulatur S. Leo huic Epiſcopo; quod ,, ad illam Synodum ire cupientem, opportunis obſta- ,, culis manus divina retinuerit, ne (ait) abſtentu- ,, rus proculdubio a tanto ſcelere, indignis injuriis ſub- ,, jaceres; & furori impio, militibus, quantum didi- ,, cimus, armiſque ſuffulto, contraire non poſſes.

Poſt hæc eum monet, quod cum in apertum proruperit ,, perfidia, quæ latebat, & in nefandiſſimam hæ- ,, reſim unius impertiſſimi ſenis (Eutychis) aſſeclæ ,, tranſierint, tempus probationis noſtræ debeamus a- ,, gnoſcere, & contra impetus adverſantium munitio- ,, nibus cœleſtibus freti, incommutabilis animi con- ,, ſtantiam præparare.

Tandem hortatur, ne vel in damnationem fratris inſontis, id eſt Flaviani, vel in receptionem nefarii dogmatis conſentiat.

Ad Julianum Coenſem.

Conſolatorias quoque ſcripſit litteras eodem die ad Julianum Epiſcopum Coenſem; eumque hortatur, ut in fide firmus permaneat.

Ad Conſtantinop. Litteræ

Similes ſcripſit ad Conſtantinopolitanos, quibus ſignificat, quanta violentia omnia in Synodo ad nutum Alexandrini Epiſcopi acta ſunt, eoſque hortatur, ut a ſuo Sacerdote Flaviano non ſeparentur: ,, cum major ,, gloria (ait) veſtram ſit ſubſecutura conſtantiam, ,, ſi a probabili Sacerdote veſtro nullæ vos minæ, nul- ,, la formido diviſerit.

Proteſtatur dein, quod quiſquis incolumi & ſuperſtite Flaviano Epiſcopo Sacerdotium ejus fuerit auſus invadere, nunquam in communione ſua habebitur, nec inter Epiſcopos poterit numerari. Excitat & ipſos ad patientiam; & ut nolint arbitrari quod ſanctæ Eccleſiæ ,, ſuæ deſit, aut defutura ſit divina protectio. *Splen-* ,, *deſcit enim* (ait) *fidei puritas, cum ab ea ſordes* ,, *ſeparantur errorum.*

S. Leonis ad Clerum Conſtantinop.

Dedit & litteras ſpeciales ad Clerum Conſtantinopolitanum, in quibus congratulatur ipſis, quod & Flaviano ſemper adhæſerint, & errori reſiſtant: ipſam dein fidem catholicam de myſterio Incarnationis latius exponit, utque hanc fidem conſtanter teneant, adhortatur. Et quia oportet ipſos ,, poſt divinum auxilium, ,, etiam Principum Catholicorum gratiam promereri ,, (monet) ut humiliter ac ſapienter expoſcant, ut ,, petitioni ſuæ, qua plenariam indici Synodum poſtu-

lavit,

„ lavit, clementissimus Imperator dignetur annuere: „ qua citius, adjuvante misericordia Dei, & sanis fortitudo augeatur, & morbidis, si curari acquiescant, „ medicina præstetur.

Hæc evincunt S. Leoni firmum fuisse, necessariam esse generalem Synodum, ut iis quæ perperam in hac Synodo Ephesina erant acta rescinderentur, & remedium iis adhiberetur.

Litteræ S. Leonis ad Archimandritas Constantinop.

Per particulares insuper litteras ad fidei constantiam & patientiam in adversis hortatus est Archimandritas Constantinopolitanos: „ custodientes (ait) unitatem „ cum fratre nostro Flaviano Episcopo, quem ad tempus Dominus permisit impiorum factione tentari, ut „ probatum sibi Sacerdotem suum perseverantiæ merito faceret clariorem.

Litteræ Valentiniani ad Theodosium.

Nec hic stetit zelus Leonis. Apud Valentinianum quippe Occidentis Imperatorem, ejusque matrem Placidiam Augustam, necnon Liciniam Theodosii filiam (qui Romam venerant) effecit, ut per litteras a Theodosio petierint, quatenus votis Leonis Romani Episcopi annueret; ac generalis Synodus in Italia convocaretur, in qua acta in Ephesino Concilio reexaminarentur.

Has omnes litteras scriptas fuisse hortatu & consilio Leonis; quin & ab ipso Leone dictatas, ex epistolarum serie conjicit Quenellus in monito Epistolæ 47. S. Leonis subjecto.

Theodosii responsoriæ.

Verum nec hæ litteræ Thodosii animum contra Flavianum, aliosque orthodoxos Episcopos per Dioscorum & Chrysaphium præventum inclinare quiverunt; sed rescripsit quod ob contentionem, quæ circa fidem exorta erat, Synodum decreverint Ephesi fieri; aitque, quod ibidem „ in præsentia reverendissimorum Episcoporum, „ cum multa libertate, ac integra veritate, & indigni Sacerdotio remoti sint, & qui judicati sunt esse „ digni, suscepti sint.

Ac dein concludit: „ omnis igitur contentio sacro „ judicio examinata est: Flavianus autem, qui reus „ inventus est læsibilis novitatis, debitam pœnam recepit. Et hoc remoto, omnis pax & omnis concordia regnat in Ecclesia, & nihil aliud quam veritas „ viget ". Tomo 4. Concil. general. col. 58. iisdemque ejusdem tenoris litteræ ad Placidiam Augustam.

Nec acta duntaxat hujus Latrocinii seu pseudo-Synodi non improbavit, sed & lege lata illa confirmavit, rataque esse voluit, quæ lex extat actorum Concilii Chalcedonensis *part. 3. cap. 10.* tenoris sequentis: „ *Et nos igitur ejusdem sanctæ Synodi decreta laudamus atque firmamus, hanc orthodoxam fidem putantes atque nominantes, quæ a 318. Patribus exposita est, & firmata in sanctis Conciliis, quæ Ephesi congregata sunt.*

Et post pauca: *Omnino autem nullus, qui Nestorii aut Flaviani, & eorum, qui ejusdem hæresis sententia detinentur, ullo modo Episcopus ordinetur.*

Ex his, & toto citatæ legis contextu, evidens rursus est, persuasum fuisse Theodosio, Flavianum, aliosque orthodoxos Episcopos ei adhærentes, hæresi Nestoriana fuisse infectos; atque ipsos a definitione Conciliorum Nicæni & Ephesini I recedere.

Hinc & ad S. Leonem scribens Theodosius, ei Nicænum commendaverat Concilium; quodque ab illo non patiatur ipse Sacerdotes Domini deviare, uti intelligimus ex *epistola* 53. S. Leonis ad Theodosium, data 16. aut 17. Julii anno 450.

Ex hac quoque epistola Sancti Leonis patet, missos tunc fuisse a Leone in Orientem quatuor Legatos, Abundium, & Asterium Episcopos, necnon Basilium, & Senatorem Presbyteros, qui fidem catholicam de mysterio Incarnationis latius exponerent, & propius cognoscerent, quæ esset fides Anatolii, quem in locum Flaviani Episcopum Constantinopolitanum constituerat Theodosius, & a S. Leone in communionem recipi postulaverat.

Anatolius successor Flaviani.

Insuper mittebat hos Legatos Leo, ut Synodum generalem tantopere expetitam, a Theodosio impetrare conarentur; ad quam obtinendam iteratas preces his litteris jungit S. Leo, additque, eam & a Synodo, quæ ob hanc causam Romæ convenerat, etiam petitam.

Legati Leonis in Orientem missi.

Et quia viderat Summus Pontifex, quod Theodosius præcipue fidem Nicænam urgeret, petit, ut Concilium universale intra Italiam concedat, nec „ cuiquam ultra sit liberum, ita Nicæna Synodi facere mentionem, „ ut ejus inveniatur esse fidei contrarius ". Quibus verbis indicare volebat S. Leo, quod multi, qui Synodum Nicænam continuo habebant in ore, a fide Nicæna circa mysterium Incarnationis revera recederent: quales revera erant Eutyches, & ejus asseclæ.

Verum priusquam Legati Leonis Constantinopolim advenerunt, vita functus erat Theodosius die 28. Julii hujus anni 450.

Mors Theodosii.

Theodosio mox communi applausu in imperium successit Marcianus, quem Pulcheria Theodosii soror & imperii hæres, in conjugem acceperat.

Marcianus Imperator.

C A P U T II.

De Convocatione & Actis Concilii Chalcedonensis.

§. I.

Marcianus ad Imperium assumptus zelum pro fide catholica ostendit; & Synodum Nicææ habendam indicit.

Litteræ Marciani Imperatoris ad S. Leonem.

MARCIANUS Imperium adeptus, ad Leonem Pontificem litteras dedit, quibus eum de sua ad Imperium sublimatione certiorem reddit; sanctis apud Deum precibus juvari se flagitans; una significans, quanto desiderio componendi pacem Ecclesiæ teneretur per *generale Concilium*, quod Leo rogaverat.

Item Pulcheriæ ad eamdem.

Dedit quoque Pulcheria Augusta Marciani conjux litteras ad Leonem, quibus inter alia scribit: „ ut „ significare dignetur, ut omnes etiam totius O„ rientis Episcopi, Thraciæ atque Illyrici, sicut „ etiam (ait) nostro Domino piissimo Imperatori „ meo conjugi placuit, in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant convenire.

Notandum hinc injungi Leoni Episcopo Romano, ut congreget Episcopos *Thraciæ* atque *Illyrici*, quia eo tempore Thracia & Illyricum adhuc suberant Patriarchatui Romano, a quo demum in Concilio Chalcedonensi avulsæ sunt, & Episcopo Constantinopolitano assignatæ.

Significat insuper, jussu Principis allatum corpus Flaviani Constantinopolim, conditumque honorifice in Basilica SS. Apostolorum: exules extorresque Episcopos reverti debere „ robore, inquit, pragmatici sui „ præceperit, quatenus per approbationem Synodi, „ atque sententiam omnium Episcoporum convenien„ tium, Episcopatum & Ecclesias proprias recipere de„ cernantur.

Hic obiter nota, restitutionem Episcoporum in Latrocinio Ephesino depositorum, non Leoni Pontifici, sed Synodo & sententiæ omnium Episcoporum ad eam convenientium deferri.

Alteræ Marciani ad Leonem Litteræ.

Alias insuper litteras ad S. Leonem dedit Marcianus, quibus suam in fidem catholicam propensionem ostendit, significatque Legatos a Leone missos grato animo se suscepisse.

Insuper invitat Leonem in Orientem venire, & Synodum celebrare. *Si vero hoc onerosum est (ait) ut tu ad has partes advenias; hoc ipsum nobis propriis litteris tua sanctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam & Illyricum sacræ nostræ litteræ dirigantur, ut ad quemdam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes Sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quæ Christianorum religioni atque Catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua, secundum Ecclesiasticas Regulas definiverit, sua dispositione declarent.*

Responsoriæ Leonis ad Marcianum.

Sanctus Leo litteris datis 23. Aprilis anno 451. respondit Marciano, acceptissimum se illi referre, quod causam Ecclesiæ defendendam suscipiat; hoc rogans, fidem Catholicam in disceptationem non debere venire „. Nimis autem iniquum est (ait) ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum, & ad „ carnalium disputationum bella revocemur ". Additque, quod non sit tractandum cujusmodi sit fides tenenda, sed quorum Episcoporum, qui in Ephesina pseudo-Synodo condemnationi Flaviani consenserunt, & nunc redire cupientium precibus, & qualiter sit annuendum.

Circa Synodum, quam indicendam scripserat Marcianus, respondet, quod „ per legationem, quæ confestim ad clementiam vestram (inquit) Deo annuente perveniet, quidquid ad causæ utilitatem arbitror „ pertinere, plenius atque opportunius suggeretur.

Alteræ Leonis ad Marcianum litteræ, quibus rogat differri Synodum.

Alias rursus litteras ad Marcianum dedit 7. Junii eodem anno: mittitque duos Legatos Lucentium Episcopum, & Basilium Presbyterum.

In his agnoscit, quod Synodum fieri ipse poposceret; sed scribit quod præsentis temporis necessitas eam habe-

haberi nulla ratione permittat, rogatque Marcianum, ut opportuniori tempore eam jubeat reservari.

Scripsit quoque ad Pulcheriam Augustam: eique significat, se Legatos misisse, de quibus in præcedentibus scripserat, rogatque præterea, ut Eutyches totius scandali & pravitatis auctor, ,, ab eo loco, qui Constantinopolitanæ urbi nimis vicinus est, longius transferatur, ne frequentioribus solatiis eorum, quos ad impietatem suam traxit, utatur.

Rogat præterea, ut Monasterio, cui Eutyches præsedit, catholicum Abbatem jubeat præponi: ,, qui illam servorum Dei congregationem & a parvo dogmate liberare, & institutis veritatis possit imbuere.

Marcianus indicit Synodum Nicææ.

Verum etsi Sanctus Leo Pontifex Romanus differri Synodum, & in Italiam fieri optaret, Marcianus tamen necessitate rerum, & votis Orientalium pressus, indicendæ Synodi consilio capto eam litteris datis ad omnes ubique Episcopos indixit habendam in Nicæa Bithyniæ civitate, volens ut quisque Metropolitanus ,, cum quantis approbaverit reverendissimis Episcopis sub suo Sacerdotio constitutis sanctarum Ecclesiarum, expertas habentibus divinas scripturas, & in scientia & doctrina orthodoxæ & veræ fidei præ cunctis eminentibus, ad memoratam Nicænam civitatem proximis Kalendis Septembris advenire festinet ". Habentur hæ litteræ parte I. actorum Concilii Chalced. *cap.* 36. & dein *cap.* 37. referuntur ejusdem tenoris litteræ ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum.

§. II.

Quomodo circa indictam hanc Synodum se gesserit S. Leo?

Litteræ Leonis ad Marcianum, item Legati ad Concilium

LITTERÆ indictionis ad Sanctum Leonem quoque datæ fuere, quibus acceptis ipse scribit ad Marcianum *Epist.* 69. se credidisse, quod ob temporum necessitatem Imperator ad opportunius tempus Sacerdotalem Synodum differri jussisset: ut revocatis de cunctis Provinciis Sacerdotibus, vere posset esse universale Concilium: ,, sed quia vos (ait) amore Catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne devoto viderer obviare arbitrio, fratrem & Coepiscopum meum Paschasinum de ea Provincia, quæ videtur esse securior, evocatum, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, & direxi ".

Huic & sociavit Bonifacium Presbyterum, quibus & adjunxit duos alios, quos antea præmiserat Lucentium & Basilium. Iilis autem in socium addidit & Julianum Coensem Episcopum.

Scribit & in iisdem litteris, convenire, ut prædictus Paschasinus Episcopus Lylibitanus vice sua Synodo præsideat: ,, quia quidam de fratribus, quod sine dolore non dicimus, contra turbines falsitatis non valuere catholicam tenere constantiam.

Hic notandum, quod Leo roget, ut Synodo præsideat Paschasinus ejus vices agens, *quia*, inquit, *de fratribus contra turbines falsitatis non voluere catholicam tenere constantiam*.

Item ad Anatolium Constantinop.

Eodem tempore scripsit Sanctus Leo Anatolio Episcopo Constantinopolitano. Hic rursus de præcipitata Synodi indictione, & angustiore ad comparendum temporis termino conqueritur, nihilominus Legatos suos misisse nuntiat *Epist.* 70.

Ad Julianum Coensem.

Scripsit quoque ad Julianum Coensem, ut cæteris suis Legatis se jungat, ,, quoniam scimus (ait) omnium illic actarum rerum majorem te quam nostros habere notitiam ". *Epist.* 71.

Ad Synodum.

Epistola 72. ad Synodum Nicææ congregatam directa 17. Junii 451. significat: ,, amplectendum clementissimi Principis plenum religione consilium, qui sanctam fraternitatem vestram (ait) ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam ecclesiasticam pacem voluit convenire, beatissimi Petri Apostoli jure atque honore servato, adeo ut nos quoque suis ad hoc litteris invitaret, ut venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus; quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla consuetudo poterat permittere.

Deinde rogat, ut eum in suis Vicariis ,, æstiment præsidere, non abjuncta a vobis præsentia mea, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jamdudum fieri catholicæ prædicatione non desum.

Ad Marcianum, & Pulcheriam Litteræ.

Dedit & alias ad Marcianum & Pulcheriam litteras, quibus Legatos suos commendat; & rursus insinuat se optasse, ut Concilium in tempus opportunius dilatum, & in Italia habitum fuisset.

§. III.

Episcopi Nicæam conveniunt; sed Chalcedonem ab Imperatore evocantur, ubi Synodus celebratur.

Episcopi Nicææ congregati scribunt Marciano.

PERLATIS litteris indictionis Synodi per Provincias ad Metropolitanos, per eosdem admoniti Episcopi, complures Nicæam se contulerunt, Imperatorem ibidem expectantes, utpote qui Synodo se interfuturum addixerat. Verum cum Kalendæ Septembris habendæ Synodo præstitutæ præteriissent, neque Marcianus accederet, Episcopi ibidem congregati Marciano scripsere, ut Synodum more majorum haberi liceat: multos namque aut ex itineris molestia, aut mala corporis valetudine deficere.

Imperator invitat Episcopos Chalcedonem, ut possit ipse esse præsens.

Imperator rescribit, visum Legatis Apostolicæ Sedis non fieri Synodum, nisi se præsente: se detentum hactenus Reipublicæ negotiis; se tamen magis Imperio quam Ecclesiæ defuturum: si Chalcedonem accedere velint, eo statim profecturum, licet alio Reipublicæ cura avertat animum.

Moleste ferebant Episcopi alio Synodum transferri. Rescribunt itaque per Atticum Constantinopolitanum Diaconum, metuere se, si Chalcedone Synodus habeatur, ne Eutyches, qui factione valet, opportunitate loci usus, turbas misceat, fallatque Patrum expectationes.

Responsoriæ Episcoporum.

His respondet Marcianus, daturum se operam, ne quid adversus Synodum moliatur Eutyches: hortari igitur ut sine mora Chalcedonem veniant, *ne per vestram moram* (ait) *dilationem habeat inventio veritatis*. Hæc ex litteris Marciani relatis *parte I. actorum Concilii Chalcedonensis cap.* 41. & 42.

Responsio Marciani.

Patres postremis hisce litteris acceptis, ultro Chalcedonem accedunt, congregataque Synodus in basilica Sanctæ Euphemiæ Martyris extra urbem octavo idus Octobris anno 451. Quid hic actum sit per singulas actiones paucis exponemus.

Interim ex his, quæ tum hoc §. tum præcedenti directa, & ex litteris S. Leonis, & Marciani Imperatoris relata sunt, manifestum est, Marcianum non dubitasse, non tantum esse sibi auctoritatem Concilium generale convocandi, sed & diem & locum designandi & præfigendi.

§. IV.

Quis fuerit Patrum numerus; quis ordo sessionis, & quæ Commissariorum Imperatoris auctoritas in Synodo Chalcedonensi.

Synodus Chalcedonensis anno 451.

EVOCATI litteris Marciani Episcopi primum Nicæam, ac tandem Chalcedonem ad iteratas Imperatoris litteras accesserunt: ibique in basilica S. Euphemiæ Virginis & Martyris octavo Octobris anno 451. inchoata fuit Synodus Chalcedonensis.

Quis fuerit numerus Patrum hujus Synodi, admodum incertum est. Creditur quidem communiter convenisse sexcentos aut circiter. Scribit enim Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* 13. ad universale Concilium, quod Marcianum, pro Papæ & Principum Romanorum petitione in Nicæa congregati jusserat, occurrisse *sexcentos & triginta Episcopos*; quos omnes postmodum Chalcedonem accessisse asserit.

Nicephorus vero *Lib.* 15. *cap.* 26. scribit sexcentos triginta sex adfuisse. Ab his non multum dissonat S. Leo *Epistola* 77. ad Episcopos Galliæ; vocat enim Synodum *sexcentorum fere fratrum Coepiscoporumque nostrorum*.

Numerus Patrum copiosus, sed incertus.

Verum in actis Concilii non nisi 350. circiter Episcopi nominantur. Et sane parum verisimile apparet, ut ex solis Diœcesibus Ecclesiæ Græcæ congregari potuissent sexcenti Episcopi, uti notat Ludovicus Dupin in sua Bibliotheca Ecclesiastica: putatque in *cifra* potuisse errari, vel quod S. Leo numerum *sexcentorum* acceperit pro numero notabili, sed indefinito, prout eum a Latinis ordinarie accipi credit. Quidquid, sit dubitari nequit, quin admodum copiosus fuerit Episcoporum numerus: ut merito Synodum *magnam* vocaverit Epiphanius Tyrius, *Act.* 5 Concilii Constantinopolitani sub Menna, & Facundus Hermianensis *Lib.* 2. *cap.* 6. loquens de hac Synodo jure dixerit: *Qua Numerosior alia pro fidei veritate non fuit*.

Non statim ab initio Synodo adfuit Marcianus, sed ad eam missi fuere quidam primarii Officiarii Imperatoris, adjunctis etiam quibusdam ex Senatu, quorum omnium nomina in actis exprimuntur.

Ordo sessionis.

Judices hi a Marciano ad Synodum missi, in ipso meditullio Ecclesiæ ante cancellos sanctissimi altaris consedebant. A sinistra parte (quæ secundum Græcorum consuetudinem est nobilior) sedentibus Legatis S. Leonis Paschasino & Lucentio Episcopis, & Bonifacio Presbytero: hos sequebantur Anatolius Episcopus Constantinopolitanus, Maximus Antiochenus, & alii permulti Orientales.

S. Evangelium in medio Concilii.

A dextra parte Dioscorus Alexandrinus, Juvenalis Hierosolymorum, & alii plures Episcopi Ægyptii, Illyrici & Palæstini; antepositis in medio sacrosanctis & venerabilibus Evangeliis, uti latius in actis refertur tomo 4. Concil. *col.* 94.

Legati Leonis præsident.

Ex his manifestum est, Legatos, Leonis Episcopi Romani in hoc Concilio sedisse ante omnes alios Episcopos & Patriarchas; atque Concilio præfuisse, quemadmodum Leo *Epist.* 69. ad Marcianum petierat: *Quia quidam de Fratribus contra turbines falsitatis non valuere catholicam tenere constantiam*.

In

Quo sensu Imperatores Conciliis praesederint? In relatione Synodi ad Leonem Papam, asserunt quidam Patres: *Imperatores vero fideles ad ordinandum decentissime praesidebant*: Quia per hoc tantum significatur, Imperatores per se vel suos judices praesedisse, quatenus omnia rite, ordine, & secundum praescriptas regulas fiant, & ne quid turbarum a quoquam edatur, aut vis cuiquam inferatur; hocque ad externae disciplinae Ecclesiasticae regimen & constitutionem spectat: cujus ratione Constantinus se *communem Episcoporum rerum externarum* vocabat.

Et sane ex omnibus Actionibus hujus Synodi liquet, Marcianum Senatum sive judices constituisse, qui Synodo ad tranquillitatem servandam praesiderent; atque auditis & subductis Patrum suffragiis, hoc aut illo modo Canonem condi oportere pronuntiarent; omnemque occasionem altercandi auferrent Patribus. Quae omnia ad tranquillitatem procurandam tendunt, nequaquam vero ad decisionem juris, quae solis Patribus competiit, & eorum judicio relicta fuit, ut ex sequentibus apparebit.

Monitum de ordine Actionum Synodi. Monitum autem velim lectorem, quod in exponendis singularum actionum actis sequi intenderim vulgatum eorum ordinem, quem in Conciliorum generalium editione tenuit Labbaeus; quamvis non ignorem varium earum ordinem in variis codicibus hujus Concilii editis MSS. haberi, uti videri potest apud Baluzium in praefatione ad acta Concilii Chalcedonensis, quam tomo I. novae collectionis Conciliorum inseruit.

§. V.

Expendantur gesta Actionis primae.

Actio prima. ACTIONE prima Paschasinus Vicarius Sedis Apostolicae, priusquam quidquam aliud esset propositum, petiit ut Dioscorus Episcopus Alexandrinus e Synodo discederet, dicens se habere mandatum Episcopi urbis Romae, quae est caput omnium Ecclesiarum, *ut Dioscorus . . . . non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur*, id est, ut reus audiatur. Gloriosissimi judices & Commissarii Imperatoris dixerunt: *Quid enim specialiter objicitur Dioscoro reverendissimo Episcopo*: Vicarii Sedis Apostolicae insistebant dicentes, *necesse esse judicii sui tum dare rationem. Non patimur tantam injuriam nec vobis fieri, nec nobis, ut iste sedeat, qui judicandus advenit*.

Dioscorus in medio sedet judicandus. Tandem post plures altercationes interlocuti gloriosissimi judices, dixerunt, ut Dioscorus *in medio sederet*; adeo ut reo similis magis esset quam judici.

Hoc modo controversia hac sedata, & in medio sedente Dioscoro, *Eusebius Episcopus Dorylaei civitatis transiens in medium dixit. Per salutem vos Dominorum universi mundi, jubete etiam preces meas legi, sicut placuit piissimo Imperatori laesus sum a Dioscoro, laesa est fides*.

Jubentibus judicibus lectus fuit libellus accusatorius ab Eusebio contra Dioscorum oblatus. Summa libelli erat, quod Dioscorus in nupero Concilio Ephesi a se congregato, multa contra fidem & justitiam per violentiam attentasset, protegendo Eutychem ob haeresim in Concilio Constantinopolitano sub Flaviano damnatum, & orthodoxos Episcopos opprimendo & condemnando, quare rogat Synodum, *ut praecipiat Dioscorum respondere de his* (*ait*) *quae a nobis ingeruntur, relictis scilicet in hoc Concilio monumentis ab eo contra nos gestis, per quae possumus ostendere, eum & alienum esse a catholica fide, & impietate repletam haeresim roborasse, & injuste nos deposuisse, & gravia in nos operatum*.

Dioscorus respondit Flavianum fuisse depositum in Synodo, quae secundum nutum piissimi Imperatoris fuerat congregata, postulans ea, quae in illo Concilio contra Flavianum acta erant, recenseri.

Hoc audiens Eusebius Dorylaei Episcopus dixit: *haec & nos postulamus*. His applaudentes gloriosissimi judices, & amplissimus Senatus, dixerunt: *Omnia, quae in hoc negotio subsecuta sunt, per ordinem recitentur*.

Dioscorus unice intendens rem alio divertere, mutata sententia petiit ante lectionem actorum, in primis *quae de fide sunt examinari*.

At Judices dixerunt: *Interim adversus accusationem te convenit respondere. Ergo sustine actorum fidei lectionem, quod & ipse fieri postulasti*.

Recitantur acta Latrocinii Ephesini. Itaque lectae sunt litterae Imperatoris Theodosii indictionis Concilii Ephesini sub Dioscoro, omniaque illius Concilii acta, quibus & inserta erant acta Concilii Constantinopolitani sub Flaviano, in quo Eutyches damnatus & depositus fuerat.

Verum lectio actorum plures interruptiones passa est, atque nonnullis altercationibus occasionem praebuit.

Prima interruptio recitationis occasione Theodoreti. Prima interruptio fuit occasione Theodoreti Episcopi Cyri civitatis, quem in dictis litteris convocationis Concilii Theodosius abesse a Synodo jusserat. Mox enim ut hae litterae lectae essent, judices dixerunt: *Ingrediatur & reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus & piissimus Imperator sanxit eum adesse sanctae Synodo*.

Secundum haec ingresso Theodoreto, Aegyptii, & Illyriciani, & Palaestini Episcopi clamaverunt: *Miseremini, fides perit; istum Canones ejiciunt; hunc foras mittite, magistrum Nestorii foras mittite*. Cum autem econtra pro Theodoreto clamarent Episcopi Orientales, tandem post plures eorum hinc inde altercationes, judices interlocuti pronuntiarunt, ut Theodoretus in medio sederet locum obtinens *accusatoris*; idque sine praejudicio partium, *reservata videlicet post haec omni accusatione; & vobis & illi, & quae invicem exercere volueritis*.

Verum nec sic clamores & altercationes cessarunt; immo jam sedente in medio Theodoreto amplius invaluerunt, ita ut periculum esset, ne Synodus in tumultuarium & popularem conventum tandem degenerasset; nisi judices hos tumultuarios clamores compressissent, dicentes: *Acclamationes istae populares neque Episcopos decent, neque partes juvant. . . . Patiamini ergo universorum actorum fieri lectionem*. Sed nec his acquiescentes Aegyptii, & qui cum ipsis erant Episcopi, clamaverunt: *Unum ejicite, & omnes audimus. Pro pietate clamamus, pro catholica fide haec dicimus*. Judices dixerunt: *Magis acquiescite secundum Deum audientiam fieri, & permittite omnia secundum ordinem recenseri*. Hic tandem quieverunt, & in lectione actorum perfectum est.

Hic videmus, quam necessaria fuerit Commissariorum praesentia & auctoritas, ut debitus ordo in Concilio servaretur.

Secunda interruptio occasione damnationis Flaviani. Secunda interruptio facta est occasione actorum, in quibus legebatur *in Synodo damnatum fuisse Flavianum, Episcopis omnibus ejus damnationi subscribentibus*. Dixerunt enim Orientales & qui cum ipsis erant Episcopi: *In damnationem beati Flaviani Constantinopolitani Archiepiscopi, & Eusebii Episcopi nullus voluntarie consensit: Violentia facta est, Vis cum plagis; in pura charta subscripsimus. Minabatur nobis damnatio, minae exilii tendebantur, milites cum fustibus & gladiis instabant: timebamus & fustes & gladios. Ubi gladii & fustes, qualis Synodus est*.

Deinde multis additis, quibus violentiam Episcopis illatam describunt, tandem concludere, se non alii per violentiam, & timore territos subscripsisse. Verum an propterea a culpa vacui essent, quis dicet? Unde Aegyptii ipsis reposuerunt: *Christianus neminem timet, catholicus neminem formidat. Ignis ponatur, & discimus si homines timerentur, martyres non fierent*.

Sane poenitentia, quam SS. Patres jamprídem decreverunt lapsis in persecutione etiam post passa tormenta, uti in Scholiis in Canones notanter Ancyranos notatum est, sat evincit eos nequaquam existimasse ob metum exilii aut cruciatuum similem subscriptionem a culpa omnino immunem.

Tertia interruptio propter falsificata a Dioscoro acta Ephesina. Tertia interruptio fuit, quo Orientales dicerent per Dioscorum acta Synodi Ephesinae, cui ipse praesederat, fuisse falsificata: atque per suos Notarios omnia jussisse secundum suum nutum excipi: multaque, quae ab Episcopis nec dicta nec probata erant, fuisse inserta, atque inter alios Theodorus Episcopus Claudiopolis Isauriae dixit: *Deducat Notarios suos* (*Dioscorus*) ejiciens enim omnium notarios, suos fecit scribere.

Cumque Dioscorus, aliique ipsi adhaerentes replicarent, quod unusquisque Episcopus per suos Notarios scripsisset, reposuit Stephanus Ephesiorum Episcopus: „Excipiebant Notarii mei, Julianus, qui nunc est re„verendissimus Episcopus Lebedi, & Crispinus Diaco„nus, & venerunt Notarii reverendissimi Episcopi „Dioscori, & deleverunt tabulas eorum, & digitos „eorum pene fregerunt, volentes tollere & thecas „eorum, & neque eorum actorum exemplaria ac„cepi, neque novi de caetero, quid actum sit, sed „in eadem die, in qua facta est examinatio, subscri„psimus in charta, & si qui Episcoporum non sub„scripserunt, ego eos in fide mea suscepi, & alio die „scripserunt.

Dein declararunt alii Orientales Episcopi, quomodo subscripsissent purae chartae compulsi, & violenter habiti, & multa mala perpessi, nolentes, quae latius in actis exponuntur, *col.* 130.

Post haec jubentibus judicibus perrectum est in lectione actorum Pseudo-Ephesinae Synodi. Cumque legeretur confessio fidei, quam Eutyches Synodo illi obtulerat, Eusebius Dorylaei, aliique Episcopi interruperunt lectionem, quod Eutyches quidem fateretur, carnem Jesu Christi non descendisse de *caelo*; sed unde esset nunquam dicere voluisset.

Hac occasione de unione naturae humanae & divinae in Christo aliquamdiu disceptatum fuit. Cumque ostendissent quod Flavianus, aliique Episcopi in Pseudo-Ephesina Synodo damnati nihil a fide catholica alienum sustinuissent; judices petierunt a Basilio Episcopo Seleuciae verba facientes, *& sic catholice docens, pro qua re in damnatione sanctae recordationis Flaviani subscripsisti*. Respondit Basilius: *quoniam in judicium centum viginti aut triginta Episcoporum traditus, necessitatem habui parere his, quae ab illis ordinabantur*.

Additur in actis, quod Orientales, & qui cum ipsis erant Episcopi clamaverunt: *omnes peccavimus*, omnes veniam postulamus.

Tan-

Conclusio Actionis, & depositio Dioscori ejusque assertorum.

Tandem relictis omnibus, tum Ephesini sub Dioscoro, tum Constantinopolitani sub Flaviano Conciliorum actis (quorum supra in hac dissertatione Synopsim exhibuimus) gloriosissimi judices & amplissimus Senatus concluserunt, quandoquidem ex actis, & ipsa ultronea confessione etiam eorum, qui Ephesinæ Synodo sub Dioscoro præfuerunt, constet injuste damnatos & depositos fuisse Flavianum Episcopum Constantinopolitanum, & Eusebium Dorylæi Episcopum, justum videri, *eidem pœnæ Dioscorum reverendissimum Episcopum Alexandriæ, & Juvenalem reverendissimum Episcopum Hierosolymorum, & Thalassium reverendissimum Episcopum Cæsareæ Cappadociæ, & Eusebium reverendissimum Episcopum Ancyræ, & Eustathium reverendissimum Episcopum Berythi, & Basilium reverendissimum Episcopum Seleuciæ Isauriæ, qui tunc potestatem & principatum Synodi tenuerunt, subjacere, & a Sancto Concilio secundum regulas ab Episcopali dignitate fieri alienos.*

Huic tamen suæ sententiæ eam conditionem apposuerunt, *si placuerit divinissimo & piissimo Domino nostro*, cui totam actionem hanc referendam censuerunt his verbis: *& omnibus, quæ consequenter acta sunt, ad sacrum apicem referendis*; e quibus manifestum est Marcianum Imperatorem, cui omnia referenda censuerunt, tunc Synodo Chalcedonensi non adfuisse.

Episcopi Orientales judicium hoc contra Dioscorum probarunt, dicentes: *Dioscorum Christus deposuit: homicidam Christus deposuit: hæc justa sententia. Hoc justum Concilium, hoc sanctum Concilium, Justus Senatus, justum Concilium. Martyres Deus vendicavit.*

Post hæc judices dixerunt, ut *unusquisque Episcoporum præsentis sancti Concilii, quomodo credit in scriptis sine ullo metu, Dei timorem ante suos oculos ponens, exponere festinet, cognoscens quoniam divinissimus & piissimus Dominus noster secundum expositionem in Nicæa congregatorum trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, & secundum expositionem, qui post eos [illegible] centum quinquaginta, & secundum Canonicas Epistolas, & expositiones Sanctorum Patrum, Gregorii, Basilii, Athanasii, Hilarii, Ambrosii, & Cyrilli duas Canonicas Epistolas in Ephesina prima Synodo publicatas & confirmatas, credit, nullo modo ab eadem fide recedens.*

Addentes denique quod Archiepiscopus senioris urbis Romæ Leo scripserit epistolam ad Flavianam [illegible] *Eutychis infidelem & contrariam catolicæ religioni emergentem [illegible].*

CANON VI.

Referuntur gesta Actionis secundæ.

Actio secunda.

Actione, quæ juxta ordinem vulgarem numeratur secunda, cœptum fuit de fide tractari, *pro qua maxime & Concilium factum esse* affirmabant gloriosissimi judices [illegible] Patres alloquentes; *Scientes igitur quia & Deo rationem reddituri estis tam pro propriis animabus singuli vestrum, quam & pro nobis omnibus, qui & doceri quæ ad religionem pertinent recte desideramus, & omnem ambiguitatem auferri, ex omnium sanctorum Patrum concordia & consensu & consona expositione & doctrina: festinate sine [illegible] timore & gratia atque inimicitia, fidem puram exponere, ita ut & qui videntur non eadem cum omnibus sapere, per veritatis agnitionem ad concordiam revocentur.*

Post hæc gloriosissimi judices significarunt Patribus, [illegible] & Imperator, & etiam ipsimet fidem a Nicæna & Constantinopolitana, & prima Ephesina Synodo, & cæteris sanctis Patribus traditam custodirent. His [illegible] Episcopi clamaverunt: *Expositionem alteram [illegible] facit, neque tentamus, neque audemus exponere.*

Cecropius Episcopus Sebastopolitanus dixit, quod circa ea, quæ ad Eutychem pertinebant, iis forma data sit a Leone Archiepiscopo Romanæ urbis, *& sequimur eum, & omnes subscripsimus*. Episcopi clamaverunt: *Ista omnia dicimus. Sufficiunt quæ exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri.*

Hinc dum judices proposuissent Synodo, ut singuli Metropolitani (quos Patriarchas vocant) singularum Provinciarum eligerent unum aut duos e suis respective provinciis, qui simul convenientes, *& de fide tractantes, quæ complacita fuerint omnibus manifesta constituant*. Episcopi responderunt: " In scriptis expositionem non facimus. Regula est, quæ prædicat sufficere quæ sunt exposita. Regula vult aliam expositionem non fieri. Ea quæ sunt Patrum teneantur ". Verisimiliter spectabant Patres prohibitionem factam in Ephesino Concilio Œcumenico, ne conderetur aliud Symbolum.

Interim Florentinus Episcopus Sardium dixit, quod cum impossibile esset subito omnes de fide instrui, ideo precatur judices; *præstari inducias, quatenus cum decenti tractatu accedere ad veritatis causam possimus, quamvis in nostra persona, qui epistolæ sanctissimi Leonis subscripsimus, non indigeamus correctione*. In actis col. 340.

Tum jubentibus judicibus lectum est Symbolum fidei Nicænum & Constantinopolitanum; item duæ Epistolæ S. Cyrilli Alexandrini: quibus dum omnes Episcopi consensissent & clamassent, *sic credimus*, tunc jubentibus judicibus lecta est Epistola Leonis ad Flavianum contra Eutychem, adjunctis variis Patrum testimoniis.

Legitur Symbolum Nicænum & Constantinop. item duæ Epistolæ Cyrilli.

" Post lectionem autem prædictæ epistolæ (inquiunt acta) reverendissimi Episcopi clamaverunt. " Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est: Apostoli ita docuerunt. Pie & vere Leo docuit, Cyrillus docuit. Cyrilli æterna memoria. Leo & Cyrillus similiter docuerunt, anathema ei, qui sic non credit. Hæc vera fides, catholici ita sapimus. Hæc Patrum fides. Hæc in Epheso cur lectæ non sunt? Hæc Dioscorus occultavit.

Itemque celebris Epistola Leonis ad Flavianum.

Verum ut eadem acta habent, aliqui Episcopi difficultatem aliquam movebant super quibusdam locis dictæ epistolæ Leonis; sed cum ostenderetur, similia apud Cyrillum Alexandrinum reperiri, plures acquieverunt: sed quia nonnulli adhuc hæsitare videbantur, judices dixerunt, differendam *audientiam*, seu actionem usque ad quinque dies; interea de fide tractetur; *ut qui dubitant doceantur.*

Quidam dubitant circa quædam, quæ in Epistola Leonis leguntur, ideo differtur decisio.

Addideruntque judices, non esse necessarium, ut omnes Episcopi propterea conveniant: *sed quia (inquit) conveniens est, omnibus dubitantibus [illegible], Anatolius eligat de his, qui subscripserunt, [illegible] putaverit idoneos esse ad [illegible] eos, qui [illegible].* Et [illegible] dilata fuit absoluta fidei [illegible].

Interim hinc patescit, [illegible] Synodo fuisse examinatam; [illegible] circa eam dubia movere; [illegible] tum [illegible], nisi postquam [illegible] satisfactum, [illegible] rursus [illegible]. Videri potest Petrus de Marcha de concordia Sacerd. & Imp. *lib 5. cap. 8. num. 2.*

Tandem Actio hæc [illegible] inter Episcoporum clamores, Orientalibus [illegible] venia daretur, excepto Dioscoro, [illegible] petebant. Illyriciani & qui cum ipsis erant, vociferabant omnium misereri, etiam Dioscori, [illegible] Synodo & Ecclesiis reddi. Judices finem imponentes dixerunt: Quæ interlocutionibus prolata sunt, effectui mancipentur.

CANON VII.

Gestæ Actionis III ac præsertim depositio Dioscori.

Actio tertia.

HAC Actione absentibus Commissariis, Paschasinus Episcopus Lilybæi exposuit, notum esse Concilio, factas esse litteras destinatas ad Papam Leonem, quatenus huic [illegible] Concilio se præsentare dignaretur: *[illegible], neque antiqua hoc tenuit consuetudo, neque generalis temporum necessitas permittere videbatur, nostram parvitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit.*

Hæc præfatus jussit Concilio prælegi libellum Eusebii Dorylæi Episcopi adversus Dioscorum. In hoc libello repetit Eusebius ea, de quibus in primo suo libello Imperatori oblato, & in prima Actione coram Commissariis Imperatoris recitato, Dioscorum accusaverat; rogatque declarari a Concilio, omnia a Dioscoro contra se in Pseudo-Synodo Ephesina acta, esse nulla, nullasque vires habere: *Anathematizari autem Dioscori sceleratum dogma .... & illorum, quæ audacter commisit, luere pœnas.*

Post hæc petiit Eusebius Dioscorum ad Concilium evocari; ut libello accusationis responderet. Respondit Aetius Archidiaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, aliquos accessisse Dioscorum, [illegible] contestatus fuerit, cumque hortatos fuisse, ut conveniret, nuntiasse autem, *se quidem velle venire, non autem permitti a custodientibus se, sicut dicebat*. Tum missi sunt duo Presbyteri, qui inquirerent, num Dioscorus præ foribus adesset; qui inquisitione facta, retulerunt: *Peragrantes atria sancti hujus loci, quæsivimus, & non eum invenimus.*

Hac relatione facta misit Synodus tres Episcopos cum uno Lectore & Notario ad *accersendum* Dioscorum *& manifestum ei facere, quæ adversus eum facta est accusatio.*

Prima citatio Dioscori.

Cum hi exposuissent Dioscoro mandatum & intentionem Synodi, respondit ipse: *Custodior ego, si vero permittunt me discedere, dicant Magistriani*. Cumque recedentes Episcopi occurrissent Aetio[?] gloriosissimi Magistri sacrorum officiorum, iisque una cum Episcopis Dioscorum hortaretur ad Concilium accedere, rursus [illegible] est dicens, se apud se tractasse quid sibi expediret, ac [illegible] velle non expedire ad Concilium venire, nisi & judices Commissarii adsint ad examinandum ea, quæ ipsis præsentibus fuerint restituta. Cumque unus deputatorum ei replicaret; eum ad Synodum non evocari *ad subvertendum ea, quæ sub judicum & sacri Senatus præsentia, acta sunt.*

Sed

Sed quidquid deputati dicerent, perstitit Dioscorus, Synodo non velle se sistere, nisi præsentibus judicibus & sacro Senatu.

His per deputatos Synodo relatis, secundo citatus fuit, missis ad eum tribus aliis Episcopis cum litteris ad ipsum, quibus expresse declarat Synodus; *nihil de prioribus, quæ de te acta sunt in illo sacro Concilio retractari; sed de aliis quibusdam, de quibus nunc idem Dei amantissimus Episcopus Eusebius, per libellum accusans tuam religiositatem, a nobis petiit fieri examinationem*. Quapropter concludunt, *ut sine ulla excusatione perveniat* ad Concilium *satisfacturus: sicut ordo expedit regularum*.

Deputatis autem Synodi respondit Dioscorus: *Jam dudum renuntiavi vestræ religiositati, quia & infirmitate detineor, & postulo magnificentissimos judices, & sacrum Senatum esse præsentem in eorum, quæ nunc examinanda sunt, audientia*.

Deinde petiit Dioscorus, num ad Concilium venissent Juvenalis, Thalassius, & Eustathius, qui ipsi in Synodo Ephesina consenserant. Reposuit unus deputatorum, ipsis a Synodo non esse mandatum super hac interrogatione respondere; sed tantum ipsum secundo citare. Cumque persisteret Dioscorus, nolle se Synodo sistere, nisi adessent Judices & sacer Senatus, præsentibus etiam *& religiosissimis Episcopis, qui simul* (ait) *mecum feruntur in accusatione, quæ nobis ingeritur ab Eusebio*: reposuit Cecropius Episcopus alter deputatorum, quod ipse solus ab Eusebio accusaretur; atque ita necesse non esset alios adesse. Judicum & sacri Senatus quoque non esse necessariam præsentiam dixit: *Quando enim* (ait) *quædam regularia examinantur, neque judices, neque aliquos Laicos interesse oportet, nisi tantummodo tuam sanctitatem, quæ in propria accusatur persona. Non est igitur opus ista tarditate aut dilatione, siquidem volueris & Deo & Canonibus obedire, & non per dilationes confirmare, quæ ab accusatore dicuntur*. Id est quod de sola causa Dioscori Episcopi ageretur, judices Laicos interesse non sinebat regula Ecclesiastica, quæ judicia de Episcopis ad solos Episcopos pertinere vult.

Post hæc omnia nihilominus in sua persistebat contumacia. Hæc cum Concilio relata essent, dixit Eusebius, se neminem Episcoporum præter Dioscorum velle accusare; petiitque, ut pro tertia vice citaretur.

Primus Libellus accusatorius Theodori Diaconi adversus Dioscorum.

Interea dum hæc aguntur, nuntiat Aetius Archidiaconus præ foribus esse Clericos & Laicos urbis Alexandriæ, volentes offerre libellos adversus Dioscorum. Qui admissi sunt, & eorum libelli suscepti, & coram Synodo relecti. Primus erat Theodori Diaconi Alexandrini, qui querebatur, quod Dioscorus ipsum *clericatu privavit, comminans* (ait) *& magna illa civitate me fugare, propter nihil aliud, nisi ob id quod familiaritatem & benevolentiam sanctæ memoriæ Cyrilli* (Alexandrini prædecessoris Dioscori) *merebat*.

Deinde asserit intentionem Dioscori esse persequi; immo & *vita privare, non solum parentes, verum etiam familiares* ipsius Cyrilli: Eum ea, quæ Origenis sunt sapere: neque homicidii expertum esse: Quod coegisset decem Episcopos Ægypti signare excommunicationem in Leonem *Apostolicæ Sedis magnæ Romæ Episcopum*; eaque omnia probare obtulit; libellumque propria manu signavit.

Secundus Libellus Ischyrionis Diaconi adversus Dioscorum.

Secundus Libellus fuit Ischyrionis Diaconi Alexandrini, in quo & de iisdem excessibus, de quibus in præcedenti accusatur Dioscorus; additurque quod " & „ frumentum, quod . . . ab Imperatoribus Ecclesiis „ Lybiæ, propter ariditatem illius Provinciæ, & quia „ ibi omnino triticum non nascitur, præstitutum est, „ in primis quidem ut incruenta ex ipso hostia offe„ ratur, deinde ut & peregrini necnon etiam provin„ ciales pauperes aliquod mereantur solatium, non „ permitteret suscipere sanctissimos Episcopos illius Pro„ vinciæ, sed adæraret & coemeret memoratum fru„ mentum largissimis pecuniis, ipsum vero in tempo„ re famis gravissimis æstimationibus venumdaret.

Atque *ex hoc* (ait) neque *Terribile & Incruentum Sacrificium celebratum est, neque peregrini aut provinciales hoc solatio fruiti sunt*.

Accusabat insuper Dioscorum, quod multam quantitatem pecuniarum, quam quædam Domina nomine Peristeria pro *salute* animæ suæ jusserat præstari Monasteriis, nec non Xenodochiis & Ptochiis, & aliis pauperibus Provinciæ Ægyptiacæ, fecerit distribui personis infamibus, ut *neque* (ait) *incensum ex oblatione illius clarissimæ memoriæ Peristeriæ, quantum ad eum pertinuit, Deo offerretur*.

Exponit dein quomodo ipse per Dioscorum omnibus fuerit spoliatus; immo & ad mortem quæsitus, quæ omnia late describit: *paratus* (ait) *tempore cognitionis & santissimos viros, vita & fide probabiles, producere ex jussione vestræ sanctitatis, qui de his omnibus . . . testificari valeant*.

Tertius Libellus Athanasii Presbyteri adversus Dioscorum.

Tertius Libellus Athanasii Presbyteri Alexandrini & Nepotis Cyrilli Alexandrini accusabat Dioscorum, quod & se & fratrem suum expulisset Alexandria; & propterea coacti fuissent fugere Constantinopolim, ubi eos Dioscorus male tractari fecit per Chrysaphium, atque illico sub custodia habiti diversis pœnis fuerint subjecti, " quousque (*ait*) omnia, quæ in mobilibus „ habemus, daremus, ita ut cum tormentis non suf„ ficeremus, quasi pro remedio cogeremur gravissimis „ usuris multos fœneratores inquirere; ita ut noster „ quidem frater clarissimæ memoriæ Paulus, non su„ stinens cruciatus & injurias humanis rebus excede„ ret. Ego autem Athanasius & nostræ matertera & „ uxor & filii fratris mei malo nostro in humanis rebus permansimus, nihil aliud quam fœneratores ha„ bentes sub gravissimis, sicut dixi, usuris, ut de „ cætero, nec procedendi haberemus licentiam, pro „ frequentissima fœneratorum contra nos interpella„ tione, cum non haberemus, unde absolveremus, „ debitum.

Plura alia, eaque gravissima, quæ & ipse, ejusque propinqui passi essent; exponit.

Quartus Libellus Sopronii Laici adversus eumdem.

Quartus Libellus erat Sophonii Laici, accusantis Dioscorum in primis, quod non permisisset executionem mandatorum Imperatoris contra Macarium civitatis Alexandriæ curialem, *qui conjugem meam nomine Theodotam* (ait) *ex qua & filios suscepi, neque repudio consequente, neque tristi aliquo commisso, sed in communi connubio constitutam, desiderio captus, raptam apud se habuit*.

Quod insuper Dioscorus miserit quemdam Diaconum, *cum latrocinantium agmine tam rusticorum quam quorumdam aliorum, ut me* (ait) *de rebus humanis facerent alienum*. Cum vero ipse fugisset, Diaconus omnes ejus abstulerit facultates, *ex quibus* (ait) *cum nostris infantibus victum habebam*.

Addidit insuper, se paratum ostendere; *Dioscorum & adversus sanctam & consubstantialem Trinitatem sæpius blasphemas emisisse voces, nec non etiam adulteria perpetrasse, & in ipsam devotionem peccasse*.

Voluisse insuper Dioscorum se erigere in supremum Principem provinciæ Ægyptiacæ.

Offerebat Sophronius se paratum coram Synodo ostendere, Dioscorum omnia in libello allegata revera perpetrasse.

His omnibus perlectis, petiit Florentius Episcopus Metropolitanus Sardensis, ut pro tertia vice vocaretur Dioscorus, *quoniam* (ait) *hoc vult Ecclesiastici ordinis consequentia; ut si & post hanc tertiam convocationem venire recusaverit, regulæ suo itinere gradiantur*.

Tertia citatio.

Florentii suggestionem probavit Synodus, deputavitque tres Episcopos ad Dioscorum, qui *manifestam et tertiam constituant vocationem, eum fraterne monentes*. Adjuxit Synodus litteras suas inscriptas, *sanctissimo Episcopo Dioscoro*. Respondet iis, quæ in excusationem veniendi ad Synodum ab ipso allegata erant, & Synodo a deputatis erant relata, *quorum singula* (ait Synodus) *nullo modo veritati concordant*; rogatque ut ad sacrum Concilium veniat ad satisfaciendum iis, quæ tum ab Eusebio, tum in prædictis Libellis accusatoriis ipsi objiciuntur. Quod si post tertiam regularem vocationem venire distulerit, ei significandum esse, quod Synodus *ad illum veniet modum, qui contra pertinaces & contemptores synodalis vocationis scit movere pœnam a Canonibus jure constitutam*.

Episcopi deputati multis argumentis conati sunt eum inducere ad comparendum, & se coram Concilio purgandum; sed nihil ab ipso aliud obtinere potuerunt, quam quod iis, quæ præcedentibus deputatis Episcopis dixerat, nihil haberet addendum. Hæc latius in actis referuntur *col.* 420.

Cum igitur hæc Synodo essent relata, & pateret Dioscorum jam tertio vocatum nolle se Concilio sistere, nec accusatoribus respondere, Paschasinus Vicarius Sedis Apostolicæ petivit a Synodo: *quo igitur dignus est ita contemnens?* Sancta Synodus dixit: *Indignatione, quæ contra inobedientes a sanctis Regulis constituta est*. Et Stephanus Ephesi Episcopus addidit: *Hoc consequens est, ut qui secundum sanctos Canones vocatur, eosdem Canones conculcavit, eorum sententiæ subjaceat*. In actis *col.* 421.

Idipsum omnes Episcopi dixere, depositionem Dioscori sine nova dilatione postulantes.

Depositio Dioscori per Synodum.

Ex sententia igitur Synodi procedentes Vicarii Sedis Apostolicæ declararunt, *manifesta esse, quæ a Dioscoro quondam Alexandriæ magnæ Episcopo commissa sunt adversus sanctuarium Regularum ordinem, & Ecclesiasticam disciplinam; tam ex iis, quæ dudum examinata sunt in priori consessu, quam ex iis, quæ hodie acta sunt. Hic enim* (*ut plurima intermittamus*) *Eutychem similia sibi sapientem, & regulariter a proprio damnatum Episcopo . . . præsumens sibi primatum irregulariter in communionem suscepit, priusquam consederet in Epheso cum Dei amantissimis Episcopis. Quod illis quidem Apostolica Sedes veniam præstitit de his, quæ* (in dicta Ephesina Synodo) *non voluntarie ab iis gesta sunt, quæ & hactenus Leoni Archiepiscopo, & omni sancto & universali Concilio permanserunt obedientes*. Dioscorus inobediens in suis factis persistens, venia indignus sit.

Ulterius constare dicunt, quod Dioscorus non per-

miserit in Synodo Ephesina legi Epistolam S. Leonis ad Flavianum, & *hoc frequenter* (inquiunt) *rogatus a portioribus recitari eam, & cum juramento fieri lectionem promittens: qua non lecta, scandalum & læsionem sanctæ Dei Ecclesiæ per totum orbem terræ pertulerunt.*

Addunt & his, quod *præsumpserit & excommunicationem dictare adversus sanctissimum & beatissimum Archiepiscopum Leonem*. Denique quod tertio vocatus comparere noluerit, licet de multis criminibus accusatus, *propria utique conscientia stimulatus*. Et multos, qui a Conciliis regulariter erant damnati, contra leges susceperit: *ideo ipse* (inquiunt) *contra se eduxit sententiam, & sæpius conculcans Canones.*

His præmissis depositionis sententiam pronuntiant, dicentes: " Unde sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem sanctam Synodum, una cum ter beatissimo & omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit ministerio.

Pronuntiata sententia, dixere Vicarii Sedis Apostolicæ; *igitur sancta hæc & magna Synodus, quæ placent Regulis, super memorato Dioscoro decernant.*

Post hæc singuli Episcopi sua suffragia dederunt, & unanimi consensu, licet dolentes, sententiam in Dioscorum pronuntiatam Probarunt, ejus præsertim contumaciam allegantes.

Evidens autem est, quod Episcopi supponerent, eum ab ipsa Synodo damnatum, non autem a solo Leone; immo & quidem nullam mentionem Leonis ejusve Vicariorum facientes, ejus damnationem solis Episcopis Concilii adscribebant. Simeon Episcopus Metropolitanus " Amidenæ civitatis *dixit*: Concors & ego sum regulariter gestis super damnatione Dioscori quondam Episcopi Alexandriæ magnæ civitatis, a sanctissimo ac beatissimo Anatolio Archiepiscopo Constantinopolitanæ civitatis novæ Romæ, & sanctissimis & Dei amantissimis Episcopis in hoc sancto Concilio congregatis, alienum judicans eumdem Dioscorum ab omni Episcopali dignitate & ministerio.

Sententia adversus Dioscorum data est ab universo Concilio.

Plura suffragia sub hac verborum formula occurrunt, quæ evincunt, sententiam hanc non ex solius Leonis Papæ ejusve Vicariorum auctoritate, sed omnium Patrum consensu & suffragio prolatam & vim suam habuisse.

Hinc & sententia insinuata fuit Dioscoro, uti & Clero Alexandrino sub nomine *sanctæ, & magnæ, & universalis Synodi, quæ gratia Dei secundum constitutum piissimorum & Dei amantissimorum Principum nostrorum collecta est in Chalcedonensium civitate*. Diciturque in formula insinuationis, uti & in edicto, quo in urbe Constantinopolitana sententia publicata fuit; Dioscorum *a sancto & universali Concilio esse ab Episcopatum depositum, & ab omni Ecclesiastica functione submotum.*

Relatio etiam pronuntiatæ sententiæ facta est Imperatori; in qua eadem motiva depositionis a Paschasino supra adducta repetuntur. Informatio quoque missa est ad Pulcheriam Augustam, in qua dicunt ea, quæ placuerunt ejus insinuari Imperio, *ut illum pro suis erroribus execretur, nostram vero sententiam probet, a quibus pro totius corporis providentia, quod computruerat, est abscissum.*

Evidens hic rursum, toti Concilio sive Episcopis simul congregatis depositionem seu abscissionem Dioscori tamquam putridi membri adscribi.

§. VIII.

Actio IV.

Actio quarta.

ACTIONI IV. quæ habita fuit 17. Octobris anni 451. rursus interfuerunt Commissarii Imperatoris & amplissimus Senatus.

Cœpta fuit hæc Actio per lectionem eorum, quæ in prima Actione per gloriosissimos Judices & Senatum pronuntiata fuerant, lecta quoque, quæ secunda Actione decreta circa dilationem decisionis *fidei*, ut scilicet hæc differretur ad dies quinque; ut interea instruerentur *dubitantes* circa celebrem Epistolam S. Leonis.

His relectis, gloriosissimi Judices & amplissimus Senatus dixerunt: " Manifestatis iis, quæ jampridem constituta sunt, quod placuit reverendo Concilio de sancta fide, ipsum nos doceat: Paschasinus, & Lucentius reverendissimi Episcopi, & Bonifacius reverendissimus Presbyter, Vicarii Sedis Apostolicæ, per virum reverendissimum Paschasinum Episcopum dixerunt: sancta & beatissima Synodus fidei Regulam, quæ apud Nicæam a Patribus est constituta, sequitur & tenet; sed etiam & centum quinquaginta apud Constantinopolim sub sanctæ recordationis Theodosio majore congregata Synodus; ipsam fidem confirmavit; cujus symboli expositionem a beatæ recordationis viro Cyrillo apud Ephesum expositam (quando Nestorius est pro sui calliditate damnatus) similiter amplectitur. Tertio vero beatissimi atque apostolici viri universalis Ecclesiæ Papæ Leonis, Nestorii & Eutychetis hæresim damnantis, directa scripta, quid de vera fide habeat, exposuerunt. Similiter vero & sancta Synodus hanc fidem tenet, hanc sequitur, nihil amplius nec addere potest nec minuere.

Episcopi judices in Conciliis.

Hæc a Vicariis Sedis Apostolicæ *latine* dicta, per Secretarium divini Consistorii græce reddita sunt; qua redditione facta, *Episcopi clamaverunt: Omnes sic credimus, sic baptizati sumus, sic baptizamus, sic credidimus, sic credimus.*

Sedis summa clamarosa comprobatio Judicibus & Senatui visa non est sufficiens, ut pro Synodi sententia haberetur: unde interloquentes dixerunt; *Quoniam sacra Evangelia posita a Reverentia vestra perspicimus, singuli Reverendissimi Episcopi, qui convenerunt, doceant, si expositio trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, qui olim in Nicæa collecti sunt, & post hæc centum quinquaginta, qui in regia congregati sunt civitate, consonat Epistolæ reverendissimi Papæ Leonis.*

Hinc manifestum est judices existimasse ex sententia Episcoporum determinari & intelligi debere quid *fide* tenendum sit.

Ulterius Judices voluisse, ut omnes & singuli Episcopi judicarent, utrum Epistola Leonis Papæ scripta ad Flavianum contra Eutychem, consona esset expositioni fidei in Nicæna & Constantinopolitana Synodis factæ.

Denique ex his constat nec Judices nec Senatum quidquam sibi circa fidei decisionem arrogasse, sed eam Episcopis integram & liberam permisisse.

Approbatur Epistola Leonis ad Flavianum.

Post hæc singuli Episcopi suam sententiam dicentes, pronuntiarunt, Epistolam Leonis expositioni fidei in dictis Synodis factæ consonam.

Cum autem nonnulli hæsissent circa quædam in Epistola Leonis expressa *quasi partitionem & separationem aliquam personarum in Christo demonstrantia* (uti Actione 2. notatum fuit) hi in hac Actione declarant, super eo sibi a Vicariis Sedis Apostolicæ satisfactum; eo quod hi declarassent, quod textus Epistolæ *nullam partitionem in Domino & Deo & Salvatore Nostro Jesu-Cristo*, induceret, *sed unum eumdemque Dominum Filium Dei*: quapropter & ipsi Epistolæ Leonis subscripserunt.

Postquam plurimi Episcopi singulatim sententiam dixerunt, tum Judices dixerunt, ut & qui *non specialiter sunt confessi* propria *voce* doceant, utrum dictis aliorum consentiant; & omnes clamaverunt: *Omnes acquiescimus, omnes similiter credimus, omnes eadem sapimus: sic sapimus: sic credimus.*

Admissio quinque Episcoporum, qui Dioscoro Ephesi faverant.

Dein addunt: *Patres ad Synodum, concredentes ad Synodum, qui subscripserunt ad Synodum .... Ipsi etiam quinque Episcopi fidei subscripserunt, sicut Leo, sic sapiunt*. In Actis *col.* 507.

His postremis verbis postulabant admitti ad Synodum *quinque* Episcopos, qui actione I. fuerant exclusi; eo quod cum Dioscoro præcipui auctores fuerant eorum, quæ contra Flavianum & Eusebium, aliosque orthodoxos Episcopos in pseudo-Synodo Ephesina acta fuerant.

Huic postulationi respondent Commissarii, quod causam *quinque* illorum Episcoporum significassent Imperatori, *& expectamus* (inquiunt) *pietatis ejus mandata.*

Addideruntque Commissarii, quod Deo rationem essent reddituri *de Dioscoro, qui a vobis* (inquiunt) *damnatus est, ignorante divo vertice & nobis; & de ipsis quinque, pro quibus petitionem facitis, & de omnibus Actis in sancta Synodo.*

Ad hæc clamaverunt Episcopi: *Dioscorum Deus deposuit, Dioscorus juste damnatus est, Dioscorum Christus deposuit.*

Haud obscurum quidem est, ægre tulisse Commissarios, a Patribus ad Dioscori depositionem, aliaque non tanter quæ ad ipsam *fidei* expositionem proprie non spectabant, in Synodo processum fuisse, sine participatione Imperatoris, ejusve Commissariorum.

Interea dum Actio agitur, supervenerunt mandata Imperatoris, quibus permittitur Episcopis libertas statuendi *de quinque* illis Episcopis, quæ ipsis placuerint.

Hæc cum Synodo essent intimata per Commissarios, mox omnes clamaverunt eos esse admittendos, utpote qui eadem sapiunt, qui subscripserunt Epistolæ Leonis: dixeruntque Commissarii, *intrent*. Intromissi cum reliquis Episcopis, suo ordine, tamquam orthodoxi consederunt.

Episcopi Ægypti impetrant dilationem ad subscribendum Epistolæ Leonis.

Dein Commissarii exposuerunt Synodo quosdam Episcopos Ægyptiacæ regionis, libellum obtulisse Imperatori, quo fidem suam exponunt. Jussi sunt intrare; & recitatus est ipsorum libellus, qui continebat, eos tenere fidem, quæ a Sancto Marco Evangelista, & S. Martyre Petro, & sanctissimis eorum Patribus Athanasio, Theophilo, & Cyrillo tradita est: item fidem a Patribus Nicænis expositam; *anathematizantes omnes hæreses, & Arii, & Eunomii, & Manichæi, & Nestorii, & illos qui dicant e cælo carnem Domini nostri*

fuisse,

fuiſſe, & non ex ſancta Dei genitrice Virgine Maria.. ad ſimilitudinem omnium noſtrum ſine peccato. Super hæc & omnes hæreſes, quæ extra Eccleſiam Catolicam ſapiunt & docent.

Huic Libello ſcripſerant tredecim Epiſcopi. In Actis *col.* 511.

Recitatione Libelli coram Synodo facta, multum diſplicuit Patribus Synodi, quod non condemnaret *nominatim Eutychem*, nec probarent Epiſtolam S. Leonis, Epiſcopi Ægyptii reſponderunt: ,, Si quis præter iſta, ,, quæ a nobis in petitionibus porrecta ſunt, ſapit, ſi- ,, ve Eutyches, ſive alter aliquis, anathema ſit. De ,, Epiſtola autem ſanctiſſimi & Deo amantiſſimi Archie- ,, piſcopi Romani Leonis, ſciunt omnes ſanctiſſimi Pa- ,, tres noſtri, quia in omnibus expectamus ſentiam bea- ,, ti noſtri Archiepiſcopi; & petimus veſtram clemen- ,, tiam expectare, Præſulis noſtri ſententiam, quia ,, eum in omnibus ſequemur. Nam & ſanctiſſimi Pa- ,, tres, qui in Nicæa congregati ſunt, trecenti decem ,, & octo, hanc regulam dederunt, ut ſequatur omnis ,, Ægyptiaca regio Archiepiſcopum magni nominis ci- ,, vitatis Alexandrinæ, & nihil abſque ipſo agatur ab ,, aliquo ei ſubjacente Epiſcopo.

His nihil moti Patres, pergunt clamare, ut Eutychem damnent, & Epiſtolæ ſubſcribant. Epiſcopi Ægyptii tandem dixerunt: *Anathema Eutychi & credentibus ei.*

Sed nec ſic acquievere Patres Synodi, clamantes: *Subſcribant Epiſtolæ Leonis. Qui non ei ſubſcribit, Hæreticus eſt.*

Rurſus expoſuerunt Epiſcopi Ægyptii, quod ſuam *fidem* orthodoxam jam ſufficienter expoſuiſſent, unice petentes ſanctam Synodum, ut dignetur ipſorum miſereri, & expectare eorum novum Archiepiſcopum, ut *ſecundum antiquam conſuetudinem* (inquiunt) *illius ſequamur ſententiam. Quia ſi extra voluntatem præſidis noſtri aliquid faciamus ſicut præſumptores, & non ſervantes ſecundum Canones antiquam conſuetudinem, omnes Ægyptiacæ regiones inſurgent in nos.* Additur præterea in Actis Concilii: *Et iidem reverendiſſimi Epiſcopi jactaverunt ſe in terram, & dixerunt: Clementes eſtis, miſeremini noſtri.*

Sæpius hæc repetiverunt, terminis ac verbis adeo lamentabilibus & humilibus, ut lectori etiam lacrymas exprimerent; profeſſique ſunt ſe conſentire his, quæ Concilium decrevit. *Non contradicimus* (ajunt) *ſed eligite Archiepiſcopum. Hic exſpectamus uſque dum ordinetur.* Sed his omnibus nihil movebantur Epiſcopi, quin & clamores eorum adverſus hos Ægyptios Epiſcopos magis invaleſcebant; certoque in condemnationem eorum itum fuiſſet, niſiglorioſiſſimi Judices & ampliſſimus Senatus ſe interpoſuiſſent. Hi enim attendentes Epiſcopos Ægyptios non diſtuliſſe ſubſcribere Epiſtolæ Leonis, *ut repugnantes Catholicæ fidei .... ſed dicentes, conſuetudinem eſſe in Ægyptiaca regione, extra ſententiam & juſſionem Archiepiſcopi nihil tale poſſe, poſcunt autem ſuſtineri ſe, donec conſecratur Epiſcopus, qui ordinandus eſt magnæ civitatis Alexandriæ*, indicarunt eam petitionem eſſe juſtam.

Paſchaſinus Vicarius Sedis Apoſtolicæ probavit ſententiam Commiſſariorum, modo præcipiatur Epiſcopis Ægyptiis, caveant *datis fidejuſſoribus, non exeant de iſta civitate, quamdiu Alexandria Epiſcopum accipiat.* Commiſſarii itaque dixerunt: *Sanctiſſimi Paſchaſini firmum ſit judicium:* Edixeruntque, ut Epiſcopi hi *permanentes in proprio habitu, aut dent fidejuſſores, ſi hoc illis eſt poſſibile; aut per ſacramentum eis credatur.*

Sic magna illa & minax procella prudentia Commiſſariorum ſedata eſt, ut vel inde rurſus appareat, quam utilis, immo pene neceſſaria fuerit ipſorum in Synodo præſentia.

Libellus Monachorum Eutychi faventium recitatus.

Poſt hæc, eadem Actione, ex mandato Judicum & Senatus lectus fuit coram Synodo libellus Caroſi, Dorothæi, & aliorum Archimandritarum & Monachorum Eutychi faventium, oblatus Marciano Imperatori, varia capita complectens.

Primus ut *Marcianus præcipiat fieri univerſalem Synodum, quam ſanxerat convenire*, Chalcedonenſem enim non agnoſcebant, niſi ibi Dioſcorus cum ſuarum partium Epiſcopis aſſiſteret.

Secundo, *ut vacent turbationes & ſubſcriptiones, quæ per violentiam fiunt, & perſecutiones, quæ ſemper a Clericis contra nos* (inquiunt) *exercentur.*

Subſcriptiones condemnationis Eutychis, & approbationes Epiſtolæ S. Leonis, quas Synodus exigebat, ſubſcriptiones violentas hic vocant: earumque exactionem perſecutioni Clericorum in Monachos adſcribunt.

Tertio petebat, *jam neminem jactari*, ſeu ejici, *nec a Monaſterio, nec ab Eccleſia, neque a Baſilica Martyris, uſque ad juſtum ſanctæ Synodi judicium.*

Lecto libello, cum inter Monachos viſus eſſet *Barſumas*, unus Epiſcoporum dixit: *Barſumas, qui inter illos intravit, occidit beatum Flavianum.* Dein omnes Epiſcopi clamaverunt. *Omnem Syriam Barſumas evertit, duxit ſuper nos mille Monachos.*

Invitati dein Monachi a Judicibus, ut definitioni Synodi acquieſcerent, hanc juſſionem nova petitione eludentes, rogarunt, ut Libellus ipſorum Synodo oblatus legeretur; qui & jubentibus Judicibus recitatus eſt.

Hoc Libello petebant, *ut ad hoc Concilium conveniant ſanctiſſimus Archiepiſcopus Dioſcorus, & qui cum ipſo ſunt ſanctiſſimi Epiſcopi:* vix verba hæc erant recitata, quin mox Epiſcopi ea execrari cœperint, atque clamare: anathema Dioſcoro; *Dioſcorum Chriſtus depoſuit. Iſtos mitte foras.* Judices interlocuti mandarunt, ut *ſine præjudicio recitetur Libellus.*

Perrectum igitur eſt in lectione Libelli, quod ulterius aſſerebant injuſte damnatum Dioſcorum, petuntque, ut is, qui cum eo ſunt Epiſcopi ad Concilium venire præcipiantur, *ut & ſcandala* (inquiunt) *quæ facta ſunt de fide, incidantur, & ortodoxi populi non habeant inter ſe diſcordiam.*

Quin & plus ultra progreſſi audaces & rebelles Monachi minantur Synodo, ,, ſi autem contra hæc (*ajunt*) ,, qua nos tam conſequenter requirimus, veſtra nititur ,, reverentia, & velit auctoritate uti, quæ contraria ,, eſt utilitatibus: teſtamur Dominum Chriſtum, & ,, piſſimum Imperatorem, & magnificentiſſimos judi- ,, ces, & ampliſſimum Senatum, & veſtram conſcien- ,, tiam, & veſtes noſtras excutimus, & extra commu- ,, nicationem veſtram noſmetipſos efficiemus.

Rationem rebellibus & impudentibus Monachis dignam ſubjungunt: *Non enim patimur Symbolo fidei trecentorum decem & octo recuſato, communicatores eorum fieri, qui hoc reſpuunt.* Ita enim hi perfidi Monachi audent per ſummam calumniam inſimulare Chalcedonenſes Patres quaſi Symbolum Nicænum reſpuant, quia Conſtantinopolitanum etiam vindicabant. Hoc vero Symbolum hi Monachi execrabantur, quia per hoc Eutychiana perfidia clarius jugulabatur. Unde Symbolum Nicænum, & Decretum Epheſini Concilii, quo huic Symbolo Nicæno quidquam addi vetabatur, vafro & hæretico animo, libello ſuo attexuerunt.

Lectione libelli abſoluta, Aetius Archidiaconus e Codice Canonum legit Canonem V. Antiochenum contra Clericos & Monachos, qui a communione ſemetipſos ſeparant Eccleſiæ: quo lecto Epiſcopi dixerunt: *Hæc juſta regula Patrum*, Quid eo Canone decernatur dictum eſt in Scholio ad illum Canonem ſupra *Tom. VI. pag.* 506.

Interrogantibus autem judicibus, ſi vellent dogmatibus totius ſanctiſſimæ Synodi conſentire, aliud reſponſum non dederunt, niſi quod inhærerent fidei Nicænæ & Epheſini Concilii contra Neſtorium; neque ad damnationem Eutychis adduci potuerunt, hoc unum poſt multa dicentes: *Si non credit Eutyches, ſicut credit univerſalis Eccleſia, anathema ſit.*

Recitatus Libellus orthodoxorum.

Inter hæc recitatus quoque eſt libellus a Monachis orrhodoxis adverſus Monachos Eutychis fautores antea Marciano oblatus; rogantibus ſibi permittatur, *ut Monachorum ſpiritualibus conſtitutis eos ſubdant, qui inverecunde a noſtra fide recta receſſerunt.*

Recitato libello Dorothæus Monachus Eutychianus apologiam Eutychis ſuſcepit, dixitque eum eſſe hominem *Orthodoxum*, eique fieri calumniam.

Judices autem hæc audientes dixerunt: *Eutyches ait quod corpus Salvatoris noſtri J. C. non fuit noſtræ ſubſtantiæ: tu de hoc quomodo confiteris?* ille fidei profeſſionem mox edidit, multis ambagibus involutam, ut nec Eutychem condemnaret; nec epiſtolæ Leonis ſubſcriberet. Unde Patres acclamarunt: *Subſcribis Epiſtolæ; aut non?* Reſpondit audacter: *Ego in baptiſma credo, epiſtolæ autem non ſubſcribo.* Similiter & Caroſus perſtitit.

Cumque judices & ſenatus annuente Synodo, ipſis inducias duorum aut trium dierum ad deliberandum offerrent, Caroſus dixit: ,, Hic ſum, Quid opus habe- ,, tis duos aut tres dies ſuſtinere? Ecce modo, ſi vul- ,, tis aliquid facere, poteſtatem habetis. *Dorothæus autem dixit*: In fide permaneo trecentorum decem & ,, octo Patrum, in qua & baptizatus ſum, & in defi- ,, nitione Epheſina; & aliud aliquid non dico. *His auditis judices dixere*: A ſancta Synodo formula da- ,, bitur.

Diſcutitur cauſa Monachorum Eutychianorum, eiſque dantur induciæ.

Hinc ſpecialis conſeſſus Patrum habitus eſt 20. Octobris de cauſa horum Monachorum, in eoque relata ſunt mandata Imperatoris per Alexandrum Presbyterum, qui a Synodo & Commiſſariis ad Imperatorem miſſus fuerat, quibus jubebantur Monachi Decretis Synodi parere. Rogantibus autem judicibus, & annuente Synodo datæ ſunt rurſus Monachis hiſce induciæ uſque ad 15. Novembris *ad deliberandum & ad obediendum ſancto huic & OEcumenico Concilio, & iis quæ ab eo de recta fide ſtatuta ſunt*: quibus elapſis, mittentur ad eos Clerici, ,, qui admoneat, ut vel recto pede ambu- ,, lent in veritate, ac iis cedant, quæ placita ſunt ,, huic ſancto Concilio, ad totius hæreticæ pravæque ,, opinionis deſtructionem, aut ſciant ſe cum Mona- ,, chis, qui cum ipſis ſunt, privatos eſſe & gradu, & ,, omni dignitate, & communione, una cum eo ut de- ,, ſinant præeſſe monaſteriis. Ac ſiquidem perfugere co- ,, nentur, valere in eos eamdem pœnam decernit ſan- ,, ctum hoc & univerſale magnum Concilium: externa ,, videlicet auctoritate, juxta divinas ſacraſque Patrum ,, regulas corroborante ſententiam in contumaces latam.

Per Patrum regulas hic intelliguntur Canones Antiocheni, quorum IV. & V. in Synodo fuerant relecti.

Deciditur controversia de Jure Metropolitico in Episcopos Tyri & Berythi.

In eodem consessu proposita & decisa fuit controversia inter Photium Episcopum Tyri & Eustathium Episcopum Berythi. Controversia hæc erat de jure Metropolitico in primam Phœniciam: Cum enim per Pragmaticam sive litteras Leonis Imperatoris Berythensis civitas esset erecta in Metropolim, Eustathius Episcopus vi hujus erectionis prætendit quoque jus Metropolitum: eoque jure occupavit quasdam Ecclesias, quæ antea jure Metropolitico spectaverant ad ordinationem Tyriorum Episcopi. Quin & huic dimembrationi, jubente Eustathio, consenserat Potius, actæque dimembrationis subscripserat; sed uti prætendebat, non voluntarie sed vi cogente seu *metu minarum*.

Itaque jam congregato Concilio obtulit Photius libellum Imperatori, quo petit, non obstante sua subscriptione, controversiam hanc in Concilio jam congregato examinari & decidi. Annuit Imperator. Itaque rogavit Photius, ut libellus Imperatori oblatus legeretur. Judices dixerunt; *Legantur preces Photii reverendissimi Episcopi*. Et Eustathius non desiderans hanc quæstionem in Synodo terminari, & volens lectionem libelli avertere, dixit, quod Imperator & Imperatrix, nec non Judices & Senatus, & sanctum generaleque Concilium, *cujus Princeps sunt Deo amantissimi Patres nostri Leo & Anatolius, fidei causa eos hic congregassent: ac jubete* (inquiunt) *ante omnia subscribi definitionem, ut quæstio fidei absolvatur*. Sed tamen ne suæ causæ diffidere videretur, adjunxit: *Quod si de mea quaque causa jubetis nunc quæri, non sum in mora, sed protinus respondeo.*

Judices interlocuti dixerunt legendas preces Photii Imperatori oblatas, quibus lectis, petierunt Judices ab Eustathio Berythiorum Episcopo, *quid ad hæc allegaret?* qui dixit: *Jubete eum* (id est Photium) *dicere utrum secundum Canones moveat, an secundum leges?* Respondit Photius: *Ego a regulis non discedo, nec volo typos Patrum evertere, sed postulo ne jura illa evertantur*: hoc est ut jura & termini Episcopatuum jam constituti non evertantur.

Judices & Senatus dixerunt: *Sacratissimo Domino orbis placuit, non juxta sacras litteras* (id est litteras Imperatorum) „ aut pragmaticos typos res sanctissi„ morum Episcoporum procedere, sed juxta regulas a „ sanctis Patribus latas. Omni igitur cessante e sacris „ pragmaticis definione, Canones de hoc Capitulo edi„ ti legantur.

Sententiam Judicum probavit & Synodus dicens; *Contra regulas nihil pragmaticum valebit. Regulæ Patrum teneant.*

Post hæc lectus fuit Canon IV. Nicænus, qui vult, ut „ suprema auctoritas eorum, quæ fiunt, detur in „ unaquaque Provincia Metropolitæ. *Cumque petenti„ bus Judicibus dixisset Synodus*: Unum juxta regulas „ sanctorum Patrum volumus esse Metropolitam. Pe„ timus, ut regulæ SS. Patrum teneant, *tandem Judi„ ces pronuntiarunt*: Juxta regulas trecentorum decem „ & octo Sanctorum Patrum, & justam sententiam to„ tius Sanctæ Synodi, Photius reverendissimus Episco„ pus Tyriorum Metropolis omnem potestatem ordi„ nandi in universis civitatibus primæ Phœnices Pro„ vinciæ habebit. Eustathius vero reverendissimus E„ piscopus e sacro pragmatico typo nihil amplius sibi „ vendicet, quam reliqui Episcopi ejusdem Provinciæ. „ Et an his consentiat Sancta Synodus edoceat. San„ cta Synodus acclamavit: Hoc justum judicium, hoc „ Dei judicium, hæc justa sententia.

Erectio novæ Metropolis civilis non præjudicat Episcopo Metropolitano.

Ita controversia terminata, Cecropius Episcopus Sebastopolis suggessit, ne posthac similes contentiones & quæstiones oriantur, statuendum esse, ut in posterum cessent ea „ Pragmatica, quæ in detrimentum Cano„ num a quibusdam facta sunt in omni Provincia: Ca„ nones autem per omnia teneant. Sic enim & fides „ custoditur, & unaquæque Ecclesia tutum statum ha„ bebit." Petentibus autem Judicibus, an Synodus sententiæ Cecropii consentiret, Synodus acclamavit. „ Omnes eadem dicimus, universa pragmatica cessa„ bunt; Regulæ teneant: & hoc a vobis fiat." Annuentes Judices dixerunt: „ Ex sententia sanctæ Sy„ nodi, in aliis quoque omnibus provinciis regulæ te„ neant." Apud Lasibæum tomo 4. *Concil. general. „ column.* 552.

§. IX.

Actio V.

Actio quinta.

ACTIO V. habita est 22. Octobris, in eaque lata fuit definitio fidei, quæ pridie a Patribus concepta & probata fuerat. Qua lecta, „ Omnes reverendissimi E„ piscopi præter Romanos & aliquos Orientales cla„ maverunt: Definitio omnibus placet: hæc fides Pa„ trum. Qui præter ista sapit, hæreticus est; qui ali„ ter sapit, anathema sit.

Non obstantibus hisce clamoribus, persistentes Romani sive Sedis Apostolicæ Vicarii contestati sunt multa deesse in fidei definitione ad profligandam hæresim Eutychianam, volentes inferri epistolam Leonis ad Flavianum; idque tanta animositate petebant, ut dicerent: „ si non consentiunt epistolæ Apostolicæ & bea„ tissimi viri Papæ Leonis, jubete nobis rescriptæ da„ ri, ut revertamur, & ibi Synodus celebretur." Hæc petitio excitavit summos clamores Episcoporum, qui volebant simpliciter definitionem tamquam sufficientem ab omnibus suscipi.

Altercatio circa formam definitionis fidei,

At & ipsi Judices aliquam moverunt difficultatem, dicentes: „ Dioscorus dicebat, propter hoc se dam„ nasse Flavianum, quia duas naturas ajebat esse: Defi„ nitio autem ex duabus habet naturis. *Anatolius Ar„ chiepiscopus Constantinopolitanus respondit*: Propter „ fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excom„ municationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni & „ tertio vocatus est, & non venit, & ideo damnatus „ est.

Cumque ulterius peterent Judices, *Epistolam sanctissimi Leonis suscipitis?* clamaverunt: *Etiam suscepimus & subscripsimus*. Replicantibus Judicibus: *Ergo ea, quæ in ea inseruntur, inserantur definitioni*. Episcopi clamaverunt & responderunt: *Altera definitio non fit. Nihil deest definitioni... Epistolam definitio firmavit.*

Cum ergo Judices viderent clamores non cessare, immo continuo amplius ingravescere, rem ad Imperatorem detulerunt, cui placuit, uti & antea a Judicibus fuerat suggestum, convenire sex Episcopos Diœcesis Orientalis, & tres ex qualibet alia cum Anatolio Episcopo Constantinopolitano, & Vicariis Sedis Apostolicæ, qui definitionem fidei conciperent, „ vel si hoc „ non placeret, singuli fidem suam per suum Metro„ politam manifestam constituant, ut nulla similiter „ dubietas aut discordia relinquatur; si autem neque „ hoc vestra velit sanctitas (*ait*) cognoscite, quia in „ partibus Occidentalibus habet fieri Synodus, eo quod „ Religiositas vestra hic noluit de vera & orthodoxa „ fide indubitanter definire.

His propositis multum clamaverunt Episcopi, qui omni modo volebant definitionem ante conceptam recitari, dicentes: *Aut definitio persistat, aut discedimus. Petimus recitari definitionem, & ii, qui contradicunt, & non subscribunt, ipsi ambulent*, scilicet ad partes Occidentales, ubi Synodum habendam Imperator minabatur. Alii clamabant: *Qui contradicunt, manifesti fiant. Qui contradicunt Nestoriani sunt. Qui contradicunt Romam ambulent*; nimirum ad Synodum.

Ut hos clamores compescerent Judices, dixerunt: Dioscorus dicebat; „ quod ex duabus naturis est, sus„ cipio, duas non suscipio. Sanctissimus autem Ar„ chiepiscopus Leo duas naturas dicit esse in Christo „ unitas inconfuse, inconvertibiliter & indivisibiliter „ in uno unigenito filio Salvatore nostro. Quem „ igitur sequimini? sanctissimum Leonem aut Diosco„ rum.

Responderunt Episcopi; „ ut Leo sic credimus. Qui „ contradicunt, Eutychianistæ sunt: Leo recte expo„ suit. *His replicarunt Judices*: Ergo addite definitio„ ni, secundum judicium sanctissimi Patris nostri Leo„ nis, duas esse naturas unitas in Christo inconverti„ biliter, & inseparabiliter, & inconfuse.

Definitio fidei complectens symbolum Nicænum & Constantinopolit. item Epistolam S. Cyrilli, & S. Leonis.

Sic Episcoporum animis tandem mitigatis, juxta primum medium ab Imperatore propositum electi ex singulis Diœcesibus Episcopi, una cum Anatolio Constantinopolitano Episcopo, & Vicariis Sedis Apostolicæ intrarunt in oratorium sanctissimæ Martyris Euphemiæ, & de fidei definitione tractaverunt; quæ & Synodo exhibita, & publice Patribus prælecta fuit. Continebat primo Symbolum Nicænum: secundo Symbolum Constantinopolitanum. quod utrumque coram Synodo relectum fuit, & actis insertum. Tertio continebat epistolas Synodicas Cyrilli Alexandrini ad Nestorium & Orientales, „ ad convincendas (*ajunt*) Nestorii ver„ sanias, & ad interpretationem eorum, qui salutaris „ Symboli pio zelo nosse desiderant intellectum. *Quar„ to continet epistolam Leonis*, quæ scripta est ad san„ ctæ memoriæ Archiepiscopum Flavianum ad peri„ mendam Eutychis malam intelligentiam, utpote & „ magni illius Petri confessioni congruentem, & com„ munem quamdam columnam existentem adversus per„ verse sentientes, ad confirmationem rectorum dog„ matum congruenter aptavit.

Omnibus autem prælectis, tandem conclusere: „ His „ igitur cum omni undique exacta cura & diligentia a „ nobis dispositis, definivit sancta & universalis Syno„ dus alteram fidem nulli licere proferre, aut conscri„ bere, vel componere, aut sentire, aut alios doce„ re. Eos autem qui audent componere fidem alte„ ram, aut proferre aut docere, aut tradere alterum „ symbolum volentibus ad agnitionem veritatis con„ verti, vel ex gentilitate, vel ex Judaismo, vel ex „ hæresi quacumque: hos si Episcopi fuerint aut Cleri„ ci, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Cleri„ cos a Clero: si vero Monachi, aut Laici fuerint, „ anathematizari eos.

Post lectionem definitionis omnes clamaverunt: *Hæc fides Patrum Metropolitani modo subscribant: præ-*

præsentibus ipsis Judicibus modo subscribant ; quæ bene definita sunt, dilationem non suscipiant. Hæc fides Apostolorum, huic omnes consentimus ; omnes ita sapimus. Magnificentissimi & gloriosissimi Judices dixerunt : Quæ a Sanctis Patribus statuta sunt, & omnibus placuerunt, manifesta fient sacro Vertici.

Sic finita fuit hæc Actio, & definitio fidei prius per Episcopos examinata & varie discussa, ac tandem judicio totius Synodi, omniumque Episcoporum suffragio conclusa & probata.

§. X.

Actio VI.

Actio sexta.

IN fine præcedentis Actionis dixerant Commissarii Imperatoris : *Quæ a Sanctis Patribus statuta sunt, & omnibus placuerunt, manifesta fient sacro Vertici* : id est Imperatori. Cum ergo ex hac relatione intellexisset Marcianus convenisse Patres circa fidei definitionem (circa quam contentiones inter Episcopos præcipue versabantur, & ad quam stabiliendam Synodus præcipue fuerat convocata) : hac tandem Actione, quæ celebrata est 25. Octobris, *personaliter* ipse cum Pulcheria conjuge sua (*a*) multisque aulicis Synodo interfuit : sermonem ad hanc Synodum habens, dixit : *Se ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam exemplo religiosi Principis Constantini, Synodo interesse voluisse, ne vel ulterius populi pravis suasionibus separentur . . . . Studium nostrum est* (ait) *ut omnis populus per veram & sanctam doctrinam unum sentiens, in eamdem religionem redeat, & veram fidem catholicam colat, quam secundum institutiones Patrum exponere concordantibus æque animis Religio vestra festinet : quatenus sicut a Nicæna Synodo usque ad proximum tempus, erroribus amputatis, vera fides cunctis innotuit, ita & nunc per hanc sanctam Synodum remotis caliginibus, quæ in his paucis annis, sicut superius dictum est, pravitate atque avaritia quorumdam emersisse videntur, perpetuo, quæ statuta fuerunt, conserventur.*

Marcianus & pulcheria Synodo adsistunt.

Veram & ordinariam radicem contentionum super materia fidei inter Ecclesiasticos hic notat Marcianus, scilicet *pravitatem* atque *avaritiam*.

Post hæc Ætius Archidiaconus recitavit definitionem fidei Actione præcedenti Patribus prælectam & probatam ; quam hic rursus approbarunt, & signarunt : nonnullique Metropolitani signarunt etiam pro omnibus Episcopis absentibus sub suis respective Metropolibus constitutis : quod forsan occasionem dedit numerum Episcoporum, qui huic Synodo interfuerunt, ita multiplicandi.

Rogante Imperatore fidei definitio denuo probatur.

Postquam igitur unanimi consensu fidei definitio, præsente & petente Imperatore probata fuit ; atque iterato ab Episcopis acclamatum fuisset Imperatori tamquam *novo Constantino* & fidei conservatori, ipseque vicissim Imperator sanctæ Synodo congratulatus esset, quia per ipsam *multorum errantium circa fidem amputata discordia, in unum eamdemque religionem omnes nunc una voluntate convenirent*, tunc ad omnem de cætero contentionis occasionem, de sanctæ fidei religione penitus amputandam, statuit : „ Si quis idiota (id „ est communis Laicus) vel militaris seu Clericus pu„ blice de fide turbam congregans, sub obtentu dispu„ tationis tumultum fecerit, sciat quia si quidem idiota „ sit, ab urbe regia expelletur : militaris vero & Cle„ ricus gradus sui periculum sustinebunt, & pœnis aliis „ subjacebunt.

His dictis rursum acclamavere Patres : *Multos annos Imperatori . . . . Ecclesias tu erexisti, orthodoxam fidem tu confirmasti.*

Dicunt eum fidem *confirmasse*, quia executionem promovit, vetando, ne de fide ulterius disputaretur ; sed omnes hanc a Synodo propositam sequerentur ; quod & postmodum, Synodo absoluta, speciali edicto fecit, uti infra dicemus. Hæc pene omnia brevi compendio retulit & expressit Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* 13. „ Adveniens Marcianus Imperator ad Concilium cum „ Judicibus & sacro Senatu, & allocutionis verba fe„ cit in Concilio, & inter alia dixit, se ad confirman„ dam fidem, non ad potentiam ostendendam, exem„ plo Constantini, Synodum intrasse : unde abjecta „ omni pravitate & avaritia, quorumdam amputatis „ erroribus in perpetuum, quæ a vobis ordinata fue„ rint, observentur. Et recitata fidei definitione, & „ ab omni Concilio sine aliqua dubitatione, & ab „ omnibus subscripta.

Imperator proponit 3. Capitula a Synodo sancienda.

Fidei causa absoluta, Imperator tria Capitula Synodo proposuit, quorum primo Monachis præcipitur, ne absque Episcopi licentia Monasteria construere audeant. Secundo, ne Clerici possessiones conducant, aut procurationem suscipiant. Tertio ne ex una Ecclesia ad aliam transeant. Ex his articulis conflati sunt Canones III. IV. & XX. quorum Scholia videri possunt.

Notanda autem sunt verba Imperatoris hæc Capitula Synodo proponentis : *Quædam Capitula sunt, quæ ad honorem vestræ Reverentiæ vobis servavimus, decorum esse judicantes, a vobis hæc regulariter potius formari per Synodum, quam nostra lege sanciri.*

Hæc ex reverentia Synodo defert Marcianus : alioquin enim quis ambigat, quin Principi tamquam Canonum executori & Religionis vindici auctoritas competat, legibus suis edicendi, illa quæ ad Canonum & disciplinæ exterioris observantiam conducunt ? Atque hoc & non aliud voluisse Marcianum scribit Facundus Hermianensis *lib.* 12. *cap.* 3. ipsi hoc adscribens elogium : „ Sciens igitur ille modestissimus Princeps, Oziæ regi „ non impune cessisse, quia sacrificare præsumpsit, „ quod licitum est singulo cuique etiam secundi ordi„ nis Sacerdoti : multo magis impune sibi cedere non „ posse cognovit, vel, quæ jam de fide Christiana rite „ fuerant constituta, discutere, quod nullatenus licet : „ vel novos constituere Canones, quod non nisi mul„ tis, & in unum congregatis primi ordinis Sacerdoti„ bus licet. Ob hæc itaque vir temperans, & suo con„ tentus officio ecclesiasticorum Canonum executor es„ se voluit, non conditor, non exactor.

Hinc & Patres Chalcedonenses Marciano acclamantes dixerunt ; *Sacerdoti Imperatori multos annos.*

Denique Marcianus ad *honorem sanctæ Martyris Euphemiæ . . . . Chalcedonensem civitatem, in qua sanctæ fidei Concilium gestum est, Metropolis privilegia habere sancivit* ; addita hac clausula : *nomine tantum hanc honorantes, salva Nicomediensium propria dignitate*. De qua specie erectionis Metropolis vide infra Scholion Canonis XII.

Tum supplicarunt Episcopi, ut eos Imperator dimitteret : At ipse respondit, adhuc tres aut quatuor dies esse subsiendum, ut omnia tandem absolvantur.

§. XI.

Actio VII. VIII. IX. & X.

Actio septima.

ACTIONE septima, quæ celebrata fuit 26. Octobris proposita fuit controversia, quæ dudum fuerat agitata inter Antiochenam & Hierosolymorum Ecclesiam, super provinciis, ad quas hujus vel illius jurisdictio se extenderet.

Controversia composita circa jus Patriarchale Antiochenum & Hierosolymitanum.

Verum paucis absoluta fuit actio hæc ; eo quod partes inter se pacifice convenerint, & mutuo consensu a Synodo postularint, ut Antiochenæ Diœcesi duæ Phœniciæ, & Arabia adjudicarentur ; tres vero Palæstinæ Hierosolymorum Episcopo subditæ essent. Quam conventionem Synodus probavit ; eamque & gloriosissimi Judices, auctoritate a Marciano sibi demandata, firmarunt missis in irritum rescriptis ab utraque parte ab Imperatoribus impetratis : *Vacantibus* (inquiunt) *secundum jussionem divinissimi & piissimi Principis, omnibus Pragmaticis, & quocumque modo sacris ab utraque parte litteris impetratis, insuper & mulctatione, quæ in eis hujus rei causa noscitur contineri*, *col.* 617. sciendum enim est, quod Juvenalis Hierosolymorum Episcopus a Theodosio rescriptum impetrasset, quo trium Palæstinarum, & duarum Phœniciarum, & Arabiæ ipsi administratio fuerat concredita : quæ Theodosii pragmatica sine consessu hic in irritum mittitur auctoritate Marciani (*a*).

Actio octava.

Eodem die celebrata fuit Actio octava, in qua agitata fuit causa *Theodoreti* Episcopi Cyri sub Patriarchatu Antiocheno.

Theodoretus tamquam orthodoxus admissus.

Ut autem occasio hujus actionis intelligi queat, meminisse oportet, Theodoretum factione Dioscori non tantum a pseudo-Synodo Ephesina jussu Imperatoris Theodosii fuisse exclusum, sed insuper in eadem Synodo, auctore Dioscoro, damnatum etiam absentem & nec egressum de sua civitate, uti loquitur Liberatus in Breviario *cap.* 12.

Cum autem Theodoretus videret se per summam violentiam opprimi, recurrit ad Leonem Episcopum Romanum „ eique suggessit quanta mala pertulerit ex „ insidiis Dioscori ; rogans ut celerius tali causæ sub„ veniretur per alium conventum Episcoporum " : ait ibidem Liberatus.

Porro dum ex litteris Theodoreti, ac relatione suorum legatorum intellexisset Leo, quomodo omnia per vim

(*a*) Negat eruditus Pater Pagi in sua Critica in Annales Baronii *tom.* 2. *p.* 326. *Col.* 2. Pulcheriam Augustam in locum Synodi fuisse ingressam : nititur his momentis. I. Quia ista verba, quæ in *Edit. Labb. p.* 574. leguntur *præsente ex divino zelo . . . Regina Augusta Pulcheria*, desunt in antiquis exemplaribus, præsertim in textu græco, ut observat Baluzius in *nova Concil. collectione pag.* 1264. II. Valentinus Episcopus Philoppolitanus, Episcopi Hellesponti & veteris Epyri scribentes ad Leonem Imperatorem cap. 16. 33. & 46. *Codicis Encyclici*; Auctor Historiæ Eutychianistarum, Ferrandus Diaconus Epist. ad Pelagium & Anatolium. Liberatus, Evagrius, & Theophanes nullam in hoc loco Pulcheriæ mentionem faciunt, sed tantum Marciani, Judicum, & sacri Senatus, Antiquum tamen hunc esse errorem patet ex vetustis Codicibus, in quibus hoc additamentum invenitur.

(*a*) Hanc controversiam fusius discutit eruditus Dominicanus Pater Le Quien in suo opere, quod inscribitur *Oriens Christianus. Tom.* 3. *col.* 109. 110. *&c.*

vim ac violentiam, sine ullo plane ordine & justitia in illa pseudo-Synodo acta fuisset, ipsamque Theodoreti fidem orthodoxam perspectam haberet; declaravit *se ipsi communione non interrupta, mansisse conjunctum*; rescripsitque, nec standum esse judicatis, nec expectandum ei esse aliud judicium, ut Ecclesiam suam solito more gubernaret: quoniam quæ gesta erant in pseudo-Synodo Ephesina, *per unius hominis* (Dioscori) *impudentiam nulla Catholicæ fidei ratio rata esse permittebat*, uti scribit ipse Leo *Epist.* 47.

Itaque Theodoretus non obstante damnatione suæ personæ in dicta pseudo-Synodo, a Leone in communionem susceptus fuerat.

Verum hæc Theodoreti in communionem susceptio, causam ejus non finivit; nec eam per hanc communionis continuationem dirimere prætendebat Leo, sed duntaxat sensum suum aperiebat de actis istius pseudo-Synodi, prætendens per ea, quæ in illa pseudo-Synodo acta erant, nullum orthodoxis Episcopis præjudicium factum esse, omniaque in illo statu manere debere, quo ante illam Synodum fuerant.

Et quidem id unum a Theodosio, absoluta hac Synodo, postulavit Leo, scilicet ut omnibus a Dioscoro decretis supersederetur, *& omnia in eodem statu essent, in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregaretur*, uti scribit Leo *Epist.* 40. *cap.* 2.

Quia igitur Theodoretus longe ante pseudo-Ephesinum Concilium suspectæ fidei notatus fuerat, & Nestorio patrocinari creditus, nequaquam a Patribus & fidei catholicæ propugnatoribus, hæ suspiciones absterse credebantur, sed earum examen majori ex toto orbe Concilio reservatum est.

Hinc est quod etsi Theodoretus titulo communionis cum Leone, & edicti Imperatoris, accersitus esset ad hanc Synodum Chalcedonensem Actione I. reclamare tamen non dubitarint Episcopi Ægyptii, Palæstini, & Illyriciani, qui ducem habebant Thessalonicensem Episcopum, qui vices gerebat Romani Pontificis in Illyrico: notatumque fuit supra §. 21. post plures interlocutiones Commissariorum non ante admissum fuisse, nisi Episcopus Antiochenus, sub cujus erat Patriarchatu, testimonium Catholicæ fidei ei perhibuisset, & sub hac insuper conditione quod *salva maneret contra ipsum instituenda accusatio*.

Itaque occasione hujus adjectæ clausulæ renovata fuit hac Actione causa Theodoreti. Comparens ergo Theodoretus „ & in medium transiens dixit: Et preces ob- „ tuli . . . . & si vobis videtur, legantur coram vo- „ bis, *ut sicut sapio, cognoscatis* “. Responderunt Episcopi: *Nihil relegi volumus: modo anathematiza Nestorium*. Restitit aliquamdiu Theodoretus, non quod Nestorio faveret; sed partim quia moleste ferebat, aliam sibi, quam aliis legem imponi, qui cum cæteris *Actione* 4. professus fuerat Nicænum & Constantinopolitanum symbolum, nec non epistolam Leonis, quæ Nestorio anathema dicit, complexus fuerat; fidemque suam solemni subscriptione firmaverat; partim quia cum damnatus a pseudo-Synodo sub Dioscoro reclamasset omnia rite & pro more Conciliorum ex ordine recenseri ac recognosci volebat; ne clancularium ac velut furtivam absolutionem ex delicti conscientia quæsiisse videretur.

Et sane sanctus hic Episcopus de integritate fidei suæ probandæ, magis sollicitum se esse publice protestabatur, quam ut vel Synodo interesset, vel suæ Ecclesiæ dignitatique restitueretur: *Vere non dico* (ait) *nisi quomodo novi Deo placere: Prius satisfacio vobis, quia neque de civitate cogito, neque honore opus habeo, neque ob hoc adveni; sed quia calumniam passus sum, veni persuadere me esse orthodoxum.*

Hinc non nisi post expositam suam fidem, tandem dixit; quod pluribus indecoris Episcoporum clamoribus erat flagitatum: *Anathema Nestorio, & ei qui non dicit Dei genitricem Mariam, & qui in duos filios patitur unum filium unigenitum*. Addens & hæc: *Ego autem & fidei definitioni subscripsi, & epistolæ sanctissimi & Deo amantissimi Archiepiscopi Domini Leonis; & sic sapio, & post omnia hæc* (dixit) *salvete*.

Hac professione emissa Judices dixerunt: *Omnis jam dubitatio de Theodoreto reverendissimo Episcopo est soluta; quippe & Nestorium coram nobis anathematizavit, & a sanctissimo & Dei amantissimo Archiepiscopo senioris urbis Romæ Leone susceptus est, & definitionem fidei a religiositate vestra prolatam libenter suscepit, & insuper epistolæ memorati sanctissimi Archiepiscopi Leonis subscripsit. Deest igitur ut sententia proferatur a reverentia vestra, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut & sanctissimus Leo Archiepiscopus judicavit.*

Omnes Episcopi clamaverunt: *Theodoretus dignus est Sede Ecclesiæ; orthodoxum Ecclesia recipiat Pastorem: orthodoxum Doctorem Ecclesia recipiat. Archiepiscopo Leoni multos annos. Post Deum Leo judicavit. Populus orthodoxum recipiat dignum sua Sede: Theodoreto Catholico Doctori reddatur Ecclesia.*

Post hæc Vicarii Sedis Apostolicæ sententiam conformem, in favorem Theodoreti pronuntiarunt: in qua dicunt, quod jamdudum Episcopus urbis Romæ Leo eum in *communionem* susceperit; cumque subscripserit epistolæ ejusdem Leonis, atque Nestorium & Eutychem non solum scripto, sed & sub præsentia totius confessus proprio ore anathematizaverit *hoc judicio* (ajunt) *sanctissima & venerandissima Synodus, insuper vero & nostra humilitas reddi ei Ecclesiam propriam definivit.*

Ita judicio Synodi orthodoxus pronuntiatus est, & sede sua dignus Theodoretus, quem Dioscorus expulerat; uti & Liberatus annotavit in Breviario *cap.* 12. de quo ei post solutam Synodum scriptis litteris gratulatus est Leo Papa, scribens *epist.* 93. atque gaudere se ostendit, quod agnoverit per eos, quos ad sanctum Concilium destinaverat, *dilectionem tuam* (ait) *superno adjutorio, nobiscum tam Nestorianæ impietatis, quam Eutychianæ vesaniæ, extitisse victricem.*

Secundo agit Deo gratias, qui nullum se in fratribus detrimentum sustinere permisit: *Sed quæ nostro* (ait) *prius ministerio definiverat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu.*

Hic manifestum est Leonem non dubitasse, quin ipsius de Theodoreto judicium in Synodo discussum fuerit; atque demum Synodi seu *universæ fraternitatis* approbatione *irretractabili assensu*, judicium suum firmatum.

Quare & addit, se nequaquam dolore, aliquos se ejus judicio opposuisse, ne si absque ulla contradictione ab omnibus fuisset probatum, videretur ex assentatione potius, quam ex amore veritatis processum. „ Nam „ (ait) ne *aliarum sedium* ad eam, quam cæteris om- „ nium Dominus statuit præsidere, consensus, *assenta-* „ *tio* videretur, aut alia quælibet subrepere posset ad- „ versa suspicio, inventi prius sunt, qui de judiciis „ nostris ambigerent.

Tandem ei congratulando finit: „ Benedictus Deus „ noster, cujus invincibilis veritas ab omni hæreseos „ macula mundum te, secundum Sedis Apostolicæ ju- „ dicium demonstravit.

Hoc judicium Sedis Apostolicæ non aliud fuisse videtur, quam judicium, quo Leo judicavit Theodoretum, non obstante ejus damnatione in Synodo Dioscori in sua communione retinendum, cujus & Vicarii ipsius Leonis in sententia pro Theodoreto duntaxat meminere: prout late ostendit Quenellus in Dissertatione *de causa Theodoreti*, operibus Leonis subnexa.

Eodem die habita fuit Actio nona, in qua agitata fuit causa Ibe Edesseni Episcopi. Actio nona. Discutitur causa Ibæ Edesseni.

Ibas a Dioscoro in Latrocinio Ephesino depositus, pro sua restitutione obtulerat libellum Imperatori, qui ejus examen & decisionem commiserat Photio Tyriorum, & Eustathio Berythiorum Episcopis.

Hi itaque Episcopi, auditis accusatoribus, & perspectis articulis, quos adversus Ibam Episcopum allegabant, *audientium*, sive Judicum, *ordinem ad modicum relinquentes, & ad sanctarum Ecclesiarum communem utilitatem respicientes, pro Judicibus, pacis mediatores eis partibus seipsos effecerunt*. Acta *col.* 629.

Hi itaque Episcopi causam tamquam *pacis mediatores* composuerant; hujus causæ acta, instante Ibi coram Synodo lecta fuerunt, & quamvis ex iis sat appareret, quod se in omnibus probasset orthodoxum; ex abundanti tamen (inquiunt Synodi Acta) *prædictus religiosissimus vir* (Ibas) *promisit & in suæ civitatis Ecclesia alloqui, & manifeste anathematizare malignæ impietatis Principem Nestorium, & eos, qui sicut ille sapiunt & qui vel libris vel codicibus ejus utuntur.*

Deinde in causæ instrumentis habebatur, quod consensisset concordiæ inter Joannem Antiochenum & Cyrillum Alexandrinum factæ: præterea quod fidem Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam amplecteretur; insuper, quod promisisset oblivisci, nullamque rationem habere eorum, quæ a Presbyteris, aliisve adversus ipsum acta fuerant; sed quod eos omnes ut filios complexurus esset.

Denique promiserat Ibas, quod de cætero res suæ Ecclesiæ secundum formam Antiochenæ Ecclesiæ per Œconomos ex Clero ordinatos, ab ipso gubernarentur.

Actis recitatis, gloriosissimi Judices dixerunt: *Audivit Sancta Synodus, quæ relecta sunt; quid igitur ei videatur, edicat*. Tum petitum fuit a duobus illis Episcopis, qui Ibam *decreto proprio inculpabilem & ab omni accusatione liberum declararunt*, edicerent, *si propriam sententiam recognoscant*.

Qui cum eam pro sua agnovissent, Vicarii Sedis Apostolicæ dixerunt, ut Synodus declarare dignaretur, *de statu Ibæ quid videatur*. Tacentibus autem omnibus Episcopis, Judices dixerunt: *Subsequente die suam sententiam sanctissima Synodus efficiet manifestam.*

Die igitur subsequente, rursus habitus fuit Patrum consessus, qui Actio *decima* Concilii communiter dicitur; ibi lecta fuere acta Synodi Berythensis, in qua Ibas de multis excessibus, iisque admodum enormibus accusatus fuerat. Actio decima. Ibas ut orthodoxus admissus, suæque Ecclesiæ restitutus.

Cumque multa essent puncta, dixere Episcopi ad accusatores: *Ex capitulis a vobis oblatis, tria sane sunt gravissima, & facilius quam alia coargui possunt. Hæc igitur si probare potestis . . . propria lingua testamini*. At cum se viderent probatione destitui, unus eorum effugium quærens, dixit: *De fide movemus prius, & alia capitula post movemus*. Episcopi reposuerunt: *Si propo-*

sui-

ſuimus vobis , ut horum trium Capitulorum probationi inſtetis, non ex hoc inquiſitionem negavimus reliquorum. Accuſator dixit : *Capitulum de fide movemus prius .* Hæc audientes Epiſcopi petierunt : *Quid habes de fide movere ?* Tum accuſator articulum protulit. *Alloquens* (Ibas) *dixit : Non invideo Chriſto facto Deo ; in quantum enim ipſe factus eſt , & ego factus ſum .* Verum Ibas mox dixit : *Anathema ei , qui dixit & ei qui calumniatur ; ego enim non dixi , abſit .*

Cum autem accuſatores ejus dicerent , quod teſtes ejus rei exiſterent , rurſum dixit Ibas ; *Decies millies ego ſecari patior , quam dicere hoc verbum : Abſit a me hoc vel cogitare .*

Poſtquam accuſatores multa dixiſſent , ſed nullam poſsent probationem proferre , tandem ad aliud punctum accuſationis dilapſi ſunt , dicentes , Ibam quemdam Clericum increpaſſe , quia dixiſſet , quod *vita mortua eſt .*

Dixit Ibas , quod eum non increpaſſet, ſed dumtaxat interrogaſset : *Amice , quomodo dixiſti , vita fuiſſe mortuam ? Divinitatem dicis , an carnem Dei vivificantem dicis ? Etenim vita eſt, & vivificans . Et ſic credo & confiteor ore meo , ſicut juſſit ipſe Deus , quia ore ſit confeſſio ad ſalutem .*

Dum adverſus hoc Ibæ reſponſum nihil ſolidi adferre poſſent ejus accuſatores , alium accuſationis articulum arripuerunt , nimirum , quod damnaſset & anathematizaſſet S. Cyrillum Alexandrinum ; eumque hæreticum vocaſſet . Reſpondit Ibas , fatendo, quod antequam Orientales cum Cyrillo compoſuiſſent , ipſeque ſua Capitula fuiſſet interpretatus, illum uti cæteri Orientales, tamquam hæreticum habuiſſet . „ At poſtquam ſua Capitula interpretatus eſt , tantum abeſt (*ait*) ut eum „ virum anathematizaverim , ut etiam litteras ab eo „ acceperim , & litteras ei miſerim , & communicatorem me habuit , & communicatorem eum habui .

Cumque multoties Epiſcopi urſiſſent accuſatores , ut probarent Ibam anathema dixiſſe Cyrillo etiam poſtquam Orientale Concilium eum ut Catholicum ſuſcepiſſet , adducta fuit epiſtola Ibæ ad Marim Perſam ; ſed quæ nihilo-magis probabat . Condemnabat quidem in ea Capitula S. Cyrilli adverſus Neſtorium, tamquam *omni impietate plena ;* ſed probat & laudat unionem Orientalium cum Cyrillo : adeoque patebat , quod Cyrillum, aut ejus Capitula non damnaſſet , poſt datam a Cyrillo explanationem , quam Orientales receperant .

Poſt hæc & ipſe Ibas petiit prælegi litteras a Clero ſuo datas ad Epiſcopos Photium & Euſtathium , quibus exponunt quod a multis atque diverſis de Phœnice advenientibus cognoviſſent , multa objici ipſorum Epiſcopo Ibæ , eaque etiam , *quæ tranſcendunt & illorum , qui ſine Deo ſunt , & infidelium , & Hæreticorum , & Judæorum & Paganorum auditum ; quia* (aiunt) *nobis præſentibus dixiſſet idem Deo amatiſſimus Epiſcopus noſter : Non invideo Chriſto facto Deo, quoniam & ego , ſi volo , poſſum fieri ſecundum illum , & omnes nos* (ut dicunt) *audiviſſe .* Dicunt autem , ſe nec ab illo , ac ullo alio tale unquam dictum audiviſſe, *anathematizantes* (ajunt) *noſmetipſos , & terribili gehennæ noſmetipſos obnoxios facientes , ſi novimus aliquid tale dictum ab eo , aut aliud aliquid contrarium Catholicæ fidei .*

Poſt hæc rogant Epiſcopos , ut Ibæ Epiſcopo ſuadeant , *quatenus velociter ad ſuum gregem reverti feſtinet , qui periclitatur ab omnibus lacerari , cum nullus ſit qui ei adeſſe prævaleat , & maxime* (ajunt) *feſtivitate ſalutifera ſancti diei Paſchalis imminente , in qua & propter catechiſmos , & propter eos qui digni ſunt ſancto baptiſmate , opus eſt ejus præſentia .*

His omnibus relectis , Judices dixerunt : *Ea quidem , quæ relecta ſunt , clarent : ut autem nihil deſit juſte iudicare debentibus , relegantur quæ in Epheſo in ultimum de Iba reverendiſſimo Epiſcopo geſta ſunt .* Reſponderunt Vicarii Sedis Apoſtolicæ , quod *Synodus illa proferri non poſſit , in qua illa nefaria delicta relecta ſunt , & ob hoc ad lectionem videri ſuperflua ea , quæ ibi ſunt acta .* Adjunguntque neceſſarium eſſe, ut rurſum adeatur Princeps, *quatenus illud Concilium ſacra & pia lege neque nominari præcipiat .* Vicariis Sedis Apoſtolicæ conſenſit Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus declarans , nihil valere eorum , quæ in hoc pſeudo-Concilio Epheſino acta ſunt , præter ordinationem Maximi Epiſcopi Antiocheni , quoniam *Leo Romanus Archiepiſcopus in communionem eum recipiens , præeſſe eum Antiochenſium judicavit Eccleſiæ .* Dein deprecatur piiſſimum Imperatorem , *quatenus & pia lege ſanciant , neque Synodum illam , quæ poſt primam in Epheſo facta eſt , nominari , neque quidquam , quod in ea actum eſt , tenere .* Subſcripſerunt & reliqui Epiſcopi .

Poſt hæc , cauſam Ibæ reſumentes , tandem a Vicariis Sedis Apoſtolicæ prolata eſt ſententia , qua Ibas *innoxius* declaratur ; atque *relecta eius epiſtola , recognitum fuiſſe orthodoxum , & ob hoc & honorem Epiſcopatus , & Eccleſiam , a qua iniuſte & abſens expulſus eſt , ei reſtituendam.*

Simile de ipſo judicium tulit Anatalius , ac dein reliqui Epiſcopi ; aliqui ſcripto ſententiam proferentes : reliqui acclamando cum hac tamen clauſula : *Neſtorium modo anathematizet : Eutychem & eius dogmata modo anathematizet .* Mox Ibas ad has voces dixit : *Et jam in ſcripto anathematizavi Neſtorium eiuſque dogma , & nunc anathematizo eum decies millies . Quod enim ſemel cum ſatisfactione fit , ſi fiat decies millies non contriſtat . Anathema & ipſi Neſtorio , & Eutychi , & unam dicenti naturam , & omnem eum , qui non ſapit , ſicut hæc ſancta Synodus , anathematizo .*

Denique Judices judicium Synodi de abſolutione Ibæ probarunt , volentes , ut *quæ de eo judicata ſunt , propriam vim retineant .*

Conformiter ad hæc acta ſcribit Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* 13. quod *Ibæ epiſtola ad Marim Perſam ſcripta , in hac Actione orthodoxa pronuntiata monſtratur : ex eius tenore dignus ſit judicatus Ibas Epiſcopatum , ſuamque Eccleſiam recipere .*

Cum autem in locum Ibæ Nonnus ordinatus fuiſſet Edeſsenorum Epiſcopus : relictum eſt judicio Maximi Antiocheni , ſub cujus Patriarchatu erat Eccleſia Edeſſæ , ut ſtatuat , prout melius ei videbitur . Judicium autem Maximi fuit , ut Nonnus *maneret in eadem Epiſcopatus dignitate , quoad ſimul* (ait) *cum Dei amatiſſimis Epiſcopis eiuſdem Diœceſis meæ , de ipſius ordinatione deliberem .*

§. XII.

Actio de Domno Antiocheno .

IN editione Conciliorum generalium per Labbæum , ad calcem Actionis decimæ adjungitur ſpecialis Actio ſeu ſeſſio de Domno Patriarcha Antiocheno . Actio ſuppoſititia de Domno Antiocheno .

Brevis admodum eſt , nec hactenus in ullo codice græco reperta . Eam Petrus Crabbe ſe reperiſſe dicit in manuſcripto codice Patrum Juliæ , tranſcriptam ex codice vetuſto chartaceo , & dicitur ipſa fuiſſe Proculi & Albini Germanorum Scholaſticorum , uti monuit Petrus , Crabbe , & poſt eum Labbæus *to.* 4. *Concil. col.* 682.

In hac Actione ſcribitur comparuiſse Maximum Epiſcopum Antiochenum , qui deprecabatur ſanctam Synodum , ut humanitatem in Domnum , qui fuit Antiochiæ Epiſcopus , exercere dignaretur , *& ſtatuere* (ait) *ei certos ſumptus de Eccleſia , quæ ſub me eſt .*

Huic Maximi poſtulato reſponderunt Vicarii Sedis Apoſtolicæ per Paſchaſinum : *Sanctus & beatiſſimus Papa* (Leo) *qui Epiſcopatum ſancti ac venerabilis Maximi Epiſcopi Antiochenæ Eccleſiæ confirmavit , juſto ſatis judicio ejus meritum approbaſſe videtur ; ſi quidem memoratus reverendiſſimus Epiſcopus Maximus ſuo arbitrio Domno voluerit eſſe conſultum , ut ſumptus ei de ſua Eccleſia , miſerationis intuitu prout æſtimaverit , largiatur ; ut contentus alimoniis quieſcat in poſterum .*

Anatolius affectus compaſſionis Maximi in Domnum laudavit , ac preces ejus ſuſcepit , quibus ſpontanea voluntate ipſe obtulit , ut *ſumptus præſtaret Domno , qui fuit Epiſcopus Eccleſiæ ſanctæ , quæ ſub eo eſt , præter hoc prædicto* (Domno) *nihil requirente .*

Applauſit Synodus ; applauſere & Judices ; qui audita ſententia Synodi dixerunt : *Et nos eidem conſentimus , eius arbitrio derelinquentes quæ ſunt de Domni honorificentia* : Et ita Actio hæc finita dicitur .

Ut recte intelligantur , quæ tum hac Actione , tum præcedenti de Domno , & Maximo dicta ſunt , quæque materiam copioſam ſuppeditarunt exercendi eruditorum ingenia , & calamos ſtringendi , quædam prænotanda ſunt .

Primum , quod Domnus ex civitate Antiochena oriundus , Joannis Patriarchæ Antiocheni ex ſorore nepos, fuerit juvenis receptus , in Monaſterio S. Euthymi , uti in hujus vitæ ſcribitur *c.* 41. ex editione Joannis Baptiſtæ Cotelerii *to.* 2. *monumentorum Eccleſiæ Græcæ .*

Auctor *cap.* 76. narrat , quod *Domnus* cum audiſſet , Joannem avunculum ſuum & Patriarcham Antiochenum eſſe inductum , ut eadem ſentiret cum Neſtorio , reſolverit , deſerto Monaſterio eum adire . Reſolutionem ei diſsuaſit Euthymius dicens : „ Si quidem in quo „ vocatus es loco , in eo uſque ad finem permanſeris , „ proficies , & gloriam conſequeris ; gloriam nempe „ veram , & ſecundum Deum , quæque numquam excidit . Quod ſi hæc neglexeris , & contemptis perſeverantiæ cogitationibus a Laura diſcederet tentaveris , „ obtinebis quidem dignitatem & principatum avunculi „ tui : verum rurſus tibi auferetur a malis & præſtigiatoribus hominibus ; cum per illos prius ſeductus „ fueris ignoratione.

Quidquid ſit de veritate hujus prædictionis , conſtat equidem ea ei accidiſſe , quæ ipſi ab Euthymio prædicta narrantur .

Conſtat enim Domnum , poſtquam deſerto Monaſterio ad avunculum perrexit , ei in Epiſcopatum Antiochenum ſucceſſiſſe ; atque in pſeudo-Epheſina Synodo per Dioſcorum fuiſſe depoſitum , poſtquam prius per eumdem ſeductus , depoſitioni Flaviani , & aliorum Epiſcoporum Orthodoxorum ſubſcripſiſſet , uti ſupra §. 14. ex Liberato , & actis ipſius pſeudo-Synodi notavimus .

Addit autem citatus auctor vitæ S. Euthymii *cap.* 57. quod Domnus „ videns omnia , quæ ei prædicta ab Euthymio effectum eſſe ſortita , ille magna ductus poſtmodum pœnitentia , quod non obediiſſet , ad ipſum

(Eu-

(Euthymium) reversus sit „ gravi dolore visceribus „ cruciatus, & amare plorans.

An apud Euthymium in monasterio, vel eremo usque ad finem permanserit Domnus, atque ibidem defunctus sit, incertum est.

Hoc constat, quod Justinianus Imperator crediderit, Domnum Episcopum Antiochenum obiisse ante celebratam Synodum Chalcedonensem: nam in prolixo scripto, quod inscribitur: *Confessio rectæ fidei Justiniani Imperatoris adversus tria Capitula, & universo cœtui catholicæ & apostolicæ fidei Ecclesiæ directo*, legitur: *Sancta Chalcedonensis Synodus, Domnum Antiochiæ Episcopum* post mortem *condemnavit, quod solum ausus est scribere oportere tacere duodecim Capitula Cyrilli.*

Nec Imperator duntaxat, ejusque administri, quorum opera in hoc negotio utebatur, sed & ipsa universalis Synodus V. in eadem sententia fuit; ut scribitur sub finem collationis sextæ. „ Chalcedonensis Synodus (in„quit) Domnum Antiochiæ Episcopum, eo quod scri„psit debere taceri duodecim capitula sanctæ memo„riæ Cyrilli, *post mortem* condemnavit, cum confir„masset condemnationem ejus, & suscepisse Maximi „ ordinationem.

Evidens est, etiam Synodum hanc universalem credidisse, quod tempore Synodi Calcedonensis *mortuus esset* Domnus Antiochiæ Episcopus.

Hinc ulterius concluditur, nec Justiniano, ejusve administris, neque hujus Synodi quintæ Patribus notam fuisse, hanc de *Domno* Actionem. Si enim nota fuisset, nequaquam sine manifesto ac formali mendacio dicere potuissent, eum a Synodo Chalcedonensi *post mortem* fuisse damnatum: quandoquidem ex ipsa actione constitisset, ipsi non *ut mortuo*, sed *ut viventi* alimenta seu sumptus a Maximo oblata esse; atque per Vicarios Sedis Apostolicæ Synodo fuisse relatum, quod " Episcopus Maximus suo arbitrio Domno vo„luerit esse consultum, ut sumptus ei de sua Eccle„sia miserationis intuitu, prout æstimaverit largia„tur: ut contentus alimoniis quiescat in posterum". Hancque Maximi oblationem laudavit Anatolius Constantinopolitanus Episcopus, ut habet Actio.

Vix autem credibile est, hanc Actionem Justiniano, ejusque ministris, quin & universis Patribus Synodi V. potuisse fuisse ignotam, si eo tempore inter Actiones vel acta Synodi Chalcedonensis recensita esset.

Scitur enim omnes, tum temporis circa acta hujus Synodi fuisse occupatos; nihilque fuisse intermissum, quod ad exactam gestorum in illa Synodo notitiam assequendam conducere posset. Illius inquam Synodi, cujus unius gratia totam Ecclesiam commovebant defensores *trium Capitulorum*; contendentes per horum condemnationem, ut minus enervari auctoritatem Concilii Chalcedonensis.

Actionem hanc quoque ignorasse Liberatum Diaconum verisimile est. Licet enim sat accurate Synodi Chalcedonensis gesta recitet, atque accuratissime *cap.* 13. sui Breviarii, tam actiones, quam sessiones, in Synodo habitas, recenseat, nullibi tamen hujus Actionis de Domno habitæ meminit, aperteque scribit *capite* 14. in *duodecim* secretariis, & *sexdecim* Actionibus, Concilium fuisse expletum: quæ tamen *septemdecim* fuissent, si ei innotuisset hæc de Domno Actio.

Præterea Evagrii, qui sub idem tempus scripsit, temporibus notam non fuisse hanc Actionem, non obscure probatur ex eo quod scribit *lib.* 1. *hist. cap.* 10. ubi de Episcopis a pseudo-Synodo Ephesina depositis agens, ait, *Abdicatur etiam ab aliis Theodoretus Episcopus Cyrenensis; & Domnus quoque Ecclesiæ Antiochiæ Antistes de quo quid postea factum sit, non constat.* Sane si Evagrio innotuisset hæc Actio, ipsi indubie constitisset, quid de Domno postea factum esset.

Præterea hæc actio de *Domno* inter omnes alias Actiones Concilii Chalcedonensis, latine tantum edita reperitur, græce autem nusquam apparuit, uti notavit Quenellus in dissertatione nonna ad opera S. Leonis, qua prædictis, aliisque pluribus eisdem solidissimis argumentis ostendit, hanc de Domno Actionem esse omnino fictitiam, ab aliquo latino impostore reliquis sinceris Actionibus hujus Concilii assutam. (*a*).

Scio unum, Stephanum Baluzium in præfatione ad acta Concilii Chalcedonensis, quæ novæ collectioni Conciliorum a se adornatæ inserta est, velle hanc Actionem contra Quenelli objectiones, ut genuinam vindicare. Verum si quis non nihil attentius argumenta a Quenello proposita, eorumque vim expenderit, facile videbit nihil solidi a Baluzio iis opponi; nec argumentis Quenelli satisfieri, ut proinde hæc actio primum per Petrum Crabbe Actionibus hujus Concilii adjecta, reputanda sit recentiore manu adornata.

§. XIII.

Actio XI. & XII.

Actio undecima. Disceptatio inter Bassianum & Stephanum super Episcopatum Ephesiorum.

Die 29. Octobris celebrata est actio undecima, in qua agitata fuit controversia inter Bassianum & Stefanum super Episcopatu Ephesiorum.

Prætendebat Bassianus se legitime fuisse ordinatum Episcopum Ephesiorum, & per quatuor annos pacifice eumdem Episcopatum possedisse; ac dein violenter, & sine ullo juris ordine expulsum; maxime opera ipsius Stephani, qui seipsum in eam sedem tum intruserat.

Stephanus autem ex adverso dixit: *Iste neque ordinatus est in Epheso, sed vacante sancta Ecclesia, colligens seditiosorum turbam cum gladiis, & alii quibusdam arenariis* (id est gladiatoribus, qui in *arena* depugnant, uti notatur apud Labbæum) *superingressus est, & sedit ibi.*

Pergebat Stephanus: *hoc ergo expulso secundum Canones, & projecto, ut merebatur, me quadraginta Episcopi Asiani, suffragio & nobilium & plebis, & totius reverendissimi Clerici, & omnis civitatis, ordinaverunt.*

Hic obiter notanda forma primitus in electione & ordinatione Episcoporum servari solita.

Hisce Stephanus dictis reposuit Bassianus: *Noli me circumvenire. Ego & canonice factus sum Episcopus, & ostendo hoc, & a nullo depositus sum, nec accusatus ab aliquo, neque culpatus.*

Addit præterea quod in juvenili ætate fundaverit Hospitale, & in eo posuerit septuagincta lectos; omnesque languentes & ulceratos hospitio susceperit. Quod his Memnon Ephesiorum Episcopus *invideret, quoniam* (ait) *diligebar ab omnibus*: quod propterea Memnon nihil non egerit ut ipsum civitate expelleret; ideoque ordinaverit ipsum Episcopum Evazorum. *Ego autem* (ait) *non acquiescebam, sed ab hora tertia usque ad sextam coram altari me plagis afflixit, & sanctum Evangelium, & altare sanguine est impletum.* Deinde asserit, se sic mansisse Ephesi; nec unquam Ecclesiam Evazorum voluisse suscipere, nec eam penitus vidisse.

Mortuo autem Memnone, Basilius ejus successor *evocans Concilium Provinciæ, & agnoscens ab eis violentiam quam fueram passus* (inquit): *& quoniam machinatio fuerat, alium in illa civitate* (Evazorum) *ordinavit Episcopum, mihi vero reddidit communionem & locum Episcopatus.*

Pergit dein referre, quod Basilio Episcopo Ephesiorum defuncto, ipsum *cum multa necessitate & vi intronizaverunt in eadem civitate Ephesi populus, Clerus, & Episcopi, quorum unus Episcopus Olimpius hic est*, inquit.

Addidit quod & Imperator ordinationem suam confirmaverit, & hoc *continuo commonitorium aperte declaraverit, confirmans Episcopatum.*

Dein asserit se venisse Constantinopolim, atque ibidem communicasse Proclo Episcopo; ab eoque obtinuit & *Synodicam* directam *civitati, Episcopis & Clericis*. Tum subdit: *Mansi itaque sic quatuor annis, ita ut decem Episcopos ordinarem, & multos Clericos.*

Narrat post hæc; quod cum in pace degeret: *Missas celebrassent omnes simul, & post missas manus injicientes incluserunt me* (ait, *& cum vi abripuerunt pallium Sacerdotii mei, & omnia bona mea, & sumentes unum ex ipsis hunc Stephanum, fecerunt eum Episcopum.*

Stephanus replicuit, quod Bassianus fuisset expulsus a Sanctis Patribus, id est per Synodum consentientibus Leone Episcopo Romano, Flaviano Constantinopolitano, & Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, eo quod ipse Ecclesiam subintrasset *eum gladiis & arenariis, & aliis quibusdam*. Quod insuper Imperator misisset Eustachium *primicerium silentiariorum, ut cognosceret inter eum & Clerum & pauperes, qui ab eo injustitiam fuerant passi*, quodque ibi Eustathius *tres menses exegerit cognoscendo*: quæ autem apprehendit manifesta fecit, *& Clericis & pauperibus manifesta sunt*, inquit. Concludebatque: *subintravit ibi, hodie quatuor anni sunt; & Romanus Episcopus eum deposuit, & Alexandrinus eum damnavit.*

His dictis, gloriosissimi Judices dixerunt: " Confite„ris reverendissimum Bassianum quatuor annis obti„nuisse sanctam Ephesiorum civitatis Ecclesiam, ve„lut Episcopum. Respondit Stephanus; velut tyran„nus, non ut Episcopus. Quomodo enim obtinere „ poterat, qui per manus impositionem constitutus non „ est, sed cum gladiis est ingressus, & sedet ibi.

Cum autem contra Cassianum urgeretur, quod ordinatus esset Evazorum Episcopus, & consequenter Ecclesiam Ephesiorum occupare non potuisset, respondit: *Evazorum ego neque unquam factus sum, neque profectus illuc, sed vim passus, denominatus sum Episcopus. Canones manifesti sunt. Dicant Patres, si præjudicium est ordinari, nec proficisci.*

Stephanus mox petiit relegi *Canones qui dicunt, ut is, qui in alia civitate ordinatus est, constitui non possit in altera.*

Tunc

(a) Tom. III. suorum operum *part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 11. *cap.* 4. *num.* 6. hujus editionis præsupposuerat noster Auctor hanc de Maximo & Domno actionem ut certam, sed ad apices artis criticæ factum illud nondum revocaverat, uti eo loci ejus auxilio actionem hanc mature discussit.

Tunc Leontius ex Codice religit Canonem XVI. & XVII. *Antiochenum*, qui in Codice annotati erant ſub *nu. 95. & 96.* de quo vide dicta ſupra *Tom. VI. part. 1. differt. 4. §. 1. & 2.*

Cum autem Baſſianus dixiſſet, Olympium Epiſcopum in Synodo præſentem, fuiſſe unum e ſuis ordinatoribus, juſſus eſt Olympius Synodum edocere, quæ geſta eſſent.

Hic declaravit, quod per obitum Baſilii vacante Epheſiorum Eccleſia, rogatus eſt ab ejuſdem civitatis Clericis, ut canonice ordinationem novi Epiſcopi faceret; quod poſtulatis annuens, Epheſum venerit, credens ibi plures alios Epiſcopos adventuros. Sed poſtquam per tres dies ibidem in quodam hoſpitio ſubſtitiſſet, nullus Epiſcoporum venit; tandem venientes quidam Clericis dixerunt: " Alii Epiſcopi non ſunt ,, hic, quid facto eſt opus? Dicebam ego (*ait*) ſolus ,, quid poſſum facere? Quoniam extra rationem Ca,, nonum eſt, ſolum Epiſcopum diſponere Eccleſiam, ,, & Maxime tantæ Metropolis ". Cum ergo hæc lo,, querer mecum, circumdedit manſionem, in qua ,, eram, innumera multitudo: & neſcivi ubi eſſem, ,, & coram tanta poteſtate; & coram altari, quidam ,, enudans gladium Holoſericus nomine, qui puto, & ,, Comitianus eſt, venit & ipſe & omnis multitudo, ,, & portantes me profecti ſunt in Eccleſiam. Et ita ,, cum ducentis aut trecentis hominibus & me ipſum ,, levaverunt ad ſedem, & inthronizatio celebrata. ,, Uſque ad hoc, quemadmodum factum eſt novi.

Baſſianus ad hanc Olympii relationem excandeſcens, dixit; *Mentitus eſt*. Tum Judices interlocuti interrogarunt Clerum Conſtantinopolitanum, ſi Proclus Epiſcopus ſuſceperit Baſſianum, & communicaverit ei tamquam Epiſcopo Epheſiorum Metropolis: Theophilus autem Presbyter, cui omnes Clerici Conſtantinopolitani conſentiebant; dixit: " Ut coram Deo, & ,, ſuſcepit eum ſanctæ memoriæ Proclus communican,, tem, & ſynodalibus litteris honorans dimiſit eum ,, ad Epheſum, & in diptychis poſuit ejus nomen, & ,, recitabatur uſque ad modicum adhinc tempus.

His auditis Judices interrogaverunt Stephanum, *quemadmodum noviſſet Baſſianum ab Epiſcopatu remotum, & ſi ipſe per Synodum ordinatus eſt*. Reſpondit quod jubente Imperatore Theodoſio informatio fuiſſet capta, & relatio facta ab Epiſcopo Alexandriæ, & litteræ quoque a Papa Romano ſcriptæ, quatenus iſtum eſſe non oportet Epiſcopum, & manifeſtæ ſunt litteræ. *Jubete* (ait) *venire Notarios, ut declaretur quomodo remotus eſt, & quomodo eſt rejectus, & quomodo ego ſum ordinatus. Nos propter fidem venimus. Numquid ergo ſciebam, quoniam hoc potuiſſet emergere? Semel finem accepit cauſa.*

Baſſianus his auditis de violentia ſibi illata rurſus alte conqueſtus eſt: dixitque, Stephanum ipſi communicaſſe tamquam Epiſcopos *quatuor* annis; quodque ipſum tribus menſibus tenuerint incluſum: *Epiſcopi autem* (ait) *qui a me ordinati ſunt, ipſi & hunc* (Stephanum) *ordinaverunt Epiſcopi dum eſſem incluſus*. Dein ex his concludebat: *Si non ſum ego Epiſcopus, neque illi, qui a me ſunt ordinati, eſſe debent Epiſcopi, neque Clerici.*

Poſt hæc auditi ſunt Clerici Epheſini, qui depoſuerunt maximas & horribiles violentias Baſſiano fuiſſe illatas: dixeruntque Epiſcopi, qui ſub Metropoli Epheſiorum erant conſtituti, quod reliqui Epiſcopi ipſos obſtrinxiſſent, ut dicerent, quod noviſſent in veritate, *& ad pietatem tendere*; hoc eſt ad pacem, adeoque ut Baſſianus cederet *pacis cauſa*, tamen ad id induci non poſſent, *quoniam quatuor annis operatus eſt in Sede ſine contentione, ſine contradictione, & ordinavit decem Epiſcopos, & Clericos multos, & communicavit ei, qui nunc eſt Epiſcopus Stephanus, cum eſſet ejus Presbyter, & omnes reliqui Clerici. Et quomodo poſſibile eſt nunc Baſſianum expelli præter conſequentiam regularem, cum præcipue beatiſſimus Proclus regiæ Conſtantinopolis Epiſcopus ei communicaverit, & per Synodicas litteras firmaverit ejus Epiſcopatum.*

Hiſce aliiſque a Clericis Epheſinis in favorem Baſſiani relatis, Epiſcopi ipſi favere videbantur, clamantes: *Juſtitia Baſſianum vocat. Regulæ valeant*. At glorioſiſſimi Judices dixerunt: *Nobis quidem videtur, neque Baſſianum reverendiſſimum dignum exiſtere, ut ſit Epheſiorum civitatis Epiſcopus, quoniam ex invaſione violenta Epiſcopatum ſibimet vendicavit, neque Stephanum reverendiſſimum Epiſcopum, qui per conjurationes & tales adinventiones Epiſcopatum ſibimet acquiſivit; juſtum vero eſſe, ut eligatur alius, qui & fidem integre ſciat, & vita noſcatur ornatus, ut eſſe poſſit Epiſcopus.*

Sed ne viderentur ſibi auctoritatem judicandi de negotiis Eccleſiaſticis aſſumere, addiderunt: *Totum autem Concilio ſancto relinquimus; quatenus ſententiam, quæ in hac cauſa fuerit viſa, depromat*. Synodus Judicibus conſentiens, acclamavit: *Hæc juſta ſententia eſt: hoc Dei judicium.*

Dein nominatim ſententiam probarunt Vicarii Sedis Apoſtolicæ: ac poſt ipſos Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, hæc inſuper addens: *Dabitur autem Epheſiorum Metropoli Epiſcopus a Deo monſtratus, & ab omnibus, qui paſcendi ſunt, eligendus ad ordinationem illius Epiſcopatus, qui & recte prædicet verbum veritatis: memoratis ſcilicet dignitatem tantummodo Epiſcopatus habentibus, & communionem neceſſariaque ſalaria, quæ a ſanctiſſima hac conſequenter Eccleſia.*

At Epiſcopi Aſiani ſe oppoſuerunt, petieruntque ut ſibi *clementia condonetur. Nam ſi Baſſiano ſucceſſorem ſuadeat aliquis hic ordinari, & filii noſtri moriuntur, & civitas deperit*. Tum Judices dixerunt, *quoniam ſecundum voces ſancti Concilii, neque Baſſianus, neque Stephanus digni ſunt, qui in Epheſiorum civitate ſint Epiſcopi*. Aſiani autem Epiſcopi hic reperti dixerunt: *Si hic ordinetur alter Epiſcopus, Epheſiorum conturbari civitatem: dicat ſancta Synodus, ubi volunt Canones Epiſcopum Epheſinæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ ordinari.*

Super hac propoſitione contentio inter Patres exorta fuit; Aſianis contendentibus, Epiſcopum Epheſinum eſſe ordinandum in Provincia: Conſtantinopolitanis vero prætendentibus, ordinationem in *Epheſo* Epiſcopo Conſtantinopolitano competere; clamaverunt Clerici Conſtantinopolitani: *Ea quæ ſanctorum Patrum centum quinquaginta ſunt, teneant: privilegia Conſtantinopolis ne depereant. Ordinatio ſecundum morem ab Archiepiſcopo noſtro fiat.*

Clerici Conſtantinop. prætendunt ordinationem Epiſcopi Epheſini Conſtantinopolitano competere.

Judices hujus quæſtionis gravitatem attendentes dixerunt: Perſpicimus quia hic deliberatione opus habet ſanctum Concilium, de ordinatione Epiſcopatus Epheſinæ Eccleſiæ. Unde ſi videtur, cras hoc perfectius diſponatur.

Et ſic in diem ſequentem deciſio cauſæ dilata fuit, habitaque *Actio 12.* in qua hujus cauſæ facta eſt proſecutio.

Actio duodecima

Judices primum expoſuerunt, quod ſollicitudo neceſſaria Reipublicæ negligatur, dum ipſi in ſancto Concilio *propter fidem* continuo occupari, ab Imperatore erant juſſi: quapropter hortantur Patres, " velocem ,, quæſtionibus ſolutionem imponere feſtinent: *Dicatque Concilium*, ſi quid amplius deliberavit de ſanctiſ,, ſima Epheſiorum Eccleſia; utrum alium ei Epiſco,, pum oporteat ordinari, an certe Baſſianum reve,, rendiſſimum recipere Epiſcopatum, an Stephanum ,, reverendiſſimum Epiſcopum eſſe. Omnia enim, quæ ,, ad eos pertinent, ſicut novit eadem ſancta Syno,, dus, heſterno die ſufficienter examinata noſcuntur. *Tunc primum Anatolius pronuntiavit, ſibi placere*, ,, ſi etiam ſancto Concilio videtur, neutrum horum ,, illius eſſe civitatis Epiſcopum, ſed alium debere or,, dinari, eo quod præter Canones ſibimet Epiſcopa,, tum uſurparunt: habere autem eos & a ſancta pa,, ſcendos Eccleſia. *Ita editio Labbæana; ſed uti recte monet Stephanus Baluzius, hæc editio hoc loco mutila eſt. Superiores editiones habent*: " Habere autem ,, eos & dignitatem Epiſcopatus, & a ſancta paſcen,, dos Eccleſiæ.

Indubitatum videtur quod in editione Labbæana ſit error, forſitan Typographorum; uti patet ex altero reſponſo ejuſdem Anatolii, quo hoc ſuum reſponſum renovat.

Poſt Anatolium Vicarii Sedis Apoſtolicæ ſinguli ſuam protulere ſententiam, ſed ita ut appareret Judicibus, non dari perfectam de hac cauſa reſponſionem: unde interloquentes voluerunt, ut " venerabile & immacu,, latum Evangelium in medio proferatur. Et allato ,, ſanctiſſimo Evangelio in medio, *Judices* propoſitis ,, ſanctis Evangeliis *adhortati ſunt Patres*, neque duo,, rum (*de cathedra Epheſiorum contendentium*) quem,, quam lædere, ſi forte quiſquam eorum dignus eſt, ,, ut in memorata ſanctiſſima Eccleſia Epiſcopatum de,, beat obtinere; ſive ſi uterque indignus eſt declarare.

S. Evangelium in medio Synodi.

Anatolius primus rurſus ſententiam dicens, in ſua perſtitit opinione, nimirum " ut neuter eorum ſit E,, pheſiorum civitatis Epiſcopus, ſed alius ex electione ,, omnium, qui paſcendi ſunt ordinetur ad gubernan,, dum Epiſcopatum, eo quod ambo præter regulas ,, ſibimet Epiſcopatum uſurpaverint: habere autem eos ,, & dignitatem Epiſcopatus, & communionem, & ab ,, Eccleſia paſcendos.

Hic obſerva quomodo ad electionem & ordinationem ſui Epiſcopi ſive Paſtoris concurrerent qui ab ipſo erant *paſcendi*, id eſt *populus* ei ſubjectus.

Epiſcopus a Clero & populo eligendus.

Poſt hæc Vicarii Sedis Apoſtolicæ, pluresque alii Epiſcopi ſingulatim ſua protulere judicia, quorum aliqua videbantur non nihil a ſententia Anatolii diſcrepare: quare Judices propoſuerunt, an placeat propoſitio Anatolii ſupra expreſſa, & mox Synodus exclamavit, hæc pia interlocutio. *Hæc ſecundum regulas eſt*.

Hinc Judices tandem pronuntiarunt, quod cum ſententia Anatolii, & Paſchaſini locum obtinentis Leonis Archiepiſcopi ſenioris Romæ, placeat omnibus Epiſcopis, *removebuntur quidem a ſancta Epheſiorum Eccleſia Baſſianus & Stephanus reverendiſſimi, habeant autem dignitatem Epiſcopi, & ex reditibus memoratæ ſantiſſimæ Eccleſiæ, nutrimenti gratia & conſolationis, annis ſingulis ſolidos aureos ducentos* (a) *accipiant; alter vero ſe-*

Baſſianus & Stephanus removentur ab Epiſcopatu quoad curam, aſſignata eis penſione,

(a) Illuſtris Antonius Godæus Venciensis Epiſcopus, *Hiſt. Eccleſ.* 2. p. 333. arbitratur quod ducenti ſolidi aurei tantundem valere poſſint, quantum ducenti ducatus; porro tempore Godæi id eſt circa medium ſæculum XVII. ducatus æquivalebat ſex libris cum quatuor aſſibus monetæ franciæ.

vo secundum regulas ejusdem santissimæ Ecclesiæ Episcopus ordinabitur.

Nihil hic a Judicibus actum sive pronuntiatum, quod prævie non erat a Patribus conclusum & judicatum, hoc uno excepto, quod ipsi Judices summam annuam pensionis utrique ex reditibus Ecclesiæ Ephesiorum subministrandam determinaverint *ad ducentos solidos aureos annis singulis*; cum Patres duntaxat generalibus & illimitatis terminis dixissent *eos ab Ecclesia Ephesiorum nutriendos*. (*a*).

Habemus hic exemplum *pensionis canonicæ*, quæ *pacis* causa annuitur; sed quo nostra ætate multi enormiter abutuntur, uti latius ostendi in Dissertatione Canonica de *Pensionibus Eccles. Tom. V.*

Bassianus petiit, ut sibi restituantur, quæ sibi erant abrepta; Judices responderunt, quod omnia restituentur *ab his, qui abstulerunt, vel causa læsionis fuerunt*, postquam judicialiter probaverit, sive *post judiciales probationes*.

§. XIV.

Actio XIII.

Actio decima-tertia.

ACTIO hæc a Liberato Diacono jungitur præcedenti; sed in editis codicibus distinguitur, licet eodem die scilicet 30. Octobris fuerit celebrata.

Controversia inter Episcopum Nicomediensem & Nicænum super jure Metropolitico in quasdam Ecclesias.

In hac Actione seu potius in hoc consessu, agitata & decisa fuit lis inter Eunomium Nicomediensem, & Anastasium Nicænum Episcopos.

Querebatur Eunomius in libello Imperatori oblato, & Synodo prælecto, quod Anastasius *confunderet & conturbaret in Bithynorum Provincia formas Ecclesiasticas & Imperiales, quæ hactenus tenuisse noscuntur in Ecclesiis; usurpando nimirum Ecclesias, quæ de sua non erant jurisdictione.*

His ab Eunomio dictis interlocuti Judices dixerunt: „ Quid ad hæc reverendissimus Anastasius allegat? *Anastasius dixit:* Accusavit me quasi aliquas novitates . . . . . . introduxissem, aut violentiam fecerim. Ergo autem diversa monstraturus sum, quoniam abripuit Parochias meas, & multa, quæ non est consuetudo facere, Nicomediensem. *Unde* jura sua examinare deposcit secundum antiquitatem & regulas: „ Nec enim ego (*ait*) aliquid *amplius volo*.

Judices interloquentes, mandarunt Eunomio, ut *proprie dicat, in quo* ab Anastasio injustitiam passus sit. Respondit, quod civitates aliquas, ac nominatim Basilinopolim, Nicomediensis Ecclesiæ objectas, sibi Anastasius vendicaret: *Clericosque Ecclesiæ Basilinopolis, mihi* (ait) *subjectos, excommunicavit, quod Canonibus prohibetur*, Anastasius dixit, se ostensurum, Basilinopolim sub Nicæa jam olim fuisse.

Ad id probandum dixit, primo Basilinopolim a Juliano factam esse civitatem, cum prius fuisset regio; atque perspicuum esse illo tempore *ab Episcopo Nicæno* ibidem Episcopum fuisse ordinatum & semel & secundo. Allegabat & litteras Joannis Episcopi Constantinopolitani vulgo Chrysostomi, ad Proclum Episcopum Nicænum, *ut iret & emendaret Ecclesiam sibi competentem, scilicet Basilinopolitanam.*

Eunomius dixit: Ordinationem Basilinopolitani Episcopi *ostendere non potest se fecisse; quod & si fecit semel per subreptionem, secundum Canones nequaquam mihi prejudicare potest.*

Ad hæc Anastasius dixit: *Non ego, sed decessor meus fecit*. Eunomius reposuit: *Semel fecit sicut dicis, an frequenter?*

Lectus est deinde, jubentibus Judicibus, e codice Canonum, Canon IV. Nicænus, quo sancitur, ordinationum in singulis Provinciis potestatem penes Metropolitanum esse.

Canone lecto, Anastasius dixit: *Consentio Canoni, si non sum Metropolitanus, nec ego illic habeo potestatem.*

In hujus sui juris probationem petiit prælegi litteras Valentiniani, quibus civitatem Nicæam erexit in Metropolim, *consuetudine tamen in processu Bithyniæ Judicis permanente. Nullus enim aufert aliquid aliorum.*

Hæc clausula satis videbatur expressum, jura Ecclesiæ Nicomediensis manere salva. Ut tamen id clarius evinceret Eunomius, alias litteras protulit ejusdem Valentiniani ad Nicomedienses, quibus declarat privilegia Ecclesiæ Nicomediensis non lædi per erectionem civitatis Nicææ Metropolim. *Nec enim* (ait) *honoris adjectio Nicænorum civitatis jus vestrum lædere poterit, cum augeatur dignitas Nicomediensium civitatis, quando illa, quæ secundo loco est, Metropolis nomine vocatur.*

Decisio in favorem Episcopi Nicomediensis.

Interlocuti Judices dixerunt: Cum litteræ Imperatoris erigentes Nicæam in Metropolim, nullum jus aliis civitatibus auferri velint, ac signanter Nicomediensium; “ & regula Sanctorum Patrum de uno Metropolita in unaquaque Provincia decrevit; quid igitur „ hac de re Concilio sancto videtur? *Omnibus placuit,* „ *ut Nicomediensis Episcopus*, quoniam hæc ab initio „ Metropolis est, debeat omnes Episcopos, qui in eadem Provincia sunt, ordinare.. Canones unum sciunt „ (*inquiunt*) Metropolitam antiquiorum, & manifestum est, quoniam religiosissimo Episcopo Nicomediæ „ ordinationes competunt, & quia leges etiam (sicut „ perspexit & vestra magnificentia) nomine Metropolis solummodo honoraverunt Nicænum, & præponitur reliquis Episcopis Provinciæ honore solummodo.

Aetius autem Archidiaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ protestationem interjecit, de non præjudicando juribus Sedis Constantinopolitanæ, quæ *aut ordinationem ipsa facit in Basilinopolim cum reliquis, aut eam permittit fieri*. Synodus simpliciter respondit: *Canones teneant, Canonibus satisfiat.*

Conformiter ad Synodi sententiam Judices pronuntiarunt, “ auctoritatem quidem Metropolitani inter „ Ecclesias Provinciæ Bithyniæ Nicomediensis reverendissimus habebit Episcopus, Nicæno habente honorem Metropolitani tantummodo, subjacente autem ad exemplum aliorum Episcoporum Provinciæ „ Nicomediensis. Hoc enim visum est etiam sancto „ Concilio (*a*).

§. XV.

Actio XIV.

Actio decima quarta.

DIE 31. Octobris celebrata est Actio 14. in qua discussa & terminata fuit contentio de Perrhenorum Episcopatu inter Sabinianum & Athanasium.

Contentio inter Sabinianum & Athanasium super Episcopatu Perrhensi.

Primo lecti sunt libelli a Sabiniano oblati Imperatori & Synodo. In his exponebat, quod “ cum a „ puero esset in monasterio dispensator asceterii multorum virorum, nihil de Episcopatu cogitans, nedum rogans quemquam hujus gratia dignitatis. Dum „ ergo essem in Monachorum providentia constitutus, „ adstitit mihi repente illius temporis Metropolitanus „ Episcopus cum provincialibus Episcopis, & me Perrhæ ordinavit Episcopum, de qua dejectus fuerat „ Athanasius ex scripto de gravissimis Capitulis accusatus, nec valens unquam pro illatis sibi criminibus „ reddere rationem; nunc quidem Episcopatum repudiabat, nunc vero citationes Synodorum eum ad „ judicium vocantium, varie declinabat. *Ita Sabinianus in libello Imperatori oblato. In actis* col. 720.

Quin & addebat; *quod is* (Athanasius) *in Ephesina Synodo: ex præcepto Alexandrini Præsulis* (Dioscori) *in meam Ecclesiam superingressus est; & ego præter meam voluntatem ordinatus, expulsus sum.*

Hoc libello, nec non illo, qui Synodo erat oblatus, relectis, jussus Athanasius ad hæc respondere, dixit: „ Mea causa a longo tempore inchoata est: & hanc „ audierunt beatæ memoriæ Cyrillus & Proclus, & „ certas formas scripserunt Domno, qui fuit Antiochenus Episcopus: promisitque ille, eas complere. „ Et cum cognovisset mortem beati Cyrilli, resilivit, „ & ad judicium me vocavit. Ego rescripsi, quia si „ vellet permanere in datis sententiis ab Archiepiscopis, paratus essem; si vero vellet aliud aliquid, non „ audire me ejus citationem.

Dein postulante Athanasio lectæ fuere litteræ Cyrilli & Procli ad Domnum Antiochenum, quibus ipsum rogaverat, ut injuriæ a Clericis Perrhensibus irrogatæ Athanasio vindex esset; & si civitas Perrhensis ab Antiochia longe est, *quibusdam per proprias litteras audientiam delegare* dignetur: eo quod assereret Athanasius, *eum se suspectum habere, qui nunc jus Metropoliticum Provinciæ obtinet, tamquam vesana flammæ inimicorum ejus ex odio adversus eum vim præbentem atque materiam*, ut in litteris Procli scribitur.

Post hæc lecta sunt acta Synodi Antiochenæ sub Domno in causa prædicti Athanasii.

Hæc acta in primis fidem faciebant, quod Domnus delegasset causam hunc Panolbio, qui tunc Metropolitanus erat ejus Provinciæ, ut causam audiret; quem favorabilem & amicum fuisse Athanasii notum erat: & tamen tertio ab eo vocatus, noluit coram eo comparere; quin & scripto eum recusaverat. Unde Episcopi præsentes, eum condemnarunt tamquam *sibi conscium nonnullorum, de quibus accusatur, eo quod noluerit apud amicum proprium Panolbium causam dicere secundum epistolas repudii ab eo conscripta*. Ita Valerius Episcopus Anazarbi; cui reliqui in substantia consentiebant.

In iisdem actis insuper asserebatur, postquam declinasset judicium Panolbii sui Metropolitani & amici, egressum esse de civitate, & propria sponte abdicasse Episcopatum; atque postmodum ad Cyrillum & Proclum confugisse, & ab ipsis per subreptionem & obreptio-

(*a*) Ex dictis constat ab Evagrio *lib. 2. Hist. cap. 4.* perperam scriptum fuisse, quod expulso Bassiano Stephanus admissus fuerit.

(a) Patres Chalcedonenses non crediderunt priscum Ecclesiarum ordinem mutari, mutato Provinciarum statu ab Imperatoribus Valentiniano I. & Valente. Decretum vero Synodi Chalcedonensis dudum perseveravit inviolatum, adeo ut semptimi Concilii OEcumenici ævo Nicænus Antistes nullos Episcopatus potestati suæ obnoxios agnosceret.

ceptionem prædictas litteras obtinuiſſe: quod nihilominus hiſce litteris receptis, Domnus Antiochenus convocaverit Provinciæ Epiſcopos, ut hæc cauſa examinetur; ſed evocatus ad Synodum, ut ſe a criminibus objectis purgaret, venire renuit. Ideoque Synodus eum Epiſcopatu exutum, ut contumacem & Canonum contemptorem, & alterum in ejus locum eſſe ordinandum declaravit.

Poſt recitata hæc acta, glorioſiſſimi Judices dixerunt: „ Dicat Athanaſius reverendiſſimus Epiſcopus, cur „ tertio evocatus a ſancto Concilio Antiocheno, non „ occurrit ut propriis allegationibus uteretur. Atha- „ naſius dixit: Quoniam inimicus meus erat ipſe, qui „ judicabat, Antiochenus. Et rogo hæc relegi, & „ veritatem probari.

Sententia proviſionalis in favorem Sabiniani.

Judices cauſam terminatam deſiderantes, hanc judicii formam propoſuerunt: " Sabinianus reverendiſſi- „ mus Epiſcopus, quoniam poſt depoſitionem Atha- „ naſii reverendiſſimi ordinatus eſt a provinciali Con- „ cilio, in Perrhenorum civitatis Epiſcopatu (ſicut „ nos perſpicimus) manere debet. Neque enim ex „ una parte remotus, juſtum eſt ut præjudicium pa- „ tiatur: quoniam neque vocatus eſt, nec contradictio „ ei ſervata eſt. Athanaſius vero depoſitus, tamquam „ evocationibus non obaudiens, poſtea vero ex una „ parte a Dioſcoro Epiſcopatum obtinere juſſus, in- „ terim, ſicut perſpicimus, debet quiſcere. Cauſas „ vero illatas ei, examinandas eſſe decernimus apud „ ſanctiſſimum Epiſcopum Antiochenum Maximum, „ & Concilium, quod cum eo eſt: ita tamen ut in- „ tra octo menſes a præſenti die numerandos, & exa- „ minatio fiat eorum qui dudum accuſationem adver- „ ſus eum propoſuerunt, aut ſi quivis alius contra eum „ de his ipſis inſtare voluerit: & ſi quidem convictus „ fuerit omnia præſumpſiſſe, quæ ei criminaliter ſeu „ pecunialiter ſunt illata, & geſtis inſerta, aut unum „ ex illis, quod damnatione ſit dignum, non ſolum „ eum alienum eſſe ab eodem Epiſcopatu, ſed etiam „ legibus publicis eſſe ſubdendum. Si vero intra hoc „ tempus non agatur adverſus eum, neque convinca- „ tur, ſicut prædictum eſt; Ahtanaſius quidem Epiſco- „ patum ejuſdem recipiciat civitatis & Eccleſiam per „ ſanctiſſimum Epiſcopum Antiochiæ Maximum; Sa- „ binianus vero reverendiſſimus Epiſcopus, & dignita- „ tem Epiſcopatus habeat, & ſubſtitutus ſit, & paſca- „ tur, ſicut reverendiſſimus Epiſcopus Antiochenorum „ Maximus ſecundum facultatem Perrhenorum ſantiſ- „ ſimæ Eccleſiæ diſpoſuerit.

Hac judicii forma enunciata Synodum alloquentes dixerunt: *Hæc audiens ſanctiſſima Synodus, dicat, ſi ea, qua ſunt ordinata, decernit, ad aliud quid diſponit?* Synodus reſpondit: *Nihil juſtius, nihil integrius.. Quæ diſpoſita ſunt effectui mancipentur, quia cum Deo vos judicatis.*

Sed ne quis crederet, ſæculares Magiſtratus ſua auctoritate Epiſcoporum cauſas decidere, notanda ſunt verba Judicum, quæ præcedente Synodi reſponſo ſubjiciuntur, & huic Actioni fidem imponunt. *Ea* (inquiunt) *quæ a nobis quidem approbata* (vel ut alia lectio habet, *Nobis quidem viſa*) *ſunt: Diſpoſita vero a ſancto Concilio, firma conſiſtant.*

Juſta viſa eſt Judicum propoſitio Sabiniano Epiſcopatum aſſerens, eo quod conſtaret Synodali ſententia Athanaſium depoſitum, nec reſtitutum niſi per Synodum, cujus acta jam in irritum miſſa erant. Quia tamen & Stephanus Epiſcopum Antiochenum, qui Synodo, quæ ipſum depoſuerat, præſederat, ut *ſuſpectum* accuſabat, merito voluerunt, ut quæ contra ipſum fuerunt allegata, de novo examinarentur: manente tamen prioris Synodi ſententia, quouſque in alia Synodo fuerit retractata (*a*).

Alterum exemplum penſionis Eccleſiaſticæ.

Quod autem in ſententia injungitur, ut caſu quo Athanaſius judicetur Eccleſiæ ſuæ reſtituendus, Sabinianus *pascatur ſicut Maximus Antiochenorum Epiſcopus, ſecundum facultatem Perrhenorum ſanctæ Eccleſiæ, diſpoſuerit*, veſtigium eſt penſionis Eccleſiaſticæ ex beneficiorum Eccleſiaſticorum fructibus delibatæ, uti recte reflectit R. P. Natalis Alexander tomo 9. Hiſt. Eccleſiaſt. *art.* 13. §. 17. monetque, ſimiles penſiones nullibi in Eccleſiaſticæ antiquitatis monumentis memorari ante Concilium Chalcedonenſe, haſque penſiones in hoc Concilio conceſſas eſſe, ratione habita *paupertatis* ad quam redacti erant; quibus aſſignabantur. Neque aliam unquam fuiſſe Eccleſiæ mentem in aſſignandis, ſimilibus penſionibus, quam ſuccurrere neceſſitati eorum, qui aliunde vitæ neceſſariis deſtituuntur; quod & latius deduxi in Diſſertatione de Penſionibus Eccleſiaſticis, *Tom. V. pag.* 503.

§. XVI.

Actio XV.

Actio decima-quinta.

Canones in ea conditos fuiſſe probatur

IN vulgatis Conciliorum editionibus huic Actioni Canones ſeu Regulæ Eccleſiaſticæ adſcribuntur; atque ea Actione a Patribus Chalcedonenſibus univerſos Canones 28. conditos & evulgatos fuiſſe veriſimile eſt.

In primis enim Liberatus Diaconus compendio exhibens geſta ſingulis actionibus, vel ſeſſionibus, quas *ſecretaria* appellat, poſt enumerata decem prima ſecretaria, ſub quibus comprehenduntur tredecim Actiones, ſubjungit quod *undecimo* ſecretario duæ habitæ ſint actiones: " in quarum prima (ait) Eccleſiæ Parenſium „ (*a*) redditus eſt Sabinianus, quem Dioſcorus expu- „ lerat ": quæ Actio in vulgatis editionibus eſt *Actio* 14.

Dein ſubjicit aliam Actionem, quæ reſpondet noſtræ *Actioni* 15. " in qua (ait) poſt diceſſum Judicum & „ Senatorum & Legatorum Apoſtolicæ Sedis, Regulæ „ conſtitutæ ſunt Eccleſiaſticæ, & quædam privilegia „ deputata Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, uſurpante „ ſibi hoc Anatolio ejuſdem urbis Epiſcopo, occaſione „ accepta ex Dioſcori damnatione.

Liberato ſuffragatur Codex Acumitenſis Monaſterii admodum antiquus, & ut creditur, ipſi Concilio Chalcedonenſi fere coævus. Ad calcem enim Actionis 14. ex Codice Bohieriano annotat Labbæus *col.* 753. " Ex- „ plicit *Actio* 14. incipit XV. cod. Acumitenſium: „ Termini (id eſt Canones) Eccleſiaſtici promulgati a „ ſancta & magna & univerſali Synodo, quæ Chalce- „ done collecta eſt.

Eodem ſitu, ſcilicet hac Actione 15. habentur Canones in Codice illo Aquenſi vetuſtiſſimo, e quo Petrus Crabbe Concilium Chalcedonenſe publicavit: de quo hæc monet: " Exemplar hoc Chalcedonenſis Concilii „ deſumptum eſt ex bibliotheca Monaſterii Fratrum „ ordinis Cruciferorum in civitate Aquenſi. Anno nam- „ que 1468. in Aquenſi Paſſagio R. D. Petrus Sirici „ Legatus Romanus in cauſa Leodienſi, poſtea Cardi- „ nalis, excopiari exemplar diſpoſuit ex vetuſtiſſimo „ codice eidem Monaſterio a quoquam Aquenſi Deca- „ no dono dato, quod plurium judicio ſcriptum non „ multo longe poſt hujus Chalcedonenſis Conciili tem- „ pora præſumitur; aut ea ſiquidem vetuſtate fuit, „ ut niſi cum difficultate legeretur, & unus duntaxat „ in Colonienſi civitate excopiare præſumeret.

Huic inſuper codici conveniunt unus latinus & alter græcus codex Vaticanæ bibliothecæ, ad quos exemplar ſuum emendaverat Cardinalis Sirletus: quo exemplari uſus fuit Petrus Crabbe, ut illa, quam adornabat, editio emendatior prodiret.

Et ſane modus, quo Concilia jam pridem procedere ſolebant, poſtulare videtur, ut Canones demum poſt abſolutam cauſam *fidei*, & Synodalia geſta condantur.

Solet enim plerumque Canonum, qui diſciplinam attinent, materia ex privatis Epiſcoporum querelis, diſſentionibus, & cauſis manare, quin & ſæpe ſæpius contigit, occaſione unius alicujus abuſus, generalem conſtitui legem, ne illud in exemplum traheretur.

Et quid naturalius, quam ut prius, ad charitatem & animorum unionem diſſidentes Synodus conciliet; contentioneſque componat, ac tum dein pari conſenſu, animis ſedatis, per Canones ſeu Regulas, mores Eccleſiæ actuſque componat?

Neque obſcurum eſt plures hujus Concilii Conones compoſitos occaſione cauſarum particularium, quæ Actionibus præcedentibus terminatæ fuere, uti in Scholiis ad Canones notabitur

Proinde vix ambigi poteſt, demum Actionibus illis abſolutis, Canones conditos fuiſſe occaſione eorum, quæ ibidem dicta aut agitata fuerant.

Quod & facile evincetur, ſi expendantur materiæ & cauſæ, negotiaque, quæ ſingulis Actionibus agitata definitaque fuere. Apparebit enim, nullam Actionem vacuam fuiſſe, nec otium Patribus potuiſſe ſupereſſe Canonibus concipiendis, & ſanciendis: præſertim, quia Actiones illæ non ultra unius, alteriuſque diei tempus protrahebantur: quod tempus etiam integrum Canonibus concipiendis, & firmandis non ſuffeciſſet.

Merito ergo unam integram Actionem hiſce impenderunt Patres: quæ alia præter hanc XV. eſſe nequit, cum nulla aliarum ab alia materia vacua reperiatur.

Teſtatur præterea in ſupra citatis verbis Liberatus Diaconus, quod Regulæ Eccleſiaſticæ conſtitutæ ſint *poſt diſceſſum Judicum & Senatorum & Legatorum Apoſtolicæ Sedis, quando & quædam privilegia deputata Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ confirmata ſunt.*

Porro id contigiſſe in Actione ſive conſeſſu Patrum die præcedenti Actionem XVI. manifeſtum eſt ex interlocutione Paſchaſini Sedis Apoſtolicæ Legati, qui ſub exordium Actionis XVI. triplicem claſſem, ſeu ordinem rerum in Synodo geſtarum proponit.

Primus ordo eſt, qui res fidei complectitur. *Domini* (*ait*) *totius orbis pro catholica fide decertantes, per quam & augetur eorum & lucet Imperium ſancire dignati ſunt; quatenus unam fidem teneant Eccleſiæ; pro bono pacis.*

Secundus ordo eſt, qui contentiones & cauſas Epiſcoporum complectitur, quem expreſſit his verbis: *Majore autem cura & nunc & in poſterum illorum clemen-*

(a) Atanaſii cauſam fuiſſe inſtauratam nuſquam legimus.

(a) Id eſt Perrhenſium; de eo Epiſcopatu actum eſt paragrapho præcedenti.

mentia providere dignata est , ne qua rursus contentio inter Sacerdotes Dei , aut schisma , aut aliquod nascatur scandalum . Hæc concernunt gesta Actionum 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. quibus contentiones inter Episcopos sopitæ fuerunt. Hactenus nihil de Canonibus. Manifestum indicium , posthac demum Canones conditos fuisse.

Tertiam igitur Actorum partem Canones constituunt, quam Paschasinus ita retulit: *Hesterna* (*inquit*) *die , postquam potestas vestra surrexit , & humilitas nostra vestigia vestra secuta est, quædam gesta facta dicuntur , quæ nos & præter Canones & Ecclesiasticam disciplinam æstimamus affecta.*

Ex hac triplici Actorum classe a Legato Sedis Apostolicæ expressa, planum est, quod nullus alius locus Canonibus sit extra eum consessum, in quo privilegia Ecclesiæ Constantinopolitanæ novo Canone fuere roborata; qui Canon certo editus fuit Actione pridie ante Actionem XVI habita.

Nec mirum, Canones absentibus Legatis Sedis Apostolicæ conditos; hi enim Ecclesias præcipue Orientales spectabant, & ad postulationem Episcoporum Orientalium conditi fuerant.

Accedebat, quod Legati sat præsagirent de asserendis & renovandis privilegiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ actum iri; cum id Clericis Constantinopolitanis Judices quodam modo addixissent.

Ad hæc ex responso Synodi facto Dioscoro Actione 3. evincitur: quando quædam canonica examinantur , neque Judices , neque aliquos Laicos interesse oportere , ut proinde mirum non sit , si post discessum Judicum consessus Patrum pro examinandis & condendis Canonibus habitus sit.

Hæc nonnihil fusius dicenda & probanda fuere eo quod plures viri eruditi , ac novissime Stephanus Baluzius credant, Canones non in uno eodemque consessu editos , vel etiam Actioni VI. esse alligatos , saltem 27. priores.

Dicuntur præcipue auctoritate Evagrii Liberato Diacono pene coævi, qui *lib. 2, hist. Ecclesiastic. cap.* 18. enarrata Actione sexta , cui adstitit Marcianus Imperator, materiamque trium Canonum Synodo suggessit, immediate subiungit: *alius postea conventus habitus est , in quo alii Canones constituti sunt* . Et dein descripto 14. concessu sive 14. Actione , in qua examinata & terminata fuit causa Sabiniani Episcopi, ait: *Postremo decretum est , ut Constantinopolitana Sedes post Romanam primum locum obtineret* : quibus aperte significat Evagrius ; post actionem 14. de causa Sabiniani , unum duntaxat Canonem de prærogativa sedis Constantinopolitanæ esse editum ; reliquos autem Canones post absolutam actionem sextam conditos esse.

Neque id negari posse videtur , quin Evagrius historiam sive compendium Concilii Chalcedonensis in suum historiæ volumen referens, ordinem Actionum & gestorum retulerit, quem exemplar Concilii Chalcedonensis, quod habebat , repræsentabat.

Hinc ulterius consequens est , exemplar Concilii Chalcedonensis Evagrianum repræsentasse Canones alligatos Actioni hoc consessu immediate post Actionem sextam celebratæ, unico Canone 28. de privilegiis Sedis Constantinopolitanæ Actioni XV. assignato. Quem ordinem & in antiquo codice Parisiensi , & in altero , qui in Serenissimæ Suecorum Reginæ bibliotheca servatur , repræsentari testatur Stephanus Baluzius.

His positis, evidens est codicem Evagrianum , aliosque ei conformes , repræsentare ordinem diversum ab illo , qui in codice , quo usus fuit Liberatus Diaconus Carthaginensis , necnon Rusticus Diaconus , qui Canones Actione XV. editos referunt.

Sane dubitari nequit, quin Liberatus Diaconus , propter trium Capitulorum controversiam , quam ut illorum strenuus defensor cordi habebat , admodum sollicitus fuerit , ut exactam Concilii Chalcedonensis notitiam assequeretur, sinceraque ejus acta consuleret : utpote a cujus Concilii actis unice pene tota illa ac ferventissima , quæ Ecclesiam in partes scindebat , controversia de tribus Capitulis dependebat.

Accedit, quod Liberatus illa se parte historiæ continuit , quæ res Concilii Chalcedonensis attingebat , ac per consequens , verisimile est, quod attentius ac operosius eam historiæ partem excusserit & investigarit.

E contrario Evagrius , qui decem libros historiæ de variis gestis seu profanis seu Ecclesiasticis composuit ; minus accurate potuit singula facta codicumque , quibus utebatur , sinceritatem examinare & discutere , eorumque notitiam assequi non valuit.

Accedit , quod Evagrius professione fuerit causidicus (unde & cognomentum retulit Scholastici) : causidici namque officium Antiochiæ exercuit ; atque a Gregorio Antiocheno Episcopo in advocatum & assessorem assumptus fuit, uti in præfatione observat Henricus Valesius ejus interpres & illustrator , & qui monet propterea „ illud in eo reprehensionem mereri , quod non „ tantam diligentiam adhibuit in conquirendis *Ecclesiasticæ antiquitatis* monumentis , quantam in legendis „ profanis scriptoribus.

Jure merito igitur codex & fides Liberati Diaconi codici & relationi Evagrii præferuntur : maxime quia ordo a Liberato exhibitus cæteris gestis Concilii optime respondet; Evagrii autem iis contrarietur , uti & ex ante dictis patet.

Itaque verisimile est Evagrium incidisse in codicem mendosum , haud sincere acta Concilii Chalcedonensis , eorumque ordinem referentem : cum & ex suo codice referat , quod Actione sexta hortatu Imperatoris conscripti sint Canones, cum tamen certum sit ea Actione nullos conscriptos esse Canones: sed duntaxat materiam quorumdam Canonum ab Imperatore Patribus suggestam , uti constare potest ex iis , quæ §. 26. de gestis hujus Actionis dicta sunt.

Duorum quoque codicum, Parisiensis & Reginæ Suecorum admodum incerta est & vacillans auctoritas , cum incertæ sint eorum & ætas & origo , & in illis appareant , quæ medicam manum desiderent.

Neque mirum , in diversis codicibus varium esse Actionum consessuumque ordinem . Acta enim singularum Actionum a Notariis in distinctis separatisque schedis excipiebantur ac describebantur , ut ex quarta Actione manifestum est , ubi postulantibus Judicibus , *ut relegerentur ea , quæ in præcedentibus* audientiis erant constituta , Constantinus secretarius legit primam ex *Scheda* gestorum ; Beronicianus vero secretariorum alter , Actionem alteram recitavit *ex alia Scheda gestorum* .

Ex hac ergo *Schedarum* varietate facile contingit , ut a collectoribus & ex scriptoribus , nescientibus quo ordine omnia gesta essent , genuinus gestorum ordo fuerit inversus.

Ita testatur Facundus Hermianensis *lib. 5. cap. 3.* quod in quibusdam codicibus Actio *tertia* hujus Concilii juncta sit *prima* : *propterea* (ait) *sicut existimo , quia in Actione prima judicatus erat idem Dioscorus Episcopatus honore privandus* . Ac ob id collector genuinum ordinem ignorans ob connexionem materiæ ; Actiones illas conjunxit , quasi una post alteram immediate habita esset ; cum tamen revera secunda inter utramque intercessisset.

Præcipue ergo ex ipsis Concilii actis , non autem a codicibus , in quibus frequenter collectores & scriptores suo proprio judicio ordinem confecerunt , nativus ipse sessionum Actionumque ordo , rerumque gestarum series requirendi & statuendi sunt.

§. XVIII.

De numero Canonum Chalcedonensium .

CANONES duntaxat 27. leguntur apud Dionysium Exiguum ; neque plures in quacumque alia Latina versione , Isidoriana , Justelliana , Romana antiqui codicis a Quenello evulgati : quin & editores Romani ad calcem Canonis 27. monent , nec plures extare in codicibus græcis manuscriptis , quos habuerunt hujus Concilii, nec plures a se inventos Acumitensium , aliisve græcis exemplaribus a Rustico annotatum legimus . Viginti & octo Canones Chalcedonenses.

Certum nihilominus est , præter dictos Canones 27. esse insuper Canonem de privilegiis & prerogativa Episcopi Constantinopolitani , qui 28. numeratur : Unde apud Balsamonem , aliosque græcos hic cæteris annectitur , sed a latinis omissus fuit : quia Sedis Apostolicæ Legati in Synodo apud Judices se fortiter opposuerunt ; & S. Leo Papa eum reprobavit , uti ex Scholio illius Canonis videri potest.

Bini propter hos 28. Canones extant apud Balsamonem , Zonaram , Aristenum, aliosque recentiores græcos commentatores; sed , ut apparet , recentiore manu concinnati , & excerpti ex Actione de Photio & Eustathio , & ex prima quarti consessus Actione , ubi Ægyptiis Episcopis , ne epistolæ S. Leonis ante Episcopi Alexandrini ordinationem subscribere cogerentur , induciæ datæ sunt. Neque enim ulla e veteribus sive latinis sive græcis Canonum collectionibus , hos binos Canones exhibet. Neque plures quam 28. habet Joannes Antiochenus seu Scholasticus, qui a Justiniano Imperatore Patriarcha Constantinopolitanus designatus est, in sua Canonum collectione , omnium post primam a Synodo Chalcedonensi laudatam, antiquissima.

Primus qui geminum hunc Canonem suæ collectioni inseruisse cognoscitur, videtur fuisse Alexius Aristenus in ea collectione , quam jussu Joannis Comneni Imperatoris concinnavit.

Solus primus e duobus his Canonibus extat in collectione Canonum, quam sub nomine codicis Canonum Ecclesiæ universæ publicavit Christophorus Justellus , qui & textum græcum ex codice Joannis Tilii se se bona fide exscripsisse asseverat : cum tamen discrimen eo loco maximum intercedat inter codicem Tilianum græcum an. 1540. publicatum, & codicem Justellianum.

In codice enim Justelliano unicus excerptus ex Actione de Photio & Eustathio exhibetur , idque per formam Canonis contractioris , qui apud Balsamonem refertur.

Tilianus autem codex utrumque exhibet , non per modum Canonis , sed facile integram paginam pro unoquoque replet , ut potius compendiosæ Actionum illarum relationis quam Canonum formam habeant.

Veri-

Verisimile igitur est, quod cum in Actione de Photio & Eustathio quodam velut statutum conditum esset de Episcopis ad Presbyteri gradum non dejiciendis; & alia Actione de quodam Ægyptiorum privilegio seu consuetudine: integræ primum Actiones ad finem Canonum translatæ fuere, ut in codicibus Vaticanis: successu autem temporis, ut scribentium ac legentium parceretur labori, abbreviatæ sunt Actiones, uti sunt in codice Tiliano. Demum in breviorem Canonis formam redata sunt decreta illic a Synodo constituta; quemadmodum apud Balsamonem, aliosque recentiores græcos nunc extant. Quod vero postremum in paucioribus codicibus extet, inde accidisse apparet, quod cum solas Ægypti Ecclesias concerneret, inutile judicarint, qui pro aliis Ecclesiis codices compilarunt, hunc Canonem referre.

His igitur tamquam spuriis omissis, solos 28. Canones referemus, Scholiisque illustrabimus.

CAPUT III.

Scholia in Canones Concilii Chalcedonensis.

CANON I.

Regulas Sanctorum Patrum per singula nunc usque Concilia constitutas, proprium robur obtinere decrevimus.

SCHOLION.

Antiquiores Canones a Synodo confirmantur.

PLURIUM Synodorum non generalium duntaxat, sed & localium Canones ad usum Ecclesiarum Orientalium in unum codicem, sub continua numerorum serie collectos fuisse ante hanc Synodum, & ex illo codice nonnullos Canones a græcis in Synodo fuisse relectos ostendimus *Tom. VI. Parte I. dissert. IV. §. 1. hujus editionis*.

Sed & illud certum est, quod cum *Actione* 16. hujus Synodi relegeretur ex hoc Codice *Canon* Constantinopolitanus pro asserenda prærogativa Episcopi Constantinopolitani, auctoritas hujus Canonis a Lucentio Vicario Sedis Apostolicæ rejecta fuerit, eo quod *Canones istius Synodi in Synodicis Canonibus non haberentur*, id est, in codice, quo tum temporis utebatur Ecclesia Romana.

Ut ergo Canonibus, præsertim Constantinopolitanis, major accederet auctoritas, atque hoc pacto prærogativa Episcopi Constantinopolitani firmius stabiliretur, præsens Canon verisimiliter conditus est; quo Patres Chalcedonenses *decreverunt* (sive G. *æquum censuerunt*) *qui a sanctis Patribus in unaquaque Synodo hucusque expositi sunt, observari Canones*. Hæc generalis expressio, *in unaquaque Synodo*, sat ostendit, generalem hic esse Canonum confirmationem, non tantum OEcumenicarum, sed etiam particularium Synodorum; earum scilicet, quarum Canones in codicem Ecclesiæ Orientalis jam relati erant: quod & Balsamon & Zonaras observarunt; idque & Justinianus in *Novella* 131. *cap.* 1. supponere videtur, præcipiens: „ legum vicem „ obtinere sanctos Ecclesiasticos Canones a sanctis quatuor Synodis editos vel confirmatos, hoc est, in „ Nicæna 318. & in Constantinopolitana sanctorum 150. „ Patrum; & in Ephesina prima, in qua Nestorius est „ damnatus, & in Chalcedonica, in qua Eutyches cum „ Nestorio anathematizatus est. Prædictarum enim qua„ tuor Synodorum dogmata sicut sanctas scripturas ac„ cipimus, & regulas sicut leges observamus.

Cum enim hic non tantum legum vicem obtinere præcipiantur Canones, qui a quatuor Conciliis OEcumenicis editi sunt, sed etiam qui confirmati fuere; constetque a nulla istarum quatuor Synodorum Canones esse confirmatos, præter quam ab hac in præsenti Canone, evidens est hunc Canonem spectari in dicta Novella; aliquosque in ea supponi confirmatos Canones a nominatis quatuor Synodis non editos, qui alii esse non videntur, quam qui a Provincialibus quidem editi, sed in codicem una cum Canonibus Nicænis & Constantinopolitanis tempore hujus Synodi sub una numerorum serie, quasi unius Synodi, erant collecti.

Extat apud Gratianum *caus.* 25. *quæst.* 1. *Can.* 14.

CANON II.

Si quis Episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, & sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet ex his, qui connumerantur in Clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel quemquam, qui subjectus Regulæ, pro suo (vel sui) turpissimi lucri commodo: is, cui hoc attentanti probatum fuerit, proprii gradus periculo subjacebit. Et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat: sed sit alienus a dignitate, vel sollicitudine, quam pecuniis quæsivit. Si quis vero mediator tam turpibus & nefandis datis, vel acceptis extiterit; & ipse si quidem Clericus fuerit, proprio gradu decidet; si vero Laicus aut Monachus, anathematizetur.

SCHOLION.

PRÆSENS Canon damnat ac punit omnem simoniam, non tantum in Ordinum susceptione, sed & in quorumlibet Ecclesiæ substantiæ dispensatorum, aut aliorum Ecclesiæ officiatorum designatione commissam. Simoniaca Ordinatio Clericorum, & promotio œconomorum Ecclesiasticorum.

Prima quidem parte vetat *per pecunias ordinari Episcopum* (G. I. *vel Chorepiscopum*) *aut Presbyterum, aut Diaconum; vel quemlibet ex his, qui connumerantur in Clero*.

Secunda parte agit de eo, qui *promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem* (*OEconomum, vel Paramoniarium seu monasterii administrum*) vel uti alia lectio Dionysii, & etiam aliqua Isidori habet (*Mansionarium*) *vel quemquam, qui Regulæ subjectus est* (sive G. *omnino aliquem ex Canone*) *pro suo turpissimi lucri commodo* (seu G. *turpis quæstus gratia*).

Vox græca, *Paramonarius* varie apud auctores Ecclesiasticos occurrit. Videtur autem hic accipi pro aliquo rerum Ecclesiasticarum administrationi præfecto; uti & Justinianus Imperator *in lib.* 46. §. 3. *Cod. de Episcopis & Clericis*, annumerat *Paramonarios* œconomis, xenodoxis, nosocomis, aliisque piarum actionum dispensatoribus per Episcopos constitutis; notatque ibidem Dionysius Gothofredus ad vocem *Paramonarios*: „ Hi erant villici, sive actores possessionum, ex eo„ rum genere qui res Ecclesiasticas administrant. Sensus hujus vocis *Paramonarius*.

In versione latina Dionysii Exigui, prout ex codice MS. edita est in bibliotheca juris Canonici veteris Chrystophori Justelli, nulla vox latina correspondet huic voci græcæ *Paramonarius*; at in eadem versione prout extat in tomis Conciliorum apud Labbæum, correspondet dictæ voci græcæ, vox latina *Mansionarius*, quæ & in quibusdam Isidori versionibus occurrit, uti in margine notat Labbæus *tom.* 2. *Concil. col.* 779.

Hujus vocis, *Mansionarius*, variam esse significationem ostendit Du-Cange in Glossario, verbo, *Mansionarius*; sed ex ipso textu græco manifestum est, per *Mansionarium* hic intelligi debere rerum Ecclesiast. administratorem; eumque intelligi Per *Paramoniarum* (cui in versione latina respondet *Mansionarius*) ex lege Justinianæa constat.

Vetat ergo Canon tam horum, quam Clericorum promotionem per pecunias fieri.

Specialiter autem notandum, hos rerum Ecclesiasticarum dispensatores, seu œconomos, vel Paramonarios expresse distingui ab iis, qui in *Clero* sunt. Unde & ipsi promoveri dicuntur: Episcopi vero, Presbyteri, Diaconi, & qui in Clero sunt, *ordinari*.

Verum quidem est, & de his dici, quod sint *sub Regula* (vel G. *ex Canone*); sed per hoc non aliud significatur, quam eos in Canone seu laterculo vel matricula Ecclesiæ describi; eoque titulo ab Ecclesia, tamquam ejus Ministros, sive operarios, eique incorporatos atque addictos esse alendos: non tamen Clericis esse adnumerandos, cum hi magis ad spiritualia destinentur.

Si quis igitur ex his, qui vel *ex Clero*, sive ex his, qui „ ex Canone sunt, hoc attentanti probatum fue„ rit, proprii gradus periculo subjacebit. Et qui ordi„ natus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotio„ ne, per negotiationem facta proficiat (*sive Isid.* nul„ lum habeat fructum ex hujusmodi mercimonia & crea„ tione probrosa) sed sit alienus a dignitate, vel sol„ licitudine (*sive G.* curatione) quam pecuniis quæ„ sivit.)

Hic rursus observa, quod Patres utantur voce *ordinationis & promotionis*; ut illam ad Clericos, hanc ad rerum Ecclesiasticarum dispensatores referant, prout & ad illos vocem *Dignitate*, & ad hos vocem, *sollicitudine* sive *curatione* referri oportet.

Nec tantum ipsis sic promotis pœna infligitur, sed & *si quis mediator* (vel G. *sequester & intercessor*) *tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit: si quidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat* (sive G. *excidat*); *si vero Laicus, aut Monachus, anatematizetur.*

Interim hic notandum, Patres Chalcedonenses præsenti Canone pari pœna plectendos censuisse, qui per pecunias & turpis quæstus gratia promovent œconomos, Paramonarios, sive quoscumque rerum Ecclesiast. dis- Pœna simoniæ.

dispensationi & curationi præfectos, quam qui interveniente simili mercimonia ordinant Clericos; ut proinde nec ambigi queat, quin ex sententia hujus Synodi simoniacum sit, propter pecuniam promovere quempiam in *matricularium*, vel *custodem* Eccl. cum certum sit, hujusmodi officiarios æque, immo potiore jure, Ministris Ecclesiæ esse annumerandos, quam œconomos, aliosve dispensandis & curandis proventibus Ecclesiæ destinatos, uti latius ostendi in *Jure Eccles. T. I. part. 1. tit. 4.*

Denique Monachos a Clericis tempore hujus Synodi fuisse distinctos ex diversitate pœnæ utriusque inflictæ hic passim notant interpretes.

Extat hic canon apud Gratianum *caus. 1. q. 1. Can. 8.* (a) qui pro *Paramonarium*, legit *Mansionarium*; non extat tamen in antiquis Gratiani edit. ante Romanam correctionem; sed simpliciter ex vers. Dionysii, prout a Justello refertur, legebatur *dispensatorem* aut *defensorem, vel quemlibet, qui subjectus est regulæ:* ubi ad vocem *dispensatorem* notat Gloss. *id est œconomum vel quemlibet rerum Ecclesiast. administratorem, ut præpositum, œconomum, vel Vice-Dominum.* Et ad vocem defensorem: *Id est, advocatum vel judicem, vel castaldiam. Hic collige quod castaldiam emere est peccatum: nam dispensationem religiosæ domus emere est peccatum.*

Act. 13. Ibas Episi Edessenus accusatus fuit, quod pro ordinationibus aliquid acceperit: quæ accusatio huic Canoni condendo occasione dare potuit.

CANON III.

Pervenit ad sanctam Synodum, quod quidam, qui in Clero videntur allecti, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua suscipiant; Dei quidem ministerium parvipendentes, sæcularium vero discurrentes domos, & propter avaritiam, patrimoniorum sollicitudines adsumentes; decreverit itaque sanctum hoc magnumque Concilium, nullum deinceps, non Episcopum, non Clericum, vel Monachum, aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere: præter pupillorum, si (vel nisi) forte leges imponant, inexcusabilem curam aut civitatis Episcopus Ecclesiast. rerum sollicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum, & viduarum, earumque, quæ sine ulla provisione sunt, personarum, quæ maxime Eccl siastico indigent adjutorio, & propter timorem Domini causa deposcat. Si quis autem transgredi de cætero statuta tentaverit, hujusmodi Ecclesiast. increpationibus subjacebit.

SCHOLION.

Secularibus negotiis non se immisceat Clericus vel Monachus.

INTER Cap. ab Imp. Marciano *act.* 6. Synodo proposita, secundum erat his expressum verbis. „ Quoniam vero aliqui Clericorum & Monachorum, pecuniæ amore languentes, curis mundanarum rerum semetipsos subjiciunt, aut possessionum conductores, „ aut procuratores constituti, ut in domibus sæcularium, observantes tamquam dispensatores effecti; „ placuit huic sancto & magno Conc., nullum Clericum „ conducere possessiones, aut procurationem suscipere, „ nisi forte ei a proprio Episc. jubeatur Eccl. possessionum habere sollicitudinem. Si quis autem post hanc „ definitionem aut ipse conducere præsumpserit, aut „ per alium quemlibet hanc curam suscipere, Ecclesi. „ pœnæ subdatur: quod si in contentione perstiterit, „ dignitate privetur.

Si hoc Cap. conferatur cum presenti Canone, nequaquam obscurum erit, PP. voluisse hoc Canone satisfacere propositioni ab Imper. Synodo factæ, ipsumque Capitulum esse hoc Canone comprehensum, paucis additis.

Itaque decrevit sanctum hoc magnumque Conc., *nullum deinceps, non Episc., non Clericum, vel Monachum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus* (seu Isid. *sæcularibus procurationibus*) *se miscere.*

„ Sunt vero conductores (*inquit Zonaras*) qui spe „ lucri aliena onera vel negotia tractant, seque proinde curis humanarum rerum, perturbationibusque, „ atque adeo contentionibus implicantes, alienarum „ quoque possessionum administrationem, auri cupiditate illecti, suscipere non recusant.

Hoc Synodale Decretum fundatur in illo Apost. 2. ad Tim. *c.* 2. *v.* 4. „ Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Quod exponens S. Cyprianus ep. 66. „ ait: Quod de omnibus dictum sit, quanto magis molestiis & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui „ divinis rebus & spiritualibus occupati ab Ecclesia non „ recedere, & ad terrenos & sæculares actus vacare non possunt.

Quin inter negotia sæcularia recensendæ sint tutelæ & curatelæ, nemo dubitat; cum pene nulla negotia nata sint magis hominem molestiis & tricis sæcularibus intricare, & ab officiis Ecclesiasticis avocare, quam tutorum & curatorum officia.

Hinc & præsens Canon non permittit Clericis aut Monachis tutelam suscipere, *præter pupillorum, si forte leges imponant inexcusabilem curam* (sive G. *nisi utique ex lege ad inexcusabilem impuberum tutelam vocetur*).

Supponit Canon Clericos & Monachos subinde ex legum præscripto *ad inexcusabilem impuberum tutelam* vocari; eo quod tempore hujus Synodi, nulla extaret lex Imperialis, quæ ipsos a legitima tutela, quæ jure cognationis aut agnationis defertur, eximeret.

At Just. Imperator in *L.* 51. „ Cod. de Episc. & Cler. „ generaliter sancivit, omnes viros reverendiss. Episcopos, nec non Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos, & præcipue Monachos, licet non sint Clerici, „ *immunitatem* jure omnes habere tutelæ sive testamentariæ, sive legitimæ, sive dativæ; & non solum tutelæ eos esse expertes, sed etiam *curæ*, non solum „ pupillorum, & adultorum, sed & furiosi, & muti, „ & surdi, & aliarum personarum, quibus tutores vel „ curatores a veteribus legibus dantur. *Quod & rursus confirmavit* Nov. 123. *c.* 5. *eamdem immunitatem* „ *Presb. aliisque Clericis attribuens:* Episcopos autem „ & Monachos, ex nulla lege tutores aut curatores „ cujuscumque fieri permittens.

Clerici & Monachi a curatela & tutela exempti.

Admodum vero notanda ratio concessæ hujus immunitatis expressa in citata *lege* 51. „ Eos autem Clericos „ & Monachos hujusmodi habere beneficium sancimus, „ qui apud sacrosanctas Eccl., vel Monasteria permanent, non divagantes, neque circa divina ministeria „ desides: cum propter hoc ipsum beneficium eis indulgeamus, ut, aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhæreant.

Clerici, qui hodie tutelas & curatelas spe lucri facile suscipiunt, indubie in hunc Can. impingunt, qui tutelam vel curam pupillorum inexcusabilem suscipi duntaxat permittit.

Sunt tamen casus in quibus Clerici possunt tutelam suscipere.

Porro licet Clericis non imponatur per leges *inexcusabilis* tutela vel cura, cum eam recusare queant; nihilominus hæc nonnunquam potest esse personarum conditio omni adjutorio destitutarum; aut negotiorum qualitas, ut eorum curam suscipere proximi charitas, & Clericorum officium jubeant: quod & indicat præsens Canon, alteram exceptionem a generali regula subjiciens: „ Aut civitatis Episcopus Ecclesiast. rerum sollicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum, & „ viduarum, earumque, quæ sine ulla provisione sunt, „ personarum; quæ maxime Ecclesiastico indigent adjutorio; propter timorem Domini causa deposcat.

Notanda sunt Can. verba, *quæ sine ulla provisione* (sive Isid. *indefensæ*) *sunt*; quibus innuitur non omnium pupillorum aut viduarum curam a Clericis suscipiendam; sed earum duntaxat, quæ aliunde *indefensæ & sine ulla provisione sunt*; quæ consequenter tamquam vere desolatæ *maxime Ecclesiast. indigent adjutorio*: quorum curam Clerici suscipere debent, non ex cupiditate *lucri*, sed *propter timorem Dei*, sive ex sola erga Deum pietate. Hoc ex cap. notavimus in *Jur. Eccl. T. IV. p. 3. tom. 6. cap. 2. num.* 56. a S. Carolo constitutum fuisse Clericum, qui esset *advocatus pauperum*.

Illud præterea attendendum in susceptione similium sæcularium officiorum, ut zelus juvandi pupillos, viduas, aliasve personas miserabiles, sit secundum scientiam: ut scilicet ea cum moderatione Sacerdotes, ac præsertim Pastores iis se impendant, ut curam animarum & salutem populi sibi incumbentem non negligant, ne dum proximum circa temporalia & corporalia juvare volunt, eorum negligant spiritualia & æterna.

Pluribus jam Canonibus hæc eadem, quæ de negotiis sæcularibus fugiendis hic decernuntur, erant tempore hujus Synodi statuta, eædemque pœnæ decretæ; quas in contravenientes rursus renovat præsens Canon, decernens, ut *si quis transgredi de cætero* hæc *statuta tentaverit, hujusmodi Ecclesiast. increpationibus* (seu G. *pœnis Ecclesiasticis*) *subiacebit* (seu G. *subjiciatur*).

Deplorat Zonaras, quod licet huic malo tot Canones sint objecti, non *tamen idcirco* (ait) *facta huic malo medicina, quod omnibus locis nunc quoque grassatur: & nemo coercendæ huic pesti, non Patriarcha, non Imper., non Episcopus animum intendit.*

Utinam hæc querela de solis Orientalibus, & non de nobis Occidental. sive Latinis verificari posset?

Extat hic Can. apud Grat. *D.* 86. *C.* 26. ex vers. Isid.

CANON IV.

Qui vere & sincere singularem sectantur vitam, competenter honorentur. Quoniam vero quidam utentes habitu Monachi, Ecclesiastica negotia civiliaque conturbant, circumeuntes indifferenter urbes, necnon & Monasteria sibi instituere tentantes, placuit nullum quidem usquam ædificare, aut constituere monasterium, vel

(a) Hic Canon extat in Epistola Encyclica Concilii Constantinopolitani, quod an. 459. celebratum fuit, & in Actis Concilii Parisiensis quod an. 829. habitum est. Relatus quoque est a Clero Gallicano in Comitiis an. 1655. eo loci & hujus Canonis auctoritate damnantur Præsulum Amanuenses, qui pro sigillo Episcopi, & cæteris ejus juribus immoderata salaria exigunt. Quapropter Michael Turonensis Archiepiscop. 1675. mandato prohibuit, ne pro litteris ordinum & pro qualibet expeditione aliquid daretur, vel acciperetur.

vel orationis domum, præter conscientiam civitatis Episcopi. Monachos vero per unamquamque civitatem aut regionem subjectos esse Episcopo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodo jejunio, & orationi in locis, quibus renuntiaverunt sæculo, permanentes. Nec Ecclesiast. vero, nec sæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes: nisi forte his præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo civitatis. Nullum vero recipere in monasteriis servum obtentu Monachi, præter sui Domini conscientiam. Transgredientem vero hanc definitionem nostram excommunicatum esse decrevimus; ne nomen Dei blasphemetur. Verumtamen Episcopum convenit civitatis competentem monasteriorum providentiam gerere.

SCHOLION.

Monastica disciplina. Hic Can. quemadmodum præcedens, conditus fuit conformiter ad ea, quæ *Act.* 6. suggesserat Marcianus Imper. cujus primum ibidem Synodo expositum Capitulum erat his verbis conceptum. *Eos qui vere & sincere solitariam arripiunt vitam, debito honore dignos judicamus. Quoniam vero quidam sub prætextu solitariæ vitæ & Ecclesias & communes perturbant causas; placuit nullum quidem ædificare monasterium præter voluntatem Domini possessionis. Eos vero Monachos, qui per singulas civitates sunt atque provincias, subjici Episcopo, & quietem amplecti, & intendere solum jejunio & orationi, & neque Ecclesiasticis, neque publicis importunos rebus existere; nisi forte jubeatur eis propter necessariam causam ab Episcopo civitatis. Sed neque potestatem habere Monachos suscipiendi in monasteriis suis servos, aut inscriptitios, præter voluntatem Dominorum.*

Ex collatione hujus Cap. cum Canon super expresso facile apparebit, paucis admodum omissis aut additis, Synodum in confectione Canonis integrum a Marciano suggestum Capitulum assumpsisse.

Plura suggerit hic Canon notanda puncta Canonicæ disciplinæ, præsertim circa Monachorum instituta admodum subservientia.

1. Jampridem visum fuisse PP. esse competenti honore dignos, *qui vere & sincere singularem*, (sive Isd. *solitariam*) (seu G. *monasticam*) *sectantur vitam*.

Monachi sint solitarii. 2. Docet nos præsens Can. nec pridem defuisse, qui *utentes habitu monachali* (sive G. *monachico prætextu*) *Ecclesiastica civiliaque negotia conturbant circumeuntes indifferenter urbes* (sive G. *temere citra ullam discriminis rationem conversantes*), *necnon & monasteria sibi instituere tentantes*.

Notum est, quomodo circa hujus Synodi tempora, Eutyches & Barsumas Monachi cum suis asseclis conspirantes omnem Oriental. Ecclesiam horrende conturbarint, hæresim Eutychianam sparserint, quam & huic Synodo occasionem dedisse in hac dissertatione *cap.* 1. notavimus.

Interim hic discant nostri temporis hæretici, non esse vituperandum aut rejiciendum institutum monasticum, tametsi plures eo non recte utantur; exemplo PP. Chalced. qui *vere & sincere* vita monastica utentes laudant: abutentes autem reprehendunt, & abusibus, & excessibus evellendis remedia adhibenda censuerunt.

Non ædificent sibi Monasterium sine consensu Episcopi. Et quoniam nonnulli ex falsis Monachis sibi monasteria instituere tentabant, idque ex ambitione, ut in Archimandritas erecti illorum monaster. Episcopo non subjicerentur; propterea placuit, *nullum quidem usquam ædificare, aut constituere monast. vel orationis domum* (sive G. *oratoriam domum*) *præter conscientiam* (sive G. *sententiam*) *civitatis Episcopi*.

Per *orationis, vel oratoriam domum*, intelligi *monasteriola*, & cappellas notat Christianus Lupus ad hunc Canonem. *Quod namque* (ait) *ad ejusmodi per Orientem altaria, oratoria, seu cappellas consueverint Monachi nidificare, liquet ex quinta hujus Synodi Act., ubi adversus quosdam Monachos Eutych., usurpantes* Archimandritæ *nomen dixere* Archimandritæ *Constant.* Carosus & Dorothæus Archimandritæ sunt. *Elpidius monumentorum Procopiens. custos est. Eutychius de Basilica cœlestina est, monasterium non habet. Theodorus in monumentis habitat. Rogamus aliquos mitti, ut ambulent & videant monasteria eorum, & discant, si habent monasteria, an deludant, & noceant honoribus Archimandritarum, & amodo debent accipere disciplinam, ut non se dicant Archimandritas, qui in monumentis habitant, id est, in memoriis Martyrum, in oratoriis forensibus, aut cappellis.* Hæc Lupus, qui & ibidem monet: *Gentis multiplicatio lætitiæ magnificationem quandoque subnervat. Quocirca non nisi sub Episcopali oculo & examine congruit monasteria multiplicari.*

Canonem sæpius renovatum, novissime innovavit Synodus Tridentina *sess.* 25. *cap.* 3. *De Regularibus*, pro cujus executione edita est a Clemente VIII. Constitutio, quæ incipit: *Quoniam ad institutum* 99. in Bull. Rom. de quibus latius actum est in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 24. *cap.* 3. *num.* 3. & 4.

In articulo per Marcianum Imp. Synodo proposito *Act.* 6. addebatur: *Neque in possessione præter voluntatem Domini possessionis.*

Sane monasterium in alieno fundo sine Domini consensu ædificare nunquam licuit. Nec enim religionis causa fas est alienum usurpare: quin in monasterii ædificatione omnes interesse habentes audiendi sunt, uti latius deduxi in Jure Eccles. loco mox citato.

Præterea ad coercendos falsos Monachos, placuit, *Monachos per unamquamque civitatem, aut regionem subjectos esse Episcopo.* Sint Episcopo subjecti.

Id constitutum esse ait Lupus, *adversus Barsumæ asseclas, qui Syriæ Episcopis obedientiam denegarant, seque separarant ab eorum communione. Adeo pridem cœperunt Monachi ad exemptionem adspirare.*

Cæterum de subjectione hac Monachorum, eorumque, quæ sensim invaluit, exemptione, & multiplici circa hanc excessu, sat actum in *Jure Eccles. Tom. IV. pag.* 3. *tit.* 12. *cap.* 1. *usq. ad* 6. & in speciali opusculo, cui titulus; *Repagulum Canonicum adversus nimiam &c.* (a)

Mandat ulterius Canon noster, Monachos & *quietem diligere* (sive G. *amplecti*) & *intentos esse tantummodo jejunio & orationi, in locis in quibus renuntiaverunt sæculo* (seu G. *ordinati sunt*) (sive Isidor. *semel Deo se devoverunt*) *permanentes* (seu G. *fortiter perseverantes*). Jejunio, & oratione intenti.

Hic Synodus expressit paucis verbis genuinam Monachorum professionem & institutionem. Nam quietem & solitudinem colere, & a mundi strepitu se abscondere adeo proprium est huic professioni; ut a *singularitate* hac nomen Monachi derivetur. *Monos* enim græce, latine est *unus*, uti & observatur apud Gratianum *caus.* 16. *qu.* 1. *Can.* 8.

Hinc & Monachos passim mundo *mortuos*, quin & *sepultos* dixere Patres. Et Eutyches volens se perfectum ostentare Monachum, dixit ad S. Flaviani Legatos, se in monasterio vivere *quasi in sepulchro*. Et ad Romanam Ecclesiam, quæ Eugenium III. e monasterio ad Papatum attraxerat, exclamat S. Bernardus *epist.* 136. *Parcat vobis Deus, quid fecistis? Sepultum hominem revocastis ad homines; fugitantem curas & turbas curis de novo implicuistis, & immiscuistis turbis.* Et ante hos S. Hieronymus ad Paulinum apud Gratianum loco cit. *Can.* 5. *Si cupis esse quod diceris Monachus, id est,* solus, *quid facis in urbibus, quæ non sunt* solorum *habitacula, sed multorum.* Hinc illud vulgatum apud Gratianum dicto *Can.* 8. *Monachus claustro sit contentus: quia sicut piscis sine aqua caret vita: ita sine monasterio Monachus. Sedeat itaque Solitarius & taceat; quia mundo mortuus est, Deo autem vivit.*

Quantopere Monachorum etiam posteriores Constitutiones desiderent, ut Monachi in suis remaneant claustris, quantaque moderatione & restrictione egressum permittant, notavi in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 27. *cap.* 4. *num.* 2. & 3.

Non minus proprium est Monacho, quod adjungit Synodus, eos intentos esse oportere *jejunio & orationi*. Monachi enim officium est, instar pœnitentis, & lugentis, & sua & mundi peccata plangere, uti notat S. Hieronymus ad Riparium Presbyterum apud Gratianum *Caus.* 16. *Can.* 4. dicens: „ Monachus non docentis, sed *plangentis* habet officium; qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum". Quin & supra citatus Canon 8. ait: „ agnoscat nomen suum: *Monos* enim græce, latine est *unus*: *Achos* græce, latine *tristis* sonat. Inde dicitur, idest *unus tristis*. Sedeat ergo *tristis* & officio vacet.

Recte ergo ad hunc Canonem observavit Lupus: „ Monachus est pœnitentis species, cujus unicum munus est plangere & purgare, quod fit potissimum jejunio & oratione.

Si ea sit Monachorum professio, recte addit Synodus in præsenti Canone: *Nec Ecclesiasticis vero, nec sæcularibus negotiis, vel in aliquo sint molesti* (hæc postrema, *vel in aliquo sint molesti*, desunt apud Græcos) *propria monasteria deserentes, nisi forte his præcipiatur propter opus necessarium* (sive Is. *urgentes necessitates*) *ab Episcopo civitatis*: Græci vero simpliciter legunt: (G. *nisi quandoque a civitatis Episcopo eis permissum fuerit*).

Hinc rursus habemus, Monachos non fuisse de numero Clericorum, qui Ecclesiasticis officiis sive negotiis mancipati sunt. Non sunt e numero Clericorum.

Insuper probat rursus hæc Canonis clausula, quomodo Synodus voluerit Monachos esse Episcopis subjectos, ut nec ad Ecclesiastica, nec ad sæcularia negotia tractanda possint propria monasteria deferere sine Episcopi licentia. „ Neque vero (ait Zonaras) ut rebus gerendis vacare liceat, monasterii sui stationem relinquant, nisi re necessaria coactus Episcopus, aliorumque hominum facultate destitutus, Monachorum alicui, probatæ sibi in eo genere industriæ, negotii procurationem commitendam esse existimaverit.

Eccle-

(a) Prædictum citatum Opusculum jam excusum extat Tom. VI. hujusce editionis.

Ecclesiastica negotia a Monachis sine licentia Episcopi non esse suscipienda, suadet & exigit ipsa Ecclesiasticæ Hierarchiæ conservatio; quæ stare nequit, nisi omnes, qui hierarchicas functiones in unaquaque Ecclesia seu Diœcesi, quæ specialem Hierarchiam constituit, obeunt, uni & eidem Hierarchiæ istius capiti scilicet Episcopo subdantur.

Exemptiones Monachorum quales?

Quapropter quæcumque a Romanis Pontificibus contra hunc Canonem Monachis concessa fuerit a subjectione Episcoporum exemptio, ea nunquam ex mente Pontificum functiones hierarchicas seu Clericales comprehendit, sed solam disciplina monachalem spectat, sive Monachos ut Monachos eximit: non vero ut Clericos, sive ad aliam plane disparatam conditionem translatos; uti latius in citato opusculo ostendi, id est in *Repagulo Canonico adversus nimiam exemptionem extensionem*.

At quia difficile fuit, exemptiones illas intra legitimos limites concludere; hinc altæ illæ & frequentes Patrum de illis exemptionibus querelæ; tamquam ordinis Ecclesiastici eversivis, & plurimorum scandalorum, & turbarum in Ecclesia occasionem præbentibus.

Et quidem privilegia & exemptiones, quæ variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis laxioris vitæ occasionem præbere, agnovit Synodus Tridentina *sess. 24. capit. 11. De reform.*

Unde ad quemdam Episcopum scribit Sanctus Franciscus Salesius *Lib. 1. Epist.* 30. „ In hoc maximam „ esse Dei gloriam, quod ordo Episcopalis agnoscitur „ qualis est: quodque Muscus *ille exemptionum* ab Ec„ clesiæ arbore sit avulsus, in qua tantum mali fecit “. Plura hujusmodi vide in epilogo jam citati *Repaguli Tom. VI.* in quo una referuntur decem Regulæ in materia exemptionum a Canonistis communiter probatæ: Quæ ni observentur contra mentem Pontificum innumera ex iis exemptionibus nata sunt in Ecclesiam & regimen Episcopale incommoda, & turbationes oriri.

Ne & prætextu religionis, & vitæ perfectioris amplectendæ jus privatorum lædatur, & Ecclesia injustitiæ arguatur, decrevit Synodus: *Nullum recipere in monasteriis servum obtentu Monachi* (sive G. *ad hoc ut sit Monachus*) *præter sui Domini conscientiam.* sive G. *voluntatem*.)

Subdit Canon: *Transgredientem vero hanc definitionem nostram, excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Dei blasphemetur.*

Ex pœna *excommunicationis* inflicta, quæ hic, ut patet ex *Canone II.* ac præcipue *VIII.* non Clericorum, seu Laicorum pœna est, rursus probatur, Monachos Clericis haud fuisse annumeratos. Josephus Ægyptius in sua Paraphrasi Arabica legit: *Stricte præcipimus, ut Ecclesiam ingredi probibeatur, ne proba in religionem nostram jactantur.* Dicit autem, *ne nomen Dei blasphemetur*. „ Cujus æternum servus (inquit Zonaras) in„ vito ipso detonsus fuerit, rem totam nimirum ini„ quo animo feret, sanctumque habitum execrabitur, „ totumque Monachorum genus convitiis proscindet, „ convitia vero in habitum eum conjecta, ad ipsum „ etiam Deum transibunt.

Episcopus horum curam gerat.

Ut vero Monachi quietem servare) & in suis monasteriis vere ac sincere vitam monasticam agere queant, declarat Synodus concludendo: *Verumtamen Episcopum convenit* (seu G. *oportet*) *competentem* (vel II. *necessariam*) *monasteriorum providentiam* (sive G. *eam quam par est monasteriorum curam*) *gerere*. Josephus Ægyptius in citata Paraphrasi legit: *Episcopus autem monasteria visitet, eaque, ut par est, in cura habeat*; id est, monasteriis ita provideat, eorumque in spiritualibus & temporalibus eam curam & sollicitudinem gerat, ut Monachi in suis remanentes monasteriis quietam & solitariam vitam vere & sincere agere queant: ne prætextu necessitatis sibi de necessariis providendi occasionem evagandi arripere possint.

Refert hunc Canonem Gratianus *Caus. 16. qu. 1. Can. 12.* non tantum in multis a textu recedens; sed insuper intermediam Canonis periodum omittens; e quibus omissis una cum nonnullis ex *Canone* 8. hujus Synodi desumptis constavit separatum Canonem *Caus. 1. quæst. 2. Can. 10.* ut vel hinc pateat, quam parum fidendum sit Gratiano in Canonum relatione. Præsentem errorem Gratiani notavit Antonius Augustinus *Lib. 1. de emendat. Grat. Dialogo 12.*

CANON V.

De his, qui transmigrant de civitate in civitatem, Episcopis, aut Clericis, placuit, ut Canones, qui de hac re a Sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.

SCHOLION.

Translatio Episcoporum, & Clericorum prohibita.

NULLIS unquam repagulis sisti potuit, & utinam vel hodie non continuo augeretur transmigratio Episcoporum, Pastorum, aliorumque Ecclesiasticorum de una ad aliam Ecclesiam, quo vel major proventum copia, aut sæcularis honor allicit. Immo vix sperandum huic abusui repagulum per Canones opponi posse, quamdiu avaritia & ambitio, aliique humani affectus in Clericis dominabuntur, & ad dignitates & beneficia ipsos impellent.

Huic Canoni occasionem dedisse potest causa Bassiani, qui ex Episcopo Evazorum in Ephesinæ Ecclesiæ Episcopum promotus fuerat, & ex ea dejectus Actione undecima, uti in secunda parte Dissertationis præcedentis notatum est.

CANON VI.

Nullum absolute ordinari debere Presbyterum aut Diaconum, nec quemlibet in gradu Ecclesiastico; nisi specialiter Ecclesiæ civitatis, aut possessionis, aut Martyris, aut monasterii, qui ordinandus est pronuntietur. Qui vero absolute ordinatur, decrevit Sancta Synodus, irritam haberi hujusmodi manus impositionem, & nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam.

SCHOLION.

Absoluta Ordinatio irrita.

VETAT præsens Canon, aliquem absolute ordinari, id est ordinari absque designatione seu adscriptione alicujus loci, in quo functiones sui ordinis exerceat, uti in textu exponitur, & notarunt Balsamon & Zonaras; aitque hic: „ quemvis hominem ita Clero „ adscribi, ut ubicumque voluerit proficiscatur, sacra„ que administret, aut Sacerdotalem aliquam exerceat „ functionem, hic Canon vetat.

Et post hos Josephus Ægyptius in sua paraphrasi Arabica primam hujus Canonis partem ita reddit: „ Nemo ordinationem accipiat, nisi declaretur ei lo„ cus & sedes, ubi resideat; non Presbyter, nec Dia„ conus, nec alius ab iis, neque qui istis inferior „ est, sed locus ejus declaretur, & in eo con„ stans maneat, & si ab eo translatus fuerit, eidem „ restituatur.

Loca autem, in quibus designari possunt, subjungit ipse Canon, vetans aliquem ordinari, *nisi specialiter Ecclesiæ civitatis, aut possessionis, aut Martyrii, aut Monasterii, qui ordinandus est pronuntietur* (seu G. H. *definetur*) (sive Isid. *mereatur ordinationis publicatæ vocabulum*).

In antiqua versione apud Justellum in bibliotheca juris Canonici veteris legitur, *prædicatur*, quod Justellus interpretatur: *id est*, palam & publice *prædicatus vel nominatus adscribatur ministerio hujus vel illius Ecclesiæ*.

Quantumvis admodum verisimile sit, Ecclesiam, ad quam quis ordinabatur, etiam olim publice in ipsa ordinatione fuisse publicatam, uti hodie titulus ordinationis publicari solet, nihilominus unicus hujus Canonis scopus fuisse apparet, ne Clerici ordinarentur, nisi una alicui certo loco, in quo functiones ordinis suscepti, constanter & permanenter obirent, adscribantur.

Martyrium de quo hic Canon, dicitur ædes sacra sub Martyris alicujus nomine, sive potius ad ejus sepulchrum & reliquias exstructa, uti latius exponit Du-Cange in Glossario mediæ & infimæ latinitatis verbo *Martyrium*.

Itaque permittit Canon, ut quis ordinetur, qui hujusmodi ædi sacræ, sive Martyrio præficiatur: ibique functionibus Ecclesiasticis incumbat.

In *Monasterio* etiam aliquem ordinari permittit Canon, id est ordinari in eum finem, ut alicui Monasterio serviat, ibique functiones Ecclesiasticas obeat. Cum enim primis sæculis Monachi solerent esse Laici, unus ei dabatur Presbyter, qui Missarum solemnia, aliaque sacerdotalia iis impenderet. Ita in sua Regula, & in epistolis S. Augustinus non semel distinguit Monasterii Præpositum, (*a*) & Monasterii Presbyterum. Et S. Gregorius *lib. 5. epist.* 41. scribit Victori Episcopo Panormitano, ut ad postulationem Abbatis Monasterii S. Hermæ ordinet Presbyterum ad Missarum solemnia in Monasterio celebranda: *eum, qui ad ministerium de eadem Congregatione electus fuerit; cujus vita mores & actio tanto ministerio possint convenire .... quatenus nec ille de Monasterio suo hac pro causa regredi, nec extraneum sibi ad peragendum sacrum opus cogatur adducere.*

Ad relata S. Gregorii verba reflectens Vir eruditus Petus Gussanvillæus in notis. „ Aut nulli aut pauci „ erant in monasteriis presbyteri. Extraneum sæpe „ adducebant, qui coram illis sacrum faceret. Hunc „ qui cum nostro morem contulerit, mirabitur; nam „ in unoquoque monasterio tot fere sunt presbyteri „ quot monachi; immo jam nonnullis sacerdotium ita „ vide-

(*a*) Regula, quam sanctus confecit Augustinus, nunquam a sancto Doctore elucubrata est pro viris, sed pro Monialibus; unde in ea legitur *præposita* non *præpositus*, quod sit in exemplaribus, quibus viri utuntur, reperiatur *præpositus*, hæc mutatio longe post Augustini tempora facta est a viris, qui suo instituto hanc Regulam deinceps accommodarunt.

„ videtur necessarium, ut ætatem legitimam præveniant, & ante 24. annum ordinentur.

Itaque ex mente Canonis, ordinari in monasterio, sive ad monasterium, est ordinari eum in finem, ut presbyter sit monasterii, ibique suis functionibus occupetur.

Et quidem hoc Canone in tantum improbantur similes *absolutæ* ordinationes, ut decreverit Synodus, eorum, qui *absolute* ordinantur, *irritam* (G. H. *ac invalidam*) (seu Isid. *vacuam*) (sive Q. *inefficacem*) *habere hujusmodi manus impositionem*; *& nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam*, (sive G. H. *& nusquam exercere ac operari posse ad ejus, qui ordinavit, contumeliam*) (seu Isid. *nullum ejus tale factum valere ad injuriam ipsius, qui eum ordinavit.*)

Hæ expressiones innuere videntur, quod Synodus Chalcedonensis, non tantum habuerit hujusmodi ordinationes pro *illicitis*; sed etiam pro invalidis *irritis & cassis*.

Pristina disciplina circa ordinationes contra Canonum præscripta attentatas.

Neque id mirum videbitur, si pristinam Ecclesiæ disciplinam, & veterum etiam Scholasticorum multorum opinionem attendamus, qui docuere " quædam esse „ Ecclesiasticæ institutionis, quæ licet mutari possint, „ & pro temporum & locorum varietate aliter atque „ aliter observari, tanti tamen esse momenti quamdiu ab Ecclesia revocata aut abrogata non sunt, ut „ eorum omissio ordinationem reddat non modo inhonestam & illicitam, se etiam irritam & nullam, „ omnique effectu & gratia cassam "; uti multis citatis antiquis Scholasticis probat Morinus de Sacris Ordinat. *par. 3. exercit. 5. cap. 9.* prætenditque; " de „ hoc Sacramento analogice dicendum, quod de Matrimonio & Pœnitentia, quorum materias videmus „ Ecclesiam sæpe sub interminatione *irriti* sacramenti „ restrinxisse, dilatasse, vario tempore variis modis „ determinasse.

Ad illa non reflectens Glossographus apud Gratianum loco infra citando, eumque secuti recentiores Canonistæ, & Theologi, hunc, similesque Canones, invaliditatem Ordinationis præferentes, interpretantur de nullitate non absoluta, sed tantum *quoad executionem*, id est, quod Ordinatus nequeat *licite* exequi seu obire functiones Ordinis suscepti; quamvis *valide* sit ordinatus, ideoque si functiones illicite & contra Canones obiret, equidem exerceret valide.

Quid hodie de iisdem ordinationibus censetur?

Quidquid sit de occasione introductæ modernæ Ecclesiæ disciplinæ, certum est, quod ea jam recepta & ab Ecclesia non probata, nequaquam de validitate similium ordinationum, licet attentatæ sint contra Canones, esse dubitandum, nec eam validitatem in dubium revocandam, tametsi pristini Canones invaliditati amplius favere videantur.

Absoluta ordinatio a Tridentino prohibita.

Disciplinam contra *absolutas* ordinationes hoc Canone expressam aliqua ex parte renovavit Synodus Tridentina *sess. 23. cap. 16. de Reform.* quippe statuit: *ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus*. Non dicit, ordinationem aliter factam esse invalidam, irritam aut cassam: eo quod tempore hujus Synodi, Ecclesia hujusmodi ordinationes licet illicitas, reputaret validas.

Cæterum de hac disciplina latius actum est in *Jure Ecclesiastico, Tom. I. parte 1. tit. 1. cap. 4.*

Quod autem dicit Canon, *nusquam posse ministrare* sic ordinatum *ad ordinantis injuriam*, ita interpretatur Zonaras: " Inuritur haud dubie collatori nota dedecoris, cum ei, cui contulit sacros ordines, ab „ ipso Antistite communicata obeundi sacra ministeria „ facultas eripitur; hominemque eodem loco, ac si „ nunquam initiatus fuisset, haberi decernitur.

Mendum Glossæ.

Hunc Canonem refert Gratianus *Dist. 70. can. 1.* ex versione Isidori, qui loco vocis *pagi* vel *vici*, ponit, uti Justelli editio, vocem *possessionis*, quam contra mentem Canonis Glossographus accepit pro *patrimonio*, quasi ibidem titulus *patrimonii* probaretur, qui tamen multis sæculis post Synodum Chalcedonensem demum innotuit, uti ostendi in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 9. cap. 6. num. 6. & 7.*

CANON VII.

Qui semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam expetiverunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam; sed hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quominus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari.

SCHOLION.

Clericus vel Monachus ad statum sæcularem rediens anathematizatur.

PRo intellectu præsentis Canonis observandum Patres jampridem existimasse, per professionem Clericalem in cujuscumque ordinis etiam minoris susceptione, ita Clericum vitæ & professioni Clericali adstringi, ut sine quadam apostasia non liceret ad vitæ sæcularis exercitia, professioni Clericali opposita, transire; licet ad statum matrimonialem, tamquam Clericatui haud repugnantem, transire non esset interdictum.

Unde Concilium Turonicum I. quod decem circiter annis post Synodum Chalcedonensem habitum est, ait *can. 5.* " Si quis Clericus, relicto officii sui ordine, „ Laicam voluerit agere vitam, vel se militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.

Et multis hanc disciplinam in suis Novellis, præsertim *Novella 123. cap. 15.* inculcat Justinianus Imperator. Rationem illius reddit S. Ambrosius *epist. 17.* „ Quid enim, ait, stultius, quam relictis cœlestibus ad „ terrena intendisse, & posthabitis perpetuis elegisse „ ea, quæ caduca sunt & fragilia "? Et nonnullis interjectis: „ Tu quicumque in Clero es Domini portio „ ejus & possessio noli recedere de Domini possessione.

Constans igitur erat Patrum persuasio, quod qui vitam Clericalem & Monachalem elegisset, eam deserere, & militiam, aut alia sæcularia magistratus exercitia assumere nequiret: quam disciplinam etiam sæculo XIII. superstitem fuisse contendit Ludovicus Thomassinus *de discipl. Eccles. part. 4. lib. 2. cap. 4.* una observans, nec hodie ad Clerum, etiam per primam tonsuram, esse assumendum de quo non sit probabilis conjectura, quod eo animo accedat, ut Deo & Ecclesiæ in hoc vitæ genere intendat *stabiliter* servire; quod & confirmavimus in *Jure Eccles. Tom. I. parte 1. tit. 1. cap. 1.*

Itaque statuitur hoc Canone, eos " qui semel in „ Clero deputati sunt (*sive G.* ordinati sunt) aut „ Monachorum vitam expetiverunt (*seu G.* itidem „ Monachi) (*aut Isid.* in Monasteriis deputati) neque ad militiam (*sive G.* militarem expeditionem) „ neque ad dignitatem aliquam venire mundanam; aut „ hoc tentantes (*sive G.* qui autem hoc audent) (*vel* „ *Isid.* eos autem qui hoc ausi fuerint facere) & non „ agentes pœnitentiam, quominus redeant ad hoc (*sive* „ *G.* non pœnitentia ducti ad id revertuntur) quod „ propter Deum primitus elegerunt (*vel Isid.* & non „ ejus rei pœnitere maluerint, ut ad hoc idem revertantur, quod ante obtentu Dei proposuerunt sibi) „ anathematizari.

Haud obscurum est, præsertim juxta Græcorum lectionem, hic agi de Clericis & Monachis, qui abjecta vita Clericali, aut Monachali transiverunt ad vitam sæcularem; atque in hac, licet moniti, perseverare malunt, quam ad pristinam, quam semel elegerant, redire.

Hi igitur, quia hoc agendi modo se ipsos deponunt a Clericatu, non dicuntur deponendi, sed anathematizandi, tamquam *Laici*, quem statum propria sponte elegerunt. " Ipse enim (ait Balsamon) depositionis sententiam in se tulit, qui se sacra veste etiam „ ante condemnationem exsuit, & Laicus factus est ". Similiter & Zonaras præsentem Canonem interpretatur non de Clericis & Monachis, qui simpliciter sæcularibus negotiis contra Canones se immiscent (de quibus agitur Canone LXXXIII. Apostolorum) sed „ de Clericis, & Monachis, qui sacro habitu rejecto, „ aut ornatum militarem tamquam militiæ professione „ censendi, aut profanum alium, quasi magistratus in „ Republica candidati sumpserant.

In eumdem sensum præsentem Canonem accepit Aristenus, monens, huic Canoni concurrere Imperatoris Leonis Philosophi Novellam octavam, quæ non permittit Monachis laici habitum resumere.

Hic discimus, Ecclesiam graviter apprehendisse, eam apostasiam, qua quis a semel electa militia Christi divertit, quasi canis reversus ad vomitum, ad malitiam sæculi.

Itaque hinc patet sedulo considerandum & expendendum, dum de assumendo hujusmodi statu deliberatur; ne alias dum leviter assumitur, etiam postmodum leviter deseratur; aut si deseri nequeat, eum suscepisse pœniteat, & tunc si habitum & externam professionem mutare nequeant, animo tamen & affectu ad mundana revertantur: quod quam hodie tam in Clericis quam in Monachis sit frequens, notius est, quam hic pluribus probari & exponi necesse sit.

Extat hic Canon apud Gratianum *caus. 20. quæst. 3. Can. 3.*

CANON VIII.

Clerici, qui præficiuntur Ptochiis (vel Ptochodochiis) & qui ordinantur in monasteriis, & basilicis Martyrum, sub Episcoporum, qui in unaquaque civitate sunt, secundum sanctorum Patrum traditiones, potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui vero audeat vertere hujusmodi formam quocumque modo, nec proprio subjiciuntur Episcopo: si quidem Clerici sunt, Canonum correptionibus subjacebunt, si vero Laici, vel Monachi fuerint, communione priventur.

SCHOLION.

Præfecti Ptochiis, aliisque piis fundationibus Episcopo subjiciuntur.

SUnt Ptochæja (ait Zonaras) domus, quæ pauperibus sustentandis curandisve destinatæ sunt, quales erant, in quas aut pupilli, aut alii ætate, variisque mor-

morborum generibus confecti homines recipi & ali solebant.

Ne vero homines illi infirmi, aut ætate confecti divinis officiis frustrarentur, curæ fuit fundatoribus " & „ in eis ædiculas excitare (ait Zonaras) & divinis „ laudibus persolvendis Clericos constituere, ut ad eas „ auscultandas tota illa qualiscumque familia non dif„ficile conveniret.

In codice Ecclesiæ Romanæ non legitur *qui perficiuntur ptochiis* &c. sed generaliter dicitur, *Clerici, qui pauperum dispensationis, vel Monasteriorum, vel Martyriorum præsunt*.

Huic lectioni etiam consonat paraphrasis Arabica Josephi Ægyptii, qui ita legit : " Quicumque Sacerdos „ in ullis est rebus pauperum, aut orphanorum, vel „ in Monasteriis, aut Martyriis, Episcopo civitatis, „ in cujus territoriis locus est situs, subjiciatur.

Et sat verisimile est, mentem Patrum fuisse, subjectos Episcopo declarare generaliter omnes Clericos & Monachos, qui administrationi locorum, aut bonorum pauperum præfecti sunt.

Cum enim juxta Patrum & Canonum traditionem Episcopis cura pauperum suæ Diœcesis præcipue incumbat, æquum quoque est, ut qui locis & bonis pauperum dispensandis præsunt, eisdem quoque subdantur; ut ipsis constare queat, num recte & fideliter hujusmodi bona dispensentur & administrentur in usum & profectum pauperum.

Credit Balsamon " verisimile esse, quod aliquando „ dicerent nonnulli, solos Episcopatus vel Metropolis „ Clericos regionis Episcopo subjici : Monachos au„tem, vel etiam Clericos divinorum templorum, quæ „ sunt in orphanotrophiis, vel etiam Gerocomiis, „ vel etiam in Martyriorum Ecclesiis, Episcopo non „ subjici, etiamsi sint in ejus Diœcesi, sed eis, qui „ monasteria & reliqua ædificaverunt.

Hanc ergo Clericorum & Monachorum prætensam exemptionem rejiciens Synodus, vult, ut omnes sive Clerici, sive Laici, sive Monachi similibus locis inservientes, *sub Episcoporum, qui in unaquaque civitate sunt, secundum sanctorum Patrum traditiones*, (sive Isid. *sanctorum Canonum traditionem*) *permanent, nec per contumaciam* (sive G. *per arrogantiam*) *ab Episcopo suo dissiliant* (seu G. *subducant*) (vel Isid. *nec per suam temeritatem Episcopi sui moderationem declinent*).

Hinc discimus, quod Synodus Chalcedonensis voluerit, ut omnes, qui similibus piis locis præsunt, subsint moderationi Episcopi, eique subjici debeant, idque a Synodo esse decretum juxta Sanctorum Patrum & Canonum traditionem.

Hanc disciplinam jure communi, & a Synodo Tridentina firmata esse ostendimus in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 4. tit. 6. cap. 2.* Alias *tit. 1. part. 2. tit. 37. cap. 2*, ubi & annotatum, quid in Belgio circa hanc disciplinam mutatum sit.

Licet Canon in prima parte tantum *Clericorum* meminerit, tamen, hic & Monachos contineri, secunda pars Canonis, qua pœna decernitur, satis indicat, & expresse monent Balsamon, & Zonaras.

Refertur hic Canon a Gratiano *caus. 18. qu. 2. Cap. 10.* ubi videndæ notæ correctorum Romanorum.

CANON IX.

Si quis Clericus adversus Clericum habet negotium non deserat Episcopum proprium, & (vel ut) ad sæcularia percurrat judicia : sed prius actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certe Concilio ejusdem Episcopi, apud quos utraque partes voluerint, judicium continebunt (a). *Si quis autem præter hæc fecerit, Canonicis correptionibus subjacebit. Quod si Clericus habet causam adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum, apud Synodum provinciæ judicetur. Quod si adversus ejusdem provinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet querelam, petat Primatum Diœceseos, aut Sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsum judicetur.*

SCHOLION.

HOc Canone agitur de judice, coram quo Clericorum quæstiones sunt terminandæ: & triplex casus distinguitur. Vel enim Clericus quæstionem habet cum Clerico, vel cum Episcopo proprio; vel cum suo Metropolitano.

Clericus contra Clericum prius agat coram Episcopo.

Circa primum, quando Clericus causam seu negotium habet adversus Clericum, statuitur, *ut non deserat proprium Episcopum, & ad sæcularia judicia percurrat, sed prius actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certe concilio ejusdem Episcopi* (G. *vel Episcopi voluntate*) *apud quos utraque partes voluerint* (seu G. *apud eos, quos utraque pars elegerit*) (sive Isid. *apud arbitros ex utraque parte electos*) *judicium continebunt* (sive G. *judicium agitetur*).

Canon in hoc articulo generaliter loquens de omni negotio & causa inter Clericos vertente; tam de causis civilibus, quam de Ecclesiasticis est intelligendus, ut quæcumque ex his causis inter Clericos oriatur, quæstio ad Episcopum proprium, & non ad sæcularia judicia deferatur.

Notandum autem adverbium *prius*, quo significatur, non absolute & simpliciter inhiberi Clericis, causas suas civiles ad judicia sæcularia deferre; sed *prius* adeundum esse proprium Episcopum, ut per ipsum, aut alios, quos de consilio aut voluntate Episcopi utraque pars elegerit; negotium sine strepitu forensi terminetur.

Idipsum Justinianum confirmavit *Novella 123. cap. 21.* non tantum in causis, quæ inter ipsos Clericos aguntur, sed etiam quæ a Laicis adversus Clericos instituuntur. " Si quis contra aliquem Clericum, aut „ Monachum, aut Diaconissam, aut Monasteriam, „ aut ascetriam, habeat aliquam actionem; adeat *prius* „ sanctissimum Episcopum, cui horum unusquisque „ subjaceat; ille vero causam inter eos judicet; & si „ quidem utraque pars iis, quæ judicata sunt, acquie„verit, jubemus per loci judicem hoc executioni per„fectæ contradi. Si quis autem litigantium intra de„cem dies contradicat iis, quæ judicata sunt, tunc „ locorum judex causam examinet: & si invenerit ju„dicium recte factum, etiam per sententiam propriam „ hoc confirmet; & executioni propriæ tradat, quæ „ judicata sunt, & non liceat secundo in tali causa „ victo appellare.

Voluit igitur Justinianus, conformiter ad hunc Canonem, ut negotia Clericorum prius ad Episcopum deferantur, quam ad forensia judicia veniatur; ut si fieri queat, quæstiones per Episcopum aut arbitros electos de consilio, aut voluntate Episcopi terminentur, & Clerici, aliæque personæ Ecclesiasticæ forensibus litibus eximantur; uti latius ostendimus in *Jure Eccles. Tom. IV. parte 3. tit. 1. cap. 4.* alias *cap. 3.* ubi una notatum est, privilegium fori Clericis primitus datum fuisse, ut a strepitu forensi eximerentur, & per Episcopos eorum negotia sine ullo strepitu forensi finirentur.

Clericus contra Episcopum agat coram Synodo provinciali.

Pergit dein Canon, *quod si Clericus habet causam adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum, apud Synodum provinciæ* (sive Isid. *apud audientium Synodi provinciæ ejus*) *judicetur* : conformiter ad Canonem V. Nicænum.

Contra Metropolitanum agat coram Primate, vel coram Episcopo Constantinop.

Quod si adversus ejusdem provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceseos (sive G. *Diœcesis Exarchum adeat*) *aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ* (sive G. *Imperialis urbis Constantinopolis thronum*) *& apud ipsum judicetur.*

Manifestum est, tum ex hoc, tum ex XXVIII. hujus Synodi Canone, sedem Constantinopolitanam sensim multis privilegiis & prærogativis fuisse exaltatam: & quidem præsenti Canone datur privilegium " quod nemi„ni aliorum Patriarcharum concessum fuit nec a Ca„nonibus, nec a legibus, ut Metropolitanus, qui „ uni subjacet Patriarchæ, ab alio judicetur, nisi soli „ Constantinopolitano ": uti notat Aristenus hic.

Hoc Canone *Exarchi* nomine non intelligi simplices Provinciarum Metropolitanos manifestum est ex ipso contextu, uti etiam Balsamon annotavit, sed eum, qui toti *Diœcesi* juxta veterem hujus vocis significationem præerat; id est districtui Ecclesiastico, qui sub se plures Provincias continebat. " Diœcesis est (ait hic „ Balsamon) quæ multas sub se habet Provincias.

Hi ergo, qui hujusmodi districtui præerant, pluresque Metropolitanos Provinciarum sub se habebant, vocantur hic *Exarchi Diœcesis*, vel juxta versionem Dionysii, Primates Diœceseos. Sic inter acta hujus Synodi, Domnus Antiochiæ Episcopus, Exarchus Diœcesis *Orientalis* dicitur. Justinianus in citata *Novella 123. cap. 22.* ecclesiasticam hanc Constitutionem sua auctoritate confirmans, pro *Exarcho* substituit *Patriarcham*, dicens : " Si vero contra Metropolitam talis „ aditio fiat ab Episcopo, aut Clero, aut alia qua„cumque persona, Diœceseos illius beatissimus *Patri„archa* simili modo causam judicet.

Aristenus quoque per *Exarchum* intelligi voluit *Patriarcham*. Verum an Canon de veris Patriarchis, ut sunt Alexandrinus, & Antiochenus loquatur, merito dubitatur, ob privilegium Episcopo Constantinopolitano datum: quia nullatenus vero simile est Metropolitanos istorum Patriarchatuum, omisso proprio Patriarcha, ad Constantinopolitanum potuisse recurrere; nec unquam hoc prætendisse Constantinopolitanum loquitur.

Multo minus verisimile est, hic de Patriarcha Occidentis, sive Episcopo Romano sermonem fuisse; quandoquidem enim Synodus Canone XXVIII. tantum secundum locum post sedem Romanam tribuat Constantinopolitano, verisimile ne est, quod hoc Canone eam tribuisset prærogativam Sedi Constantinopolitanæ, ut hæc etiam Metropolitanos subjectos Patriarchæ Romano, ipso præterito, judicaret ? uti recte advertit Petrus de Marca in dissertatione ad Concilium Claromontanum de primato Lugdunensi, & aliis primatibus § 9. & 10. habetur *Tom. 10. Concil. general. col. 519.*

Ita-

(a) Forte *continuabunt*,

Itaque hoc Canone uti & XVII. *post Exarchum* intelligi videtur Diœceseos Primas seu Patriarcha, quemadmodum & Justinianus hunc Canonem sua auctoritate confirmans intellexit *Novel.* 123. *cap.* 22. " Si vero (ait) contra Metropolitanum talis aditio fiat ,, ab Episcopo aut Clero, aut alia quacumque persona ,, Diœceseos illius *beatissimus Patriarcha* simili modo causam judicet.

Ita & Aristenus intrepretatur, dicens : " Apud ,, Diœceseos Exarchum *sive Patriarcham*, cui subsunt ,, Provinciarum illarum Metropolitani, litigare debet.

Unde plane absona est Severini Binii interpretatio, qua per Primatem hic intelligi vult Romanum Pontificem ; quam interpretationem solide hic refutat Beveregius.

Refertur hic Canon apud Gratianum *caus.* 11. *quæst.* 1. *Can.* 46. & prior Canonis pars extat in *cap. IX. de foro comp.* Hunc Canonem sat bene interpretatur Franciscus Florens in commentario ad *caus.* 11. *quæst.* 1. *part.* 2. *pag.* 5. *& sequentibus.*

CANON X.

Non licere Clericum in duarum civitatum conscribi simul Ecclesiis, & in qua initio ordinatus est, & ad quam confugit, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem ; hoc autem facientes revocari debere ad suam Ecclesiam, in qua primitus ordinati sunt, & ibi tantummodo ministrare. Si vero jam quis translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, vel Martyriorum, quæ sub ea sunt, aut Ptochiorum, aut Xenodochiorum rebus in nullo communicet. Eos vero, qui ausi fuerint, post definitionem magnæ & universalis hujus Synodi, quidquam ex his, quæ sunt prohibita, perpetrare, decrevit sancta Synodus, a proprio hujusmodi gradu recedere (vel forsan excidere) (a).

SCHOLION.

Pluralitas Beneficiorum damnata.

HIc Canon evincit, esse pestem Ecclesiæ admodum antiquam, quod Clerici non contenti Ecclesia, cui primitus adscripti sunt, ut ibidem Deo & Ecclesiæ fideliter & permanenter ministrent, *ex inanis gloriæ cupiditate*: aut turpis lucri quæstu aliquam majorem sive ampliorem ambiant.

Præcipit igitur Canon, non posse Clericum in duabus *conscribi simul Ecclesiis, & in qua initio ordinatus est, & ad quam confugit, quasi ad potiorem, ex inanis gloriæ cupiditate. Hoc autem facientes revocari debere ad suam Ecclesiam* (sive G. *propriæ Ecclesiæ restitui*) *in qua primitus ordinati sunt, & ibi tantummodo ministrare.*

Eadem pluralitas reprobata Jure civili.

Hanc Clericorum cupiditatem & ambitionem reprobat quoque Justinianus *Novell.* 3. *cap.* 2. *Illud quoque adjiciendum est (ait) ut quod hactenus non decenter fiebat, nequaquam in republica geratur, id est, multos reverendissimorum Clericorum, dedignari quidem in iis, quibus ordinati sunt sanctissimis Ecclesiis aut hic, aut in provinciis deservire: ad sanctissimam vero majorem Ecclesiam, & venerabilem Clerum ejus patrocinium quodlibet accedere, quod de cætero omnimodo fieri prohibemus. Nam si super venerabilibus Monasteriis prohibemus* ex alio Monasterio ad aliud transmigrare: *multo magis neque reverendissimis Clericis hoc permittemus lucri & negotiationis habere demonstrationem, hujusmodi horum desiderium judicantes.*

Recte notavit Christianus Lupus in Scholiis ad hunc Canonem, eum esse *palmarem adversus pluralitatem beneficiorum*. Pro quo notandum, quod juxta modernam Ecclesiæ disciplinam, Clerici per institutionem & possessionem beneficiorum Ecclesiis illis, in quibus beneficia fundata sunt, adscribuntur ; quapropter dum quis duo beneficia in duabus Ecclesiis obtinet, in duabus Ecclesiis eodem tempore censetur adscriptus ; sive in catalogum Clericorum duarum Ecclesiarum relatus, contra hujus Canonis sanctionem.

Ulterius præcipit Canon sub pœna a proprio gradu excidendi, si *jam quis translatus est* (id est ante Synodum) *ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ vel Martyriorum, quæ sub ea sunt, aut Ptochiorum, aut Xenodochiorum rebus in nullo communicet* (vel Isid. *nihil habeat commune cum priore Ecclesia, sive sub hac Ecclesia constitutis Martyriis, sive in ptochiis, vel xenodochiis, aut eorum negotiis*).

Quæ pensio impingat in hunc Canonem ?

Quamvis hodie Clerici ex ambitione, aliave humana consideratione beneficia resignantes aut permutantes, ac ita de una ad aliam transeuntes, priorem Ecclesiam deserant, nec se ulterius negotiis illius immisceant ; nihilominus in Canonem hunc frequentissime impingunt, accipientes ex fructibus beneficii dimissi notabilem pensionem annuam, eo solo titulo, quod beneficium dimissum tamquam suum possederint. Quem titulum accipiendæ pensionis esse huic, aliisque Canonibus contrarium, & aliunde plane insufficientem ostendi in tractatu de Simonia circa beneficia, & pensionibus, *T. V. part.* 2. *cap.* 4. *&* 5. *& in Jure Eccles. T.* III. *par.* 2. *sect.* 3. *tit.* 11. *cap.* 3. alias *tit.* 23. *cap.* 3.

CANON XI.

Omnes pauperes & indigentes auxilio, cum proficiscuntur sub probatione epistolis, vel Ecclesiasticis pacificis tantummodo commendare (b) decrevimus, & non commendatitiis litteris, propter quod commendatitias litteras honoratioribus tantummodo præstari personis conveniat.

SCHOLION.

Pauperibus proficiscentibus Pacificæ, honoratioribus commendatitiæ concedantur.

PRæsenti Canone statuitur in primis, ut pauperibus cum proficiscuntur, dentur epistolæ, quæ *pacificæ* dicuntur ; idque sub *probatione* sive cum examinatione.

Hæ litteræ optime describuntur a Sozomeno *lib.* 6. *histor. Eccles. cap.* 16. ubi de Juliano Apostata ait : ,, Sed præcipue notas ac tesseras Episcopalium litterarum admiratus esse dicitur, quibus solent peregrinos ,, sibi invicem commendare, ut undelibet venientes, ,, ad quoscumque accesserint, tamquam noti atque amici excipiantur hospitio, & benigne curentur ob ,, testimonium ejus notæ.

Et Gregorius Nazianzenus de eodem Apostata verba faciens, scribit *Orat.* 1. adversus Julianum : ,, Quin ,, etiam diversoria & domos excipiendis hospitibus extruere constituebat, simulque humanitatem erga pauperes adjungere, cum aliam, tum eam, quæ *in tesseris epistolaribus* consistit, quibus nos egenos ex gente ad gentem transmittimus.

Itaque epistolæ illæ *pacificæ*, quas præcipit Synodus *pauperibus proficiscentibus* dari, sunt illæ, quibus Episcopi testabantur hos proficiscentes esse revera pauperes, & dignos, quibus eleemosynæ darentur : & ne immerentibus sub prætextu similium litterarum eleemosynæ, aliave humanitatis & pietatis opera exhibeantur, vult Synodus, ut dentur sub *probatione*, sive cum *examinatione*: id est prævie examinetur, num revera pauperes sint, & digni qui eleemosynis fidelium gaudeant.

Si & hodie hujusmodi litteræ ab Episcopis & Pastoribus non concederentur, nisi prævio exacto examine de paupertate ac moribus, vitæque instituto, indubie majore cum charitate & affectu peregrini hujusmodi litteris instructi a piis fidelibus acciperentur : sed quia nimia sciuntur facilitate a multis dari, hinc & parum iis a fidelibus deferri solet.

Sensum Canonis quoad hanc partem optime exposuit in sua paraphrasi Arabica Josephus Ægyptius : ,, De ,, omnibus pauperibus, qui eleemosynas rogant, mandamus modo, ut scribantur eis epistolæ, cum inquisitum fuerit in res eorum ; & quod illi digni sint ,, eleemosynis, & quod necessaria iis deficiant. Et hæ ,, epistolæ in ipsorum manibus sint, ut fideles etiam ,, eas videant, & misericordiæ in eos commoveantur.

Præcipit autem Synodus, ut *pauperes* his duntaxat litteris commendentur, *& non commendatitiis litteris*. Rationem subjungit : propter *quod commendatitia honoratioribus tantummodo præstari personis conveniat* (sive Isid. *eos tantum accipere convenit, qui in opere sunt clariores*) (vel Q. *quoniam Synodicas litteras his tantum dari convenit, qui bonæ opinionis esse videntur.*)

Hac latinorum lectione inductus vir eruditus Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis in notis ad hunc Canonem, credit litteras has *commendatitias*, non tantum significasse, ut hisce instructi *pacis & hospitalitatis christianæ* jure, sive *necessariis* ad sustentationem gauderent ; sed insuper ut cum aliquo *honore* & lautius ac dignius exciperentur ; utpote *honoratiores*, vel in *opere clariores.*

Porro Græci, puta Balsamon, Zonaras, Aristenus, & Matthæus Blasteres, quos & sequitur Gentianus Hervetus, finalia hujus Canonis verba, quibus redditur ratio, cur *pauperibus commendatitiæ* litteræ dari non debeant ita legunt : *Quoniam litteras commendatitias iis solis personis, quæ sunt suspectæ, præberi oportet.*

Huic lectioni insistentes, scribunt Græci commentatores, Balsamon, Zonaras, aliique, epistolas commendatitias dici ,, quæ *segregatis* antea Clericis & Laicis, ,, aut omnino *ignotis* hominibus in aliam urbem migrantibus... tradi consuevere, virosque, ut a pœnis ,, solutos, aut fideles, illius civitatis Episcopo commendantes ". Hæc Zonaras, qui & scribit : *Accipiunt ii quoque commendatitias, qui vocati in judicium*

cium

(a) Si quis conferat hanc istius Canonis versionem cum altera versione, qua usus est D. Van-Espen. *Tom. III. part.* 2. *Juris univ. sect.* 3. *tit.* 3. *cap.* 1. *num.* 3. nonnulla reperiet, quæ diversa sunt, quibus tamen relictis, salvus & integer remanet idem sensus. At illæ discriminis notæ oriuntur ex eo, quod Auctor noster secutus sit in *suo Jure universali* versionem Gentiani Herveti, in sua vero Dissertatione ad Canones Concilii Chalcedonensis interpretationem Dionysii Exigui admiserit.

(b) Forsan *commendari.*

cium se a culpa immunes ostendunt, quibus & ei, ad quem missi sunt, Episcopo commendentur, & falsa delatione ipsorum innocentiam tentatam fuisse testatum fiat. Cum hæc igitur esset ratio epistolarum, qui inopia pressi, vel auxilii quoquo modo indigentes, ab Ecclesia sibi opem exposcerent, pacificas iis hominibus, non autem commendatitias *litteras concedi Canon oportere decrevit.*

Ab his non dissonat græcus Scholiastes Harmenopoli in epitome Canonum *sect. 2. tit. 3. & sect. 3. tit. 1.* citatus a Justello in notis ad hunc Canonem in codice Ecclesiæ universæ, ubi Canon eodem modo, quo apud Græcos, legitur. Verba hujus Scholiastes sunt: *Commendatitiæ litteræ sunt, quæ censuræ alicui subjectis dantur ad eorum purgationem, & per quas alteri Episcopo commendantur ad comunionem.*

Quidni igitur in præsenti per personas *suspectas*, intelligamus *Clericos & Laicos*, qui noscuntur aliquando censura innodatos fuisse: qui consequenter ab Episcopis, apud quos *suspicione* laborant, suscipi non oportet, nisi per litteras commendatitias probent se a censuris absolutos; commendenturque Episcopo, ad cujus Diœcesim accedunt, ut eos in communionem tamquam Fideles recipiat: idque sat consonum credunt *Canoni XIII.* vulgo Apostolorum, quo decernitur: *si quis Clericus, vel Laicus segregatus, sive non recipiendus discedens, in altera urbe receptus fuerit absque litteris commendatitiis, segregetur, & qui excepit, & qui exceptus est.*

Verum hanc græcam versionem & expositionem late ac solide refutat citatus Episcopus Aurelianensis; una exponens qualiter litteræ *pacificæ* distinguerentur a litteris *commendatitiis*: atque illas communibus pauperibus, has autem *honestioribus* sive Clericis, seu Laicis dari merito Synodus præcipiat.

Illud equidem recte hic notant Interpretes Græci, ac notanter Zonaras; fuisse semper *Episcopalis officii, pauperum, pupillorumque, ac viduarum adversus potentiorum injurias, & illata detrimenta, rerumque ad illos pertinentium ablationes, Ecclesiæ opem implorantium defensionem suscipere*". Uti loquitur Zonaras, qui addit: *His igitur hominibus qui se omnimodo opis indigos profiterentur, suppetiis, quas optaverant, deferendis, ab Episcopis litteræ tradebantur, eæque* pacificæ *dicebantur, pacem scilicet illis, quibus aut Principum, aut Primatum iracundia causam injustæ damnationis attulisset, asserentes. Litteras porro ejusmodi, Canon, nisi explorata postulationis æquitate cuiquam concedi vetat. Nec enim consulte ac temere omnes; sed quos injuste vexari compertum sit, auxilio juvandi.*

CANON XII.

Pervenit ad nos, quod quidam præter Ecclesiastica statuta facientes, convolarunt ad potestates, & per pragmaticam formam in duo unam provinciam diviserunt: ita ut ex hoc facto duo Metropolitani esse videantur in una provincia: statuit ergo sancta Synodus de reliquo nihil ab Episcopis tale tentari; alioquin, qui hoc aggressus fuerit, amissione (a) *gradus proprii subjacebit. Quæcumque vero civitates litteris Imperialibus Metropolitani nominis honore subnixæ sunt, honore tantummodo perfruantur, & qui Ecclesiam ejus gubernat Episcopus; salvis scilicet veræ Metropolis privilegiis juris.*

SCHOLION.

Metropoles [illegible] & honore.

UT hic Canon intelligatur sciendum, Ecclesiam in Imperio natam & crescentem, regimen suum externum ad Imperii regimen, quantum possibile fuit, ordinasse. Unde civitates, quæ secundum Reipublicæ distinctionem erant *Metropoles*, etiam in Hierarchia Ecclesiastica voluit esse *Metropoles*; Episcoposque, qui iis præerant, *Metropolitanos*, ut ex Canone IX. Antiocheno, aliisque perspicuum est.

Hinc divisa per Principem Provincia (*ait Lupus*) *quomodo duos Præsules seu civiles rectores, ita duos accipiebat Episcopos Metropolitas.*

Contingebat vero, ut Episcopi dignitatem & honorem Metropolitæ appetentes, ab Imperatore impetrarent, civitatem suam citra realem & veram Provinciarum divisionem, quasi nomine tenus in Metropolim erigi, atque ita suam Cathedram in Metropoliticam.

Exemplum tempore hujus Synodi occurebat in Eustathio Berythensi, ad cujus preces Theodosius Imperator civitatem Berythensem in Metropolim Ecclesiasticam erexerat, citra veram Provinciarum divisionem; adversus quam erectionem supplicavit Photius Tyriorum Metropolita, cui Berythensis Ecclesia subjecta fuerat, Marciano Imperatori, qui causam Synodo Chalcedonensi commisit, eaque Actione IV. discussa & terminata fuit. Et quidem Judicibus rogantibus, *an e Patrum regulis, an e sacris pragmaticis hæc causa esset examinanda*; respondit Synodus, *contra regulam nihil pragmaticum valere*. Et rursus Judicibus petentibus; *num liceat ex sacro pragmatico alienæ Ecclesiæ jura ab aliis Episcopis averti*; denuo respondit Synodus, *non licet hoc, est præter regulas*. Et infra: *Unum juxta regulas Sanctorum Patrum volumus esse Metropolitam: petimus ut regulæ Sanctorum Patrum teneant.*

Post hæc Atticus Nicopolitanus Episcopus dixit: *Trecentorum decem & octo Patrum Regula* unum *vult* Metropolitam *in unaquaque Provincia Episcopum esse, & supplicamus, ut etiam nunc* virtus Regularum in omnia & in omnes Provincias valeat, *cessantibus* omnibus pragmaticis, *quæ ex concursatione & ambitione fiunt, quæque everterunt ea, quæ spiritualiter, & secundum Deum a sanctis Patribus sancita sunt. Magnificentissimi & gloriosissimi Judices dixerunt: Juxta Regulas* 318. *sanctorum Patrum, & justam sententiam totius sanctæ Synodi Photius reverendissimus Episcopus Tyriorum Metropolis omnem potestatem ordinandi in universis civitatibus primæ Phœnices Provinciæ habebit. Eustathius vero reverendissimus Episcopus e sacro pragmatico typo nihil amplius sibi vindicet, quam reliqui Episcopi ejusdem Provinciæ, & an his consentiat sancta Synodus, edoceat. Sancta Synodus acclamavit; hoc justum judicium, hoc Dei judicium, hæc justa sententia.*

Ex his perspicuum est, qua occasione præsens Canon sit editus, quippe qui est illud ipsum Decretum in formam Canonis redactum; eo tamen temperamento, ut non tam pragmaticas Principum, quibus Metropoles erigunt, quam Episcopos, has pragmaticas importune & ex vanitate & fastu sollicitantes feriat, ut notat Lupus.

Porro Metropoles sic erectæ *solo nomine & honore* gaudebant; *servato scilicet veræ Metropoli suo jure*. Qui honor præcipue consistebat in duobus; Primo, quod nomine *Metropolitæ* gauderent: Secundo, quod in Synodo Provinciæ primum post Metropolitam locum ante omnes comprovinciales, licet consecratione anteriores, obtinerent. Vide quæ hac de re dicta sunt supra *cap. 2. hujus Dissertationis* §. 14.

Monuit hic Zonaras, quod etiam sua ætate apud Græcos hujus Canonis auctoritas obsolevisset: *Nec deficere* (*ait*) *nostris quoque temporibus Imperatores, quorum edictis Episcopales Ecclesiæ ad Metropolitani fastigii culmen erectæ sunt.*

Hodie Episcopales Ecclesiæ in Metropolitanas eriguntur auctoritate Romani Pontificis, instantibus & petentibus plerumque Principibus, uti ostendi in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 19. cap. 1.*

Priorem hujus Canonis partem refert Gratianus *Dist. 101. Can. 1.*

CANON XIII.

Peregrinos Clericos & Lectores in alia civitate præter commendatitias litteras sui Episcopi, nusquam penitus ministrare debere.

SCHOLION.

CANONEM hunc nonnihil intricatum & obscurum reddit vox *Lectores*, quæ non tantum apud Dionysium, sed & Isidorum occurrit, quibus & suffragatur codex Ecclesiæ Romanæ, uti & pristina Canonum latina versio apud Justellum; quos & secutus Gratianus *Dist. 71. Can. 7.* legit: *Extraneo Clerico & Lectori*, &c. Clerici peregrini & ignoti sine *commendatitiis* non admittendi.

Verum Græcorum lectio, qui & Gervetiana consonat, hanc perplexitatem & obscuritatem tollit. In hac enim lectione pro voce, *Lectores*, ponitur vox *ignotos*, ut sensus sit: *Extraneos Clericos & ignotos in alia civitate sine proprii Episcopi commendatitiis litteris nusquam ullo modo ministrare*. Quam lectionem probat, & sequendam esse recte notavit Cujacius ad *cap. 5. tit. De Clericis non resid.*

Lectionem hanc etiam secutum fuisse Josephum Ægyptium in sæpius citata paraphrasi Arabica constat ex eo, quod generaliter præfatum Canonem interpretetur *de quocumque viro ex Ecclesiæ Ministris, aut Sacerdotibus peregrinis, qui ex Provincia sua ad aliam emigrat.*

Commendatitiæ litteræ hic intelligi videntur, quibus Episcopus de ordinatione, & morum integritate Clerici peregrinantis testimonium reddit; significans eum ab Episcopo, ad cujus Ecclesiam diverterit, posse ad divina celebranda admitti; vel uti loquitur Josephus, *quibus ei permittitur, ut transeat quocumque velit ex provinciis Dei, & ibi honoretur.*

Canonem hunc, eoque contentam disciplinam renovat Synodus Tridentina *sess. 22.* præcipiens Episcopis, ut „ singuli in sui Diœcesibus interdicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti missas celebrare liceat ": in Decreto *de observ. & evit. in celebrat. Missæ*: & expressius *sess. 23. cap. 16. de Reformat.* „ Nullus præterea Clericus peregrinus, inquit, sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda, & sacramenta administranda admittantur.

Quid de his Decretis observandis in Synodis Belgicis decretum sit; quidque in his hodie desideretur, latius expo-

(a) Forsan *emissioni*.

exposui in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 5. cap. 9. num. 5.*

CANON XIV.

Quoniam in quibusdam Provinciis concessum est Lectoribus, & Psaltis uxores ducere, statuit sancta Synodus, non licere cuiquam ex his accipere sectæ alterius uxorem, qui vero ex hujusmodi conjugio jam filios susceperunt, si quidem præventi sunt, ut ex se genitos apud hæreticos baptizarent, offerre eos Ecclesiæ Catholicæ communioni conveniet, non baptizatos autem, non posse ulterius apud hæreticos baptizari, sed neque copulari debet nuptura Hæretico, Judæo, vel Pagano, nisi forte promittat, ad orthodoxam fidem se personam orthodoxe copulandam transferre. Si quis autem hanc definitionem sancta Synodi transgressus fuerit, correptioni canonicæ subjacebit.

SCHOLION.

Clerici in Minoribus constituti non nubant Acatholicis.

QUOAD continentiam virginalem servandam a ministris Ecclesiæ, variam fuisse Ecclesiarum consuetudinem & disciplinam notum est; præsensque Canon insinuat.

Clarum est, in quibusdam provinciis Orientis tempore hujus Synodi, licuisse Lectoribus, & *Psaltis* uxores ducere, quod hodie & apud Græcos & Latinos ubique obtinet.

De his itaque primo statuit Synodus, *non licere cuiquam ex his accipere alterius Sectæ* (sive G. *diversæ a recta fide opinionis*) *uxorem*.

Secundo decrevit, quod si contigerit ante editum hunc Canonem, quosdam alterius religionis seu *sectæ* uxorem duxisse, & ex ea liberos procreasse, *siquidem præventi sunt, ut ex se genitos apud hæreticos baptizarent, offerre eos Ecclesiæ Catholica communioni conveniet*(sive Is. *debent eos offerre sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, ut ibi communicent*).

Quinam hæretici non valide baptizent.

Notant hic Græci, hæreticorum esse duo genera, unum eorum, qui mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis agnoscunt, sed in aliis nonnullis fidei articulis falluntur, qui & proinde valide baptizant. Alterum, qui dicta mysteria negant, nec consequenter valide baptismum conferunt.

A prioribus baptizati accedentes ad Ecclesiam, Chrismate solo inunguntur, & hac sola unctione recipiuntur. Qui a posterioribus accedunt, eos etiam baptizant.

„ Communionis ergo nomine (ait Balsamon) utrumque declaravimus, ut vel Chrismate ungantur, vel baptizentur.

A ministrante hæretico non suscipiatur baptismus.

Tertio statuit præsens Canon: *Non baptizatos autem non posse ulterius apud hæreticos* (Isid. *in hæretica Ecclesia*) *baptizari*.

Licet Ecclesia etiam hæreticorum baptismum tempore hujus Synodi haberet pro valido; nihilominus semper improbavit, ut fideles Catholici ab iis baptismum suscipiant; ne eorum videantur hæresi communicare, & eorum communioni jungi. Unde jampridem Synodi Ilerdensis *Can. 13. Catholicus, qui filios suos in hæresi baptizandos obtulerit, oblatio illius in Ecclesia Catholica nullatenus recipiatur.*

Liberi matrimonio non jungantur hæreticis.

Quarto addit Canon: *Sed neque copulari debet nuptura hæretico, Judæo, vel Pagano: nisi forte persona promittat, ad orthodoxam fidem se personam othodoxe copulandam transferre.*

Si in hoc articulo lectionem Dionysianam attendamus, videbitur solum interdici Lectoribus & Cantoribus, filias suas Hæreticis, Judæis, vel Gentilibus matrimonio copulare, ob vocem *nuptura*; unde & Christianus Lupus hanc versionem secutus, dicit; simile matrimonium hoc Canone *solis fœminis, tamquam seduci facilioribus, interdictum*.

Verum ipsa lectio Græcorum, cui consonat lectio Isidori, & codicis Romani, hanc restrictionem non admittit, sed sicuti generaliter prohibet, liberos in matrimonio a Lectoribus & Cantoribus susceptos ab Hæreticis baptizari, ita & generaliter, eos matrimonio conjungi vetat Hæretico, Judæo, vel Gentili; nisi is promittat ad fidem orthodoxam converti.

In hac generalitate Canonem accipiunt passim interpretes; ac nominatim Balsamon & Zonaras, quos & in sua paraphrasi Arabica secutus est Josephus Ægyptius, qui & addit, quod persona, quæ orthodoxe conjungitur, debeat promittere, se *a parte nostro staturam una cum liberis suis, nobiscum fore, seque in orthodoxa nostra fide credituram esse*.

Licet enim hujusmodi matrimonia non fuerint jampridem invalida, uti nec hodie est matrimonium Catholici cum hæretica, aut Catholicæ cum hæretico, tamen illud Ecclesia merito semper exhorruit, præcipue ob periculum tum parti Catholicæ, tum ipsis prolibus ab hæresis infectione imminentibus, uti latius ostendi in *Jure Ecclesiastico Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 13. cap. 9.* alias *cap. 8.* ubi & notandum, parum fidendum promissioni partis hæreticæ, qua se ad fidem Catholicam & orthodoxam convertere spondet, quia quotidiana experientia docet, quod matrimonio semel inito, facile fidem datam fallant Heterodoxi: unde merito addit

Canon: *quod si quis hanc definitionem* (seu G. *decretum*) *sanctæ Synodi transgressus fuerit, correptioni canonicæ* (seu G. Is. *canonicis pœnis*) *subjacebit*.

Prima pars hujus Canonis refertur a Gratiano *Dist. 32. Can. 55.*

CANON XV.

Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum, & hanc cum summo libramine: si vero suscipiens manus impositionem, & aliquantum temporis in ministerio permanens, semetipsum tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujusmodi, cum eo, qui eidem copulatur.

SCHOLION.

De ætate & Ordinatione Diaconissæ.

CIRCA Diaconissas statuit præsens Canon, primo Diaconissam *non ordinandam ante annum quadragesimum*.

Merito istam ætatem provectam in Diaconissis requiri notavit Zonaras: „ cum mulieribus, aut capi fraudibus, aut sponte ad deteriora labi facillimum sit; idcirco minorem quadraginta annis Diaconissam eligi, hujus Canonis sanctione vetitum est.

Apparet nihilominus, Concilium requirens duntaxat *quadraginta* annorum, nonnihil a pristino rigore recessisse. Extat enim in codice Theodosiano, titulo de *Episcopis, Lege 27.* constitutio Theodosii M. emissa anno 390. qua Diaconissarum professioni modus imponitur; ac primo quidem decernitur: „ Nulla nisi emensis *sexaginta* annis, cui votiva domi proles sit, secundum præceptum Apostoli, ad Diaconissarum consortium transferatur.

Hujus Legis meminit Sozomenus *L. 7. Hist. Eccl. c. 16.*

Hanc Legis partem retulit Tribonianus in codicem Justinianæum in *Lege 4. Cod. de Episcopis*, sed verbis aliquibus expunctis; & pro annis *sexaginta* posuit *quinquaginta*: ita enim ibidem legitur: „ Nullus emensis „ *quinquaginta* annis, secundum præceptum Apostoli, „ ad Diaconissarum consortium tranferatur.

Hanc interpolationem summa incogitantia factam esse notavit Jacobus Gothofredus ad dictam *Legem 27.* Nam ut recte notavit hic Auctor, expungi debuissent hæc verba *secundum Apostoli præceptum*; nam præceptum est de 60. annis,

Eadem fuit incuria Justiniani, aut eorum, qui ejus Novellis concinandis operam impenderunt, dum *Novell. 6. cap. 6.* voluit Diaconissas ætatem *circa 50. annos secundum Divinas Regulas agentes*.

At postmodum Justiniano *Novell. 123. cap. 13.* conformiter ad hunc Canonem, placuit etiam annus *quadragesimus* in ordinatione Diaconissæ.

Habemus & ex hoc Canone, quod Synodus noluerit ordinari aliquam etiam annum agentem quadragesimum in Diaconissam, *nisi cum summo libramine* (seu G. *cum accurata examinatione*) (sive Is. *diligenti probatione*).

Unde notat hic Zonaras, quod „ hanc quoque *quadragenariam* mulierem, non nisi *stricta examinatione* diligenter explorata prius, ac probata vivendi ratione, hic Canon admittat.

Si eam velint Patres adhibere cautionem in admissione mulieris etiam *quadragenariæ*, ne alias temere aut facile nimis ad hunc statum admissa, postmodum resiliat; discant hinc directores filiarum, quum diligens & accuratum examen, & diutina probatio merito præmittantur, priusquam filiæ, non quadragenariæ, sed sedecim vel circiter annorum ad professionem & perpetuæ castitatis votum admittantur.

Diaconissa nubens anathematizatur cum viro.

Quam grave autem sit a suscepto semel ministerio sine professione retrocedere ostendit Canon, subjiciens: „ Si vero suscipiens manus impositionem, (sive G. postquam ordinatione suscepta) (vel Is. susceperit ordinationem) & aliquantum temporis in ministerio permanens semetipsam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizatur hujusmodi, cum eo, qui eidem copulatur.

Justinianus Imp. in *Novella 6. cap. 6.* Diaconissam, quæ ad nuptias convolat, uti eum cum quo conjungitur pœnæ capitali subjicit, ubi & multa notanda de Diaconissis tradit.

Josephus Ægyptius in sua paraphrasi, finalem hanc Canonis partem ita reddit: „ Quod si nupserit, postquam domnum Dei opt. max. & eminentis hujus gradus ministerium suscepit, & ipsa, & qui eam duxit, anathemati simul devoveantur, oportet.

Sane Diaconissarum ministerium eminentis gradus a Josepho non immerito appellari apparebit; si earum officium sive ministerium attendatur. Observat enim, & pluribus testimoniis adductis probat Morinus de *Sacr. Ordinat. part. 3. Excitat. 10. cap. 3.* circa mulieres ferre eadem peregebant in Ecclesia Diaconissæ, quæ circa masculos Diaconi. Atque inter illa Concilium Carthaginense IV. *Can. XII.* eis officium docendi mulieres baptizandas imponit; vult ut „ tam instructæ sint ad „ officium, ut possint apto & sano sermone docere „ imperitas & rusticas mulieres tempore quo baptizandæ sunt, qualiter baptizatori interrogatæ respondeant, & qualiter accepto baptismate vivant.

Et Justinianus in citata *Novella 6.* dicit, *eas adorandis ministrare baptismatibus, & alii adesse secretis, quæ in venerabilibus ministeriis per eas rite aguntur.*

Licet ergo, teste Morino loco citato *nu.* 5. „ tota „ illa disciplina circa Diaconissas, & ipsæ Diaconissæ „ abhinc annos quingentos & forte amplius abolitæ „ sint, & extinctæ in utraque Ecclesia Græca & La- „ tina“: nihilominus mulieres, quæ hodie pauperes & „ imperitas puellas, & rusticas mulieres diebus Dominicis & festis privatim instruunt, tametsi Diaconissarum nec nomen, nec gradum obtineant, earum tamen officium a Patribus admodum laudatum pia charitate æmulantes, earum indubie, & mercedem amplam consecutæ sunt.

Præterea multum dignitatem & gradum Diaconissarum extollit, quod teste eodem Morino, Diaconissæ ad exemplum Diaconorum, per *manuum impositionem* ordinarentur, præsertim in Oriente, uti ex vetustis Græcorum Ritualibus satis probari credit Morinus loco citato *cap.* 1. præmonetque: „ Hæc videri posse commu- „ nem Theologorum sententiam evertere, quæ negat „ ordinationem ullam mulieribus posse competere. Ve- „ rum, ait Morinus, non existimant Græci ista cære- „ moniarum communicatione mulieribus proprie dictam „ χειροτονίαν infundi; ut disertissime testatur Sanctus „ Epiphanius hæresi 79. “ *Quamquam Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam hujusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexus honestati consulatur*, &c. „ Nec opi- „ nor Theologos aliquos ita severos fore, ut mulieres „ abdicare velint omni in Ecclesia erga alias mulieres „ ministerio, & sacra aliqua ad illud suscipiendum & „ conferendum cæremoniali inauguratione “. Hæc Morinus.

Favet quoque opinioni Morini præsens Canon Chalcedonensis, prout ex versione Dionysii hic repræsentatur, quia expresse dicit: *Si vero suscipiens manus impositionem*. Plura vide ibidem apud Morinum, & apud Christianum Lupum in Scholiis ad hunc Canonem.

Extat Canon apud Gratianum *Caus.* 27. *quæst.* 1. *Can.* 23.

CANON XVI.

Virginem, quæ se Deo Domino consecravit, similiter & Monachum, non licere nuptialia jura contrahere: quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem decrevimus, ut habeat auctoritatem ejusdem loci Episcopus misericordiam eis, humanitatemque largiri.

SCHOLION.

Virgo Deo devota, & Monachus prohibentur manere sub pœna excommunicationis.

HOc Canone agitur de iis mulieribus, quæ citra ordinationem aut assumptionem ad ministerium aliquid in Ecclesia, virginitatem Deo voverunt, & de Monachis: decerniturque, *virginem, quæ se Deo Domino consecravit, similiter & Monachum, non licere nuptialia jura contrahere*, (sive G. *non licere matrimonio conjungi*). *Quod si inventi fuerint hoc perpetrantes, excommunicentur* (vel G. *sint excommunicati*) (aut Isid. *maneant excommunicati*),

Per *excommunicationem* hic intelligitur segregatio sive privatio communionis in divinis.

Id in sua paraphrasi indicavit Josephus Ægyptius, ita vertens. *Quæ mulier aut Monachus post vota matrimonium iniverit, Ecclesiam ingredi prohibeatur.*

Addit autem Canon; *Confitentibus autem decrevimus, ut habeat auctoritatem ejusmodi loci Episcopus, misericordiam eis, humanitatemque largiri* (sive Isid. *posse in eis facere humanitatem, si ita probaverit loci Episcopus*).

Hac finali clausula significat Synodus, Episcopo curam esse debere, quid cum hujusmodi mulieribus & monachis, qui post vota Deo facta ad nuptias convolabunt, agendum sit: num humanitate cum eis agendum, & ad communionem admittendi sint? uti recte in sua paraphrasi expressit Josephus Ægyptius, ita hanc Canonis clausulam referens: „ Sed visum est nobis, ut res „ ipsorum Episcopo provinciæ committatur, & ipse „ misericordiam & clementiam iis administret, eosque „ recipiat, quemadmodum ipsi visum fuerit.

Cum Canon nihil omnino dicat de separatione hujusmodi matrimonii contra emissa vota contracti, sed duntaxat eos ob fractionem votorum segregari jubeat, verisimile est vota hujusmodi, tempore hujus Synodi, non fuisse reputata inter impedimenta dirimentia, sed tantum impedientia, super quibus ipse Episcopus loci, saltem quoad pœnam a Canonibus inflictam, dispensare poterat. Vide latius quæ de mutatione disciplinæ circa hunc articulum successu temporis facta dixi *in Jure Eccles. Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 13. *cap.* 5. alias *cap.* 4.

Gratianus retulit hunc Canonem *caus.* 27. *quæst.* 1. *Can.* 22. ex versione Isidori; eumdemque retulerat ibidem *Can.* 12. ex versione Dionysii sub nomine Concilii Triburiensis, uti notarunt correctores Romani. Hinc patet, quam parum exactus fuerit Gratianus in indicandis Canonum fontibus.

CANON XVII.

Singularum Ecclesiarum rusticas parochias, vel possessiones manere inconcussas illis Episcopis, qui eas retinere noscuntur, & maxime si per tricennium eas absque vi obtinentes, sub dispensatione rexerunt: quod si intra tricennium facta fuerit de his, vel fiat altercatio, licere eis, qui se læsos asserunt, apud Sanctam Synodum provinciæ, de his movere certamen. Quod si quis a Metropolitano læditur, apud Primatem diœceseos, aut apud Constantinopolitanam sedem judicetur, sicut superius dictum est. Si qua vero civitas potestate imperiali novata est, aut si potius innovetur, civiles dispositiones & publicas, ecclesiasticarum quoque parochiarum ordines subsequatur.

SCHOLION.

Termini Diœcesium 30. annorum spatio præscribuntur.

PAci & unitati Ecclesiarum consulere volens Synodus statuit, *singularum Ecclesiarum rusticas parochias, vel possessiones* (G. *vicanasque*) *manere inconcussas illis Episcopis, qui eas retinere noscuntur*.

Per *rusticas* parochias intelligi dicunt Balsamon & Zonaras, *parvas*; quæ etiam μονοίκια (hoc est unam tantummodo domum habentes) dicuntur: *Vicanæ* autem (id est multos habitatores habentes).

Vult autem eas omnino firmas & inconcussas manere Episcopis, *maxime si per tricennium* (G. *XXX. annorum tempore*) *eas absque vi obtinentes, sub dispensatione rexerunt*). „ Hoc est, uti notat Zonaras, nulla „ cujuscumque injuria, sed bona fide injustis quibusve „ mediis, retentam administraverit. Hoc namque 30. „ annorum intervallum possessioni stabiliendæ sufficere decreverunt.

Si vero nondum exacta 30. annorum possessione pacifica, altercatio sive controversia de parochiis facta fuerit, vel fiat ab uno Episcopo adversus alium, vult Canon, licere eis, qui se læsos asserunt *apud Sanctam Synodum provinciæ de his movere certamen*; si autem a Metropolitano se lædi putaverit, apud *Primatem diœcesis* (seu G. *Exarchum diœcesis*) *aut apud Constantinopolitanam sedem indicetur, sicut superius dictum est*, nimirum *Can.* IX. cujus Scholion consule.

Civitas a Principe in Metropolim erecta privilegia Ecclesiastica consequitur.

Addit denique Canon; *si qua vero civitas potestate imperiali novata est, aut si protinus innovetur* (seu G. *etiam deinceps innovata fuerit*) (sive Isid. *renovetur imposterum*) *civiles & publicas dispositiones* (sive G *formas*) *ecclesiasticarum quoque parochiarum ordines subsequatur*.

Ad hanc Canonis partem reflectens Christianus Lupus, ait: Hæc „ Canonis pars confirmat antiquam Principis potestatem; qua castrum, aut villa ab ipso in „ civitatem erecta, statim consequebatur, non tantum „ civilia privilegia, sed & Ecclesiastica, quorum prin- „ cipale est Cathedra & Clerus Episcopalis . . . Atque „ ita facta per Principem nova civitas habet Episcopum, „ isque non viciniorem, a cujus Throno divulsus est, „ Episcopum habebit in Metropolitam, sed illum, qui „ secundum laudatos Canones, est verus & antiquus „ Metropolita istius Provinciæ “. Una hic rursus, „ confirmatur quod ad Canonem XII. annotatum est, distributionem diœcesium & provinciarum ecclesiasticarum factam & mutatam fuisse secundum civilem earumdem distinctionem. Ex iis, quæ ibi notata sunt, repeti quoque poterit, quid sint *Exarchi* in Canone.

Extat Canon apud Gratianum *Caus.* 19. *q.* 3. *Can.* 1.

CANON XVIII.

Conjurationis ad conspirationis crimen & ab exteris legibus esse omnino prohibitum: multo magis hoc in Dei Ecclesia ne fiat, admonere conveniet. Si qui ergo Clerici vel Monachi reperti conjurantes, aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis, aut Clericis, gradu proprio penitus abjiciantur.

SCHOLION.

Clericorum & Monachorum conjurationes adversus Episcopum, aut Clericum, punitæ.

HOc Canone agitur *de conjurationis vel conspirationis* (seu G. *sodalitatis*) *crimine* (Isid. *quod apud Græcos dicitur phratria*).

„ Conjuratio est, ait Zonaras, cum adversus aliquos „ inito Concilio, numquam se quieturos, donec cogi- „ tata perfecerint, mutuo se invicem jurejurando com- „ plures obligavere.

„ Sodalitas sive *phratria*, inquit idem, est conven- „ ticulum, & ad maleficia suscipienda quorumdam „ consensus.

Crimen hoc, ait Canon, *& ab exteris* (sive Isidor. *publicis*) *legibus est omnino prohibitum* (sive Isid. *certum est penitus inhiberi*).

Per *exteras*, sive *publicas* leges, hic intelligi *leges civiles*, nemo dubitat; fitque reflexio *ad l.* 1. *ad legem Jul. Majest.* quo hoc crimen conjurationis damnatur.

Porro Synodo exemplum sumens a legibus civilibus dixit: *multo magis in Ecclesia Dei ne fiat, admonere convenit* (sive Isid. *convenit abdicari* (vel G. *fieri prohibere oportet*. Existimavit enim Synodus, indignum, crimi-

crimina per sæculares leges puniri in laicis, & impune a Clericis aut monachis in Ecclesia perpetrari.

Itaque statuit, *si qui Clerici, aut Monachi reperti fuerint conjurantes aut conspirantes* (vel G. *sodalitates comparantes*) *aut insidias ponentes* (seu G. *aliquid struentes*) *Episcopis aut conclericis, gradu proprio penitus abiiciantur* (vel G. *omnino excident*) (seu Isidor. *omnino cadant de proprio gradu*).

Huic Canoni occasionem dederunt „ Edesseni Clerici, nequaquam Barsumas, aliique Monachi in „ Ibam Edessenum, ac alios Syriæ Episcopos, factiosissimis pro Eutychete & Dioscoro conjurationibus „ colligati. " ait Christianus Lupus in Scholiis ad hunc Canonem.

Canonem hunc renovatum legimus in numerosa plurimorum Patrum Synodo Remensi sub Sonnatio, apud Baldricum in Chronico Cameracensi *lib.* 1. *cap.* 14.

Utinam nec hodie Clerici & Monachi unquam in optimos Episcopos, pro recta disciplina, & sana doctrina sollicitos, factiosissimis conspirationibus colligarentur; ipsisque bellum atrocissimum indicerent; nec sæpe populum contra suos pastores, facta inter se conspiratione concitarent.

Refertur Canon a Gratiano ex versione Isidori, *Caus.* 11. *quæst.* 1. *Can.* 21.

Actione 14. Athanasius Perrensis Episcopus adversus proprios Clericos movit querelam, eo quod *conjuratione* moliti essent adversus ipsum proprium suum Episcopum, quæ est materia hujus Canonis, & forte etiam Canoni occasionem dedit.

CANON XIX.

Pervenit ad aures nostras, quod in provinciis statuta Episcoporum Concilia minime celebrentur, & ex hoc plurima negligantur Ecclesiasticarum causarum, quæ correctione indigent. Decrevit itaque sancta Synodus, secundum Canones Patrum, bis in anno Episcopos in idipsum, in unaquaque Provincia convenire: quo Metropolitanus antistes probaverit, & corrigere singula, si qua fortassis emerserint. Quicumque vero non advenerint Episcopi, resident autem in suis civitatibus, & hoc, dum in sua incolumitate consistunt, omnique inexcusabili, & necessaria occupatione probantur liberi, fraterno corripiantur affectu.

SCHOLION.

Synodus Provincialis bis in anno celebretur.

EX procemio Canonis habemus advertisse Patres Chalcedonenses, quod ex intermissa Synodorum provincialium celebratione, *plurima negligantur ecclesiasticarum causarum, quæ correctione indigent.*

Quis igitur miretur, si abundent abusus, & totalis disciplinæ Ecclesiasticæ collapsio conspiciatur iis in provinciis, in quibus etiam sæculis integris harum Synodorum celebratio neglecta jacet.

Volunt autem Patres Chalcedonenses, *secundum Canones Patrum*, nimirum Canonem V. Nicænum, *bis in anno Episcopos in idipsum* (sive G. *eumdem in locum*) *in unaquaque provincia convenire, quo Metropolitanus Antistes probaverit* (sive G. *ubi Metropolis Episcopo melius esse videbitur*.

In hoc Canone nec mensis, nec certum anni tempus celebrandi Synodum exprimitur, uti in Canone Nicæno erat factum: sed nec locus: sed hæc omnia judicio Metropolitani Episcopi relicta videntur: atque ita Metropolitanorum auctoritatem sensim crevisse notamus.

Præcipit ulterius Canon, in his Synodis *corrigere singula, si qua fortassis emerserint.*

Hic Synodorum finem & scopum expressit Synodus, & Canon Nicænus expresserat, uti in Scholio istius Canonis notavimus.

Porro *quicumque non advenerint Episcopi* (sive Isid. *noluerint convenire*) *resident autem in suis civitatibus* (sive G. *in propriis urbibus domo manent*) *& dum in sua incolumitate consistunt* (vel G. *si quidem sani sunt*) *omnique inexcusabili & necessaria occupatione probantur liberi, fraterno corripiantur affectu* (vel Isid. *licere eos fraternæ charitatis admonitionibus corripi*).

Observet hic lector, quod licet *bis in anno* Synodus habenda esset, non tamen admitti videatur Episcopi excusatio non accedentis, nisi *ob inexcusabilem & necessariam occupationem.*

Notet quoque modum, quo Episcopum absentem, *ut fraterno affectu* (in Isid. *fraternæ charitatis admonitionibus*) corripi velit Synodus.

Extat apud Gratianum *Dist.* 18. *Can.* 6.

CANON XX.

Clericos in Ecclesia ministrantes, sicut jam constituimus, in alterius civitatis Ecclesia statutos fieri non oportet: sed contentos esse in quibus ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias amittentes provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt. Si quis autem Episcopus post hanc definitionem susceperit Clericum ad alium Episcopum pertinentem, placuit & susceptum (a) vel suscipientem communione privari, donec is, qui migraverat Clericus, ad propriam fuerit regressus Ecclesiam.

SCHOLION.

HIc Canon respondet tertio Capitulo, quod Marcianus Imperator *Actione* 6. Synodo sanciendum proposuerat; ipsaque Synodus Capitulum prout a Marciano suggestum erat immutatum probavit, & sub nomine Canonis promulgavit.

Clericus maneat in Ecclesia, cui primum est adscriptus.

Cum autem hic ageretur de migrationibus Clericorum de una ad aliam Ecclesiam; atque de iis jam Synodus Canone V. egisset, innovando generaliter Canones pridem contra has migrationes evulgatos in præsenti Canone id monendum censuit his verbis: *quemadmodum jam constituimus.*

Vult igitur Canon conformiter ad præcedentes Canones Clericos esse contentos iis Ecclesiis, *in quibus ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias amittentes provincias* (sive G. *qui amissa sua patria*) (vel Isid. *qui proprias civitates perdiderunt*) *ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt*.

Manifestum est, quod Canon in hac exceptione supponat quamdam migrationis *necessitatem*; neque sufficere, quamcumque civitatis afflictionem, inopiam, aut captivitatem intra manus hostiles, uti jampridem recte notavit & ursit Hincmarus Remensis *Epist.* 45. & supponit Hadrianus II. Papa: Actardi enim e Nannetensi Ecclesia ad Turonensem migrationem indulgens Carolo Calvo scribens, addidit, „ Si tamen ejus Ecclesia *pe-„ nitus diruta, & in sollitudinem* redacta esse digno-„ scitur ". Et refert quoque Flodoardus in Historia Eccles. Rem. *Lib.* 4. *c.* 3. de Frotario ob similem necessitatem e Burdigalensi ad Bituricensem per Joannem VIII. Papam translato: „ Frotario Bituricensis Ecclesia fuerat „ ad tempus a Joanne Papa propter infestationem bar-„ baricam tali tenore concessa, ut hac *remota necessita-„ te*, id etiam removeretur, quod necessitas imperarat.

Hæc probant, quam odiosæ semper fuerint Clericorum de una ad aliam Ecclesiam migrationes, quæ vel ex ambitione vel ex avaritia procedere solent. Probat & hoc ipsa pœna, quam in Episcopum suscipientem Clericum alterius Ecclesiæ, & in Clericum susceptum, Canon decernit. Placuit enim *& susceptum & suscipientem communione privari* (sive G. *esse excommunicatos*); *donec is, qui migraverat Clericus, ad propriam fuerit regressus Ecclesiam.*

Excommunicationem, de qua hic Græca & Isidoriana lectio, non accipi pro anathemate, sive abscissione a corpore Ecclesiæ, sed duntaxat a communione cum reliquis Episcopis, verisimile est; indicatque ipsa versio Dionysii: nisi forte accipiatur pro suspensione functionibus ordinis, uti accepit Josephus Ægyptius in sua paraphrasi Arabica, ita legens: „ Quod si nos Episco-„ pum aliquem post hunc diem inveniremus Sacerdo-„ tem aliquem ad aliam provinciam pertinentem su-„ scepisse, visum est nobis, ut prohibeatur aliquid ad „ *gradus sui ministerum* spectans exequi, & ipse, & „ quem suscepit, donec ea persona ad suam Ecclesiam „ regressa fuerit.

In Codice Ecclesiæ Romanæ insinuatur quoque hic agi de suspensione. Legitur enim, *placuit a communione suspendi.*

Hanc interpretationem posteriores Synodi, ac nominatim Tridentina secutæ videntur, suspensionem ab exercitio Pontificalium decernentes contra Episcopum, qui alienum subditum sine licentia proprii Episcopi ordinare præsumpserit, & suspensionem a functionibus ordinis contra suscipientem. Cæterum de fusiori hujusce Canonis expositione actum est in *Scholiis ad Can.* 15. *&* 16. *Nicænum* (*b*) & agetur in *Scholiis ad Canonem* 1. *&* 2. *Sardicensem*.

Extat hic Canon apud Gratianum *Dist.* 71. *Can.* 4.

CANON XXI.

Clericos aut Laicos accusantes Episcopos, aut Clericos, passim, & sine probatione, ad accusationem recipi non debere: nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio.

SCHOLION.

REFERT hunc Canonem Gratianus *Caus.* 2. *quæst.* 7. *Can.* 49. ex pristina versione Isidori, quæ nonnihil a textu græco, & versione Dionysii recedit, uti notant Correctores Romani; qui & recte monent, ea, quæ hoc Canone dicuntur, copiose exponi in Concilio Constantinopolitano I. *Can. VI.* cujus Scholion videri poterit (*c*).

Non quilibet ad accusationem Episcopi, aut Clerici admittendus.

CA-

(*a*) In codice Pithæano legitur, *susceptum*.

(*b*) Extant notata hæc Scholia ad Can. Nicæn. *Tom. VI.* hujusce editionis.

(*c*) *Tom. VI*

CANON XXII.

Non licere Clerici post obitum sui Episcopi, res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque est Canonibus constitutum. Quod si hoc facere tentaverint, graduum suorum periculo subjacebunt.

SCHOLION.

Res Episcopi post ejus obitum a Clericis non diripiendæ.

CANONE XL. vulgo Apostolorum, uti & Canone XXIV. Antiocheno decretum est, ut bona propria Episcopi sint & in potestate morientis, quibus vult, & ut vult relinquere, & ne occasione rerum ad Ecclesiam spectantium, res *propriæ* Episcopi intercidant, statuit, ut manifestæ sint Episcopi res propriæ, & manifestæ res Dominicæ, ut latius in Scholiis ad dictos Canones expositum est (*d*).

Hoc igitur Canone decernitur, *non licere Clericis post obitum sui Episcopi res ad eum pertinentes* (sive G. *quæ illi competere possunt*) *diripere*: additurque, *quod si hoc facere tentaverint, graduum suorum periculo subjacebunt*; id est, periclitabuntur de gradu suo dejici.

Prima parte hujus Canonis, citatos Canones, præcipue Antiochenum, renovari sat probabile apparet, præsertim attenta Dionysiana nostra versione, quæ legit: *sicut antiquis quoque est Canonibus constitutum*; cui & consonat Isidorus legens (Isid. *sicut jam præcedentibus Regulis statutum habetur*).

Conformis versioni Dionysianæ est & lectio Codicis Eccles. Romanæ, & Codicis, quem sub nomine Codicis Canonum Ecclesiæ universæ edidit Christophorus Justellus, item & ille Codex, quem idem sub titulo *priscæ Canonum editionis latinæ* evulgavit; quam lectionem occurrere in quibusdam editionibus indicat nota marginalis ad hunc Canonem ex versione Herveti editione Labbæana Conciliorum *tom.* 4. *col.* 756.

Apud Balsamonem, & Zonaram, & Hervetum, pro istis verbis, *sicut antiquis quoque est Canonibus constitutum*, legitur: *Quemadmodum & adjumentibus prohibitum est*. His verbis sensum aliquem affingere citati commentatores Balsamon & Zonaras conantur: at frustra, ut ostendit Guillelmus Beveregius in notis ad hunc Canonem, & Canonem XXXIX. vulgo Apostolorum; monetque, Latinorum & antiquorum lectionem esse retinendam, quæ planum & non obscurum Canonis sensum reddit.

Extat apud Gratianum *Caus.* 12. *quæst.* 2. *Can.* 43. ex versione Isidori.

CANON XXIII.

Venit ad aures sancti Concilii, quod quidam Clerici & Monachi, quibus nihil ab Episcopo suo commissum est; autem quando & communione ab eo privantur, pervenientes ad urbem regiam Constantinopolitanam, in ea diutius immorentur, excitantes turbas, & statum Ecclesiasticum commoventes, subvertentes etiam quorumdam domos: decrevit sancta Synodus, hujusmodi primo quidem per defensorem Constantinopolitanam sanctæ Ecclesiæ commoneri, ut egrediantur ab urbe regia: quod si iisdem negotiis impudenter insistant, etiam nolentes idem defensor expellat, ut ad propria loca perveniant.

SCHOLION.

Clerici aut Monachi accedentes ad urbem regiam, & turbas excitantes expellentur.

GENUS hoc Clericorum & Monachorum, qui Principum palatia obsident, statum Ecclesiasticum turbantes, & domos subvertentes, quos Canon perstringit, nunquam in Ecclesia defuit.

Optandum, ut, quemadmodum hoc Canone præcipitur, per defensorem Ecclesiæ monerentur, ut *egrediantur*, & ad suas Ecclesias revertantur, & monitis non parentes, etiam nolentes expellerentur, ut ad propria loca remearent.

Porro monent Patres, quod Clerici & Monachi ad urbem regiam accedentes sint ex iis, *quibus nihil ab Episcopo commissum* (seu G. *mandatum*) *est*; aliquando vero & *communione ab eo* privati (vel G. *segregati*) (aut If. *excommunicati*): quia nimirum hujusmodi solent, arrogantia & ambitione inflati, turbas excitare, & adversus Episcopos aures Principis, & populi favorem sollicitare, & calumniis nonnunquam optimos quosque Episcopos, a quibus male se haberi vident, apud Principem & populum denigrantes, statum Ecclesiasticum commovent, & domos quorumdam evertunt. Quod quam frequens fuerit tempore hujus Synodi patet ex iis, quæ in Dissertatione procemiali sparsim relata sunt: quam vero id frequens sit, & hodie satis notum est, & optimi pastores nimis experiuntur.

Josephus Ægyptius in sæpius citata paraphrasi Arabica graphice describit nonnullorum modernorum Monachorum genium „ qui in fidelium domibus frequentes sint, ut eos sibi amicitia conjungant, diligunt „ liberos eorum, uxores etiam, & filias eorum, iisque „ se applicant, idque hoc animo, ut eo modo magnas „ sibi opes acquirant, aut facile obtineant, quidquid „ velint, ex rebus sibi necessariis.

Quid hic per *defensorem* intelligetur, vide infra in Scholio ad Canonem XCVII. Africanum, qui specialiter de defensoribus Ecclesiarum agit.

Extat Canon apud Gratianum *Caus.* 16. *qu.* 1. *Can.* 29. notantque Correctores Romani, quod potissimum in postrema parte videatur prisca versio in epitomen redacta, integrum textum græce & latine dein subjiciunt.

CANON XXIV.

Quæ semel dedicata sunt monasteria consilio Episcoporum, maneant perpetuo monasteria, & res, quæ ad ea pertinent, monasteriis reservari, nec posse ea ultra fieri sæcularia habitacula. Qui vero hoc fieri permiserint, Canonum sententiis subjacebunt.

SCHOLION.

Monasteria auctoritate Episcop. erecta, non fiant sæcularia habitacula.

NULLUM usquam construi posse monasterium sine voluntate Episcopi, præsens Synodus decrevit *Canone IV.* Unde hoc Canone de solis monasteriis loquitur, *quæ semel dedicata sunt consilio Episcoporum* (seu G. *voluntate Episcopi*) (vel Isid *quæ consecrata fuerint cum judicio Episcopi*). Nam uti notat Zonaras hic: „ Monasterium quodcumque, aut nulla Episcopi auctoritate, aut consecratione legitima nulla instar „ fundamenti longe firmissimi præeunte excitatum, ne „ monasterii quidem loco haberi placet.

Si autem præeunte Episcopi auctoritate monasteria sint dedicata, vult Canon, *maneant perpetuo monasteria, & res, quæ ad ea pertinent, monasteriis reservari, nec posse ea ultra fieri sæcularia habitacula.*

Cum enim legitima auctoritate sint Monachorum usibus dedicata, nefas creditur, ea ad alios usus transferre, nisi legitima auctoritas, quæ in dedicatione intervenit, translationem in alios usus ex justa causa probaret.

Quis enim ambigat, quin legitima auctoritate ex justis causis possent monasteria in Cathedrales & Collegiatas ad usum Canonicorum converti; uti sæpissime conversa esse scitur? Neque de hac commutatione hoc Canone agitur, sed de ea, quæ sine justa causa, & sine auctoritate legitima fieret, præcipue in profanos usus.

Vult autem Canon, quod *qui hoc fieri permiserint Canonum sententiis* (seu G. *Canonum pœnis*) (vel Isid. *condemnationibus, quæ per Canones constitutæ sunt*) *subjacebunt*.

Cum nulli ante hanc Synodum exstent de hac re Canones, per *Canonum sententias*, condemnationes, sive *pœnas*, intelligi oportet generaliter pœnas Canonicas, uti intelligit Aristenus, qui in commentario ad epitomen hujus Canonis, ait: „ Qui hæc autem transgressus fuerit, *pœnis* Canonicis obnoxius erit.

Josephus Ægyptius in sua paraphrasi Arabica finalem Canonis partem ita reddit: „ Et quicumque monasterium aliquod sibi domicilium constituerit, aut „ illud cognoverit, & non mutaverit, anathematizatus sit, & maledictus.

Hunc auctorem Canonem intellexisse de conversione monasterii in sæcularia habitacula, facta auctoritate privata manifestum est.

Extat apud Gratianum *Caus.* 19. *qu.* 5. *Can.* 4.

CANON XXV.

Quoniam quidam Metropolitanorum, quantum comperimus, negligunt commissos sibi greges, & ordinationes Episcoporum facere differunt, placuit Synodo, intra tres menses ordinationes Episcoporum celebrari: nisi forte necessitas inexcusabilis præparet tempus dilationis extendi: quod si hoc minime fecerit, correptioni Ecclesiasticæ subjacebit: verum tamen reditus Ecclesiæ viduatæ, penes OEconomum ejusdem Ecclesiæ integri reserventur.

SCHOLION.

Ordinatio Episcopi fiat intra tres menses a vacatione Sedis.

ARGUIT præsens Canon Metropolitanos, qui *negligunt commissos sibi greges, & ordinationes Episcoporum facere differunt*.

Porro „ dum differtur ordinatio Episcopi, non minima creatur divinorum officiorum offensio, & Ecclesiasticarum rerum perditio " : uti jam pridem monuit Synodus Toletana XII. *cap.* 9.

Hinc *placuit Synodo* Chalcedonensi, *intra tres menses ordinationes Episcoporum celebrari*; nisi forte *necessitas inexcusabilis præparet* (vel ut alia lectio Dionysii habet, *coegerit*) *tempus dilationis extendi*.

Josephus Ægyptius in sua Canonum Arabica paraphrasi, aperit causas, quæ Metropolitanos movebant, ut differrent Episcoporum ordinationes: „ Quandoquidem „ (ait) nonnulli Metropolitani, ex *lucri & populi sibi congregandi aviditate*, ordinationes Episcoporum differunt; visum est Synodo, ut Episcopi ordina- „ tio-

(*d*) *Tom. VI. Can.* 40. Apost. & Can. 24. Antioch.

,, tionem non differant ultra tres menses a morte De-
,, cessoris.

Finali clausula significat quoque hic Paraphrastes, tempus *trimestre* a Synodo præstitutum incipere *a morte Decessoris*, sive a die vacationis, uti & hunc Canonem subsequentes Synodi Patres intellexisse videntur.

Sanctus Gregorius scribens Constantio Mediolanensi Archiepiscopo *Lib. 6. Epist.* 14. ait: " Sacri Canones ,, ultra *tres* menses Ecclesiam præcipiunt non vacare ". Et ad Archiepiscopum Ravennæ scribit eodem libro *Epist.* 39. " Ultra *tres* menses Ecclesiam vacare Pon- ,, tifice, *statuta* sacrorum *Canonum* non permittunt.

Per *sacros Canones*, & *statuta Canonum* intelligi hunc præsentem Canonem dubitari nequit: quia nullus illius temporis scitur alius Canon, qui terminum *trimestrem* ordinationi faciendæ præfixisset.

Quin & sæculo VIII. Synodus Vernensis *Can.* 17. ait: ,, Post *mortem* Episcopi non liceat Episcopatum esse ,, sine pastore supra *tres* menses, nisi talis necessitas ,, grandis extiterit, ut ullo modo aliter fieri non pos- ,, sit ". Ut autem ambigi nequeat hunc Canonem hic innovari, addit Synodus Vernensis suo Canoni hanc epigraphem, *Ex Synodo Chalcedonensi*.

Similiter Synodus Lateranensis sub Innocentio II. ,, Ultra *tres menses* vacare Ecclesias prohibent Patrum ,, sanctiones.

Ex his facile colligitur, tempus hoc Canone præfixum computatum fuisse a tempore *vacationis*; ideoque & pro eodem reputatum est, non posse differri ordinationem Episcopi *ultra tres* menses; & non posse Ecclesiam vacare *ultra tres* menses. Nec mirum, quia juxta disciplinam illius temporis Electio, Confirmatio, & Ordinatio Episcopi eodem quasi tempore peragebantur: neque ipsa Confirmatio ab Ordinatione sejungebatur, eo quod utraque ad Metropolitanum spectaret.

At labentibus sæculis cœpit non tantum Electio, vel Nominatio Episcopi, sed & Confirmatio ab Ordinatione seu Consecratione plane sejungi, quin & tandem Confirmatio Pontifici Romano reservari; ipsique Confirmationi is effectus attribui, ut per confirmationem ante consecrationem possit confirmatus capere possessionem Episcopatus, vi cujus gaudeant omnibus juribus tam temporalibus quam spiritualibus, quæ non sunt ordinis Episcopalis: atque per confirmationem & captam possessionem, ipsa Ecclesia desinit esse viduata, ut latius ostendi in *Jure Ecclesf. Tom. I. part.* 1. *t.* 14. *c.* 5.

Tridentinum renovat hunc Canonem, sed cum aliqua differentia.

Cum autem plures Episcopi parum solliciti essent de iis, quæ ordinis sunt, modo reliquis juribus & præeminentiis gauderent, atque ita consecrationem multo sæpe tempore differrent, Synodus Tridentina *sess.* 7. *cap. 9. de Reformat.* statuit: " Ad majores Ecclesias ,, promoti munus *consecrationis* infra tempus a jure ,, statutum suscipiant; & prorogationes ultra sex men- ,, ses concessæ nulli suffragentur ". Et *sess.* 23. *cap. de Reformatione*: " Ecclesiis Cathedralibus, seu supe- ,, rioribus quocumque nomine ac titulo præfecti, etiamsi ,, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, si munus ,, consecrationis intra *tres menses* non susceperint, ad ,, fructuum perceptorum restitutionem teneantur: si ,, intra totidem menses postea id facere neglexerint, ,, Ecclesiis ipso jure sint privati.

Quin in tempore hoc *trimestri* suscipiendæ consecrationi præfigendo, Synodus præsentem nostrum Canonem præ oculis habuerit vix dubito, eumque Scholiastes marginalis citat.

Adhæc in Canonem & Decretum Tridentinum intercedit differentia, quod Canon Chalcedonensis, a cœpta vacatione, Tridentinum decretum vero ab obtenta Pontificia confirmatione velit tempus trium mensium computari.

Canon noster vult, ut si Metropolitanus ordinationes Episcoporum *inter tres menses minime fecerit, correptioni ecclesiasticæ* (sive G. *ecclesiasticæ pœnæ*) (vel Isid. *ecclesiasticæ condemnationi*) *subjacebit*: quod Josephus Ægyptius ita reddit; " Quicumque huic Decre- ,, to adversatus fuerit, Synodus eum reprehendat, & ,, quodcumque sibi visum fuerit, judicium in eum ,, ferat.

Synodus Trydentina non in Metropolitanum ordinationem differentem, sed in promotos munus consecrationis non suscipientes pœnas vibrat; eo quod Metropolitani non solerent munus consecrationis recusare; sed ipsi *promoti* ad Ecclesias Cathedrales consecrationem protrahere; parum scilicet de consecratione solliciti, dum fructibus & juribus temporalibus & honorificis gaudere possunt.

Sed licet Synodus enixum suum in hoc desiderium explicaverit, nihilominus nonnulli Episcopi, præsertim majores, ad plures annos, immo vitam totam munus consecrationis differunt, quin nec ullo ordine sacro insigniuntur, sed simplices Clerici Episcopales fructus percipiunt, omniaque Episcopalia exercent, exceptis iis, quæ ordinis sunt, quæ tamquam minora, per aliquem Episcopum *Titularem*, seu *in Partibus*, ut vacant, exercent mediante dispensatione; & ita Decretis sanctissimis illuditur, & disciplina sæculis melioribus incognita invalescit.

Reditus Ecclesiæ viduatæ penes OEconomum.

Ut vero Metropolitanis protrahendi ordinationes incentivum subtraheretur, addit Canon, ut *reditus Ecclesiæ viduatæ penes OEconomum ejusdem Ecclesiæ integri reserventur*.

Hæc ita reddit Paraphrastes Arabicus: " Omnes istius ,, Ecclesiæ redditus in Ecclesiæ procuratoris sive OE- ,, conomi manibus maneant, ut ipse ea conservet.

Hac ordinatione Metropolitanis adimebatur facultas reditus Episcopatus vacantis sibi interim vendicandi, quæ eum ad providendum Ecclesiæ vacanti segniorem reddebat.

Conformiter ad hoc Decretum ordinavit, Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 16. *de Reformat.* ut " Capi- ,, tulum, Sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ,, ei munus incumbit, Œconomum unum, vel plures ,, fideles ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasti- ,, carum & proventuum curam gerant, quorum ratio- ,, nem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri.

Multis sæculis generaliter obtinuit, ut proventus Ecclesiæ vacantis futuro Episcopo integri reserventur; at posteriora sæcula in pluribus Ecclesiis præsertim Gallicanis, jus *Regaliæ* induxerunt, ratione cujus proventus Ecclesiæ vacantis ad Regem devolvuntur, de quo latius egi in *Jure Ecclesiastico Tom III. parte* 2. *sect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 8. alias *tit.* 52. *cap.* 8.

CANON XXVI.

Quoniam in quibusdam Ecclesiis, ut rumore comperimus præter OEconomos, Episcopi facultates Ecclesiasticas, tractant: placuit, omnem Ecclesiam habentem Episcopum, habere OEconomum de Clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas, secundum sententiam Episcopi proprii, ita ut Ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit, & ex hoc dispergantur Ecclesiasticæ facultates, & Sacerdotio maledictionis derogatio procuretur: quod si hoc minime fecerit, divinis constitutionibus subjacebit, vel subjaceat.

SCHOLION.

Episcopus res Ecclesiæ per OEconomum e proprio Clero assumptum administret.

HOC Canone docemur, quod tempore hujus Synodi in plerisque Ecclesiis Episcopi per Œconomos res temporales administrarent, quod & Synodus probabat: sed quoniam in quibusdam Ecclesiis id non observari comperisset Synodus, eam laudabilem praxim Canone præsenti stabilire, & ab omnibus observari voluit; ideoque hoc Canone, *placuit omnem Ecclesiam Episcopum habentem, habere OEconomum de Clero proprio*, aut, vertente Josepho Ægyptio (*e Sacerdotibus ejusdem Ecclesiæ & quidem selectissimis*) *qui dispenset res Ecclesiasticas secundum sententiam Episcopi proprii: ita ut Ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit* (sive Gr. *nec sine testibus sit Ecclesiæ administratio*) *& sacerdotio maledictionis derogatio procuretur* (seu G. *ne ideo res ejus dissipentur, & probrum ac dedecus sacerdotio inuratur*).

Œconomi igitur institutio cum maxime scopum habuit; ut malevolis hominibus subtraheretur occasio traducendi Episcopos tamquam rerum Ecclesiasticarum infideles administratores, dum suæ administrationis haberent testes e suo Clero assumptos. Sic Apostolus cum ipsi credita esset notabilis eleemosynarum dispensatio, socium sibi adjunctum, scilicet Silam aut Titum designat 2. *ad Corinth. cap.* 8. *vers.* 20. & 21. *Devitantes hoc* (ait) *ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis. Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.*

Ut autem efficacius omnis calumniandi occasio præscindatur " volunt Canones non ex domesticis ipsius ,, Episcopi cuiquam, propinquo forte, aut uni a fa- ,, milia, sed homini ex Episcopatus Clero delecto, ,, Œconomi munus ab eodem mandari ": uti notat ,, Zonaras in Canonem 26. Chalcedonensem; addit de- ,, inde: Quo quidem, ex Episcopi tamen sententia, ,, bona procurante, & quos in usus Ecclesiastici, re- ,, ditus insumantur facile apparebit; nec erit cur quis- ,, piam in Ecclesiæ patrimonio dissolutum Episcopum ,, fuisse suspicari queat: (id enim dissipandi verbo ,, ostenditur) eumque quasi sacros proventus perdite ,, irreligioseque effundentem, conviciis contumeliisque ,, proscindat . . . . qua quidem ex re, cum Episcopi ,, fides multitudini suspecta esse consuevit, tum of- ,, fensiones quoque populi, velut ex odio male gestæ ,, potestatis excitantur.

Episcopus autem, qui *hoc minime fecerit, divinis constitutionibus subjacebit*; hoc est: " Qui (juxta præ- ,, scriptum hujus Canonis) administrandis Ecclesiarum ,, bonis delectos ex Clero Œconomos non præfecerint, ,, Canonicis in eos pœnis animadverti jubent " ait Zonaras.

Canonem hunc renovavit Synodus Hispalensis I. *Can.* 5. contra Episcopos, qui laicos rerum Ecclesiasticarum Dispensatores præficiebant, statuens, ut " unusquisque ,, Episcopus secundum *Chalcedonensium Patrum* Decre- ,, ta *ex proprio Clero* Œconomum sibi constituat. In- ,, decorum enim est Laicum esse Vicarium Episcopi, ,, & sæculares de Ecclesia judicare ". Ipsum habet ,, Synodus Toletana IV. *Can.* 48.

Hic

Hic videmus, etiam in Ecclesiis Hispaniarum notos & receptos fuisse OEconomos, qui res Ecclesiasticas administrarent. Præcipue tamen & generalior fuit in Ecclesiis Orientalibus OEconomorum usus. Apud Latinos autem in multis Ecclesiis, exemplo Apostolorum, Diaconis, vel potius Archidiaconis hæc cura commissa fuit; ut vel hinc potentia Diaconorum & Archidiacorum mirum in modum excreverit; ac sensim in eam devenerint arrogantiam, ut & Presbyteris præferri & dominari voluerint; uti ad Canonem XVIII. Nicænum notatum est.

Quandonam per OEconomos de Clero assumptos, aut Archidiaconos res Ecclesiasticas dispensare & administrare Episcopi desierint, incertum est: admodumque verisimile id sensim contigisse.

Deplorat Zonaras sæculo XII. in notis ad hunc Canonem, quod " Decreti hujus auctoritatem, & plerique ,, Præsules (& nonnulli etiam Monachorum Rectores ,, omnino contemnant.

Hoc constat, bona ad mensam Episcopalem spectantia hodie non per OEconomos ad præscriptum hujus Canonis, aut per Archidiaconos, sed solius Episcopi arbitrio dispensari, qui & pro arbitrio Receptores aut Dispensatores constituit.

Illud quoque certum, spectare quidem ad punctum disciplinæ pro temporum & locorum varietate mutabile, quibus personis rerum ecclesiasticarum administratio committatur; sed ad jus naturale ac immutabile spectare, ut fideliter, & secundum piam voluntatem offerentium, & conditionem bonorum administrentur; utpote provideant *Episcopi* in hac dispensatione, *bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*.

Tametsi ergo Canon hic abierit in desuetudinem; quatenus per OEconomos res Ecclesiæ administrari vult, vires tamen suas etiamnum hodie retinet; & semper obtinebit, non obstante contrario usu, ut Episcopi omnem calumniandi occasionem de male administratis rebus Ecclesiæ a se removere studeant; quam facile a se amolietur Episcopus, si in proventibus Ecclesiasticis dispensandis attendat, & observet Decretum Concili Trit. *sess. 25. cap. 1. de Reform.* ipsos monentis exemplo Patrum Carthaginensium: " ut non tantum modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti ,, sint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ,, domo, caveant, ne quid appareat quod a sancto ,, hoc instituto sit alienum, quodque non simplicita- ,, tem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ,, ferat ": & adjungit: " ne res Ecclesiasticas, quæ ,, Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sunt, ,, iis ut pauperibus distribuant, omnemque humanum ,, hunc erga fratres, nepotes, propinquos, carnis affe- ,, ctum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant.

Accusatus fuerat Ibas a suis Clericis, multa Ecclesiæ suæ bona & instrumenta in proprios usus, & consanguineorum suorum utilitates convertisse. Hæc accusatio occasionem subministrasse potuit Synodo, ut præsenti Canone sanciret, omnem Ecclesiam habentem Episcopum habere OEconomum de Clero proprio, qui res Ecclesiæ dispenset, ut ita Episcopum notam dilapidationis, aut infidelis administrationis facilius evadere possit.

CANON XXVII.

Eos, qui rapiunt mulieres, sub nomine simul habitandi cooperantes, aut conniventes raptoribus decrevit sancta Synodus: ut si quidem Clerici sunt, decidant gradu proprio; si vero Laici, anathematizentur.

SCHOLION.

Raptor mulieris cum cooperatoribus punitur.

CRIMEN raptus semper in Ecclesia & Republica admodum grave & exitiosum habitum fuit; multisque Canonibus & legibus punitum.

Præsens Canon punit *eos, qui rapiunt mulieres, sub nomine simul habitandi* (seu G. *qui nomine conjugii mulierem rapiunt*) (sive Isid. *qui sibi rapiunt uxores*) *cooperantes aut conniventes raptoribus* (G. vel *opem ferunt, ac consentiunt eis, qui rapiunt*).

,, Adjutores quidem intelligimus (ait Zonaras) qui ,, ad scelus patrandum operam suam raptori commodarunt. Consentire vero eos dicimus, quorum ma- ,, nus quidem a scelere abfuit, consilio tamen ac stu- ,, dio delinquentibus suppetias ac opem tulerunt.

Plura de crimine raptus & pœnis dicta sunt in *Jure Eccles. Tom. IV. parte 3. tit. 4. cap. 6.* alias *cap. 4.* & *Tom. II. parte 2. sect. 1. tit. 13. cap 11.* alias *capit. 10.* de impedimento *raptus* quatenus hodie ex Decreto Concilii Tridentini constituit impedimentum dirimens matrimonium inter raptorem & raptam.

CANON XXVIII.

Sanctorum Patrum decreta ubique sequentes, & Canonem, qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus ac statuimus (de privilegiis sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi, sanctissimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt, recte judicantes urbem, quæ & imperio & senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam rebus Ecclesiasticis, non secus ac illam extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem: ut & Ponticæ, & Asianæ, & Thraciæ Diœcesis Metropolitani soli, præterea & Episcopi prædictarum Diœcesum, quæ sunt inter Barbaros, a prædicto throno sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur, unoquoque scilicet prædictarum Diœcesum Metropolitano cum provinciæ Episcopis ordinante, quemadmodum divinis Canonibus est traditum. Ordinari autem, sicut dictum est, prædictarum Diœcesum Metropolitanos a Constantinopolitano Episcopo convenientibus de more factis electionibus, & ad ipsum relatis.

SCHOLION.

Hic Canon est vere hujus Synodi.

HIC Canon non extat apud Dionysium Exiguum; nec cum collectione Joannis Antiocheni, neque ejus meminit Josephus Ægyptius in sua paraphasi Arabica. Refertur autem in omnibus Balsamonis, Zonaræ, & Joannis Aristeni codicibus, & apud Photium in *Nomocanone tit. 1. cap. 5. & 6.* ipsaque acta Concilii Canonem hunc *Actione 15.* Concilii compositum testantur; nec non querelæ S. Leonis contra hunc Canonem eum esse revera a Patribus Chalcedonensibus editum manifestissime evincunt.

Cur autem serius a Latinis quam a Græcis sive Orientalibus fuerit receptus, & in codicem Canonum relatus, ex dicendis in Scholio intelligi poterit.

Actione 16. & ultima hujus Synodi habita postridie *Actionis 15.* Paschasinus Vicarius Sedis Apostolicæ apud gloriosissimos judices graviter conquestus est, post judicium suumque e Synodo discessum, quædam contra Canones & disciplinam Ecclesiasticam gesta esse.

Petebat itaque Paschasianus, ut judices hæc relegi præciperent: ,, ut omnis fraternitatis (ait) inspiciat, utrum justa, an injusta sint ea, quæ gesta sunt.

Adhæc ,, gloriosissimi judices dixerunt: si qua gesta post nostrum discessum facta sunt, relegantur.

Verum ,, antequam recenserentur, Aetius Archidia- ,, conus sanctæ Ecclesiæ Constantinopolis dixit. Confi- ,, tendum est, qui formam ea, quæ de fide sunt, con- ,, gruam susceperunt: consuetudo autem est in Syno- ,, dis, postquam ea, quæ sunt omnium præcipue, fue- ,, rint definita, & alia quædam necessaria exerceri at- ,, que formari.

His dictis, relectus est præsens Canon; quo relecto; Lucentius reverendissimus Episcopus Sedis Apostolicæ alter Vicarius, dixit ad Judices: ,, Primo gloria vestra ,, perpendat, quia circumventione cum sanctis Episco- ,, pis gestum sit, ut non conscriptis Canonibus, quo- ,, rum mentionem fecerunt, subscribere sint coacti.

Hic sat aperte indicabat Lucentius Sedis Apostolicæ Vicarius, Episcopos coactos fuisse ad subscribendum huic Canoni.

At reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Nemo coactus est*. Dein addit Lucentius: ,, Accedit ad cumu- ,, lum, quod trecentorum decem & octo Constitutio- ,, nibus postpositis, centum quinquaginta, qui in Sy- ,, nodicis Canonibus non habentur, mentionem tan- ,, tum fecisse noscuntur, quæ dicunt ante octoginta ,, prope annos constituta fuisse. Si ergo his tempori- ,, bus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? ,, Si nunquam usi sunt, quare requirunt?

Lucentium hic conqueri neglecto Canone Nicæno, Canonem III. Constantinopolitanum ab Ecclesia Romana non receptum, fuisse assumptum & renovatum, non obscurum est.

Post hæc postulante Aetio Archidiacono Ecclesiæ Constantinopolitanæ, recitavit Bonifacius presbyter tertius Vicarius Sedis Apostolicæ mandatum Leonis Papæ, quod ipsis ad Synodum accedentibus datum fuerat. " Sanctorum quoque Patrum Constitutionem pro- ,, latam nulla patiamini temeritate violari vel immi- ,, nui, servantes omnimodis personæ nostræ in vobis ,, (quos vice nostra transmisimus) dignitatem, Ac si ,, qui forte civitatum suarum splendore confisi aliquid ,, sibi tentaverint usurpare, hoc qua dignum est con- ,, stantia retundatis ". Gloriosissimi Judices dixerunt: ,, Utraque pars Canones proponat.

Itaque primum Paschasinus Vicarius Sedis Apostolicæ e suo codice recitavit Canones Nicænos. Dein Aetius Archidiaconus similiter e suo codice legit eosdem Canones Nicænos, sed nonnihil inter se discrepante lectione, ut supra *parte I. Dissert. 3. §. I.* notatum est. Adjecit autem Aetius Canonem Synodi Constantinopolitanæ.

Hisce recitatis, gloriosissimi Judices dixerunt: " Hi ,, qui relecto tomo (id est Canones) subscripserunt ,, Asiani & Pontici sanctissimi Episcopi dicant, si *vo-*

luntate

luntate propria, vel imposita sibi aliqua necessitate coacti subscripserat.

Cum autem qui uni universi subscripserant Asiani, & Pontici Episcopi respondissent, nullam sibi illatam esse necessitatem, sed sponte subscripsisse, auditis quoque iis, qui non subscripserant, dixerunt Judices: „ Ex „ his, quæ gesta sunt, & ab unoquoque deposita, per„ pendimus, omnem quidem Primatum & honorem „ præcipuum secundum Canones, antiquæ Romæ Dei „ amantissimo Archiepiscopo conservari; oportere au„ tem sanctissimum Archiepiscopum regiæ Constantino„ polis *novæ Romæ*, ejusdem Primatus honore frui, „ & ipsum dignum esse: & reliqua prout in ipso Ca„ none habentur.

Sed ne viderentur velle sua auctoritate Canones edere, subjungunt: „ Hæc a nobis inspecta sunt. Quæ „ autem sibi videantur, sanctum & universale Conci„ lium docere dignetur ". Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Hæc justa sententia est: hæc omnes dicimus hæc omnibus placent: hoc justum Decretum: hæc justa sententia: omnia ordinate decreta sunt. Supplicamus, dimitte nos. Per salutem Imperatorum, dimitte nos. Omnes in hac sententia permanemus, omnes eadem dicimus.

His auditis, Lucentius Vicarius Sedis Apostolicæ dixit: „ Sedes Apostolica nobis præsentibus humiliari „ non debet: & ideo quæcumque in præjudicium Ca„ nonum vel regularum hesterna die gesta sunt, nobis „ absentibus, sublimitatem vestram petimus, ut cir„ cumduci jubeatis: sin alias, contradictio nostra his „ gestis inhæreat, ut noverimus quid Apostolico viro „ universalis Ecclesiæ Papæ referre debeamus, ut ipse „ aut de suæ Sedis injuria, aut de Canonum eversione „ possit ferre sententiam.

Tum Joannes Reverendissimus Episcopus Sebastiæ dixit: Omnes in sententia vestræ Magnificentiæ permanemus. Illustrissimi Judices dixerunt; *Quod interlocuti sumus, tota Synodus approbavit.*

Canon probatur.

Itaque Canon hic a Patribus Synodi probatus fuit, refragantibus licet Vicariis Sedis Apostolicæ.

Duo præsenti Canone statuuntur in gratiam Episcopi Constantinopolitani.

De prærogativa honoris Sedis Constantinop.

Primo confirmatur Canon Concilii Constantinopolitani 150. Patrum, quo decernitur, *ut Constantinopolitanus Episcopus habeat prioris honoris partes post Romanum Episcopum, eo quod sit ipsa* nova Roma.

Addunt Patres Chalcedonenses rationem quare hujusmodi *prioris honoris partes*, sive ut Dionysius legit Canonem Constantinopolitanum, *Primatus honoris* Episcopo Constantinopolitano datus sit. Cum enim antiquæ *Romæ throno jure Patres privilegia tribuerint, quia urbs illa* imperaret, *sive imperialis esset, eadem consideratione* (*inquiunt*) *moti* 150. *Dei amantissimi Episcopi sanctissimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt, recte judicantes, urbem quæ & Imperio & Senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis, non secus ac illam extolli ac magnifieri secundam post illam existentem.*

Hæc primam Canonis partem conficiunt, quæ nihil nisi nudam Canonis Constantinopolitani confirmationem & renovationem exhibent, & Episcopo Constantinopolitano nil aliud quam *honoris Primatum*, seu *prioris honoris partes* post Episcopum Romanum attribuunt.

Manifestum enim est Canone Constantinopolitano solum *honorarium*, sive honoris privilegium inditum fuisse Episcopo Constantinopolitano, quemadmodum Episcopo Hierosolimorum datum erat *Canone VII.* Nicæno.

In eodem quippe Canone juxta lectionem Græcorum decreverunt Patres Constantinopolitani, Diœcesim, sive districtum ex pluribus provinciis constantem, a suis Episcopis, sive ab omnium ejusdem Diœceseos Episcoporum Synodo administrari, eosdemque in ista sola Diœcesi Ecclesiasticam suam potestatem exercere.

Cum autem inter Diœceses ibidem expressas, esset Diœcesis Thraciæ, in qua sita erat Constantinopolis, nihil po erat in hac Diœcesi Episcopo Constantinopolitano pro cæteris singulare assignari, præterquam nuda honoris prærogativa: quæ & sola a Concilio Constantinopolitano data fuit Episcopo Constantinopolitano.

Unde & vi hujus Canonis, Anatolius Episcopus Constantinopolitanus in subscriptionibus Concilii Chalcedonensis proximus post sancti Leonis Episcopi Romani legatos legitur subscripsisse.

De jure Exarchico Episcopi Constantinop. in Pontum, Asiam, & Thraciam.

Secunda parte Canonis ultra *Primatum*, seu *prærogativam honoris*, attribuuntur Episcopo Constantinopolitano privilegia potestatis & auctoritatis; id est, tres Diœceses in unum conjunctæ ei subjiciuntur, quarum Metropolitanos ipse Episcopus Constantinopolitanus ordinaret. „ Ut & Ponticæ, & Asianæ, & Thraciæ „ Diœcesis Metropolitani soli; præterea Episcopi præ„ dictarum Diœcesum, quæ sunt inter barbaros a præ„ dicto throno sanctissimæ Constantinopolitanæ Eccle„ siæ ordinentur, unoquoque scilicet prædictarum Diœ„ cesium Metropolitano cum provinciæ Episcopis, pro„ vinciæ Episcopos ordinante, quemadmodum divinis „ Canonibus est traditum: ordinari autem, sicut di„ ctum est, prædictarum Ecclesiarum Metropolitanos „ a Constantinopolitano Archiepiscopo convenienti„ bus de more factis electionibus, & ad ipsum rela„ tis.

Itaque qui antea Diœcesium istarum Exarchi fuerant, simplices Metropolitani constituuntur, ut Episcopus Constantinopolitanus, qui prius nec Metropolitanus erat, ad Exarchi & Patriarchæ honorem & auctoritatem attolleretur.

Illud quidem verum est, jam ante hanc Synodum Episcopum Constantinopolitanum, favore Imperatorum & adulatione & conniventia. Episcoporum, qui ejus apud Imperatores gratiam ambiebant, jus hoc subinde sibi vendicasse; sed tantum ex *consuetudine*, non autem ex aliquo Canone præsertim Concilii OEcumenici: ut proinde vere dici queat, hoc Canone omnem Patriarchicam potestatem Episcopo Constantinopolitano primum confirmatam esse; a quo etiam primum ei Diœcesis Patriarchalis assignatur.

Quibus prætextibus & gradibus Episcopus Constantinopolitanus sensim, sine ullo Canone, jura illa sibi vendicasset, erudite exponit Quenellus, *Dissertatione de vita & rebus gestis S. Leonis ad annum* 452. *nu.* 5. *& sequentibus.*

Patres Synodi per litteras relationem eorum, quæ in Synodo gesta erant, miserunt ad Leonem Papam: atque inter alia significarunt, quæ pro sede Constantinopolitana decreverant; rogaverunt ut his approbationem non denegaret; contradixisse quidem ejus Legatos fassi sunt: *sed* (ajunt) *procul dubio a vestra providentia inchoari & hoc bonum volentes, ut sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus.* Habetur tom 4. Concil. general. *col.* 839.

Idipsum & Marcianus Imperator litteris ad Leonem datis postulavit. *Quoniam vero* (*ait*) *& hoc sancitum est, quæ centum quinquaginta Episcopi sub divæ memoriæ Theodosio circa honorem venerandæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ constituerunt, & hæc sancta Synodus de eodem negotio constituit, constanter debere observari; scilicet ut post Apostolicam Sedem Constantinopolitanus statim Episcopus in secundis consistat, quod splendidissima urbs nova Roma appelletur, dignetur tua sanctitas etiam hac in parte concinere, licet religiosissimi Episcopi tuæ pietatis nomine, in sacra Synodo comparentes, contradixerint: Nimis enim vehementer impediverunt, ne sancta Synodus aliquid de illa sancta Ecclesia decernerent; speramus autem, cum universi orbis sacerdotes unum atque idem senserint, Romanis rebus divinam providentiam utilia quæque concessuram.*

S. Leo Canoni se opponit.

Verum ut hunc Canonem Leo probaret, neque Imperatoris, neque Augustæ, neque Juliani Coensis legati sui, neque Patrum Chalcedonensium enixis precibus adduci potuit; immo resistere omnibus modis instituit, & validissimis rationibus Decretum hoc infringere studuit. Hanc in rem præ cæteris notanda ejus *epistola* 80. ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum.

In hac asserit coactam Synodum ad fidem vendicandam, perfidiamque Eutychianam perimendam, non ad serviendum Anatolii Episcopi Constantinopolitani cupiditati. Deinde arguit Episcopos vel promissis illectos, vel minis territos; Consilia Anatolii ad perturbationem & Ecclesiæ scandalum tendere, & Canones Nicænos violatos esse sæpius inculcat.

Adhæc, quia Anatalius, aliique Patres, qui hunc Canonem XXVIII. condiderant, suum Decretum tuebantur auctoritate Canonis Constantinopolitani sub Theodosio, vim hujus Canonis multis destruere conatur S. Leo in eadem epistola *cap.* 5. *Persuasioni enim tuæ* (*ait*) *in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta* (*ut jactas*) *annos conscriptio, nunquamque a prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ sera nunc & inutilia fulcimenta subjicere voluisti, eliciendo a fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata præberet.*

Scripsit & S. Leo ad Marcianum Imperatorem, (*a*) ut eum ad cassandum hunc Canonem induceret; atque inter alia solvere conatur argumentum, quod ex dignitate præeminentiaque urbis Constantinopolitanæ petebat Anatolius; atque in ipso Canonis contextu a Patribus Chalcedonensibus exprimitur: „ Habeat sicut „ optamus (inquit) Constantinopolitana civitas glo„ riam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno „ Clementiæ vestræ fruatur Imperio. Alia tamen ra„ tio est rerum sæcularium, alia divinarum: nec præ„ ter illam petram, quam Dominus in fundamen„ to mire posuit, stabilis erit ulla constructio; „ sed propria perdit, qui indebita concupiscit. „ Satis sit prædicto, quod vestræ pietatis au„ xilio

(*a*) Hæc Epistola 78. recensetur in nova editione operum S. Leonis.

„ xilio , & mei favoris aſſenſu , Epiſcopatum tantæ urbis obtinuit . Non dedignetur regiam civitatem , quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem ; nec ullo ſperet modo , quod per aliorum poſſit offenſiones augeri .

Urget dein auctoritatem Nicænorum Decretorum , quibus privilegia Eccleſiarum fixa eſſe aſſerit; quæ (ait) „ nulla poſſunt improbitate convelli , nulla novitate violari . In quo opere , auxiliante Chriſto , fideliter exequendo , neceſſe eſt , me perſeverantem exhibere famulatum : quoniam diſpenſatio mihi credita eſt , & ad meum tendit reatum , ſi paternarum Regulæ ſanctionum , quæ in Synodo Nicæna ad totius Eccleſiæ regimen Spiritu Dei inſtruente , ſunt conditæ; me (quod abſit) connivente, violentur.

Ambitus Anatolii Patr. Conſtantinop. perſtringitur.

Acri quoque ſtilo perſtringit Anatolii ambitum; precaturque , & ſedula ſuggeſtione obſecrat Marcianum : „ ut auſus improbos unitati Criſtianæ pacique contrarios , ab omni (ait) pietatis veſtræ abdicetis aſſenſu, & fratris mei Anatolii , nocituram ipſi, perſtiterit, cupiditatem ſalubriter comprimatis ; ne ea , quæ veſtræ gloriæ atque temporibus inimica ſunt , cupiens , major ſuis velit eſſe prioribus : liberumque illi ſit , quantis potuerit ſplendore virtutibus ; quarum non aliter particeps erit , niſi charitate magis voluerit ordinari , quam ambitione diſtendi . Hanc autem improbi deſiderii conceptionem nunquam debuit intra cordis ſui recipere ſecretum : ſed cum illi fratres & Coepiſcopi mei , qui vice mea aderant , obviarent ; ab illicito appetitu , ex eorum ſaltem ſalubris contradictione ceſſaſſet.

Scripſit & ad Pulcheriam Auguſtam , (*a*) acriter Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum tamquam hominem ambitioſum , ſuis terminis & juribus non contentum , exagitans , ipſamque Nicænorum Canonum auctoritatem mirifice extollens : epiſtolamque ita concludens : *Conſenſiones vero Epiſcoporum , ſanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes : unita nobiſcum veſtræ fidei pietate , in irritum mittimus , & per auctoritatem beati Petri Apoſtoli , generali prorſus definitione caſſamus .*

Ex his habemus , ſanctum Leonem , in hac contentione; præcipue ac pene unice urſiſſe auctoritatem Canonum Nicænorum , qui volunt , omnibus Eccleſiis ſua ſervari privilegia ſecundum morem antiquum .

Prærogativæ Sedium Patriarchalium ad diſciplinam pertinent.

Verum cum hic non agatur de puncto fidei , ſed duntaxat de puncto ſimplicis diſciplinæ , ſcilicet de inſtitutione ac certis prærogativis & juribus Sedium Patriarchalium , dubitari nequit , quin ejuſmodi Sedium inſtitutio pro bono Eccleſiæ mutari , ampliari , vel etiam reſtringi poſſit: quod & Bellarminus agnoſcit *lib. 2. de Concil. auct. cap. 8.* dicens : *Decretum de honore Sedium patriarchalium , ſicut a Concilio Nicæno factum fuerat , ita poterat ab alio ſimili Concilio mutari .*

Quæſtio igitur ſupereſt , num juſta fuerit Patribus Chalcedonenſibus , eam dandi & confirmandi prærogativam Epiſcopo Conſtantinopolitano . Negat id Bellarminus ; ideoque & Pontifices merito repugnaſſe Canonibus , quibus hæc prærogativa Epiſcopo Conſtantinopolitano annuitur . Præcitatis enim verbis ſubjungit ; *Tamen quia nulla juſta ratione mutabatur a Conſtantinopolitano , & poſtea a Chalcedonenſi , Pontifices Romani Damaſus & Leo illud probare noluerunt : neque eorum Pontificum temporibus Decretum illud executioni mandatum eſt .*

Canonis Chalcedonenſis neceſſitas.

Quod hic confidenter aſſerit Bellarminus mutationem hanc ſine *juſta ratione* factum eſſe , negant ipſi Patres Chalcedonenſes in relatione geſtorum ad S. Leonem . Poſtquam enim expoſuerunt ſe Decreto Synodali firmaſſe „ Eam conſuetudinem , quæ ex longo jam tempore permanſit , quam habuit Conſtantinopolitanorum ſancta Dei Eccleſia , ad ordinandum Metropolitanos provinciarum tam Aſianæ , quam Ponticæ , & Thraciæ , adjungunt : Non tam Sedi Conſtantinopolitanæ aliquid præſtantes , quam Metropolitanis urbibus quietem congruam providentes : eo quod frequenter Epiſcopis vitam finientibus , multæ turbæ naſcuntur , Clericis ac populis , qui per eaſdem ſunt civitates , abſque Rectore remanentibus , & Eccleſiaſticum ordinem confundentibus : quod nec veſtram latuit ſanctitatem , maxime propter Epheſios , unde quidam vobis ſæpius importuni fuerunt .

Certe cum Patres Chalcedonenſes hic ipſum S. Leonem teſtem illius confuſionis , cui mederi voluerunt , compellent : ipſe autem in omnibus ſuis litteris nihil huic difficultatis reponat , argumento eſt , veritatem hujus cauſæ S. Leonem inficiari non potuiſſe .

Porro occaſio hujus confuſionis eſſe potuit , quod in provinciis illis nullus eſſet Metropolita cæteris ita præeminens , ut electiones faciendas moderaretur .

Significant inſuper S. Leoni in ſua relatione Patres Chalcedonenſes , quod „ confirmaverint centum & quinquaginta ſanctorum Patrum regulam , qui in Conſtantinopoli congregati ſunt ſub piæ memoriæ majore Theodoſio , quæ præcepit , poſt veſtram ſanctiſſimam & Apoſtolicam Sedem , honorem habere Conſtantinopolitanam .

Tandem concludentes rogant : „ quæ igitur ad interemptionem quidem totius *confuſionis* , confirmationem vero *Eccleſiaſticæ ordinationis* , definivimus , hæc ſicut propria & amica , & ad decorem convenientiſſima , dignare complecti ſanctiſſime & beatiſſime Pater .

Denique & hoc accedebat pro juſtitia hujus Canonis , quod in hanc Epiſcopi Conſtantinopolitani exaltationem , ejuſque juriſdictionis extenſionem conſenſiſſent Aſiani & Pontici Epiſcopi , quorum jus & libertas hac Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ exaltatione lædi & minui videbatur ; quin & plures ex iis dixerunt ; *pridem ante feciſſe Conſtantinopolitanum Epiſcopum ordinationes in Ponto & Aſia* , ut potius & conſuetudinem jam inductam confirmare , quam novum aliquod jus attribuere viderentur Patres Chalcedonenſes .

Hæ rationes nullatenus moverunt S. Leonem , ut a ſua ſententia deflecteret ; manſitque in reprobando hoc Canone immobilis ; eaque ſua conſtantia tandem obtinuiſſe videtur , ut , aſſentiente Anatolio , hic Canon e numero Canonum expungeretur ; atque eo pacto concordiam inter Leonem & Anatolium redintegratam fuiſſe . Scribit enim ad Anatolium Leo epiſtola 106. *Gratum mihi , frater chariſſime , eſt , quod dilectio tua id profitetur ſibi diſplicere , quod tunc etiam placere non debuit . Sufficit in gratiæ communis regreſſum , profeſſio dilectionis tuæ ,*

Conſtans ac firmus manet S. Leo in reprobando 28. Canone Chalcedonenſi.

Hæ Leonis litteræ reſponſoriæ erant ad litteras Anatolii ad Leonem ; alluditque in citatis verbis ad ea , quibus Anatolius ſignificavit , ſe non fuiſſe Canonis hujus auctorem aut ſuggeſtorem ; omnemque a ſe ambitum amoliri conatur . „ De his autem (ait) quæ Conſtantinopolitanæ gratia Sedis ſancita ſunt in Chalcedonenſi nuper univerſali Synodo , pro certo Beatitudo veſtra hoc habeat , nullam eſſe culpam in me , homine , qui ſemper otium & quietem in humilitate me continens , ab ineunte mea ætate dilexerim : ſed Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ reverendiſſimus Clerus eſt , qui hoc habuit ſtudium , & iſtarum partium religioſiſſimi Sacerdotes , qui in hoc fuere concordes & ſibi pariter adjutores . Cum & ſic geſtorum vis omnis & confirmatio auctoritati veſtræ Beatitudinis fuerit reſervata : Hoc igitur bene compertum Sanctitas veſtra cognoſcant , nihil ex me iſtius cauſa factum eſſe negotii , qui ſemper omnem jactantiæ levitatem , & aliena appetendi cupiditatem mihi vitandam crediderim .

Quo pacto concordia facta videatur inter S. Leonem & Anatolium Epiſcopum Conſtantinop.

Itaque admodum veriſimile eſt , in gratiam Leonis , & ad concordiam inter Eccleſias ſanciendam , Canone hoc etiam Græcos aliquo tempore uſos non fuiſſe ; quamvis dignitatem & honorem ſecundæ Sedis ; & adminiſtrationem Aſiæ , Ponti , & Thraciæ Diœceſeon ſemper retinuerit Anatolius , & Epiſcopus Conſtantinopolitanus , nimirum honorem & dignitatem ſecundæ Sedis vigore Canonis III. Conſtantinopolitani ; adminiſtrationem vero dictarum Diœceſeon vigore *conſuetudinis* , quæ ante editum hunc Canonem obtinebat .

Quare Zeno Imperator anno decimo quinto poſt Concilium reſcindens acta Baſiliſci tyranni (qui aliquot provincias a ſedis Conſtantinopolitanæ diſpoſitione avulſerat) omnia quidem in integrum reſtituit , & conſeſſus prærogativam , ordinationumque privilegia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in perpetuum ; ſed iis verbis utitur , quæ Romanum Pontificem lædere non poſſint , ad uſum enim qui jam invaluerat , non autem ad *Canones* aliquos ea privilegia refert , uti recte notavit Petrus de Marca *lib. 3. de Concord. cap. 3.* Verba Zenonis ſunt in *L. 16. cod. de Sacros. Eccleſ.* „ Privilegia & honores omnes ſuper creationibus Epiſcoporum , & jure ante alios reſidendi , & cætera omnia , quæ ante noſtrum Imperium , vel nobis imperantibus habuiſſe dignoſcitur (Epiſcopus Conſtantinopolitanus) habere in perpetuum firmiter *Regiæ urbis intuitu* judicavimus & ſancimus .

Similiter Juſtinianus *Novella* 123. *cap.* 2. honorem ſecundæ Sedis tribuit Epiſcopo Conſtantinopolitano , nulla hujus novi Canonis facta mentione .

Itaque in tuendis hujus ſedis *Regiæ urbis* , ſeu *novæ Romæ* privilegiis non deerant Imperatores , quamvis ea potius a Canone Conſtantinopolitano & conſuetudine , quam a præſenti Canone profecta dicerent .

Id ſignificare voluiſſe apparet Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* 13. loquens enim de hoc Canone , ait : „ Et licet Sedes Apoſtolica nunc uſque contradicat , quod a Synodo firmatum Imperatoris patrocinio , permanet *quoque modo* " : uti legit editio Pariſienſis Garnerii anni 1673. vel ut alia lectio apud Labbæum tomo 4. Concil. *col.* 740. *quodam modo* : „ id eſt (ait de Marca) refragationem Romanorum Pontificum obtinuiſſe quidem , *ut aperte* definitio Chalcedonenſis non admittatur , cæterum rem ipſam quodammodo perſeverare , præſidio Principis , qui

„ con-

(*a*) Hæc Epiſtola in nova editione numeratur 72.

„ consuetudini vires addebat ". *Lib. 3. de concord. Sacerd. & Imp. cap. 355.* (a).

Quidquid sit, hoc constat, in Synodo Trulana *Can. XXXVI.* hunc Canonem expresse renovatum fuisse; atque ab eo tempore a Græcis inter Canones numeratum; quin & tandem a Latinis quoque agnitus est, & a Gratiano in suum Decretum relatus, sed plane in alienum sensum Detortus, uti ad dictum Canonem Trullanum notabimus.

Huic Chalcedonensi Canoni occasionem dedisse potuit: quod *Actione XI.* cum quæreretur ubi Episcopus Ephesinus esset ordinandus, Clerici Constantinopolitani clamaverunt: *Ea, quæ sanctorum Patrum 150. sunt, teneant: Privilegia Constantinopolis depereant: Ordinatio secundum morem ab Archiepiscopo nostro fiat.* Renovatus Canon in Synodo Trullana.

(a) Eruditus Pater le Quien Dominicanus in suo opere, quod inscribitur *Oriens Christianus tom. 1. pag. 66. & 67.* observat quod Innocentius Papa III. ab illa decessorum suorum adversus Calcedonensem Canonem renitentia desciverit. „ Capta, inquit, sæculo 13. ineunte a Francis Constantinopoli, illicque Latini ritus „ constituto Patriarcha, indulsit tandem (Innocentius III.) ut „ secundum ille locum inter Pontifices teneret, postpositis illi „ Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, quando in primis harum Sedium Antistes quis jam pridem juribus ultro cesserant. Quod quidem ratum factum est in Concilio Lateranensi „ anno 1215.

D I S S E R T A T I O

In Synodum & Canones Sardicenses.

§. I.

De indictione Concilii.

Quæ occasio convocationis hujus Concilii?

SCRIBIT Sozomenus *lib. 3. Hist. Ecclesiasticæ cap. 10.* quod Julius I. Romanus Episcopus postquam ex litteris Episcoporum Ægypti cognovisset falsa esse, quæ contra S. Athanasium Orientales Ario faventes, & Eusebiani ita dicti ab Eusebio Nicomediensi Episcopo eorum antesignano, objiciebantur, litteras dederit ad Orientales, quibus significabat, se reperisse Athanasium, uti Paulum Constantinopolitanum, injuste & præter juris ordinem fuisse damnatos.

Ulterius scribit Sozomenus; dum hisce litteris nihil proficeret, eum causam eorum ad Imperatorem Constantem, qui Occidentali Imperio præerat, retulit. Porro Imperator causam suscepit: auditisque iis, qui a fratre suo Constantio, qui Orienti præerat, missi fuerint, ut justitiam depositionis Athanasii & Pauli, aliorumque Orthodoxorum Episcoporum sustinerent, tandem Constans animadvertit: „ Orientales, seu Eusebianos, injuste insidiatos esse Paulo, atque Athanasio; nec ob crimina, aut ob vitæ turpitudinem, „ ut depositionis sententia continebat, sed ob dissensionem fidei, illorum communionem esse aversatos. „ In Patriam eos (Eusebianorum deputatos) remisit, „ cum persuadere nequivissent cujus gratia venerant ". Hucusque Sozomenus loco citato, qui ibidem quoque refert; *Cap. 11.* quod Constans Augustus id beneficii loco a fratre suo postulasset, ut Athanasium in sedem suam restitueret.

Auctoritate Imp. convocata Synodus.

Verum cum nec his litteris suis quidquam proficeret, obsistentibus scilicet hæreticæ factionis hominibus, ut loquitur Sozomenus; vel uti ait Socrates, *lib. 2. cap. 20.* „ Cum Imperatoris Litteræ, quibus mandabat, ut Paulus, & Athanasius sedibus suis restituerentur, nihil proficerent; Plebs enim continuis „ pene seditionibus agitabatur: Paulus & Athanasius aliud Concilium convocari postulant, ut tum „ ipsorum negotium, tum fidei causa generalis Synodi „ sententia terminaretur.

Postulatis annuit Constans; eaque de re Litteras dedit ad fratrem suum Constantium Imperatorem Orientis, qui & ipse consensit, uti testatur Socrates ibid. scribens: *Indicitur ergo iterum generale Concilium apud Sardicam, quæ urbs est Illyrici, idque de sententia* duorum Imperatorum, *quorum alter hoc per Litteras flagitaverat, alter vero Orientis scilicet Imperator libenter annuerat.*

Consonat Socrati Sozomenus, *lib. 3. cap. 11. Cumque Athanasius & Paulus Constantem adeuntes, Synodum fieri flagitarent, tamquam idcirco insidiis appetiti, ut rectæ fidei doctrina subverteretur; ex communi consensu* utriusque Imperatoris *placuit, ut tam Orientis, quam Occidentis partium Episcopi constituto die Sardicam convenirent, quæ urbs est Illirici.*

Et Theodoretus *lib. 2. hist. cap. 4.* ubi Litterarum meminit, quas Constans ad Constantium fratrem suum miserat, Concilii convocationem postulans, subdit: *His Litteris adductus Constantius, Orientis, atque Occidentis Episcopos* jussit *Sardicam convenire. Est autem Sardica urbs Illirici, Metropolis Provinciæ Daciæ. Nam & alia multa Ecclesiæ mala suberant, quæ Synodicam curam & medelam deposcerent.*

Hisce historicis conformis est S. Athanasius, pluribus locis scribens ad Synodum hanc jussu duorum Imperatorum convenisse Episcopos, eorumque auctoritate indictam esse. In apologia secunda ad Constantium, recitata epistola Julii Papæ ad Eusebianos, ait. „ *Hæc cum Romæ Synodus per Julium Romanum Episcopum scripsisset, improba iterum audacia Eusebiani, in Ecclesiis perturbandis, insidiisque tendendis usi sunt. Quod cum rescitum esset a Religiosissimis Imperatoribus, Constantio & Constante, jussi sunt Episcopi Orientis & Occidentis Sardicam convenire* ". Et in Epistola ad fra„ trem suum Constantium; ibique *de amborum senten„ tia*, placuit ut Synodus celebraretur.

Quin & ipsi Patres Sardicenses in Epistola sua Synodica, ad omnes Episcopos, sine ulla ambiguitate fatentur se ad Synodum hanc vocantibus Imperatoribus convenisse. Exponunt enim, quod Eusebiani tanta vi jam contra fidem surrexissent, ut id ne pietatem quidem Religiosorum Imperatorum latuerit. *Quapropter, inquiunt, cooperante Dei gratia, ipsi quoque Religiosissimi Principes nos ex diversis Provinciis e civitatibus, in unum convocarunt, cupientes ut sancta Synodus in Sardorum civitate conveniret; quo omnis controversia præcideretur, & ejecto quidquid pravæ fidei esset, sola in Christum pietas ab omnibus retineretur. Venerunt quoque ex Oriente Episcopi ad id, & ipsi instigati a* Religiosissimis Imperatoribus.

Rursus in Litteris Synodicis ad Julium urbis Romæ Episcopum scribunt: tria fuerunt, quæ tractanda erant: nam & ipsi Religiosissimi Imperatores permiserunt, ut de integro inversa discussa disputarentur,

Hæc evidenter itaque evincunt jussu Imperatorum, Synodum Sardicensem convocatam; quamvis negari nequeat, quin Julius Episcopus Romanus, apud Constantem institerit, ut Synodus cogeretur; quod indicat Sozomenus, *lib. 3. cap. 10.* scribens de Julio: *Cum Litteris, quas ad Orientis Sacerdotes de Athanasio & Paulo scripserat, nihil proficeret, causam eorum ad Imperatorem Constantem retulit; ille vero Constantio fratri scripsit, &c.*

Dicit quidem Socrates *lib. 2. cap. 20. quosdam Episcopos ad Synodum Sardicensem non convenisse, quippe, ait, alii infirmitatem corporis causati sunt; alii præstituti temporis angustias prætenderunt, culpam omnem conferentes in Julium Romanæ urbis Episcopum; sed hæc querimonia inepte in Julium conjecta fuisset; nisi Julius Synodum congregasset, & diem habendæ Synodi præstituisset.*

Existimat perperam Socrates hanc Synodum a Julio convocatam.

Verum recte notat Henricus Valesius, hic falli Socratem, qui ad Sardicensem Synodum retulit ea, quæ ad Romanam Synodum pertinebant; de hac enim loquitur Julius Papa in Epistola ad Orientales apud Athanasium *apol. 2.* cujus verba transcripsit Socrates, & perperam Synodo Sardicensi applicavit. Cum enim Julius Orientales Episcopos Romam advocasset, ut Athanasii causa ibi cognosceretur; Orientales eo venire recusarunt, inter alias causas angustias præstituti temporis prætexentes, ut docet Julius in citata Epistola.

Quod autem Socrates sua ex hac Epistola hauserit, probant quæ verbis jam relatis immediate subjungit. *Eum tamen ab eo tempore, quo Synodus jam indicta fuerat, & quo Athanasius, Synodi confessum expectans, Romæ commorabatur, anni & sex mensium spatium intercessisse.* Quæ verba eadem saltem in substantia in Epistola Julii occurrunt, & ad Synodum Romanam evidenter referuntur. Ibi enim Julius Orientalium tergiversationem accedendi ad Synodum Romanam increpans, de Athanasio ait: *præter hæc omnia, annum totum, & integros sex menses apud nos hæsit, vestram (Eusebianorum) præsentiam exspectans, aut quotquot comparere auderent, suaque præsentia pudefecit omnes.*

Socrates postquam de indictione hujus Synodi verba fecit; tempus indicat scribens: *annus tunc agebatur undecimus ab obitu Parentis duorum Augustorum (scilicet Constantini Magni) Consules autem erant Rufinus & Eusebius, quo tempore Synodus Sardicæ congregata est.* Cum autem Constantinus obierit 336., hinc communiter refertur hæc Synodus ad ann. 347. præsertim quia fasti Consulares notant & hoc anno Rufinum & Eusebium Consulatum gessisse.

Synodus celebrata circa annum 347.

§. II.

De numero Episcoporum, qui ad hanc Synodum accesserunt; & qui illi præsederit?

De numero Episcoporum, qui fuit Concilio interfuerunt variant auctores.

THEODORETUS *lib. 2. hist. c. 7.* scribit: „ Sardicam vero „ ducenti & quinquaginta convenerunt Episcopi, „ sicut antiqua monumenta testantur. Socrates autem „ *lib. 2. c. 20.* ait; ex Occidentis quidem partibus, *trecenti* circiter convenerunt Episcopi, ut scribit Athanasius; ab Oriente vero septuaginta sex tantum ad„ fuisse refert Sabinus.

Verum hic rursus Socratem non expressisse sensum verborum Athanasii, monet Henricus Valesius: non enim dicit Athanasius trecentos circiter Episcopos ex Occidentis partibus ad Sardicensem Synodum convenisse; sed tantum dicit, tam eos, qui Synodo interfuerunt, quam eos, qui Epistolæ Synodicæ ad ipsum missæ subscripserunt; eos item qui ante Sardicensem Synodum pro ipso scripserant Epistolas Synodicas ex Phrygia, Asia, & Isauria universos fuisse 344.

Postquam enim acta hujus Concilii retulisset, & Osium, cæterosque subscripsisse, addit: *hæc ita scriptis mandata, sacrum Sardicense Concilium, ad eos, qui interesse non poterant, misit, qui ipsi quoque suis suffragiis Decreta Synodi approbarunt. Eorum autem, qui in Synodo scripserunt, cæterorumque aliorum Episcoporum ista sunt nomina: Hosius ab Hispania: Julius Romæ per Archidamum, & Philoxenum Presbyteros suos.* De expressis autem multorum Episcoporum nominibus, ait: *Qui igitur Decretis Synodi subscripserunt, sunt isti. Plurimique item alii sunt, qui ante hanc Synodum pro nobis scripserunt, tum ex Asia, tum ex Phrygia, tum ex Isauria, quorum singulorum nomina, cum suis Epistolis circumferuntur, proprie sexaginta tres, in universum autem, ait, trecenti quadraginta quatuor.*

Evidens est, Athanasium hoc loco noluisse designare solos Episcopos, qui Concilio Sardicensi interfuerunt, sed generatim omnes, qui & actis Concilii subscripserunt, necnon & eos, qui pro ejus innocentia ante Synodum scripserant. At in Epistola ad Solitarios designat numerum Episcoporum, qui jussu utriusque Imperatoris Sardicam celebrandi Concilii causa accesserunt, cum enim retulisset, de amborum Imperatorum Constantis & Constantii sententia placuisse, ut Synodus celebraretur, subjungit: *conveniunt igitur ab Oriente, & ex Occidente in urbem Sardicam numero* plus minus centum septuaginta Episcopi. Ita legitur in correctiore editione Parisiensi anni 1627. Cum in antiqua Basileensi depravata legeretur, *plus minus centum*.

Verum nec ex eo Athanasii loco concludere possumus, hoc Episcoporum numero constitisse Concilium Sardicense, cui hi Canones adscribuntur; quandoquidem evidens sit Athanasium recensere hic tam Orientales, quam Occidentales Episcopos, qui in urbem Sardicam convenerant celebrandi Concilii causa. Constat autem Orientales Sardica recessisse; neque cum Occidentalibus Concilio interfuisse, uti infra notabitur, & ipse Athanasius ibidem late describit.

Verisimilius solum 90. interfuere. Itaque cum, teste Athanasio, Sardicam duntaxat ex Orientalibus & Occidentalibus simul sumptis convenerint *plus minus centum septuaginta*, constetque ex Epistola pseudo-Concilii Philippolitani, Orientales, qui se ab Occidentalibus separarunt, fuisse numero *octoginta*, consequens est Concilio Sardicensi non interfuisse plures, quam *nonaginta, plus minus*. *Error Gratiani circa hunc numerum.* Gratianus *dist.* 16. *can.* 11. scribit, Synodum Sardicensem constitisse duntaxat ex Episcopis *sexaginta*; sed eum in hoc errasse monent correctores Romani.

Osius præstes Conc. Inter Episcopos, Osium Cordubensem in Hispania Episcopum huic Synodo præfuisse multa evincunt, & in primis Athanasius, postquam descripsit Epistolam Synodicam hujus Concilii ad Ægyptios & Africanos Episcopos, subdit: „ Osius Episcopus subscripsit; quod & cæteri fecere, hæc ita scriptis mandata, sacrum Sardicense Concilium ad eos, qui interesse non poterant, misit: qui ipsi quoque suis suffragiis Decreta Synodi approbarunt. Eorum autem, qui huic Synodo subscripserunt, cæterorumque aliorum, ista sunt nomina. Osius ab Hispania; Julius Romæ per Archidamum & Philoxenum Presbyteros suos, Protogenes Sardicæ " &c. Certe cum Athanasius *Osium* inter Patres Concilii *primo loco* nominet, etiam ante Presbyteros Julii Episcopi Romani legatos, argumento est, ipsum Concilio præsedisse; quare & in Epistola ad Solitarios, ipsum Concilii Principem vocat. „ Statim enim, ait, Synodus, cujus Princeps erat Osius, i,is diserte scripsit " *edit. Paris. anni* 1627.

Quin & ipsi Orientales Philippopoli congregati, Osium Occidentalium Sardicæ congregatorum palam coriphæum & caput agnoverunt, in Epistola sua Synodica, in qua hæc habent: „ Et quoniam Catholicam, & Apostolicam fidem voluerunt infringere ii, qui cum Osio erant.

Et Concilium Chalcedonense eum pro hujus Concilii Præside agnovit, dum in allocutione ad Marcianum Imperatorem ita loquitur: „ Iis, qui apud Sardicam contra reliquias Arii conven,iant, Osius ad proferendam sententiam præerat ". Et quid plura? omnes & singuli Canones, Osium fuisse Concilii Præsidem & Ducem clamant: Osium enim tamquam proponentem, & concludentem, quod est proprium Præsidis & Ducis Concilii repræsentant.

Perperam putat de Marca Osium præfedisse vice Epis. Rom. Quod autem Petrus de Marca *lib.* 5. de concordia Sacerdotii & Imp. *cap.* 4. scribit; Osium huic Concilio præfuisse, ut Episcopi Romani Legatum, nullo valido adstruitur fundamento, nullumque hujus Legationis factæ vestigium occurrit Athanasium, aliosve scriptores, qui hujus Concilii meminere. Quin & repugnat formulæ subscriptionis supra ex Athanasio productæ: primo quippe inter eos, qui subscripserunt, Osium ab Hispania simpliciter, & sine addito nominat; ac dein, ait *Julius Roma, per Archidamum, & Philoxenum Presbyteros suos, &c.*

Quid clarius, quam teste Athanasio Julium per hos duos solos Presbyteros interfuisse, eosque solos ejus Legatos, seu Vicarios fuisse, qui vice ipsius Synodo interessent.

§. III.

De dissensione Orientalium & Occidentalium, illorumque recessu.

Occasio dissensionis Orientalium ab Occidentalibus. DE Orientalium & Occidentalium ad urbem Sardicam accessu loquens S. Athanasius in Epistola ad Solitarios, ait: „ Occidentales soli erant Episcopi, qui Patrem Osium secum habuere; Orientales contra, succincti prædagogis & advocatis, Musanio Comite, & Hesychio Castrensi, advenere: eorumque fiducia nisi, audacter sese præsentes obtulerunt, sperantes eorum viribus iterum omnia confici posse: horum enim opera, se, quibus volebant, terribiles ostendebant, & insidias, quibus libitum erat, intendebant. Cæterum ubi jam reipsa experiebantur Ecclesiasticum morem tantummodo observari, & ex singulis Ecclesiis, civitatibusque accusatores ibi præsto esse, & documenta, rerumque probationes in promptu esse, conspicati ibidem Arium, seu Macarium, & Asterium venerabiles Episcopos, una quidem secum ex Oriente profectos, sed diverso itinere ingressos, nobisque inveniendo comites factos; eosdemque memorantes vafriciem ipsorum, & quantopere res suas suspectas haberent, judiciumque metuerent, ne a nobis quidem Sycophantiæ, ab accusatoribus vero ab ipsis subornatis, omnia per dolum fecisse convincerentur; hæc, inquam, illi conspicati, etsi alacriter advenerant, arbitrati nos metu conterritos minime occursuros; tamen cum adverterent nostram fiduciam, intra Palatium se reclusere, quo in loco domicilium habebant.

Post hæc narrant, quod Orientales, collatis inter se consiliis tandem resolverint fuga sibi consulendum: „ & sub eo prætextu, quasi Imperator ipsis triumphalia de Persis per Litteras scripsisset, fugam adornarunt, & sine omni pudore hanc cavillationem pro excusatione per Eustachium Presbyterum Sardicensis Ecclesiæ renuntiarunt.

Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 11. scribit, quod „ Orientales cum Philoppopolim Thraciæ prius convenissent, Occidentalibus jam Sardicæ congregatis scripserint, ut Athanasium a Concilio & communione sua submoveant, utpote depositum Episcopatu, alioqui se ad Concilium venturos non esse.

Addit idem Sozomenus; „ quod post hæc Sardicam ingressi, negarint se in Ecclesiam pedem illaturos, quamdiu convenirent ii, qui ab ipsis depositi fuissent.

„ Ad hæc, ait idem auctor, Occidentales Episcopi rescripserunt, se nunquam ab eorum communione recessisse, nec in præsentiarum recessuros esse: præsertim cum Julius Episcopus Romanus, examinato eorum negotio, eos neutiquam condemnasset. Adesse porro illos paratos subire judicium, & crimina sibi illata, iterum confutare.

Eamdem dissensionis causam Orientales inter & Occidentales, notat Socrates, *lib.* 2. *cap.* 20. Cum igitur Occidentales induci non possent, ut Athanasius, aliique Orthodoxi Episcopi ab Eusebianis depositi e cœtu ablegarentur, neque Orientales vellent una cum his convenire, ipsi Orientales illico discesserunt, regressique Philippopolim, seorsim Concilium habuerunt, uti loquitur Socrates. Similiter & Sozomenus scribit, quod cum super hoc puncto convenire non possent „ & præscriptus jam excessisset dies, quo negotia, quorum gratia convenerant, dijudicari oportebat, ad extremum ea sibi ultro citroque scripserunt, per quæ infensiores quam antea facti sunt, & separatim collecti, contrarias sententias protulerint.

Certum igitur est Orientales num. 80. se ab Occidentalibus separasse, atque Philippopolim se retraxisse, ibique collectos Decreta edidisse sub nomine Sardicensis Concilii, eo quod Sardicæ ab Imperatoribus indictum fuisset.

Augustinus Orientalium Conventum pro Concilio Sardicensi sumpsisse videtur. Et quidem hoc solum Concilium sub nomine Sardicensis Concilii notum fuisse S. Augustino apparet; cum enim Cresconius Donatista Augustino objecisset epistolam Concilii Sardicensis ad Donatum Episcopum Donatistam, atque hinc concludere voluisset, Donatistas cum Orientalibus fuisse communione conjunctos. Respondit Augustinus. „ Disce ergo quod nescis, Sardicense Concilium Arianorum fuit, quod totum jamdiu est, ut habemus in manibus, contractum maxime contra Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum, qui eorum errorem, ex ipsa civitate ortum, præ cæteris acriter arguebat & refellebat ". *Lib.* 3. contra Cresconium *cap.* 33.

Evi-

Evidens est, hic per Sardicense Concilium, uti & Monachi Benedictini in ultima revisione operum S. Augustini annotaverunt, intelligi Philipopolitanum, quod scilicet Orientales Ariani, relicta Sardica, Philippopoli habuerant; cujus & Epistola Synodica ad Donatum Carthaginensem extat *tomo 2. Concil. gen. col. 699. edit. Labb.*

Quod in hoc Orientalium Conventu actum sit, late describitur in dicta Epistola Syndica, quæ eadem est, quæ *omnibus per orbem consacerdotibus, Presbyteris, & Diaconibus, & omnibus, qui sub cœlo sunt in Ecclesia Sancta Catholica Episcopis* inscripta fuit.

In hac Epistola Marcellum Ancyranum Episcopum describunt, tamquam fuerit hæreticorum omnium execrabilior pestis, quique Sabellii & Pauli Samosatensis hæreses renovavit.

S. Athanasium quoque ut hominem sceleratissium depingunt, eumque ob varia crimina in Synodo Tyrensi fuisse damnatum ac depositum: quodque propterea Tyro fugiens, Imperatorem appellarit, atque hic sua illum sententia in exilium deportaverit. Dein post varia Athanasio imposita crimina; nec non technas & artificia, quibus, ut ipsi ajunt, judicium Episcoporum Orientalium contra se prolatum infringere fuit conatus, cum sibi hæc incassum provenisse cognovit, ipsum ad Julium Romam perrexisse scribunt; & ad Italiæ quosdam ipsius partis Episcopos, quos seducens per Epistolarum falsitatem, ab eisdem perfacile in communionem receptum fuisse.

Asclepam similiter, aliosque nonnullos Episcopos orthodoxos, tamquam multorum criminum reos, & ob sua crimina jam pridem depositos accusant.

Scribunt post hæc, quod *cum Sardicam venissent, didicerint, in media Ecclesia Athanasium, Marcellum, omnes sceleratos, Concilii sententia pulsos, & merito singulos pro suis facinoribus prædamnatos, cum Osio & Protegene sedere simul & disputare, & quod est deterius, divina mysteria celebrare.*

Verum *nos tenentes*, inquiunt, *Ecclesiasticæ Regulæ disciplinam, & volentes miseros in aliquantulum vivere, mandavimus illis, qui cum Protogene, Sardicæ Episcopo, & Osio fuerunt, ut de suo cœtu damnatos excluderent, neque peccatoribus communicarent.* Declarant dein, quod cum Occidentales ab eorum communione recedere nollent, ipsi Sardica discedere coacti fuerunt. *His itaque, ajunt, communicare nefas duximus, neque cum profanis voluimus Sancta Domini Sacramenta miscere, servantes & tenentes regulam Ecclesiasticæ disciplinæ.*

Significant post hæc, quod nec Athanasium, nec Marcellum in Episcopatus honore suscipiant, & suscipientes damnent, sed nec alios, qui aut olim, aut postea merito damnati sunt, in Ecclesia recipiant. Quin & ob hanc cum Athanasio, Marcello, aliisque attentatam communionem, Julium urbis Romæ, Protogenem, & Gaudentium, & Maximinum a Treviris damnarunt, *Secundum antiquissimam legem, ajunt, ut auctores communionis Marcelli & Athanasii, cæterorumque sceleratorum; quique etiam homicidiis Pauli Constantinopolitani, & cruentis actibus ejus communicarunt.*

Sed & de Julio Romano Episcopo, cur eum damnaverint, subdunt: *Julium vero urbis Romæ, ut principem & ducem malorum, qui primus januam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, cæterisque aditum fecit ad solvenda jura divina, defendebatque Athanasium præsumenter, atque audaciter, hominem, cujus nec testes noverat, nec accusatores.*

Præcipua ratio dissensionis, quod Occidentales communicarent cum Athanasio, & cum aliis Episcopis ab Orientalibus jam pridem damnatis.

Videmus itaque præcipuum Orientalium prætextum separandi se ab Occidentalibus, eosque accusandi, fuisse, quod ipsi in communionem suam admitterent Athanasium, aliosque in Synodis Orientalium damnatos, priusquam a majore Synodo in Oriente essent absoluti.

Hinc & arrogantiæ incusabant Episcopos Occidentales, quod *hanc novitatem moliebantur inducere, quam horret*, inquiunt, *vetus Ecclesiæ consuetudo, ut in Concilio Orientales Episcopi quidquid forte statuissent, ab Episcopis Occidentalibus refricaretur: similiter quidquid Occidentalium partium Episcopi, ab Orientalibus solveretur.*

Huic praxi, pristinam Ecclesiæ disciplinam esse contrariam observant; atque legitime reddita in Oriente judicia, in Occidente esse firmanda, & e contra. *Verum omnium*, inquiunt, *Conciliorum, juste legitimeque actorum Decreta firmanda, majorum nostrorum gesta consignant.* Quod exemplis quibusdam adductis confirmare conantur.

Queruntur denique, quod ortus occasusque mundi, propter unum vel duos, paucosque sceleratos, impie sentientes, & turpiter viventes, funditus subvertitur, & dura sævaque tempestate turbatur, in quibus nulla Religionis semina resederunt, quæ si habuisent, imitarentur Prophetam dicentem: tollite me, & mittite in mare, & tranquillabit mare a vobis, quando hæc tempestas propter me facta est. *Sed ideo hæc non imitantur, quia nec justos sequuntur. Ita autem sceleratorum omnium duces, quærunt Ecclesiæ Principatum, quasi aliquod Tyrannidis regnum: nec propter hoc bonum quoque justitiæ inquirunt; non enim Ecclesiis consulunt, qui leges, juraque divina, cæterorum Decreta dissolvere perconantur.*

Hæc Orientales Arianæ perfidiæ & impietatis fautores, in Athanasium, aliosque vitæ integerrimos, & acerrimos fidei Catholicæ defensores. Quid igitur mirum, si & hodie declinantibus continuo in pejus sæculis, nonnulli zelosiores veritatis propugnatores, & morum integritate illustriores viri, similibus calumniis denigrentur, & apud supremas potestates traducantur?

Professio fidei Orientalium S. Athanasio infensorum.

Denique huic Epistolæ adjungunt formulam fidei, in qua profitentur, se inter alia credere, *in unum genitum filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, qui ante ævum ex Patre generatus est, & ex Deo Deus, ex luce lux, per quem facta sunt omnia, quæ in cœlis & quæ in terra, visibilia & invisibilia.* Condemnant autem ut hæreticos, qui dicant, *de non extantibus esse filium Dei: aut ex alia substantia, & non ex Deo; aut qui dicunt fuisse aliquando tempus vel sæculum, quando non fuit filius: similiter & illos, qui dicunt tres esse Deos, aut Christum non esse Deum, aut ante ea unum non fuisse Christum, neque filium Dei; aut ipsum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, aut non natum filium, aut non sententia neque voluntate Deum Patrem genuisse filium.* Videri potest S. Hilarius *lib. de Synodis*.

§. IV.

Quæ in Sardicensi Concilio ab Occidentalibus gesta?

Quid actum ab Occidentalibus, exprimitur in tribus Epistolis ipsorum.

SCRIBIT Sozomenus *lib. 3. Hist. Eccles. cap. 11.* quod Orientales & Occidentales, qui Sardicam celebrandi Concilii causa accesserant, post plures inter se habitas altercationes, tandem separatim collecti fuerint, atque contrarias sententias protulerint. Quid ab Orientalibus, seu Eusebianis Philippopoli actum fuerit, præcedenti §. ex eorum Epistola Synodica retulimu.. Nunc videndum quæ ab Occidentalibus Sardicæ remanentibus & collectis decreta actaque sint.

Prima ad Julium Papam.

Tres supersunt Epistolæ Occidentalium, ex quibus fere intelligi possunt, quæ ab iis acta fuerint. Prima est ad Julium urbis Romæ Episcopum, in qua pauca ex his, quæ acta fuerant, narrant. " Quoniam, inquiunt, universa, quæ gesta sunt, quæ acta, quæ constituta, & chartæ continent, & vivæ voces Charissimorum fratrum & Compresbyterorum nostrorum, Archidami & Philoxeni; & Charissimi filii nostri Leonis Diaconi verissime & fideliter exponere poterunt ". Ibidem tamen referunt eos " qui convenerunt ex partibus Orientis, diu tergiversatos, propter diffidentiam ad judicium venire noluisse; tuamque, ajunt, & nostram reprehendere communionem, quæ nullam habebat culpam; quia non solum octoginta Episcopis testantibus de innocentia Athanasii pariter credidimus; sed & conventi (*a*) per Presbyteros tuos, & per Epistolam ad Synodum, quæ erat in urbe Roma, venire noluerint: & satis erat iniquum, illis contemnentibus tot Sacerdotibus testimonium perhibentibus Marcello & Athanasio denegare societatem.

Volunt, ut quæ acta sunt per Julium, publicentur: " Tua autem excellens prudentia, ajunt, disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia & in Italia, sunt fratres nostri, quæ acta sunt, & quæ definita, cognoscant.

Hic innotescit vetus consuetudo, Leges etiam Conciliorum per Provincias promulgandi: notandumque, quod Patres Sardicenses postulent a Julio Romano Pontifice, ut Decreta Concilii innotescere faciat Episcopis in Sardinia, Sicilia, aliisque Ecclesiis suburbicariis constitutis, quæ ipsi Romano Pontifici jure metropolico erant subjectæ; uti notatur in *Tract. de promulgatione Legum, part. 1. cap. 2. §. 2. tom. IX.* hujus edit.

Secunda ad Ecclesiam Alexandrinam.

Secunda Occidentalium Epistola, est data ad Ecclesiam Alexandrinam, in qua innocentiam Athanasii late describunt; & a crimibus ipsi calumniose impactis vindicant; ac ea propter omnes undique Episcopos ejus communionem confirmasse.

Testantur præterea, quod Eusebiani contra Athanasium novas Sycophantias veteribus accumulantes, omnibus machinis id agerent, ut hominem calumniis iterum; post eluta objecta crimina involverent. His tamen non obstantibus, Athanasius " animum non despondit; sed magna cum fiducia eos etiam hac in causa, ad judicium provocavit; quod & nobis, inquiunt, in voto fuit, ac proinde eos (Orientales) hortabamur, ut judicio se sisterent, & si possent, accusationem certis documentis peragerent ". Sed ipsos, ob malam & ob noxiam conscientiam, in judicio comparere ausos non fuisse scribunt.

Post hæc nuntiant ipsis Alexandrinis, Athanasium eorum

(a) *Conventi*, id est in judicium, vel ad Synodum vocati. Apud Jurisconsultos, *convenire*, stat pro *in judicium vocare*, sive *actionem adversus aliquem instituere*.

eorum Episcopum declaratum innocentem: hortanturque ut recipiant suum Episcopum Athanasium: " Gregorium autem, qui illegitime ab hæreticis Episcopus constitutus est, & in vestram civitatem ab illis deductus, ab universa sacra Synodo de Episcopatu, tametsi revera nunquam pro Episcopo habitus fuerit, depositum esse, vestram unanimitatem scire volumus.

De hujus Gregorii in sedem Alexandrinam intrusione, & Athanasii expulsione per Arianos facta, videri possunt, Socrates *lib.* 2. *cap.* 11. & Sozomenus, *lib.* 3. *cap.* 6.

Tertia ad omnes Episcopos.

Tertia Occidentalium Sardicæ congregatorum Epistola, fuit ad omnes Episcopos, qua exponunt: " quod venerit quoque ex Oriente Episcopi ad id & ipsi instigati a Religiosissimis Imperatoribus, & potissimum ob ea, quæ subinde jactaverunt de Dilectis fratribus nostris, Comministris, Athanasio Alexandriæ Episcopo, & Marcello Ancyro-Galatiæ Episcopo.

Deinde exponunt, quomodo Eusebiani semper fugerint cum Athanasio, Marcello, aliisque, quos calumniis suis impetebant, judicium subire; neque hic quoque ausi fuerint cum ipsis comparere; " Quamvis, inquiunt, magna fiducia & libertate a Comministris nostris, Athanasio, Marcello, & Asclepa incesserentur, querelas suas proponentibus provocantibus, cum denuntiarent se paratos esse, non solum calumnias eorum refellere, sed ostendere quoque, quæ contra ipsas Ecclesias publice deliquissent.

Ostendunt post hæc, quod non solum ex eorum fuga, & tergiversatione in subeundo judicio, pateat ipsos esse Sycophantas; sed etiam ex actis clare appareat, nihil aliud quam insidias Athanasio, aliisque Episcopis orthodoxis struisse.

Athanasius Marcellus Ancyranus & Asclepas declarati innocentes.

Primo quidem, quæ adversus Athanasium afferebantur, calumniosa esse, & monumenta ad probandum producta, nullam fidem mereri, facto examine, se deprehendisse scribunt.

Secundo de Marcello Episcopo Ancyriano, dicunt; " Recitata quoque sunt scripta Collegæ nostri in Sacris Marcelli, & deprehensa est Eusebii dolosa ars; quæ enim Marcellus per modum quærentis protulerat ea, tamquam ita esse profiteretur, calumniati sunt. Recitata propterea sunt in illis, quæ antecederent, & subsequerentur ex illis quæstionibus, & inventa est bona & recta fides istius viri. Non enim ex Sancta Maria, ut ipsi asserebant, verbo Dei initium attribuit; neque finem ejus in Regno constituit; sed Regnum ejus initio & fine carere, scriptis prodidit.

Tertio de Asclepa scribunt: " Asclepas quoque Comminister noster in Sacris, prolatis actorum monumentis Antiochiæ confectis, docuit, cum ibi simul & accusatores, & Eusebius Cæsariensis adesset, judiciis Episcoporum, qui huic causæ præsidebant, se innocentem pronunciatum esse.

Significant itaque, quod " Athanasium, Marcellum, Asclepam cum cæteris comministris eorum, innocentes & pueros pronuntiaverint; Litteris ad singulas Parœcias missis, ut populi cujusque Ecclesiæ cognoscant sui Episcopi sinceritatem, eumque pro Episcopo habeant & expectant.

,, Illos autem, inquiunt, qui luporum more in horum Ecclesias invaserunt: Gregorium, inquam, in Alexandriam, Basilium in Ancyram, Quintianum in Gazam, eos neque Episcopos, neque ullam cum eis communionem habeant, aut eorum Litteras accipiant, aut vicissim mittant.

Plures alios ex Orientalibus tamquam hæresi Ariana infectos, & de variis criminibus convictos, communi calculo exauctoratos omnino ab officio Episcopatus Synodum submovisse significant, eorum etiam nominibus expressis.

Acta Concilii hujus, eodem pene modo, quo ex hisce Litteris hactenus relata sunt, recitant & S. Athanasius in Epistola ad Solitarios, & Socrates *lib.* 2. *hist. cap.* 20. qui & addit, quod *confirmata Nicænæ fidei formula* ὁμοουσίου *quidem vocabulum rejecerint; Consubstantialis autem vocem apertius promulgarint*. Adde his & Sozomenum, *lib.* 3. *cap.* 12.

Itaque ex his certum est, Occidentales in Concilio Sardicensi, Marcellum Ancyranum tamquam ab omni hæresi immunem, in suam communionem recepisse, & Episcopatui, atque Ecclesiæ ancyranæ restituisse, eumque injuste, & nulliter depositum declarasse.

An in absolutione Marcelli erraverint Occidentales?

Verum etiam hodie inter eruditos quæstio vertitur, non obstante evidenti Concilii hujus declaratione, num Marcellus Concilio Sardicensi, uti & Julio Romano Episcopo non imposuerit; ipsumque Concilium, & Julius Papa in facto non erraverint, declarando Marcellum ab hæresi immunem.

Et quidem Cardinalis Baronius, ad annum 345. nu. 60. scribit, Synodum Sardicensem ex hoc capite *haud levem passam esse jacturam . . . . . quod Marcellum Episcopum Ancyranum absolverit, qui compertus postea fuit esse hæreticus Sabellianus: unde non parva occasio,* ait, *patuit Arianis obloquendi in idem Concilium, in quo absolutus fuisset, qui ab ipsis antea hæresis damnatus esset, ac postea, qualis revera existeret, fuisset compertus hæreticus.*

Pro quo notandum, quod Marcellus acerrimus Arianæ hæresis insectator Librum, qui intitulatur *de subjectione Christi* scribens contra Asterium Arianum mensuram contrarietatis excessit: uti loquitur Epiphanius Scholasticus, variasque propositiones evulgavit, quæ, ut minus, hæresi Sabellianæ favere videbantur.

Itaque Episcopi Ario faventes, in Concilio Hierosolymitano congregati, eum hæresis Sabelianæ, & Pauli Samosatensis accusarunt: atque, si fides Socrati habeatur, *lib.* 1. *cap.* 36. ab ipso exegerunt, ut libri a se scripti rationem redderet: dumque deprehendissent, pergit Sacrates illum Pauli Samosatensis errore implicatum esse jusserunt, ut mutaret sententiam. Ille pudore suffusus, librum suum se combusturum promisit.

Sed cum Concilio hoc subito dissolveretur; ac jussu Imperatoris Episcopi Constantinopolim essent vocati, nihil a Marcello factum fuit. Cumque Episcopi Constantinopoli congregati, ipsum ad comburendum Libros urgerent, & id facere recusaret: " Episcopi, qui aderant, ipsum quidem deposuerunt, Basilium vero ejus loco Ancyram miserunt.

Admodum verisimile est, ipsum æque ac Athanasium, suæ sedi, post mortem Constantini magni fuisse restitutum; sed & postmodum artibus Arianorum, cum Athanasio in exilium relegatum esse: coactumque fuisse ad Julium Romanum Episcopum refugere, a quo in Synodo Romana absolutus fuit, exhibita fidei suæ Catholica professione, uti in Epistola ad Eusebianos testatur ipse Julius.

Unde & de Marcello in Epistola ad Solitarios scribit Sanctus Athanasius: " Ille autem, inquit, Romam profectus, sese innocentem docuit, & ut jussus fuerat ab illis, scripto suam fidem, quam Synodus Sardicensis amplexa est, edidit.

Nihil hoc testimonio illustrius haberi potest: at Athanasio subreptum fuisse, ipsumque postmodum reperisse Marcellum revera hæresi infectum, & a communione suspendisse scribit Sulpitius Severus, *lib.* 1. *hist. Sacra*: atque hinc Arianos occasionem accepisse Decreta Synodi Sardicensis subvertendi. Verba ejus sunt: " Interjecto deinde tempore Athanasius, cum Marcellum parum sanæ fidei esse penitus comperisset, a communione suspendit . . . ., Cæterum antea innocens, postea depravatus, videri potuerat jam tum nocens fuisse, cum de eo fuerat judicatum. Nacti ergo Ariani istiusmodi occasionem; conspirant penitus Sardicensis Concilii Decreta subvertere: Etenim eis color quidam suppetere videbatur, quod tam injuste fuisset pro Athanasio judicatum, quam Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasii judicio hæreticus probaretur; namque Marcellus Sabellianæ æresis assertor extiterat.

Quin & Basilius *Epistola* 52. *ad S. Athanasium*, in qua de Legatis a Romano Episcopo mittendis, ita scribit. " Quæritur autem, & hoc a nonnullis illic, ut & nobis ipsis videtur necessario, ut & Marcelli hæresim; illi cum venerint, tamquam malam & noxiam, & a sana fide alienam exterminent; quoniam ad hanc usque diem, in omnibus, quas scribunt, litteris, Arium anathematizare atque ex Ecclesiis eliminare non cessant; Marcellum vero, qui ex diametro respondentem Ario impietatem attulit, atque contra eamdem Unigeniti, Divinitatisque essentiam impie egit, Verbique appellationem male usurpavit, ne semel quidem accusare videntur; qui Verbum quidem Unigenitum vocari tradit ratione ministerii, ac dispensationis, & quatenus in tempore natus prodiit, cæterum ad eum, unde egressus eras, reversum, nec ante regressum fuisse, nec post regressum subsistere: & hujus experimentum ad demonstrationem, reconditi apud me iniquæ illius syngraphæ libri continent. Attamen istam nequaquam reprobare visi sunt; & per hoc culpandi, ut qui ab initio illum per ignorantiam veritatis in ecclesiasticam etiam communionem receperint.

Ex his manifestum est S. Basilium non dubitasse, quin Marcellus hæresim sustinuerit, atque hujus rei argumentum fuisse libros ipsius, quos apud se reconditos habere asserit. Ulterius manifestum est, S. Basilium existimasse Marcellum Patribus Sardicensibus fucum fecisse, atque ab iis facilius quam oportuit in communionem esse receptum; eo quod se Arianorum hostem acerrimum cum S. Athanasio, aliisque orthodoxis Episcopis gessisset, & ab Eusebianis ea de causa damnatus crederetur. Hieronymus quoque *lib. de Scriptorib. Eccles. cap.* 97. Marcellum hæreticum fuisse S. Hilarii testimonio probat dicens: " feruntur contra hunc (Marcellum) Asterii & Apollinarii libri, Sabellianæ eum hæresis arguentes; sed & Hilarius in septima hæresi, adversus Arianos libros, nominis ejus quasi hæretici meminit.

Conatur quidem Natalis Alexander *diss.* 19. *in sæculum IV.* ostendere contra Baronium, Marcellum Ancyranum integerrimæ fidei Episcopum fuisse; unde in ejus absolutione, nec Julium Papam, nec Synodum Sardicensem errasse, sed leviori, ut apparet fundamento;

mento; quæ enim in ejus juſtificationem adducit, id unum evincere videntur, quod Julius & Athanaſius, ab ipſo Marcello forſan fabricatis, & ſubdolis fidei formulis circumventi, & aſtu, quo contra Arianos, eorumque fautores ferebantur, nonnihil abducti, aliquando ſibi perſuaſerint Marcellum revera innocentem.

Quidquid ſit, indubitatum eſt, hunc errorem, ſi commiſſus fuerit, auctoritati Synodi in decidendis vel confirmandis articulis fidei, nihil obeſſe; cum apud omnes in confeſſo ſit, Concilia, etiam Generalia in particularibus factis non revelatis errare poſſe.

§. V.

An Concilium Sardicenſe fuerit OEcumenicum?

Concilium ſua convocatione videtur fuiſſe generale.

CONCILIUM hoc utriuſque Imperatoris & Orientis & Occidentis juſſu indictum fuiſſe, ut tam ex Orientis, quam Occidentis Epiſcopis in unum collectis unum Concilium coaleſceret ſupra §. 1. oſtendimus. Adeoque nec ambigendum apparet, quin ex indicentium ſententia Generale totius Eccleſiæ Concilium indictum fuerit; quod & Socrates *lib. 2. cap. 20.* notavit ſcribens. *Indicitur ergo iterum Generale Concilium apud Sardicam, quæ urbs eſt Illyrici, idque de ſententia duorum Imperatorum.*

Ulterius ſcimus ex ſententia duorum Imperatorum in urbem Sardicam conveniſſe tam Orientis, quam Occidentis Epiſcopos: At & hoc ſcimus ob contentiones inter hos & illos ortas, Concilium ex omnibus, qui Sardicam advenerant, non coaluiſſe, ſed Orientales Sardica diſceſſiſſe, ac ſeparatim ab Occidentalibus Philippopoli Concilium celebraſſe, Occidentalibus Sardicæ perſiſtentibus & Concilium celebrantibus. Ob hanc Orientalium ſeceſſionem, Concilium hoc, licet ſua convocatione generale, exitu tamen, & celebratione duntaxat particulare, ſeu Concilium Occidentalium reputatum & dictum pridem fuit; uti conſtat ex Epiphanio hæreſi 61. ubi de Photino ſic loquitur, *Infelix doctrinæ ſuæ ſolium Conſtantio Imperante diſſeminavit, & ad hæc uſque tempora ſuperfuit, cum in Sardicenſi Occidentis Synodo ob execrandas blaſphemias depoſitus eſſet.*

Poſt diſceſſionem Orientalium deſiit eſſe generale.

Quin & ſub finem ſæculi V. aut initium VI. Dionyſius Exiguus Romæ Canonum codicem colligens, Concilium Sardicenſe pro Generali nequaquam agnovit; illud poſt omnia generalia cum Concilio Carthaginenſi collocans, in Epiſtola ad Stephanum Epiſcopum, vice præfationis codici præfixa, ita ſcribens: „ In principio itaque Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de græco tranſtulimus, quibus quia plurimi „ conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum veſtram „ noluimus ignorare ſanctitatem; quamvis poſtea quæ„ dam conſtituta Pontificum, ex ipſis Canonibus ad„ ſumpta eſſe videantur. Deinde Regulas Nicænæ Sy„ nodi & deinceps omnium Conciliorum, ſive quæ „ ante eam, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, uſque „ ad Synodum centum quinquaginta Pontificum, qui „ apud Conſtantinopolim convenerunt, ſub ordine nu„ merorum, id eſt a primo capite uſque ad centeſi„ mum ſexageſimum quintum, ſicut habetur in græca „ auctoritate, digeſſimus: tum Sancti Chalcedonenſis „ Concilii Decreta ſubdentes, in his græcorum Cano„ num finem eſſe declaramus. Ne quid præterea noti„ tiæ veſtræ credar velle ſubtrahere; ſtatuta quoque „ Sardicenſis Concilii, atque Africani, quæ latine ſunt „ edita, ſuis a nobis numeris cernuntur eſſe diſtincta.

Ex hoc præterea Dionyſii teſtimonia habemus, quod Canones Sardicenſes latine ſint editi, neque in græca auctoritate, ſive codice, quem e græco vertit Dionyſius, Canones Sardicenſes eſſent noti. Interim hinc intelligitur, Canones Sardicenſes, nec tempore Concilii Chalcedonenſis, & S. Leonis receptos; nec in Codicem Canonum, quo græci tum utebantur, relatos quandoquidem conſtet Græcos, in Concilio Chalcedonenſi eodem illo Codice Canonum uſos fuiſſe, quem Dionyſius Exiguus e græco in latinum vertit, & vocat græcam auctoritatem.

Adhæc ex teſtimonio Dionyſii Exigui evidens eſt, nec apud græcos, nec apud latinos Canones hujus Synodi reputatos fuiſſe pro appendice Concilii Nicæni; quia alioquin Concilio Nicæno per modum appendicis immediate adjuncti fuiſſent.

Et ſane tempore Zoſimi Papæ, ideſt circa annum 418. Concilium Sardicenſe non fuiſſe reputatum, aut ſaltem receptum ut *OEcumenicum* probat ſuppoſitio horum Canonum pro Canonibus Nicænis facta in cauſa Apiarii Presbyteri Africani, uti oſtendemus in Diſſertatione Proœmiali ad Canones Carthaginenſes, ubi de hac ſuppoſitione agitur; unaque oſtendetur, quod Africani hos Canones non admittentes, niſi Concilii Nicæni eſſe probarentur, ſufficienter declaraverint ſibi Canones Sardicenſes hactenus non innotuiſſe, aut ſaltem eos pro Canonibus Concilii Œcumenici non agnoviſſe.

Sed nec poſteriores Canonum Collectores, Synodos generales enumerantes, Synodum Sardicenſem iis annumerant; quemadmodum videri poteſt apud Gratianum, *diſt.* 15. ubi Concilia generalia enumerat, juxta diverſas collectiones, nulla hujus Concilii facta mentione. At *diſt.* 16. *Canone* 11. inter Synodos particulares, quæ ibidem, poſt enumeratas generales (Can. præcedenti) ordine deſcribuntur (quarto loco deſcribitur hæc Synodus Sardicenſis, in qua ſtatuti ſunt Canones XXI.

Quo autem tempore Canones Sardicenſes, præcipue in Oriente, ſive ab Orientalibus recepti fuerint, incertum eſt. Hoc conſtat quod Joannes Antiochenus tempore Juſtiniani Imperatoris, Canones hos ſuo Codici inſeruerit; quodque tandem Synodus Conſtantinopolitana vulgo Trullana, ſæculo VII. eos cum cæteris Conciliorum Canonibus in auctoritatem receperit, Canone II. ideoque & interpretes græci Balſamon & Zonaras, aliique, hos quoque ſuis commentariis illuſtrarunt, tamquam Canones, quibus tunc etiam in Eccleſiis Orientalibus diſciplina Eccleſiaſtica regi deberet.

Sæculo ... ab Orientalibus cœperunt recipi Can. Sardic.

S C H O L I A

In Canones Sardicenſes.

CANON I.

Oſius Epiſcopus dixit. Non minus mala conſuetudo, quam pernicioſa corruptela funditus eradicanda eſt; ne cui liceat Epiſcopo de civitate ſua ad aliam tranſire civitatem; manifeſta eſt enim cauſa, qua hoc facere tentant; cum nullus, in hac re inventus ſit Epiſcopus, qui de majore civitate ad minorem tranſiret: unde apparet avaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni ſervire, & ut dominationem agant. Si omnibus placet, hujuſmodi pernicies ſævius & auſterius vindicetur; ut nec Laicam communionem habeat, qui talis eſt. Reſponderunt univerſi: Placet.

SCHOLION.

Ne Epiſcopi tranſeant de una Eccleſia ad aliam: hujus abuſus ratio.

PROPOSUIT Oſius Patribus Sardicenſibus funditus eradicandam malam conſuetudinem ſeu pernicioſam corruptelam, quæ & hodie forſan, non minus quam tempore hujus Synodi, Eccleſiam vexat & infamat; nimirum quod Epiſcopi paſſim Eccleſiam, ad quam ordinati, & quam ſibi deſponſarunt, relicta, ad aliam civitatem tranſeant.

Manifeſta eſt cauſa, ait Oſius, *qua hoc facere tentat* ſive Gr. *ejus cauſæ prætextus eſt manifeſtus, propter quem talia aggreditur*) *cum nullus in hac re inventus ſit* (ſeu Gr. *adhuc inveniri potuit*) *Epiſcopus, qui de majore ad minorem tranſiret* (ſeu Gr. *tranſire ſtuduerit*.

Cum nec hodie ſimilis Epiſcopus inveniatur, quidni & hodie hinc cum Oſio concludere liceat: *unde appa-ret*, (ſive H. *conſtat*) *avaritiæ ardore eos inflammari* (ſeu Gr. *ardenti plura habendi cupiditate ſuccendi*) *& ambitioni ſervire, & ut dominationem agant* (vel Gr. *& magis arrogantiæ ſervire, ut videantur majorem habere poteſtatem*).

Has Epiſcoporum tranſitiones de una ad aliam civitatem, ſive Epiſcopatum, jam ante per Canones, præſertim Nicænos fuiſſe improbatas, ſciebat Oſius; at cum videret Canones non ſervari, neque malo huic remedium ſat efficax adhibitum; propoſuit Patribus Sardicenſibus: *Si omnibus placeat, ut hujuſmodi pernicies*; (ſeu Gr. *improbitas*) *ſævius & auſterius vindicetur, ut nec laicam communionem habeat, qui talis eſt*. Patres non minus quam Oſius, gravitatem hujus pernicioſi abuſus agnoſcentes, propoſitioni Oſii annuentes, *reſponderunt univerſi* (ſive Gr. *omnes Epiſcopi dixerunt*) *Placet* (Gr. *omnibus*).

Ad abolitionem illius valido remedio opus fuit.

Voluit ergo Synodus hujuſmodi Epiſcopo a fidelium conſortio eſſe excludendos, ac ne laicorum quidem more ipſis communionem cum fidelibus permittendam eſſe, uti exponit Balſamon & Zonaras.

Cauſam hic in Canone expreſſam indicaverat Julius Papa, in Litteris ad Euſebianos, conquerens, quod Nicænum XV. *totamque Synodum contemptui haberent, jam in uſu habentes a loco ad locum Epiſcopatus capiendos tranſire; & rejecta civitate concredita minore, tranſire ad majorem.*

Partem hujus Canonis retulit Raymundus in Decretales.

Priorem Canonis partem retulit Raymundus in *Caput 2. tit. de Clericis non reſid.* his verbis: *Non liceat Epiſcopo de civitate ſuo tranſire ad aliam, manifeſta eſt enim cauſa pro qua hoc attentat, cum nullus ſit in-*

ventus

ventus Episcopus, qui an minorem de majori civitate transierit.

Glossographus hic per *majorem Civitatem* intelligere videtur eam, quæ ordine hierarchico major est; puta Metropolitana respectu Episcopalis, at ex ipso Canonis contextu, manifestum est, per *majorem* intelligi simpliciter, quæ honoris & divitiarum affluentia major est; ut propterea ad eam capessendam, ambitio & avaritia, sive plura habendi cupiditas incitaret.

Quid per majorem civitatem?

CANON II.

Osius Episcopus dixit, etiamsi talis aliquis extiterit temerarius, ut fortassis excusationem afferens, adseveret, quod populi literas acceperit; cum manifestum sit potuisse plures præmio & mercede corrumpi eos, qui sinceram fidem non habent, ut clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopum: omnino has fraudes damnandas esse arbitror, ita ut nec laicam in fine communionem talis accipiat; si vobis omnibus placet; Statuite. Synodus respondit. Placet.

SCHOLION.

In quo fraus transitus de una Ecclesia ad aliam consisteret?

UT Canon hic intelligatur, reflectendum, primis Ecclesiæ sæculis consuevisse populum electioni Episcopi intervenire; atque solitum fuisse, ut is ordinaretur Episcopus, quem populus postulasset.

Itaque Episcopus de minore ad majorem, sive opulentiorem civitatem transire ambiens, ut se a pœnis Canonicis eximeret, asserebat, quod populi civitatis, seu Episcopatus vacantis *literas accepisset*; (sive Gr. *sibi a populo allatas esse epistolas*, quibus ipsum in Episcopum expetebat). *Osius Episcopus dixit*, hanc excusationem non esse admittendam, *cum manifestum sit, potuisse plures* (Gr. *paucos aliquos*) *præmio & mercede* (Gr. *& pretio*) *corrumpi eos, qui sinceram fidem non habent, ut clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopum*, (sive Gr. *corruptos in Ecclesia, seditionem movere, ut eumdem utique velint habere Episcopum*).

Quæ pœna a Synodo compressa ista fraus?

Subjungit dein Osius: *omnino has fraudes* (Gr. *& artes*) *damnandas esse arbitror, ita ut nec laicam in fine communionem talis accipiat* (sive Gr. *ut nemo possit, qui est ejusmodi, ne in fine quidem laica communione dignus haberi*.

Hac propositione ab Osio facta, Synodus respondit: Placet (sive Gr. *placent quæ dicta sunt*).

Negatio Communionis in fine vitæ apud Græcos incognita.

Ad hunc Canonis rigorem reflectens Aristenus, ait: *Hoc enim inauditum & horrendum est, ut neque in discessu communione dignus censeatur, quod alibi in Canonum ullo non invenies cuilibet impositum & inflictum peccato*: A vero forsan non aberravit Aristenus auctor græcus nulli unquam crimini hanc pœnam fuisse impositam, si ad Orientales reflexerit Ecclesias, nam ipse Morinus *lib. 9. cap.* 19. de pœnitentia fatetur in Orientalibus nulli unquam crimini hanc pœnam fuisse impositam: in aliquibus tamen Ecclesiis, primis sæculis tria crimina, nimirum, idololatriam, homicidium, & Mœchiam hac pœna fuisse vindicata: id est illis, qui horum aliquod admisissent, etiam in fine vitæ reconciliationem denegatam fuisse, diffiteri ut opinor, ait Morinus, nemo poterit, qui antiquorum testimonia de hac re tantisper versaverit.

Absit tamen ulli unquam crimini negatam fuisse reconciliationem, quasi alicujus criminis enormitas Ecclesiæ in remittendis peccatis excessisset potestatem, voluit Novatus; sed criminis enormitas, & peccantium audacia & malitia, eum disciplinæ rigorem interdum extorsit.

Raymundus referens hunc Canonem ad sui temporis disciplinam inflexit.

Retulit hunc Canonem Raymundus *in cap.* 2. ✠ *de Elect.* ex versione, ut apparet, Dionysii Exigui supra exhibita, nisi quod pro particula, *eos*, ponatur, *eorum*, quæ sensum reddit hunc multo clariorem. *Cum manifestum sit potuisse plures eorum, qui sinceram fidem non habent, præmio & mercede corrumpi*.

Raymundus tamen advertens ad negatam communionem, etiam *in fine vitæ*, & reflectens ad sui temporis disciplinam, addidisse videtur de suo, hanc parenthesim: *nisi de hoc pœnituerit*: non tantum contra omnium tam græcorum, quam latinorum codicum, & pristinæ collectionis Decretalium constantem lectionem, sed & contra manifestum Canonis intentum & sensum, ut vel hinc patescat, quam utile immo pene necessarium sit recurrere ad primos, sive Canonum, sive Decretalium fontes, ut genuinus eorum sensus habeatur.

In Codice Rom. clausula perperam addita a recentiori manu.

At nec hic silentio premere possum id, quod ad hunc Canonem in Codice E. R. monet in nota marginali Quenellus. In codice MS. Bibliothecæ Thuanæ in fine Canonis, post verbum, *placet*, addi: *In exitu communionem saltem laicam consequantur*. Sed admodum verisimile recentiori manu, ab aliquo, simili Raymundo, ad sui temporis disciplinam reflectente, hæc addita esse, cum nullus antiquorum hujusmodi additionis meminerit; immo unanimiter tam Græci, quam Latini scribant, placuisse Synodo propositionem Osii de negata laica communione etiam in exitu. Quam odiosæ etiam sæculo IX. transitiones Episcoporum de una civitate ad aliam fuerint, colligi potest ex iis, quæ acta fuerunt contra Formosum Pontificem Rom. ea sola de causa, quod a Portuensi Ecclesia transisset, sive translatus esset ad Ecclesiam Romanam, uti exposui in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 15. cap. 5. num. 13.*

CANON III.

Osius Episcopus dixit; Illud quoque necessario adjiciendum est, ut Episcopi de sua Provincia ad aliam provinciam, in qua sunt Episcopi non transeant; nisi forte a fratribus suis invitati; ne videantur januam claudere charitatis: Quod si in aliqua Provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit; unus de duobus ex alia Provincia advocet Episcopum cogitorem. Quod si aliquis Episcopus judicatum fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, Sancti Patri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt Julio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices: si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: Placet.

SCHOLION.

CANON hic in tres, aut ut minus in duas partes dividendus, eumque Isidorus in duplicem Canonem divisit. Codex vero Rom. in tres partes distribuit, quarum primum de Episcopis de una in aliam provinciam non transituris jungit præcedentibus Canonibus: ita ut ex primo & secundo supra exhibitis, & partes hujus Canonis, unicus Canon confletur; ex duobus vero reliquis hujus Canonis partibus, Canones conficiantur.

Varia lectio hujus Canonis.

Juxta lectionem Dionysii & Isidori, necnon Græcorum, tam Balsamonis, Zonaræ, Aristeni, quam Herveti, decernitur, ut Episcopi de sua Provincia ad aliam Provinciam, *in qua non sunt Episcopi*, non transeant.

Hanc lectionem etiam supponunt Commentaria Græcorum Balsamonis & Zonaræ in hunc Canonem; quorum postremus dicit: *non modo permutare urbes, seque de tenuiori in ampliorem transferre, sed alia quoque Provincia in aliam, in qua* Episcopi sunt., *muneris cujuspiam Ecclesiastici obeundi causa . . . trasmeare Episcopi prohibentur*.

Verum in codice Romano legitur cum negatione; *in qua non sunt Episcopi*; monetque in margine Quenellus, *negationem male in aliis codicibus omitti*. Optandum esset, ut Codicis hujus lectio, aliquorum, seu latinorum, seu græcorum codicum veterum auctoritate fulciri posset.

Equidem fatendum est, quod si attendatur in Canone præcedenti actum esse de Episcopis, qui malis artibus & fraudibus suffragia populi sollicitabant ut de sua ad aliam illustriorem aut locupletiorem Ecclesiam transire possent, non omnino improbabile apparebit, hoc Canone inhibuisse Synodum, ne Episcopus de sua Provincia in aliam transeat, *in qua non sunt Episcopi*, id est ubi Ecclesiæ vacant, ut Episcopis populi sollicitandi suffragia occasionem subtraheret. Atque juxta hunc sensum patet hujus Canonis cum præcedenti connexio, quæ indicatur his verbis initialibus: *hoc quoque necessario est adjiciendum*; quæ connexio non intelligitur, dum affirmative legitur.

Episcopus non transeat ad Ecclesiam vacantem alterius Provinciæ nisi invitatus.

Denique addita hac clausula, *nisi forte a tribus, qui ea sunt Provincia vocetur Episcopo fratribus invitati* (sive Gr. *nisi utique a fratribus*) *ne videantur* (vel Gr. *videamur*) *januam claudere charitatis*. Hæc, inquam, clausula ipsa lectionem negativam quoque magis videtur insinuare, cum verisimilius sit ex alia Provincia evocari Episcopos ad loca, in quibus Episcopi non sunt, qui eorum vices suppleant.

Hinc & patescit non incongrue in illo Codice Romano, hanc Canonis partem præcedenti Canoni connecti; atque hinc utilitas & auctoritas hujus Codicis, non parum commendatur, utpote qui solus plausibiliorem præsentis Canonis sensum subministrare videtur.

Secunda Canonis parte cavetur, *quod si in aliqua Provincia Episcopus aliquis contra fratrem suum Episcopum litem*, (seu Gr. *negotium habuerit*) *ne unus de duobus* (seu Gr. *neuter eorum*) *ex alia Provincia advocet Episcopum cognitorem* (seu Gr. *cognitores*).

Episcoporum causæ tractandæ in Provincia.

Omnino evidens est ex toto contextu Canonis, Patres Sardicenses voluisse hoc Decreto renovare Canonem V. Nicænum, quo statuitur causas, sive negotia Episcoporum debere judicari ab Episcopis Provinciæ, sive Synodo Provinciali.

Quare a vero sensu recedit lectio Dionysii ex editione Justelli & Moguntina; dum pro negativa, *ne unus de duobus*, vel *neuter eorum*, legit affirmative, *unus de duobus*, ut sensus sit; *unus de duobus ex alia Provincia advocet Episcopum cognitorem; refragrantibus plerisque manuscriptis, quos vidi*, ait Labbæus, in no-

ta

ta marginali ad hunc Canonem; monetque, & Quenellus ad hunc Canonem sui Codicis Romani, male omitti in editione Justelli particulam, *ne*.

Neque solum lectio affirmativa in hac Canonis parte repugnat latinis & græcis codicibus, sed & insuper disciplinam oppositam pristinis Canonibus inducit. Inauditum enim fuit, ut causæ Episcoporum in prima instantia per alios, quam per ejusdem Provinciæ Episcopos tractarentur juxta citatum Canonem V. Nicænum.

Memoria S. Petri honoratur.

Tertia Canonis parte agitur de Episcopo, qui judicatus sive condemnatus, credit se injuste condemnatum; *& putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium* (sive Gr. *judicium*) *renovetur*. Proposuit Osius, *si placet, Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt*, (seu G. *& de iis, qui judicaverunt scribatur*) *Julio Romano Episcopo* (vel Isid. *ut scribatur vel ab his, qui examinaverunt, vel etiam ab aliis Episcopis, qui in provincia morantur, Romano Episcopo*).

Lectio hæc alternativa apud nullum aut latinum, aut græcum præter Isidorum extat; omittiturque & in Codice Romano, licet plerumque lectioni Isidori sit conformis.

Similiter omissio nominis proprii Episcopi Romani singularis est Isidoro; apud Dionysium enim & Græcos constanter additur nomen *Julii*. In codice autem Romano exprimitur nomen *Sylvestri*, manifesto errore, cum notum sit Synodum Sardicensem habitam fuisse mortuo *Silvestro*, & sedente *Julio* Romano Episcopo Silvestri successore. Nec mirum videri debet, nomen proprium Episcopi Romani, scilicet Julii, ab Isidoro omissum; scitur enim collectionem vulgo Isidorianam ad amplificandam Sedis Romanæ potestatem fuisse adornatam: ut igitur ostenderet id, quod hoc manone, suggerente Osio, Romano Episcopo tribuitur, non esse ad personam Julii restrictum, omittendum censuit nomen *Julii*.

Quid porro scribendum sit Romano Episcopo, prosequitur Canon: *Et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices* (vel clarius Gr. *ut per propinquos Provinciæ Episcopos si opus sit) judicium renovetur, & cognitores ipse præbeat*.

Post hæc adjungit Canon: *si autem probaverit Episcopus Romanus, talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt* (vel clarius Gr. *si autem probare non potest causam ejus esse talem, ut eam rursus judicari opus sit, quæ judicata sunt semel, non infirmentur; quæ autem sunt, firma habeantur*).

Satis manifestum est, hoc Canone non deferri Romano Episcopo judicium de lata sententia in Synodo Provinciæ, sed tantum ipsi deferri judicium, an causa sit talis, ut judicium latum mereatur renovari; hoc est, an causa semel judicata mereatur rursus examinari, & si Episcopus Romanus judicet esse renovandum, tunc ipse det judices, qui rursus examinent & renovent judicium, si autem judicaverit Romanus Episcopus causam talem non esse, ut mereatur renovari judicium, tunc quæ a Synodo Provinciæ decreta sunt, non infirmentur, sed firma habeantur.

Genuinus sensus hujus Canonis exponitur.

Hinc apparet genuinus hujus Canonis sensus, quem obscurius expressit Dionysius, clare vero Græcorum lectio, & clarissime vero Gentiani Herveti, quæ pro illis verbis, *firma habeantur*, legit: *sed rata sit lata sententia*. Isidorus vero sensum hunc genuinum plane invertit, legendo, *quæ decreverit Romanus Episcopus confirmata erunt*. Hæc apud solum Isidorum, qui uti jam dictum est, versionem suam in favorem Romanorum adornare solitus est, reperiuntur; & quod notandum, in ipso etiam codice Romano desiderantur.

Pro intellectu & vera hujus Canonis occasione assequenda, proderit meminisse ejus, quod in dissertatione procemiali monuimus; Synodum hanc præcipue coactam fuisse in gratiam Sancti Athanasii, aliorumque orthodoxorum Episcoporum, qui calumniis & potentia Arianorum, mirum in modum vexabantur, & prope opprimebantur, uti in epistola ad Julium Romanum Episcopum queruntur Episcopi orthodoxi, ac signanter Ægyptii. Cum autem plerique Orientales Episcopi Ariana lue essent infecti, ipsisque faveret Constantius Orientis Imperator, qui S. Athanasium angue pejus oderat, consilium Patrum Sardicensium (qui omnes erant pene Occidentales, & S. Athanasio, & aliis orthodoxis faventes) fuit, causas Episcoporum orthodoxorum ab Arianis oppressorum, quantum possibile esset, in Occidentem pertrahere.

Itaque Osius Episcopus Cordubensis, Occidentalium coriphæus, S. Athanasio, aliisque orthodoxis Episcopis, Arianorum fraudibus vexatis & oppressis addictus, quem & diuturnus rerum ecclesiasticarum usus, & Arianorum importunæ vexationes docuerant, advertens sæpissime accidere, ut sine ulla ratione, ac pro hæreticorum vafritie Episcopi sedibus suis moverentur; censuit optimum fore, si alicui a Concilio facultas daretur judicandi, utrum & quando renovationi judicii locus esse deberet, vel non; ne judicia Ecclesiastica paterent magis nebulonum quorumdam artibus & protervia, quam sæcularia, quorum non omnes appellationes recipi docet titulus codicis: *quorum appellationes non recipiantur*.

Cum vero nemo esset qui hoc munere potius honorandus esset, quam Episcopus Romanus, inter omnes Episcopos Primatum obtinens, & in quo beati Petri honoranda memoria; Osius, qui causam Athanasii, ejusque sociorum in Occidentem trahere avebat, proposuit Synodo, si placeret, *ut honoretur memoria S. Petri*, scribaturque ab Episcopis, qui judicarunt, ad Julium Romanum Pontificem, ut ipse judicet, an renovandum sit judicium nec ne; si prius, renovetur, & det judices; si posterius, rata & firma maneat priorum judicum sententia.

Observat Petrus de Marca *lib.* 7. de Concordia Sacerdotii & Imperii *cap.* 3. §. 8. Osium hic Patribus proposuisse, honorandam memoriam S. Petri, ut eos ad consentiendum huic novo juri facilius induceret: uti enim probat de Marca, jus antea plane incognitum hic Romano Pontifici tribuitur.

Extat apud Gratianum, *Causa 6. quæst. 4. Can. 7.* ex versione Isidori.

CANON IV.

Gaudentius Episcopus dixit: addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulisti, ut cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter Episcopus in ejus Cathedra post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.

SCHOLION.

Episcopo deposito alius non subministretur ante prolatum judicium Episcopi Romani.

Hic Canon præcedentis Canonis quædam appendix est. Cum enim præcedenti Canone decretum esset, quod judicium Episcoporum Provinciæ contra Episcopum latum posset renovari, adscitis e Provincia propinqua Episcopis, si ita Romano Episcopo videatur. Proposuit Gaudentius, unus e Patribus Sardicensibus, quid agendum, cum Episcopus depositus fuerit in iterato *eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur; & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma* (sive Gr. *ut dicat sibi rursus defensionis negotium competere*), num interim alius in locum depositi esset ordinandus: & placuit Synodo, „ ut alter Episcopus in ejus Cathedra, post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non „ ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Ro„ mani determinata.

Verus sensus hujus Canonis exponitur.

Lectio Gentiani Herveti & Græcorum, resolutionem Synodi ita exprimit: „ non prius in Cathedram „ alius substituatur, quam Romanus Episcopus causa „ cognita sententiam tulerit,

Hæc lectio verior apparet; in primis enim recte hic omittuntur hæc verba, *post appellationem*; quia non agitur his Canonibus de vera appellatione, sed de renovatione judicii, quæ correspondet hodiernæ *Revisioni*, quæ instituitur contra sententiam supremi Senatus Regii, uti ad proximum Canonem probabitur.

Adhæc lectio Dionysiana, cui consonat Isidoriana, insinuat causam ipsam in judicio Episcopi Romani esse terminandam, cum ex præcedenti Canone sat pateat, solum judicium deferri Romano Episcopo, utrum renovandum existimet judicium vel non, atque super hæc sententiam Romani Episcopi expectandam esse, antequam alius in locum Episcopi depositi substituatur.

CANON V. (a)

Osius Episcopus dixit; placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint; si appellaverit, qui dejectus est, & confugeri ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri; si justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat

(a) Hic Canon a Græcis quintus dicitur, ab Isidoro septimus utra lectio an Græca, quæ hodie extat, an Latina, quæ Isidoro tribuitur, sit primigenia, per se intelligent eruditi, vel fortasse discent ex Dionysio, aut ex Commentariis Zonaræ & Balsamonis, qui hanc lectionem Græcam primam ediderunt.

De loco & ordine, quem inter se obtinere debent Canones Sardicenses, censet de Marca *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 9. his verbis. „ In „ Codice Dionysii, & in Breviario Cresconii transpositi sunt „ haud dubie hi Canones, removendique ab hoc loco sunt quin„ tus & sextus, qui de materia prorsus diversa tractant, ut ter„ tius, quartus, & septimus simul collocentur. Quod eo ordine „ fieri potest, ut ponantur V. VI. & VII. quemadmodum citan„ tur in collectione Ferrandi Diaconi, vel III. IV. V. ut habet „ collectio Græca. “ D. Van-Espen methodi causa, & ut Canonum facilior intelligentia habeatur, sequentem in computo Canonem ordinem sibi præscripsit.

gat causam suam iterum audiri; deprecatione suamoverit Episcopum Romanum, ut e latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet: & si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit, Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio judicaverit.

SCHOLION.

Hic Canon appendix præcedentium.

VISUM fuit hic Canonum, prout a Dionysio referuntur, ordinem invertere, & sequi ordinem Græcorum, qui præsentem Canonem præcedentibus, III. & IV. immediate subjiciunt, atque V. numerant. Dionysius vero, duobus interjectis, uti & Isidorus VII. statuunt. Haud enim obscurum est hunc Canonem esse appendicem, & explanationem III. & IV. Canonis.

A Dionysio VII. recte numeratur.

Cum enim Canone III. decretum esset; quod si Episcopo Romano visum fuerit, renovandum esse *judicium, ipse det judices*: sed ubi postmodum adverterunt, quod forma eos dandi non videretur sat clare expressa, eam Patres Sardicenses hoc Canone clarioribus terminis exprimere voluerunt; ita ut sat verisimile sit, Canonem illum VII. revera fuisse post editos Canones IV. V. & VI. ipsumque Dionysium servasse ordinem Canonum in Synodo expressum.

Forma recursus ad Rom. Episcopum.

Dicunt itaque Patres Sardicenses; *qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri* (sive Gr. *veluti appellans confugerit ad Beatissimum Romanum Episcopum, & velit ipsum audire*) *si justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia sunt*, (sive Gr. *Coepiscopis, qui sunt propinqui Provinciæ*) *ut ipsi diligenter omnino requirant* (seu Gr. *diligenter & accurate singula perscrutentur*); *& juxta fidem veritatis definiant*,

Post hæc in favorem condemnati Episcopi, & quasi appellantis, sive confugientis ad Romanum Episcopum pro renovatione judicii, adjungunt: *Quod si is, qui rogat, causam suam iterum audiri deprecatione suamoverit Episcopum Romanum, ut e latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi quid velit, & quid æstimet*; id est, eos mittere, vel solos Episcopos ad cognitionem causæ deputare, & sufficientes declarare, uti sequentia Canonis manifeste determinant.

Dicit quippe: *& si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent; habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio* (sive clarius Gr. *ut sit in potestate ipsius Episcopi Romani eos mitti, qui cum Episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus, a quo missi sunt*). Deinde alterum membrum additur: *Si vero crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio judicaverit*.

Itaque in arbitrio est Episcopi Romani ad supplicationem condemnati, & confugientis ad Romanum Episcopum, mittere Presbyterum, aut Presbyteros e latere suo, vel judicium permittere Episcopis.

Si e latere suo mittendus putaverit, hi cum aliis Episcopis auctoritate ejus, a quo missi sunt, causam examinare, & judicare debent.

Hic recursus potius revisioni, quam appellationi similis.

Quapropter hic non proprie de *appellatione*, quæ prioris sententiæ executionem & effectum totaliter suspendit, sermo est; sed potius de renovatione judicii, quæ hodiernæ Revisioni sententiæ supremi Senatus Regii non (a) absimilis est: sicuti enim in judicio Revisionis, judices electi ad examinandam sententiam, una cum judicibus, qui priorem sententiam dixerunt, examinare & judicare debent; ita & qui a Romano Episcopo a latere suo mittuntur, ut alias deputantur Episcopi, debent una cum Episcopis Provinciæ, qui priorem sententiam protulerunt, judicium renovare, & sententiam dicere. Hoc jam pridem notavit Hicmarus Rhemensis in litteris nomine Caroli Calvi datis ad Joannem VIII. ecce illius verba. *S. Synodi* (*Nicenæ*) *Constitutionem Canones Sardicenses non convellunt, qui cum Pontificis Romani vicario, vel arbitrio, causam Episcopi in Provinciali Synodo judicati, etiam Episcoporum arbitrio, vel judicio*, qui eum judicaverunt, *cum Episcopis, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, præcipiunt terminari, quatenus sive in mutanda sententia, juxta Canones Nicænos, commune sit placitum*.

In hoc igitur improprie dicto appellationis judicio non intervenit, nec judicat cum judice appellationis judex *a quo*. Itaque recte Græci legunt; *ac veluti appellans*, qua expressione insinuant dictionem *appellationis hic improprie* accipi, quod & innuat hujus Canonis lectio in Codice Africano; ubi is refertur ex commonitorio Vicariorum Zosimi Papæ, quæ habet: *& appellasse videatur*.

Denique sicuti pendente judicio revisionis ratum manet Senatus Regii judicium, ita quoque Episcopus a Synodo depositus ex sententia Patrum Sardicensium manet depositus, quousque renovato judicio declaratum sit, priorem sententiam non rite fuisse prolatam.

Cum vero inde consequens videretur, alium in locum depositi interim ordinari posse, qui postmodum retractata priori sententia, sine tumultu aliquando amoveri non posset. *Gaudentius Episcopus* Patribus proposuit Can. IV. utrum placet decernere, Canonique præcedenti adjicere, ut Episcopus in locum depositi, & ad Romanum Episcopum pro renovatione judicii recurrentis, ordinari nequeat, quoadusque Romanus Episcopus sententiam protulerit.

Et hinc habetur, quænam fuerit occasio Canonis IV. & sensum ejus esse, quod pendente isto ad Romanum Episcopum pro renovatione judicii recursu, nemo in locum damnati substituatur, donec Romanus Episcopus sententiam tulerit judicium non esse renovandum; tametsi per judicii renovationem prioris sententiæ effectus non suspenderetur. Hunc esse verum ac genuinum Canonum Sardicensium sensum, fusius exposuit Petrus de Marca, *lib.* 7. de Concordia Sacerdotii & Imper. *cap.* 3. ostenditque per hos Canones non magis læsam auctoritatem supremam Synodorum Provincialium, in decidendis causis Episcoporum, quam per jus, quod competebat Imperatoribus, qui interdum per sua rescripta eorum, quæ in his Synodis acta & definita erant, revisionem in majori Synodo fieri permittebant; in pluribus ibidem ostendit *cap.* 2. creditque de Marca hoc jus Imperatorum, quod Concilium in Romanum Pontificem transtulit, cum quodam tamen temperamento esse intelligendum, scilicet, quod Principes per suum rescriptum, renovationem judicii permitterent aut imperarent, ac majus Concilium congregarent, ad quod evocabant Episcopos ex diversis Provinciis, prout eis libuerat. At Canones Sardicenses modum adhibent auctoritati Episcopi Romani, cui nihil aliud licere voluit, quam ut novos judices donet Episcopos ex vicina Provincia, qui una cum prioribus judicibus intersit renovationi Concilii & judicii.

CANON VI. (b)

Osius Episcopus dixit. Si contigerit in una Provincia, in qua plurimi fuerint Episcopi, unum forte remanere Episcopum; ille vero per negligentiam noluerit ordinare Episcopum, & Populi convenerint; Episcopos vicina Provincia debere illum prius convenire Episcopum, qui in ea provincia moratur, & ostendere; quod populi petant sibi rectorem, & hoc justum esse, ut & ipsi veniant, & cum ipso ordinent Episcopum. Quod si conventus litteris, tacuerit, & dissimulaverit, nihilque rescripserit, satisfaciendum esse Populis, ut veniant ex vicina Provincia Episcopi, & ordinent Episcopum.

SCHOLION.

De Episcopi ordinatione, quam renuit facere Episcopus, qui solus in provincia remanet.

SI Latinam Dionysii atque Isidori lectionem sequamur, videtur hic esse hujus Canonis sensus, quod si contigerit in aliqua Provincia unum duntaxat Episcopum remanere, qui juxta Canones, præsertim IV. Nicænum, non potest solus ordinare Episcopum; & propterea populi alicujus Ecclesiæ vacantis convenerint Episcopos Provinciæ, ut sibi ordinent Antistitem; prius monendus est Episcopus, qui in ista Provincia moratur, & ostendendum illi, quod populus petat ab eo rectorem, & hoc justum esse, ut ipsi veniant, & ordinent cum ipso Ecclesiæ vacantis Episcopum. Quod si monentibus non responderit, tunc equidem satisfaciendum esse populis, ut veniant ex vicina Provincia Episcopi, & ordinent Episcopum.

Hunc esse Canonis hujus sensum, notavit quoque Christianus Lupus; ipsamque Ecclesiam Gallicanam olim hoc Canone juxta hunc sensum usam fuisse notat ex Flodoardo in historia Rhemensi *lib.* 3. *cap.* 20.

Allegatum Canonis sensum magis dilucide exhibet Codex Ecclesiæ Romanæ; ubi Canon ita legitur: „ Si „ contigerit in una provincia, in qua plurimi fuerint „ Episcopi, unum forte remanere Episcopum, & po„ puli convenerint Episcopos vicinæ Provinciæ, cen„ seo debere illum prius conveniri Episcopum, qui in „ ea Provincia moratur, & ostendi ei, quod populi „ petant eum sibi rectorem, & hoc justum esse, ut & „ ipsi veniant, & cum ipso ordinent Episcopum: quod „ si conventus litteris, tacuerit, & dissimulaverit, „ nihilque rescripserit, satisfaciendum esse populis, ut „ veniant ex vicina Provincia Episcopi, & ordinent „ Episcopum.

Monet Quenellus, in Codice manuscripto Thuanæo, pro

(a) Usus ille sententias, quas suprema Consilia in re tum criminali, tum civili emittunt, revidendi, potissimum obtinet in Artesia, Hannonia, aliisque Belgii Provinciis; quippe cum pars sua causa cecidit, solet supremæ sententiæ revisionem efflagitare, quæ ipsi vulgo conceditur. In Galliis hæc revisio supremæ sententiæ non conceditur in re civili, sed duntaxat & raro in re criminali.

(b) Canon iste, qui sextus dicitur, tamen suo ordine vulgo nuncupatur V. prima tamen est pars Canonis VI. & Græca lectione.

pro *plurimi*, legi *non plurimi*, additque: *optime ni fallor, hæc est enim causa cur contigerit unum remanere Episcopum*.

Insuper monet, *petant eum*, significare *petant ab eo; eum*, & Codicem Thuanæum omittere voculam *eum*, quæ sensum nonnihil reddit obscurum, quæque nec apud Isidorum occurrit, quæ lectio, prout extat apud Jacobum Merlinum plane consonat Codici Romano, quamvis Labbæana nonnihil discordet, magisque ad Dionysianam obscuriorem accedat.

Alius plane sensus juxta Græcos.

Græcorum lectio alium omnino sensum Canoni huic reddit, juxta eorum enim lectionem, casus hoc Canone propositus est: *Si contigerit in una Provincia, in qua* sunt plurimi Episcopi, „ unum Episcopum rema-„ nere (seu H. conventui non interesse) & ille per „ quamdam negligentiam nolit convenire, & Episco-„ porum constitutioni (sive H. institutioni & electio-„ ni) assentiri; congregata autem populi multitudo „ suadeat, & instet ut fiat constitutio (seu H. insti-„ tutio) Episcopi, qui ab eis quæritur.

En casus plane disparatus a casu, quem latina Canonis lectio repræsentat. Resolutionem Synodi nunc ex Græcorum lectione casui aptatam videamus: *Oportet illum prius qui remansit* (sive H. *qui non adfuerit*) *Episcopum admoneri per litteras Exarchi* (seu H. *Primatis*) *Provinciæ, dico quidem Episcopi Metropolitani* (sive H. *nempe Episcopi Metropolitani*) *quod vult populus sibi Pastorem dari, & existimo recte habere, hunc quoque admitti* (sive rectius H. *hunc quoque exspectari*) *ut adsit*.

Itaque sensus Canonis in hac parte est, quem & Zonaras & Balsamon etiam assignant, quod si populus Episcopum petat, & a conventu Episcoporum Provinciæ unum abesse contigerit, priusquam ad constitutionem, vel institutionem Episcopi procedatur, moneatur ille Episcopus absens, ut adesse velit, quatenus conformiter ad Canonem IV. Nicænum, Episcopus ab omnibus, qui in Provincia sunt, Episcopis ordinetur. Notat quoque Tillemontius ad vitam Sancti Athanasii *art.* 50. non esse verisimile, casum, quem præfert lectio latina, Concilio fuisse propositum; aut per eum esse decisum; adeoque ei præferendam lectionem Græcorum.

Post hæc addit alterum membrum: *Si autem litteris rogatus non adfuerit; sed neque rescripserit* (Episcopus absens) *populi voluntati satisfiat*, id est Episcopus constituatur.

Canonis huius sententia iuxta hanc lectionem eadem est cum Canone IV. Nicæno, ut quantum fieri potest, Episcopus constituatur ab omnibus Provinciæ Episcopis. Si vero id fieri nequeat, a reliquis ordinetur, modo tamen non paucioribus quam tribus. Vide Scholion in Canonem IV. Nicænum.

CANON VII. (a)

Licentia vero danda non est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus Presbyter; quia non est necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi & auctoritas. Non debent illi ex alia Provincia invitati facere Episcopum, nisi aut in his civitatibus, quæ Episcopos habuerunt: aut si qua talis aut tam populosa est civitas, quæ meretur habere Episcopum, si hoc omnibus placet. Synodus respondit: placet.

SCHOLION.

Non ordinetur Episcopus in vicis aut civitatibus minoribus, ubi unus Presbyter sufficit.

PARTICULA, *vero*, in ipso Canonis initio posita non obscure significat eum a præcedenti dependere, vel eius appendicem esse, quod & Græci supposuerant, hunc præsentem Canonem cum præcedenti in unum conflantes; quos & Isidorus secutus est. Hujus prior pars non indiget explanatione, dilucide enim pronuntiat, tam in latinorum, quam in græcorum lectione non oportere ordinari Episcopum *in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus Presbyter*.

Notanda ratio a Patribus allegata, *quia non est necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi & auctoritas*.

Addit Canon, ex lectione Dionysii: *non debent illi ex alia Provincia invitati facere Episcopum*. Quæ verba manifeste alludunt ad Canonem præcedentem ex lectione Dionysii & Isidori, utpote quæ de invitatis Episcopis ex vicina Provincia loquitur: quia vero lectio Græcorum non meminit Episcoporum invitatorum ex vicina Provincia, etiam in hoc Canone nullam Episcoporum invitatorum mentionem facit, sed tantum Episcoporum Provinciæ, atque simpliciter pronuntiat. „ Sed Provinciæ, ut prius dixi, Episcopi debent in iis „ urbibus constituere Episcopos, ubi etiam prius Epis-„ copi fuerant; sin autem inveniatur urbs aliqua po-„ pulis tam frequens, ut ipsa Episcopatu digna judice-„ tur, accipiat.

Episcoporum est novos Episcopatus erigere ex causa rationali.

Quoad ipsam sententiam & sensum Canonis latinorum & græcorum lectio convenit: nisi quod latina loquatur de *invitatis*, & quidem *ex alia Provincia*, uti expressit Isidorus, *Episcopis*; hæc vero græcorum, de *Provinciæ Episcopis*; id enim ex hoc Canone manifestum est, tam apud latinos quam græcos, institutionem novorum Episcopatuum ad Episcopos competiisse; quod & hic notat Christianus Lupus, & latius exposui in *Jure Ecclesiastico, Tom. I. parte* 1. *tit.* 13. *cap.* 1. ubi una *cap.* 2. notavi, qua occasione tandem apud latinos hæc disciplina mutata sit.

Ex lectione Isidori, & connexione huius Canonis cum præcedenti satis intelligitur, quod occasio condendi præsentem Canonem fuerit instantia populi postulantis sibi in vico aut civitate ordinari Episcopum; si enim *ait Isidorus subito vicus aliquis, aut modica civitas, cui satis est unus presbyter voluerit sibi Episcopum ordinari, &c.*

Duo ergo decreverunt Patres Sardicenses, primo ut ubi populus juste sibi postulaverit Pastorem ordinari, postulationi populi satisfiat: ubi vero populus instat, ut Episcopus ordinetur in vico aut modica civitate, cui unus presbyter sufficit, postulationi eius non annuatur, ne Episcopi nomen & auctoritas vilescat.

Arguuntur Episcopi, qui superfluos Sacerdotes ordinant, & monentur ordinare sufficientes, qui populum instruant.

Utinam hodie Episcopi exemplo patrum Sardicensium postulante populo necessarios Presbyteros ad Sacramentorum administrationem, & instructionem in vicis & civitatibus constituerent, & superfluos Sacerdotes ad nullius instantiam ordinarent, ne ex nimia Sacerdotum ordinatione Sacerdotii dignitas vilescat, quemadmodum hodie mirum in modum, proh dolor viluisse, & in contemptum venisse videmus (a).

CANON VIII.

Osius Episcopus dixit: importunitates & nimia frequentia, & injustæ petitiones fecerunt, nos non tantam habere vel gratiam vel fiduciam; dum quidam non cessant ad Comitatum ire Episcopi, & maxime Afri (sicuti cognovimus) sanctissimi fratris & Coepiscopi nostri Grati salutaria Consilia spernunt atque contemnunt, ut non solum ad comitatum multas & diversas Ecclesiæ non profuturas perferant causas: neque ut fieri solet aut oportet, aut ut pauperibus, aut viduis, aut pupillis subveniatur; sed & dignitates sæculares & administrationes quibusdam postulent. Hæc itaque pravitas, olim non solum murmurationes, sed & scandala excitat. Honestum est autem, ut Episcopi intercessionem his præstent, qui iniqua vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut pupillus expolietur: si tamen istbæc nomina justam habeant causam, aut petitionem. * *Si vobis ergo, fratres charissimi, placet; decernite, ne Episcopi ad Comitatum accedant, nisi forte hi, qui religiosissimi Imperatoris litteris, vel invitati, aut vocati fuerint; sed quoniam sæpe contingit, ut ad misericordiam Ecclesiæ confugiant, qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes, in exilio vel insulis damnantur, aut certe quamcumque sententiam suscipiunt, subveniendum est his, & sine dubitatione petenda indulgentia. Hoc ergo decernite, si vobis placet. Universi dixerunt; placet, & constituatur.*

* Caus. 23. & 8. c. 25.

SCHOLION.

Contra nimiam Episcoporum ad Curias Principum evagationem.

IN præsenti Canone deplorant in primis Patres Sardicenses, quod importunitates (seu Gr. *importunitas nostra & multa assiduitas, & injustæ postulationes*) *fecerunt nos*, Episcopos, *non tantum habere vel gratiam, vel fiduciam* (Gr. *& libertatem dicendi, quantum habere debemus.*)

Causam huius mali ulterius exponunt, eamque Episcopis Afris nominatim imputant, *dum*, inquiunt, *quidam non cessant ad Comitatum* (seu Gr. *Castra*) *ire Episcopi, & maxime Afri, qui, sicuti cognovimus, sanctissimi fratris & Coepiscopi nostri Grati consilia spernunt atque contemnunt*. Græcorum lectio ita habet: *qui quemadmodum cognovimus a dilecto fratre nostro & Coepiscopo Grato, salutaria consilia non admittunt*.

Hæc Græcorum lectio indicat, Gratum Episcopum testem fuisse excessuum suorum Coepiscoporum, atque de his coram Synodo querelam deposuisse; quod & sat verisimile est, cum hunc ex Africanis unicum Concilio Nicæno, & huic Sardicensi interfuisse legamus: Unde consilia salutaria hic videntur intelligi *Synodicæ* admonitiones, uti & notat Zonaras, quæ tamen & Grati Episcopi Carthaginensis dici possent *consilia salutaria*, eo quod plures Synodi Africanæ ipso præside & dirigente celebratæ sint.

In quo autem maxime consisteret hic contemptus salutaria

(a) Canon ille septimus est altera pars Canonis VI. secundum lectionem Grecam. Dicitur autem sextus in versione Dionysii Exigui, & Isidori.

(a) Post ultimum hunc Canonem in versionibus Dionysii & Isidori, suo ordine septimus Canon recensetur, qui superius in quinto ordine collocatus fuit. Canon vero octavus, qui sequitur, a Græcis computatur septimus;

lutarium conſiliorum ſubditur : nimirum quod *ad Comitatum* , ſeu *Caſtra* pergentes *Epiſcopi multas & diverſas Eccleſiæ non profuturas* (ſeu Gr. *quæ non poſſent juvare Eccleſias*) *perferant cauſas ; neque ut fieri ſolet aut oportet* (ſeu Gr. *fieri debet & convenit*) *ut pauperibus, aut viduis, aut pupillis ſubveniatur* (ſive Gr. *opem & auxilium afferant*); *ſed & dignitates ſæculares, & adminiſtrationes quibuſdam poſtulent*. His expoſitis concluditur : *Hæc itaque pravitas olim non ſolum murmurationes , ſed & ſcandala excitat* (ſive clarius Gr. *hæc ergo perverſitas , detrimentum non ſine offendiculo & condemnatione nobis conciliat*) & , uti monet Zonaras ,, ita noſtras vires frangit , ut etiam liberam ,, loquendi facultatem ob ea , quæ agimus , offenſis hominum animis, noſque ſua exiſtimatione condemnantibus , nobis eripiat .

Utinam hæc perverſitas ex Africa ad noſtri temporis Epiſcopos non tranſmeaſſet , & etiamnum hodie Epiſcopis & venerationem , & libere loquendi facultatem non eriperet .

Quid porro in Principum aulis agere conveniat Epiſcopum , Oſius ſuggerit : *Honeſtum eſt autem* (ſeu Gr. *convenientius autem exiſtimavi*) *ut Epiſcopi interceſſionem* (ſeu Gr. *ſuum auxilium*) *his præſtent , qui iniqua vi opprimuntur , vel ſi vidua affligatur* (ſive Gr. *injuria afficiatur*) *aut pupillus expolietur* (vel Gr. *privetur iis , quæ ad ipſum pertinent*) . *Sed ne iniqua miſeratione pro ſimilibus perſonis moveantur Epiſcopi ; & dum pro hiſce intercedere volunt , aliis injuriam faciant*; additur hæc cautio ; *ſi tamen iſthæc nomina* (ſcilicet vidua , pupillus , & ſimiles) juſtam habeant cauſam aut petitionem. ,, Nam ſi aliquid alienum ab æquitate illi ,, quoque flagitent , ne iis quidem Epiſcopos in ea re ,, patrocinari fas eſt ": uti recte notat hic Zonaras .

His ita expoſitis , tum Synodo propoſuit Oſius , an decernere placeat , *ne Epiſcopi ad Comitatum accedant , niſi forte hi , qui religioſi Imperatoris litteris vel invitati , aut vocati fuerint ?*

Principes in Conſilium adhibentur Epiſcopos.

Nihil eſt notius , quam jampridem Principes in negotiis ſive ſtatum Eccleſiæ , ſive etiam Reipublicæ tangentibus adhibuiſſe Epiſcopos in Conſilium , eoſque ad ſe pro cauſis urgentibus & momentoſis evocaſſe , & apud ſe ſubinde retinuiſſe .

Juſtinianus Imperator , *Novella* 6. *cap.* 2. definiens , ut nemo Deo amabilium Epiſcoporum foris a ſua Eccleſia pluſquam per totum annum deeſſe audeat , hanc addit exceptionem : ,, niſi hoc per Imperialem fiat juſſionem , tunc enim ſolum erit inculpabile .

Ex Decreto Concilii Toletani VII. & XIII. jubentur Epiſcopi accedere ad Principem cauſa ſalutis alicujus , vel collationis neceſſariæ , ſive pro quibuslibet ordinationibus Principis .

Plurimos ſanctiſſimos Epiſcopos Principum Conſiliarios fuiſſe , iiſque in regimine ſui regni adſtitiſſe legimus ; & quidem de Santo Leodegaro Auguſtodonenſi Epiſcopo ſcribitur , eum a Childerico Francorum Rege adhibitum fuiſſe , eaque de cauſa retentum in Palatio : ,, S. Leodegarum , eo quod cognoverat præ omnibus ,, ſapientiæ luce conſpicuum ſecum aſſidue retinerat in ,, Palatio ": ait Contius ad *annum* 611. qui & ibidem ,, addit de hoc ſancto Antiſtite : ,, & quia Sacerdotalis integritas minas regias neſcit metuere , Childericum cœpit arguere , cur conſuetudines patrias , quas ,, converti in melius præceperat , tam ſubito mutaſſet .

Hæc eſt neceſſaria conditio in Epiſcopis , ut in aulis Principum utiliter commorentur , ut nimirum quadam ſarcta & ſacerdotali libertate , quæ nihil in hoc mundo metuit aut ſperat , niſi Deum , coram Regibus & Principibus veritati & juſtitiæ teſtimonium reddere non erubeſcat ; ſed quia raro hæc virtus in eo eminenti gradu habetur ; ut inter Curiales voluptates & aſſentationes , non flacceſcat , & in aere corrupto , non corrumpatur ; idcirco & ſancti quique Epiſcopi , quantum in ipſis fuit , & Epiſcopale officium permiſit , aulas Principum fugerunt , & non niſi quaſi coacti acceſſerunt ; quod eatenus præſens Canon , & plures alii ſtatuendum judicarunt , arcentes Epiſcopos ab aulis Principum , niſi Officium Sacerdotale eo pertrahat ; ſi enim proximi ſalus ſubinde Epiſcopos Principem adire cogat , hoc charitatis officium proximo impendi Canones non prohibent ; uti ex hoc ipſo Canone manifeſtum eſt .

Epiſcopis permittitur ad Comitatum accedere , ubi neceſſitas exigit. Uti ad intercedendum pro reis.

Propoſuerat enim Oſius interdicendum Epiſcopis accedere ad Comitatum , niſi forte litteris Principis eſſent accerſiti ; ſed ut oſtendat officium charitatis proximo impendendum non excludi , immediate poſt , eam prohibitionem moderandam cenſuit , dicens : ,, Sed quoniam ſæpe contingit , ut ad miſericordiam Eccleſiæ ,, (ſeu Gr. qui egent miſericordia ad Eccleſiam confugiant , qui injuriam patiuntur , aut qui peccantes ,, in exilio , vel inſulis damnantur (ſeu Gr. damnati ,, ſunt , aut certe quamcumque ſententiam excipiunt ,, (ſive Gr. accipere) ſubveniendum eſt his , & ſine ,, dubitatione (vel Gr. cunctatione) petenda indulgentia .

De hoc Epiſcopali officio intercedendi pro reis , & præcipue damnatis ad mortem , late agit S. Auguſtinus in Epiſtola 153. ad Macedonium , multis ibidem oſtendens , quomodo interceſſoris officium ex religione deſcendat ; atque Eccleſiam non quærere impunitatem criminis , ſed correctionem criminoſi . ,, Deſiderans ,, hanc vitam mortalem , non ut temporaliter vivat , ,, ſed ut ſpiritualiter per pœnitentiam reſurgat . Morum porro corrigendorum , ait , nullus alius , quam ,, in hac vita locus eſt ; nam poſt hanc vitam quiſ- ,, que id habebit , quod in hæc conquiſierit : ideo compellimur humani generis charitate pro reis intervenire , ne iſtam vitam ſic finiant per ſupplicium , ut ,, ea finita , non poſſint finire ſupplicium .

Ulterius proinde hujus interceſſionis ſcopus erat , ut reis pœnitentiæ agendæ , vitæque emendandæ tempus daretur ; utque ſalutari pœnitentia , in ſe punirent viventes , quod mortis ſupplicio punire judex decreverit . Quapropter rei Epiſcoporum interceſſione liberati , publicæ & rigoroſæ pœnitentiæ ſubjiciebantur , uti ex dicta S. Auguſtini Epiſtola , aliiſque Patribus colligitur . Unde & ſæculo VII. Synodus Rhemenſis anno 630. Can. 7. ait : ,, Ille , qui ſanctæ Eccleſiæ beneficio ,, liberatur a morte , non prius egrediendi accipiat libertatem , quam pœnitentiam ſe pro ſcelere eſſe facturum promittat , & quod ipſi Canonice imponetur ,, impleturum .

Quomodo interceſſio Epiſcoporum pro reis valuerit.

Quamdiu apparuit , exituſque docuit Epiſcoporum & Eccleſiaſticorum preces & interceſſiones in hunc ſcopum collimare , ſua etiam illis non defuit auctoritas ; at cum viſum fuit , preces has plurimum ad amicorum ſollicitationem fieri , immo & nonnunquam quæſtui ſubſervire ; potiuſque criminum impunitatem fovere , quam peccatorum emendationem & pœnitentiam promovere ; ſuo cœperunt effectu & auctoritate deſtitui , ipſiſque Regiis miniſtris diligentibus juſtitiam , reddi odioſæ . Quo factum , ut hoc Epiſcoporum officium , poſtremis hiſce ſæculis , magna ex parte deſierit , præſertim poſtquam invaluit pernicioſa illa , & a mente Patrum remotiſſima multorum praxis , quaſi etiam ſceleratiſſimorum hominum converſio , peccatorum expiatio pauco dierum ſpatio obtineri ſine magno labore & pœnitentiæ operibus ſoleat .

CANON IX. *

* Gr. VIII. & prima pars IX.

Oſius Epiſcopus dixit : hoc quoque providentia veſtra tractare debet , qui decreviſtis , ne Epiſcoporum improbitas nitatur , ut ad Comitatum pergant . Quicumque ergo , quales ſuperius memoravimus , preces habuerint , vel acceperint , per Diaconum ſuum mittant; quia perſona Miniſtri invidioſa non eſt ; & quæ impetraverit , celerius poterit referre ; & hoc conſequens eſſe videtur , ut de qualibet provincia Epiſcopi ad eum fratrem & Coepiſcopum noſtrum preces mittant , qui in Metropoli conſiſtit , ut ille & Diaconum ejus & ſupplicationes deſtinet , tribuens commendatitias Epiſtolas pari ratione ad Fratres & Coepiſcopos noſtros , qui & in illo tempore in his regionibus & urbibus morantur , in quibus felix & beatus Auguſtus rempublicam gubernat , ſi vero habet Epiſcopus amicos in Palatio , qui cupit aliquid (quod tamen honeſtum eſt) impetrare , non prohibetur per Diaconum ſuum rogare , ac ſignificare his , quos ſcit benignam interceſſionem abſenti poſſe præſtare , ſi tamen opportunum fuerit .

S C H O L I O N.

Duæ partes hujus Canonis.

PRÆSENS Canon duas habet partes , quæ in duos diſtinctos Canones a Græcis dividuntur .

Prima , ut Epiſcopus negotium apud Principem habens , Diaconum mittat.

Prima parte ſuggeritur , quod quando ex cauſis Canone præcedente expreſſis , Epiſcopis eſſet negotium apud Principem agendum , ſive pro miſeris & oppreſſis ; vel reis preces offerendæ per *Diaconum ſuum* (ſeu Gr. *per proprium Miniſtrum*) *mittant* (ſive Gr. *peragant*).

Triplex hujus decreti ratio. Prima.

Triplex hujus Decreti allegatur ratio . Primo ne his de cauſis ad aulam Principis accedendo, *improbitas Epiſcopi notetur* (ſive Gr. *ne aliquis Epiſcopus in condemnationem incidat*) ; id eſt , ne a Curialibus , aut etiam forſan a propriis ſubditis in ſuſpicionem veniat , & judicandi anſam præbeat , quod aliquam ex his cauſis ſolummodo in prætextum accedendi Principem aſſumat : revera autem ut propriam cauſam agat , proficiſcatur .

Secunda ratio.

Secundo , *quia perſona miniſtri invidioſa non eſt* ; quaſi diceret : ,, nec enim quiſquam miniſtro , vel Diacono in caſtris moranti , quemadmodum Epiſcopo illuc abeunti , ſuccenſebit "; uti interpretatur Zonaras .

Tertia ratio.

Tertio , quia miniſter , *quæ impetraverit* (Gr. *quæ mandata fuerunt*) *celerius referre poterit* ; id eſt ,, Imperatoris litteras , noxam condonantes , aut aliquid ,, hujuſmodi continentes ": ut ibidem notat Zonaras .

Interim ex his rurſus patet , mentem Patrum fuiſſe , ut Epiſcopi non niſi neceſſitate cogente ad Comitatum , ſeu Palatium Principis accedant .

Huic Canoni ſe conformaſſe legitur S. Ambroſius ,

quando apud Theodosium Imperatorem, pro militibus Eugenii Tyranni partes secutis, obsecravit scriptis Imperatorem misso Diacono, *Epist. 16.*

Secunda Canonis pars, prout hic apud Dionysium legitur, & apud Isidorum, nec non in Codice Romano, videtur sequela esse partis præcedentis, atque utrobique de eodem casu tractari, scilicet de causa, quo Episcopus ex causis præcedenti Canone expressis, Diaconum seu ministrum suum mittit ad aulam Principis.

Videtur enim secundum hanc lectionem velle, ut Episcopi dum preces & supplicationes mittere volunt per suos Diaconos aut Ministros ad Principem, eas mittant ad Episcopum, *qui in Metropoli consistit, ut ille & Diaconum ejus & supplicationes destinet, tribuens commendatitias Epistolas pari ratione ad fratres & Coepiscopos, qui in illo tempore in his regionibus & urbibus morantur, in quibus felix & beatus Augustus rempublicam gubernat.*

Ita hunc Canonem intellexit Christianus Lupus, monens in ejus Scholio. "Sola Episcopi auctoritas nequit „ Diaconum mittere ad Comitatum: accedere debet „ & Metropolitæ judicium, qui preces discutiat, pro„ bet, signet, commendet non tantum Principi, sed „ & Episcopo, in cujus parochia (seu Diœcesi) con„ tigerit esse illum.

Num sit hic Canonis genuinus sensus etiam sequendo lectionem latinorum nescio: hoc scio aliam esse ex lectione Balsamonis & Zonaræ, qui partem hanc Canonis separant a prima hujus Canonis parte, & jungunt sequenti Canoni, cum quo unum constituunt.

Ex horum igitur lectione casus proponitur, quo *cujuscumque Provinciæ Episcopi ad fratrem Coepiscopum suum, qui in majori civitate, hoc est in Metropoli, mittunt supplicationes*. Hoc casu volunt Patres Sardicenses, ut is Metropolitanus, *& ministrum suum, & supplicationes mittat, dans ei commendatitias quoque litteras, scribens scilicet per consequentiam etiam ad fratres & Coepiscopos nostros*, inquiunt, *qui illo tempore in locis vel urbibus agant, in quibus Imperator in primis pius rempublicam gubernat*. Amplectendo hanc Canonis lectionem, id unum apparet statui, quod si contingat Episcopum aliquem ad suum Metropolitanum supplicationes, quibus ab Imperatore gratiam aliquam petit, dirigere, is omni modo juvet mittentem, ut postulata impetret, idque & suum mittendo ministrum, commendatitiasque dando ei, qui mittitur, etiam ad Episcopos, qui apud Imperatorem morantur; ut sua auctoritate supplicationum effectus apud Imperatorem obtineant.

Utque nihil omittatur, quo postulata impetrentur: addit Canon: *si vero habet Episcopus amicos in Palatio, qui cupit aliquid, quod tamen honestum est*, (Gr. *& justum*) *impetrare, non prohibetur* (vel G. *ne prohibeatur*) *per Diaconum suum* (seu Gr. *ministrum suum*) *rogare ac significare his*, immo (Isid. *& iis mandare*) *quos scit benignam intercessionem absenti posse præstare, si tamen opportunum fuerit*. Hæc ultima desunt apud Græcos, qui immediate post verba, *& iis mandare* subjungunt, *ut bonum suum auxilium ei petenti velint præbere*.

CANON X.*

* Hujus prior pars Gr. est posterior IX. altera vero apud illos non reperitur.

Qui vero Romam venerint, sicut dictum est sanctissimo fratri, & Coepiscopo nostro Romanæ Ecclesiæ, preces, quas habent, tradant, ut & ipse prius examinet, si honestæ & justæ sunt: & præstet diligentiam atque sollicitudinem, ut ad Comitatum perferantur. Universi dixerunt, placere sibi, & honestum esse consilium. Alipius Episcopus dixit: si propter pupillos & viduas, vel laborantes, qui causas iniquas habent, susceperint peregrinationis incommoda, habebunt aliquid rationis; nunc vero cum ea postulent, præcipue quæ sine invidia hominum, & sine reprehensione esse non possunt, non necesse est ipsum ire ad Comitatum.

SCHOLION.

Episcopo Rom. supplicationes exhibendæ quæ perferantur ad Curiam.

PRior hujus Canonis pars jungitur apud Græcos Canoni nono, uti & apud Isidorum, quibus & congruentia materiæ, & particula adversativa, *vero*, non parum favent.

Volunt igitur Patres Sardicenses, uti *qui Romam venerint, sanctissimo fratri & Coepiscopo* (Gr. Julio) *Romanæ Ecclesiæ, preces, quas habent, tradent* (seu Gr. *præbere debent*) *ut & ipse* (conjunctio, &, omittitur apud Grecos) *prius examinet, si honestæ & justæ sunt: & præstet diligentiam, atque sollicitudinem, ut ad Comitatum perferantur* (sive Gr. *nisi aliquæ earum sint impudentes: & sic suam auctoritatem & curam præbens, eos ad Castra mittat*).

Sensus igitur Canonis hac in parte apparet; quod si Episcopi preces suas Romam mittant, eas Episcopo Romano exhibeant, isque, si eas non *impudentes* reperiat, auctoritatem suam apud Principem impendat, ut effectum habeant; atque ita manifesta est hujus partis cum præcedenti Canone connexio.

Quod autem hoc membrum cum præcedenti Canone conjungendum sit, vel inde quoque evincitur, quod in versione Dionysii nulla appareat sententia seu definitio Synodi, sed sola Osii propositio. In hoc vero Canone nulla præponitur propositio Osii, prout in aliis Canonibus occurrit: sed ad calcem hujus membri ponitur sententia Synodi, quæ apud Græcos finit Canonem IX.

Secundum nostri Canonis membrum, quod apud Isidorum IX. confixit Canonem, videtur simplex & nuda querela Alippi Episcopi, cui nulla Synodi sententia, ut definitio respondet: immo nec Synodo proposita legitur, ut suam de ea sententiam diceret: sed narrative duntaxat coram Patribus exposita. Merito proinde hoc membrum omisere Græci, nec Canonibus immiscuere.

Hoc interim optandum esset, ut querela Alipii hodiernos Episcopos, qui aulam Regiam frequentat, non concerneret.

CANON XI.*

* Gr. XX. & XXI.

Gaudentius Episcopus dixit, ea, quæ salubriter providistis, convenientia & Estimatione omnium, & Deo placitura, tenere hanc firmitatem possunt, si metus huic sententiæ conjungatur. Scimus enim & ipsi, sæpissime propter paucorum impudentiam, Religiosum Sacerdotale nomen fuisse reprehensum, si igitur aliquis, contra omnium sententiam nisus, voluerit ambitioni magis placere, quam Deo, is debet scire causis redditis honorem dignitatemque se amissurum: quod ita demum compleri poterit, si unisquisque nostrum, qui in Canali constitutus est, cum progredientem Episcopum viderit, inquirat transitum ejus: causas videat, quo tendat, agnoscat, & siquidem eum invenerit ire ad Comitatum, requirat & illud quod superius comprehensum est, ne forte invitatus sit, ut ei facultas eundi permittatur, si vero, ut superius memoravit Sanctitas vestra, propter desideria & ambitiones ad Comitatum pergat, nec in litteris ejus subscribatur, neque in communionem recipiatur. Si vobis placet, omnium sententia confirmari debet. Universi dixerunt, honestum esse, & placere sibi hanc constitutionem.

SCHOLION.

Cautio circa Episcopos ad Curiam accedentes.

HIc Canon videtur recte subjici iis Canonibus, quibus de Episcoporum ad Comitatum profectu tractatum erat, uti apud Dionysium & Isidorum, quandoquidem eamdem materiam tractet.

Gaudentius enim, quæ hactenus ea de re decreta erant, laudans, optabat ad eorum majorem firmitatem, huic sententiæ, quæ vetat Episcopos non invitatos ad Comitatum accedere, metum conjungi, id est in contravenientes pœnam decerni. *Scimus enim*, ait, *& ipsi sæpissime propter paucorum impudentiam Religiosum Sacerdotale nomen fuisse reprehensum* (sive Gr. *in damnationem incurrisse*).

Illud siquidem jampridem observatum fuit, id speciale habere Sacerdotum excessus, & peccata, ut non tantum ii, qui peccarunt, sed universim Sacerdotium, seu nomen Sacerdotale maledicis propterea obtrectatorum criminationibus laceretur.

Proponit ergo Gaudentius: " si aliquis contra om„ nium sententiam (*sive Gr.* præter ea, quæ omni„ bus visa sunt, nisus, voluerit (*seu Gr.* ausus fue„ rit) ambitioni (*Gr.* fastui & arrogantiæ) magis „ placere quam Deo, is debet scire (*seu Gr.* sciat) causis redditis (*seu Gr.* jam se ipsum criminis defen„ sionis obnoxium constituere) honorem (*Isid.* Episcopa„ tus) dignitatemque (*seu Gr.* auctoritatem amissurum).

Post hæc verba, apud Balsamonem & Zonaram, necnon Gentianum Hervetum sequitur approbatio Synodi his verbis: *Omnes responderunt: Decet & placet nobis hæc sententia*, quæ finem esse Canonis indicant: ideoque & Græci ex hoc Canone duos distinctos Canones conficiunt.

Dionysius autem & Isidorus ex utroque membro unum Canonem conflant, & unicam Synodi approbationem & definitionem ad calcem Canonis adjiciunt, quod & congruentius apparebit ex materia posterioris membri, & ejus cum præcedenti membro connexione patebit.

Interim quod in primo membro dicitur: *causis redditis* (sive G. *jam seipsum criminis defensioni obnoxium constituere*). Hoc est, uti notat Zonaras, " non se „ quacumque ratione condemnandum, sed in judicium „ trahendum, eique voluit patrato facinore causam „ esse dicendam.

Sed quia pœna frustra decernitur, parumque timetur, nisi appareat eam executioni tradi posse, suggessit ulterius Gaudentius, *quod ita demum compleri poterit* (vel Gr. *porro autem hoc quoque illinc erit maxime notum, & comprobatum*) *si unusquisque nostrum, qui in Canali* (Gr. *in transitu*, seu *Canali*) (sive H. *prope vias publicas* seu *Canales*) *constitutus est, cum progredientem Episcopum viderit, inquirat transitum ejus: causas videat* (sive Gr. *querat causam adventus*) *quo tendat, agnoscat* (a).

Ex

(a) Vim hujus vocis (*Canali*) ignotam fuisse plurimis veteribus Canonistis, fidem facit hæc interrogatio, quæ legitur in vetusta collectione Canonum in Bibliotheca Regia Parisiis asservata. *Illud etiam*, inquit istius collectionis auctor, *dignoscere desidero, qualiter illud intelligendum sit, quod in Sardicensi Concilio cap. XI. legitur* « *ut qui in Canali sunt Episcopi.*

Ex lectione Græcorum & Herveti sat intelligitur, per Episcopos *in canali constitutos* intelligi Episcopos, qui *sunt ad vias publicas*, & publicos transitus, *sive in urbibus, quæ in viis sunt publicis, sive Canali, per quæ qui transeunt sine labore permaneant, ut aqua transit in aquæductu: Canalis enim aquæductus dicitur est autem Romanum vocabulum*. Ita Balsamon post Zonaram.

His ergo Episcopis invigilandum esse monet Gaudentius in proficiscentes Episcopos; si inquisitione facta Episcopum " invenerit ire ad Comitatum, requirat & ,, illud quod superius comprehensum est, (*sive Gr.* ,, quæret conditiones, quæ superius propositæ sunt) ,, ne forte invitatus sit, ut ei facultas eundi permit- ,, tatur (*vel clarius Gr.* & si vocatus veniat, ei abe- ,, undi nihil impedimenti fiat). Si vero propter de- ,, sideria (*vel Gr.* propter aliquorum preces) & am- ,, bitiones (*Gr.* seu ostentationis gratia) pergat, nec ,, in litteris ejus subscribatur (*sive G.* subscribat) ne- ,, que in communionem recipiatur (*seu Gr.* nec cum ,, eo communicet).

Sat apertum est hic nonnisi unica ex causa Episcopo permitti, ut ipse per se ad Comitatum seu aulam Principis accedat, nimirum si invitatus litteris Principis fuerit; ut vero pro aliis intercedat, non per se, sed per ministrum suum accedere debet, uti præcedentibus Canonibus constitutum est.

Utinam attenderent Episcopi ex hac tam sollicita Patrum Sardicensium cautione & gravitate pœnæ; quam perniciosum & periculosum existimarint promiscuum illum Episcoporum ad aulam Principis accessum.

CANON XII.

** in Græco non est.*

Osius Episcopus dixit: Sed & moderatio necessaria est; dilectissimi fratres, ne subito adhuc aliqui nescientes quid decretum sit in Synodo, veniant ad Civitates eas, quæ in Canali sunt. Debet ergo Episcopus civitatis ipsius admonere eum & instruere, & ex eo loco Diaconum suum mittat, admonitus ipse tamen redeat in parochiam suam.

SCHOLION.

Ratio cur Græci hunc Canonem omiserant.

HÆc propositio Osii in Codice Rom. Canoni præcedenti tamquam appendix illius jungitur. Græci autem eam omisere, verisimiliter, vel quia videbatur duntaxat esse Osii propositio, non autem Synodalis Canon, cum nulla appareat Syodi approbatio; vel quod duntaxat decretum, si quod fuisset, esset temporale, pro illo nimirum tempore, quo Canones nec dum erant sufficienter promulgati, ac proinde titulo ignorantiæ nonnulli a pœnis comminatis exempti esse possent.

Instruendus Episcopus, qui ad Comitatum tendit.

Vult ergo propositio Osii; ut si aliqui nescientes Synodale decretum, subito veniant ad civitates, quæ *in canali sunt*, debeat Episcopus civitatis, ad quam venit, eum admonere de decreto, quod vult, ut si preces aut supplicationes porrigendas Imperatori habeat Episcopus, mittat eas per Diaconum, ipse vero redeat ad parochiam suam, id est Diœcesim phrasi hodierna.

CANON XIII.

** Gr. X. Dist. 61. Can. 10.*

Osius Episcopus dixit: Et hoc necessarium arbitror, ut diligentissime tractetis, si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratione Episcopus fuerit postulatus; ut non prius ordinetur, nisi in lectoris munere & officio Diaconi aut Presbyteri fuerit perfunctus; ut per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus. Patest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari, qua fide sit, qua modestia; qua gravitate & verecundia; & si dignus fuerit probatus, divino Sacerdotio illustretur, quia conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temere ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, maxime cum & magister gentium Apostolus, ne hoc fieret denuntiasse & prohibuisse videatur; sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata.

SCHOLION.

SCopus præsentis Canonis est, ut exacte probetur in Episcopum promovendus, præsertim si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratione fuerit postulatus.

Quare divites diutius probandi ante ordinationem?

Cum enim divitiæ suppeditent materiam concupiscentiis, & naturæ corruptæ, solent divites majoribus vitiis, præsertim carnalibus, & mundi illecebris præ cæteris esse implicati; ut merito Synodus de eorum integritate & morum castitate exactius requirat institui examen, quod & justius apparebit, si cum Aristeno intelligamus *aliquos divites & forenses mercatores*, quos parum Sacerdotio idoneos esse consuevisse notorium est.

Qui per Scholasticos intelligendi.

Per *Scholasticum de foro*, intelligi oportet eloquentem & disertum causarum patronum, qui forensibus tricis & litibus intricatus, parum ad Sacerdotium capax præsumitur, ideoque exactiore discussione opus est.

Qui publicis administrationibus occupantur, pluribus quoque solent difficultatibus esse impliciti; ac propterea exactius examen eorum ad Sacerdotium promotioni merito præmittendum censuit Synodus.

Ordines minores præmittendi majoribus.

Ut ergo sufficiens ante promotionem prædictorum ad Episcopatum informatio, & certitudo de vitæ integritate, aliisque Episcopo necessariis conditionibus habeatur, præcipit Synodus, ut si quis ex prædictis in Episcopum fuerit postulatus per Populum, " non prius ,, ordinetur (*sive Gr.* constituatur) nisi ante & le- ,, ctoris (*Gr.* & hypodiaconi) munere, & officio Dia- ,, coni vel Presbyteri (*Gr.* & Diaconi & Presbyteri) ,, fuerit perfunctus, & ita per singulos gradus, si di- ,, gnus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus.

Qua ratione autem hic per inferiores gradus ad Episcopatum ascensus ad probationem conducat, exponit Synodus. *Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari, qua fide sit, qua modestia, qua gravitate, & verecundia* (vel ut clarius Gr. *habebit autem uniuscujusque ordinis gradus non minimi scilicet temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & constantia, & moderatio possit cognosci*).

Hinc intelligimus inferiores ordines superioribus jampridem fuisse præmissos atque in singulorum exercitiis tempore notabili ordinatos debuisse continuare, priusquam ad superiorem ascenderent, quod hodie Ordinum *interstitia* dicimus, ut per id temporis probarentur, num superiorem gradum mererentur: ideoque & nunc plures, nunc pauciores Ordines præmittebantur, prout major, vel minor probatio requiri videbatur; uti fusius ostendit Morinus de Sacris Ordinat. *parte 3. exercit.* 11. *cap.* 2. una demonstrans, olim nequaquam existimatum fuisse necessarium, ut omnes Ordines inferiores Diaconatui, Presbyterio, vel Episcopatui præmitterentur.

De probatione eorum qui ad Ordines promovendi sunt.

Cur tale ac tam diuturnum examen requirant, exponunt; quia conveniens non est, *nec ratio vel disciplina* (sive Gr. *neque scientia, & bona conversatio*) *patitur, ut temere & leviter* (seu Gr. *prompte ac facile*) *ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus*. Addit sectio Dionysiana apud Labbæum, *qui Neophytus est*, uti & lectio Isidori, nec non Codicis Rom. quibus & Græci consentiunt, legentes: *sic enim necito Neophytus existimetur*.

Fundamentum hujus prohibitionis petunt dein ab Apostolo, *qui ne hoc fieret* (seu Gr. *ne celeres fierent constitutiones*) scilicet Episcopi, Presbyteri; aut Diaconi *denuntiasse & prohibuisse videtur*.

Porro recte notat Zonaras, quod Apostolus per *Neophytum* " intellexerit eum, qui nuper ex *oleastro*, in- ,, fidelitatis videlicet; recisus, atque in speciosam ,, oleam, fidem scilicet orthodoxam implantatus sit quemadmodum & in eadem significatione Neophytum accepit Synodus Nicæna I. Can. II. uti ibidem notavimus.

Unde hæc Synodus Laicos, de quibus in præsenti agitur, Neophytos vocans, vocem illam latius extendit, spiritum potius Apostoli, & Nicænæ Synodi, quam litteram sequuta; atque ob id extensio hæc sensim probata fuit.

Hanc vocis mutationem notavit jampridem S. Gregorius scribens pluribus Episcopis Galliæ. Relato enim præcepto Apostoli, *non Neophytum*, addit: " sicut ,, autem tunc Neophytus dicebatur, qui initio in san- ,, ctæ fidei erat conversatione plantatus, sic modo ,, *Neophytus* habendus est, qui repente in Religionis ,, habitu plantatus, ad ambiendos honores sacros ir- ,, repserit, *lib. 7. Epist.* 3.

Approbatio Canonis.

Approbatio Synodalis deest in Dionysiana lectione, apud Justellum, uti & in Codice Romano; at in Lectione Dionysii & Isidori apud Labbæum apponitur his verbis: *Universi dixerunt, placere sibi hæc*: & apud Græcos: *omnes dixerunt, ipsis placere, & omnino non oportere ea subvertere*.

Utinam ad hunc Canonem similesque contra festinas ordinationes serio attenderent plures hodie Episcopi, qui quantumvis in vita Ecclesiasticas non exercitatos; sed plane Neophytos, ad sacros Ordines, etiam Presbyteratus admittunt; nequaquam attendentes, quod teste Apostolo, 1. *Timoth. cap.* 5. *vers.* 22. qui *cito manus imponunt, communicent peccatis alienis*, scilicet eorum, quibus cito manus imposuerunt: quæ & in se gravia, & admodum populo & Ecclesiæ perniciosa a similibus temere & leviter ordinatis committi solent:

CANON XIV. *

** Gr. XI.*

Osius Episcopus dixit: & hoc quoque statuere debetis, ut ex alia civitate cum venerit ad aliam Provinciam, & ambitioni magis, quam devotioni serviens, voluerit in aliena civitate multo tempore residere. Forte enim evenit, Episcopum loci non esse tam instructum, neque tam doctum; is vero, qui advenit, incipiat contemnere eum, & frequenter facere sermonem, ut debo-

dehonestet & infirmet illius personam, ita ut ex hac occasione non dubitet relinquere adsignatam sibi Ecclesiam, & transeat ad alienam. Definite ergo tempus; quia & non recipi Episcopum inhumanum est; & si diutius resideat, perniciosum est. Hoc ergo ne fiat, providendum est. Memini autem superiore Concilio fratres nostros constituisse, ut si quis Laicus in ea, in qua commoratur, civitate tres Dominicos dies, id est per tres septimanas non celebrasset conventum, communione privaretur. Si hæc circa Laicos constituta sunt: multo magis Episcopo nec licet, nec decet, si nulla sit tam gravis necessitas, quæ detineat; ne amplius a supra scripto tempore absens sit ab Ecclesia sua. Universi dixerunt: Placere sibi.

S C H O L I O N.

PRo intellectu præsentis Canonis, rursus hic in memoriam revocandum, primis Ecclesiæ sæculis, consuevisse ad postulationem populi Episcopos constitui; quapropter qui Episcopatum ambiebant, corda populi sollicitabant, sibique eorum affectum divincire studebant.

Artes quorumdam Præsulum, qui alienam sedem ambiebant.

Igitur nonnulli Episcopi ambiantes de sua paupertates forsan, aut humili, vel minus sibi commoda Ecclesia, ad aliam ditiorem, vel ampliorem, sive magis sibi commodam transire Ecclesiam, in Ecclesia, quam ambiebant, longiores moras quovis quæsito prætextu trahere studebant. Cumque subinde fieret, Episcopum hujus Ecclesiæ; " non esse tam doctum, neque tam „ instructum: *tunc is ut Episcopum loci* dehonestet, „ & infirmet illius personam (*sive Gr.* studens dedecore afficere, & vilipendere personam Episcopi, qui „ ibi est) *incipiebat* contemnere eum, & frequenter „ facere sermonem; ita ut ex hac occasione, non dubitet relinquere adsignatam sibi Ecclesiam, ut transeat ad aliam (*vel clarius Gr.* hic enim prætextus „ solet turbas excitare, ejusmodi calliditate alienam „ sedem sibi conciliare, & attrahere studet, cum non „ dubitet traditam sibi Ecclesiam relinquere, & in „ aliam transire); hoc est, ut sese populo ejus regionis admiratione eloquentiæ commendet, ac sibi Cathedram ejusdem urbis despondeat. " *Uti notat hic Zonaras.*

Ut ergo hoc malum auferatur, proposuit Osius, ut tempus, quo Episcopus ab Ecclesia sua abesse, & in aliena morari possit, definiretur. *Quia non recipi Episcopum, inhumanum* (Gr. *& incivile*) *est; & si diutius resideat, perniciosum est: hoc ergo ne fiat providendum est.*

Vetantur Episcopi in aliena Diœcesi diutius manere.

Ut autem expeditior esset hujus temporis definitio, suggessit Osius: *memini* (seu Gr. *recordamini*) *autem in superiore Concilio, fratres nostros statuisse*, seu simpliciter (Gr. *Patres nostros in tempore præterito statuisse*) *ut si quis Laicus in ea, in qua commoratur, civitate* (vel Gr. *in urbe agens*) *tres Dominicos dies, id est per tres septimanas, non celebrasset conventum, communione privaretur.*

Theodorus Balsamon non reperiens antiquiorem Canonem, qui citati ob Osio Decreti meminit, quam Canonem LXXX. Synodi Trullanæ, quæ hac Synodo multo recentior est, quærit " quomodo præsens Canon „ Sardicensis, qui est multo antiquior, ejus meminit? „ pro solutione ait: alius quidem Canon ante præsentem Synodum Sardicensem, nihil ejusmodi decrevit; „ quæ autem hoc Canone continentur, sine scriptis, „ ut est verisimile, exercebantur ab initio, ut etiam „ multa alia; postea autem Synodus in Trullo ea scriptis quoque mandavit.

Verum hæc verisimiliter non dixisset Balsamon, si in colligendis & explanandis Conciliis Latinis eam operam impedisset, quam in colligendis & interpretandis Græcorum Canonibus. Reperisset enim ante hanc Synodum Decretum editum Can. XXI. Concilii Eliberitani, cui & Osius præsedisse dicitur, cujus meminit noster Canon, scilicet; si quis in civitate positus, tres „ Dominicas non accesserit, tanto tempore abstineat, „ ut correptus esse videatur.

Ex hoc Decreto sæpius renovato, communiter tradidere Canonistæ ac Theologi, ac novissime S. Carolus in Concilio Provinciali VI Mediolanensi jam pridem fuisse arctam Laicorum obligationem frequentandi Missam parochialem, quæ nomine conventus hic significatur, triumque dierum Dominicarum continuam sine causa absentiam interpretati sunt Ecclesiæ parochialis contemptum, ut videre est apud Zypæum *in jure novo, Tit. de Parochiis.*

Addi possunt, quæ de hac obligatione latius scripsit in *Jure Ecclesiast. Tom. 1. parte 1. tit. 3. cap. 10. & c. 11.*

Porro ad materiam, quæ hic ab Osio tractabatur, hunc Canonem ita applicuit Osius, dicens; *quod si hæc erga Laicos constituta sunt, multo magis Episcopum nec licet, nec decet* (Gr. *neque est utile*) *si nulla sit tam gravis necessitas* (vel Gr. *negotium difficilius*) *quæ detineat ut amplius a supra scripto tempore* (vel Gr. *tamdiu*) *absens sit ab Ecclesia sua* (*1. ne populum contristet*) (sive Gr. *sibi commissum populum dolore afficiat.*)

Hic per transennam notent Pastores, ac notanter Episcopi eam ipsorum residentiam requiri, ut sua præsentia Populum ita consolentur, & spirituali gaudio afficiant, ut ex eorum absentia, *dolore afficiatur*. Quod non ignorans Synodus Tridentina, *sess. 2. c. 1.* de Reformatione, monens Episcopos, ut specialiter curent ne ab Ecclesiis suis absint, Dominici adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, & Corporis Christi diebus, rationem addit: quia his diebus *refici maxime & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debeant*. Vide quæ de hac re latius dicta sunt in *Jure Eccles. Tom. 1. part. 1. tit. 16. cap. 8. alias 5.* ubi ostensum est Residentiam Pastorum debere esse laboriosam, non otiosam.

Ex hoc Canone evincitur necessitas residendi, & qualis hæc debeat esse.

Propositionem Osii probarunt Patres Sardicenses, atque universi dixerunt *placere sibi* (sive Gr. *hanc sententiam esse convenientissimam*).

C A N O N XV. *

* Gr. XII.

Osius Episcopus dixit: quia nihil prætermitti oportet; sunt quidam fratres, & Coepiscopi nostri, qui non in ea civitate, in qua videntur Episcopi esse constituti, vel certe parvam rem illic habeant, alibi autem idonea prædia habere cognoscuntur; vel affectionem proximorum, quibus indulgeant. Hactenus permitti eis oportet, ut accedant ad passiones suas, & disponant, vel ordinent fructum, laboris sui, ut post tres Dominicos, id est post tres hebdomadas, si morari necesse est, in suis potius fundis morentur, aut si est proxima civitas, in qua est Presbyter, ne sine Ecclesia videatur facere diem Dominicum, illic accedat: ut neque res domesticæ per absentiam ejus, detrimentum sustineant, & non frequenter veniendo ad civitatem, in qua Episcopus moratur, suspicionem jactantiæ & ambitionis evadat. Universi dixerunt: Placere sibi.

S C H O L I O N.

HUnc Canonem esse appendicem præcedentis, notavit Balsamon, ipseque Canonis contextus satis insinuat; cum enim Canone præcedenti dictum esset, ne quis Episcopus a sua Ecclesia abesset extra gravem necessitatem tribus Dominicis, hoc Canone quædam ejus moderatio subjicitur quoad Episcopos, " qui non „ resident in sua civitate, vel quod parvam rem illic „ habeant, alibi autem idonea prædia (*seu Gr.* magnas possessiones) habere cognoscuntur (*Gr.* ex quibus etiam possunt opem ferre pauperibus) *vel certe* „ affectionem proximorum, quibus indulgeant. *Hæc „ finalia in græco non habentur.*

Permittitur Episcopis per tres hebdomadas abesse, sed ob caussam legitimam.

His itaque Episcopis judicat Osius concedendum, ut si accedant ad suas possessiones, fructus suos collecturi, *ad tres Dominicos, id est post tres septimanas* (seu Gr. *tribus septimanis*) *si morari necesse est, in suis potius fundis* (sive Gr. *in suis possessionibus morentur.*

Deinde subjicit: quod *si est proxima* (seu potius Gr. *Ecclesia*) *in qua est Presbyter* (sive Gr. *in qua Presbyter populum congregat*) *ne sine Ecclesia videatur facere diem Dominicum* (vel Gr. *ne a communione alienus videatur*) *illuc accedat* (Gr. *& sacrificium celebret, & ne frequentius in civitate, in qua est Episcopus adsit*).

Post hæc concluditur: *ut neque res domesticæ* (sive Gr. *res ejus*) *per absentiam ejus detrimentum substineant, & non veniendo frequenter ad civitatem, in qua Episcopus moratur, suspicionem jactantiæ & ambitionis* (seu Gr. *arrogantiæ ac superbiæ crimen*) *evadat*, (Gr. *effugere videbitur.*

Ex his manifestum est, hunc Canonem vice explanationis esse adjectum Canoni præcedenti.

Hic Canon evincit Episcopos sæculo IV. habuisse privatas possessiones.

Ostendit hic Canon, etiam sæculo IV. Episcopos habuisse propria prædia & *possessiones*, atque Synodum censuisse, posse Episcopum aliquanto tempore a sua Ecclesia abesse, ut suas possessiones curare queat; e quibus etiam possit *opem ferre pauperibus.*

Insuper ex hoc Canone habemus, indignum existimasse Patres Sardicenses, ut Episcopus die Dominica non accederet ad Ecclesiam, *in qua Presbyter congregat Populum*, id est ad officium Parochiale, in quo una cum Presbytero Parochiali populus congregatur, & publicum conventum facit; idque, *ne a communione alienus videatur.*

Quare absentia a missa parochiali culpanda.

Hinc intelligitur, quare Canones tantopere improbarent absentiam a Missa, sive ab officio Parochiali; eo quod quis per hujusmodi absentiam, se quodammodo a communione reliqui populi, sive conventus separare videatur.

Hunc Canonem notent Episcopi, qui sua domestica oratoria, & privata officia, publicis conventibus Ecclesiarum Parochialium, ubi in civitate Cathedrali non resident, præferunt, ac quasi ipsos publicos & ordinarios conventus contemnunt.

Denique hic rursus docemur, quantopere cavendum sit Sacerdotibus, ne spiritu arrogantiæ, superbiæ, vel ambitionis, aut jactantiæ, alienas Ecclesias turbent; aut Pastores in vilipendium adducant, vel populi affectum a suo proprio Pastore alienent.

C A-

*Gr. XIII.

CANON XVI.*

Oſius Epiſcopus dixit : hoc quoque omnibus placet , ut ſive Diaconus, ſive Presbyter , ſive quis Clericorum ab Epiſcopo , ſuo communione fuerit privatus , & ad alterum perrexerit Epiſcopum , & ſcierit , ad quem confugit , eum ab Epiſcopo ſuo fuiſſe abjectum , non oportet , ut ei communionem indulgeat : quod ſi fecerit , ſciat ſe convocatis Epiſcopis cauſas eſſe dicturum. Univerſi dixerunt : hoc ſtatutum & pacem ſervabit & concordiam cuſtodiet.

SCHOLION.

Hic Canon coincidit cum V. Nicæno.

PRÆSENS Canon coincidit cum Canone V. Nicæno , VI. Antiocheno , quorum Scholia repetenda. Notanda præſentis Canonis approbatio , quæ tam apud Dionyſium , Iſidorum , & in Codice Romano , quam apud Hervetum extat, quamvis non legatur apud Balſamon & Zonaram. Univerſi dixerunt : *hoc ſtatutum & pacem ſervabit, & concordiam cuſtodiet.*

* Gr. XIV. *Cauſ. 11. Q. 3. c. 4.*

CANON XVII.*

Oſius Epiſcopus dixit : Quod me adhuc movet , reticere non debeo , Si Epiſcopus quis forte iracundus (quod non eſſe debet) cito & aſpere commovetur adverſus Presbyterum , ſive Diaconum ſuum , & exterminare eum de Eccleſia voluerit ; providendum eſt , ne innocens damnetur , aut perdat communionem ; & ideo habeat poteſtatem is , qui abiectus eſt , ut Epiſcopos finitimos interpellet , & cauſa ejus audiatur , ac diligentius tractetur , quia non oportet ei negare audientiam roganti ; & ille Epiſcopus , qui juſte aut injuſte eum abjecit , patienter accipiat , ut negotium diſcutiatur ; ut vel probetur ſententia ejus a plurimis , vel emendetur . Tamen priuſquam omnia diligenter & fideliter examinentur , eum , qui fuerit a communione ſeparatus , ante cognitionem nullus alius debet præſumere , at eum communi ſociet . Hi vero , qui conveniunt ad audiendum , ſi viderint Clericorum eſſe ſtudium & ſuperbiam ; quia non decet , ut Epiſcopus injuriam vel contumeliam patiatur , ſeverioribus eos verbis caſtigent , ut obediant honeſta præcipienti Epiſcopo , qui ſicut ille Clericis ſincerum exhibere debet amorem charitatis , ita quoque viciſſim Miniſtri infucata debent Epiſcopo ſuo exhibere obſequia .

SCHOLION.

Clerici de oppreſſione Epiſcopi querentes ad Metropolitanum recurrere poſſunt.

CANON hic præcipue intendit ſuccurrere Presbyteris , Diaconis , aliiſque Clericis , qui ſe a ſuo proprio Epiſcopo ex paſſione iracundiæ præcipitanter , & ſine juſta cauſa excommunicatos, aut ſuſpenſos prætendunt : qua in parte conſonat præſens Canon V. Canoni Nicæno , in quantum hic permittit hujuſmodi , qui ſe prætendunt gravatos , recurſum ad Metropolitanum , ſeu Synodum Provinciæ.

Sed quod addit hic Canon , ſecundum lectionem Herveti , & Græcorum : *Si autem Metropolitanum abeſt , qui ejicitur , poteſtatem habeat ad finitimum concurrendi & rogandi , ut ſuum negotium accurate examinet .* In nullo hactenus Canone legebatur ; atque Zonaras „ hoc nunquam uſurpatum fuiſſe exiſtimo . Noſtri certe temporis conſuetudo non admittit . Quomodo „ enim ab altero Metropolitano, cui ſubjectus non eſt „ Epiſcopus ſegregationis auctor , de ea ſegregatione , „ jurene an injuria decreta fuerit , quæſtionem haberi „ permittat “ ; hactenus Zonaras apud Beveregium *tom. 1. col. 2.*

Monet præterea hic Canon , ut ille Epiſcopus , de cujus ſententia querela inſtituitur , *patienter accipiat* (ſive Gr. *æquo animo ferre debeat*) *ut negotium diſcutiatur, vel probetur ſententia ejus a plurimis , vel emendetur .*

Arguuntur Epiſcopi , qui cæcam obedientiam a ſuis exigunt.

Notent id Epiſcopi , aliique Prælati , qui ſpiritu dominandi in Clero , æquo animo ferre nequeunt vel verbum contra ſua Decreta opponi , ſed cæcam quamdam obedientiam , etiam frequenter cum optimorum Eccleſiaſticorum conſcientiæ tortura exigunt ; eoſque ubi prompte & cæce non obedierunt , ut rebelles traducunt , & patienter quidem audire nolunt .

Recurſus, de quo in Canone , non eſt vera appellatio , nec habet effectum ſuſpenſivum.

Ne tamen prætextu recurſus ad Metropolitanum , vel finitimos Epiſcopos, juſtiſſima Epiſcoporum decreta & ſententiæ , effectu ſuo deſtituerentur ; addunt Patres Sardicenſes : *Tamen priuſquam omnia diligenter & fideliter examinentur* (ſeu potius Gr. *Examinata fuerint*) *eum , qui fuerit a communione ſeparatus ante cognitionem , nullus debet præſumere , ut eum communioni ſociet* (vel Gr. *qui communionem non habet , non debet ante rei cognitionem ſibi ſuo jure communionem tribuere*) . Hoc eſt , ſententia Epiſcopi firma manet , quouſque cauſa examinata & cognita, judicatum fuerit , eam juſte aut præcipitantius prolatam . Hinc habemus non agi hic de appellatione proprie dicta habente effectum ſuſpenſivum prioris ſententiæ , ſed de recurſu per modum ſimplicis querelæ , quæ ſolo effectu devolutivo gaudet .

Reverentia erga Epiſcopos.

Ad hæc declarat Synodus, *non decere , ut Epiſcopus injuriam vel contumeliam* (vel Gr. *injuſtam expoſtulationem*) *patiatur* ; quare ſi Epiſcopi , *qui conveniunt ad audiendum , viderint Clericorum eſſe ſtudium & ſuperbiam* (Gr. *arrogantiam*) *ſeverioribus eos verbis caſtigent , ut obediant honeſta præcipienti Epiſcopo :* hoc eſt verbis “ vehementiorem objurgationem continentibus , ad animi remiſſionem , modeſtamque ſubjectionem revocare conentur “. Uti commentatur Zonaras . Rationem notandam adjungit Synodus : quia *ſicut ille*, Epiſcopus , *Clericis* (ſive Gr. *miniſtris*) *ſincerum debet exhibere amorem charitatis* (ſeu Gr. *ſinceram dilectionem & affectionem*) *ita quoque viciſſim miniſtri* (ſeu Gr. *ſubjecti*) *infucata debent Epiſcopo ſuo exhibere obſequia*; (ſeu Gr. *non fraudulentum miniſterium & obſequium*) ,

*Gr. non eſt *Diſt. 71. Can. 1.*

CANON XVIII.*

Januarius Epiſcopus dixit : Illud quoque ſtatuat ſanctitas veſtra , ut nulli Epiſcopo liceat alterius Epiſcopi civitatis miniſtrum Eccleſiaſticum ſollicitare , & in ſuis parochiis ordinare . Univerſi dixerunt : placet , quia ex his contentionibus ſolet naſci diſcordia , & ideo proibet omnium ſententia , ne quis hoc facere audeat .

* Gr. XV.

CANON XIX.*

Oſius Epiſcopus dixit : & hoc univerſi conſtituimus , ut quicumque ex alia parochia voluerit alienum miniſtrum , ſine conſenſu Epiſcopi ipſius & voluntate ornare , non ſit rata ordinatio ejus . Quicumque autem hoc uſurpaverit , a fratribus & Coepiſcopis noſtris & admoneri debet , & corrigi .

SCHOLION.

Epiſcopus alienum Clericum in ſua Eccleſia non ordinet.

MANIFESTUM eſt , hos duos Canones continere reſolutionem ejuſdem caſus ; ideoque & Græci poſteriorem ſolum referunt , qui continet reſolutionem Synodi ad propoſitionem Oſii factam , ſuggerente Januario Epiſcopo, cujus ſuggeſtio priorem Canonem conſtituit .

Quis Canonis ſcopus?

Canonum horum ſumma eſt , ut nulli Epiſcopo liceat alterius Epiſcopi *miniſtrum ſine conſenſu & voluntate ejus ordinare* (ſeu Gr. *in aliquo gradu conſtituere*) ; & ſi ſecus fiat , *non ſit rata ordinatio ejus* (ſive Gr. *irrita & infirma ejuſmodi conſtitutio exiſtimetur*).

Addunt deinde merito Patres , ut is , qui contravenerit huic decreto , ſive hoc *uſurpaverit , a fratribus & Coepiſcopis & admoneri debeat, & corrigi* : quia uti priori canone recte notatur, *ex his contentionibus ſolet naſci diſcordia*, dum Epiſcopi mutuos miniſtros ſollicitant , & ſibi mutuo eripere ſtudent .

Canon tantum agitans te Clerico alteri Eccleſiæ adſcripto.

Hic Canon , omnium tam latinorum, quam Græcorum lectione attenta , agit duntaxat de ordinatione *alieni miniſtri* , ſive alieni Clerici , eumque ita intellexerunt Græci commentatores , Balſamon , Zonaras , & Ariſtenus , uti ex eorum commentariis conſtat : at Gratus Carthaginenſis Epiſcopus & Primas Africæ, in Synodo Carthaginenſi I. teſtatus eſt , hic etiam de laico homine alterius Diœceſis non ordinando ſine licentia proprii Epiſcopi decretum eſſe , quæ interpretatio ſive extenſio , ſenſim ubique recepta fuit , uti oſtendetur ad Canonem LVI. Africanum .

Poſtmodum etiam ad Laicos extenſus.

*Gr. XVI.

CANON XX.*

Aetius Epiſcopus dixit : non ignoratis quanta & qualis ſit Theſſalonicenſium civitas ; ſæpe ad eam veniunt ex aliis regionibus Presbyteri & Diaconi , & non ſunt contenti brevi tempore morari ; ſed aut reſident ibi , aut certe vix poſt longa ſpatia , ad ſua redire coguntur . Univerſi dixerunt : ea tempora , quæ conſtituta ſunt circa Epiſcopos , & circa has perſonas , obſervari debent .

SCHOLION.

Presbyteri & Diaconi non abſint a ſuis Eccleſiis ultra tres hebdomadas.

HIc Canon expoſitione non eget . Hoc unum obſervandum , hic agi de Diaconis & Presbyteris, juxta diſciplinam illius temporis , quo hæc Synodus habita fuit ; id eſt de Diaconis & Presbyteris , qui certæ alicujus parochiæ vel Eccleſiæ curam habebant , eique tamquam ordinarii Miniſtri erant adſcripti : ideoque & merito , tempus eorum abſentiæ ad tres hebdomandas limitari, quemadmodum circa Epiſcopos fuerat ſtatutum .

*Gr. XVII.

CANON XXI.*

Oſius Epiſcopus dixit : ſuggerente fratre & Coepiſcopo noſtro Olympio , etiam hoc placuit , ut ſi aliquis vim perpeſſus eſt, & inique expulſus pro diſciplina & Catholica confeſſione , vel defenſione veritatis , effugiens pericula , innocens & devotus , ad aliam venerit civita-

civitatem, non prohibeatur immorari, quamdiu aut redire possit, aut injuria ejus remedium acceperit: quia durum est eam, qui persecutionem patitur, non recipi; etiam & larga benevolentia & humanitas ei est exhibenda.

S C H O L I O N.

Episcopi, qui e suis sedibus injuste ejecti sunt, ultra tres hebdomadas extra Ecclesiam suam morari sinuntur.

PRÆSENS Canon exceptionem continet superiorum Canonum, qui moram Episcoporum in alia civitate, in qua est proprius Episcopus, limitaverant ad tres hebdomadas.

Visum enim fuit, suggerente Olympio Episcopo, id observandum non esse in Episcopis, qui per injuriam a suis sedibus ejecti, seu deturbati, aut exire coacti sunt; *si*, inquit, *aliquis vim perpessus est, & inique expulsus pro disciplina* (seu Gr. *propter scientiam*) *& Catholica confessione*. „ Quia nimirum tamquam fidei dogmata „ egregie callerent, operamque istis tradendis impende- „ rent, hæreticorum conspiratione ejecti fuerint ": uti ait Zonaras: Utinam nec inter Catholicos opprimerentur, & ejicerentur, qui præ cæteris fidei & morum dogmata & disciplinam egregie defendunt.

Addit Canon: *vel defensione veritatis*: „ id est ob „ veritatis patrocinium, quoque iis, ait Zonaras, qui „ potentiorum dominatu injuste opprimerentur, susce- „ ptam dimicationem. Quod in Magno Basilio, Chry- „ sostomo, aliisque contigit ". Zonaras apud Bevereg. *t. 1. col. 2.* Quam frequens sit hodie hæc persecutionis causa, nimis notorium est: pro crimine, pene hodie sufficit bonis optimisque Ecclesiasticis, zelosissimis & intrepidis veritatis defensoribus patrocinari, aut auxilio esse, immo vel pro eorum adhærentibus reputari.

Declarat igitur Synodus: si Episcopus, qui *effugiens pericula, innocens & devotus* (vel Gr. *& execrationi subjectus*) *ad aliam venerit civitatem, non prohibeatur immorari* (sive Gr. *illic tamdiu manere*) *quamdiu aut redire possit, aut injuria ejus remedium accipiat*, tametsi tempus moræ, tempus trium hebdomadarum in præcedentibus hujus Synodi Canonibus præfixum evaderet.

Rationem ex dictamine charitatis desumptam subjicit Synodus: *quia durum est* (Gr. *atque adeo gravissimum*) *cum qui persecutionem patitur, non recipi*; (sive G. *a nobis non suscipi*). Quin addit Synodus, *etiam & larga benevolentia & humanitas ei exhibenda est*: (sive G. *debet a nobis plurima benignitate & humanitate recipi*).

Ad hunc Canonum videtur reflexisse S. Gregorius, *lib. 3. Epist. 43.* scribens ad Illyrici Episcopos, de Episcopis per barbaricam hostilitatem ejectis. „ Coepisco- „ pos nostros consolandos, convicturosque vobiscum in „ Ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipite; non „ quidem ut per communionem Episcopalis Throni di- „ gnitas dividatur, sed ut ab Ecclesia juxta possibili- „ tatem sufficientiæ debeant alimenta percipere.

Occasione Eusebianorum, seu Arianorum, qui quosvis doctores Episcopos, ut scribit Athanasius, in Epistola ad Solitarios, fictis calumniis, & auctoritate Constantii Imperatoris, ejecerant e suis sedibus, conditum esse hunc Canonem monet Christianus Lupus.

D I S S E R T A T I O

In Synodos Africanas, & earum Canones.

§. I.

De occasione confecti Condicis Canonum Ecclesiæ Africanæ, ejusque partibus.

Occasio hujus Codicis confecti anno 419.

CIRCA annum quadragentesimum, exorta hæresi Pelagiana, Romanos inter & Africanos commercium frequentius esse cœpit.

Pelagianorum enim causa ab Africanis tribunalibus ad Romanum per libellos relationis vel appellationis delata fuerat. Cum autem Cœlestius Africanis Episcopis infensus, multa adversus ipsos in aures Zosimi Episcopi Romani calumniose insusurasset, ac insuper nonnullæ etiam querelæ ex Mauritania Cæsariensi ad Zosimum delatæ essent (quæ, ut videtur, non jam fidem, sed disciplinam Ecclesiasticam attinerent) Litteras primum ad quosdam Africanos Episcopos dedit, quibus, ut sæpe S. Augustinus meminit, in Mauritaniam Cæsariensem compulsi sunt proficisci nonnulla Ecclesiastica negotia ex Zosimi voto tractaturi.

Ex prompto hoc Africanorum obsequio, majores animos sumens Zosimus, legationem in Africam decreverit, occasione appellationis ab Apiario Presbytero interjectæ, de qua infra, deditque Legatis commonitorium, eoque plura disciplinæ capita complexus est, præsertim vero de causis tam Episcoporum, quam Clericorum ad transmarinum judicium pertrahendis; quibus antiquus Ecclesiarum Africanorum status convelli, ipsique Episcopi, novis, ignotisque sibi legibus subjici videbantur.

Tanti momenti negotium animos Africanorum merito commovit; statimque Litteras ad Zosimum dederunt, seu ex Mauritaniensi conventu, seu ex minus numerosa Synodo, quæ ad Legatorum Sedis Apostolicæ, adventum præcipitanter coaluerat; quibus Litteris spoponderunt, Sardicensi, circa appellationes, disciplinæ (quam Nicænam Romani autumabant) morem se paulisper gesturos, donec de genuinis integrisque Nicænæ Synodi statutis diligens inquisitio haberetur; uti infra latius exponetur.

Interim cum intelligerent Patres Africani, de totius disciplinæ Africanæ summa, de omnium provinciarum statu, de Episcoporum omnium dignitate ac juribus rem esse, duo statuerunt. Primum, generalem Synodum ex universis Africæ provinciis indicendam, quorum Legati ad certum diem Carthaginem convenirent, cum cæteris Episcopis, de re summi momenti communibus suffragiis decreturi.

Secundo decreverunt omnia Africanæ disciplinæ capita, omnes Synodorum codices, omnia Ecclesiarum monumenta evolanda esse: tum ad Canones Nicænos accurate investigandos, si forte inter illos invenirentur hi, de quibus per ea tempora controvertebatur: tum disciplinæ regulas, quibus Ecclesiarum ordo constituendus erat, huc illucque dispersas in unum codicem redigerent, nonnullis vel rejectis, si jam antiquatæ essent; vel illustratis, si obscuræ; vel suppletis, si breviores; vel ad illius temporis statum, ac necessitatem accommodatis, si quæ huic minus congruæ, opportunæque viderentur: atque ita Zosimo innotesceret, quis fuisset olim, & quis tunc esset Ecclesiæ Africanæ status, qui mores; quæ judiciorum Ecclesiasticorum forma & Leges, & quam perseverans ab ipsis fidei incunabulis, ad illa usque tempora, usus ac consuetudo. Causas omnes, tam Episcoporum, quam inferiorum Clericorum intra Africam finiendi: quam demum accurate ad Nicæni Concilii ingenium ac normam composita esset universa Ecclesiarum Africanarum disciplina.

Hæc itaque occasio fuit conditi codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ in Concilio Carthaginensi plenario anni 419. de quo Codice actum est supra, *parte 1. Dissert. 8. §. 1.* ibique ostensum, hunc Codicem non esse opus privatum Dionysii Exigui, sed auctoritate Concilii confectum, & publicatum.

Duæ partes hujus codicis; prima continet Canones Nicænos, Carthaginenses sub Genethlio & Hipponenses sub Aurelio.

Hujus codicis duæ præcipuæ partes sunt. Prima, post Symbolum Nicænum, continet ejusdem Synodi Nicænæ Canones XX. aliosque XXIII. ex duabus potissimum Synodis excerptos; Carthaginensi altera sub Genethlio Aurelii decessore anno 390. altera apud Hipponem Regium, anno 393. sub Aurelii Episcopatus primordiis celebrata, quibus utriusque Synodi Canonibus, pauci alii ex occasione inserti habentur.

Secunda pars Synodos XVII. Africanos sub Aurelio complectitur.

Pars Codicis altera repræsentat Synodos 17. sub eodem Aurelio Carthaginensium primate celebratas: e quibus plerique Canones delibantur, qui necessarii aut utiles pro præsenti Ecclesiarum statu & disciplina judicabantur; cæterarum Synodorum sola Epocha & nota consulari annotatis. His subjunguntur proprii Canones Synodi 18. sub Aurelio, anni 419. & in qua Codex hic collectus est, quæque dici solet Synodus Carthaginensis VI. ac demum post subscriptiones, Epistola Synodalis ad Bonifacium Papam genuinum Codicem Africanum claudit.

Epistola autem Cyrilli Alexandrini una, & Attici Constantinopolitani altera, ad Synodi Patres, & Orientalia Nicæni Concilii exemplaria, illis adnexa, ad aliud posterius Concilium referenda sunt. Aliud quoque Concilium subsecutum est, cujus est Epistola Africanorum ad Cœlestinum Papam. Hæc enim omnia, quæ trium distinctarum Synodorum opus fuere ad unam eamdemque Synodum, quæ ab anno 419. usque ad tempora Cœlestini Papæ, id est ad annum 424. protracta fuerit, velle referre, absonum plane & ridiculum est.

Discrimen utriusque partis.

Primam Codicis partem ipsi Episcopi ordinavere, nec non Canones, quibus constat, propria industria excerpsere in privatis & præliminaribus congressibus, quos viciniores Antistites, qui ad diem Synodo constitutam convenerant, inter se habuere, donec provinciarum Legati, remotioresque Episcopi Carthaginem advenissent, ac postmodum conflatæ Synodo VIII. Kalendas Junias, eidem approbandos, confirmandos, gestisque Synodalibus inserendos proposuerunt.

Hæc habemus ex Aurelio in Synodum jam congregatam alloquente. „ Post diem præstitutam Concilii, „ ut recordamini, fratres beatissimi, multa flagitata „ sunt, *expectantes fratres nostros*, qui nunc ad præ- „ sentem Synodum advenerunt, quæ gestis necesse est „ socientur: qua de re, Domino Deo nostro de tan- „ tæ congregationis cœtu, gratias referimus. Supe-

,, ster, ut tam exemplaria Nicæni Concilii, quæ nunc habemus, & a Patribus constituta sunt, quam etiam hic a decessoribus nostris, eamdem Synodum firmantibus, vel quæ secundum eam formam, per omnes Clericorum gradus, a summo usque ad ultimum salubriter ordinata sunt, in medium proferantur. Facta hac propositione Aurelii ab universo Concilio decisum est: Proferantur.

Hic duo monumentorum genera de Scriniis Ecclesiasticis proferri jussit Aurelius. Primum, statuta Nicæni Concilii. Secundum, Canones a prædecessoribus conditos ad normam Nicæni Concilii. De Canonibus autem omnium Conciliorum, sub Aurelio habitorum nondum quidquam dicitur; quia in primis illis congressibus, consilium fuerat præcipue de Nicænis solummodo Canonibus, eorumque mente, occasione commonitorii Papæ Zosimi, inquirere, quod certe vel ex sola Canonum ipsorum Nicænorum inspectione, vel ex solis antiquioribus Africanarum Ecclesiarum Constitutionibus innotescere poterat.

De eodem antiquorum Canonum delectu ante Legatorum adventum inchoato, ac postea perfecto, & approbato, intelligendus Faustinus Legatus Zosimi Papæ, qui de mandatis Pontificiis primum agi desiderans, addit: *& postea cætera, quæ acta vel inchoacta sunt, inserta firmabuntur.*

Sic porro in excerpendis, ac renovandis pristinis Canonibus, sese gesserunt Patres, ut quem quisque magis utilem judicaverat, in præviis consessibus hunc publice proponeret, velut de suo penu; adeoque tacito Concilii antiquioris, de quo desumptus fuerat, nomine.

Ita enim agendum judicabant, quo liberior esset facultas aliqua ex ipsis Canonibus resecare, quæ tempori amplius non congruebant; vel addere vicissim quæ necessaria videbantur. Hac forma usi fuere Patres in prima Codicis parte formanda, quæ licet constet Canonibus e Synodis antiquioribus decerptis, tamen Episcopis hujus Concilii ut auctoribus jure tribuitur, ob libertatem, quam in reformandis hisce Canonibus sibi attribuerunt.

Hinc ex MS. Codice, post Canonem XXXIII. Codicis Africani, qui claudit primam Codicis partem, hæc subjicitur clausula apud Labbæum, *tom. 2. Concil. col.* 1065. *Finis Canonum Synodi Sanctorum Patrum 217. cum Papa Aurelio Carthagine congregatorum.* Qua clausula indicatur Canones hos Synodi illius reputari posse.

Porro cum jam de disciplina agere cœpissent Patres Africani, atque eam in rem Canones antiquiores revolvissent; variosque ex illis excerptos, & præsenti disciplinæ accommodatos; confirmassent, & innovassent; tandem consilium captum est de tota Africana disciplina renovanda, quæ Synodis posterioribus, sub Aurelio habitis, videbatur sufficienter expressa: quare eas omnes Synodos, earumque statuta in medium proferri, atque excerptos ex iis Canones renovandos & Codici inserendos censuerunt, atque hinc secunda Codicis pars nata est.

Porro circa hos Canones, nihil mutatum a Patribus Africanis in hoc Concilio; sed simpliciter recitati & inserti sunt, quemadmodum indicat monitum subjectum Canoni XXXIII. Codicis Africani, his verbis. *Recitata sunt etiam in ista Synodo diversa Concilia universæ provinciæ Africæ, transactis temporibus Aurelii Carthaginensis Episcopi celebrata.* Hic *recitata* simpliciter dicuntur, non constituta.

Adhæc forma totius collectionis eam inter primam & secundam Codicis, partem, distinctionem innuit, utpote in qua nulla, ut in priore, Episcoporum interlocutio inseritur; nulla explicatio, nulla moderatio, aut immutatio Canonum cernitur.

Mirum proinde non est, si prior pars potiore ratione huic Synodo tribui possit, quam posterior; licet utraque eidem Synodo, ut minus tamquam approbanti & renovanti, tribui queat: Hinc forsan & contingit, quod Cresconius duas has partes sub distinctis numeris referat; tametsi utramque eidem Synodo adscribat, ut patet ex *cap.* 30. ipsius collectionis. Post relatum enim *tit.* 39. *universalis Concilii Carthaginensis*, immediate subdit: *Et quod intra annum causam suam peragant Concilio supra scripto tit.* 46. cum ergo dicat, *supra scripto Concilio*, & prior sive immediate præcedens Canon sit ex prima Codicis parte XXXIII. Canonum, & posterior ex secunda parte C. Canonum, evidens apparet, Cresconio persuasum fuisse, quod unum, idemque Concilium idque universale fuerit, cui uterque Canon esset adscribendus.

§. II.

De Concilio Carthaginensi, sub Grato Primate Carthaginensi anno 348.

Concilium Carthaginense sub Grato vulgo I. anno 348.

OMNIUM antiquissimum Concilium, de cujus Canonibus confectus est Codex Africanus, reputatur Concilium Carthaginense habitum anno 348. sub Grato Primate Carthaginensi.

Extat hoc Concilium, in vulgatis Conciliorum collectionibus, sub nomine Concilii Carthaginensis *primi*, non paucis fœdatum. At illud emendatum, & repurgatum, edidit vir eruditus Lucas Holstenius e vetustis Codicibus Vaticanis, & sic emendatum extat quoque apud Labbæum, in appendice ad *tom. 2.* Conciliorum Generalium *col.* 1821.

Hoc Concilium celebratum esse, postquam ab Imperatore in Africam missi essent Paulus & Macarius ad reducendos Donatistas ad unitatem, patet ex allocutione Grati Primatis Carthaginensis ad Patres Concilii. Constat autem ex Optato Milevitano, *lib.* 3. adversus Parmenianum, Paulum, & Macarium in Africam missos esse a Constante filio Constantini; ,, Quem ,, enim latet, ait, præter, quia peregrinus es, & potuerunt tibi falsa narrari? aut quis negare potest ,, rem, cui tota Carthago principaliter testis est, Imperatorem *Constantem* Paulum & Macarium primitus ,, non ad faciendam *unitatem* misisse; sed cum eleemosynis, quibus sublevata per Ecclesias singulas possit respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas?

Unde recte monet Baronius ad annum 348. in allocutionem Grati citatam, irrepsisse mendum, ubi dicitur, Paulum & Macarium missos a *Constantino*. Quia pro Constantino, legendum *Constanti*.

Hanc Legationem Constantis, qua Paulum & Macarium in Africam misit, huic Concilio occasionem dedisse, præfata allocutio sat innuit, & notat Baronius ad annum 348. creditque, quod Gratus Primas Carthaginensis e Concilio Sardicensi anno 347. absoluto, in Africam, cum suis Collegis Africanis Episcopis rediens, Constanti, qui tum Italiæ, & Africæ imperabat, exposuerit miserandum Ecclesiæ Africanæ statum, diro Donatistarum schismate laceratæ, ac insuper ferociam ac tyrannidem; qua a Donatistis, ac præcipue circumcellionibus, eorum ministris, Episcopi & populus Catholici vexarentur, & opprimerentur. Quapropter rogavit Constantem, ut ad unitatem & concordiam, quam & Catholici summopere desiderabant, aliquos in Africam mitteret: addidit præterea Gratus, quantumvis schismatis auctores præ nimia pertinacia omnes pacis conditiones repudiarent; populum tamen, oblatis concordiæ pacis & unionis conditionibus facile consensurum, si modo missi ab Imperatore Legati, collatis beneficiis, eumdem ad unitatem amplectendam provocaverint.

Huic postulationi annuens Imperator, dictos Paulum & Macarium in Africam ablegavit, hac conditione, ut munificentiam Imperatoris, ad sublevandam pauperum inopiam exterius præferentes, populum collatis Beneficiis & muneribus devinctum, ad ineundam cum fratribus concordiam provocarent & inducerent; cui quoque muneri non defuerunt; ut propterea Optatus Milevitanus eos vocet *unitatis operarios*.

Occasione hujus Legationis plurimi ad unitatem revocati fuere, immo ipsa quodammodo *unitas* Ecclesiæ Africanæ redintegrata, & schisma extinctum est, uti in allegata allocutione testatur Gratus. Gratias agens ,, Deo omnipotenti, & Christo Jesu, qui dedit schismatis finem, & respexit Ecclesiam suam, ut in ejus ,, gremium erigeret universa membra dispersa.

Ea Ecclesiæ aliquali tranquillitate & unitate oblata, Patres Africani in unum convenere, ut collapsam per schisma disciplinam restaurarent, & errores per Donatistas sparsos corrigerent, quemadmodum in allocutione ad Concilium aperuit Gratus Concilii præses, dicens. ,, Ex Dei ergo nutu congregati ad unitatem, ,, ut per diversas provincias Concilia celebraremus, ,, & universæ Provinciæ Africæ hodierno die Concilii ,, gratia ad Carthaginem venirent; unde considerantibus nobis, cum mea mediocritate tractentur tituli ,, necessarii, de quibus necesse est nos memores præceptorum Divinorum, & magisterii scripturarum sacrarum, contemplantes unitatis tempus, id de singulis definire, quod nec Carthago vigorem Legis infringat, nec tamen tempore unitatis aliquid durissimum statuamus.

Hic notandum, monuisse Gratum in condendis Canonibus, qui significantur nomine *titulorum necessariorum*, necesse esse, ut ,, memores sint præceptorum ,, Divinorum, & magisterii scripturarum sacrarum: ,, contemplantes unitatis tempus, id est, de singulis ,, definire, quod nec Carthago vigorem Legis infringat, nec tamen tempore unitatis, aliquid durissimum ,, statuamus. " Ita docens, in condendis Canonibus, ,, disciplinaque Ecclesiæ instauranda formandaque subinde aliquid de duritia seu vigore relaxandum, pacis & unitatis conservandæ amore, modo vigor Legis, Præceptorum Divinorum & scripturarum non infringatur.

Præterea ex allocutione ipsius Grati, constat hoc Concilium fuisse universale totius Africæ, sive ex universis Provinciis Africæ, unde in vulgatis hujus Concilii editionibus, erronee dicitur esse *provinciale*, quasi fuisset ex unius duntaxat provinciæ Episcopis conflatum.

Ex Canonibus hujus Concilii, scilicet X. & XIII. conflatus est Canon V. Codicis Africani; nulla tamen facta hujus Concilii mentione, uti in Scholio dicti Canonis V. annotabitur.

§. III.

§. III.

De Concilio Carthaginensi sub Genethlio, quod vulgo Carthaginense secundum appellatur.

Concilium Carthaginense sub Genethlio vulgo II. anno 390.

IN collectione Conciliorum ex editione Severini Binii, quam & exhibet Labbæus *tom. 2. Concil. gener. col.* 1158. repræsentatur hoc Concilium cum hac Epigraphe: *Concilium Carthaginense, nomine secundum: ordine temporis, inter Carthaginensia extantia vere postremum circa tempora Cælestini Papæ*.

Hanc Epigraphen apposuit Binius, secutus more suo Baronium, qui credidit Concilium hoc demum celebratum fuisse anno 425. Verum Baronius in errorem traxit corruptissima vulgata hujus Concilii editio, in cujus in primis procemio legitur, habitum Concilium *gloriosissimo Imperatore Valentiniano Augusto IV. & Theodosio viris clarissimis Consulibus*. Cum autem novisset Baronius, Theodosium non gessisse Consulatum cum Valentiniano, nisi anno 425. credidit ad hunc annum rejiciendum hoc Concilium.

At vitio Librariorum, nomen *Theodosii* hic irrepsisse evincunt Codices manuscripti optimæ notæ, e quibus correctiorem, & sinceriorem editionem procuravit & evulgavit Lucas Holstenius, in qua pro *Theodosio* legitur *Neotericus*. Hinc anno 390. cum Valentiniano Consulatum gessit, atque ad hunc annum referendum esse Concilium hoc hodie consentiunt eruditi, notantque & nomina Aurelii, Alipii, Epigonii, aliorumque Episcoporum, in Canonibus Concilii occurrentia, deesse in authenticis hujus Concilii Codicibus, uti & revera exulant in editione Holsteniana, monetque Labbæus in nota marginali ad supra relata tituli verba, *ordine temporis inter Carthaginensia extantia vere postremum*. „ Erravit post Baronium Binius: vere enim „ hoc Concilium celebratum fuit anno 390 sub Gene„ thlio decessore Aurelii, cujus nomen, nec non Ali„ pii exulat a MSS. Codicibus optimæ notæ.

Qui editionem vulgatam hujus Concilii procurarunt, verisimiliter Canones desumpserunt ex Codice Africano, prout scilicet in Concilio Carthaginensi anno 419. a Patribus editi & renovati fuere, idque adscriptis Episcopis, qui in hoc Concilio seu proponentes, seu interloquentes introducuntur; neque adverterunt, ab Episcopis hujus Concilii, anno 419. assumpta quidem verba, & sententias præcedentium Canonum; sed Canones illos, suo proprio nomine expresso proposuisse, & evulgasse, tamquam Canones hujus Concilii, quamquam assumpserint verba Canonum præcedentium; ut ipsorum Decreta facilius notam evitarent novitatis, quemadmodum supra §. 1. notavimus.

Hinc igitur contigit, ut Canones hujus Concilii extantes in Codice Africano, retineant nomina Aurelii, aliorumque Episcoporum, qui an. 419. interfuerant Concilio Carthaginensi, quorum nullum occurrit in authenticis Canonibus Concilii sub Genethlio.

Hic enim tamquam proponens, introducitur non Aurelius, sed *Fenethlius*, aliique Episcopi interloquentes, qui cum Genethlio vixerunt, & Concilio interfuerunt. Editi fuere in hoc Concilio XIII. Canones, qui uno alterove excepto a Patribus Concilii Carthaginensis anni 419. assumpti; & de novo renovati fuerunt, idque subinde aliquibus detractis, immutatis, aut additis; vel etiam nonnunquam duorum Canonum partibus in unum Canonem conflactis.

Tametsi plura essent Carthaginensia habita Concilia ante Concilium Carthaginense sub Grato (de quo actum est §. præcedenti) nihilominus illud appellatum fuit Carthaginense *primum*, & hoc sub Genethlio Carthaginense *secundum*; vel quia antiquioris Concilii acta, Canonesve non superessent, vel quia Concilium Carthaginense sub Aurelio anno 297. alicubi vocatur *tertium*; uti in Concilio Carthaginensi sub Bonifacio anno 525. inscriptum habetur: inde enim duo anteriora, quorum duntaxat Canones servati sunt, *primum* & *secundum* appellanda putaverunt.

Cur autem Concilium illud anni 397. dictum fuerit *tertium*, alia plane ratio est; nimirum, quod in serie Conciliorum sub Aurelio habitorum, revera tertium locum ordine temporis obtineret. Primum quippe fuit Hipponense an. 393. Secundum autem Carthaginense anni 394. de quo in Codice Africano post factam mentionem Concilii Hipponensis, hæc leguntur: *Gloriosissimis Imperatoribus, Arcadio III. & Honorio II. Consulibus. VI. Kalendas Julias, Carthagine. In hoc Concilio directi sunt Episcopi proconsulares ad Concilium Adrumetinum.*

§. IV.

De Concilio Hipponensi anno 393. celebrato.

Concilium Hipponense an. 393.

PRIMAM Codicis partem, constantem ex XXXIII. Canonibus, pro magna parte desumptam esse e Canonibus Concilii Hipponensis expeditum est; evincitque monitum Canoni XXXIII. in Codice Africano subjectum, ubi auctor postquam indicasset, sub quibus Consulibus Concilium Hippone Regio esset habitum, monet: „ Gesta hujus Concilii ideo descripta non sunt, „ quia ea, quæ ibi statuta sunt, superioribus proban„ tur inserta: nimirum in 33. illis Canonibus.

Idem monitor tempus celebrati Concilii aperit, scribens: „ Gloriosissimo Imperatore Theodosio III. & „ Abundantio viris clarissimis Consulibus: VIII. Idus „ Octobris, Hippone Regio, Secretario Basilicæ pa„ cis ". Qui Consulatus cum in annum 393. sequitur, hoc anno VIII. Idus Octobris Hipponense Concilium esse habitum.

Idem Concilii tempus designat S. Augustinus *lib. 1. retract. cap.* 17. ubi post recensitam disputationem, seu acta contra Fortunatum Manichæum, a se habita apud Hipponem *V. Kalendas Septembris; Arcadio Augusto II. & Rufino viris Clarissimis Consulibus*, statim subjicit: *per idem tempus, coram Episcopis hoc mihi jubentibus, qui plenarium totius Africæ Concilium Hippone Regio agebant, de fide & Symbolo, Presbyter disputavi*. Hic Consulatus rursus incidit in an. 393. tunc in Oriente regnante Arcadio, & Theodosio in Occidente.

Patescit quoque, quantæ tum temporis æstimationis esset Augustinus; quod adhuc Presbyter, contra morem solitum in Africa, non tantum coram uno Episcopo, sed coram plenario Concilio sermonem habere juberetur. Hæcque fuit occasio componendi Librum *de fide & Symbolo*.

Hæc ex augusto evincunt præterea, Concilium hoc fuisse *plenarium totius Africæ*, id est ex omnibus Africanis Provinciis conflatum.

Quo consilio, quo fine, quo fructu collecta Synodus fuerit, docet nos Epistola Synodica Episcoporum Carthagine Idibus Augusti anni 397. congregatorum. *A plerisque suggestum est, ajunt, ea quæ in Concilio Hipponensi jamdudum maturata sunt, & legitime ad corrigendam disciplinam salubriter gesta & statuta noscuntur effrenata temeritate quosdam non servare*. Extat apud Labbæum, *tom.* 2. Concil. gener. *col.* 1179.

Itaque ad restaurandam disciplinam Patres Africani, in hoc Concilium convenerunt: „ quod quidem, ait „ Baronius ad an. 393. adeo efficaciter præstiterunt, „ ut cætera Concilia postea in Africa celebrata, ex „ Hipponensi, tamquam archetypo quodam complura „ mutata fuerint.

Hoc in primis ex XXXIII. Canonibus Concilii Carthaginensis anni 419. patet, & in Scholiis horum Canonum annotabitur.

Sed & hoc constat, Canones hujus Concilii disciplinam Ecclesiasticam corrigentes, & formantes, non ubique benevolo ac prompto animo fuisse receptos; immo quosdam *effrenata temeritate*, eos non servasse, uti in citata Epistola Synodica queritur Concilium Carthaginense.

Hinc contigit, quod hi Canones Hipponenses in pluribus Conciliis Africanis relecti, emendati, minuti, ampliati, ac velut renovati fuerint, ut ita tempori & loco accommodatorum executio promptior, & fructus uberior haberetur.

Quin & inde factum est, ut genuina & integra hujus Concilii acta & Canones, prout apud Hipponem confecta & probata sunt, temporum injuria perierint. Hinc ulterius exurgit difficultas non modica, decernendi, quinam Canones apud Hipponem primum conditi; qui vero a Synodis posterioribus, & a quibus additi, vel saltem ampliati & immutati fuerint.

Apud Labbæum *tom.* 2. Concil. gener. *col.* 1179. extant quædam abbreviationes Canonum Hipponensium, quibus præfigitur hic titulus: *Statuta Concilii Hipponensis breviata, & quædam eorum in Concilio Carthaginensi cum Bizacenis Episcopis collata, & diligentius pertractata hæc sunt*.

Tum sequitur Nicænæ fidei professio, & ejusdem Symbolum integrum; dein Canonum Hipponensium abbreviationes, cum hac Epigraphe: *Concilii Hipponensis abbreviationes factæ a Concilio Carthaginensi III.* Constat autem hoc compendium 41. capitibus. Verum earum abbreviationum auctor Synopsim Canonum reddidit adeo brevem, ac jejunam, ut in pluribus, Canonibus materiam vix delibet, ejusque vel nudam notitiam, nec satis clare ingerat Lectoris animo.

Aliud, illudque prolixus statutorum, seu Canonum Hipponensium compendium, sive *Breve*, aut *Brevis* (expositio) in antiquo codice Ecclesiæ Romanæ, de quo late egimus *Tom. VI. part. 1. dissert. III. præcipue §. VI. hujus editionis*.

Constituit autem hæc *Brevis* (expositio) secundum Codicis istius Capitulum hoc titulo: *Canones Carthagine habiti, sub die Iduum Augustarum, Attico & Cæsario Consulibus*.

Cum vero constet, quod *Brevis* ista Canonum Hipponensium relecta, pertractata, quin & Canonibus pluribus adaucta sit in Concilio Carthaginensi anni 397. quod vulgo tertium appellatur, de *Brevi* hac dicemus §. sequenti, ubi de hoc Concilio Carthaginensi agetur.

§. V.

De Concilio Carthaginensi anni 397. quod vulgo tertium dicitur & de Brevi (a) *Canonum Hipponensium.*

Concilium Carthaginense vulgo III.

IN Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ post Canonem XXXIII. legitur: *Recitata sunt etiam in ista Synodo (anni 419.) diversa Concilia universæ Provinciæ, transactis temporibus Aurelii Carthaginensis Episcopi celebrata*. Deinde facta mentione Concilii Hipponensis an. 393. & Carthaginensis anni 397. subditur: *Cæsario & Attico, viris Clarissimis Consulibus V. Kalendas Septembris, Carthagine, in Secretario Basilicæ Restitutæ, cum Aurelius Episcopus una cum Episcopis consedisset: adstantibus etiam Diaconis, advenientibus quoque Victore sene Puppianense, Tito Migirpense, Evangelo Assuritano, Aurelius Episcopus dixit*. In hoc Concilio *Brevis* Canonum expositio relecta, & pertractata, & nonnullis Canonibus aucta fuit. Hujus historia ut distinctius proponatur, & facilius intelligatur; notandum primo, Bizacenos præ reliquis accusatos fuisse, in ipsorum Provincia negligi Canones Hipponenses, disciplinamque in illis contentam ibidem non vigere. Huic querelæ satisfacere desiderantes Episcopi illius Provinciæ, cujus Primas erat Misonius; e Synodo sua provinciali, dederunt Litteras ad Aurelium Primatem Carthaginensem, unaque miserunt *Breviarium* Canonum Hipponensium, quo expresserant Canones Hipponenses, ita reformatos, prout eos in sua provincia pro temporis & loci circumstantiis observari posse credebant; eo tamen consilio, ut si quid in eo Breviario animadversione dignum deprehenderetur, in melius reformaretur.

Aurelius, receptis his Bizacenorum Litteris, simul cum Canonum Breviario, censuit rem esse majoris momenti, quam ut ipse sua auctoritate, de ea solus constitueret; utpote cum de immutatione Canonum generalis Concilii totius Africæ ageretur. Itaque determinationem hujus causæ, Concilio generali Africæ, quod ex tunc verisimiliter indictum erat, reservavit, quemadmodum ex verbis Aurelii cum in rem, ad Patres hujus Concilii Carthaginensis, jam indicti, & V. Kalendas Septembris anni 397 celebrati manifestum est. Ait enim: *Et ideo, fratres, si vestræ charitati videtur, Litteræ fratrum nostrorum Bizacenorum, sed & Breviarium, quod eidem Epistolæ adjunxerunt, ad hunc Cœtum congregatorum legantur; ut si qua forte illic movere charitatis vestræ animum possunt, in eodem Breviario, quæ diligentius fuerint animadversa, in melius reformentur. Hoc enim frater & Coepiscopus noster primæ sedis vir perspectus merito suæ gravitatis ac prudentiæ Misonius, scribens ad meam pravitatem postulavit.*

Adhæc, cum Episcopi Bizaceni scirent in generali, hoc Africæ Concilio de ipsorum *Breviario* Canonum tractatum iri; curæ eis fuit, tempestive Carthagine adesse; ipsumque potius diem indicti Concilii prævenire; prout reipsa prævenerunt. Cumque celebratio Concilii, ob nonnullorum aliarum Provinciarum Legatorum moram, protraheretur, ipsique Bizanceni redditum suum urgerent, ob celebrandam verisimiliter Provinciæ suæ Synodum: convenerunt interim cum Aurelio, & cæteris Episcopis, qui Carthaginem advenerant; atque in eo conventu Epistola Bizacenorum ad Aurelium, una cum Breviario Canonum recitata fuit. Uti manifestum est ex his Aurelii verbis ad Patres Concilio V. Kalendas Septembris in plenaria Synodo congregatos: *Sed cum Sacerdotum nostrorum*, inquit, *Epistola Bizacenorum fuisset recitata, vel quid mecum iidem, qui tempus & diem Concilii prævenerant, tractassent, vestræ charitati legeretur*, &c.

Admodum probabile est, hunc consessum habitum esse idibus Augusti, anni 397. atque de hoc consessu intelligi titulum in Codice Ecclesiæ Romanæ, Breviario huic præfixum, & supra exhibitum: *Canones Carthagine habiti sub die iduum Augustarum, Attico & Cæsario Consulibus.*

Breviario a Bizacenis misso, in hoc consessu lecto, ac pertractato, adjuncta sunt sex septemve Capitula, quæ in citato Codice Romano exhibentur sub hac epigraphe: Statuta Concilii *Hipponensis breviata, & quidem eorum in Concilio Carthaginensi cum Bizacenis Episcopis collata, & diligentius pertractata hæc sunt.*

Dies autem celebrandi Concilii erat X. Kalendas Septembris, qui dies, in Concilio Hipponensi, celebrationi Synodorum erat deputatus, uti ex Canone Concilii anni 401. qui ex Canone Concilii anni 401. qui in Codice Africano est Canon LXXIII. *Dies Concilii*, ait hic Canon, *idem servetur, qui in Concilio Hipponensi constitutus, id est X. Kalendas Septembris*. Ad hunc diem convenerunt rursus Patres, sed cum propter absentiam Legatorum Provinciæ Numidiæ, qui sperabantur mox adfuturi, celebratio Synodi protraheretur. Interea cum otio, rursus Breviarium Canonum Hipponensium, prout in consessu idibus Augusti reformatum fuerat, examinatum est; atque quatuor Canones additi sunt, tractantibus Legatis Provinciæ Numidiæ, & urgentibus Synodi absolutionem Legatis Mauritanæ Sitifensis, qui se diu detineri, de longinquo venientes non posse testabantur. Tandem Concilium hoc Carthaginense celebratum fuit V. Kalendas Septembris, sive 28. Augusti 397. atque ibidem coram Patribus conciliariter congregatis, recitata Epistola Brizacenorum ad Aurelium cum adjuncto Breviario Canonum Hipponensium; necnon omnia quæ tam in consessu habito Idibus Augusti, quam decimo Kalendas Septembris pro reformatione & augmento ejusdem Breviarii concepta, & præparata erant. Omnia autem Patribus placuerunt, atque Breviario a Bizacenis transmisso, adjuncta sunt sex septemve Capitula breviata probata in consessu iduum Augusti, & 14. Canones concepti in conventu X. Kalendas Septembris Breviario appositi, suggerente Epigonio, qui in Codice Africano conficiunt Canonem XXXIV. & sequentes usque ad XLVII. uti & Scholiis ad *Canonem XXXIV.* notabimus.

Epistola Synodica.

Ab eodem Concilio data quoque fuit Epistola Synodica fratribus & Coepiscopis diversarum Provinciarum Numidiæ & Mauritanæ utriusque, Tripolis & Provinciæ Consularis inscripta, eique subscribunt, Aurelius, Misonius, & cæteri Episcopi. Extat in Codice Ecclesiæ Romanæ ante statuta Concilii Hipponensis breviata, & apud Labbæum ad calcem Concilii Carthaginensis III. *tomo* 2. Concil. general. *col.* 1179.

In hac epistola scribunt, ipsis in urbe Carthaginensi convenientibus Ecclesiasticæ utilitatis causa, a plerisque suggestum esse, ea, quæ jamdudum in Hipponensi Concilio ad corrigendam disciplinam salubriter gesta, & statuta noscuntur, *effrenata temeritate quosdam minime custodire.*

Addunt, *ad hujusmodi excusandos excessus, illud ab aliquibus prætendi, quod ea, quæ jamdudum legibus statuta sunt, ignorantes prætermiserunt.*

Et quia hos excessus in Provincia Bizacena præcipue regnare compertum erat; ideo communi consilio se censuisse scribunt, *hæc per universam Provinciam Bizacenam in notitiam cunctis deducenda: ut ab hinc, quisquis decretorum temerator extiterit, sciat se status sui operatum fuisse jacturam.*

Brevis Canonum Hipponensium.

Significant præterea se suæ Epistolæ subdi fecisse *Brevem statutorum* (Hipponensium) *in quo omnia videntur esse complexa, & quædam diligentius constituta . . . . . ut compendio quæ decreta sunt recensentes, sollicitius observare curemus.*

Nomen *Brevis*, seu Breviarii, vel compendii, sat indicat, Patribus visum non fuisse, omnes Canones, & statuta Concilii Hipponensis huic *Brevi* inserere, sed aliquos duntaxat, qui pro Ecclesiastica disciplina, eo tempore magis necessarii, vel utiles esse judicabantur; ideoque nihil facere contra sinceritatem & authentiam statutorum Hypponensium breviatorum, prout extant in codice veteri Ecclesiæ Romanæ; quod nonnulli Canones Concilii Hypponensis reperiantur apud Ferrandum Diaconum, qui inter hæc statuta breviata non occurrunt, ostendit Quenellus in additione ad dissertationem 12. operum S. Leonis, qua additiuncula insuper vindicat sinceram dictorum statutorum breviatorum, contra objectiones Emmanuelis Schelstratii, ea ut supposititia rejicientis, *in sua Ecclesia Africana, Dissert.* 3. *cap.* 6.

Adhæc ex præmissis constat, a Concilio Carthaginensi anni 397. quatuordecim Canones breviario Hypponensium fuisse adnexos; qui & a Dionysio Exiguo propterea merito huic Concilio adscribuntur, & sub ejus nomine referuntur a Canone XXXIV. usque ad Canonem XLVII. Immerito proinde de Marca in dissertatione de veteribus Canonum collectionibus *cap.* 5. *nu.* 21. arguit Dionysium errati: „ Quod Carthaginensis „ Concilii sub Consulatu Cæsarii & Attici, quod est „ tertium, Canones cum diserte exhibere se profitea„ tur, aliquot tamen permisceat, qui sunt meri Hip„ ponenses „: at erravit ipse de Marca, volens errati arguere Dionysium. In primis enim Dionysius non fuit auctor hujus Codicis, sed eum prout invenit, suo Codici inseruit. Præterea falsum est Hipponenses Canones, hic repræsentari tamquam Carthaginenses; qui enim in Codice Africano referuntur sub nomine Concilii Carthaginensis, celebrati Cæsario & Attico Consulibus V. Kalendas Septembris, sunt hujus Concilii genuini Canones, in hoc Concilio editi, quorum quatuor quatuordecim eo consilio conditio fuere, ut Breviario Hipponensium Canonum affuerentur. Ideoque verius dixisset de Marca, si Breviarium Hypponense existimasset non purum, sed admixtum Canonibus in hoc & aliis Conciliis conditis. Itaque tam quatuordecim illi Canones Breviario Hipponensium annexi, quippe in Codice Africano conficiunt Canonem XXXIV & sequentes, usque ad XLVII. quam reliqui usque ad LVI. inclusive, sunt sinceri, ac veri Canones Concilii Carthaginensis anni 397. Eadem ferie in Concilio Carthaginensi anni 419. relecti & probati, quia in Concilio conditi fuere. Immo, nec plures Canones, aut

Lapsus D. de Marca notatur.

plura

(a) Observandum est circa illud vocabulum *Brevis*: quod D. Van-Espen illud efficiat fœminini generis, & in substantivorum classem illud sæpe collocet: a Grecis dicitur Βρέβιον, id est, teste Zonara in Conc. Carthag. [illegible] compendiaria scriptura.

plura hujus Concilii Carthaginensis authentica acta supersunt, quam quæ sub nomine hujus Concilii in Codice Africano nobis reservata sunt.

Quæ enim in vulgatis Conciliorum collectionibus extat sub nomine Concilii Carthaginensis, Cæsario & Attico Consulibus (dictum vulgo Carthaginense III.) quinquaginta Canonum collectio, farrago est diversorum Conciliorum Canonibus, nullo ordine inter se permixtis, & nonnunquam mutilatis & mutatis, recentiore manu adornata, & huic Concilio falso supposita, uti §. sequenti ostendetur.

§. VI.

De Collectione 50. Canonum, quæ sub nomine Concilii Carthaginensis III. extat in vulgatis Conciliorum Collectionibus.

Collectio 50. Canonum sub nomine Concilii Carthaginensis III.

INTER Concilia Carthaginensia, in vulgatis Conciliorum collectionibus extat illud, quod vulgo dicitur: Concilium *Carthaginense tertium*, cum hac præfatione, sive titulo: *Cæsario & Attico, viris clarissimis Consulibus, V. Kalendas Septembris Carthagine in Secretario Basilicæ Restitutæ; cum Aurelius Episcopus, una cum Episcopis consedisset; adstantibus etiam Diaconibus, constituta sunt hæc, quæ in præsenti Concilio definita sunt* Dein subjiciuntur Capitula sive Canones quinquaginta, inter quos sunt & illi, qui in Codice Africano huic Concilio adscribuntur; sed ordine inverso, aliorumque Conciliorum Canonibus intermixti, & aliqui mutilati, vel immutati, aut aliquibus additamentis aucti.

Per Pseudo-Isidorum corrupta.

Hæc collectio Canonum, sub nomine Concilii Carthaginensis tertii primum excusa, in hominum notitiam venit per Isidorianæ collectionis publicationem, quæ primum Jacobo Merlino auctore facta est anno 1525. ideoque verisimile credunt eruditi, eodem ingenio, in his Canonibus consarcinandis versatum esse Isidorum, quo in cæteris multis Ecclesiasticis monumentis fingendis, interpolandis, ac omnimodo adulterandis.

Certum enim in primis est auctorem hujus collectionis, hos 50 Canones, sive Capitula, adscribere Concilio celebrato, *Cæsario & Attico Consulibus*: id est anno 397. in quem hic consulatus incidit, *Carthagine, in Secretario Basilicæ Restitutæ*, adeoque Concilio, cujus acta & constituta jacent in Codice Africano post *Canonem XXXIII.*

Porro sicuti Pseudo-Isidorus ille, supponendo pristinis Romanis Episcopis famosas Epistolas Decretales, in iis fingendis & adornandis, plura reliquit, suæ fictionis & suppositionis argumenta, quibus fœtidæ ejus merces a puris, nullaque admixtione fœditatis secerni potuerunt; ita non pauca in hac Canonum farragine adornanda, reliquit suæ adornationis initia.

Primo, cum sciret summæ semper existimationis fuisse S. Augustinum Episcopum Hipponensem, in Provincia Numidiæ; ipsum tamquam huic Concilio subscribentem inducit, cum tamen plura sint quæ evincant, Augustinum huic Concilio Carthaginensi non interfuisse.

Huic Concilio non adfuit S. Augustinus.

In actis enim hujus Concilii apud Dionysium, in Codice Africano referuntur tamquam huic Concilio cum Aurelio Carthaginensi Primate, assistentes, *Victor senex Puppianensis, Tito Migirpensis, & Evangelus Assuritanus*; verisimile autem non est, quod nomen Augustini, si interfuisset, emissum esset.

Secundo in allocutione Aurelii ad Patres Concilii manifestum est, Episcopos Numidiæ (e quorum numero erat Augustinus) non convenisse ad hoc Concilium; tametsi, teste Aurelio, *promisissent, quod aut ipsi dignarentur venire, aut ad hoc Concilium fuissent ex more destinaturi Legatos.*

Sed hoc minime factum esse, disertis verbis Aurelius Concilio significavit. Idipsum docent nos Honoratus & Urbanus Episcopi, Legati Mauritaniæ Sitifensis Provinciæ, Can. XLVII. Codicis Africani, ita loquentes: *jamdudum, cum apud sanctitatem vestram allegaremus scripta, dilati sumus, ea contemplatione, quousque fratres nostri advenire possent de Numidia Legati: Sed quia non pauci dies sunt, quibus expectati minime venerunt; ultra prætermittere, quæ nobis mandata sunt a nostris Coepiscopis, non oportet.*

Sane, si vel solus e Numidia ad Concilium venisset Augustinus, eique interfuisset, non dubium quin pro suis Coepiscopis & Collegis respondisset Legatis Mauritaniæ Sitifensis de absentia ipsorum alte conquerentibus.

Præterea S. Augustinum vix potuisse hoc Concilio anno 397. 28. Augusti interesse, suadet ejus Epistola 38. ad Profuturum, in qua scribit: „ Secundum spi„ ritum . . . recte sumus, corpore autem ego in lecto „ sum; nec ambulare enim, nec sedere possum, rhaga„ dis, vel exochadis dolore & tumore. (a)

Deinde significat se hæc scribere, cum jam dies essent ferme 24. a morte Megalii Numidiarum Primatis. „ Quod senex Megalius defunctus sit, ait, jam vos „ audisse quis dubitet? erant enim a depositione corpo„ ris, cum hæc scriberem, dies ferme viginti quatuor.

Megalium autem obiisse, eique in Primatum successisse sub tempus hujus Concilii Crescentianum constat ex supra citata allocutione Aurelii, qua testatur Litteras sibi a Crescentiano transmissas fuisse, quibus Crescentianus significabat, se Numidiæ Primatem esse: *Litteras*, ait, *ad pravitatem meam datas Crescentiani primæ sedis, ut ipse insinuat, Numidiarum*. Hinc & eruditi S. Augustini Revisores operum notant, hanc ab Augustino scriptam Epistolam circa tempus hujus Concilii; quo tempore, cum lecto esset affixus, verisimile non est ipsum Concilio adfuisse.

Argumentum præterea suppositionis & confictionis hujus collectionis suppeditat truncatio, & immutatio Canonum Concilii Carthaginensis, in hac farragine occurrens. Canonem IV. Carthaginensem, qui est XXXVII. in Codice Africano, & XXIV. in ea farragine, truncat ea parte, quæ huic Concilio Carthaginensi propria est, uti in Scholiis ad dictum Canonem notabitur.

Quo tempore Monasteria virorum & virginum instituit S. Augustinus?

Canoni XI. Carthaginensi, qui est XLIV. Codicis Africani, & XXXIII. farraginis, interserit hæc verba: *in Monasterio Virginum*, quæ recentiorem Collectoris manum redolere, in Scholio Canonis notabitur, eo quod tempore hujus Concilii, non videantur adhuc exstructa fuisse Monasteria Virginum, licet nonnullæ continentiæ propositum intra privatas domos servarent. Meruit quidem S. Augustinus hanc laudem etiam a Donatistis, *lib.* 3. contra Petilianum *cap.* 40. quod hoc genus vitæ instituisset; sed virorum quidem Monasteria instituit adhuc Presbyter existens; at Virginum ante Episcopatum instituisse non legitur. Immo aliquandio post Episcopatum, id aggressum fuisse, argumento est, quod demum anno 420. cogitaverit de Regula scripto eis tradenda. Unde & supponit contextus Canonis virgines illas sub custodia parentum suorum vixisse.

Quantopere immutaverit hujus farraginis collector Canonem XVIII. Concilii Carthaginensis, qui est XLI. in farragine, & LI. in Codice Africano, in Scholio similiter annotabimus.

At nihil evidentius evincit hujus farraginis suppositionem, quam quod Canone XLVII. referratur decretum de libris Canonicis cum clausula, *de consulendo Bonifacio Episcopo Romano*: Cum certum sit Bonifacium demum circa annum 419. ad Episcopatum fuisse assumptum.

Clausula hæc addita fuit decreto Hipponensi in Concilio Carthaginensi, anni 419. in quo Canones Hipponenses relectos, & immutatos fuisse, supra notavimus. Cum vero hic Canon, cum hac clausula relatus esset in prima Codicis Africani parte, Canone XXIV. verisimile est ex hoc Concilio, a farraginis illius consarcinatore, Canonem hunc desumptum esse.

Merito proinde ab eruditis rejicitur hæc Canonum collectio, tamquam variorum Canonum incondita & indigesta farrago: atque ea duntaxat, quæ in Codice Africano, apud Dionysium Exiguum, sub nomine Concilii Carthaginensis, Cæsario, & Attico Consulibus, id est an. 397 pro genuinis, ac authenticis illius Concilii gestis & Canonibus agnoscuntur, & exprimuntur.

§. VII.

De Conciliis Carthaginensibus 16. Kalendas Julias; & idibus Septembris anno 401. habitis; quorum Canones extant in vulgatis Conciliorum collectionibus sub nomine Concilii Carthaginensis V.

Collectio XV. Canonum sub nomine Concilii Carthag. V.

EXSTAT in vulgatis Conciliorum collectionibus, Concilium Carthaginense, quod V. dicitur, constatque quindecim Canonibus, qui & Canonibus in Codice Africano relatis respondent; tametsi verba quin & sensus in nonnullis eorum sint diversa, quemadmodum in Scholiis ad hos Canones in Codice expressos annotabimus.

Verum Canones, qui sub nomine hujus Concilii Carthaginensis V. repræsentantur in Codice Africano, pro ut suo Codici inseruit Dionysius Exiguus, ut variarum Synodorum Canones exhibentur; scilicet Synodorum Carthaginensium celebratarum 16. Kal. Julias, & 13. seu idibus Septembris anno 401. e quorum Canonibus apparet conflata ea quindecim Canonum collectio, quæ hodie nomen præfert Concilii Carthaginensis V. unico Canone LV. excepto, qui e Synodo Hipponensi, anni 393. excerptus videtur, jacetque in Codice Africano sub num. 26.

Primum prodiit hæc collectio cum Isidoriana.

Porro nec in Codice Africano, nec in antiquis monumentis, ulla extat hujus collectionis, seu Concilii Carthaginensis V. memoria: at primum prodiit cum famosa illa Isidori collectione, de qua §. præcedenti egimus.

Argumenta suppositionis ejus collectionis.

Imposturam autem & fraudem Pseudo-Isidori detegunt primi hujus farraginis Canones, qui nunquam Canones fuerunt, nec esse potuerunt. Sunt enim duo capita supplicis libelli, quem per Legatos suos Episcopi Africani Imperatoribus offerendam resolverant: seu articuli commonitorii eisdem Legatis traditi, ut Leges iis de rebus ab Augustis impetrarent: quod *commonitorium*

Argumentum 1.

per

(a) Non erit eo loci superfluum exponere quid Rhagadis & Exochadis nomine intelligi possit. *Rhagades* (inquiunt Doctissimi Benedictini *tom.* 2. oper. S. Augustini *col.* 82. *nota* 2.) „ & „ Exochades a medicis referuntur inter vitia sedis, ῥαγὰς sci„ licet a verbo ῥήσσω rumpo, fissura est circa sedem in venis, „ quæ a sanguinis fluore dicuntur hæmorroides; ἐξοχὰς vero „ ab ἐξέχω emineo, tumor est in sede, venis iisdem pro„ minentibus.

per hujus unius vocis *petendum*, in istam vocem *statuendum* mutationem in Canonem conflavit farraginis illius corrator, quemadmodum annotabitur in Scholiis ad Canones LIX. & LXIII. Codicis Africani.

Argumentum 2. Recentiorem quoque impostoris manum redolet clausula, quam Canoni VI. qui est LXXII. in Codice Africano, appendit de Ecclesiis reconsecrandis, quoties de earum consecratione dubitatur, uti in Scholiis ad Canonem LXXII. Codicis observabimus.

Argumentum 3. Denique hujus Concilii suppositionem manifestam arguit, ridicula plane præfato ei prænxa: " Post Consulatum placuit, ut die sexta Kalendarum Junii, " Carthagine in Secretario Basilicæ Restitutæ, subter " inserta statuerentur. Cum Aurelius Episcopus, una " cum Episcopis suis consedisset, adstantibus Diaconi- " bus, constituta sunt hæc, quæ in sequenti Concilio " definita sunt.

Argumentum 4. Præterquam quod stylus & modus loquendi omnino dissonent a stylo & forma præfationum genuinis Conciliis Carthaginensibus, in Codice Africano præfixis, Consulum ipsorum, post quorum Consulatum Concilium hoc habitum dicitur, omissio suppositionem evincit.

Quis enim nescit, Consulatum præmitti, ut annus celebrati Concilii notetur; sed si Consules, qui expressum Consulatum gesserunt, non annotentur, inutilis plane ac ridicula erit Consulatus annotatio, utpote qui nullum particularem annum designat.

Quod collector hujus farraginis omiserat, supplere nititur Baronius ope Codicis MS. in quo, ait, scriptum est: post Consulatum Cæsarii & Attici die sexta Kalendas Junii, qui Consulatum gessere anno 397. adeoque eorum Consulatus incidit post annum 397. quo an. Concilium hoc celebratum credit Baronius.

Verum nec Codex Africanus, nec ullum monumentum antiquum, aut ejus ætatis scriptor, insinuat ullum eo anno in Africa celebratum fuisse Carthaginense Concilium.

Ulterius, scribit Christophorus Justellus in præfatione ad Codicem Africanum, in collectione manuscripta Isidori Mercatoris, quam penes se habebat, acta hujus Synodi ita exordiri: Post Consulatum *Flavii Stiliconis 16. Kalendas Julias*; recte proinde arbitratur Schelstratius, *in sua Ecclesia Africana differt. 3. cap. 9.* nomine Consulum addita fuisse manu recentiore.

Genuini sunt Canones in Cod. Afr. exhibiti ex Concilio Carth. 16. Kal. Jul. & altero Id. Sept. 401. Itaque nihil eorum, quæ in hac *quindecim* Canonum farragine, quæ sub larva Concilii Carthaginensis V. circumfertur, & a posterioribus Canonum collectoribus, etiam Gratiano laudatur, continentur, ut genuinum Patrum Africanorum decretum aut gestum recipiendum est, nisi quod in Codice Africano legitur, & inde in hanc farraginem translatum est, rejectis impostoris additamentis, truncationibus, immo & corruptionibus. Ea propter Ludovicus Dupin, *tom. 2. suæ Bibl. Eccl.* referre volens hujus Concilii Canones, illorum compendium, non ex hac farragine, sed ex Codice Africano conficere voluit.

Similiter eruditi illi S. Augustini operum revisores, in appendicem ad *tom. X.* annotantes Concilia, Carthaginensia, contra Donatistas, aut occasionem illius schismatis celebrata, observarunt duo illa Concilia, quæ in Codice Africano signantur 16. Kalendas Julias; & idibus Septembris anni 401. nulla prorsus hujus Concilii Carthaginensis V. facta mentione. Indicium haud obscurum est, sapientes hos viros de farraginis hujus suppositione non dubitasse; eosque solos Canones pro veris agnovisse, quos Codex Africanus repræsentat.

§. VIII.

De Concilio Carthaginensi celebrato anno 407. Idibus Julis; & de farragine 28. Canonum, sub nomine Concilii Milevitani II.

Farrago 28. Canonum Concilio Milevitano II. suppositorum, inter quos plures pertinent ad Carthaginense 407. IN Codice Canonum Africanorum post Canonem XCIV. consignatur Concilium celebratum gloriosissimis Imperatoribus Honorio VII. & Theodosio II. Augustis Consulibus, Idibus Juliis, id est an. 407.

Huic Concilio, in Codice Africano, adscribuntur tredecim Canones, suis numeris distincti, quorum plures extant in collectione viginti octo Canonum, quæ sub nomine Concili Milevitani II. anni 416. prostat in collectione Conciliorum, etiam Labbæana, *Tom. II. col.* 1537.

Verum eam collectionem Canonum sub nomine Concilii Milevitani, esse farraginem conflactam ex Canonibus variorum Conciliorum, passim eruditi hodie agnoscunt. Et quidem octo priores hujus farraginis Canones, adversus Pelagium editos ad Concilium Carthaginense anni 418. referendos esse, notant eruditores, quorum sententiam probat Labbæus in nota marginali ad primum hujus farraginis Canonem apposita; dicens " hos Canones ab hoc Milevitano Concilio subductos " merito ad Carthaginense universale anni 418. cele- " bratum, viri pereruditi referunt.

Canones autem 9. 10. 12. 16. 17. 18. 19. & 20. ex hoc Concilio Carthaginensi 407. desumpti fuere, cui Codice Africano merito adscribuntur.

Canones vero 13. 14. & 15. suffuratus est hujus farraginis confictor ex Concilio Carthaginensi 402. cui eos adscribit Codex Africanus, conficiuntque Codicis istius *Canones* 86. 89. *&* 90.

Canones 21. 22. 26. 27. & 28. excerpsit e Concilio Carthaginensi anni 418. cui inscribuntur in Codice Africano sub numero 120. & sequentibus.

Superest unicus 23. hujus farraginis Canon, qui in Codice Africano non reperitur, quem abbreviatum refert Ferrandus Diaconus in sua Canonum ab breviatione tit. 11. non sub nomine Concilii Milevitani, sed Carthaginensis, cujus datam non exprimit.

Nec tantum Canones aliorum Conciliorum huic Concilio falso inscripsit hujus farraginis compilator, sed & præfationem Concilii Carthaginensis anni 402. quæ in codice Africano extat post Canonem 84. suæ præposuit farragini, uti monet Labbæus in nota marginali, qui & notat, reliqua præfationi dicti Concilii anni 402. a farraginis auctore adjecta, *prave a sciolo inserta*.

Denique *Canon* 27. farraginis ipsam suppositionem prodit. Hic enim Canon aperte supponit Concilium genegale, seu universale totius Africæ, cum tamen constet Concilium Milevitanum II. tantum fuisse provinciale ex solis Episcopis Numidiæ. Hinc ad hæc Canonis verba: *at universo Concilio*, notatur ad marginem, in editione Labbæana, *col.* 1544. " ultimus hicce Ca- " non, aperte indicat verbis istis non ad particula- " rem Milevi Synodum, sed ad Concilium universale " Carthagine habitum, regulas istas omnes referendas. Et rursus ad ejusdem Canonis verba, *petiit universum Concilium*; ibidem dicitur: " Notetur hoc ver- " bum, *universi* Concilii electis e quinque Provinciis " judicibus subjunctis. " Quæ nimirum probant, Concilium in quo hi Canones conditi sunt, fuisse universale, e quinque Africæ Provinciis collectum.

§. IX.

De Concilio Carthaginensi (a) *habito Kalendis Maii anni* 418.

IN Codice Africano, post Canonem CVIII. occurrit Synodus habita gloriosissimis Imperatoribus Honorio XII. & Theodosio VIII. Consulibus Kalendis Majis Carthagine in Sacretario Basilicæ Fausti. Synodi Carthag. an. 418. 8. vel 9. Canones contra hæresim pelagianam edidit.

Huic Synodo, præter alios ibidem attribuuntur octo vel novem famosi illius Canones contra hæresim Palegianam; quos huic Synodo merito adscribi consentiunt passim eruditi; eosque Concilio Milevitano II. ab imperito aliquo impostore, & consarcinatore affictos esse §. præcedenti ostendimus.

Ut occasio hujus Synodi, ac Canonum per eam promulgatorum facilius & clarius percipiatur, prænotandum Pelagium Cœlestiumque hæresiarchas, eorumque hæretica dogmata per diversas Synodos, in Africa, ante Pontificatum Zosimi fuisse damnata; signanter anno 416. per Synodos Carthaginensem, & Milevitanam, quarum Epistolæ ad Innocentium I. Papam, Zosimi prædecessorem, extant inter epistolas S. Augustini consignanturque, in ultima operum S. Augustini editione, sub numeris 175. & 176.

In priore Synodo Carthaginensi, ad quam ex Provincia consulari convenerant sexaginta octo Episcopi, primum lectæ sunt Epistolæ Herotis & Lazari Gallorum Episcoporum (b) ad Africanos Episcopos, quibus Pelagium Cœlestiumque, auctores nefarii dogmatis accusabant. Synodus Carthag. an. 416. contra Pelagium & Cœlestium.

In eodem conventu, jussum est recitari, quod ante ferme quinquennium, apud Carthaginensem Ecclesiam, super Cœlestii nomine fuerat agitatum. " Quo recita- " to, inquiunt, quamvis & judicatio manifesta con- " staret, qua illo tempore Episcopali judicio excisum " hoc tantum vulnus ab Ecclesia videretur: nihilomi- " nus tamen, id communi deliberatione censuimus, " hujusmodi persuasionis auctores, quamvis & ad Pres- " byterium idem Cœlestius postea pervenisse dicatur, " nisi hæc apertissime anathemaverint, (c) ipsos ana- " themari oportere; ut si ipsorum non potuerit, sal- " tem eorum, qui ab eis decepti sunt, vel decipi pos- " sunt, congnita sententia, quæ in eos lata est, sani- " tas procuretur.

Ut

(a) Carthagine quidem habitum est, sed Africanum vocari solet ab Augustino in *epist.* 215. *num.* 2. lib. de peccato origin. *cap.* 7. 8. *&* 21.

(b) Heros erat Arelatensis, Lazarus vero Aquensis in Gallia Episcopus: ambo suis pulsi sedibus, cum in Palæstinam venissent, libellum contra Pelagium & Cœlestium Primati dederunt, Eulogio videlicet Cæsareensi, cujus auctoritate Diospolitana Synodus an. 415. celebrata fuit: in litteris, quæ datæ sunt Patribus Carthaginensibus, legebatur libellus Herotis & Lazari adversus Pelagium & Cœlestium confectus.

(c) Jesuita Harduinus in sua Conciliorum editione *tom.* 1. *col.* 2013. legit *Anathematizaverint* & *Anamatizari* contra fidem debitam MSS. Codicibus Gallicanis, qui legunt *Anathemandi*, *Anathemaverint*, *&* *Anathemari*. Vetus hæc est lectio, & sua canitie veneranda: eam elegerunt Doctissimi Benedictini *tom.* 2. operum S. Augustini *col.* 628.

Epistola Carthag. Synodi anno 416. ad Innocentium I. de Pelagiana haeresi a se damnata.

Ut autem huic malo, quod in dies latius serpebat, multosque inficiebat, efficacius obviam iretur, gesta Synodi Innocentio Episcopo Romano intimanda duxerunt: *ut statuit, ajunt, nostrae mediocritatis, etiam Apostolicae Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorumdam etiam perversitate corrigenda.*

Una cum epistola, mittebant litteras Herotis & Lazari, Gallorum Episcoporum, necnon acta Concilii Carthaginensis, anni 412. contra Cœlestium: atque expositis breviter perniciosis Pelagianorum dogmatibus addunt, quod Pelagius & Cœlestius nunc quidem negare videantur, haec a se asseri & sustineri, sed, ajunt multi, qui eorum perhibentur esse vel fuisse discipuli, haec mala, quibus fundamenta christianae fidei conantur evertere, quacumque possunt, affirmare non cessent.

Quapropter hanc addunt damnationis sententiam. *Unde etiamsi Pelagius Cœlestiusque correcti sunt, vel se ista nunquam sensisse dicunt, & quaecumque scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negant, nec est quemadmodum de mendacio convincantur; generaliter tamen quicumque dogmatizat & affirmat humanam sibi ad vitanda peccata & Dei mandata facienda sufficere posse naturam, & eo modo gratiae Dei, quae sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur: & quicumque negat parvulos per Baptismum Christi a perditione celebrari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit.*

De caeteris autem, quae Pelagio Cœlestioque objiciebantur, Pontificis relinquunt arbitrio, ut quidquid, relectis Synodi Diospolitanae actis, judicaverit expedire, ipse statuat.

Epistola Synodi Milevitanae ad eumdem.

Numidianorum Antistitum Synodus, in urbe Milevo (unde Milevitana dicta) congregata, postquam novit a Carthaginensi Synodo, ad Innocentium Papam de haeresi Pelagii & Cœlestii scriptum esse, resolvit quoque suam adjungere Epistolam, quae est 176. inter Augustinianas.

In hac primo exponunt, quam perniciosa, & sacris litteris contraria sit haec haeresis, quae *Orationis* auxilium necessarium ab adultis, & ab infantibus Baptismi absolutam necessitatem auferat; ac deinde Innocentium rogant atque obtestantur, ut si minus Pelagii atque Cœlestii saluti consulere valeret eos a nefariis suis placitis avocando; saltem eosdem condemnando aliis prospiceret.

Episcopi complures hanc Epistolam signarunt, quorum nomina ad sexaginta in ipso epistolae frontispicio recensentur, inter quos & S. Augustinus.

Epistola 5. Episcoporum Africae ad eumdem.

Duabus hisce Epistolis Synodicis adjungebatur tertia familiaris quinque Episcoporum Africanorum, scilicet Aurelii, Alipii, Augustini, Evodii, & Possidii, inter Augustinianas 177. In hac totam Pelagii causam prolixius, & enucleatius proponunt, ostenduntque, & ipsius Innocentii interesse, ut haeresis quae quantocius supprimatur. Mittunt & ei librum Pelagii, & responsionem Augustini ad eumdem.

Responsa Innocentii I. de eadem haeresi a se damnata.

Tres hae epistolae eodem tempore per Julium Episcopum Romam delatae, & Innocentio redditae fuere, iisque per eumdem Julium tribus distinctis Epistolis respondit Innocentius anno 417. eadem die 27. Januarii consignatis.

In his litteris primum laudat eruditionem, zelum, & vigilantiam Africanorum Antistitum; utpote qui non modo Ecclesiarum sibi creditarum curam gererent; sed & alias omnes pia sollicitudine complecterentur.

Utrumque Concilium eo praesertim nomine honorificentissime laudat, quod Apostolicam Sedem consuluissent; cujus non parum extollit dignitatem. Post haec Praesulum Africanorum sententiam probans, Pelagium & Cœlestium Ecclesiae communione segregatos declarat, utpote sancti illius corporis societate, immo omni catholicorum commercio indignos.

Harum litterarum, sententiaeque Innocentii saepe meminit S. Augustinus, ac signanter sermone 131. hoc eodem anno contra Pelagianos ad populum Hipponensem habito. Hic Pelagianorum errore refutato, & exhortatus populum ne eis faveret; tandem concludit. *Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite: jam enim duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam; inde etiam Rescripta venerunt; causa finita est, utinam aliquando finiatur error.*

His congruit quod ad Synodum Milevitanam scripserat Innocentius: *fiant enim necesse est cautiores; cum inventores malorum (Pelagium, & Cœlestium) ad duplicis relationem Synodi sententiae nostrae statutis viderit ab Ecclesiastica communione subjunctos.*

Zosimo Papae obrepit Cœlestius.

Vix litteris hisce in Africa receptis e vivis discessit Innocentius, nimirum 12. Martii an. 417. eique succedit 18. ejusdem mensis Zosimus Papa; Cœlestius, qui mirum in modum audita Africanorum, & Innocentii in eum damnationis sententia perculsus fuerat, nunc morte Innocentii & Zosimi electione intellectis, omni festinatione Romam accurrit, atque Pontifici se sistit, uti in prima Epistola sua Zosimus ipse significat. *Cœlestius, ait, presbyter nostro se ingesit examini, expetens ea, quae de se Apostolicae Sedi aliter quam oportuit essent inculcata, purgari.*

Libellum quoque fidei suae Cœlestius Pontifici obtulit, in quo "cum fidem suam a Trinitate unius Dei-
„ tatis, usque ad Resurrectionem, qualis futura est
„ mortuorum, de quibus eum nullus interrogaverat;
„ & unde illi nulla quaestio movebatur, quantum di-
„ cere libuit explicasset: (ait Augustinus, *tomo 10. lib. de peccato originali cap. 23. vel num. 26.*) " ubi
„ ad id, quod agebatur, ejus sermo pervenit: *Si quae*
„ *vero, inquit, praeter fidem quaestiones natae sunt, de*
„ *quibus esset inter plerosque contentio: non ego, quasi*
„ *auctor alicujus dogmatis definita hoc auctoritate statui;*
„ *sed ea quae de Prophetarum & Apostolorum fonte*
„ *suscepi, vestri Apostolatus offerimus probanda esse ju-*
„ *dicio ut si forte, ut hominibus, quispiam ignorantiae*
„ *error obrepsit, vestra sententia corrigatur.*

Hac ratione suam de gratiae adjutorio mentem exposuit, seu potius occultavit, & dolose texit: atque ita egit, ut si quid hic esset erratum, non crederetur esse errorem contra fidem, sed *praeter* fidem, ut ibidem monet Augustinus.

Quantum autem ad originis peccatum, fatebatur quidem infantes in remissionem peccatorum baptizandos esse culpam tamen generatione transmitti negabat; eamque opinionem, & a Catholica fide abhorrere, & injuria creatorem afficere contendebant, ut loco citato exponit Augustinus.

Adhaec Cœlestius latum in Africa adversus se judicium obscuritatis arguebat; & Paulinum Diaconum Mediolanensem accusatorem suum vocabat ad Apostolicum tribunal; paratumque se contra cujuscumque accusationes, causam tueri praedicabat: quod Zosimi verba in citata Epistola insinuant: *provocat accusantem.*

Haec vafra fidei expositio, necnon humilis in speciem Cœlestii submissio, qua se suaque profitebatur velle subjicere Sedis Apostolicae judicio; paratumque se profitebatur coram ejusdem Sedis Tribunali, accusationes suorum adversariorum diluere, Zosimi, aliorumque Romanorum Clericorum animos pellexerunt.

Causam Cœlestii novo examini subjicit Zosimus.

Itaque resolvit Zosimus, non obstante sententia Conciliorum Africanorum, atque hujus sententiae confirmatorio Innocentii praedecessoris sui decreto, causam hanc novo examini subjicere. Hunc in finem, licet multae occupationes majoribus vinculis Ecclesiasticorum negotiorum, curam ipsius, sollicitudinemque distraherent: posthabitis omnibus, die cognitionis, constituto, consessum habuit in basilica S. Clementis.

In hoc consessu, ad quem praeter Clericos Romanae Ecclesiae, varii quoque Presbyteri, vel Episcopi convenerant, omnia, quae sive in Africa, sive Romae, aut tibi gesta erant, in causa Cœlestii discussa fuere; Cœlestius quoque intromissus, Libellusque ejus quem dederat, recitatus.

Ratus autem Zosimus ejus datum Libellum non debere sufficere ad fidei sinceritatem probandum, variis interrogationibus hominis animum exploravit, num eadem, quae scripto expresserat, in pectore sentiret; de sinceritate responsionum ipsius, Deo, qui mentium arcana solus introspicit, reliquens judicandum: quemadmodum haec in citata ad Africanos Epistola Zosimus ipse exponit.

Africanos acriter perstringit.

In hac autem Epistola, Africanos illos sanctos Episcopos subirato animo, ob praecitatum in Cœlestium judicium, facilemque nimis litteris & accusationibus Herotis & Lazari datam fidem, acriter perstringit; quamvis ipse se magis praecipitem in causa Herotis & Lazari praebuerit; quippe *Sacerdotali loco, & omni communione* absentes, & inauditos privavit, sive Cœlestii criminationibus, sive Patrocli tum Sedem Arelatensem pro Herote occupantis, commotus.

Herotem & Lazarum damnat.

Haec, aliaque, quibus haec Epistola respersa erat, licet non obscure indicarent animum Zosimi in Cœlestium benevolum; nequaquam tamen eum hactenus ab excommunicationis vinculis, quibus innodatus erat, absolvit; sed judicium ad duos menses protraxit; scripsitque Africanis, ac una quidquid in causa actum esset; quidque ad interrogata Cœlestius respondisset, Epistolae annexuit; vultque, ut *intra secundum mensem aut veniant: qui praesentem redarguant, aliter sentire, quam libellis & confessione contexit, aut nihil post haec tam aperta & manifesta, quae protulit, dubii, sanctitas vestra, ait, resedisse cognoscat.*

In Pelagium Cœlestiumque absolvendos propensum se exhibet.

Postquam Zosimus Papa, pro Cœlestio in Africam scripserat, *Epistolam acceperat Hierosolymitani Episcopi Praylii, qui caussae Pelagii enixius adstipulator intervenit*, ut ipse Zosimus scribit epistola secunda ad Africanos, de causa Pelagii, qui & ibidem subjungit: *Litteras quoque suas, idem Pelagius purgationem continentes abundantissime misit, quibus & professionis suae fidem, quid sequeretur, quidve damnaret, sine aliquo fuco, ut cessarent totius interpretationis insidiae, cumulavit.*

In hac fidei professione seu libello, a Pelagio ad Innocentium Papam misso: sed Zosimo tradito, omnia ita artificiose erant addornata, ut nihil nisi orthodoxorum continere videretur: ita tamen, ut sub variis verborum involucris, haeresim suam tegeret, januamque omnibus Pelagianorum erroribus aperiret: utque versipellis haeresiarcha, sibi Pontificem Clerumque Romanum devinceret, hac insigni periodo libellum conclude-

cludebat: *Hæc fides est, Papa beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus; in qua si minus perite, aut parum caute aliquid forte positum est, emendari cupimus a te, qui Petri & fidem & sedem tenes.*

Litteras Pelagii publice lectas fuisse, testatur Zosimus, in citata Epistola: asseritque *omnia quidem paria, & eodem sensu sententiisque formata, quæ Cælestius antea protulerat, continebant.*

Itaque, Pontifice teste, Professio Pelagii & Cœlestii per omnia conveniebant, adeoque, qui unam approbabat, & alteram probabat.

Increpatoriæ Epistolæ Zosimi ad Africanos.

Quantopere autem Zosimo cleroque Romano, Pelagii professio arriserit, Pelagiusque Orthodoxus illi visus sit, sequentia Epistolæ Zosimi ad Africanos verba manifestant: *Utinam ullus vestrum, Dilectissimi fratres, recitatione litterarum interesse potuisset! quod sanctorum virorum, qui aderant, gaudium fuit! quæ admiratio singulorum! vix fletu quidam se & lacrymis temperabant, tales etiam absolutæ fidei, infamari potuisse.*

Post hæc acri admodum stylo, Aurelio & Africanis Episcopis improperat, quod duorum Episcoporum Herotis & Lazari litteris, & Timasii Jacobique testimonio fidem adhibuissent, Pelagiumque inauditum condemnassent. Adhæc stomachabunde magis, quam in prioribus litteris, Herotem & Lazarum proscindit; atque inter alia de Lazaro scribit: quod vetus ei consuetudo sit, innocentiam criminandi. *Per multa Concilia, ait, in sanctum Britium, Coepiscopum nostrum Turonicæ civitatis* diabolicus *accusator inventus est: a Proculo Massiliensi, in Synodo Taurini Oppidi sententiam calumniatoris excepit;* His similibusque in Lazarum conjectis, *de Herote vero inquit, omnia similia.*

Tum Pelagium Cœlestiumque Patribus Africanis ob oculos ponit, *Ecce Pelagius, Cælestiusque, Apostolicæ Sedi in litteris & confessionibus præsto sunt: ubi Heros? ubi Lazarus? erubescenda factis & damnationibus nomina. Ubi illi adolescentes Timasius & Jacobus, qui scripta quædam, ut asserebatur, protulerunt? vos conjicite, si qui talia in Sede Apostolica confitentur: illaque de iisdem a pravis ac levibus auctoribus, ac dubio rumore jactata sunt, oporteat credi.*

Hæc & similia in litteris illis expressa evidenter evincunt, Zosimo a Cœlestio Pelagioque subreptum, atque ab ipso eorum subdolas fidei professiones probatas fuisse, ipsamque condemnationem Cœlestii Pelagiique in Conciliis Africanis decretam, Zosimo displicuisse,

Zosimo subreptum notat Augustinus.

Hujus præventionis, & subreptionis sæpius meminit Augustinus, ac signanter *lib. 6. contra Julianum cap. 12.* ubi respondens Juliano, Zosimum de prævaricatione accusanti, ait Zosimum *non recessisse a suo prædecessore Innocentio, quem,* inquit, *tu nominare timuisti: sed maluisti Zosimum, quia egit primitus lenius cum Cœlestio.* Et *lib. 2.* contra duas epistolas Pelagianorum *cap. 3,* idipsum objicientibus Pelagianis, respondet, Zosimum nullibi hoc dogma expressisse, *sed,* ait, *cum hoc Cœlestius in suo libello posuisset, inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare, & instrui velle confessus est . . . . . voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est; & propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua forte aliter sapit, quam veritas exigit, non ea certissime definire: sed detecta ac demonstrata respuere:* sed cum prævideret Pelagianos circa hoc Zosimi factum, verisimiliter cavillaturos: pro pleniori solutione hoc dedit finale responsum. Sed si, quod absit, ita tunc fuisset de Cœlestio vel Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis & cum ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbanda, & tenenda pronuntiarentur, ex hoc potius esset prævaricationis nota Romanis Clericis inurenda,

Idem notat Marius Mercator.

Similiter & Marius Mercator Augustino coævus, in suo commonitorio testatur, quod Cœlestius ob suam, quam profitebatur apud Sedem Apostolicam submissionem " nonnulla illius sancti Sacerdotis (Zosimi) hu-
" manitate dignus sit habitus: & sic Epistolam quam-
" dam, *benignitatis* plenam ad Afros Episcopos me-
" ruerit, qua ille abusus est: vel adhuc, ait, abuti-
" tur, ad multorum ignorantium deceptionem.

Item Facundus Hermianensis.

Et omnium apertissime Facundus Hermianensis, *lib. 3. cap. 3.* scribens; " Invenient postremo beatum
" quoque Zosimum Apostolicæ Sedis Antistitem, con-
" tra S. Innocentii decessoris sui sententiam, qui pri-
" mus Pelagianam hæresim condemnavit: fidem ipsius
" Pelagii, ejusque complicis Cœlestii, quem in Ec-
" clesia Carthaginensi convictum, atque appellantem
" Apostolicam Sedem, & ipse gestis discusserat, tam-
" quam veram & Catholicam laudantem: insuper
" etiam Africanos culpantem Episcopos, quod ab il-
" lis hæretici crederentur; cum necdum ipsis Africa-
" nis Episcopis, dolos eorum multo manifestius dete-
" gentibus, memoratos Cœlestium & Pelagium puta-
" ret orthodoxos.

Africanorum ad Zosimum obtestatoriæ litteræ.

Africani Antistites, receptis prioribus Zosimi litteris in causa Cœlestii, necnon familiaribus amicorum epistolis, rumoreque publico instructi, de hac Zosimi ac Cleri Romani in Cœlestium propensione, probe intelligebant, quam grave scandalum Ecclesiæ, & fidei catholicæ periculum immineret, si hactenus per Africam, aliasque regiones adversus Cœlestium habitæ Synodi, ipsumque Innocentii Papæ contra eumdem latum judicium, a Zosimo, hæreticorum artibus, & versutia circumvento, in irritum mitterentur.

Itaque admodum solliciti & anxii fuere Africani, qua ratione hisce imminentibus malis occurrerent: & quidem verisimile est, Aurelium Carthaginensem Episcopum, & totius Africæ Primatum, mox a receptis Zosimi litteris, Episcopis locorum minus dissitorum, puta provinciæ Proconsularis, Numidiæ, ac Bizacenæ significandum curasse, ut ad habendam deliberationem de re tanti momenti convenirent.

Immo quia Zosimus in hisce litteris, duos duntaxat menses assignarat, intra quos accusatores Cœlestii se Romæ sisterent: valde probabile est, quod Aurelius mox cum aliquibus Episcopis, qui forte tunc alia de causa Carthagine adessent: aut e vicinioribus locis citius advenissent, litteras dederit ad Zosimum per Basilicum, qui litteras Zosimi attulerat, quibus Zosimum obtestati sunt, eo usque res, quo in statu erant, relinqueret, donec plenius de ejusdem Cœlestii causa, qui primum quidem apud ipsos accusatus fuerat edoceretur.

Hujus *obtestationis*, in prioribus Africanorum litteris factæ, meminit Zosimus in litteris 21. Martii 418. ad Africanos datis. *Noverit vestra fraternitas, nihil nos, post illas, quas superius, vel (in aliquibus additur* nunc) litteras vestras accepimus immutasse, sed in *eodem* cuncta reliquisse *statu*, in quo dudum fuerant, cum hoc nostris litteris, vestræ indicavimus Sanctitati, ut illa, quæ a vobis ad nos missa erat *obtestatio*, remaneret.

Concil. Carth. 214 Episcoporum anno 418.

Accesserunt dein e vicinis Provinciis cæteri Episcopi, e quibus Concilium 214. Episcoporum coaluit: quod verisimiliter anno 417. tempore autumnali celebratum fuit, estque Concilium quod antequam Cælestius a Zosimo damnaretur habitum fuisse testatur Prosper in chronico ad annum 418. his verbis; *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum quatuordecim Episcoporum, ad Papam Zosimum Synodalia Decreta perlata: quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.*

Meminit & hujus Concilii non uno loco Sanctus Augustinus, sub nomine Concilii *Africani*, eo quod in *Africa* quidem celebratum sit a plurium Provinciarum Episcopis, licet non ex omnibus, quo illud ab insequentis anni Concilio generali totius Africæ distinguit: ac signanter epistola 215. num. 2, scribens. *Item quod Papa Zosimo de Africano Concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad totius orbis Episcopos missum: & quod posterioris Concilio* pleniori, &c.

Litteræ hujus Concilii ad Zosimum.

Ex hoc Concilio litteræ rursus scriptæ sunt ad Zosimum Papam, quas per Marcellinum Subdiaconum, uti ipse refert in epistola responsoria de 21. Martii 418. quam & inscribit Aurelio, & cæteris, qui in *Concilio Carthaginensi adfuerunt*, quo evincitur Zosimum non dubitasse litteras, quibus respondet, esse a Concilio datas.

In His Zosimum ita alloquebantur. *Constituimus in Pelagium atque Cœlestium, per venerabilem Episcopum Innocentium de Beatissimi Apostoli Petri Sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur; gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvari: ita ut sine illa, nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Ita Prosper contra collatorem, *cap. 10.*

Annectebant & omnia, quæ in causa Cœlestii & Pelagii apud ipsos acta fuerant: & quæ ad elucidandam doctrinam catholicam, & ad detegendas fallacias & technas Pelagii Cœlestiique conducere judicabant: propterea Zosimus epistolam hanc Africanorum, volumen prolixius sibi visum fuisse non dissimulabat in data responsoria epistola.

Porro Aurelius, cæterique Episcopi, veriti ne vel sic nascens hæc hæresis non sat reprimeretur, censuere convocandum generale totius Africæ Concilium post Pascha celebrandum.

Zosimi Responsoria ad Africanos.

Itaque jam ad Concilii celebrationem convenerant, cum epistola Zosimi Responsoria ad binas Africanorum litteras data Romæ 21. Martii anni 419. Africanis Episcopis reddita fuit 29. Aprilis.

In ea magnificis verbis extollit Sedis suæ dignitatem, & quod de Cœlestii causa cum Africanis communicare placuit, hoc *gratiæ* apponi sibi ab ipsis postulat. *Cum tantum, inquit, nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia: nihil egimus quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus, dantes hoc fraternitati* &c.

Receptis hisce Zosimi litteris, sat intellexerunt Patres Africani, Zosimi animum in Cœlestium & Pelagium non minus propensum esse, quam ex anterioribus ejus litteris intellexerant,

Con-

Concilium itaque ſtatuto die, ſcilicet Kalendis Majis celebrandum cenſuerunt; atque decreta contra Pelagii & Cœleſtii errores eſſe perficienda, & auctoritate generalis Concilii totius Africæ eſſe roboranda.

Concilium hoc Kalendis Majis, anno 418. celebratum in Baſilica Fauſti; atque ex Provinciis Bizacena, Mauritania, Sitifenſi, Tripolitana, Numidia, Mauritania Cæſarienſi, & Hiſpania congregatum, in veteribus exemplaribus prænotatur, & ex illis hac inſcriptione extat apud Labbæum, *tom.* 2. *col.* 1756.

Photius in ſua bibliotheca mentionem faciens hujus Concilii dicit, illi interfuiſſe e variis e provinciis Epiſcopos 224. præter Aurelium Carthaginenſem, & Donatianum.

Huic Concilio adſcribendi 8. vel 9. Canones, qui vulgo Milevitano II. adſcribuntur.

Huic Concilio adſcribendos eſſe octo, aut novem illos Canones adverſus Pelagium & Cœleſtium, qui Concilio Milevitano II. anno 416. habito vulgo adſcribuntur, compertum eſt. Monetque Labbæus in nota marginali ad *Canonem* I. dicti Concilii Milevitani, *tom.* 2. *Concil. col.* 1538. eoſque huic Concilio jampridem adſcripſit Potius loco citato, necnon Codex Africanus, eique conſentiens vetuſtiſſimum Gandavenſe S. Bavonis exemplar, cujus meminerunt Benedictini operum S. Auguſtini Reviſores, in appendice ad tomum X. in Notis *littera C. col.* 106. Similiter & Codex Eccl. Romanæ *cap.* 13. hos Canones illi Concilio tribuit, qui & una cum citato Codice S. Bavonis refert, huic Concilio adfuiſſe e variis Provinciis ducentos tres Epiſcopos, præter Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem, Donatianum Teleptenſem, primæ Sedis Epiſcopum Provinciæ Bizacenæ.

Huic proinde Concilio Carthaginenſi plenario Kalendis Maji habito, debentur hi Canones, non autem Concilio Africano 214. Epiſcoporum, ſuperiore anno celebrato. Hoc tamen admodum veriſimile, quod ea quæ Epiſcopi illi 214. in hoc Africano Concilio adverſus Pelagium & Cæleſtium decreverant, & latius expoſuerant; ac una cum litteris ſuis per Marcellinum Subdiaconum, miſerant ad Zoſimum Papam, materiam his Canonibus ſuppeditaſſe; immo Canones hos non eſſe niſi breve compendium in modum Canonum expreſſum eorum, quæ e ſuperiori Concilio ad Zoſimum deſtinata erant.

Id haud obſcure ſignificat Auguſtinus, *epiſtola* 215. *num.* 2. his verbis. *Item quod Papæ Zoſimo de Africano ſcriptum eſt, ejuſque reſcriptum ad univerſos totius orbis Epiſcopos miſſum, & quod* poſteriori *Concilio plenario totius Africæ contra ipſum errorem breviter conſtituimus.*

Auguſtinum, nomine *poſterioris* & *plenario* totius Africæ Concilii, intelligere Concilium Kalendis Maji habitum, ſatis conſtat.

Ulterius, cum ſpecialiter notet in hoc Concilio Patres Africanos *contra ipſum errorem breviter* conſtituiſſe, non obſcure indicavit ab ipſis ea, quæ fuſius erant in Africano Concilio decreta, ſeu expoſita, atque ad Zoſimum miſſa breviter in formam Canonum redacta & conſtituta.

Neque dicit Zoſimum per ſuum reſcriptum probaſſe, quod *breviter* in hoc plenario totius Africæ Concilio, ipſi conſtituerant, ſed potius id, quod e Concilio Africano miſſum fuerat; in quo tamen & ipſi Canones quoad materiam continebantur: ut proinde & hoc ſenſu dici queat, Zoſimum hos Canones probaſſe, quamvis ſic formati Canones ante ſuum reſcriptum ad univerſos totius orbis Epiſcopos contra errores Pelagii, nondum Zoſimo fuiſſent traditi; immo forſan nec hactenus innotuiſſent.

De his conſtitutis, ſeu expoſitis contra errores Pelagii per Concilium 214. Epiſcoporum, & ad Zoſimum tranſmiſſis; ſed nequaquam in formam Canonum formatis, intelligendum, quod refert Proſper in *Chronico ad annum* 418. *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum quatuordecim Epiſcoporum ad Papam Zoſimum Synodalia Decreta perlata, quibus probatis* (a). *per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt*. Plura de utroque hoc Carthaginenſi Concilio videri poſſunt apud eoſdem Benedictinos, in *Præfatione tom. X. præfixa* §. 14. 15. 16. *&* 17. oſtenduntque Canones hos *plenario* totius Africæ Concilio anni 418. attribuendos, quamvis & fateantur §. 16. Decreta & Conſtitutiones in præcedenti Concilio Africano factas, & quæ poſtea orbis univerſus, Roma, necnon Imperatores Honorius & Arcadius ſunt amplexi, materiam ſuppeditaverint dictis octo, vel novem Canonibus contra Pelagianos. Addi his poſſunt, quæ magna eruditione de iiſdem Conciliis, eorumque geſtis ſcribit Tillemontius in vita S. Auguſtini, cap. 277. 278. & 280. necnon nota 71. & 280. necnon nota 71. & 72. Item Quenellus, in diſſertatione 13. de Conciliis Africanis.

Item 10. aliis Canones contra Donatiſtas.

Præter hos adverſus Pelagianos Canones, editi ſunt in hoc Concilio alii decem Canones præcipue Donatiſtas concernentes, qui in Codice Africano prædictis 8. vel 9. Canonibus ſubjiciuntur.

(a) Hæc Decreta Zoſimo Papa probata fuere an. 418.

§ X.

De Concilio VI. Carthaginenſi habito anno 419.

ARTICULUS I.

Occaſio Concilii.

Apiarius Presbyter in Africa communicatus a ſuo Epiſcopo Urbano, a Zoſimo abſolvitur circa 417.

CIRCA an. 417. contigit, ut quidam Presbyter Eccl. Siccenſis Africanæ, ob depravatiſſimos mores a proprio Epiſc. Urbano, de ſuo gradu dejiceretur, quæ dejectio & in Synodo provinciali poſtea probata fuerat.

Hic autem Presbyter, nuncupatus Apiarius, intelligens ſibi in Africa ſpem exiguam reſtitutionis affulgere; probeque ſciens Epiſcopos Africanos inter & Zoſimum Papam, occaſione Cœleſtii & Pelagii nonnullas diſſentiones intercedere; Romam ad Zoſimum Pontificem confugit; atque a ſententia dejectionis in Africa contra ſe pronuntiata, appellationem inſtituit. Zoſimus autem tunc temporis contra Africanos ob condemnationem Cæleſtii ab ipſis factam, animo nonnihil adverſus, uti §. *præcedenti*, ex ejus ad Africanos litteris oſtendimus, Presbyterum hunc benigne excepit, eumque ab excommunicatione abſolvit, graduique ſuo reſtituit. Neque hic ſubſtitit; ſed inſuper Fauſtinum Epiſcopum Eccleſiæ Potentinæ, cum Philippo & Aſello Presbyteris Eccleſiæ Romanæ, in Africam miſit, ut cauſam Apiarii de integro tractarent, & pro executione ſententiæ opem Præfecti implorarent; ipſumque Urbanum Siccenſis Eccleſiæ Epiſcopum, qui Apiarium e gradu ſuo dejecerat, Romam evocarent, aut niſi ea, quæ Legatis emendanda viderentur, corrigeret, excommunicatione innodarent.

Miſſis Legatis pro Apiario in Africam, Romam evocatur Urbanus.

Hæc eſt illa appellatio, quæ originem dedit celeberrimæ illi de appellationibus controverſiæ, quæ Romanam Africanamque Eccleſiam integro *ſexennio* importune excrevit.

Controverſia inter Zoſimum & Africanos non eſt orta ex appellatione alicujus Epiſcopi ad Rom. Pontificem.

Quod autem hanc controverſiam natam putat Baronius, ad an. 419. partim ex appellationibus aliquorum Epiſcoporum Africanorum ad Zoſimi tribunal, partim ex Apiarii Presbyteri provocatione, contrarium apparet actis, quæ de controverſia ſuperſunt.

De Epiſcoporum quippe appellationibus ad Zoſimum, vel alium Romanum Pontificem delatis, ne apex quidem in actis Africanæ Synodi, vel in Epiſtolis Synodalibus ad Bonifacium & Cœleſtinum Pontifices ſcriptis occurrit. Cum tamen credibile non ſit, quod Africani Antiſtites ſolummodo habuiſſent clericorum curam poſtpoſita propria Epiſcoporum cauſa, ſi de Epiſcoporum appellationibus ſimiliter actum fuiſſet apud Zoſimum.

De uno igitur Apiario actum apparet, atque hujus occaſione Legatio a Zoſimo in Africam deſtinata, quæ oppreſſo Apiario, ut putabat Zoſimus, ſuppetias ferret.

At Zoſimus occaſione negotii hujus Presbyteri, facile de cauſis quoque Epiſcoporum ad ſe trahendis cogitare potuit: tum quod in Sardicenſibus Canonibus, quos præ oculis habebat, cauſæ Epiſcoporum, cauſis inferiorum clericorum connecterentur, tum quod Apiarius Epiſcopos Africanos apud Zoſimum calumniatus, eidem perſuaſerit, ut eorum ſe judiciis immiſceret. Quod haud difficulter ei perſuaſum iri intellexit Apiarius; ut pote qui indubie noverat quas litteras in cauſa Cœleſtii & Pelagii ad Africanos Antiſtites, ſub idem tempus, ſcilicet 21. Mart. an. 418. ſcripſiſſet Zoſimus.

Ex his enim Litteris perſpicuum erat, Zoſimum admodum ſtudioſum eſſe extollendæ Sedis ſuæ auctoritatis; atque cauſas, in Africanis Conciliis deciſas, ad ſuum revocandi tribunal, quemadmodum §. *præcedenti* notatum eſt. Itaque occaſione unius Apiarii Presbyteri, Legatio in Africam per Zoſimum directa eſt; nec alterius appellationis, aut negotii in actis hanc controverſiam concernentibus mentio fit; licet fatendum ſit, quod occaſione hujus cauſæ Legatis datum fuerit in mandatis, ut & de cauſis Epiſcoporum Romam deferendis ad præſcriptum Canonum Sardicenſium tractaretur, uti infra videbitur.

ARTICULUS II.

In quo conventu primum recepti Legati Zoſimi in cauſa Apiarii?

Commonitorium Zoſimi in conventu Africano per Legatos exhibitum anno 418.

FAUSTINUS Epiſcopus, Philippus & Aſellus Presbyteri a Zoſimo in cauſa Apiarii ablegati in Africam veniſſe videntur ſub medium anni 418. eoſque eodem anno in conventu Africano auditos fuiſſe, atque Commonitorium, quod a Zoſimo acceperant, exhibuiſſe; & illud in conventu publice lectum fuiſſe manifeſtum eſt ex actis Concilii generalis totius Africæ, anni ſequentis, quod vulgo *Carthaginenſe VI. vocatur*.

Veriſimiliter ille conventus habitus fuit in Mauritania Cæſarienſi.

Sed cum acta prioris illius conventus interciderint aut ſaltem hactenus reperta non ſint; nec in actis poſterioris Concilii dicatur quo loco, aut a quibus conventus ille ſit habitus, ſat obſcurum eſt, cujus loci conventus ille fuerit.

Veriſimile eſt priorem illam Synodum, in qua primum exceptus fuit Fauſtinus, eiſque Commonitorium recita-

tum, illum ipſum eſſe conventum, quem ex occaſione litterarum Zoſimi habitum eſſe non apud Carthaginem, ſed in Mauritania Cæſarienſi, atque in ipſa civitate Cæſarienſi pluribus locis aſſerit S. Auguſtinus.

In primis *Epiſtola* 190. ad Optatum, ſcribit *num.* 1. „ Quamvis tuæ ſanctitatis nullas ad meipſum datas „ acceperim litteras; tamen quia illæ, quas ad Mau- „ ritaniam Cæſarienſem miſiſti, me apud Cæſaream „ præſente venerunt, *quos nos injuncta nobis a vene-* „ *rabili Papa Zoſimo, Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo, Ec-* „ *cleſiaſtica neceſſitas traxerat.*

Idipſum ſcribit *Epiſtola* 193. ad Marium Mercatorem *n.* 1. „ Cum vero inde (Carthagine) digreſſi ſumus, „ inquit, pervenimus uſque ad Mauritaniam Cæſarien- „ ſem, quo *nos Eccleſiaſtica neceſſitas traxit.*

Auguſtinum autem cum aliis Epiſcopis ibidem conventum habuiſſe, teſtatur Poſſidius in ejus vita *cap.* 14. his verbis: „ In Cæſarienſi Mauritaniæ civitate con- „ ſtitutus venerabilis memoriæ Auguſtinus, quo eum „ venire *cum aliis ejus Coepiſcopis Sedis Apoſtolicæ lit-* „ *teræ compulerant*, ob terminandas videlicet alias Ec- „ cleſiæ neceſſitates.

Hic notandum, non tantum Auguſtinum, ſed & alios Epiſcopos, ob *terminandas quaſdam Eccleſiæ neceſſitates* ad Mauritaniæ Cæſarienſem civitatem, litteris Sedis Apoſtolicæ fuiſſe evocatos.

Auguſtinum ibidem diſputaſſe cum Emerito Donatiſta, eaque occaſione ſcripſiſſe ibidem Librum de geſtis cum Emerito teſtatur ipſe Auguſtinus *lib.* 2. *Retract. cap.* 51. quo vero anno id contigerit, quique Epiſcopi adfuerint, annotavit ipſe in exordio dicti Libri: *Glorioſiſſimis Imperatoribus Honorio duodecimum & Theodoſio octavum Conſulibus; duodecimo Kalendas Octobris Cæſareæ in Eccleſia majori: cum Deuterius Epiſcopus Metropolitanus Cæſarienſis, una cum Alipio Tagaſtenſi, Auguſtino Hipponenſi, Poſſidio Calamenſi, Ruſtico Curteniano, Palladio Tigabitano, & cæteris Epiſcopis in exedram proceſſiſſent,*

Hinc habetur, Auguſtinum, alioſque Epiſcopos Africanos, in Mauritaniæ Ceſarienſem civitatem conveni-re compulſos litteris Zoſimi Papæ, ad *terminandas Eccleſiæ neceſſitates.*

Inſuper habemus, conventum illum habitum ſub idem tempus, ſcilicet vigeſima Septembris 418. quo Lagati Zoſimi in Africam advenerunt.

Adhæc conſtat Auguſtinum Concilio Carthaginenſi Kalendis Maji ejuſdem anni, adverſus Pelagianos interfuiſſe; ibidemque aliquanto tempore, etiam poſt abſolutum Concilium ſubſtitiſſe, propter *ingentia negotia*, quæ ipſum ibidem *occupatiſſimum & intentiſſimum continebant*, uti ipſe loquitur, in citata Epiſtola ad Marium Mercatorem.

Immo ex ordine, quo hunc conventum, & librum de geſtis cum Emerito ea occaſione in Mauritania ſcriptum recitat, *lib.* 2. *Retract.* indicatur eum conventum habitum non fuiſſe, immo nec ipſum in Mauritaniam profectum, priuſquam Pelagiana hæreſis cum ſuis auctoribus a Zoſimo convicta atque damnata eſſet. Dicit enim *c.* 50. quod *poſteaquam Pelagiana hæreſis, cum* „ *ſuis auctoribus ab Epiſcopis Romanæ Eccleſiæ, prius Innocentio, deinde* Zoſimo, *cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris, convicta, atque damnata eſt, ſcripſerit duos Libros adverſus eos, unum* de gratia Chriſti, *alterum* de peccato originali: tum dein capite ſequenti narrat ortam illam *neceſſitatem pergendi in Mauritaniam Cæſarienſem*; una enarrans, quod in ea civitate congreſſus fuerit cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo, librumque de geſtis cum Emerito ſcripſerit.

Hinc ergo colligimus, Auguſtinum non niſi declinante anno 418. in Mauritaniam profectum, quandoquidem demum poſt habitum Concilium Carthaginenſe Kalendis Maii ejuſdem anni Zoſimus contra hæreſim, ejuſque auctores, Tractatoriam ſive Epiſtolam ad omnes Epiſcopos dederit.

Ex his ulterius intelligimus, litteras Sedis Apoſtolicæ ſive Zoſimi, quibus compulſus fuit Auguſtinus in Mauritaniam Cæſarienſem pergerere, ad *terminandas Eccleſiæ neceſſitates*, non ſpectaſſe cauſam, ſeu hæreſim Pelagii, quia hæc una cum ſuis auctoribus a Zoſimo & Africanis Conciliis revicta, & damnata erat.

Cum autem nullum ſciatur eo tempore fuiſſe negotium, quod Eccleſiam Romanam & Africanam tangeret, præter hanc Apiarii cauſam, eamque ita cordi fuiſſe Zoſimo, ut ad eam terminandam, & commonitorii capita juxta mentem Romani Cleri exequenda, tres Legatos in Africam miſerit; haud improbabile eſt, litteras has Zoſimi, pertinuiſſe ad hanc Apiarii cauſam & neceſſitates Eccleſiaſticas, quæ Auguſtinum in Mauritaniam Cæſarienſem pergere compulerunt, ad eam cauſam pertinuiſſe.

Accedit, quod prior illa Synodus, in qua ipſe Fauſtinus in cauſa Apiarii fuit auditus, neceſſario habita fuerit ſub finem anni 418. aut ſaltem initium anni ſequentis, quandoquidem in Synodo generali Carthaginenſi diei 25. Maji ejuſdem anni, mentio fiat iſtius prioris Synodi, ut tum abſolutæ.

Præterea habetur ex actis hujus Synodi Carthaginenſis generalis, huic Synodo interfuiſſe Auguſtinum & Alipium, quos & conſtat conventui Cæſarienſi in Mauritania 20. Septembris anni 418. etiam adfuiſſe.

Vix autem poſſibile eſt, ut intra tempus, quod fluxit a 20. Septembris anni 418. qui conventus Cæſarienſis dies fuit, uſque ad 25. Maji ſequentis, in aliam adhuc Synodum iidem ipſi Epiſcopi coaluiſſent. Præſertim cum liber de geſtis cum Emerito, in Mauritania ab Auguſtino conſcriptus, ſufficienter probet, Auguſtinum ibi non exiguo tempore ſubſtitiſſe.

Hæc ſunt, quibus probari videtur Legatos Zoſimi apud Cæſaream in Mauritania primum ſuſceptos fuiſſe, atque ibi Epiſcopis congregatis commonitorium communicatum; & ad Zoſimum litteras datas fuiſſe. Quidam credunt, Legatos Zoſimi demum ſub finem anni 418. in Africam appuliſſe; eorumque occaſione Aurelium Concilium aliquot Epiſcoporum congregaſſe, qui vel Carthagine inveniebantur, vel viciniores erant; in eoque acta & concluſa fuiſſe, quæ *priori Concilio* attribuuntur, in plenario Concilio habito 25. Maj 419.

Quidquid ſit, nihil de geſtis prioris illius Synodi nobis conſervatum eſt, niſi quod in poſteriore Concilio de eo refertur, quæ hoc §. una cum Epiſtolis ab Africanis ad Bonifacium & Cœleſtinum Epiſcopos Romanos; necnon litteris Epiſcoporum Alexandrini, & Conſtantinopolitani ad Africanos, quæ partem Codicis Africani conſtituunt, referemus, & paucis exponemus, ne ſpectantia particularem Apiarii Presbyteri cauſam, & controverſiam de appellationibus a judiciis Africanis ad Tribunal Eccleſiæ Romanæ, ea occaſione exortam, cum Canonibus diſciplinam Eccleſiaſticam ordinantibus miſcere cogamur.

ARTICULUS III.

Generalis Africæ Synodus 25. Maji 419. & in ea recitata Capita Commonitorii dati Legatis Zoſimi Papæ.

QUæ fuerint Capita Commonitorii dati a Zoſimo ſuis in Africam pro cauſa Apiarii Legatis, habemus partim ex actis poſterioris Synodi Carthaginenſis octavo Kalendas Junias, anno 419. habitæ, partim ex Litteris Africanorum ad Bonifacium Zoſimi ſucceſſorem. Licet enim in ſuperiori Concilio commonitorium Zoſimi eſſet lectum, atque etiam de præcipuis punctis in eo contentis, Litteræ reſponſoriæ ad Zoſimum datæ; quia tamen agebatur de puncto diſciplinæ ſummi momenti, ſcilicet de cauſis Epiſcoporum, Presbyterorum, & inferioris Cleri in Africa judicatis, ad Traſmarinum ſeu Romanum Tribunal pertrahendis; noluerunt pauci Epiſcopi, in eo Conventu, ſeu Concilio congregati, negotium hoc ultimate abſolvere, ſed ad generalem totius Africæ Synodum referendum cenſuerunt: ut ibi non tantum hujus negotii diſcuſſio fieret, ſed & Eccleſiæ Africanæ diſciplina, in anterioribus Synodis expreſſe examinaretur, & confirmaretur; aut etiam mutatis forſan; lapſu temporis, hominum moribus, conditioni Eccleſiæ accommodaretur, atque de illa per ſuos Legatos Zoſimus plene inſtrueretur.

De appellationibus a judiciis Africanorum ad Rom. Pontificem.

Itaque indicta totius Africæ univerſalis Synodus, de qua initio Codicis Africani legitur: *Poſt Conſulatum glorioſiſſimorum Imperatorum Honorii XII. & Theodoſii VIII. Auguſtorum, octavo Kalendas Junias Carthagine in Secretario Baſilicæ Fauſti, cum Aurelius Papa, una cum Valentino primæ Sedis Provinciæ Numidiæ, Fauſtino Eccleſiæ Potentinæ, Provinciæ Italiæ Piceni, Legato Eccleſiæ Romanæ, ſed & Legatis diverſarum Provinciarum Africanarum; id eſt Numidiarum duarum, Bizacenæ, Mauritaniæ Sitifenſis, & Mauritaniæ Cæſarienſis, ſed & Tripolis, & Vincentio Coloſitano vel Culuſitano, Fortunatiano Neapolitano, & cæteris Epiſcopis Provinciæ proconſularis reſidentibus CCXVII. necnon Philippo & Aſello Presbyteris atque Legatis Romanæ Eccleſiæ conſediſſent, adſtantibus Diaconis.*

Poſt hæc refertur in dicto Codice Aurelii Primatis Carthaginenſis, & Synodi Præſidis allocutio ad Patres ibidem congregatos; qui dixit ſupereſſe, *ut tam exemplaria Nicæni Concilii, quæ nunc habemus, & a Patribus conſtituta ſunt; atque etiam hic a deceſſoribus noſtris, eamdem Synodum firmantes, vel quæ ſecundum eam formam per omnes Clericorum gradus, a ſummo uſque ad ultimum ſalubriter ordinata ſunt: in medium proferantur.* Ad hanc Aurelii propoſitionem, *ab univerſo Concilio dictum eſt: proferantur.*

Examinantur exemplaria Nicæni Concilii.

Prolata ſunt petita exemplaria, eaque Notarius Concilii recitare cœpit; at lectionem interrupit, ſtetitque Fauſtinus Zoſimi Legatus, dicens; *injuſta ſunt nobis a Sede Apoſtolica aliqua per ſcripturam, aliqua etiam in mandatis cum veſtra beatitudine tractanda, ſicuti & geſtis ſuperioribus meminimus; hoc eſt de Nicænis Canonibus: ut conſerventur, & conſtituta* (a) *eorum, & conſuetudo; quia & aliqua ordine & Canone tenentur, aliqua*

(a) Apud Labbæum legitur *Conſtitutio.*

qua consuetudine firmata sunt. De his ergo primitus, si placet beatitudini vestræ, tractemus, & postea cætera, quæ acta, vel incboata sunt, inserta firmabuntur, ut & ad sedem venerandam rescriptis vestris intimari possitis, ad quæ nos admonuisse apud venerabilem Papam evidenter clareat, licet & capitula actionum jam inserta sint gestis. De ipsis ergo, ut superius dixi, quid vestræ beatitudini placeat, agere debemus. Veniat ergo commonitorium in medium, ut scire possit vestra beatitudo, quid in eo contineatur, ut ad singula respondeatur.

Recitatur Communitorium Zosimi.

Postulatis Faustini annuit *Aurelius Episcopus, & dixit: proferatur Commonitorium, quod fratres & consacerdotes nostri in actis nuper allegaverunt, & cætera, quæ acta sunt, vel agenda sunt, subsequentur.*

Conformiter ad Aurelii mandatum, *Notarius Concilii recitavit.* " *Commonitorium* fratri Faustino & filii Philippo & Asello Presbyteris, Zosimus Episcopus. Vobis commissa negotia non latent vos, ita ac si nostra, immo quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta peragite, maxime cum & hoc nostrum possitis habere mandatum, & verba Canonum, quæ in pleniorem firmitatem huic commonitorio inseruimus; ita enim dixerunt fratres in Nicæno Concilio, cum de Episcoporum appellatione decernerent.

,, Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius; & de gradu suo dejecerint eum, & appellasse videatur, & confugerit ad beatissimum Ecclesiæ Romanæ Episcopum, & voluerint audiri, & justum putaverit, ut renovetur, examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirunt, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si quis rogat causam suam iterum audiri, & deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyterum mittat; erit in potestate Episcopi quid velit, & quid existimet; & si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes auctoritatem ejus, a quo destinati sunt, erit in ejus arbitrio, si vero crediderit sufficere Episcopos, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit.

Canones Sardicenses in Commonitorio allegati nomine Nicænorum.

Hic primum punctum erat Commonitorii: nimirum de appellatione Episcoporum ad Episcopum Romanum secundum Canones Sardicenses, qui sub nomine Canonum Nicænorum in Commonitorio allegabantur, quorumque executionem & observantiam ut urgerent, in mandatis habebant Legati.

Postquam occasione hujus articuli Commonitorii, plura tum ab Episcopis Concilii, tum a Faustino Zosimi Legato dicta essent (de quibus infra) *Novatus Episcopus, Legatus Mauritaniæ Sitifensis*, dixit, se meminisse hoc Commonitorio etiam de Presbyteris, vel Diaconis contineri, qualiter ab Episcopis suis audiri, vel a finitimis debeant: quod in Concilio Nicæno minime legimus; unde nobis, ait, hoc ipsum jubeat sanctitas vestra recitari.

Ad hanc petitionem, jubente Aurelio, Notarius Synodi recitavit hoc Commonitorii punctum, in hæc verba. " De appellationibus Clericorum, id est minoris loci, est ipsius Synodi certa responsio, de qua re quid acturi sitis, credidimus inserendum quod taliter dictum est.

,, Osius Episcopus dixit, quod me adhuc movet; reticere non debeo. Si Episcopus quis, forte iracundus, quod esse non debet, cito, aut aspere commoveatur adversus Presbyterum, sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem, habeat potestatem ejectus, ut finitimos interpellet, causa ejus audiatur, & diligentius tractetur: quia non oportet negare ei audientiam roganti, & ille Episcopus, qui aut juste, aut injuste eum rejecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut aut probetur ejus, aut emendetur sententia.

Urgent Legati ex Can. Sardicensi appellationes transmarinas.

Rursus, juxta expressionem Canonum Sardicensium, sub nomine Nicænorum allegatorum, formam appellationum Presbyterorum & Diaconorum a sententiis in Africa datis admittendam esse, in mandatis habebant Legati: atque hoc alterum Commonitorii punctum, cujus in actis hujus Synodi Carthaginensis mentio occurrit, & cujus utriusque articuli occasione non exigua inter Romanam & Africanam Ecclesiam concertatio orta fuit, ut mox videbitur.

Duo alia Insuper in eodem Commonitorio contenta expresserunt Episcopi Africani, in suis ad Bonifacium Zosimi successorem litteris; nimirum alterum: *ne ad comitatum Episcopi importune navigent. Alterum de Urbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romæ vocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret.* At de his duobus Commonitorii articulis, nulla apparet oborta difficultas, nihilque in actis Synodi Carthaginensis de iis occurrit, nec quæ circa illos dicta fuerint, scitur. Verisimile est Africanos ultro probasse, ne Episcopi ad comitatum *importune* navigent; scribuntque in litteris ad Bonifacium: " Coepiscopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo corrigendum visum est, sine ulla dubitatione correxit ". Atque ita satisfactum fuisse apparet huic articulo Commonitorii.

ARTICULUS IV.

Quæ occasione Commonitorii a Zosimo dati, in Synodo Africana anni 419. decreta sunt?

Africanorum de Canonis Sardicensis pro Nicæno suppositione suspicio.

Recitato primo articulo Commonitorii, de appellationibus Episcoporum ad Episcopum Romanum, lectoque Canone Sardicensi, interrupit recitationem Alipius Episcopus Ecclesiæ Tagastensis, Legatus Provinciæ Numidiæ, dicens: *de hoc jam superioribus etiam litteris Concilii nostri rescripsimus, & id nos servaturos profitemur, quod in Nicæno Concilio constitutum est.*

Quod Alipius interloquatur, ubi de actis istius Concilii agitur; non autem Aurelius Primas Carthaginensis, & Synodi Carthaginensis Præses, argumentum est pro sententia eorum, qui putant per *Concilium*, cujus hic meminit Alipius, intelligi conventum Episcoporum, habitum 20. Sept. 418. in Mauritania Cæsariensi, uti supra exposuimus: conventui quippe Cæsariensi interfuerat Alipius, non autem Aurelius, uti ex enumeratione Episcoporum istius conventus apud Augustinum, libro *de gestis cum Emerito* videri potest.

Adhæc insinuare videntur allegata Alipii verba, Africanos, priori Concilio, seu conventu, simpliciter rescripsisse Zosimo, se servaturos „ *quod in Nicæno Concilio constitutum est*: quodque nulla tunc de suppositione Canonis Sardicensis pro Nicæno suspicio Africanis Episcopis incidisset; sed demum post maturiorem illius Canonis discussionem, per intervallum utriusque Synodi, & Canonum Nicænorum lectionem, dubium inciderit: quod & Alipii verba subjuncta præcedentibus non obscure insinuant.

Relatis enim, quæ in priori Concilio rescripta erant, subjungit: *adhuc tamen me movet, quomodo cum inspiceremus græca exemplaria hujus Synodi* (Nicænæ) *ista ibi, nescio qua ratione, minime invenimus.*

Oborto autem hoc dubio de Canonibus sub nomine Synodi Nicænæ in Commonitorio allegatis, mox Alipius addit postulationem de consulendis exemplaribus græcis Canonum Nicænorum, quæ in Constantinopolitana, Alexandrina, & Antiochena Ecclesiis servari dicebantur. Dein promissionem, seu professionem de servando, quod in *Concilio Nicæno constitutum est*, in litteris ad Zosimum factam, quasi exponens, restringit ad angustum temporis spatium inquisitioni & collationi dictorum græcorum exemplarium necessarium: *Nos ita*, ait, *ut frater Faustinus attulit, minime invenimus, ita nos tamen paulisper servaturos, ut antea dixi, donec integra exemplaria veniant, profitemur.* Quasi diceret; professi sumus nos servaturos, *quod in Consilio Nicæno statutum est*; sed cum dubium sit, num contenta in Communitorio sint in Concilio Nicæno statuta; illa duntaxat servaturos professi sumus, & profitemur, quoadusque collatione factum cum integris Nicænorum Canonum exemplaribus ex Orientalibus Ecclesiis requirendis de veritate horum Canonum constiterit.

Quandoquidem Alipius requiri velit ex Orientalibus Ecclesiis *integra* Synodi Nicænæ exemplaria, facile intelligitur, quod dicentibus Africanis Canones adductos inter Nicænos haud repertos, Legati Zosimi reposuerint exemplaria Africanorum non esse integra, quod tamen non ita persuadere potuerunt, quin ipsis Africanis de veritate Canonum inhæserit dubium.

Litteræ Africanorum ad Bonifacium Zosimi successorem de servando statuto, donec penitius in statuta Nicæna inquirerent.

Nec tantum Alipius, sed ipsa Synodus Carthaginensis professionem de servando, quod *in Concilio Nicæno constitutum est*, in litteris ad Zosimum per priorem Synodum, promissum ad dictum intervallum restrinxit; idque & in Epistola ad Bonifacium, qui Zosimo sub initium an. 419. successerat, notificavit: *jam superiore anno*, ait Synodus, *etiam litteris nostris ad eumdem venerabilis memoriæ Zosimum datis, insinuare curavimus ut ea servare, sine ulla ejus injuria paulisper sineremus, usque ad inquisitionem statutorum Concilii Nicæni.*

Hæc Epistola ab Aurelio, probante Synodo, missa fuit. Legitur enim in actis, quod post recitata, quæ priore Synodo acta erant, aliisque ab Episcopis, qui illi Synodo adstiterant, expositis, Aurelius ad Synodum dixerit: *præter ista, quæ* (a) *præmisimus actis, necesse est etiam, ut nostræ parvitatis litteris, sancto fratri, & consacerdoti nostro Bonifacio, singula, quæ tractamus, plenissime insinuemus; ergo si omnibus placet prosecutio nostra, ore omnium condiscamus. Universum Concilium dixit: Placet.*

Itaque sententia finalis hujus Carthaginensis Concilii super articulo Commonitorii, de appellationibus Episcoporum ad Romanum Episcopum, ex dicta Epistola ad Bonifacium desumenda est.

Neque enim post jam relatam Concilii resolutionem ad propositionem Aurelii, quidquam in actis Concilii, quod

(a) In Conciliorum editione, quam Pater Harduinus dedit, legitur *to. I. col.* 1243. *nu.* 5. *promisimus*; Sed mendum profecto est.

quod articulum illum attinet, reperietur, ut proinde ſat manifeſtum ſit, Patres Africanos non detuliſſe appellationibus Epiſcoporum, niſi uſque ad inquiſitionem ſtatutorum Concilii Nicæni, quod & infra latius probabitur.

ARTICULUS V.

Quid circa articulum Commonitorii de appellationibus inferiorum Clericorum ad judicia tranſmarina ab Africanis reſolutum ſit?

Presbyterorum ad tranſmarina judicia appellationem non ſunt paſſi Africani.

CAPTA reſolutione ſuper primo Commonitorii articulo de appellationibus Epiſcoporum ad Epiſcopum Romanum, Novatus Epiſcopus Legatus Mauritaniæ Sitifenſis dixit: *nunc meminimus hoc Commonitorio, etiam de Presbyteris vel Diaconibus contineri, qualiter audiri ab Epiſcopis ſuis, vel a finitimis debeant, quod in Nicæno Concilio minime legimus; unde hoc ipſum jubeat ſanctitas veſtra recitari.*

Huic poſtulato annuente Aurelio, *Daniel notarius* de Commonitorio hæc *recitavit. De appellationibus autem Clericorum, id eſt minoris loci, eſt ipſius Synodi certa reſponſio, de qua re quid acturi ſitis, credimus inſerendum, quod taliter dictum eſt.*

Oſius Epiſcopus dixit: quid me adhuc movet, reticere non debeo, ſi Epiſcopus, qui forte iracundus, quod eſſe non debet, cito, aut aſpere commoveatur adverſus Presbyterum, ſive Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſia voluerit, providendum eſt, ne innocens damnetur, aut perdat communionem; habeat poteſtatem ejectus, ut finitimos interpellet, ut cauſa ejus audiatur, & diligentius tractetur, quia non oportet negare ei audientiam roganti; & ille Epiſcopus, qui aut juſte, aut injuſte eum rejecit, patienter accipiat, ut negotium diſcutiatur, ut aut probetur, aut emendetur ſententia, &c.

Hic rurſus Canon Sardicenſis attribuitur Synodo Nicænæ.

Cumque hæc *recitarentur: Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Hipponenſis Provinciæ Numidiæ, dixit; & hoc nos ſervaturos profitemur, ſalva diligentiore inquiſitione Concilii Nicæni.*

Dein propoſuit Aurelius, *ſi hoc* (ſcilicet quod Auguſtinus dixerat) *etiam omnium veſtræ charitati placet, reſponſione firmate. Univerſum Concilium dixit; omnia, quæ in Concilio Nicæno ſtatuta ſunt, nobis omnibus placent.*

Huic reſponſo ſpecialiter adſtipulatus eſt Jocundus Epiſcopus Eccleſiæ Siſſitulæ (vel *Suffetulæ*) Legatus Provinciæ Bizacenæ, dicens: *quod ſtatutum eſt in Nicæno Concilio, violari a quoquam nullatenus poteſt.*

Hic notari meretur, quod Concilium non probaverit ſimpliciter dictum Auguſtini, ſed duntaxat reſolverit, *omnia, quæ in Concilio Nicæno ſtatuta ſunt, omnibus placere.*

Videbat quippe Concilium, quod Romani prætenderent per ſuum *Commonitorium*, etiam cauſas Presbyterorum & inferioris Cleri, ad traſmarinum, ſive Romanum judicium, via appellationis trahere; interpretantes ſcilicet Canonem Sardicenſem, quaſi per *finitimos* Epiſcopos, ipſe etiam Romanus intelligeretur; cum tamen ſat clarum ſit & Africanis ita appareret; per *finitimos* intelligi *vicinarum* Provinciarum Epiſcopos.

Itaque Concilium noluit, nequidem per *interim* uſque ad diligentiorem Nicænorum Canonum inquiſitionem, appellationes Presbyterorum, & inferiorum Clericorum ad judicia tranſmarina, contra notoriam, & ſæpius renovatam Eccleſiæ Africanæ diſciplinam admittere. Omnia, *quæ in Nicæno Concilio ſtatuta ſunt*, facile Africani admittebant: quia etiam illud, quod in Canone Sardicenſi, ſub nomine Nicæni proferebatur, de appellationibus Presbyterorum, non apparebat contrarium diſciplinæ Africanæ, modo verba in alienum ſenſum non detorquerentur: ſed per *finitimos Epiſcopos* intelligerentur, qui in Provinciis finitimis eſſent, uti ipſe naturalis & obvius verborum illorum ſenſus depoſcit.

Hinc & Africani, in Epiſtola ad Bonifacium, hunc articulum Commonitorii, non ad ſenſum Romanorum, ſed juxta naturalem Canonis allegati ſenſum referunt; atque eatenus Canonum ſub nomine Nicæni Concilii ſe obſervaturos ad Zoſimum ſcriptum eſſe dicunt. Verba eorum ſunt: *quorum omnium, de primo & tertio, id eſt ut Romam liceat Epiſcopis provocare, & ut Clericorum cauſæ apud ſuarum Provinciarum Epiſcopos finiantur, jam in priore anno, etiam litteris noſtris, ad eumdem venerabilis memoriæ Zoſimum Epiſcopum datis, inſinuare curavimus, ut ea ſervare ſine ulla ejus injuria pauliſper ſineremus, uſque ad inquiſitionem ſtatutorum Concilii Nicæni.*

Nihil ergo circa hoc Commonitorii punctum ſe *aliquantiſper* ſervaturos uſque ad inquiſitionem ſtatutorum Concilii Nicæni addixerunt, niſi ut Clericorum cauſæ *apud ſuarum Provinciarum Epiſcopos finiantur*: ſive ut Presbyteri, aut alii inferiores ad finitimos ſuarum Provinciarum Epiſcopos provocare queant, ſi ſe ab Epiſcopo ſuo injuria affectos, & injuſte damnatos putarent,

ARTICULUS VI.

De reſolutione Africanorum requirendi exemplaria Nicænorum Canonum ab Eccleſiis Orientalibus.

De accerſendis exemplaribus Nicænis ex Orientalibus Eccleſiis.

LEGITUR in actis Synodi Carthaginenſis anni 419. octavo Kalendas Junias, quod recitato primo articulo Commonitorii, ſeu inſtructionum Legatorum Zoſimi, qui erat de appellationibus Epiſcoporum, & lecto Canone Sardicenſi, ſub nomine Nicæni allegato, Alipius Epiſcopus, de veritate Canonis citati dubium moverit, eo quod inſpectis græcis exemplaribus hujus Nicænæ Synodi, citatum Canonem ibi minime invenerit. Ut autem prius de veritate conſtare poſſet, petiit ab Aurelio, *ut quia hoc authenticum Concilium Nicænum in urbe dicitur eſſe Conſtantinopolitana, aliquos cum ſcriptis tuæ ſanctitatis mittere digneris; & non ſolum ad ipſum ſanctum fratrem noſtrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ſed etiam ad Alexandrinum; & Antiochenum venerabiles ſacerdotes, qui hoc nobis Concilium, ſub adſtipulationem litterarum ſuarum dirigant, ut communis poſtmodum ambiguitas auferatur, quia nos ita, ut frater Fauſtinus attulit, minime invenimus iſta.*

Ulterius petiit; quod *petendus eſt etiam venerabilis Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus Bonifacius, ut ipſe quoque dignetur ad memoratas Eccleſias aliquos mittere, qui eadem exemplaria debeant ſecundum ejus ſcripta perferre.*

Interlocutio Fauſtini, ut hujus quæſtionis deciſio permittatur judicio Romani Pontificis.

Fauſtino Sedis Apoſtolicæ Legato, ſatis moleſta fuit hæc Patrum de Canonibus e Commonitorio recitatis dubitatio, totamque controverſiam ad hunc limitem reducere ſtuduit, ut ſcribentibus Africanis ad Bonifacium & Bonifacio reſcribente, tota demum hæc quæſtio ex unius Pontificis arbitrio finiretur, quodque illi placeret de appellationibus, vel ſuper dubio de Canonibus decernere, hoc pro lege Africana Eccleſia haberet. Verba Fauſtini erant: *Nec veſtra Sanctitas præjudicat Eccleſiæ Romanæ, ſive de hoc capitulo, ſive de aliis, quia dicere dignatus eſt frater noſter & Coepiſcopus Alipius, dubios eſſe Canones; ſed hæc ipſa ad ſanctum & beatiſſimum Papam noſtrum ſcribere dignemini, ut & ipſe integros Canones inquirens, cum veſtra ſanctitate de omnibus conſtitutis tractare poſſit. Sufficit autem, ut ipſe beatiſſimus Epiſcopus urbis Romæ, ſicut & veſtra ſanctitas apud ſe tractat, ita & ipſe inquirat, ne contentio inter Eccleſias naſci videatur: ſed magis charitate fraterna deliberare poſſitis, ipſo reſcribente, quod melius obſervari debeat.*

Aurelius, cæterique Patres, hac Fuſtini interlocutione quaſi neglecta, ad alterum Commonitorii articulum, de cauſis Presbyterorum, & inferioris Cleri, qualiter tractandæ, perrexerunt.

Per *finitimos Epiſcopos*, in Canone non intelligunt Africani Romanos.

Porro recitato hoc Commonitorii articulo, Auguſtinus confiſus in Canone Sardicenſi per *finitimos Epiſcopos* non alios a Romanis Legatis intelligi, quam ſingularum Provinciarum Epiſcopos (qui genuinus eſt Canonis ſenſus, ut ſupra notavimus) ſecure ac ſine reſtrictione dixerat: *& hoc nos ſervaturos profitemur, ſalva diligentiore inquiſitione Concilii Nicæni*: at ipſum Concilium ſimpliciter reſpondit, *omnia, quæ in Nicæno Concilio ſtatuta ſunt, nobis omnibus placent;* Cui ſpeciali reſponſo adſtipulabatur Jucundus Provinciæ Bizacenæ Legatus, uti ſupra vidimus.

Fauſtinus inſiſtit priori ſuæ ſuggeſtioni.

Verum diſplicuit Fauſtino Sedis Apoſtolicæ Legato hæc continua Concilii Nicæni commendatio. Cum enim videret omnia ex Synodo Nicæna pendere, atque huic mire Africanos aſſenſum polliceri; ipſoſque Canones in Commonitorio, ſub nomine Nicænorum conſignatos, in dubium revocari; de ſucceſſu Legationis, quæ potiſſimum appellationes Presbyterorum ſpectabat, anxius, negotium rurſum ad Pontificem trahere conatur; ita ut relicta Canonum Nicænorum diligentiore inquiſitione, ex unius Pontificis arbitrio decerneretur, utrum Presbyteris appellandi ad finitimos Epiſcopos ad ſenſum Legati Romani poteſtas danda eſſet, an non, etiamſi Nicænis in Canonibus decretum non eſſet; modo aliquibus probatis Canonibus ſancitum inveniretur.

His apparet genuinus ſenſus verborum Fauſtini, quæ verbis Jocundi Epiſcopi ſubjecit. *Adhuc ſecundum profeſſionem ſanctitatis veſtræ tam ſancti Alipii, quam etiam fratris noſtri Jocundi, aliqua infirmari credo, aliqua firmari, quod non debeat, cum jam in dubium ipſi Canones venerint; ergo, ut placet & nobis, & Beatitudini veſtræ, ad ſanctum & venerabilem Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum veſtra ſanctitas referre dignetur, ut & ipſe, quod ſanctus Auguſtinus ſtatuere dignatus eſt, deliberare poſſit, utrumnam & hoc concedendum ſit, an retinendum; hoc eſt de appellatione inferioris gradus; ſi ergo adhuc in dubium venit & de hoc Capitulo; juſtum eſt, ut beatiſſimæ Sedis Epiſcopus informari debeat, ſi tamen approbatis Canonibus hoc inveniri poſſit.*

Reſolvitur, accerſenda authentica exemplaria.

Hæc negligens Aurelius, alia Concilii Patribus reſolvenda propoſuit, qui inter alia, quod ante dictum fuerat, iterum renovarunt: *Ut venerabilibus viris Antiochenæ & Alexandrinæ, ſed & Conſtantinopolitanæ Eccleſiarum Epiſcopis ſcribere veſtra Beatitudo dignetur, ut exemplaria veriſſima Concilii Nicæni, ſub adſtipulatione Litterarum ſuarum dirigant; quo, declarata veri-*

rita-

ritate, ea Capitula, quæ in Commonitorio præsens frater, & Coepiscopus noster Faustinus, sed & compresbyteri Philippus & Asellus, secum attulerunt, aut ibidem reperta, a Nobis firmabuntur, aut si non inveniantur, collecta Synodo, de hoc in sequenti tractabimus.

De rogando Bonifacio, ut & ipse exemplaria authentica petat ab Orientalibus.

Hanc de requirendis authenticis exemplaribus Nicæni Concilii resolutionem intimarunt quoque litteris scriptis Bonifacio; quia *quamquam*, inquiunt, *plurimos Codices legerimus; sed nusquam in Nicæno Concilio, in Latinis Codicibus legimus, quemadmodum in supra dicto Commonitorio inde directa sunt; tum quia hic in nullo Codice græco potuimus invenire ex Orientalibus Ecclesiis, ubi perhibentur eadem decreta posse etiam authentica reperiri, magis nobis desideramus afferri.*

Post hæc, & ipsum Pontificem enixe rogant, ut ipse quoque dictis Orientalibus Ecclesiis scribere dignetur: *Et si aliis*, inquiunt, *tuæ placuerit sanctitati, ut inde ad nos iidem Canones apud Nicæam civitatem a Patribus constituti veniant, te potissimum hoc beneficium cunctis Occidentalibus Ecclesiis in Domini adjutorio conferente.*

Rationem, ob quam tam ardenter petant ad Orientales scribi, & exemplaria Nicæni Concilii ab aliis exposci, subjungunt: *Quis enim dubitet exemplaria esse verissima Concilii Nicæni in Græcia congregati, quæ de tam diversis locis, & de nobilibus Græcis Ecclesiis allata & comparata concordant.*

Per Bonifacium Pontificem scriptum fuisse ad Orientales Ecclesias, aut alio modo requisita fuisse authentica Concilii Nicæni exemplaria, non legitur; sed Africanos ad Orientales Ecclesias litteras dedisse per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, atque per eosdem authentica illius Concilii exemplaria, cum litteris Cyrilli Alexandrini, & Attici Constantinopolitani Episcopi, in Africam allata fuisse constat; de quo infra latius, ubi prius de Epistola Africanorum ad Bonifacium egerimus.

ARTICULUS VII.

De Epistola Africanorum ad Bonifacium Papam.

De Epistola Africanorum ad Bonifacium, ut & ipse petat authentica exemplaria ab Orientalibus.

Ut notitia & occasio hujus Epistolæ exactior habeatur, præmittendum, Synodum Carthaginensem generalem totius Africæ inchoatam fuisse 25 Maji anno 419. eamque inchoandam censuisse Aurelium a relectione Canonum Nicænorum, ac deinde recensenda omnia decreta, quæ in Synodis Africanis, post Nicænam Synodum constituta erant.

Porro Notario Concilii, recitationem inchoante, sermonem illico interrumpit Faustinus Sedis Apostolicæ Legatus, postulans prius, de appellationibus Episcoporum, & inferiorum Clericorum, in Commonitorio Zosimi contentis, tractari. Hæc dum importunius urget Faustinus, vicissim ab Aurelio illico abruptus sermo, rogatique Patres, ut Nicænorum & Africanorum Canonum lectionem, sub initium Synodi jam delibatam, absolvi paterentur. Postulatis annuit Synodus, relictaque Faustini petitione, Canonum lectionem ordine proposito absolvendam imperavit.

Huic Canonum recitationi, & renovationi, impensi dies aliquot; atque relectione absoluta, nova rursus sessio Synodi celebrata fuit 3. Kalendas Junias, sive 29. Maji, in qua 22. Episcopi cum Aurelio, qui a Synodo delecti judices fuerant, nominantur; plerisque vero Episcopis conquerentibus, se ad finem Synodi, omniaque peracta sustinere non posse, & ad proprias Ecclesias festinantibus, *placuit universo Concilio, ut ab omnibus eligerentur de singulis quibusque Provinciis, qui propter alia peragenda residerent; & factum est ut hi adessent, quorum subscriptiones eos affuisse testantur: & hi viginti quatuor numerantur.*

In hac Sessione, post conditos sex Canones, *Aurelius Episcopus dixit: juxta statuta totius Concilii congregati, & meæ mediocritatis sententiam, placet facere rerum omnium conclusionem; Universi tituli* (id est Canones) *designati, & digesti hujus diei tractatu, Ecclesiastica gesta suscipiant.* Ita legitur in Codice Africano n. 133. vel ut clarioribus terminis exprimunt Græci: *Præsentis diei constitutionis tractatum acta Ecclesiastica suscipiant.*

Cum autem adhuc quædam pertractanda essent, de eis subjungitur: *quæ vero adhuc expressa* (sive Gr. *pertractata*) *non sunt, die sequenti, per fratres nostros, Faustinum Episcopum, Philippum & Asellum Presbyteros, venerabili fratri, & Coepiscopo nostro Bonifacio rescribemus.*

Hinc colligitur, post finitam Synodum litteras ad Bonifacium de actis in Synodo datas esse per Legatos a Zosimo ejus decessore in Africam missos, Romam deferendas. Ulterius in his litteris comprehendi, quidquid finaliter in causa Apiarii & *Commonitorii* per Synodum resolutum esset, etiam aliqua, quæ in actis, seu gestis Synodi inserta non fuerunt, utpote quæ (ut ait Aurelius) *adhuc expressa*, sive *pertracta* non erant.

Itaque potius ex hac Epistola, quam ex actis Synodalibus, sub initium Synodi confectis, finalis & absoluta, veraque Synodalis resolutio petenda est.

Eam proinde integram exhibemus, prout jacet in Codice Africano sub *n.* 134. sub hac Epigraphe.

Incipit Epistola ab omni Concilio Africano, ad Bonifacium Urbis Romæ Episcopum, per Faustinum Episcopum, Philippum & Asellum Presbyteros Legatos Ecclesiæ Romanæ, directa.

Epistola Concilii ad Bonifacium Papam, quæ constituit Canonem CXXXIV.

„ Domino beatissimo, & honorabili fratri Bonifacio, Aurelius, Valentinus primæ Sedis Provinciæ Numidiæ, & cæteri, qui præsentes adfuimus num. CCXVII. ex omni Concilio Africæ. Quoniam Domino placuit, ut de his, quæ nobiscum egerunt sancti fratres nostri, Coepiscopus Faustinus, & compresbyteri Philippus & Asellus, non beatæ memoriæ Episcopo Zosimo, a quo ad nos mandata & litteras attulerunt, sed tuæ Venerationi, qui in ejus locum es divinitus constitutus, humilitas nostra rescriberet, ea breviter insinuare debemus, quæ utrumque concordia terminata sunt, nec ea, quæ prolixis gestorum voluminibus continentur, in quibus, salva quidem charitate, non tamen sine parvo altercationis labore demorati sumus, ea gestis deliberantes, quæ nunc ad causam pertinent. Quamquam & ille, si adhuc esset in corpore, hoc acciperet gratius; quod videret pacatius terminatum, Domine frater. Apiarius Presbyter, de cujus & ordinatione, & excommunicatione, & provocatione exortum, non solum Siccensi, verum etiam totius Africanæ Ecclesiæ, non leve scandalum, de omnibus erratis suis veniam petens communioni est restitutus. Prior autem Coepiscopus noster Siccensis, Urbanus, quod in eo corrigendum visum est, sine ulla dubitatione correxit: quia vero paci & quieti Ecclesiæ, non tantum ad præsens, sed etiam in posterum prospiciendum fuit; quoniam talia multa præcesserant, ut vel similia vel etiam graviora deinceps præcaveri oporteret; placuit nobis, ut de Siccensi Ecclesia, retento scilicet honore gradus sui, Presbyter removeretur Apiarius, & accepto Epistolio, ubicumque alibi vellet & posset, Presbyterii munere fungeretur. Quod eidem ipsi per litteras proprias postulanti sine difficultate concessimus. Sane priusquam hæc causa isto termino clauderetur, inter alia, quæ diuturnis disceptationibus versabamus, quia ratio ipsa poscebat, ut apud acta Ecclesiastica, a fratribus nostris Faustino Coepiscopo, & Philippo & Asello compresbyteris quæreremus, ut promerent quidquid eis nobiscum agendum fuisset injunctum; nonnulla quidem sine ullo scripto, prosecuti sunt verbis, sed cum id potius flagitaremus, quod in litteris ferrent, Commonitorium protulerunt, quod recitatum nobis, etiam gestis, quæ secum ad vos deferunt, est allegatum, in quo eis quatuor quædam nobiscum agenda mandata sunt: unum de appellationibus Episcoporum ad Rom. Eccl. Sacerdotem; alterum, ne ad Comitatum Episcopi importune navigent; tertium, de tractandis Presbyterorum & Diaconorum causis apud finitimos Episcopos, si a suis excommunicati perperam fuerint: quartum de Urbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam vocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret. Quorum omnium, de primo & tertio id est ut Romam liceat Episcopis provocare, & ut Clericorum causæ apud suarum Provinciarum Episcopos finiantur, jam priore anno etiam litteris nostris ad eumdem venerabilis memoriæ Zosimum Episcopum datis insinuare curavimus, ut ea servare, sine ulla ejus injuria paulisper sineremus, usque ad inquisitionem statutorum Concilii Nicæni; & nunc de tua poscimus sanctitate, ut quemadmodum ea apud Nicæam a Patribus acta vel constituta sunt, sic ea a nobis facta custodiri, & ibi apud vos ista, quæ in Commonitorio attulerunt, facias exerceri, id est, *si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi Regionis ipsius, & de gradu suo dejecerint eum, & appellasse videatur, & confugerit ad Beatissimum Eccl. Rom. Episcopum, & voluerit audiri, & justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episc. dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiat. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episc. Rom., ut e latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate quod velit, & quod æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes auctoritatem ejus, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit sufficere Episcopos, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit. Item de Presbyteris & Diaconis. Si Episcopus quis iracundus, quod esse non debet, cito, aut aspere commoveatur adversus Presbyterum, sive Diaconum suum, & exterminare eum de Eccl. voluerit: providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem; habeat potestatem ejectus, ut finitimos interpellet, & causa ejus audiatur, & diligentius tractetur, quia non oportet & negari audientiam roganti; & ille Episcopus, qui aut juste, aut injuste rejecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur; ut aut probetur ejus, aut emendetur sententia.* Hæc utique usque ad adventum verissimorum exemplariorum Nicæni Concilii inserta gestis sunt, quæ sibi „ quemadmodum ipso, quod apud nos

fra-

„ fratres ex Apostolica Sede directi allegaverunt, Commonitorio continentur. Eoque ordine vel apud vos in Italia custodirentur, *nullo modo nos talia*, qualia commemorata jam nolumus, vel tolerare cogemur; sed credimus, adjuvante misericordia Domini Dei nostri, quod tua sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente, non sumus jam istum typhum passuri, & servabuntur erga nos, quæ nobis etiam non dissentibus, custodiri debeant, cum fraterna charitate, quæ secundum sapientiam atque justitiam, quam tibi donavit altissimus, etiam ipse perspicis esse servanda, si forte aliter se habent Canones Concilii Nicæni, quamvis plurimos Codices legeremus; sed nusquam in Nicæno Concilio, in Latinis Codicibus legimus quemadmodum in supra dicto Commonitorio, inde directa sunt. Tum quia hic in nullo Codice Græco ea potuimus invenire, ex Orientalibus Ecclesiis, ubi perhibentur eadem decreta posse etiam authentica reperiri, magis nobis desideramus afferri. Pro qua re, tuam quoque venerationem obsecramus, ut scribere etiam ipse digneris ad illarum partium Sacerdotes, hoc est Ecclesiæ Antiochenæ, Alexandrinæ, & Constantinopolitanæ. Et si aliis etiam tuæ placuerit sanctitati, ut inde ad nos iidem Canones apud Nicænam civitatem a Patribus constituti veniant: te potissimum hoc beneficium cunctis Occidentalibus Ecclesiis in Domini adjutorio conferente. Quis enim dubitet exemplaria esse verissima Concilii Nicænii in Græcia congregati, qui de tam diversis locis & de nobilibus Græcis Ecclesiis allata & comparata, concordant? Quod donec fiat, hæc quæ in Commonitorio supra dicto nobis allegata sunt, de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem, & de Clericorum causis apud suarum Provinciarum Episcopos terminandis, nos usque ad probationem servaturos esse profitemur, & Beatitudinem tuam ad hoc nos adjuturam, in Dei voluntate confidimus; cætera vero, quæ in nostra Synodo gesta vel firmata sunt, quoniam supra dicti fratres nostri, Faustinus Coepiscopus, Philippus & Asellus Presbyteri secum ferunt, si dignatus fueris, tuæ nota facient sanctitati. Et alia manu: Dominus noster te nobis annis plurimis custodiat beatissime frater. Subscripserant quoque Alipius, Augustinus, Possidius, Marinus, & cæteri Episcopi.

Ex hac Epistola illud quoque constat, causam Apiarii per Patres Africanos fuisse in Africa terminatam, priusque ad Bonifacium scriberetur; idque non obstante appellatione Apiarii ad Zosimum Papam interposita: ut inde appareat, nec ad tempus quidem ab Africanis admissam esse articulum Commonitorii, de appellationibus Presbyterorum ad sensum, quem Canoni Sardicensi dare voluerant Romani, ut supra dictum est *num.* 5.

ARTICULUS VIII.

Litteræ Episcoporum Constantinopolitanæ & Alexandrinæ Ecclesiæ, cum exemplaribus Canonum Nicænorum ad Africanos.

Legati Africanorum Nicæna exemplaria Alexandrina, & Constantinopoli adferunt.

POST absolutam Synodum generalem Carthaginensem sub finem mensis Maji, mox ad Episcopos Ecclesiæ Alexandrinæ & Constantinopolitanæ, missi fuere, Innocentius Presbyter, & Marcellus Subdiaconus, ut ex illis Ecclesiis exemplaria authentica Nicæni Concilii referrent, quo certa notitia haberi posset, num Canones a Zosimo in Commotorio expressi, essent genuini illius Concilii fœtus. Legati, hi qui iter suum festinabant, jam mense Novembri ex sua Legatione cum authenticis exemplaribus statutorum Concilii Nicæni, una cum litteris Cyrilli Alexandrini, & Attici Constantinopolitani Episcoporum reversi erant in Africam, quandoquidem litteræ hæ, una cum exemplaribus sexto Kalendas Decembris ejusdem anni directæ fuerint Bonifacio Papæ, ut infra dicetur. Scribit in litteris suis Cyrillus Alexandrinus; Quod *per Innocentium Presbyterum fidelissima exemplaria ex authentica Synodo in Nicæna civitate Bithyniæ habita, ipsis* dirigat.

At Atticus in suis ait: *per filium meum Marcellum Subdiaconum vestrum, nimium festinantem, sicut statuti sunt in Nicæna civitate a Patribus Canones, in integro, ut jussistis, direxi*,

Litteræ hæ in Codice Africano conficiunt numerum 135. & 136. quas hic integras repræsentamus, utpote ad Synodi generalis Carthaginensis, & controversiæ in illa discussæ, notitiam conducentes, & partem Codicis Africani conficientes.

Epistola Cyrilli Alexandrini ad Africanos, quæ efficit Canonem CXXXV.

Epistola Cyrilli Alexandrini Episcopi ad Africanos, qui exemplaria authentica Synodi Nicænæ postulaverant.

DOminis honorabilibus sanctis fratribus Coepiscopis Aurelio, Valentino, sed & omni sanctæ congregationi in Carthaginensi Synodo congregatæ, Cyrillus salutans in Deo charitatem vestram. Scripta venerationis vestræ multam habentia querimoniam; cum omni lætitia per filium nostrum Innocentium Presbyterum suscepi, quibus a nobis speratis, ut de scrinio nostræ Ecclesiæ verissima exemplaria, ex authentica Synodo apud Nicæam civitatem, Metropolim Bithyniæ a sanctis Patribus constituta, atque firmata, sub nostræ fidei professione, vestræ dilectioni porrigamus. Unde Domini honorabiles fratres salute præeunte, Domino, necesse habui per harum latorem filium nostrum Innocentium Presbyterum fidelissima exemplaria ex authentica Synodo, in Nicæna civitate Bithyniæ habita, vestræ charitati dirigere, quod & in Ecclesiastica historia requirentes invenietis. De Pascha vero, ut scripsistis, nunciamus vobis XVII. Kalendas Majas (a) nos futura indictione celebrare. Et alia manu: Deus & Dominus noster sanctam vestram congregationem custodiat, quod optamus, charissimi fratres.

Epistola Attici Constantinopolitani Episcopi ad Africanos super eodem argumento.

Epistola Attici Constantinop. ad Africanos, quæ est Canon CXXXVI.

DOminis sanctis, merito beatissimis fratribus Coepiscopis Aurelio, Valentino, vel cæteris charissimis, in Synodo apud Carthaginem habita constitutis, Atticus Episcopus, per filium nostrum Marcellum Subdiaconum vestrum scripta vestræ dilectionis, cum omni gratiarum actione suscepi; Domino gratias agens, quod merui tantorum fratrum benedictione perfrui. Domini beatissimi fratres, scripsistis sane, ut verissimos Canones, apud Nicæam civitatem Metropolim Bithyniæ, a Patribus constitutos, sub fidei adstipulatione dirigam. Et quis est qui communem fidem, vel statuta, a Patribus firmata, suis fratribus deneget? Qua de re, per eumdem filium meum Marcellum Subdiaconum vestrum nimium festinantem, sicut statuti sunt in Nicæa civitate, a Patribus Canones in integro, ut jussistis, direxi: petens ut pro me plurimum vestra sancta congregatio orare jubeat. Et alia manu. Deus noster sanctitatem vestram custodiat, quod optamus, sancti (b) fratres.

ARTICULUS IX.

Litteræ Orientalium una cum exemplaribus Nicænorum Canonum per Africanos ad Bonifacium Papam transmissæ, & quare?

Exemplaria Nicæna cum litteris Orientalium ad Bonifacium mittunt Africani.

CONTROVERSIA inter Romanam & Africanam Ecclesiam oborta, occasione appellationis Apiarii Presbyteri, ad Zosimum Episcopum Romanum, post plures collationes & contentiones inter Zosimi Legatos, & Patres Africanos, super punctis in Commonitorio ejusdem Pontificis contentis, ad hoc unum punctum tota devoluta erat, utrum Canones a Zosimo commendati inter Nicænos computandi essent; & consequenter ab omnibus observandi, & disciplina Ecclesiæ Africanæ hisce conformanda.

Jam enim supra notavimus finalem Synodi Carthaginensis resolutionem circa controversiam hanc occasione Canonum in Commonitorio Zosimi, sub nomine Nicænorum allegatorum exortam, petendam esse ex Epistola Africanorum ad Bonifacium supra exhibita.

In Epistola vero Africani ex prolixioribus gestorum voluminibus, ea delibarunt, quæ ad hanc tunc temporis controversiam supererant decidenda: reducitu rque epistola tota quanta est, ad id unum, *ut ea servare, sine Pontificis injuria, paulisper* sinerent Africani, *usque ad inquisitionem statutorum Concilii Nicæni*: hoc unum a Bonifacio postulant: *Ut quemadmodum ea apud Nicæam a Patribus acta, vel constituta sunt, sic ea a nobis faciat custodiri: hæc utique usque ad adventum verissimorum exemplarium Nicæni Concilii inserta gestis sunt.* Antiquam autem Africanæ Ecclesiæ disciplinam reversuram, *si forte aliter se habeant Canones Nicæni Concilii*, quam in Commonitorio scriptum erat: ex Orientalibus Ecclesiis afferri exemplaria authentica se magis desiderare, quæ allata, & comparata, si cum Africanis concordarent, pro verissimis habenda: “Quod donec fiat, „ *ajunt*, hæc, quæ in commonitorio supra dicto nobis allegata sunt de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem, & de Clericorum causis apud suarum provinciarum Episcopos terminandis, nos usque ad probationem servaturos profitemur, & Beatitudinem tuam ad hoc nos adjuturam in Dei voluntate confidimus.

Ex his perquam manifestum est Africanos non recepisse disciplinam Canonibus illis expressam, nisi *usque* seu *donec* constaret, num Canones hi inter Nicænos Canones, in authenticis exemplaribus, ex Orientalibus Ecclesiis mittendis numerarentur.

Canones a Zosimo allegati inter Nicænos non reperiuntur.

Cum ergo ex allatis Concilii Nicæni exemplaribus constaret, non nisi viginti Canones reperiri, prout iidem reperiebantur in exemplaribus Africanis; neque Canones a Zosimo allegatos ibi inveniri; id unum credebant

(a) Ita legunt omnes Codices. Constat tamen quod anno. 420. Pascha fuerit celebratum XIV. Kal. Majas.

(b) In quibusdam Codicibus scriptum legitur, *Santissimi*.

debant Africani, fupereffe fibi curandum, ut & Bonifacio Epifcopo Romano id innotefceret, intelligeretque confequenter Africanos ulterius non adftringi difciplinæ contentæ Canonibus Commonitorio, Nicæno Concilio falfo fuppofitis, poffeque priftinis fuis moribus libere uti; quod faciendum, in litteris fuis ad Bonifacium, verbis fummam reverentiam fuam erga Sedem Apoftolicam teftantibus, jam ante fignificaverant. *Et fervabuntur*, inquiunt, *erga nos, quæ nobis etiam non differentibus, cuftodiri debeant cum fraterna charitate; quæ fecundum fapientiam atque juftitiam, quam tibi donavit Altiffimus, etiam ipfe perfpicis effe fervanda, fi forte aliter fe habent Canones Concilii Nicæni.*

Af- nti ricani fuæque pli difci- tunæ fta- hunt in- ærendum.

Itaque ut huic controverfiæ, quæ quodammodo in fufpenfo manferat, ufque dum allata forent authentica Nicæni Concilii exemplaria, tandem finis imponeretur, atque Africana Ecclefia ad fuam priftinam difciplinam reduceretur; fine dilatione Aurelius Primas Carthaginenfis litteras a Cyrillo Alexandrino, & Attico Conftantinopolitano Epifcopis receptas, cum genuinis Nicænæ Synodi Codicibus, per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, qui in Orientem miffi fuerant, Romam tranfmifit ad Bonifacium, uti ex Codice Africano clare innotefcit. Hanc enim ibi Epigraphen litteris Orientalibus adfcriptam legibus: *Incipiunt Refcripta ad Concilium Africanum, Cyrilli Alexandrini Epifcopi, ubi authentica Concilii Nicæni traslata de Græco, per Innocentium Prefbyterum tranfmiferunt: Quæ etiam Epiftolæ cum eodem Concilio Nicæno per memoratum Presbyterum Innocentium, & Marcellum Subdiaconum Ecclefiæ Carthaginenfis fancto Bonifacio Epifcopo Ecclefiæ Romanæ fub die VI. Kal. Decembris directæ,*

Similiter decreta, & Symbolum Synodi Nicænæ, quod in Codice Dionyfiano habetur num. CXXXVII. Epiftolis juncta Epigraphe notata fuere, diem ipfam miffionis exprimente, his verbis: *Incipiunt exemplaria Concilii Nicæni directa, fub die VI. Kal. Decembris, poft Confulatum gloriofiffimorum Imperatorum, Honori XII. & Theodofii VIII. Auguftorum, Bonifacio urbis Romæ Epifcopo.*

Quam follicitі fuerint circa hunc articulum.

Verifimile autem eft, hanc tranfmiffionis epocham tam follicite ab Africanis notatam fuiffe, ut fciri & probari poffet tempus quo promiffa obfervantia Canonum Sardicenfium, fub nomine Canonum Nicænorum a Zofimo allegatorum finem habuiffet, utpote fe protendens duntaxat, quoufque per diligentiorem Nicænorum ftatutorum inquifitionem, de veritate Canonum allegatorum conftaret.

Decreta; feu Canones Synodi Nicænæ, prout e Græco in Latinum verfa, ex Oriente fuerant allata, miffa quoque cum litteris Orientalium fuere ad Bonifacium: debuiffentque confequenter in Codice Africano, una cum Symbolo dictis litteris adjuncta fuiffe; at Dionyfius Exiguus brevitati ftudens, ea omifit, credens fufficere, quod fub initium Codicis fui Nicæni illi Canones, licet ex alia verfione, effent inferti, ut ipfe relato Symbolo Nicæno, monuit his verbis: *Huic Symbolo fidei, etiam exemplaria ftatutorum ejufdem Concilii Nicæni, a memoratis Pontificibus annexa funt ficut fuperius per omnia continentur, quæ nos hic iterum confcribi neceffarium non effe credidimus.*

Defectum Dionyfii Jacobus Merlinus, aliique pofteriores, Conciliorum collectores, hac in parte fuppleverunt ex vetuftis Codicibus MSS. acta Concilii Carthaginenfis VI. cum Canonibus, Nicænis, prout ex Oriente recepti ad Bonifacium Epifcoporum Romanum ab Africanis fuerant tranfmiffi, fuis in collectionibus inferentes: qui & in Labbæana Conciliorum compilatione fubjiciuntur Concilio Carthaginenfi VI. *tom.* 2. *col.* 1594. fi quid varietatis in his Canonibus occurrat, eam in Scholiis ad Canones Nicænos notavimus. Hic id unum notandum occurrit; quod Canonibus Nicænis, prout ab Africanis ad Bonifacium tranfmiffi referuntur, fubjiciatur hoc ftatutum: *Sanctum Concilium traditis omnibus, & rite difpofitis, ut Ecclefiarum pax & fides, in Orientis & Occidentis partibus, una eademque fervetur; hæc Ecclefiaftica ftatuta credimus neceffario inferenda.*

Et quidem in omnibus paffim Conciliorum collectionibus refertur dicta claufula, fub *num. XXI.* tamquam conftituens Canonem Nicænum vigefimum primum; cum tamen conftet viginti duntaxat Canones a Synodo Nicæna editos fuiffe, uti latius in differtatione procemiali ad Canones Nicænos oftendi; hinc & Labbæus, ad notam numeralem fupradictæ claufulæ præfixam, monet: *hæc nota numeralis omnino expungenda*, additque in veteri Codice ita legi: *de obfervatione ejus ut nulla de reliquo varietas oriatur in Ecclefiis.*

Admodum probabile apparet, Africanos eam claufulam Canonibus Nicænis fubjeciffe exemplo Rufini, qui fimilem claufulam recenfitis a fe Concilii Nicæni ftatutis fubjecit. Poft recenfitos enim Canones Nicænos, his verbis claudit, *cap.* 7. *lib.* 10. fuæ hiftoriæ: "Igi-
„ tur cum de his, prout divinarum legum reverentia
„ popofcerat, decreviffent, fed & de obfervatione
„ Pafchæ antiquum Canonem, per quem nulla de re-
„ liquo varietas orietur, Ecclefiis tradidiffent, omni-
„ bus rite difpofitis, Ecclefiarum pax & fides, in
Orientis, atque Occidentis partibus, una atque eadem fervabatur.

Nemo, qui hunc Rufini textum cum dicta claufula contulerit, jure ambigere poterit, quin eam ex Rufino Africani mutuaverint.

Nec mirum, cum fciamus Rufini hiftoriam eo tempore, præfertim per Occidentis Regiones, magno in pretio fuiffe, tum ob viri celebritatem, tum quod nulli tunc effent alii hiftorici, unde rerum olim in Ecclefia geftarum notitia hauriri a Latinis poffet. Et apud Africanos notam fuiffe evincitur auctoritate Sancti Auguftini, utpote qui hiftoriæ hujus teftimonio utitur *lib. de cura pro mortuis cap.* 6. Promptum ergo fuit Ecclefiæ Africanæ, oborta circa Canones Nicænos controverfia. Rufini hiftoriam confulere; cumque ibidem ad calcem horum Canonum reperiffent hiftoricam Rufini annotationem, in qua obfervat, ex cuftodia Nicænorum ftatutorum fidei, & pacis Ecclefiarum unitatem fecutam effe, nec aliter utramque, tam in Occidente, quam in Oriente poffe fervari, obvium ipfis fuit, eam ex verbis Rufini claufulam conflare, Canonibufque Nicænis adjungere, qua fignificarent e Canonum Nicænorum obfervantia, fidei pacifque Ecclefiarum unitatem & concordiam fecuturam, atque ex eorum cuftodia, inter Romanam & Africanam Ecclefiam pacem dependere; nec eam facile fervatum iri, fi alieni Canones in Ecclefias inveherentur; nec diligenti, exactaque obfervantia Nicænis ubique, & ab omnibus obtemperaretur.

Neque legitur Bonifacium Papam, qui hanc contentionem non excitaverat, poft recepta Nicænorum Canonum veriffima, & authentica exemplaria, quidquam ulterius in hac caufa appellationum moviffe; nec in Africa aliquid præterea geftum fcitur hoc negotium attinens, durante Pontificatu Bonifacii: at ipfo defuncto, rurfus novos motus fufcitatos evincit Epiftola Africanorum ad Cœleftinum Bonifacii fucceflorem, quæ Codicem Africanorum claudit.

Videtur Bonifacius Africanis confenfiffe.

ARTICULUS X.

De Epiftola Africanorum ad Cœleftinum Papam.

QUÆ circa Canones, fub nomine Nicænorum Canonum a Zofimo allegatos, necnon appellationes a judiciis Africanis, ad Romanum judicium per Africanos fuerant Bonifacio intimata, ei fuffeciffe videntur, ut poftulatis Africanorum acquiefceret: faltem non invenitur, quod contentio ulterior in Africa fuerit fuper his punctis, durante Pontificatu Bonifacii.

Cœleftinus deceptus Apiarium benigne recipit.

At poft obitum Bonifacii, famofus ille Presbyter Apiarius, qui apud Tabracenfes, poft fuam e Siccenfi Ecclefia ejectionem, fe receperat, propter nova crimina denuo depofitus, iterum Romam ad Cœleftinum, qui Bonifacio fub finem anni 423. fucceflerat, confugit.

Vafer hic homo rurfus ita novit fua crimina tegere, calumniafque in Epifcopos Africanos adornare, ut Cœleftinus ipfum pari, ac Zofimus, benignitate fufceperit; quin & litteras in ejus favorem, per Leonem Presbyterum Africanis miferit, ac demum etiam Fauftinum Epifcupum, cujus opera nefarius ille Apriarius Presbyterio antea redditus fuerat, iterato in Africam ablegavit.

Fauftinus denuo pro Apiario in Africam ablegatus.

Hæc cum intellexiffet Aurelius, mox Concilium Epifcoporum convocavit, in quo de hoc negotio tractaretur. Porro hujus Concilii vix quidquam fupereft, præter Epiftolam Synodalem ad Cœleftinum, quam Dionyfius Exiguus in Romanis fcriniis repertam Codici Africano adjunxit, utpote quæ ad caufam Apiarii, & negotium appellationum in Synodo Carthaginenfi anni 419. tractatum fpectabat.

Plura autem ex his litteris habemus, quæ & ad notitiam hujus Concilii conducunt, & fenfum Africanorum circa appellationes ad judicia tranfmarina exponunt.

In primis docet nos hæc Epiftola, eam fcriptam effe ab Aurelio, cæterifque Epifcopis, *qui in univerfali Concilio Africano Carthagenis, five in univerfali Carthaginenfi Synodo interfuerunt.*

Secundo habemus Cœleftino, per Apiarium ita fuiffe fubreptum, ut ejus in urbem Romam adventu fe lætatum effe, Africanis per litteras fignificaverit. *Optaremus*, inquiunt, *fi quemadmodum fanctitas tua, de adventu Apiarii lætatos vos fuiffe, miffis per comprefbyterum noftrum Leonem litteris intimavit, ita quoque de ejus purgatione hæc fcripta* (feu Gr. *præfentes litteras*) *cum lætitia mitteremus.*

Tertio, quod adveniente Fauftino legatos Sedis Apoftolicæ, Synodus congregata fit.

Adveniente fane, inquiunt, *ad nos fancto fratre noftro, & Coepifcopo Fauftino, Concilium congregavimus.*

Quarto, credidiffe Patres Africanos Fauftinum miffum fuiffe in Africam, ut Apiarium a criminibus ipfi a Tabracenis objectis purgaret; at deceptos fuiffe; & deprehendiffe Fauftinum veniffe ut defenforem & Patronum Apiarii. *Credidimus*, inquiunt, *ideo* (*Fauftinum*) *miffum, quoniam ficut per ejus operam Prefbyterio*

byterio ante redditus fuerat; ita nunc posset de tantis criminibus a Tabracenis objectis eo laborante purgari; cujus tanta, ac tam immania flagitia, decursus nostri Concilii examen, (seu Gr. *nostræ Synodi multitudo decurrens*) *invenit; ut & memorati patrocinium potius quam judicium, ac defensoris operam magis quam disceptatoris justitiam superarent*, vel juxta Græcos, *vicerit*.

Quinto; ostendit hæc Epistola, Faustinum Patribus Africanis molestum atque injurium fuisse, quasi Patres Africani privilegia Ecclesiæ Romanæ infringerent; eo quod Apiarium; quem Episcopus Romanus ad suam communionem admiserat, in Africa communioni restituere nollent.

Sexto, Apiarium fuisse per Pontificem Romanum in communionem susceptum, eo quod Pontifex crederet illum ad Sedem Apostolicam appellasse. Hoc tamen probari non potuisse, & si probaretur, non equidem licuisse eum in communionem suscipere scribunt. Verba Epistolæ sunt: *Nam primum quantum obstiterit* (Faustinus) *omni congregationi* (vel ut legunt Græci, *primum enim toti Synodo valde restitit*) *diversas injurias ingerendo, quasi Ecclesiæ Romanæ asserens privilegia, & volens eum* (Apiarium) *a nobis in communionem suscipi, quem tua sanctitas credens appellasse, quod probari non potuit, communioni reddiderat; quod minime tamen licuit* (vel juxta Græcos, *hoc tamen ei non processit*) *quod etiam gestorum ex lectione melius cognosces.*

Septimo docemur, quod post trium dierum laboriosissimum examen, post multas Apiarii tergiversationes, & Faustini Episcopi dilationes, tandem maximo divinæ providentiæ beneficio, in publicam criminum confessionem Apiarius eruperit. Verba eorum sunt.

Apiarius in confessionem suorum criminum erumpit.

„ Triduano tamen laboriosissimo agitato judicio, „ cum diversa eidem objecta afflictissimi quereremus „ vel moras Coepiscopi nostri Faustini, vel tergiver- „ sationes ipsius Apiarii, quibus nefandas turpitudi- „ nes occulere conabatur, Deus judex justus, fortis „ & longanimis magno compedio resecavit. Tetriore „ quippe, ac putidiore obstinatione compressa, qua „ tantum libidinum cœnum, impudentia negationis vo- „ lebat obruere, Deo nostro ejus conscientiam coar- „ ctant, & occulta, quæ in illius corde tamquam in „ volutabro criminum, jam damnabat, etiam homi- „ nibus publicante, repente in confessionem cunctorum „ abjectorum flagitiorum dolosus negator erupit, & „ tandem de omnibus incredibilibus opprobriis, ultro- „ neus se ipse convicit, atque ipsam quoque nostram „ spem, qua cum & credebamus, & optabamus de „ tam pudendis maculis posse purgari, convertit in „ gemitus, nisi quoniam istam nostram mœstitiam, „ immo tantum solatio mitigavit, quod & nos labore „ diuturnioris quæstionis absolvit, & suis vulneribus „ qualemcumque medelam, etsi invita ac suæ con- „ scientiæ reluctante confessione providit, Domine „ frater.

Att conci[illegible] R. Pontifi[illegible] nec [illegible] admittat.

Hisce summatim expositis, enixe obtestantur Cœlestinum, ne deinceps facile admittat ex Africa ad ipsum venientes; neque in Africa excommunicatos ultra ad suam communionem admittat; quod & Nicæno Concilio vetitum esse asserunt. Verba eorum sunt: *Præfato itaque debitæ salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad aures vestras hinc venientes, non facilius admittatis; nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis recipere; quia hoc Nicæno Concilio definitum facile advertet Venerabilitas tua; nam etsi* (sive Gr. *si enim etiam*) *de inferioribus Clericis, vel Laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia communione suspensi, a tua sanctitate præpropere, vel indebite videantur communioni restitui?*

Notandum hic, quod licet difficultas nunc esset duntaxat de appellatione Presbyteri, ejusque ad communionem admissione, nihilominus censuerunt Africani Patres, una exponendum quid circa appellationes Episcoporum ad judicia transmarina decrevisset Synodus Nicæna: sciebant enim Africani, quod Zosimus de similibus appellationibus Episcoporum, per commonitorium injunxisset Faustino Episcopo, suo in Africam Legato.

Neque exciderat, quod & in hoc puncto jam ante in Concilio Carthaginensi resolutum esset, & Zosimo, atque Bonifacio intimatum; nimirum quod Africani se vellent in hoc puncto conformare Canonibus Nicænis, mox ut genuina & verissima illorum Canonum exemplaria ex Ecclesiis Orientalibus essent recepta.

Inferiorum Clericorum appellationes ex Africa a R. Pontifice repellendæ.

Post suam de Episcoporum perfugiis ad Romanum Episcopum mentem expositam, de altero commonitorii articulo; nimirum Presbyterorum, aliorumque inferiorum Clericorum appellationibus, sensum suum aperiunt. *Presbyterorum & sequentium Clericorum improba refugia* (seu Gr. *impudentes fugas*) *sicut te dignum est repellat* (vel Gr. *persequetur*) *Sanctitas tua; quia*, ajunt, *& nulla Patrum definitione* (sive Gr. *per nullum Patrum decretum*) *hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna, sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis* (Gr. *propriis*) *Metropolitanis apertissime commiserunt.*

Hinc advertimus, Patres Africanos judicasse Ecclesias *Patrum definitione* sive Canone regi, non absoluta & monarchica potestate, atque ea, quibus non est Patrum definitione derogatum, vim habere, si salva consistere debere.

Statutum Synodi Nicænæ circa appellationes.

Post hæc ostendunt, quod *prudentissime, justissimeque providerunt Patres Nicæni, quæcumque negotia in suis locis; ubi orta sunt, finienda; nec* (Gr. *enim*) *unicuique provinciæ gratiam Sancti Spiritus defuturam* (sive Gr. *deesse*) *putarunt; qua æquitas Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissime teneatur; maxime*, inquiunt, *quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuit, cognitorum* (vel Gr. *si ei videatur*, *de judicum sententia* (*ad Concilia suæ provinciæ, vel etiam universale provocare* (sive Gr. *appellare*).

Addunt, quod nemo conqueri debeat, si Synodi judicio stare teneatur, *nisi forte quisquam est*, ajunt, *qui credat, unicuilibet* (sive Gr. *unicuipiam quicumque is sit*) *posse Deum nostrum, examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare.*

Causa agitetur ubi crimen admissum.

Rationem dein ex probationum difficultate petitam allegant, cur non expediat causas e propriis provinciis, ad transmarina judicia transferri. *Aut quomodo*, inquiunt, *ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis: adduci non poterunt.* Hanc rejiciendi judicii transmarini rationem mutuarunt Patres Africani a Sancto martyre & Episcopo Carthaginesi Cypriano, in causa Fortunati & Felicissimi, qui in Synodo provinciali Africana, ob hæresim exauctorati, Romam confugerant, in communioneque a Papa Cornelio suscipi sperabant, (hæc ad ipsum Cornelium inter alia scribente Cypriano Epist. 55. apud Pamelium) " Nam „ cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pari- „ ter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, „ ubi est crimen admissum; & singulis Pastoribus por- „ tio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque, & „ gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; „ oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem „ sua subdola, & fallaci temeritate collidere, sed age- „ re illic causam suam, ubi & accusatores habere, & „ testes sui criminis possint nisi si paucis desperatis & „ perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum „ in Africa constitutorum, qui jam de illis judicave- „ runt, & eorum conscientiam, multis delictorum la- „ queis vinctam, judicii sui nuper gravitate damna- „ runt.

Obiter hic reflectat Lector, etiam tempore Cypriani, adeoque multo ante Synodum Nicænam tempore statutum fuisse, ac æquum justumque creditum, ut negotia in propriis provinciis finiretur, ac perfugia ad transmarina judicia, eo titulo improbata.

Legatum Apostolicum, tamquam judicem non admittunt Africani.

Verum Romani replicabant incommoda, quæ ob defectum testium, & probationum ex appellationibus ad transmarina judicia oriri dicebantur: caveri posse, si provocatus Episcopus Romanus aliquem in provinciam a suo Latere mittat, qui ibidem causam instruat, & auctoritate Sedis Apostolicæ decidat. Sed Africani, ajunt, in nullo Patrum decretum constitutum. Verba Epistolæ sunt: *Nam ut aliqui tamquam a tuæ sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum.*

Simile quidem statuebatur in Canone per Faustinum, jam pridem cum suo *commonitorio* in Africam allato, atque Patribus Africanis sub nomine Nicæni Canonis exhibito: at rescribunt in hac Epistola Africani, quod Canonem per Faustinum allatum, in verioribus Concilii Nicæni exemplaribus non invenerint. Verba eorum superioribus subjecta sunt: " quia illud quod pri- „ dem per eumdem Coepiscopum nostrum Faustinum, „ tamquam ex parte Nicæni Concilii exinde transmi- „ sistis, in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Ni- „ cæni a Sancto Cyrillo Coepiscopo nostro, Alexan- „ drinæ Ecclesiæ, & a venerabili Attico Constanti- „ nopolitano Antistite ex authentico missis, quæ etiam „ ante hoc per Innocentium Presbyterum & Mar- „ cellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis dire- „ cta sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo, „ decessori vestro, a nobis transmissa sunt, in quibus „ tale aliquid non potuimus reperire.

Hic manifestum est Africanos non agnovisse Canones Sardicenses pro Canonibus paris cum Nicænis auctoritatis, immo nec ut Canones Concilii Œcumenici, quibus omnes ubique parere deberent.

Admodum enim flaccida fuisset eorum ratiocinatio prætensioni Romanorum refellendæ, si Canones a Faustino allati, agniti fuissent ab Africanis ejus auctoritatis, ut iis æque ac Nicænis ab omnibus obtemperari debuisset.

Cum ergo nulla Patrum Synodo, qua Africani se obstringi crederent, constitutum reperiretur, ut aliquis a Latere Pontificis in Africam ad examinandas, vel decidendas ibidem judicatas causas mitteretur, inferunt ulterius tamquam consequens rogando: *executores etiam* (seu Gr. *ergo*) *Clericos vestros, quibuscumque* (vel Gr.

Gr. aliquibus) petentibus, nolite mittere, nolite concedere, ne famosum Typhum sæculi (seu clarius Gr. *nec permittere, ut famosum mundi fastum*) *in Ecclesiam Christi, quæ ducem simplicitatis, & humilitatis diem, videre cupientibus præfert, videamur inducere* (a).

Cum hæc Epistola in Codice Africano, prout apud Dionysium Exiguum extat, conficiat quasi Canonem CXXXVIII. eam hic integram ex editione Dionysii inferendam censui.

Incipit Epistola Concilii Africani ad Papam Cœlestinum urbis Romæ Episcopum.

Epistola Africanorum de negotio Apiarii absoluto, quæ est n. 138.

„ DOMINO dilectissimo, & honorabili fratri Cœlestino, Aurelius, Palatinus, Antonius, Tutus, Servus Dei, Terentius, Fortunatus, Martinus, Januarius, Optatus Celticius, Donatus, Theasius, Vincentius, Fortunatianus, & cæteri, qui universali Africano Concilio Carthaginis affuimus. Optaremus, si quemadmodum sanctitas tua de adventu Apiarii lætatos vos fuisse, missis per compresbyterum nostrum Leonem litteris intimavit, ita nos quoque de ejus purgatione hæc scripta cum lætitia mitteremus, esset profecto & nostra & vestra modo alacritas certior, nec festinata, nec præpropera videretur, quæ adhuc de audiendo, quam de audito præcesserat. Adveniente sane ad nos sancto fratre & Coepiscopo nostro Faustino, Concilium congregavimus, & credidimus ideo cum illo missum; quoniam sicut per ejus operam Presbyterio ante redditus fuerat, ita nunc posset de tantis criminibus a Tabracenis objectis, eo laborante purgari. Cujus tanta, ac tam immania flagitia decursum nostri Concilii examen invenit, ut & memorati patrocinium potius quam judicium; ac defensoris magis operam, quam disceptatoris justitiam superarent. Nam primum, quantum obstiterit omni congregationi, diversas injurias ingerendo, quasi Eccl. Rom. asserens privilegia, & volens eum a nobis in communionem suscipi, quem tua sanctitas credens appellasse, quod probare non potuit, communioni reddiderat; quod minime tamen licuit, quod etiam gestorum melius lectione cognosces. Triduano tamen laboriosissimo agitato judicio, cum diversa eidem objecta afflictissimi quæreremus, vel moras Coepiscopi nostri Faustini, vel tergiversationes ipsius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur. *Deus judex justus, fortis & longanimis*, *ps.* 7. magno compendio relecavit: tetriore quippe, ac putidiore obstinatione compressa, qua tantum lividum, alias *Libidinum*, cœnum impudentia negationis volebat obruere, Deo nostro ejus conscientiam coarctante, & occulta, quæ illius corde, tamquam in volutabro criminum jam damnabat, etiam hominibus publicante; repente in confessionem cunctorum objectiorum flagitiorum, dolosus negator erupit; & tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus seipse convicit, atque ipsam quoque nostram spem, qua eum & credebamus & optabamus de tam pudendis maculis posse purgari, convertit in gemitus; nisi quoniam istam nostram mœstitiam, uno tantum solatio mitigavit, quod & nos labore diuturnioris quæstionis absolvit, & suis vulneribus qualemcumque medelam, etsi invita ac suæ conscientiæ reluctante confessione providit, Domine frater. Præfato itaque debitæ salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures, hinc venientes, non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos, in communionem ultra velitis excipere; quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facile advertit Venerabilitas tua: nam etsi de inferioribus Clericis vel Laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua Provincia a communione suspensi, a tua sanctitate præpropere, vel indebite videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque, & sequentium Clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua, quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna (b), sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt; prudentissime enim, justissimeque viderunt, quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda, nec unicuique providentiæ (c) gratiam Sancti Spiritus defuturam, qua æquitas a Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissime teneatur; maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ, vel etiam universale provocare. Nisi forte quisquam est qui credat, unicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non poterunt? nam ut aliqui, tamquam a tuæ Sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum; quia illud quod pridem per eumdem Coepiscopum nostrum Faustinum, tamquam ex parte Nicæni Concilii exinde transmisistis, in Concilii verioribus, quæ accipiuntur Nicæni (a) a Sancto Cyrillo Coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & a venerabili Attico Constantinopolitano Antistite, ex authentico missis; quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo decessori vestro a nobis (per eosdem) transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire: Executores etiam Clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamus inducere; nam de fratre nostro Faustino (amoto jam pro suis nefandis nequitiis de Christi Ecclesia dolendo Apiario) securi sumus, quod eum probitate, ac moderatione tuæ sanctitatis, salva fraterna charitate ulterius Africa minime patiatur. Et alia manu, Dominus noster Sanctitatem vestram ævo longiore orantem pro nobis custodiat, Domine frater.

Nullus ad transmarina audeat appellare.

Porro quia hæc Epistola evincit Africanos se constantissime opposuisse appellationibus & recursibus ad transmarina judicia; admodum verisimile est eidem Concilio Africano, cui debetur hæc Epistola, etiam adscribendum esse decretum, ut *nullus ad transmarina audeat appellare*, quod sub nomine Concilii XX. sed innominati, recitatum est in Concilio Africano generali an. 525. sub Bonifacio Primate Carthaginensi apud Labbæum, *tom.* 4. *col.* 1637.

Accedit, quod in hac Synodo jusserit Bonifacius relegi Canones anteactorum Conciliorum sub Aurelio, uti relectos fuisse in Carthaginensi an. 419. sæpius monuimus.

Quin & verisimile est Codicem hunc, e quo relecti fuere in Concilio Bonifacii, Canones præcedentium Conciliorum eodem ordine & numero Concilio exhibuisse, quo continebantur in Codice Aurelii, quo usa est Synodus Carthaginensis, anni 419.

Quæ enim Synodus *tertia* numeratur in Codice Bonifacii, *tertia* pariter habetur in libro Aurelii; quæ *sexta*, *sexta*; quæ *nona*, & *decima* in uno, pari ordine & numero in altero recensentur. Demumque celebris illa Synodus Carthaginensis Kal. Majis anni 418. adversus Pelagianos celebrata; in utroque Codice *decima sexta* numeretur. Hinc sequitur ut *decimæ septimæ* locus debeatur Synodo illi generali anni 418. præsente Faustino Legato Sedis Apostolicæ celebratæ, in quo Synodum sedecim præcedentium sub Aurelio Canones recitati sunt, constituentes secundam Codicis Africani partem, uti supra §. 1. ostendi. Si igitur his septemdecim Synodis, quarum ultima habita est 3. Kal. Junias 419. jungatur Synodus congregata Kalendis Decembris ejusdem anni, e qua litteræ ad Bonifacium datæ fuere; item illa, quæ receptis ex Oriente Nicæni Concilii exemplaribus, tum hæc Synodus quæ ad Cœlestinum litteras dedit, *vigesima* numerabitur (b).

Synodus Africana quæ ad Cœlestinum scripsit, videtur XX.

Sed ut hic numerus habeatur, pro distinta Synodo numerari non potest, cui Canon ille adscribitur, quo cavetur; ut nullus Episcopus naviget, sine formata Primatis, qui Cæsario & Attico Consulibus sexta Kalendas Julias conditus dicitur. Hic enim ad Aurelianam Synodum tertiam, cui appenditur, pertinet, in præliminari ejus consessu constitutus; ac revera ne pro Synodo distincta habeatur, cavit Collector, cum istam appendicem, post Synodum V. Kalendas Septembris 397. collocavit, cum alioquin præmitti debuisset. Cum præterea, nec præsidem notaverit, nec locum, nec solemnitatem consessus, & similia, quæ vice præfationis in aliorum Conciliorum recensione notari solent.

Occasione Apiarii nullum schisma ortum inter R. & Africanam Ecclesiam.

Quantumvis Africani admittere noverint appellationes, vel provocationes Presbyterorum, aut Episcoporum ad transmarina judicia; sed voluerint, juxta Nicænos Canones, & mores Africanos causas Presbyterorum & Episcoporum in propriis Provinciis, aut universalibus Africæ Conciliis ultimate terminari, sine ulteriore ad Romanum Episcopum recursu, nullum tamen hinc inter Romanam & Africanam Ecclesiam schisma ortum fuisse, sed sibi mutua communione junctas mansisse, recte notavit Baronius in notis ad Martyrologium ad 16. Octobris; una ut supposititiam rejiciens Epistolam Bonifacii II. ad Eulalium Episcopum Alexandrinum; necnon exemplar precum ejusdem Eulalii & Justini principis dictæ Epistolæ subjectum, uti notavi *in Jure Eccl. tom.* 1. *parte* 1. *tit.* 8. *cap.* 4.

SCHO-

(a) Quæstionem, quæ appellationes spectat, fuse ac docte pertractavit auctor noster Van-Espen in *tractatu historico Canonico de Censuris*, Cap. 5. §. 4.

(b) Ea Decreta continentur in Canone V. Concilii Nicæni.

(c) *Forte* Provinciæ.

(a) Græce legitur: *in exemplaribus verioribus, quæ accepimus Nicæni Concilii.* Quæ verba sensum clariorem efficiunt.

(b) Non abs re erit observare, Comitia generalia Cleri Gallicani similia esse Conciliis Africanis per repræsentationem habitis, in eo scilicet, quod sicut Provinciæ Afrorum Ecclesiasticæ his Conciliis per Legatos adfuerint, ita quoque in Gallia Episcopi variarum Metropoleon per Legatos Comitiis generalibus solent interesse.

SCHOLIA

In Canones Africanos (a).

CANON I.

Aurelius Episcopus dixit: hæc ita apud nos habentur exemplaria statutorum, quæ tunc Patres nostri de Concilio Nicæno secum detulerunt; cujus formam servantes, hæc quæ sequentur constituta, firmata a nobis custodientur.

SCHOLION.

Canones Nicæni servandi secundum exemplaria Africana, donec inveniatur in Authentica.

QUÆ hic de Concilio Nicæno decernuntur, dicta sunt occasione controversiæ, quæ orta fuit inter Legatos Sedis Apostolicæ, & Patres Africanos, super quibusdam Canonibus, quos Legati sub nomine Canonum Nicænorum proferebant. Patres Africani autem inter Canones Nicænos, quos sui e Synodo Nicæna reduces attulerant, reperiri negabant.

Itaque conventum tandem est, ut pendente diligentiore inquisitione de Canonibus Nicænis, *interim* servarentur statuta Concilii Nicæni, uti & Symbolum, juxta exemplaria quæ Patres Africani, ac signanter Cæcilianus Episcopus, in Africam detulerunt; uti latius in dissertatione proœmiali notatum fuit.

CANON II.

Universum Concilium dixit: Deo propitio, pari professione, fides Ecclesiastica, quæ per nos traditur in hoc cœtu glorioso, primitus confitenda est, tunc demum ordo Ecclesiasticus singulorum, & consensu omnium adservandus. Ad corroborandas autem fratrum & Coepiscoporum nostrorum, nuper promotorum mentes, ea proponenda sunt, quæ a Patribus certa dispositione accepimus, ut Trinitati, quam in nostris sensibus consecratam retinemus Patris & Filii & Spiritus Sancti unitatem, quæ nullam noscitur habere differentiam: sicuti dicimus, ita Dei populos instruamus. Item ab universis Episcopis nuper promotis dictum est, plane sic accepimus, sic tenemus, sic docemus fidem Evangelicam cum vestra doctrina sequentes.

SCHOLION.

Quo præcise tempore Canon iste II. conditus fuerit, controvertitur.

HUNC Canonem, & aliquos sequentes desumptos esse constat ex Concilio Carthaginensi, quod vulgo II. dicitur. At illud non æque constat, quo tempore Concilium hoc sit celebratum. Credit enim Baronius, & eum more suo exscribens Binius, Concilium hoc ordine temporis esse ultimum Carthaginense, sub Aurelio anno 425. celebratum; sed Petrus de Marca, in suo opusculo de veteribus collectionibus Canon *c.* 5. ostendit, hoc Concilium, non sub Aurelio, sed sub Genethlio Aurelii prædecessore anno 390. habitum esse, quod & Labbæus in nota marginali ad Concilium Carthaginense II. monuit *tomo* 2. *Concil. general. col.* 1158. referrens enim vulgatum titulum hujus Concilii, ex editione Binii *Concilium Carthaginense, nomine secundum; ordine temporis inter Carthaginensia extantia vere postremum, circa tempora Cœlestini Papæ*, apponit hanc notam marginalem: *Erravit post Baronium Binius: Vere enim hoc Concilium celebratum fuit anno* 390. *sub Genethlio decessore Aurelii, cujus nomen; necnon Alipii exulat a MS. optimæ notæ.*

Concilium hoc sub Genethlio habitum, ex Codicibus manuscriptis emendatum, evulgavit Lucas Holstenius; & in appendicem *tomi* 2. Conciliorum general. retulit Labbæus, *col.* 1828.

Determinatur Concilium, in quo Canon II. editus est.

Itaque hic Canon primitus conditus non est in Concilio Carthaginensi VI. sub Aurelio; sed desumptus ex Concilio sub Genethlio, relectus & renovatus fuit in hoc Concilio omissa tamen præfatione Genethlii Episcopi Carthaginensis & Concilii Præsidis, quæ in emendata Holsteniana ita legitur: *Genethlius Episcopus dixit: Omnipotenti Deo gratias refero, qui permisit, ut secundum commune consilium habitum in præterito, etiam juxta tenorem petitionis litterarum mearum, ad Carthaginem, pro fide, atque utilitate Ecclesiastica veniretis: etsi non omnes, tamen quoniam charitas totum persuadet, ut qui corpore sunt absentes, nobiscum in spiritu videantur esse conjuncti; idcirco, &c.*

Patres Concilii VI. sub Aurelio hunc Canonem renovantes præfatione omissa, quæ nec ad fidem aut ad mores spectabat; reliqua Canonis retinuerunt & probaverunt.

Concilia præcipue ad stabiliendam fidem, & formandos mores congregatur.

Hoc Canone ostendunt Patres Africani, præcipuam causam congregandarum Synodorum, esse fidem Catholicam stabilire & exponere, moresque formare; prius tamen de fide, tamquam fundamento esse tractandum.

In materia fidei Patrum traditio tenenda.

Dicunt Patres, ea proponenda esse, *quæ a Patribus certa dispositione accepta sunt*; ut vel hinc pateścat, in materia fidei Patrum traditionem sequendam & tenendam esse.

Exponitur mysterium SS. Trinitatis conformiter ad ea, quæ sub idem tempus scripsit Augustinus.

Inter cætera vero fidei Mysteria Trinitatis Mysterium proponunt, asserentes, *Patris & Filii & Spiritus Sancti unitatem, quæ nullam noscitur habere differentiam.*

Id est, ait Balsamon „ nihil inter se differunt, Pa„ ter, Filius, & Spiritus Sanctus; exceptis scilicet „ uniuscujusque proprietatibus, sed unitas ipsis statui„ tur, nimirum quod tres personæ unum sint & sub„ stantia & gloria & potentia.

Nec mirum, a Patribus hoc Mysterium specialiter credendum proponi, cum illud ab Arianis, aliisque hæreticis sub id temporis in Africa oppugnatum fuisse constet: evincuntque Libri *de Trinitate*, sub hoc tempus ab Augustino scribi cœpti, in quibus contra hæreticos fuisse exponit hoc Mysterium; & ab hæreticorum cavillationibus vindicat; præcipue tamen in demostranda unitate, & qualitate Trium Personarum, se impendit; ac insuper *lib.* 9. 10. & 11. ostendit, qua ratione homo in se imaginem SS. Trinitatis impressam gerat, quod & Patres Africani in hoc Canone expressisse videntur, dicentes: *quam in nostris sensibus consecratam retinemus.*

Episcopi in sua Ordinatione hanc fidem Sanctissimæ Trinitatis profitebantur.

Cum consuetudo in Africa haberet, ut in Ordinatione sua Episcopi fidei promissionem emitterent, voluere Patres Africani, ut fidem, quam in Ordinatione emiserant, toti Synodo notam facerent, & palam publicarent *nuper*, sive recenter ordinati Episcopi.

Hinc illa Genethlii & Aurelii verba; *ad corroborandas fratrum & Coepiscoporum nostrorum, nuper promotorum mentes.* Quibus respondent hæc alia Aurelii verba: *Ab universis Episcopis nuper promotis dictum est; plane sic accepimus, sic tenemus, sic docemus, fidem Evangelicam cum vestra doctrina sequentes.*

Aliqua immutata in hoc Canone per Aurelium.

Notandum tamen in conclusione hæc verba, *nuper promotis*, in Synodo Carthaginensi sub Genethlio desiderari, asserique *ab universis Episcopis* sine limitatione *dictum est; plane sic accepimus.* Desiderantur quoque hæc verba: *cum vestra doctrina*: Ideoque apparet professionem *a nuper promotis* coram Synodo emissam, *ab universis Episcopis* fuisse probatam, & præter mentem dictæ Synodi Carthaginensis ad *nuper promotos* ab Aurelio restrictam.

CANON III.

Aurelius Episcopus dixit: cum in præterito Concilio de continentia, & castitatis moderamine tractaretur: gradus isti tres, qui constrictione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt, Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos, ita placuit, ut condecet sacros Antistites, ac Dei Sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Domino postulant impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.

CANON IV.

Faustinus Episcopus Ecclesiæ Potentinæ, Provinciæ Piceni, Legatus Romanæ Ecclesiæ, dixit: Placet, ut Episcopus, Presbyter, & Diaconus, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes ab uxoribus se abstineant. Ab universis Episcopis dictum est: Placet, ut in omnibus (a) pudicitia custodiatur, qui altari inserviunt.

SCHOLION.

De continentia Clericorum Ex Synod. Carthag. anno 390. sub *Genethlio.*

UTRUMQUE hunc Canonem desumptum esse ex Canone II. Concili Carthaginensis sub Genethlio, evincit ipse Canonis contextus, notavitque Petrus de Marca, in opusculo de veteribus Canonum collectionibus *cap.* 5. *n.* 12.

Dicit de Marca, in Concilio sub Genethlio Aurelium interloquentem introduci: at id consistere non potest cum germana æra celebrati hujus Concilii, scilicet anni 390. quia tunc Aurelius necdum Episcopus erat.

Fefellit indubie hunc auctorem vulgata lectio hujus Con-

(a) Eo loci non abs re erit subjicere monitum de cura, quam in describendis & recognoscendis Canonibus Africanis D. Van-Espen assumpsit. „ Canones Africani, inquit, a me descripti & „ recogniti sunt cum ea diligentia & concinnitate, quam mea „ facultas ferre potuit. Typographorum errata, quæ in editione „ Justelli, unde Canones isti desumpti sunt, reperiuntur, emen„ davi. Quod si quorumdam textus adhuc subobscurus videatur, „ non idcirco Codex noster manuscriptus corrigendus erit; sed „ Typis excudendus, uti legitur.

(a) Ad majorem claritatem forsan legendum est; *in omnibus & ab omnibus.*

Concilii Carthaginensis, quæ in hoc Canone Aurelium interloquentem exhibet; at sincerior ejusdem Concilii editio a Luca Holstenio, ad fidem MS. Codicis Vaticani procurata, non Aurelium, sed Epigonium Bullensium Regiorum, & Genethlium loquentes inducit.

Nonnulla circa hunc Canonem, in Concilio Carthaginensi sub *Aurelio* mutata, & postmodum Canon. in duos divisus.

Faustini Episcopi, nec in Vulgata nec in Holsteniana editione mentio occurrit. Verisimiliter in Concilio Carthaginensi VI. Aurelius propositionem fecit, & Faustinus Episcopus sententiam dixit, atque hinc compilator Concilii VI. occasionem cepit eumdem Canonem in duos distribuendi; in priorem Canonem propositionem Aurelii, & in secundum sententiam Faustini conjiciendi.

Et sane Canon tertius, prout in hoc Codice exhibetur, Aurelii propositionem, potius quam Synodi sententiam, exprimit; Canon vero quartus, ipsam Synodi resolutionem super iis, quæ ab Aurelio proposita erant, exhibet.

Hac divisione, reddita est Canonis sententia obscurior, & multos Canonum commentatores induxit, ut crederent, aliam unius & alterius Canonis esse materiam, anxiosque fecit, ut eam materiæ diversitatem invenirent; uti ex commentariis Balsamonis & Zonaræ cognosci poterit.

Exhibetur Canon prout primitus sub Genethlio.

Ut igitur clarior & genuinus sensus Canonis habeatur, eum integrum ex emendata Holstenii editione, hic exhibeo: „ Epigonius Episcopus Bullensium Regiorum dixit: Cum in præterito Concilio de continentiæ, & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres, qui constrictione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt, Episcopus, inquam, Presbyter & Diaconus, tractatu pleniore, ut pudicitiam custodiant, doceant. Genethlius Episcopus dixit: ut superius dictum est, decet sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus: quo possint simpliciter quod a Deo postulant, impetrare: ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se abstineant, ut in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt.

Deesse aliquid videtur, post verbum *tractaretur*, nimirum, *placuit ut*, quo suppleto, sensus Canonis plenus & clarus est.

Post hunc Canonem; in Concilio Carthaginensi II. apud Labbæum, *t.* 2. Concil. *col.* 1160. subjicitur hæc nota. „ Ex Codice Vaticano gradus isti tres qui constrictione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt, Episcopus, inquam Presbyter, & Diaconus, *tractatu pleniore*, ut pudicitiam custodiant, doceantur. Genethlius Episcopus dixit: ut superius dictum est, decet, &c.

Continentia servanda, aliquando restricta videtur ad Episcopos, Presbyteros, & Diaconos.

Ex his admodum verisimile est, eodem anno, quo hæc Carthaginensis Synodus secunda sub Genethlio celebrata est, paucis ante mensibus habitum fuisse conventum Episcoporum, cui & Epigonius interfuit, atque in hoc conventu de Clericorum continentia actum esse ejusque leges temperatas fuisse, ut ultra tres priores sacri ministerii gradus sese non extenderent.

Quia tamen hic conventus plenam & Canonicam Synodum non constituebat; vel quod communis causa, & tanti momenti disciplina, pleniorem Synodum exigere videretur, vel quod nonnulli statuto temperativo intercederent, antiquæ consuetudinis reverentia ducti, ad *tractatum pleniorem*, seu ad plenius Concilium decisio reservata fuit.

Hinc coacto hoc Concilio Carthaginensi, immediate post Canonem de fide, Epigonius de re in superiore conventu proposita, & ad *tractatum pleniorem* remissa, Patres interpellat, exponitque quod in *præterito Concilio*; circa continentiæ tractationem statutum esset.

Sed Genethlio hæc restrictio non placuit.

Genethlio hæc moderatio non placuit, sed pro antiqua consuetudine se stare significat; Subdiaconos, seu inferiores Diacono ministros, qui *Sacramentis divinis inserviunt*, eadem continentiæ lege teneri existimans.

Rationi, quam Epigonius attulerat, ex consecrationis mysterio deductam, opponit Genethlius ministrorum sanctitatem & officium, Apostolorum doctrinam, consuetudinisque antiquitatem. Ait enim: *decet, qui Sacramentis inserviunt, continentes esse in omnibus; quo possint simpliciter quod a Deo postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.*

Adjecit Genethlius hæc verba: *ut superius dictum est*, quæ necessario *ad superius præteritum Concilium* referenda sunt. Ex quo non temere conjicias, hoc eodem anno, ut dixi, habitum illud Concilium, cujus meminit Epigonius, in quo, cum plura, forsan difficilia recurrerent, opportunum censuerit Genethlius Carthaginensis Episcopus, missa per Provincias tractatoria, aliquos ex iisdem Episcopis convocare, qui cæteris jam congregatis adjuncti, Synodum plenam conflarent. Inde est quod idem Genethlius initio *Deo gratias refert, qui permisit, ut secundum commune Concilium habitum in præterito, etiam juxta tenorem petitionis litterarum mearum, ad Carthaginem pro fide, atque utilitate Ecclesiastica veniretis.*

Quin nec Aurelio placuit.

Si hic Canon conferatur cum duobus hisce Canonibus Codicis Africani, manifestum erit, ambos ex uno illo esse desumptos.

Concilio Carth. sub Aurelio probavit sententiam Faustini Legati Apostolici, circa continentiam servandam a Clericis.

Propofuit itaque Aurelius in Concilio Carthaginensi VI. anni 419. quid de continentia Clericorum in Concilio Carthaginensi sub Genethlio, jampridem statutum fuerat; cumque circa hoc punctum, variæ essent Ecclesiarum consuetudines, ideoque non conveniret inter omnes; quid statuere conveniret, Sedis Apostolicæ & Ecclesiarum transmarinarum usum & observantiam manifestasse videtur Faustinus Sedis Apostolicæ Legatus, qui morem aliorum sequutus, suam, Sedisque Apostolicæ sententiam expressit verbis ex eadem Genethlii Synodo sumptis. Et quidem in hac sola materia suffragium tulisse Legatum Sedis Apostolicæ legitur. Hoc Faustini Responsum, una cum approbatione Synodi, conficit Canonem IV. Codicis.

Notanda ratio quæ Clericos ad continentiam adstringit.

Notanda admodum ratio servandæ castitatis a ministris altaris, in Canone adducta: *quo possint simpliciter, quod a Domino postulant, impetrare*. „ Sunt hi namque, ait Zonaras, inter Deum & homines intercessores, qui Numen cæteris hominibus conciliantes, fidelibus salutem, universoque terrarum orbi pacem deposcunt. Si se igitur in omni virtutum genere, inquit, exerceant, Deumque proinde fidenter alloquantur, ita prorsus ab eo, quæ postulaverunt, impetrabunt: at si libere loquendi facultate ipsimet destituantur, quo pacto deprecatoris munus obire pro aliis queant?

Extant hi Canones apud Gratianum *dist.* 31. *Can.* 3. & *dist.* 84. *Can.* 3. ex Concilio Carthaginensi II.

CANON V.

Aurelius Episcopus dixit: Avaritiæ cupiditas, quam rerum omnium malorum matrem esse, nemo qui dubitet: proinde inhibenda est, ne quis alienos fines usurpet, aut per præmium terminos Patrum statutos transcendat, nec omnino cuiquam Clericorum liceat de qualibet re fœnus accipere. Quamquam novellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ a nobis, formam accipient, cæterum de quibus apertissime Divina scriptura sanxit, non est ferenda sententia; sed potius exequenda. Proinde quod in Laicis reprehenditur, id multo magis debet in Clericis prædamnari. Universum Concilium dixit: Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit sine periculo.

SCHOLION.

HIC Canon conflatus est ex duobus Canonibus, decimo, & decimo tertio Concilii Carthaginensis, sub Grato Episcopo Carthaginensi anno 348. extatque apud Labbæum, sub nomine Concilii Carthaginensis I. *t.* 2. Concil. *col.* 713. ex editione vulgata, notatis in margine variantibus lectionibus, & in appendice ejusdem tomi, ex emendata editione Lucæ Holstenii *col.* 1825.

Avaritia Clericorum reprimitur.

His Canonibus coercetur Clericorum cupiditas, & avaritia; decimo quidem avaritia Episcoporum, *qui & trascendunt suas, & usurpant alienas plebes, ipsis* (proprius Episcopis) *invitis. Ideo inhibet, ne quis alienos fines usurpet, aut transcendat Episcopum collegam suum, & usurpet alterius fines sine ejus petitu; quia*, ait, *inde cætera mala omnia generantur*. Hæc ex editione Holsteniana, cui congruit editio vulgata, nisi quod pro *alterius fines* legat *alterius plebes*.

Episcopi vetantur terminos suarum Diœcesium transgredi lucri causa.

Hæc si conferantur cum priore præsentis Canonis nostri parte, manifestum erit, eam ex dicto Canone Carthaginensi desumptam, ejusque esse compendium; uniceque intendi, ne Episcopi terminos suarum Diœcesium transcendat; neque alienas plebes lucri causa usurpent: eaque verba Canonis nostri: *aut per præmium* (sive Gr. *propter lucrum*) *terminos Patrum statutos transcendat*, accipienda *de terminis* & limitibus Diœcesium a Patribus designatis, non autem de Canonibus, sive Regulis a Patribus editis, uti interpretatur Balsamon, qui fontem Canonis non consuluerat.

Usura Clericis interdicitur.

Secunda pars Canonis nostri complectitur citatum Canonem XIII. quo coercetur avaritia Clericorum usuras exercentium, ac statuitur: *cuiquam Clericorum liceat de qualibet re fœnus accipere*.

Nominatim additum voluit Synodus; *de qualibet re*: „ ne quis esset in adulterando Canone fraudi locus: ita ut a pecunia quidem fœneranda; non tamen ab usuris ex aliarum rerum mutuatione colligendis, sacrati homines abstinerent " ait Zonaras.

Usura Clericis interdicitur.

Post hæc dicunt Patres: *Quamquam novella suggestiones* (sive G. *quæ recens quidem editæ*) *quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent* (sive Gr. *cum obscura sint, & omnino latentia*) *inspectæ* (vel Gr. *considerata*) *a nobis formam accipient*.

Quid per *suggestiones novellas* intelligatur?

Quæ sint hæ *suggestiones novellæ*, sive recens editæ incertum est. Zonaras intelligere videtur illa, quæ Patribus excusationem usurarum suggesta & significata sunt, quemadmodum ratio humana multa in speciem efformare potest.

Sed verisimilius, quod Patribus suggestæ, sive indicatæ sint Leges Imperatorum, quæ circa tempora hujus Concilii editæ, extant in Codice Theodosiano, sub titulo *de usuris*, ipsasque usuras intra certum modum & certis personis permittere videntur.

Humanæ ratiunculæ nihil valent contra apertas scripturæ sententias.

Verum quæcumque Patribus significata, aut suggesta sint, interim eorum occasione notanda regula, quæ hic traditur; nimirum prætextu similium suggestorum, sive editorum, quæ dubia & examinanda sunt, non posse infringi aut violari, *de quibus apertissime Divina scriptura sanxit: de his enim non est ferenda sententia; sed potius exequenda.*

Hinc ulterius concludit, *proinde quod in Laicis reprehenditur, id multo magis debet in Clericis prædamnari*. Quasi diceret: Quandoquidem Divina scriptura apertissime damnet usuras etiam in Laicis, multo magis debent in Clericis prædamnari.

His itaque ab Aurelio propositis, universum Concilium dixit: *nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelium facit sine* (a) *periculo*. „ Quod quidem ita accipiendum est, ait Zonaras. Quoniam & veteri Testamento, id namque per Prophetas, indicavere, & novo, quod per Evangelium intelligi volunt, fœnerare ne liceat, interdictum est; neminem, qui contra ea quidquam admiserit, immunem esse.

Hic nos docet Concilium, quod quandocumque aliquid in Prophetis aut Evangelio, tamquam illicitum damnatur, id pro damnato habendum, tametsi ratio, aut lex humana, in speciem repugnare videantur; ipsamque rationem & legem humanam ad scripturarum textum esse inflectendam, & ei subdendam.

Docemur quoque Patres Carthaginenses existimasse usuras evidentissime in Scriptura sacra esse damnatas.

CANON VI.

Fortunatus Episcopus dixit: In præteritis Conciliis statutum meminimus esse, ut Chrisma vel reconciliatio pœnitentium, necnon & puellarum consecratio a Presbyteris non fiant: si quis autem emerserit hoc faciens, quid de eo statuendum sit? Aurelius Episcopus dixit, audivit dignatio vestra suggestionem fratris & Coepiscopi nostri Fortunati, quid ad hæc dicitis? Ab universis Episcopis dictum est: Chrismæ (b) *confectio, & puellarum consecratio a Presbyteris non fiat, vel reconciliare quemquam in publica missa Presbytero non licere, hoc omnibus placet.*

SCHOLION.

Chrismatis confectio, & puellarum consecratio, & pœnitentium reconciliatio Presbyteris interdicitur Ex Syn. Carth. anno 390 sub Genethlio.

CANON hic desumptus est ex Concilio Carthaginensi secundo sub Genethlio, anno 390. unde & editio Holsteniana emendatior suggerentem nominat non Fortunatum, sed Numidium Episcopum Maxulitanum, & pro Aurelio ponit Genethlium.

Tria Episcopis reservat præsens Canon; idque, uti suggerebatur, conformiter ad Decreta *in præteritis Conciliis*. Hoc ostendit disciplinam illam variis in Conciliis in Africa fuisse jam ante stabilitam.

Primo reservatur Episcopis Chrismatis confectio. Hæc autem confectio est sacri olei ex mystico cæremoniarum ritu consecratio, inquit Zonaras.

Non tantum in Africa hanc Chrismatis confectionem jampridem reservatam fuisse, sed & in Hispania evincit *Canon* 20. Concilii Toletani primi, ineunte sæculo V. celebrati.

Puellarum consecratio similiter Episcopo reservata.

Secundo reservatur Episcopis puellarum consecratio. Uti enim observat hic Zonaras: „ antiqui moris fuit, puellas, quæ Virginitatem profiterentur, & castitatem voverent, in templo sistere, quas Episcopi adhibitis precationibus, veluti Deo dicatas consecrabant, earumque custodiæ & institutionis postquam a parentibus secessissent, curam ipsi suscipiebant.

Testis est Hieronymus.

Et sane antiquitus Virginum consecrationem specialiter ad Episcopum spectasse, testis est S. Hieronymus Epistola ad Demetriadem, & Epistola 83. ad Oceanum, ubi propterea Episcopum vocat *Virginum consecratorem*. Et in Sacramentario S. Gregorii legitur *pag.* 174. ex editione Hugonis Menardi, *Benedictio Virginis ab Episcopo dicenda*, & *pag.* 175. habetur oratio *ad Ancillas Dei velandas*. Notat autem ibidem Menardus, hanc solemnem velationem, olim factam post diuturnam Virginis probationem, eo quod ejusmodi velatione, propria quædam fieret Virginis consecratio, & strictissima cum Christo sponso conjunctio.

Hæc consecratio non fiebat ante quadragesimum annum.

Quocirca olim Virgines ante annum ætatis suæ 40. non velabantur, uti pluribus ibidem adstruit Menardus, qui & ibidem monet susceptionem veli a professione seu voto Virginitatis fuisse distinctam, atque hanc potuisse anno ætatis 16. aut 17. emitti juxta Canonem 18. Sancti Basilii. Verum an ætate S. Basilii professio tam arcto vinculo Virginem ad castitatem servandam adstringeret, quemadmodum hodie; an vero id demum per velationem contingeret, non constat. Haud dubium tamen, quin circa hoc punctum, varia fuerit Ecclesiarum disciplina.

Interim ex antiqua disciplina profluxisse videtur, quod ætas 40. annorum, quæ secundum Canones requirebatur in Virgine velanda, hodie requiratur in eligenda in Abbatissam, Priorissam, aut Præfectam, vel Præpositam, ex decreto Concilii Tridentini *sess.* 25. *cap.* 7. *de Reformatione* Regularium, & annus ætatis 16. completus in Moniali profitente.

Reservatur Episcopo pœnitentium reconciliatio in Missa publica.

Tertio, Episcopo reservatur *reconciliatio pœnitentium in Missa publica*; sive decernitur *reconciliare quemquam in Missa publica Presbytero non licere*.

Per *Missam publicam* apud antiquos, intelligi Missam cum conventu populi, indubitatum est. Itaque *reconciliare quemquam in Missa publica*, est in publico fidelium conventu, & palam reconciliare, ac divinis mysteriis, etiam Eucharistiæ, a quibus exclusus erat, restituere; unde Græci legunt: *nec aliquem publico rei sacræ mysterio reconciliare Presbytero liceat*.

Extat Canon apud Gratianum, *caus. quæst.* 6. *Can.* 1. prout legitur in Codice Africano.

CANON VII.

Aurelius Episcopus dixit: si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliare divinis altaribus petierit: si Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare; quam rem debemus salubri consilio roborare. Ab universis Episcopis dictum est: Placet, quod Sanctitas vestra necessario nos instruere dignata est.

SCHOLION.

Quid per Missam publicam intelligatur? Quomodo Presbyter infirmam pœnitentem absente Episcopo reconciliare queat?

PRÆSENS Canon, est Canon 4. Concilii Carthaginensis secundi sub Genethlio; unde in editione emendata Holstenii, non Aurelius, sed Genethlius proponens inducitur.

Cum in præcedenti Canone decretum esset, reconciliare quemquam in *publica Missa* Presbytero non licere; præsenti Canone resolvitur, id nequaquam intelligendum de casu, quo quisquam in periculo constitutus se reconciliari *divinis altaribus petierit*: Sed tunc, si Episcopus absens fuerit, posse sic periclitantem per Presbyterum reconciliari. Additur nihilominus, quod Presbyter eo casu, *debeat utique consulere Episcopum, & sic periclitantem, & ejus præcepto reconciliare*.

Hic sermonem esse de penitente, qui tempore pœnitentiæ nondum completo, ob instans periculum mortis se reconciliare *sacris altaribus* petierat, ipse Canonis contextus satis insinuat, probatque Albaspinæus in notis ad hunc Canonem.

De qua reconciliatione hic agatur?

Verum hoc difficile apparet, quod Canon velit, ut Presbyter etiamsi Episcopus *absens* fuerit, eum tamen consulat, & sic tandem *periclitantem ejus præcepto* reconciliet: cum facile contingere posset, ut sic periclitans moreretur, priusquam Episcopus esset consultus, & præceptum reconciliandi Presbytero dedisset; atque ita reconciliatione petita frustraretur, quæ tamen in articulo mortis pœnitentibus rogantibus neganda non est, uti & notat Albaspinæus; nimirum si de *simplici* & minima *reconciliatione* agatur, „ eam enim, ait, „ omnes Presbyteri, inconsulto Episcopo, in necessitate conferre poterant.

At maximam & perfectissimam reconciliationem, quæ fit per admissionem ad *S. Eucharistiam*, fieri non potuisse, etiam *in necessitate*, inconsulto Episcopo, tradit ibidem Albaspinæus; atque de hac reconciliatione hic agi prætendit: quia *reconciliari divinis altaribus*, prout Canon loquitur, maximam illam reconciliationem significare credit; *quod*, inquit, *omnes testantur Canones*.

An hic explicatio Albaspinæi sit conveniens, merito dubitatur.

Græci, ac signanter Balsamon, hic notant, Presbyteros sine permissione, sive licentia Episcopi, pœnitentes reconciliare non posse. Unde si abest Episcopus, debet Presbyter Episcopum consulere, qui obtinet locum Apostoli, & ligandi & solvendi potestatem accepit, & ejus hortatu facere reconciliationem, ait Balsamon, qui & addit, hanc moderationem „ Si modo „ expeditum sit interrogationem fieri. Si enim, ait, „ longe abest Episcopus, & mors imminet, etiam ab„ sque interrogatione, dabitur reconciliatio a Sacer„ dote". Qua clausula solvit difficultatem superius motam; supponit enim, nequaquam consulendum Episcopum, si instans infirmi periculum non permittat dilationem reconciliationis, donec Episcopum absentem Presbyter consulere potuisset. Quidquid sit de hac Balsamonis interpretatione, hoc interim constat, Patres admodum fuisse sollicitos, ne ante completam pœnitentiam Presbyteri reconciliarent, sine Episcopi licentia.

Extat hic Canon apud Gratianum *causa* 26. *quæst.* 6. *Can.* 5.

(a) *Sine suo periculo*, ut in Concilio Eliberitano legitur.
(b) *Chrisma*, loco Chrismatis legitur in MS. Codice Colbertino, qui sua canitie venerandus dicitur.

CANON

CANON VIII.

Numidius Episcopus Maxulitanus dixit: præterea sunt quamplurimi non bonæ conversationis, qui existimant majores natus, vel Episcopos passim vageque in accusatione pulsandos; debent tam facile admitti, nec-ne? Aurelius Episcopus dixit: placet igitur charitati vestræ, ut is, qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversus majorem natu non habeat accusandi? Ab universis Episcopis dictum est: si criminosus est, non admittatur: placet.

SCHOLION.

Can. VIII. desumptus ex Concilio sub Genethlio.

PRÆSENS Canon desumptus est ex Canone sexto Concilii Carthaginensis sub Genethlio, e quo & eum citat Ferrandus in Breviario *num.* 194. ubi & in emendata Holstenii editione, pro Aurelio interloquente legitur, Genethlius.

Criminosi rei vel suspecti non sunt recipiendi ad ferendum testimonium contra Episcopos & Presbyteros.

Cavent hoc Canone Patres Africani, ne contra doctrinam Apostolicam adversus Presbyteros (qui hic nomine *majorum natu* intelliguntur) vel Episcopos, accusatio facile recipiatur, atque in primis *si quis criminosus est* (sive Gr. *si quis infamia laboret*) *ad accusandum non admittatur*. Quod si Canones 6. Constantinopolitano cautum fuit, cujus Scholion consule.

CANON IX.

Augustinus Episcopus Legatus Provinciæ Numidiæ dixit: Hoc statuere dignemini, ut si qui forte merito facinorum suorum ad Ecclesia pulsi sunt, & sive ab aliquo Episcopo, vel Presbytero fuerint in communione suscepti, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius, refugientes sui Episcopi regulare judicium. Ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet.

SCHOLION.

In communionem recipi vetantur ab Episcopo exclusi, & recipientes, eodem crimine obnoxii tenentur ex ead. Synodo.

CANON hic desumptus ex Canone VII. sub Genethlio, quo suggerente, Synodo placuit: " ut qui
„ merito facinorum suorum, ab Ecclesia pulsi sunt;
„ si ab aliquo Episcopo, aut Presbytero, vel Clerico,
„ fuerint in communione suscepti, refugientes sui Epi-
„ scopi regolare judicium, etiam ipse pari cum eisdem
„ crimine teneatur obnoxius.

Hæc si cum textu præsentis Canonis conferantur, manifestum fiet S. Augustinum verba ex dicto Canone accepisse; atque hæc verba, *refugientes sui Episcopi regulare judicium*, superius rejicienda esse immediate, post vocem istam *suscepti*. Et sic verus Canonis sensus apparebit.

Cæterum, disciplina hoc Canone stabilita consonat Canoni 5. Nicæno, & Canoni 11. & 12. vulgo Apostolorum quorum Scholia consulenda.

Extat apud Gratianum *causa* 11. *quæst.* 3. *Canone* 19. ubi notanda nota Correctorum Romanorum.

CANON X.

Alipius Episcopus, Legatus Provinciæ Numidiæ dixit: nec illud prætermittendum est, ut si quis forte Presbyter ab Episcopo suo correptus, tumore vel superbia inflatus putaverit separatim sacrificia Deo offerenda, vel aliud erigendum altare, contra Ecclesiasticam fidem, vel disciplinam crediderit; non exeat impunitus. Valentinus primæ Sedis Provinciæ Numidiæ dixit: necessario disciplinæ Ecclesiasticæ, & fidei congrua sunt, quæ frater noster Alipius prosecutus est: proinde, quid videatur vestræ dilectioni, edicite.

CANON XI.

Ab universis Episcopis dictum est: si quis Presbyter a Præposito suo correptus fuerit, debet utique apud vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari: quod nisi fecerit, sed superbia (quod absit) inflatus secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim, cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat: ac si quertmoniam justam adversus Episcopum non habuerit, inquirendum erit.

SCHOLION

Quædam menda in vulgata editione Carthag. Concilii II. notantur.

HI duo Canones in Concilio Carthaginensi secundo unum Canonem conficiunt, idque indubie concinnius, cum prior propositionem Synodo factam duntaxat; & posterior Synodi resolutionem contineat.

In vulgata editione Concilii Carthaginensis II. legitur; *Alipius Episcopus Ecclesiæ Tagastensis*; at manifesto errore; quandoquidem Alipius, tempore celebrati hujus Concilii Carthaginensis secundi, nondum esset Episcopus. Unde rectius legitur in editione Holsteniana Felix Episcopus Selemsitanus; & pro *Valentino primæ Sedis Provinciæ Numidiæ*, uti habet editio vulgata, legitur, *Genethlius Episcopus*. At in Codice Ecclesiæ Africanæ legitur cum nominibus eorum, qui eum verbis e Synodo Carthaginensi, sub Genethlio mutuatis, in Synodo Carthaginensi anni 419. proposuerunt, & probaverunt.

Presbyteri querelam contra Episcopum in Synodo Episcoporum proponere jubentur.

Docet hic Canon, quod si Presbyteri querelam habeant contra Episcopum, tamquam injuste eos corripientem, seu condemnantem, non debeant ipsi propria auctoritate Episcopo suo recalcitrare; nec temere, vel superbia inflati se a proprii Episcopi communione segregare, & Ecclesiam scindere; se apud vicinos Episcopos conqueri debeant, ut per ipsos suo Episcopo reconcilientur.

Hæc disciplinæ Ecclesiasticæ & fidei congrua esse Patribus visum est. Neque enim aut Ecclesiastica disciplina, sive rectus ordo, vel fidei integritas servari poterunt, si Presbyteri propria auctoritate, prætextu injustæ condemnationis a proprii Episcopi communione recedere queant, *& cum aliquibus schisma facientes, sacrificium Deo offerre.*

Contrafacientes anathematizantur, & a loco suo removentur.

Igitur merito Patres decreverunt, ut Presbyter hæc faciens, *anathema habeatur, & proprium locum perdat*, de quo videri etiam potest Canon 6. Gangrensis, & Scholion eidem subjectum.

Et ne populum inficiant, longius depelluntur.

Quin & Patres Africani considerantes quam perniciosi sint hujusmodi inflati & protervi Presbyteri, & quam facile simplex populus a similibus seducatur, post hæc verba, *loco amisso anathema habeatur*, addiderunt (prout in vulgata & emendata Concilii Carthaginensis editione legitur) " nihilominus & de civitate &
„ congregatione, in qua fuerit, longius depellatur,
„ ne vel ignorantes, vel simplices mentes, serpentina
„ fraude decipiat, quoniam secundum Apostolum,
„ Ecclesia una est, una fides, unum Baptisma. " At illa in Codice Africano, ubi ex Synodo anni 419. Canon refertur, non ponuntur.

Inquiri tamen debet, num Presbyteri justam querelam habeant.

Verum licet ob periculum infectionis, & unitatem Ecclesiæ, rectumque ordinem servandum, Patres hujusmodi Presbyterum a loco suo amovendum censeant; nihilominus volunt ut & inquiratur, num querimoniam adversus Episcopum justam habuerit, crimenque illius aliquod noverit, ex quo jure se ab illius communione subducat, uti notat Zonaras: quod apud Græcos ita exprimitur: *hoc scilicet considerato numquid adversus Episcopum justam habeat expostulationem.*

Docet hic Canon etiam a communione Episcopi se segregantes schisma inducere.

Hic obiter nota; schismaticos fuisse reputatos non tantum, qui a communione Sedis Apostolicæ recedebant, sed & eos, qui se in causa fidei aut etiam disciplinæ ab Episcopi proprii communione, privata auctoritate sine justa causa subducebant; utpote qui unitatem Ecclesiæ, cui Episcopus præsidet, scinderent. Sed & hoc notandum, Presbytero, qui se ab Episcopo proprio injuste damnato recedit, locum dari suæ defensioni, scilicet recurrendo ad Synodum Provincialem, seu finitimos Episcopos juxta temporis istius disciplinam.

CANON XII.

Felix Episcopus dixit: Suggero, secundum statuta veterum Conciliorum, ut si quis Episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare: ne in crimine remaneat, a duodecim Episcopis audiatur; & Presbyter a sex Episcopis cum proprio suo Episcopo audiatur, & Diaconus a tribus.

CANON XIII.

Aurelius Episcopus dixit: Quid ad hæc dicit Sanctitas vestra? Ab universis Episcopis dictum est: a nobis veterum statuta debere servari, sicuti & inconsulto Primate cujuslibet Provinciæ, tam facile non præsumant multi congregati Episcopi Episcopum ordinare; nisi necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocumque loco sint, ejus præcepto ordinare debebunt Episcopum: & si quis contra suam professionem, vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit.

SCHOLION.

Canones hi desumpti ex Synodo Cartag. an. 390. sub Genethlio.

PRIOREM Canonem desumptum esse ex Concilio Carthaginensi secundo, sub Genethlio manifestum est, & probat Ferrandus Diaconus in *Breviario num.* 55. & 96. illud autem notandum, in Codice Africano, tam apud Dionysium, quam apud Græcos, solam propositionem Felicis Episcopi priore Canone exhiberi, resolutionem vero Synodi super dicta propositione rejici in Canonem sequentem: in Concilio autem Carthaginensi, unum eumdemque Canonem ex propositione Felicis, & resolutione Synodi conflari, quæ lectio indubie præferenda est, & sensum Canonis reddit clariorem.

Ad evitandam infamiam Episcopi Presbyteri, & Diaconi ex.

Canon hic prout extat in Codice Ecclesiæ Africanæ tam latino quam græco, item in Concilio Carthaginensi ex editione Holstenii, permittit, *ut Episcopus si in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia neces-*

[illegible] dorum minori numero Episcoporum audiri permittuntur.

necessitas; non posse plurimos congregare Episcopos, (sive Gr. *fieri non possit omnino ut multi conveniant*): *ne in crimine remaneat, a duodecim Episcopis audiatur, & a sex Presbyter; & a tribus Diaconus*, cum proprio suo Episcopo. Ita quoque legisse Ferrandum Diaconum evidens est; citat enim *num.* 55. ex Concilio Carthaginensi sub Genethlio: " Ut Episcopos, si causam ha- „ buerit, duodecim Episcopis audiatur: & *num.* 96. „ ex eodem; " Ut Presbyter, qui reatum incurrerit, „ a sex vel septem Episcopis audiatur.

Canon loquitur de secunda instantia, signanter quoad Presbyteros & Diaconos.

Sed dicet quis, quomodo hic Canon requirit 6. Episcopos, ut judicetur Presbyter, & tres, ut Diaconus, cum juxta Canonum IV. Antiochenum Presbyteri & Diaconi a solo suo Episcopo judicari debeant? Respondet Zonaras, Canonem Antiochenum procedere in prima instantia; hunc vero in secunda, dum scilicet Presbyter aut Diaconus de sententia Episcopi queritur: hæc enim querela juxta Canones, coram Synodo provinciali quidem esset instituenda; at si Synodus convenire nequeat, permittit præsens Canon, ut querela Presbyteri a sex, Diaconi vero a tribus, assistente proprio Episcopo, examinetur; atque de hoc solo casu Canonem loqui, manifestum est.

Vulgata editio hujus Canonis in Concil. Carth. 2. recedit a vero sensu Canonis.

Insuper notandum, in vulgata editione Concilii Carthaginensis secundi legi; ut Episcopus audiatur *a duodecim Episcopis, & a sex Presbyteris, & a tribus Diaconibus*; secundum quam lectionem præsens Canon tantum ageret de judicanda causa Episcopi, non autem Presbyteri aut Diaconi: atque ita haberi in editionibus Conciliorum Parisiensibus & Coloniensibus, quemadmodum & in multis Gratiani manuscriptis monent correctores Romani ad Canonem 4. causa 15. quest. 7. ubi hic Canon refertur iisdem verbis, eoque sensu, quibus extat in Codice Africano. Dicunt Patres, se permittere, ut Episcopus etiam extra Synodum Provinciæ plene congregatam audiatur) quando Episcopi ad Synodum convenire nequeunt: *ne in crimine remaneat*, id est, ait Zonaras: " Ne dum ambigua ejus „ innocentia est, tamquam accusationi obnoxius a „ populo, cui præest, despiciatur.

Finalis clausula Canonis de ordinatione Episcopi exponitur.

Quæ in Codice Africano adduntur posteriori Canoni de ordinatione Episcopi, desumpta sunt ex Canone 12. Concilii Carthaginensis sub Genethlio, sed admodum confuse, & vix intelligibiliter. Summa autem Canonis, prout extat in Concilio Carthaginensi ex editione Holstenii emendata hæc est. " Numidius Episcopus „ Maxulitanus dixit; quod aliqui Episcopi usurpatio- „ ne existimarent, contempto Primate cujuslibet Pro- „ vinciæ suæ, ad desiderium populi ordinare, neque „ litteris ad se primæ cathedræ manantibus, neque „ potestate accepta.

„ De propositione interrogati Patres per Genethlium, „ quid videretur; placuit omnibus, ut inconsulto Pri- „ mate cujuslibet Provinciæ, tam facile nemo præsu- „ mat, licet cum multis Episcopis in quocumque loco „ sine ejus, (Primatis) præcepto Episcopum ordina- „ re. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi, in „ quocumque loco sint, cum Primatis præcepto ordi- „ nare debent Episcopum.

Hic est clarus & genuinus Canonis sensus, coinciditque cum Canone IV. Nicæno. Hoc duntaxat observandum, Primatem hic eumdem esse, qui in dicto Canonæ Nicæno vocatur Metropolitanus; qui scilicet toti provinciæ præsidet; uti recte monent Balsamon & Zonaras.

Clausula de Episcopo contra subscriptionem suam veniente exponitur.

Post illa, quæ ad ordinationem Episcopi spectant, additur in Codice Africano, " & si quis contra suam „ professionem vel subscriptionem venerit in aliquo, „ ipse se honore privabit ": quæ non occurrunt in Canone XII. Concilii Carthaginensis, sed sumpta apparent ex *Canone XIII.* ejusdem Concilii, in quo similia reperiuntur, sed in alium plane finem & sensum applicata.

Cum enim in citato Canone XIII. qui & finalis est, proponente Genethlio, a Concilio dictum esset, placere ut omnia in hoc cœtu statuta custodiantur ab omnibus; additum est, proponente eodem Genethlio, ab universis Episcopis " qui contra suam professionem, „ vel subscriptionem venerit, ipse ab hoc cœtu sepa- „ rabit.

Evidens est hanc periodum dirigi adversus eos, qui violando decreta Concilii, quibus subscripserunt *contra propriam professionem* vel *subscriptionem venirent*; non autem contra eos, qui suffragio lato in electione alicujus Episcopi, professioni aut subscriptioni adversatus fuerit, quemadmodum in hoc Canone accipi videntur, & notat Zonaras.

Hinc patet verum sensum Canonum in hoc Codice contentorum frequenter petendum esse ex ipsis fontibus, e quibus desumpti, & in hunc Codicem relati fuerunt; omissis, vel mutatis subinde nonnullis etiam incuria exscriptoris, vel etiam nimio brevitatis studio. Si tamen aperte aliquid detractum sit; vel additum Canoni præcedenti Concilii, sequendus & retinendus sensus Canonis; prout ab hac sexta Carthaginensi Synodo reformatus est: Cum & huic Synodo auctoritas fuerint præcedentium Synodorum, Canones in materia disciplinæ, pro temporum circumstantiis limitandi, vel extendendi, prout necessitas, aut utilitas Ecclesiarum videbantur postulare.

C A N O N XIV.

Item placuit de Tripoli, ut propter inopiam Provinciæ unus Episcopus in Legationem veniat, & ut ibi Presbyter a quinque audiatur Episcopis, & Diaconus a tribus, ut superius memoratum est, proprio Episcopo residente.

S C H O L I O N.

Canon desumptus ex statutis Concilii Hipponensis an. 393.

QUOAD priorem partem Canon desumptus apparet ex Concilio Hipponensi anni 393. cujus statuta breviata nuper evulgavit Quenellus tomo 2. operum sancti Leonis; conficiuntque ibidem Capitulum II. Codicis Canonum Ecclesiæ Romanæ.

Ob inopiam Cleri Provinciæ Tripoleos permittitur ut unus tantum Episcopus ad Concil. Africanum veniat.

Ex Canone, prout hic ex Codice Africano refertur, intelligitur quidem, quod indulgeatur provinciæ Africanæ, quæ Tripolis dicebatur, ut propter inopiam Provinciæ unum tantum Episcopus in Legationem veniat, sed quanta sit hæc indulgentia, habito respectu ad alias Provincias, & de qua legatione agatur, non dicitur: quæ tamen intelligi possunt ex integro statuto Concilii Hipponensis, prout a Quenello exhibetur, & prout in Canone II. Concilii Carthaginensis, quod vulgo tertium vocatur, refertur.

Dicitur enim, statutum fuisse: " ut propter causas „ ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpe vete- „ rascunt, singulis quibusque annis Concilium convo- „ cetur; ad quod omnes Provinciæ, quæ primas Se- „ des habent, ex Conciliis suis *ternos* Legatos mit- „ tant, ut & minus invidiosi, minusque hospitibus „ sumptuosi, conventus plena possit esse auctoritas: „ & ut de Tripoli, propter inopiam Episcoporum, „ unus Episcopus veniat.

Hic perquam manifestum est, quæ remissio Provinciæ Tripoli facta sit; quodque de Legatione mittenda ad Concilium Africanum generale tractetur.

Hæc Canonis pars hic a Patribus Concilii Carthaginensis anni 419. omissa; at post Canoni 15. inserta, sed nonnihil mutata, ut ibidem notabitur.

C A N O N XV.

Item placuit, ut quisquis Episcoporum Presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cum in Ecclesia ei fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota; si relicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat & hoc in criminali; in civili vero perdat quod evicit, locum suum obtinere maluerit. Hoc etiam placuerit, ut a quibuscumque judicibus Ecclesiasticis ad alios judices Ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum; non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravati. Sane si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam a pauciori numero, quam constitutum est, non liceat provocari. Et ut filii Sacerdotum spectacula sæcularia non exhibeant; sed nec spectent, licet hoc semper Christianis omnibus indictum sit, & ubi blasphemiæ sunt, non accedant.

S C H O L I O N.

Canon ex Concilio Hipponensi ann. 393. Et Concil. Carthagin. vulgo III

HIc Canon tria diversa capita complectitur; quæ tam in statutis Concilii Hipponensis, quam in Concilio Carthaginensi, quod *tertium* dicitur, tres distinctos Canones conficiunt.

Episcopus relicto judicio Ecclesiastico ad sæculare confugiens locum amittat.

Primo Capite agitur de Episcopo vel Clerico, " qui, „ cum in Ecclesia ei fuerit crimen institutum, vel ci- „ vilis causa fuerit commota, relicto Ecclesiastico ju- „ dicio, publicis judiciis purgari voluit. De hoc sta- „ tuitur, quod etiamsi pro ipso prolata fuerit senten- „ tia, locum suum amittat, & hoc in criminali actio- „ ne; in civili vero, perdat quod evicit (*sive Gr.* „ id pro quo actionem intendit) si locum suum obti- „ nere maluerit.

Hoc caput conficit Canonem IX. Hipponensem apud Quenellum, uti in vulgato Concilio Charthaginesi tertio, addita hac clausula, " cui enim ad eligendos ju- „ dices undique patet auctoritas, ipse se indignum fra- „ terno consortio judicat; qui de universa Ecclesia ma- „ le sentiendo, de judicio sæculari poscit auxilium: „ cum privatorum Christianorum causas, Apostolus „ ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.

Refertur quoque hæc pars Canonis nostri ex Concilio Carthaginensi tertio apud Gratianum caus. XI. quæst. 1. Can. 43. eamque *referri in Concilio apud Palatium Vermis habito cap.* 18. monent ibidem Correctores Romani, quamvis nec in Codice Africano, nec apud Dionysium, nec apud Græcos habeatur: immo scribit Christophorus Justellus in notis ad Codicem Ecclesiæ Africanæ hæc verba in omnibus Latinis Græcisque Codicibus editis & manuscriptis, quibus in hac editione Codicis Africani usus est, desiderari.

Quid-

Judicia publica opponuntur Ecclesiasticis, & quare?

Quidquid sit, ex contextu Canonis patet, quod Patres *judicia publica* opponant judiciis Ecclesiasticis, atque per illa intellexerant judicia sæcularia, quod & pluribus sæculis in usu fuit, eo quod judicia Ecclesiastica potius formam arbitrorum, quam forensium judiciorum præferrent, uti latius ostendi in *Jure Ecclesiastico, Tom. IV. part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 2. ubi & observavi, quod olim Episcopi erant admodum solliciti, ne Clerici ad judicia sæcularia confugerent, sed causas suas Episcopis & Ecclesiæ submitterent, unice intenderint Clericos a litibus abstrahere, quodque hic fuerit præcipuus scopus exemptionis Clericorum a jurisdictione laicali.

Vera ratio exemptionis Clericorum a foro sæculari.

Ab arbitris non provocandum.

Secunda pars Canonis nostri conficit *Canonem* 10. tam Hipponensis apud Quenellum, quam Carthaginensis Concilii, quod *tertium* vulgo dicitur, & in eo placuit, ut a quibuscumque judicibus Ecclesiasticis, *ad alios judices Ecclesiasticos, ubi est major auctoritas* (seu Gr. *majorem potestatem habentes*) *fuerit provocatum* (vel Gr. *fiat appellatio*) *non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia* per judicem, ad quem appellatum est, *si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate vel gratia depravati*; quod hodiernis moribus consonat, uti notavi in *Jure Eccles. Tom. IV. part.* 3. *tit.* 9. *cap.* 2. & pluribus citatis notavit D. Christineus ad *caput* 124. *libri primi* Bugnonii *de Legibus abrogatis*; uti & quod ibidem dicitur de non provocando *a judicibus consensu partium electis*, quos *arbitros* dicimus, ab hodiernis moribus haud dissentit; uti observavimus in *Jure Eccles. Tom. IV. part.* 3. *tit.* 5. *cap.* 4. nisi quod *reductionem*, quæ vicem appellationis supplet, suprema Tribunalia frequentius admittant.

Error Gratiani in relatione hujus Canonis fuit occasio reductionis a sententia Arbitrorum.

Hæc postrema periodus refertur a Gratiano causa 2. quæst. 6. Can. 34. sed omissa *negatione*, atque ita Canon, prout a Gratiano refertur, permittit a judicibus *consensu partium* electis *provocari*: sed contra omnium tam MSS. quam editorum exemplarium Carthaginensis Concilii fidem, in quibus omnibus legitur negative, *non liceat*, uti monent Correctores Romani. Quemadmodum & Ivo legit in suo Decreto, *part.* 6. *cap.* 363. & ita legendum esse, præcedentia Canonis verba (quæ extant apud Gratianum, *Can.* 37.) evincunt.

Nihilominus ex hoc Gratiani Decreto profluxisse hodiernum morem admittendi remissionem a *Laudo* arbitrorum admodum verisimile est, uti notavit vir eruditus Joannes a Costa in Commentario ad titulum Decretalium *de Arbitris*.

Vitanda spectacula præsertim filiis Clericorum.

Tertia Canonis nostri pars conficit undecim Hipponensem, & Carthaginensem, & quidem in vulgata editione Concilii Carthaginensis tertii sensus Canonis concinnius & clarius exprimitur, his verbis: *Ut filii Episcoporum vel Clericorum spectacula non exhibeant, sed nec spectent, quandoquidem a spectaculis & omnes Laici prohibeantur; semper enim Christianis omnibus hoc interdictum est, ut ubi blasphemi sunt, non accedant.*

„ Spectacula dicuntur, ait hic Balsamon, non solum „ equorum cursus, sed & omnis generis spectatio, bel„ luarum scilicet certamina, histrionum ludicra, salta„ tiones, & hujusmodi alia opera diabolica.

Hæc quamvis omnibus Christianis, etiam Laicis interdicta sint, exhibere aut spectare, nihilominus specialiter filiis Episcoporum & Clericorum hic interdicitur; quia Episcopi & Clerici præ reliquis debent filios & domesticos suos in doctrina ac lege Domini instituere, juxta Apostolum, qui scribens ad Titum, *cap.* 1. *vers.* 6. inter alia circa ordinandum Episcopum inquiri jubet: *Si filios habeat fideles, non in accusatione luxuriæ*. Et 1. *ad Timotheum cap.* 3. *vers.* 4. inter conditiones ordinandi Episcopi, ponit: *filios habentem subditos in omni castitate*. „ Qui vero, ait Zonaras, mimorum „ equorumque spectaculis, aliisque hujusmodi ludicris „ occupantur, neque intemperantiæ crimen effugient; „ neque integritatis & castimoniæ testimonio commen„ dabuntur.

Notandum, merito hic in fine dici omnibus christianis semper fuisse interdictum, ut ab iis abstineant, & *ubi blasphemia sunt* (Gr. & *maledicta*) *non accedant*. Supponebant igitur Patres, blasphemias & maledicta hisce spectaculis immisceri. Monet autem Zonaras „ blasphemiæ nomine, ea quæ licenter & inverecunde „ fiunt, significavit. Ob illa quippe fideles quasi tem„ perantiæ integritatisque contemptores, ab Infidelibus „ blasphemantur". Quam hæc hodiernis spectaculis frequenter & multorum scandalo intermisceantur, notum est, ut propterea merito ab his spectaculis fideles abstrahantur.

CANON XVI.

Item placuit, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, non sint conductores aut procuratores, neque ullo turpi negotio & inhonesto victum quærant, quia respicere debent scriptum esse, nullus militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. *Item placuit, ut Lectores, cum ad annos pubertatis pervenerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. Item placuit, ut Clericus si commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem, eamdem speciem, quantam dederit, accipiat: & ut ante viginti quinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec Virgines consecrentur: & ut Lectores populum non salutent.*

SCHOLION.

Canon sea curit partim in Concilio Carthaginensi III. partim in Hipponensi ann. 393.

Hoc Canone, rursus diversi Canones, qui tum inter Statuta Concilii Hipponensis a Quenello evulgata, tum inter Canones vulgares Concilii Carthaginensis III. continentur, in unum constantur.

Prima parte exhibetur Canon 15. Carthaginensis quo placuit, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi non sint *conductores aut procuratores*.

Vetantur Clerici turpi quæstu victum quærere, & sæcularibus negotiis se implicare.

Monet Labbæus, in Conciliorum collectione *col.* 1169. quod in vetustis quibusdam libris, post verba, *conductores, aut procuratores*, addatur, *privatorum*.

Ulterius, in vetustis quibusdam libris, additur in fine hæc notabilis clausula: *Neque ullo negotio tali victum quærant, quo eos peregrinari, & ab Ecclesiasticis officiis avocari necesse sit.*

Hæc clausula, uti & vos, *privatorum*, occurrit similiter in dictis statutis brevitatis Concilii Hipponensis *Can.* 15.

Monet ad hunc Canonem Zonaras, quod Synodus non *lucrum* dixerit, sed *victum*; ex quo infert: „ Quamvis enim eo inopiæ redigantur sacris initiati „ homines, ut alimenta quoque deficiant, ne tunc „ quidem eos turpi aut sordido artificii genere vitæ „ subsidia comparare oportet.

Quam hoc Canone feriantur hodierni isti Sacerdotes, qui, victus parandi causa de celebratione Missarum faciunt artem ad pane lucrando, nemo non videt, qui infame & sacrilegum illud Missarum commercium vel leviter expendit.

Universim autem vult Canon, ut Clericus abstineat ab iis omnibus quæ ipsum ab Ecclesiasticis officiis, sive Ecclesiastica militia cui adscriptus est, nata sunt avocare; quod indicat applicatio sententiæ Apostolicæ, 2. *ad Tim. cap.* 2. *vers.* 4. *nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. Vide quæ dicta sunt *in Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 2. *cap* 6.

Refertur a Gratiano, ex Carthaginensi tertio *causa* 23. *quæst.* 3. *Can.* 3.

Ad Lectorarum ætiam impuberes olim admissi & quare?

Secunda pars nostri Canonis exhibet Canonem 19. Carthaginensis tertii, prout in vulgata Concilii illius editione legitur. Monet autem Labbæus, quod vetusti Codices sic habeant: *ut lectores usque ad annum pubertatis legant, deinceps autem, nisi uxores custodita pudicitia duxerint, vel continentiam professi fuerint, legere non sinantur*; prout & in Statutis Hipponensibus legitur.

Quomodo occurrat Canon periculo incontinentiæ Lectorum?

Hic Canon, quocumque modo legatur, exhibet pristinam Patrum disciplinam recipiendi in clerum etiam impuberes, quos Ecclesiasticis officiis pro ætatis illius capacitate applicabant; ut ita ab infantia, in militia Christi exercitati, tandem ad majora Ecclesiæ ministeria obeunda forent exercitatiores. Unde de S. Joanne in Episcopum Cabillonensem electo, scribit Sidonius Apollinaris *lib.* 4. *Epist.* 25. „ Lector hic primum fit „ minister altaris, idque ab infantia; post laborum „ temporumque processu Archidiaconus &c.

Et de Sancto Felice martyre canit S. Paulinus, in ejus vita, Carm. 4. *Sese a puero spia mens Cœlestibus edens, instituit servire Deo .... Primis lectorservivit in annis.*

Meminit quoque puerorum ad Lectoris officium assumptorum S. Augustinus *lib.* 1. de consensu Evangelistarum *cap.* 10.

Non ergo a Patrum disciplina deflecterent hodie Episcopi, pueros militiæ clericali adscribentes, modo eo duntaxat fine adscriberent, ut minoribus muniis occupati, facilius probarentur & exercerentur, ut ad majora exinde Ecclesiæ munia obeunda sensim redderentur aptiores.

Insuper ostendit præsens Canon, quod Patres Africani non excluserint a Lectoris officio, qui postquam impuberes legerunt, puberes facti, custodita pudicitia uxores duxerunt. At non judicasse eis hoc officium credendum, si puberes facti, neque uxores duxerint, neque pudicitiam professi sint, ob periculum indubiæ incontinentiæ, quod ea ætas patitur, nisi vel matrimonio tamquam remedio utatur, aut professione continentiæ, ut quodam vinculo retineatur. Extat apud Gratianum *dist.* 2. *Can.* 8.

Usura a Clericis vitanda.

Tertia parte Canonis decernitur: *Si Clericus commodaverit pecuniam* (seu Gr. *mutuas pecunias dederit*) *pecuniam accipiat, si speciem, eamdem speciem, quantam dederit, accipiat.*

Extat hæc pars Canonis in farragine Concilii Carthaginensis tertii Canone 16. ubi ita legitur: *Ut nullus Clericorum amplius recipiat, quam cuiquam accommodaverit; si pecuniam accipiat, speciem eamdem, quam dederit, accipiat.* Post hæc additur generalis clausula, omnem plane usuram excludens. *Et quidquid aliud tantum quantum dederit, accipiat*: quæ clausula nec in statutis Hipponensibus apud Quenellum occurrit, ubi Canon 22. his verbis exhibetur. *Ut nullus Clericorum amplius accipiat, quam cuiquam commodaverit, sive pecuniam det, sive quamlibet speciem.*

Extat

Extat Canon cum hac clausula apud Gratianum *cauf.* 14. *quæst.* 4. *Can.* 6.

Requisita ætas in ordinandis Diaconis.

Quarta Canonis pars tria exhibet puncta, primo ut *ante 25. annos ætatis nec Diaconi ordinentur*, prout & legitur in *Canone* 4. Carthaginensis tertii. Ubi tamen monet Labbæus, hoc Capitulum in quibusdam vetustis Codicibus sic haberi: *Item placuit, ut lectores populum non salutent; & ante 25. annos nec Clerici ordinentur, nisi primum divinis scriptis instructi, vel ab infantia eruditi propter fidei professionem, vel assertionem*. Hæc lectio occurrit quoque Canone I. inter statuta Hipponensis Concilii.

Hæc lectio dubium relinquit, num statutum de non ordinandis Clericis ante 25. annos non restringatur ad Lectores, quorum immediate antea mentio facta est; quod dubium tollit nostra lectio, primam partem de Lectoribus ad calcem Canonis reducendo, ut mox dicetur.

Hinc ulterius consequens, quod, si genuina sit hæc posterior lectio, dubitari queat, num tunc temporis Lectores essent Clerici.

Si autem sine limitatione ad Lectores Canon generaliter *de Clericis ante 25. annos non ordinandis* in Concilio Hipponensi editus fuerit, probabile est, in Concilio Carthaginensi ad Diaconos esse restrictum, ob penuriam ministrorum, qua tunc temporis ob schisma Donatistarum Ecclesia Africana laborabat.

Item in Virginibus consecrandis.

Secundo additur: *nec Virgines consecrentur*, scilicet ante 25. annos ætatis.

Hæc periodus legitur non tantum apud Dionysium Exiguum, sed & in Concilio Carthaginensi tertio *Can.* 4. at desideratur in memorato Concilio Hipponensi, necnon in versione Græca apud Balsamonem, & Zonaram; qui nec hujus periodi in suis ad hunc Canonem commentariis meminere.

Revera autem Canonem de ea re conditum fuisse probat Ferrandus Diaconus, in cujus Breviario Canonum, *num.* 121. hæc leguntur; *Ut ante 25. annos, nec Clerici ordinentur, nec Virgines consecrentur*. Neque dici potest Ferrandum ea accepisse ex Concilio Carthaginensi VI. quandoquidem hic tantum Diaconis ea ætas præscribatur; apud Ferrandum autem, generaliter *Clericis*.

Denique Canonem editum ea de re ante Concilium Carthaginense VI. evidenter evincit Canon 126. hujus Codicis, desumptus ex Concilio Africano anni 418. uti in Scholio hujus notabitur.

Lectores populum non salutent.

Postremo adjicitur ad calcem, *ut Lectores populum non salutent*, quod in Concilio Hipponensi & quibusdam vetustis Codicibus, de quibus supra, facit initium Canonis, legitur.

Refertur a Gratiano, *dist.* 77. *Canone* 5. ex Concilio Carthaginensi tertio, ubi glossographus volens exponere hanc Canonis partem, *& ut lectores populum non salutent*, ait. " Solebant forte Lecturi in pulpi„ to, aliquam salutationem nobis ignotam præmittere„ vel dicebant, *Dominus vobiscum*, ubi modo dicunt, „ *Jube Domine benedicere*.

Verum verba hæc sincerius exponit vir in antiquitate Ecclesiastica versatissimus, Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis, observans eo tempore, quo Canon hic est editus, moris fuisse, ut non Diaconi, sed Lectores Evangelium, ab Episcopo in conventu populi exponendum, legerent: priusquam vero Evangelii pronuntiandi initium faceret Lector, elata voce proferebat; *pax vobis*; uti hodie Diaconus dicit *Dominus vobiscum*. Quia vero Patres hanc cæremoniam habebant pro divina salutatione; & ab Ecclesia ad impertiendam Christi *Pacem*; adoptatam, adeo quidem ut qui ea formula salutabatur, in communionem & pacem Ecclesiæ receptus videretur: Synodus Carthaginensis, eam auctoritatem ampliorem majoremque existimans, quam ut Lectoribus competeret, edixit, ne deinceps Lectores dicant, *pax vobis*: sive, quod idem est, populum salutent.

C A N O N XVII.

Placuit, ut Mauritania Sitifensis, ut (a) postulavit, Primatem Provinciæ Numidiæ, ex cujus cœtu separatur: ut suum habeat Primatem: quem consentientibus omnibus Primatibus Provinciarum Africanorum, vel omnibus Episcopis, propter longinquitatem habere permissa est.

S C H O L I O N.

Sensus hujus Canonis petendus a divisione Africæ.

Hic Canon nec in Carthaginensi Synodo III. nec in Hipponensi occurrit; pro intellectu ejus notandum, variam fuisse totius Africæ divisionem. Primitus quidem divisam fuisse in tres Provincias; in Numidiam, Mauritaniam, & Africam proprie dictam; ubi Carthago sita est, quæ & Proconsularis vocata, quia ipsa Proconsuli subjecta erat; cum reliquæ duæ præfecto Prætorio, vel Vicario ejus subessent.

Hæ rursus Provinciæ successu temporis ulterius divisæ fuere: & quidem Mauritaniæ, in Sitifensem & Cæsariensem; notantque auctores, Mauritaniam e Numidia distractam primitus fuisse, ideoque & a Primatu Numidiæ absolutam.

Sensus itaque hujus Canonis videtur, quod subtractio Mauritaniæ Sitifensis, a Primate Numidiæ jam antea facta, nunc omnium Primatum & Episcoporum, aliarum Provinciarum auctoritate confirmetur: consentiantque, ut hæc Provincia proprium Primatem distinctum a Primate Numidiæ habeat. De Primate Mauritaniæ Sitifensis.

Hic Primatus Mauritaniæ Sitifensi datus in Concilio Hipponensi anno 393. non videtur a Numidiæ Primate, & ejus Coepiscopis probatus, ut propterea in Concilio Milevitano, anno 402. Aurelius institerit, ut Numidiæ Episcopi Decretis Hipponensibus subscriberent, ut ibi notabitur.

C A N O N XVIII. *

* GRÆCE apud Beveg. complectitur hic Canon XVIII. XIX. XX. & XXI.

Item placuit, ut ordinatis Episcopis vel Clericis prius ab ordinatoribus suis placita Conciliorum auribus eorum inculcentur; ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse pœniteant. Item placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Scriptum est enim: accipite & edite: cadavera autem nec accipere possunt, nec edere: & ne jam mortuos homines baptizari faciat Presbyterorum ignavia: pro qua re confirmandum est in hac sancta Synodo, ut secundum Nicæna statuta, propter causas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpe veterascunt, singulis quibusque annis Concilium convocetur; ad quod omnes Provinciæ, quæ primas Sedes habent de Conciliis suis binos, aut quantos delegerint, Episcopos Legatos mittant, ut congregato conventu plena possit esse auctoritas.

S C H O L I O N.

Hic Canon ex variis Canonibus præcedentium Conciliorum conflatus.

PRæsens Canon rursus ex tribus diversis Canonibus, seu eorum saltem fragmentis conflatus est.

Episcopis vel Clericis in ordinatione Canones prælegendi.

Prima pars exhibet *Canonem tertium* Carthaginensis tertii, sive *Canonem secundum* Hipponensis Concilii apud Quenellum, quo decernitur, ut *Episcopis & Clericis ordinatis*, (vel juxta Gr. *cum ordinatur Episcopus vel Clericus*) *prius ab ordinatoribus suis, placita Conciliorum auribus eorum inculcentur: ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse pœniteant*.

Id statutum suasu S. Augustini.

Hunc Canonem in Synodo Hipponensi suasu S. Augustini editum fuisse colligitur ex Possidio in ejus vita, ibi enim de ejus contra Canonem Nicænum ordinatione loquens, ait: " Quod in se ipso postea fieri „ non debuisse, ut vivo suo Episcopo ordinaretur, „ & dixit & scripsit propter Concilii universalis Ni„ cæni primi vetitum, quod jam ordinatus didicit; „ nec, quod sibi factum esse doluit, aliis fieri voluit. „ Unde etiam sategit, ut Conciliis constitueretur E„ piscoporum, ab ordinatoribus ordinandis, vel or„ dinatis, omnium statuta Sacerdotum in notitiam es„ se deferenda.

Quandoquidem id suggerente Augustino, jam Episcopo ordinato constitutum sit, non potest hoc decretum tribui Concilio Hipponensi, anni 393. quandoquidem S. Augustinus ante annum 395. non fuerit ordinatus Episcopus, unde & eruditi Monachi Benedictini, in nota marginali ad citata verba Possidii, indicant Concilium Carthaginense anni 397. ut hujus decreti auctorem.

Hinc tamen non concluditur Augustinum Concilio interfuisse.

Hinc concludendum appareret, quod S. Augustinus huic Concilio Carthaginensi interfuisset: verum id nequaquam efficaciter inde probatur; quandoquidem potuerit sollicitare & procurare per alios, ut id statueretur, licet ipse præsens non esset; id quod Possidius innuere videtur, dicens: *sategit*: præsertim cum non desint graves rationes, quæ suadeant, Augustinum non interfuisse: uti notavi in dissertatione prœmiali §. 5. & ostendit D. Tillemont in nota 26. ad vitam S. Augustini.

Hic reflectant Ecclesiastici, quam utilem, immo necessariam Clericis, jampridem judicaverint Patres, Canonum notitiam, atque propterea studium eorum nullatenus ipsis esse negligendum, uti latius ostendi, *Tom. V.* in dissertatione *de Instituto Canonicorum*, *parte* 1. *cap.* 3. §. 2. *&* 3.

Eucharistia mortuis non danda.

Secunda pars Canonis, de Eucharistia mortuorum corporibus non danda, desumpta est ex Canone sexto Carthaginensis tertii Hipponensis.

Evidens est ex toto Canonis contextu, Patres Africanos vetuisse, ne Eucharistia corporibus mortuorum daretur: quod & Balsamon & Zonaras observarunt: tametsi apud Græcos pro *mortuorum*, legatur *morientium* corporibus.

Ea olim mortuis consepeliebatur.

Olim moris fuisse sepeliendi cum mortuis Eucharistiam, colligitur ex vita S. Basilii, Amphilochio adscripta, ubi refertur: cum tempore sacrificii, hostiam in tres partes divisisset, unam servaverit, una *secum sepeliendam*. Extat quoque ejus moris notabile

(a) Volunt nonnulli hanc particulam ut esse superfluam, adeoque esse delendam.

bile exemplum, apud Sanctum Gregorium *lib. 2. dialog. cap. 24.*

An ex hoc more invaluerit tandem mos, non tantum Euchariſtiam mortuis conſepeliendi; ſed & ori mortuorum per modum communionis imponendi, incertum eſt; hoc interim conſtat, Patres Africanos, morem hunc mortuis ſacram Euchariſtiam dandi improbaſſe: tam quod *mortuorum corpora nec accipere poſſint, nec edere*; tum quod cavendum eſt, ne mortuum etiam baptizari poſſe fratrum infirmitas credat, cum Euchariſtiam dari mortuis animadvertit.

Ex eodem more videtur profluxiſſe mos mortuos baptizandi.

Sane non adeo abſonum videbatur, quod ex datione Euchariſtiæ, ab aliquibus concluderetur, baptiſmum quoque eis dari, & poſt vitam prodeſſe poſſe.

Hicque videtur eſſe genuinus ſenſus hujus Canonis, quem præfert, non tantum hujus Canonis lectio in Codice Africano, tam apud Dionyſium, quam apud Græcos, ſed etiam in Concilio Hipponenſi apud Quenellum. Ut proinde vitioſa videatur lectio hujus Canonis in vulgata editione Concilii Carthaginenſis tertii, ubi ultima Canonis periodus legitur negative: *cum Euchariſtiam mortuis non dari animadvertit*. Videri poterit nota huic Canoni a Quenello ſubjecta; qui licet dicat, quod utraque lectio ſenſum non ineptum patiatur, fatetur tamen priorem eſſe præferendam.

Ad evitandos hos abuſus, Epiſcopis & Clericis in ordinatione Canones prælegi jubentur.

Admodum veriſimile eſt, quod Patres Africani, in Concilio Carthaginenſi VI. ob hos abuſus, quos produxerat *Presbyterorum ignavia*, moti fuerint, ut eodem Canone jungerent decretum de intimandis Conciliorum placitis is, qui Epiſcopi aut Clerici ordinantur.

Hunc nexum inter utramque hanc Canonis partem intellexiſſe videtur Creſconius, dum utramque ſic abbreviando ſimul conjunxit *cap. 243.* ſui Breviarii Canonum. *Ut Clericus, qui ordinatur, moneri debeat, conſtituta Patrum ſervare, maxime vero, ut corporibus mortuorum Euchariſtia, & baptiſma non dentur.*

Eumdem in finem ſtatutum, ut Synodus annue habeatur.

Eamdem abuſuum conſiderationem, dediſſe Patribus occaſionem renovandi Canonum ſtatuta de annua Conciliorum celebratione, manifeſtum eſt ex his Canonis verbis; *pro qua re confirmandum eſt*, &c.

Canon de anniverſariis Synodis habendis conditus in Concilio Hipponenſi anno 397. Can. 5. in Concilio Carthaginenſi anni 407. ſi non abrogatus, ſaltem multum mitigatus erat, ut infra ex Canone 95. hujus Codicis, ubi Canon iſtius Concilii refertur, patebit.

Porro Patres Concilii Carthaginenſis VI. anni 419. attendentes abuſus invaleſcentes, ac inſuper ſtatutum Nicæni Concilii hujuſmodi Synodos anniverſarias haberi præcipiens, ac denique *propter cauſas Eccleſiaſticas, quæ ad perniciem plebium ſæpe veteraſcunt*, Canonem antiquum reſtituendum exiſtimarunt, ſtatuentes, ut ſingulis annis Concilium convocetur.

Primates ad Synodum aliquos Epiſcopos mittere debent.

Ut autem minori incommodo Epiſcoporum & Eccleſiarum Concilium hoc celebrari queat, volunt Patres, ut ad illud *omnis Provinciæ, quæ Primates habent, de Conciliis ſuis* (ſeu Gr. *ex propriis Synodis*) *binos aut quartos delegerint Epiſcopos Legatos mittant*. *Canone Hipponenſi & Carthaginenſi* ſimpliciter dicitur *ternos Legatos mittant*: unde in hoc Concilio, quoad numerum mittendorum, major libertas Primati relicta eſt.

Addit Canon noſter rationem: *ut congregato conventu, plena poſſit eſſe auctoritas.*

Alia ratio ſat apposita diminuti numeri Epiſcoporum additur in Canone Hipponenſis & Carthaginenſis Concilii tertii; (*a*) *ut & minus invidioſi, minuſque hoſpitibus ſumptuoſi, conventus plena poſſit eſſe auctoritas.*

Vox *Concilium*, ſumitur hic pro *diſtrictu* cujuſque Primatis.

Notandum quod hic dicitur, Primates Provinciarum debere mittere de Conciliis ſuis. Per *Concilia*, non intelligi *Synodos*, aut conventus Epiſcoporum; ſed diſtrictus, ſive Eccleſias Provinciarum, uti frequenter apud auctores Eccleſiaſticos, vox illa accipitur.

Per Primates Provinciarum intelligendi ſunt Metropolitani, ſive ii, qui in Africa Metropolitanorum vice fungebantur.

In editione Græcorum hic Canon quatuor Canones conficit.

Græci ex hoc Canone quatuor Canones diſtinctos conficiunt; primus quidem, qui Canonem 18. ibidem conficit, eſt merus titulus trium ſequentium his verbis expreſſus: *Si quis Clericus ordinatur, admoneri ut ſervet conſtituta, & ut mortuorum corporibus Euchariſtia non detur, nec baptiſmus, & ut ſingulis annis in omnibus Provinciis ad Synodum conveniant*: qui eſt ipſiſſimus titulus hujus Canonis apud Dionyſium.

Pars Canonis, de prælegendis Conciliorum ſtatutis iis, qui Epiſcopi aut Clerici ſunt ordinandi, conficit Canonem 19.

Altera pars Canonis, de Euchariſtia corporibus mortuorum non danda, conſtituit Canonem 20.

Denique articulus Canonis, de Conciliis habendis, facit Canonem 21. atque hinc numerorum diverſitas apud Græcos & Latinos exorta.

CANON XIX.

Aurelius Epiſcopus dixit: Quiſquis Epiſcoporum accuſatur, ad Primates Provinciæ ipſius cauſam deferat accuſator, nec a communione ſuſpendatur, cui crimen intenditur, niſi ad cauſam dicendam electorum judicum, die ſtatuta, litteris evocatus, minime occurrerit: hoc eſt infra ſpatium menſis, ex ea die, qua eum litteras accepiſſe conſtiterit. Quod ſi aliquas veras neceſſitatis cauſas probaverit, quibus eum occurrere non potuiſſe manifeſtum ſit, cauſæ dicendæ intra alterum menſem integram habeat facultatem: verum tamdiu poſt menſem ſecundum non communicet, donec purgetur. Si autem ad Concilium univerſale anniverſarium occurrere noluerit, ut vel ibi cauſa ejus terminetur; ipſe in ſe damnationis ſententiam dixiſſe judicetur, tempore ſane, quo non communicat, nec in ſua Eccleſia, vel in Parochia communicet. Accuſator autem ejus, ſi nunquam diebus cauſæ dicendæ defuerit, a communione non removeatur, ſi vero aliquando defuerit, ſubtrahens ſe, reſtituto in communione Epiſcopo, ipſe removeatur a communione accuſator: ita tamen, ut nec ipſi adimatur facultas cauſæ peragendæ, ſi ſe ad diem occurrere non noluiſſe, ſed non potuiſſe probaverit. Illud vero, ut cum agere cœperit in Epiſcoporum judicio, ſi fuerit accuſatoris perſona culpabilis, ad arguendum non admittantur, niſi proprias cauſas, non tamen Eccleſiaſticas, aſſerere voluerit.

SCHOLION.

Can. Conc. Carth. III. & Hippon.

Epiſcopus accuſandus apud ſuum Primatem, vel ejus Synodum.

Hic Canon legitur in Concilio Carthaginenſi tertio, Canone VII. & in Concilio Hipponenſi apud Quenellum, ſed in duos Canones diviſus. Priori parte Canonis, quæ conſtituit Canonem 6. Hipponenſem, ſtatuitur: ut ſi quis Epiſcopum accuſare velit, *ad Primatem Provinciæ ipſius cauſam deferat accuſator.*

Ob ſolam accuſationem non ſuſpendendus.

Addit Canon: „ *nec a communione ſuſpendatur, cui crimen intenditur ob ſolam accuſationem* ": & merito, quia ſola accuſatio, qua & innocentiſſimi frequenter onerantur, neminem reum conſtituit, aut de crimine ſuſpectum facit, ut mox a communione ſuſpendi queat.

Datur ei ad ſe defendendum ſpatium unius menſis.

Verum ſi *ad cauſam dicendam, electorum judicum* (ſeu Gr. *eorum, qui ad judicandum electi ſunt*) *litteris evocatus, minime occurrerit* (ſive Gr. *præſtituto die non ſtiterit*); *hoc eſt infra ſpatium menſis ex ea die, qua eum litteras accepiſſe conſtiterit*: tunc ob ſuſpicionem criminis ex hac mora reſultantem, a communione removetur.

Si juſtam cauſam non comparendi habeat, conceditur ſecundus menſis.

Si autem veras aliquas cauſas probaverit; ob quas intra menſem judicio ſe ſiſtere nequiverit; indulget Synodus ut *cauſæ ſuæ dicendæ*, ſive ad reſpondendum iis, quæ adverſus eum propoſita ſunt, *intra alterum menſem integram habeat facultatem.*

Hoc elapſo, ſi non compareat non communicet donec ſe purgaverit.

Hoc ſecundo menſe elapſo, ſi nondum ad ſe purgandum, ſive ad defendendum in judicio comparuerit, tam vehemens contra accuſatum oritur de crimine objecto ſuſpicio, ut Synodus velit, *ut tamdiu poſt menſem ſecundum, non communicet, donec purgetur* (ſive Gr. *donec purus oſtenſus ſit*).

Hæc eſt prima pars Canonis, conſtituens integrum *Canonem 6.* Hipponenſem, in quo nulla occurrit mentio *electorum judicum*: uti nec in Concilio Carthaginenſi, quorum litteris evocandus eſſet Epiſcopus, ſed ſolius Primatis

Verior lectio hujus Canonis nullam facit mentionem electorum judicum.

Et hæc lectio verior apparet, quandoquidem Epiſcopi ſecundum Canones, in prima inſtantia, non coram *electis judicibus*, ſed coram *Metropolitano*, ejuſque Synodo conveniendi ſint: unde nec Balſamon, nec Zonaras, in ſuis commentariis ad *electos judices* reflectunt, ſed ad ſolum Primatem, tametſi & apud Græcos electorum judicum, ſive eorum, *qui ad judicandum electi ſunt*, mentio fiat, ſupponentes forte per hos intelligi Epiſcopos Provinciæ, qui ad judicandum, in Synodo Provinciali a jure deſignati, ſive *electi ſunt.*

Ex Canone præcedenti, & Scholio ad Canonem 14. patet, ſingulis annis indictum fuiſſe ad cauſas Eccleſiaſticas terminandas, Concilium generale Africæ.

Epiſcopus non comparens in Synodo annue celebranda reus criminis judicatur.

Itaque ſecunda parte Canonis, quæ facit *Canonem 7.* Hipponenſem, decernitur, quod ſi Epiſcopus accuſatus nec huic anniverſariæ, & univerſali Synodo ſe ſtiterit, *ut vel ibi cauſa ejus terminetur* tanta adverſus ipſum de objectio crimine præſumptio ex hac mora & contumacia in purgando oritur, ut declaret Synodus, quod non comparens, *ipſe in ſe damnationis ſententiam dixiſſe judicetur.*

Sic ſuſpenſus, nec in ſua Diœceſi communicare poteſt.

Cum autem Epiſcopus in judicio non comparens a communione removeatur, ob criminis objecti ſuſpenſionem, quæ ex mora exurgit, merito declarat Synodus, quod tempore, quo non communicat, *nec in ſua Eccleſia vel Parochia*) id eſt Diœceſi juxta phraſim hodiernam) *communicet*. Hoc eſt, uti exponit Zonaras: „ Illo ſegregationis tempore, neque in ipſius Eccleſia, „ neque alibi, velut in ſubjecta ſibi Parochia cum eo communicandi facultas erit.

Accuſator Epiſcopi, ob moram ſuſpenditur.

Tertia parte Canonis agitur de accuſatore Epiſcopi, ſtatuiturque, quod ſi ipſe die ſtatuto non comparuerit, reſti-

(*a*) In edit. Harduina tom. I. Concil. col. 961. Capitulo 2. legitur: *minuſque hoſpitibus ſumptuoſi exiſtant, & in congregato conventu plena poſſit eſſe auctoritas.*

ristituto in communione (seu Gr. *communicationi Episcopo*) *ipse removeatur a communione accusator*, ita tamen ut nec ipsi adimatur facultas causæ peragendæ si probaverit, se non potuisse die præstituto adesse: Ex illa quippe non comparitione accusatoris, nisi ex justa causa contigisse probetur, suspicio exurgit, accusationem hanc leviter nimis inchoatam esse: cum accusatorem, præsertim Episcopi, puncta accusationis oporteat habere parata, & rite discussa & probata, ipsumque accusatorem sufficienter omnibus instructum, priusquam accusationem contra Episcopum instituat.

Nisi moram purgaverit, ab ulteriori accusatione repellitur.

Cum agi cœperit, *in Episcoporum judicio, si fuerit accusatoris persona culpabilis* (sive Gr. *infametur*) *ad arguendum non admittatur, nisi proprias causas, non tamen Ecclesiasticas, asserere velit* (sive Gr. *de proprio negotio, non tamen Ecclesiastico, velit agi*) id est, nisi de re sua privata, & pecuniaria duntaxat agatur, non autem Ecclesiastica, quæ Episcopum, si probaretur, depositioni subjicere posset. Uti notant Balsamon & Zonaras.

Repellitur & accusator de crimine infamatus, nisi causam privatam non Ecclesiasticam habent.

Pro ulteriori hujus partis expositione, consule Scholion Canonis sexti Concilii Constantinopolitani primi.

CANON XX. *

* Gr. XXIII.

Si autem Presbyteri vel Diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis cum proprio Episcopo legitimo numero Collegarum, quos ab eodem accusati petierint: id est una secum in Presbyteri nomine sex; in Diaconi tres, ipsorum causam discutiant, eadem dierum & dilationum, & a communione remotionum, & discussione personarum inter accusatores, & eos qui accusantur forma servata. Reliquorum autem Clericorum causas, etiam solus Episcopus loci agnoscat & finiat.

SCHOLION.

Canon ex Carth. III. & Hippon.

CANON hic respondet Canoni VIII. Concilii Carthaginensis III. & Hipponensis in Codice Ecclesiæ Romanæ; ubi in margine notatur, omnes quidem legere in textu, *discussione*, videndum tamen esse, an pro *discussione*, non sit legendum *discussionis*.

Causæ criminales Presbyterorum & Diaconorum ab Episcopo cum adjunctis collegis, inferiorum autem Clericorum a solo Episcopo judicanda.

Et sane sensus Canonis eam lectionem exigere videtur; sensus enim Canonis genuinus videtur, ut Episcopi causam discutiant, eadem dilationum, vel a communione remotionum, & discussionis personarum inter accusatores & accusatos forma servata. Et antiquus glossographus ad hunc Canonem apud Gratianum *caus.* 15. *q.* 7. *Can.* 5. brevi compendio sensum horum verborum ita expressit. „ Id est, eædem dilationes dan„ tur accusatori, quæ & reo, & æque excommunica„ bitur accusator, si non venerit, sicut reus.

Quis numerus collegarum, & a quo eligendi.

Ad examinandam accusationem adversus Presbyterum intentatam requirit Canon, prout extat in Codice Africano, tam apud Dionysium, quam apud Græcos, *sex* Episcopos, & adversus Diaconum *tres*, qui una cum proprio Episcopo judicent. At tam in Concilio Carthaginensi tertio, quam Hipponensi, *quinque* duntaxat in causa Presbyteri, & *duo* in causa Diaconi requiruntur.

Gratianus licet Canonem referat sub nomine Concilii Carthaginensis tertii, *sex* tamen in Presbyteri, & *tres* in Diaconi accusatione requirit: notantque ibidem Correctores Romani: „ Sic in cæteris Codicibus impressis „ & MSS. præterquam in editione Coloniensi quatuor „ tomorum, in qua habetur; *in Presbyteri nomine quin„ que, in Diaconi duobus* “. Ex hac editione, in alias facile transiverunt, & a Labbæo in sua Conciliorum editione retenta sunt. Labbæum secutus est Harduinus. Utriusque editionem Conciliorum lector conferre poterit.

Ulterius Canon, ut est in Codice Africano, vult ut ab Episcopo proprio accusati, sive Presbyteri, sive Diaconi sibi adjungi ex vicinis locis, *quos ab eodem accusati petierint*, quemadmodum & Gratianus legit.

Sed neque in vulgata editione Concilii Carthaginensis, neque Hipponensis quid simile dicitur, sed simpliciter, ut Episcopi proprii causas eorum discutiant, *adjuncto sibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum; id est in Presbyteri nomine, quinque, & in Diaconi, duobus*. Quæ lectio supponit, electionem horum adjungendorum Episcoporum esse penes Episcopum proprium accusati; sed cum constans sit tam in Latinorum, ac præcipue Dionysii Exigui, quam Græcorum, supra relata Canonis lectio; verisimile est clausulam, quæ electionem defert accusato, a Patribus Concilii Carthaginensis sexti, additam esse Canoni Hipponensi, qui & videntur numerum Episcoporum adjungendorum auxisse.

Recte observavit glossographus Gratiani, hunc Canonem esse partem præcedentis, quod & particula conjunctiva, *autem*, sufficienter innuit. Præcedenti enim de forma servanda in accusatione Episcopi actum erat, & sane duos hos Canones unum eumdemque confecisse Canonem, tempore Sancti Augustini, colligitur ex ejus Epistola 78. num. 4. ubi scribit: „ Et in Episcoporum „ Concilio constitutum est, nullum Clericum, qui non„ dum convictus sit, suspendi a communione, nisi ad „ causam examinandam se non præsentaverit “. Cum enim nec prior Canon meminerit Clericorum, & posterior nihil statuat de non suspendendo a communione non legitime convicto, verisimile est utrumque Canonem per modum unius statuit habitum fuisse, atque ita in prima parte, dicta de Episcopis etiam Clericos respexisse.

CANON XXI. *

*Gr. XXIV.

Iterum placuit, ut filii Clericorum gentilibus vel hæreticis matrimonio non jungantur.

SCHOLION.

PARTICULA, *iterum*, quæ supponit præcedens eadem de re fuisse decretum, deest in Concilio Carthaginensi, & Hipponensi, & in Codice Africano apud Justellum, ubi Canon incipit per particulam, *item*, & apud Balsamonem per *similiter*. Ut proinde scrupulose inquirendum non sit, ad quem Canonem hic relatio fiat, quamvis in Synodo Laodicæna Canone 31. simile decretum reperiatur: cujus Scholion consule.

Quæritur, an iste Canon habeat relationem quamdam, cum altero Canone?

CANON XXII. *

*Gr. XXV.

Et ut in eos, qui Catholici Christiani non sunt, etiamsi consanguinei fuerint, per donationes rerum suarum, Episcopi vel Clerici nihil conferant.

SCHOLION.

IN Concilio Carthaginensi tertio, *Can.* 13. & Hipponensi *Can.* 14. ubi præsens Canon refertur, adduntur hæc verba; *nec per testamentum*: quibus significatur, nullo modo, nec mortis causa aliquid posse a Clericis in non Catholicos conferri; quod & generaliter omnibus fidelibus interdictum esse legibus civilibus monet hic Zonaras.

Clericis vetatur donatio, in favorem Acatholicorum etiam consanguineorum.

Hic interim nota Canonem Hipponensem a Patribus Concilii Carthaginensis sexti, omissione horum verborum fuisse mitigatum, quia forsan ob Donatistarum multitudinem rigor non conveniebat.

Nomen Catholici Christiani, quo Patres Africani distinguunt Christianos orthodoxos ab hæreticis, qui nomine Christiano gloriabantur, manifestat novum non esse, si & hodie Ecclesia se eo nomine ab omnibus hæreticorum conventibus secernat, ac ut vere Ecclesiæ notam assumat.

CANON XXIII. *

*Gr. XXVI.

Item, ut Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ Sedis Episcopo suæ cujusque Provinciæ: ut ab eo præcipue possint sumere formatam, vel commendationem.

SCHOLION.

QUOD hoc Canone de profectione *trans mare* legitur, idem est quod proficisci ad *trans marinas* Italiæ partes seu Regiones, uti notat hic Justellus, & latius exponetur infra ad Canonem 28. Vult igitur Canon, ut Episcopus *trans mare* non proficiscatur, *nisi consulto primæ Sedis Episcopo suæ cujusque Provinciæ, ut ab eo præcipue possit sumere* (sive Gr. *nisi ab ipso Primate præcipue acceperit*) *formatam* (Gr. *eam, quæ dicitur dimissoria*) *vel commendationem*.

Episcopi Africani trans mare non proficiscantur sine litteris commendatitiis.

Hæc finalia verba, *vel commendationem*, desunt in Concilio Carthaginensi & Hipponensi, additaque videntur expositionis causa, ut intelligeretur, *formatam* hic accipi pro litteris duntaxat *commendationis*, quibus Primas, sive Metropolitanus Episcopum proficisci meditantem *trans mare*, aliis Episcopis *commendet* a vita & doctrina, causamque legitimam proficiscendi exponat. Vide Sirmondum in notis ad Epist. 8. libri 6. Sidonii Apollinaris.

Quid *formata*.

Verebantur enim jampridem Patres, in suam communionem suscipere Episcopum, cujus vita & doctrina ipsis nota non erat; ne subinde sub vestimentis ovium, lupi in gregem intrarent. Hanc sane cautelam merito adhibent Pastores, circa Sacerdotes sive regulares, sive sæculares, qui se sacris functionibus volunt immiscere.

Ratio petendi *formatam*.

CANON XXIV. *

* Gr. XXVII.

Item, ut præter scripturas Canonicas nihil in Ecclesias legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judicum, Ruth, Regum libri IV. Paralipomenon libri II Job, Psalterium, Salomonis libri V. libri XII. Prophetarum, Hisaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Thobias, Judith, Esther, Esdræ libri II. Machabæorum libri II. Novi Testamenti, Evangeliorum libri IV. Actuum Apostolorum liber unus, Epistolæ Pauli XIV. Petri Apostoli II. Joannis Apostoli III. Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, Apocalypsis Joannis liber unus. Hoc etiam fratri & consacerdoti

doti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto Canone innotescat, quia a Patribus ista accepimus in Ecclesiæ legenda.

S C H O L I O N.

Cathalogus prout extat, conformis est catalogo Conc. Trid. Libri duo Machabæorum omittuntur in editione Græca; sed præferenda Latina.

CATALOGUM divinarum Scripturarum hoc Canone a Patribus expositum habemus.

Et quidem in hoc Canone, prout legitur in Codice Africano apud Dionysium Exiguum, catalogus Scripturarum, in omnibus consentit cum catalogo Concilii Tridentini *sess.* 4.

Verum notat Christophorus Justellus, quod „ hic „ Canon Carthaginensi Concilii extet in collectione „ Cresconii Africani Episcopi nondum edita; sed ibi „ Machabæorum libri non recensentur, nec in omnibus Græcis Codicibus editis & manuscriptis.

Hoc ultimum observat quoque Beveregius ad hunc Canonem; sed cum etiam fatentibus Beveregio & Justello constet, Canones Africanos Latine primum fuisse editos; quis ambigat, quin potius exemplaribus Latinis, utpote originalibus, quam Græcis e Latino, & quidem multo tempore ab eorum editione translatis, esse credendum? Præsertim quia Dionysius eodem sæculo, quo hic Canon conditus est, eum non translatum, sed, prout reperit Latine editum, in suam collectionem additis Machabæorum Libris transtulit?

Probatur auctoritate S. Augustini.

Denique omne dubium de veritate lectionis Canonis, uti apud Dionysium, aliosque Latinos collectores legitur, eximit, qui confectioni Canonis interfuit, Sanctus Augustinus, cujus est hæc toties decantata sententia *lib. 18. de civit. Dei cap. 36. Libros Machabeorum, non Judæa, sed Ecclesia pro Canonicis habet.*

In Canone Concilii Hipponensis quidam libri omittuntur.

In Concilio Hipponensi *Can.* 36. omittuntur & hi duo Libri Machabæorum, necnon secunda Epistola Petri, tres Joannis, una Judæ, & una Jacobi, ex harum scripturarum silentio Schelstratius in sua *Africana Ecclesia dissert.* 3. *cap.* 6. in dubium vocat Breviarium Canonum Concilii Hipponensis, quod in Codice Canonum Eccl. Rom. conficit *Capitulum secundum.*

Ut contra hanc Schelstratii objectionem, Codicis sui sinceritatem & antiquitatem vindicet Quenellus, in additione ad dissertationem suam 12. respondet; primo omnes libros illos, qui omissi sunt (si primam Petri, & primam Joannis excipias) non fuisse olim ab omnibus Ecclesiis receptos; secundo Canonem illum adhuc incertum fuisse Africanis Ecclesiis, de quo nimirum statuerunt, transmarinas Ecclesias esse consulendas, antequam confirmaretur. Denique facile fuit, ut properanti scribæ vel incauto exciderint libri illi, quorum mentio hoc loco desideratur.

Clausula de consulendis Ecclesiis transmarinis probat magni momenti esse determinato catalogum librorum Canonicorum. Nomen Bonifacii, quod occurrit indicat Canones huic Concilio non posse adscribi.

Quidquid sit de Quenelli responso, de quo etiam vide Tillemontium in vita S. Augustini *cap.* 78. & *nota* 181. hoc satis ostendunt Patres magni admodum momenti se existimasse Catalogum scripturarum divinarum determinare, dum volunt transmarinas Ecclesias consulendas, earumque suffragio Canonem confirmari petunt. *Hoc etiam fratri, & consacerdoti nostro* (sive G. *in sacris comministro*) *Bonifacio* (vel Gr.) *aliis earum partium Episcopis, pro confirmando isto Canone innotescat* (seu G. *ad Propositi Canonis confirmationem significetur*).

Hæc clausula prout legitur in hoc Codice apud Dionysium, extat quoque in Canonem 47. Concilii Carthaginensis III. anni 397. cui nullatenus tribui potest, quandoquidem *Bonifacius*, cujus hic fit mentio, demum creatus sit Pontifex 28. Decembris 418. Hoc rursus probat farraginem illam, quæ Concilium Carthaginense III. vulgo vocatur, in Conciliorum collectionibus, non esse genuinam unius Concilii Carthaginensis collectionem, sed supposititiam, ex variis Canonibus aliunde corrasis conflatam, ex Hipponensibus nimirum, ex vero Concilio Carthaginensi, quod anno 397. celebratum fuit: estque non absolute tertium, sed tertium sub Aurelio Primate, & ex Concilio Carthaginensi, quod anno 419. coram Romani Pontificis Legatis habitum est, uti monet Quenellus.

Admodum verisimile est Canonem hunc primitus conditum fuisse in Concilio Hipponensi, utque dein in Concilio Carthaginensi anni 419. tempore *Bonifacii* Romani Pontificis esse relectum, ipsique clausulæ de consulendis Ecclesiis transmarinis, in hoc Concilio insertum esse nomen *Bonifacii*.

Quidni & libri Canonici a Concilio Hipponensi omissi, hic suppleti? Cum certum sit, pro temporum & Ecclesiarum diversitate varios jam olim fuisse Canonicarum scripturarum catalogos, uti notavimus ad Canonem finalem vulgo Apostolorum; quem consule, *T. VI. Can* 85. *hujus editionis.*

Equidem in Concilio Hipponensi *Can.* 36. sic breviter hæc clausula exprimitur: *Ita ut de confirmando isto Canone, transmarina Ecclesia consulatur.*

Eamdem lectionem exhibet & vetustus quidam Codex, uti ex Binio monet Labbæus, *tom.* 2. *Concil. col.* 1177. Eadem verba se in antiquis Codicibus MSS. legisse asserit Quenellus, in nota dicto Canoni 36. subjecta, quæ in Oxoniensi & Thuanæo occurrere testantur auctores editionis Venetæ 1581.

Finalia Canonis verba: *quia a Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda:* nobis significant, Patres Africanos in concinnando catalogo sacrorum librorum, voluisse inhærere traditioni Patrum (*a*), nihilque novi voluisse fidelibus credendum obtrudere. Hæc finalia Canonis verba in Concilio Hipponensi quoque desunt, ac verisimiliter a Carthaginensi Concilio VI. addita sunt, omissis his, quibus Canon Hipponensis, & in Concilio Carthaginensi tertio clauditur; nempe, *liceat etiam legi passiones martyrum, cum anniversarii eorum dies celebrantur:* quæ Canonem 46. Codicis nostri conficiunt, ut ibidem notatur.

In confirmando catalogo librorum S. Scripturæ, inhærendum traditioni Patrum.

C A N O N XXV. *

Aurelius Episcopus dixit: Addimus fratres Charissimi præterea, cum de quorumdam Clericorum, quamvis Lectorum, erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit, quod & in diversis Conciliis firmatum est, ut Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi, Presbyteri, sed & Episcopi, secundum propria statuta, etiam ab uxoribus se contineant, ut tamquam non habentes videantur esse. Quid nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate. Ab universo Concilio dictum est, quæ vestra sanctitas est juste moderata, & sancta, & Deo placita sunt, confirmamus.

S C H O L I O N.

De continentia Clericorum.

HIc Canon desumptus videtur ex Concilio Carthaginensi, quod vulgo *quintum* dicitur, *Can.* 3. in quo tamen Aurelius proponens non introducitur, neque habentur hæc verba, *quamvis Lectorum*, velut Græci legunt, *præterquam Lectorum*, sed simpliciter legitur, *cum de quorumdam Clericorum; quamvis erga uxores proprias incontinentia referretur*: uti & legitur apud Gratianum, *dist.* 84. *Can.* 4. exhibetque sensum planiorem.

An comprehendantur Subdiaconi?

Huic rumori incontinentiæ occurrere volenti Synodo *placuit, quod & in diversis Conciliis firmatum est, ut Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi, Presbyteri, sed & Episcopi secundum propria statuta, etiam ab uxoribus se abstineant; ut tamquam non habentes videantur esse. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio.*

In Concilio Carthaginensi, *Subdiaconorum* mentio non fit, omittunturque hæc: *ut Subdiaconi, qui sacra contrectant*; sed tantum *Episcopi*, qui primo loco nominantur, *Presbyteri & Diaconi* exprimuntur, uti & apud Gratianum, loco citato; quamvis in antiquis editionibus, *dist.* 32. *Can.* 13. ubi idem Canon extat, *Subdiaconi* exprimantur, omissis tamen his verbis; *qui sacra contrectant*. At in editione Gratiani correcta, vox *Subdiaconi* sublata est: „ Quoniam, inquiunt Correctores, abest ab originali, & ab Africano *cap.* 37. & a Carthaginensi Græco *cap.* 71.

Sensus hujus clausulæ, *qui sacra contrectant.*

Interim tam apud Dionysium, quam apud Græcos, constanter leguntur hæc verba: *Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant*: Admodumque verisimile est a Concilio Carthaginensi anni 419. dum Canon Carthaginensis legeretur, hæc verba addita esse: quia scimus disciplinam circa continentiam Clericorum etiam in Africa sæpius variasse: creduntque Græci commentatores per hæc verba, *qui sacra contrectant*, significari Subdiaconos, ab uxoribus debere abstinere, *tempore suæ vicis*; sive quando secundum suas vices *sacra tractare debent*. Quod & ita de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis interpretantur; ipsique pro his verbis, *secundum propria statuta*, legunt, *in propriis terminis*, id est juxta ipsos, recurrentibus singulorum vicibus sacra tractandi.

Sensus hujus clausulæ, *secundum propria statuta.*

Unde ad epitomem hujus Canonis extat hoc Aristeni Scholion. „ Oportet eos, qui altari assident, tempore „ quo sacra tractant, a propriis uxoribus se contine- „ re, ut consequi omnino possint quod a Deo petunt". Et hoc sensu ad firmandam suam disciplinam. De indulto actu conjugali Presbyteris & Diaconis conjugatis præsentem Canonem allegavit Synodus Trullana, *Can.* 13. cujus Scholion consule.

C A N O N XXVI. *

*Gr. XXIX.

Item placuit, ut rem Ecclesiæ nemo vendat: quod si reditus non habet, & aliqua nimia necessitas cogit; hanc insinuandam esse Primati Provinciæ ipsius, ut cum statuto numero Episcoporum utrum faciendum sit, arbitretur. Quod si tanta urget necessitas Ecclesiæ, ut non possit ante consulere, saltem vicinos testes convocet Episcopos, curans ad Concilium omnes referre suæ Ecclesiæ necessitates: quod si non fecerit, reus Deo & Concilio venditor, honore amisso, teneatur.

SCHO-

(*a*) Hac de re legantur vindiciæ Deutero-Canonicorum vet. Testamenti, quas anno 1730, elucubravit P. Barre Canonicus Regularis.

SCHOLION.

Canon ex Conc. Carth. V.

Episcopus in alienatione rerum Eccl. Primatem consulere debet, vel saltem, necessitate urgente, vicinos Episcopos.

PRÆSENS Canon extat in Concilio Carthaginensi quinto *Can.* 4. ejusque naturalis sensus est hic: Nemo rem Ecclesiæ vendat: *Quod si reditus non habet, & aliqua nimia* (seu Gr. *magna*) *necessitas cogit, Primati* seu Metropolitano insinuetur, qui cum statuto numero Episcoporum de necessitate cognoscat, & utrum alienatio facienda sit, judicet. Quod si tanta necessitas Ecclesiæ urgeat, ut consuli Primas, sive Metropolitanus nequeat, tunc saltem Episcopus *curiositatem* (id est *curam*, dictione Africana) *habeat*, vicinis Episcopis hoc ante indicare, ut ipsi de necessitate alienationis sint testes; curans ad Concilium referre Ecclesiæ necessitate. *Quod si non fecerit, reus Deo & Concilio venditor, honore amisso teneatur.*

Hunc esse genuinum Canonis sensum patebit, si Canonis lectio apud Dionysium conferatur cum dicto Canone 4. Carthaginensi, uti etiam notat de Marca in *opusculo de veteribus Canonum collectionibus, cap. 9. n. 4.* qui tamen apud Græcos clarius exprimi videtur, quod posteriorem partem his verbis: *Si autem tanta premat Ecclesiarum necessitas, ut non possit, antequam vendat, consultare; saltem vicinos ad testimonium docet Episcopos, curam adhibens, ut Synodo demonstret urgentes omnes incommoditates, quæ suæ Ecclesiæ venerunt; quod nisi fecerit, & Deo & Synodo rationi reddendæ obnoxius videbitur venditor, & a proprio honore alienus.*

Per statutum Episcoporum numerum. intelligendus videtur numerus *duodenarius*, uti notant Balsamon & Zonaras; quia hic numerus statutus est, ut de criminationibus adversus Episcopum judicetur.

Extat hic Canon apud Gratianum *caus.* 17. *quæst.* 4. *Can.* 39. ex Concilio Carthaginensi *cap.* 26. quo judicatur Codex Africanus, qui sub nomine Concilii Carthaginensis collectioni Dionysii est insertus; quare & ibidem refertur iisdem verbis, quibus apud Dionysium habetur: notantque ibi Correctores Romani verba hec: *quod si reditus non habet*, quæ ibidem videntur referri ad *Ecclesiam*, in Græco ita legi, *quæ quidem res, si reditus non habeat*: hoc est, si res, de cujus alienatione agitur, sit sterilis & infructuosa, uti notat Zonaras.

Notant quoque Correctores verba hæc, *honore amisso* „ esse in Concilio inserto in Codice Canonum, in „ Codice Soriensi regio, & Canone Græco; abesse au„ tem ab omnibus Concilii quinti Carthaginensis, & „ duobus exemplaribus Vaticanis & Ivone.

Gratianus hunc Canonem desumsit ex Codice Africano, quem sub nomine Concilii Carth. citat.

Hinc patet, Gratianum hunc Canonem non ex Concilio Carthaginensi V. sed ex Codice Canonum Africanorum sumpsisse; huncque Codicem sub nomine *Carthaginensis Concilii* citasse; quo nomine eum Dionysius Exiguus appellavit.

Canon hic indicat curam Patrum Africanorum in conservandis rebus Ecclesiæ, & ne ab Episcopis temere & sine justa necessitate alienarentur, quo contingeret, ut Ecclesia ministris & pauperibus subveniendi facultates non haberet. Quæ autem juxta Sacros Canones & modernam disciplinam in alienatione rerum Ecclesiæ observanda sunt, exposui *in Jure Eccl. parte 2. t. III. sect. 4. tit. 5. cap. 3. & cap. 4.* alias *parte 2. to. 1. tit.* 36.

*Gr. XXX.

CANON XXVII. *

Item confirmatum est, ut si quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori culpa convincti fuerint, qua eos a ministerio necesse sit removeri, non eis manus, tamquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus Laicis, imponatur: neque permittendum, ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur.

SCHOLION.

CANON iisdem verbis legitur in Concilio Carthaginensi quinto, *Can.* 2. similiter & a Latinis & Græcis, nisi quod pro his, *tamquam pœnitentibus* Græci legant, *ut pœnitentiam agentibus*; & pro his, *neque permittendum, ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur*, apud Græcos habeatur, *neque permitti eis, tamquam rebaptizatis, ad Cleri gradum promoveri.*

Quid induxerit Patres ad hunc Canonem constituendum.

Credit Schelstratius in *sua Ecclesia Africana diss.* 3. *c.* 9. *in Scholiis Canonum, n.* 6. „ hunc Canonem positum „ esse, ne error Donatistarum in Ecclesiam Catholicam „ irreperet, & contra antiquam Ecclesiæ disciplinam „ habuisse, ut manus Episcopis & majoris ordinis Clero „ non imponeretur in pœnitentiam.

An prioribus primis sæculis quoad pœnitentiam publicam fuerit distinctio inter Clericos & Laicos?

In primis itaque supponit Schelstratius, *antiquam* Ecclesiæ disciplinam habuisse; ut manus Episcopis & majoris ordinis Clero non imponeretur in pœnitentiam, cum tamen ex multis antiquorum testimoniis ostendat Morinus, *lib.* 4. de Sacramento Pœnitentiæ, *c.* 12. tribus primis Ecclesiæ sæculis, etiam Presbyteris & Diaconis in crimen prolapsis, non secus ac Laicis pœnitentiam publicam fuisse impositam, nec ante sæculum quartum hanc inter Clericos & Laicos distinctionem invaluisse, ut hi publicam, illi occultam & privatam agerent pœnitentiam. Neque antiquius istius distinctionis testimonium haberi, quam responsum Siricii Papæ Epist. 1. *c.* 14. relatum a Gratiano *dist.* 50. *Can.* 66.

Ea demum sæculo quarto invaluisse videtur, quamvis S. Leo ad tempora Apostolorum illam referre videatur.

Unde quod sæculo quinto S. Leo, postquam dixit: „ alienum est a consuetudine Ecclesiastica, ut qui in „ Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint „ consecrati, ii pro crimine aliquo suo, per manus im„ positionem remedium accipiant pœnitendi, (addit) „ quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit „ benignius explicandum est, uti latius ostendit Quenellus in nota 7. ad S. Leonis Epist. 2.

Clericus in crimen lapsus, nunquam restituendus.

Secundo supposuit Schelstratius, mentem Patrum Africanorum fuisse per hunc Canonem præscribere & firmare disciplinam, ne Presbyteris Diaconis in crimen prolapsis, manus imponatur in pœnitentiam, *uti fidelibus Laicis*, hoc sensu & Canonem intellexisse Gratianum, manifestum est: relato enim ritu pœnitentiæ publicæ ex Concilio Agathensi, *dist.* 50. *Can.* 64. subjungit; *hanc pœnitentiam nulli unquam Clericorum agere conceditur*. Atque in hujus probationem immediate adducit præsentem Canonem. Hanc Gratiani interpretationem recentiores Canonum interpretes passim sequuti sunt; hosque & verisimiliter sine ulteriore examine sequutus fuit Schelstratius.

Verum Balsamun in suo ad hunc Canonem commentario, credit hoc Canone votari, ne Sacerdotibus aut Diaconis gravioris criminis convictis, possint manus imponi, ob *qualemcumque in Clerum receptionem, etiamsi pœnitentiam agant, & ut fideles Laici recipiantur*. Prætendebant enim hujusmodi Presbyteri & Diaconi depositi, quod post actam pœnitentiam, & in Laicorum locum redactionem, possent saltem ad eos gradus provehi, ad quos Laici provehuntur. Quod Patres renuunt, eo quod sit Canonibus definitum, Clericum in crimen prolapsum, nunquam posse ad Clerum restitui.

Quid intelligi possit per rebaptizationem?

Hanc Canonis expositionem videtur quoque amplexus Joannes Dartis, Canonum antecessor in Academia Parisiensi in *commentario ad dist.* 50. Gratiani, finalemque clausulam: *ut rebaptizati ad Clericatus gradum non provehantur*, intelligit de rebaptizatione per pœnitentiam dicens: „ nec permittendum, ut *rebaptizati*, id „ est renovati *per pœnitentiam*, quæ baptismus dicitur, „ ad Clericatus ordinem promoveantur “. Huic interpretationi favet lectio Græcorum: *nec permitti eis, tamquam rebaptizatis*, ad Cleri *gradum promoveri*: particula, *tamquam*, haud obscure innuente, de impropria rebaptizatione agi: Quamquam Balsamon, & Zonaras credant hic de propria rebaptizatione tractari, idque contra quosdam Clericos depositos „ qui petebant „ secundo baptizari, ait Balsamon, ut elueretur for„ san criminis macula, propter quam sunt depositi, „ & sic in Clericum reciperentur.

CANON XVIII. *

*Gr. XXXI.

Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in causis quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis Episcopi. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent ad trasmarina judicia, sed ad Primates suarum Provinciarum; sicut & de Episcopis sæpe constitutum est. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam ad communionem suscipiatur.

SCHOLION.

An clausula, *sicut & de Episcopis* sit supposititia?

PRÆSENS Canon iisdem pene verbis adscribitur Synodo Milevitanæ II. *Can.* 22. ac rursus refertur in hoc Codice Canone 125. excepta hac clausula *sicut & de Episcopis sæpe constitutum est.*

Clausulam hanc esse supposititiam, & privata manu Canoni adjectam contendunt Baronius, Perronius, aliique non pauci, ac novissime auctor Gallicus, *de judiciis Episcoporum, cap. 12. art. 2.* Et sane fatendum est eam in Canone Concilii Milevitani deesse; uti & in hoc Codice, *Can.* 125. Similiter constat, Cresconium Episcopum Africanum, ipsum Canonem Milevitanum referre sine hac clausula, qui tamen in Africa collectionem suam instituit post hanc Synodum Carthaginensem anni 419. in qua alii prætendunt eam clausulam huic Canoni additam fuisse.

Quamquam & illud constet, in omnibus hujus Synodi Carthaginensis Codicibus, tam Græcis, quam Latinis MSS. pariter ac editis, eam clausulam reperiri, atque a Dionysio Exiguo, Romæ suum Codicem colligente, referri; quo argumento, post Balsamonem, Zonaram, aliosque Græcos eam tuentur Petrus de Marca, & Guillelmus Beveregius.

De hoc saltem ambigi nequit, quin tempore hujus Conc. VI. Carthaginensis, summa fuerit inter Africanos & Romanos, de appellationibus Episcoporum ad judicia transmarina contentio, ut mirari nemo debeat, si a Patribus hujus Concilii addita fuisset Canoni Milevitano hæc de Episcoporum appellationibus clausula. Vide notam 84. Tillemontii ad vitam S. Augustini, in qua late discurrit de disciplina circa appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam, quæ in Africa olim viguit.

De Presbyteris, Diaconis, cæterisque inferioribus Clericis statuit præsens Canon.

Primo

Ad quos a sententia Episcopi inferiores Clerici appellare debeant?

Primo; quod si de judiciis Episcoporum suorum querantur; *Vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis Episcopi* (vel Gr. *vicini Episcopi eos audiant, & cum propriorum Episcoporum consensu, quæ inter eos intercedunt, controversias evocati Episcopi componant*).

Illud autem, *cum consensu sui Episcopi*, non sic intelligitur, quasi Episcopus, qui judicavit, & de cujus judicio ad vicinos Episcopos fuit querela delata, debeat judicio vicinorum Episcoporum interesse, & de ejus consensu, judicium ab iis ferri; sed *cum consensu* dictum est, ut " non per impudentiam, & sine scientia „ Episcopi ad appellationem prorumperent Clerici, sed ejus definitione ": uti loquitur hic Balsamon: quemadmodum hodie *Apostoli*; seu litteræ dimissoriales per appellantem peti debent a judice *a quo*.

Vetita appellatio ad transmarina judicia.

Secundo statuit Canon, quod si a judicio vicinorum Episcoporum ulterius Presbyteri & inferiores Clerici voluerint provocare, *ad transmarina judicia non provocent, sed ad primates suarum Provinciarum*; id est ad Metropolitanos, eorumque Synodos Provinciales.

Utque ostenderent, Patres quantopere appellationes ad extranea judicia, sive extra Africam reprobarent, additur: *Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo, intra Africam, ad communionem suscipiatur*, monet hic Balsamon: " quia præsentes Ca„ nones Carthagine seu in Africa editi sunt, trans„ marina omnia judicia vocabantur Romana.

Scopus igitur hujus Canonis est retinere causas Presbyterorum, & inferiorum Clericorum intra Africam, atque earum evocationes, etiam prætextu appellationis ad transmarinum judicium, etiam Romanum impedire, quemadmodum hi ipsi Patres hujus Concilii latius exposuere in Epistola Synodica ad Cœlestinum Papam, quem his inter alia verbis allocuti sunt: " Pres„ byterorum quoque, & sequentium Clericorum im„ proba refugia, sicut te dignum est, repellat Sancti„ tas tua; & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ „ derogatum est Africanæ; & decreta Nicæna, sive „ inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos, suis „ Metropolitanis apertissime commiserant. Prudentis„ sime enim, justissimeque viderunt quæcumque nego„ tia in suis locis, ubi orta sunt finienda. Nec uni„ cuique providentiæ gratiam Sancti Spiritus defutu„ ram, qua æquitas a Christi Sacerdotibus, & pru„ denter videantur, & constantissime teneatur. Maxi„ me quia unicuique concessum est, si judicio offen„ sus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, „ vel etiam universale provocare.

Quod autem ad hanc in Africa stabilitam disciplinam appellando ad Romanum Pontificem dicat Beveregius: quod quidem " eximium argumentum est, Pa„ pam Romanum, Africanorum horum Patrum judi„ cio, nec caput Ecclesiæ esse, nec summum Eccle„ siasticarum causarum judicem, ad quem Episcopo „ aut Clerico in sua Provincia condemnato appellare „ liceat ": si dicere intendat, quod ex denegata a sententia Primatis Provinciæ appellatione, vel in speciem, omnis Romani Pontificis in Africanos Episcopos Clericosque negaretur auctoritas & superioritas, multum hallucinatur.

Cur enim coercendis malevolorum tergiversationibus & frivolis appellationibus hæc statui non potuit disciplina sine Episcopi Romani Primatus aut superioritatis læsione, æque ac sine Regiæ auctoritatis violatione ubique pene receptum est, a sententia capitali lata a Magistratu civili nullam admitti appellationem ad supremum Principis Senatum.

Inepta Gratiani additio.

Canonem hunc refert Gratianus *caus.* 2. *quæst.* 6. *Can.* 34. qui more suo Canones ad sui temporis disciplinam inflectens, ei hanc parum convenientem clausulam appendit; *nisi forte Romanam Sedem appellaverit*: " Quasi Africani trans mare appellantes, alio „ quam ad Romanum Pontificem appellare consuevis„ sent, inquit Severinus Binius in notis ad Canonem „ 22. Milevitanum.

CANON XXIX.*

* Gr. XXXII.

Item placuit universo Concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive Episcopus, sive quilibet Clericus, & tempore excommunicationis suæ, ante audientiam, communionem præsumpserit; ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam.

SCHOLION.

Canon extat apud Gratianum, sed perperam attribuitur Concilio Africano.

HIC Canon refertur a Gratiano *caus.* 11. *quæst.* 3. *Canon.* 9. ex Concilio Africano: at monent Cor„ rectores Romani, in Concilio, inquiunt, quod ho„ die inscribitur Africanum, caput hoc non habetur; „ sed in Carthaginensi inserto in *Codice Canonum*, & „ in Græco *cap.* 29. & refertur in Synodo V. sess. 7. „ in Epistola Vigilii.

Codex Africanus.

En rursus argumentum pro auctoritate *Codicis Africani*, qui sub nomine Concilii Carthaginensis in Codice Canonum Dionysii Exigui extat.

Pro intellectu hujus Canonis videri potest Scholion in Canonem V. Nicænum, & in Can. XIV. Sardicensem, in quibus eadem disciplina circa excommunicatos præscribitur.

CANON XXX.*

* Gr. XXXIII.

Item placuit, ut accusatus vel accusatur in eo loco, unde est ille, qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes perducere, ubi causa finiatur.

SCHOLION.

Accusatio instituenda in loco quo testes tuto adduci possunt.

HAUD obscurus est Canonis sensus. Unice intendit Synodus, & accusatori, & accusato, plenam dare libertatem, & accusatori accusationem probandi, & accusato se defendendi & purgandi; ut si unus eorum probet locum ordinarium judicii, id est *unde* (vel Gr. *in quo est ille qui accusatur*) tutum non esse producendis testibus, *ipse locum sibi eligat proprium*: id est " non longo intervallo disjunctum, ne adversario „ & judicibus illuc convenire difficile sit, utque illic „ facile testes exhibere, controversiamque dirimere li„ ceat " ait hic Zonaras.

Canon de solo accusatore videtur intelligendus.

Canonem hunc citat Ferrandus Diaconus *num.* 108. sub nomine Concilii Hipponi-regiensis, tit. 5. omissis his verbis, *vel accusatus*, quæ revera in Canone abundare videntur; totius enim Canonis contextus videtur satis innuere de solo accusatore agi.

CANON XXXI.*

* Gr. XXXIV.

Item placuit, ut quicumque Clerici, vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere: nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.

SCHOLION.

Quid per *ampliorem honorem* intelligatur?

PER *ampliorem*, vel majorem *honorem* in hoc Canone intelliguntur Ordines majores: Ea quippe ætate necdum erectis beneficiis aut dignitatibus, amplior vel major honor non nisi a majoritate & dignitate Ordinum susceptorum desumebatur.

Adhæc, juxta illius temporis disciplinam, functiones Ordinum inferiorum non exercebantur per constitutos in Ordine superiore; puta Presbyter non obibat officium Diaconi; aut Diaconus Subdiaconi; immo mox ut Diaconus ordinatus erat Presbyter, excidebat omnibus juribus & officiis, quæ tamquam Diaconus habebat, & obibat.

Qua ratione inducerentur Clerici, ut ad majores honores promoveri nollent?

Hinc haud difficile est intelligere, quare Clerici nonnulli renuerent obedire Episcopis suis, *dum eos vellent, propter urgentes aliquas suarum Ecclesiarum necessitates ad honorem ampliorem*, id est ad majorem Ordinem, *in sua Ecclesia promovere*.

Non raro quippe magis lucrosum & commodum ipsis erat, in functione Ordinis minoris manere, quam ad majorem Ordinem & functiones ei annexas promoveri. Renuebant ergo obedire Episcopis volentibus eos ad ampliorem honorem promovere: " eo quod mallent „ quiescere in iis, quos jam habebant, gradibus, lu„ cro, fortasse, vel quieti corporali addicti ": ait Balsamon; itaque hoc Canone perstringuntur Ecclesiastici, qui vel lucro temporali, vel corporali quieti nimium addicti, renuunt legitimis Superioribus obedire, dum eos a statione, quam tenent, vocant ad aliam; forsan quidem minus lucrosam, minusve commodam, sed in qua plures laborare, talentaque sua majori cum fructu impendere possent.

Qui hodie his similes?

CANON XXXII.*

* Gr. XXXV.

Item placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus vel Clericatus sui agros, vel quæcumque prædia nomine suo comparant, tamquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti in Ecclesiam eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprie aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant inde, quod eorum proposito congruit: quod si a suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore Ecclesiastico indigni, tamquam reprobi judicentur.

SCHOLION.

Arguuntur Clerici qui de bonis Ecclesiæ ditescant.

CERTUM est & præsens Canon evidenter ostendit; quod vetus Ecclesiæ disciplina in Clerum cooptaret etiam eos, qui omnibus facultatibus destituti erant, idque conformiter ad Sanctiones Constantini in *L.* 3. *& 6. Cod. Theod. de Episcopis & Clericis*.

Itaque declarant Patres Africani quod *si Episcopi, Presbyteri, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur tempore Episcopatus, vel Clericatus sui, agros, vel quæcumque prædia nomine suo* (seu Gr. *pro-*

proprio) comparant ; tamquam verum Dominicarum invasionis crimine (sive Gr. *tamquam qui Dominica bona invaserint*) *teneantur ; nisi admoniti , ea ipsa in Ecclesiam contulerint* (seu Gr. *Ecclesiæ retulerint*).

Cum enim nihil proprii habuisse sciantur tempore promotionis, seu ordinationis, supponitur, bona empta esse ex proventibus Ecclesiæ, seu rebus Domino consecratis, quæ consequenter bona *Dominica* censenda sunt. Qui ergo hæc sibi adscribunt, nec admoniti, Ecclesiæ referunt, ut invasores bonorum *Dominicorum* habentur. Et licet Canon tantum de *immobilibus* loquatur, nihilominus & in *mobilibus* idem servandum esse existimat Balsamon : " propterea, ait, quod nul„ la est differentia inter mobilia & immobilia, quod „ ad acquisitionem attinet.

Ex successione vel legato acquisita ut propria sibi retinere possunt.

Si autem ipsis *proprie*, id est *directe & specialiter*, aliquid aliunde quam ab Ecclesia obvenerit, puta *liberalitate alicujus , vel successione cognationis* ; aut alio honesto titulo, ut si forte Clericus fiat puerorum Ludimagister, vel magni alicujus viri Amanuensis, uti exemplificat Balsamon, poterunt de hoc facere *quod eorum proposito congruit*; hoc est, de his libere disponere poterunt. Monet tamen hic Balsamon, quod ex mente Canonis etiam harum rerum partem aliquam Ecclesiæ relinquere debeant : additque Balsamon, quod si postquam proposuerit ex iis aliqua Ecclesiæ consecrare, cum pœnitentia subierit, a Sacerdotali honore excidet ut indignus & reprobus ; atque eum putat esse sensum hujus clausulæ ; *quod si a proprio retrorsum exorbitaverint* (seu Gr. *postquam proposuerint , retro convertantur*) *honore Ecclesiastico indigni tamquam reprobi judicentur*. Idem putat Zonaras, qui hanc clausulam reflectens, ait ; " quod si parte aliqua jam Ec„ clesiæ destinata, postea retro conversi sunt, id est, „ sententiam mutarunt, Sacerdotii honore indigni ju„ dicabuntur.

Partem tamen eorum Ecclesiæ relinquere æquum judicatur.

Quid de iis qui hoc proposuerunt, sed a proposito resiliunt?

Canon attendendus ex sententia Card. Baronii.

Ad hunc Canonem reflectens Card. Baronius ad an. 396. n. 53. ait : " Memoria quidem dignum illud, quod „ tunc a Patribus sancitum est. Cum enim reddita pa„ ce, Ecclesia ubique bonis afflueret, complures ex iis, „ qui eidem ministrabant, pietatem convertentes in „ quæstum, tepescente in eis Sanctitatis vitæ studio, „ vel cura pauperum frigescente, colligendi divitias „ tantummodo flagrabant, agrum agro jungentes, & „ domum domui copulantes. Hos plane sugillat S. „ Hieronymus. Hos ut caveat, admonet Nepotianum „ *Epist.* 2. cum ait : *Obsecro itaque te , & repetens ite„ rum iterumque monebo , ne officium Clericatus genus „ antiquæ militiæ putes , id est ne lucra sæculi in „ Christi quæras militia , nec plus habeas , quam quan„ do Clericus cœpisti . . . . Negotiatorem Clericum , & „ ex inope , divitem , ex ignobili gloriosum , quasi „ quamdam pestem fuge*.

Utinam hæc expenderent, qui pauperes nati & educati ad optima officia Ecclesiastica hodie promoventur!

Cæterum quid hodierna habeat disciplina quoad materiam hujus Canonis, exposui *in Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 4. tit. 1. cap. 3. & cap. 4.* alias *tom. 1. part. 1. tit. 32. cap. 3. & 4.*

Refertur hic Canon a Gratiano *caus. 12. quæst. 3. Can.* 1. ex Concilio Carthag. 3. *Can.* 49. ex Concilio autem Hipponensi eum recitat Ferrandus Diaconus loco citato : extatque apud Quenellum, *Can.* 8.

CANON XXXIII. *

* Gr. XXXVI.

Item placuit , ut Presbyteri non vendant rem Ecclesiæ , ubi sunt constituti , nescientibus Episcopis suis ; quomodo & Episcopis non licet vendere prædia Ecclesiæ , ignorante Concilio vel Presbyteris suis . Non habente ergo necessitatem , nec Episcopo liceat matricis Ecclesiæ , nec Presbytero rem tituli sui usurpare .

SCHOLION.

Gratianus Codicem Ecclesiæ Afric. citat sub nomine *Conc. Carthag. unici*.

GRATIANUS retulit hunc Canonem *caus. 12. quæst. 1. Can.* 51. ex Concilio Carthaginensi unico, quo nomine intelligitur Concilium Carthaginense, quod suo Codici inseruit Dionysius Exiguus, & constituit hodie Codicem Ecclesiæ Africanæ.

In alienatione rerum Ecclesiæ Clerici adhibere debent consensum Episcopi ; & Episcopi consensum Presbyterii.

Sententia Canonis clara est, nimirum Presbyteros non posse alienare rem sui tituli sive Ecclesiæ sine consensu Episcopi; neque Episcopis licere prædia, sive res immobiles Ecclesiæ vendere, sine sua Synodo, sive Presbyterio, cui Capitulum Cathedrale postmodum successit. De qua disciplina vide *Jus. Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 4. tit. 5. cap. 4.* alias *tom. 1. part. 2. tit. 36. cap. 4.*

Illud notandum, quod ubi apud Dionysium legitur sub finem Canonis; *nec Episcopo liceat matricis Ecclesiæ , nec Presbytero rem tituli sui usurpare* , in Codice Ecclesiæ Africanæ, apud Labbæum *tom. 2.* Conciliorum, *col.* 1065. omittantur; *nec Presbytero* ; & apud Græcos legatur; *non liceat Episcopo re abuti , quæ est ex titulo Ecclesiasticæ matriculæ* : hoc est, interpretibus Balsamone & Zonara; quod citra necessitatem Episcopo non liceat re uti, quæ in Brevibus Ecclesiasticis seu in matricula scripta est, hoc est in Repertorio Ecclesiastici tituli seu libri.

DIGRESSIO.

*Digressio de quatuor Articulis , qui in Codice Africano inserti leguntur inter Canonem XXXIII. * & Canonem XXXIV.*

* Gr. post Can. XXXVI.

De variis Conciliis in Africa celebratis, quorum Canones in hoc Codice non exhibentur.

POST Canonem 22. in Codice Africano tam apud Dionysium, quam Græcos, legitur : *Recitata sunt etiam in ista Synodo diversa Concilia universæ Provinciæ Africæ transactis temporibus Aurelii Carthaginensis Episcopi celebrata.*

Hæc a collectore, seu Notario Actorum ipsius Synodi addita esse, atque a Dionysio descripta, prout reperit in exemplari quod Legati Sedis Apostolicæ, e Synodo Africana anni 419. reduces Romam attulerant, ostendi *Tom. VI. parte 1. Dissert. VIII. §. 2.*

De Concilio Hipponensi habito anno 393.

Gloriosissimo Imperatore Theodosio Augusto III. & Abundantio V. C. VIII. Idus Octobris Hippone-Regio , in Secretario Basilicæ Pacis & cætera gesta hujus Concilii ideo descripta non sunt , quia ea quæ ibi statuta sunt , in superioribus probantur inserta .

SCHOLION.

De Hipponensi Conc. anno 393.

HIC agitur de famosissimo illo Hipponensi Concilio anno 393. Hippone sub Aurelio habito ad corrigendam disciplinam ; " quod quidem adeo efficaciter „ præstiterunt, ut cætera Concilia postea in Africa „ celebrata, ex Hipponensi, tamquam archetypo quo„ dam complura mutuata fuerint, ait Baronius ad an„ num 393.

Et revera plura per Concilium sextum Carthaginense ex hoc Hipponensi inserta esse triginta tribus Canonibus hactenus relatis in Scholiis illorum notavimus ; atque hinc intelligimus, cur in actis Concilii hujus sexti dicatur ; *bujus Concilii Hipponensis gesta*, tametsi sub Aurelio habita, ideo descripta non esse, *quia ea , quæ ibi statuta sunt , superioribus probantur inserta* , scilicet 33. Canonibus jam recitatis.

Plura de hoc Concilio, ejusque *statutis breviatis* , quæ conficiunt *Capitulum secundum* Codicis Canonum Ecclesiæ Romanæ diximus in dissertatione prœmiali §. IV.

DIGRESSIO

De Concilio Carthaginensi , in quo decernuntur Legati mittendi ad Concilium Adrumentino .

Gr. Afr. 4.

Gloriosissimis Imperatoribus Arcadio III. & Honorio II. Augg. Conss. VI. Kalendas Julias Carthagine in hoc Concilio Legati directi sunt Episcopi Proconsulares ad Concilium Adrumentinum .

SCHOLION.

Concilium Provinciale Carthag. e quo mittuntur Legati ad Adrumetinum generale totius Africæ an. 394.

EX his aliud non habetur, nisi quod anno 394. Adrumenti celebratum fuerit Concilium, atque ad illud ex Concilio Carthaginensi Legati decreti sint ; sed quæ in hoc Adrumetino Concilio constituta fuerint, ignoratur. At hoc nequaquam obscurum est quod cum Concilium Carthaginense Legatos miserit Episcopos, qui Concilio Adrumetino interessent nomine Provinciæ Proconsularis, Concilium Carthaginense tantum fuisse Provinciale, Adrumetinum vero generale totius Africæ.

De Concilio Carthagine habito circa finem IV. sæculi.

Conventus eorum, qui indictum anno 397. Concilium generale Africæ prævenerant.

Non ita certum est quo præcise anno celebratum fuit illud Concilium, de quo agendum est : probabile tamen nonnullis videtur referri posse ad annum 397. ut constat Consulibus, quorum tempore habitum his verbis dicitur.

Cæsario & Attico viris Clarissimis Consulibus , V. Kalendas Septembris Carthagine in Secretario Basilicæ Restitutæ , cum Aurelius Episcopus , una cum Episcopis consedisset , adstantibus etiam Diaconibus , advenientibus quoque Victore sene Puppianense , Tito Miggirpense , Evangelo Assuritano . Aurelius Episcopus dixit : post diem præstitutam Concilii consedimus , ut recordamini , fratres beatissimi , & arbitrabamur omnium Provinciarum per Africam Legationes convenisse ad diem , ut dixi , præstitutam nostri tractatus (a) *: sed cum Sacerdotum nostrorum Epistola Byzace-*

(a) Id legitur *Tom. 2. Labb. Concil. col.* 1065. & *Tom. 1. coll. Harduina col.* 882.

zacenorum fuisset recitata, vel quid mecum iidem, qui tempus & diem Concilii prævenerant, tractassent, vestræ charitati legeretur, lecta est etiam a fratribus Honorato & Urbano, qui nobiscum hodie Concilium participantur, Legatio Sitifensis Provinciæ destinata. Frater etiam Reginus Ecclesiæ Vegeselitanæ litteras ad parvitatem meam datas Crescentiani Primæ Sedis, ut ipse insinuat, Numidiarum, & Aurelii Coepiscoporum nostrorum. In quibus scriptis vestra mecum charitas recognoscit promisisse eosdem, quod aut ipsi dignarentur venire, aut ad hoc Concilium fuissent ex more destinaturi Legatos: sed hoc quia minime factum videtur, diu se detineri de longinquo venientes Legati Mauritaniæ Sitifensis non posse testantur. Et ideo, fratres, si vestræ charitati videtur, litteræ fratrum nostrorum Byzacenorum, sed & Breviarium, quod eidem Epistolæ adjunxerunt, ad hunc cœtum congregatum legantur, ut si qua forte illic movere charitatis vestræ animum possunt, in eodem Breviario, quæ diligentius fuerint animadversa, in melius reformentur. Hoc enim frater & Coepiscopus noster Primæ Sedis, vir perspectus merito suæ gravitatis atque prudentiæ Mizonius scribens ad meam parvitatem postulavit. Si ergo placet, quæ tractata sunt, legantur, & singula a vestra charitate considerentur.

S C H O L I O N.

QUANDOQUIDEM Concilium Hipponense an. 393. designaret diem 23. Augusti celebrando quotannis Concilio plenario Africæ, admodum verisimile Concilium hoc etiam ad eam diem fuisse indictum.

Quia autem nonnulli Episcopi diem habendi Concilii pervenerant; Aurelius Primas Carthaginensis, negotia nonnulla prævie discutienda & futuro Concilio præparanda censuit cum Episcopis præsentibus, ut ipse Aurelius in allocutione ad Patres Concilii retulit his verbis, " sed cum Sacerdotum nostrorum Epistola Byzacenorum fuisse recitata; vel quid mecum iidem, qui tempus & diem Concilii prævenerant; tractassent, vestræ charitati legeretur (*vel Gr.* illo etiam præterea lecto vestræ dilectioni, si quid una mecum conquisierunt, qui tempus & diem Synodi anticiparunt).

Congressus præliminaris ante Conc. generale.

Cum autem dies Concilii habendi præstituta advenisset, plurium Provinciarum deputati deesse deprehendebantur existimavit nihilominus Aurelius, & resolvit cum Prælatis, qui præsentes aderant, die statuto, ex præscripto Concilii Hipponensis conventum habere, uti in eadem allocutione testatur. " Post diem præstitutam Concilii consedimus (*seu Gr* sedentibus nobis) ut recordamini, fratres beatissimi, & arbitrabamur omnium Provinciarum per Africam Legationes convenisse ad diem, ut dixi præstitutam nostri tractatus (*vel clarius* & expectantibus, ut ex omnibus Africæ Provinciis adessent Legati ad diem vestræ disquisitionis, quæ ut dixi, præfinita est).

In hoc præliminari Patrum congressu, Aurelius relegi jussit *quid* secum egissent iidem, *qui tempus & diem Concilii prævenerant*.

Recitata quoque fuit Epistola Sacerdotum Byzacenorum, qua forsan rationes, ob quas ad Concilium non accederent, aut Legatos non mitterent, exponebant.

Prælecta quoque fuit Legatio, sive instructio Honorati & Urbani Episcoporum, qui erant deputati Sitifensis Provinciæ.

Ex eadem Aurelii allocutione habemus, quod Legati, sive deputati Numidiæ Provinciæ nondum advenissent. At Reginus Episcopus Ecclesiæ Vegeselitanæ, præsentavit litteras datas ad Aurelium Primatem Carthaginensem Crescentiani Primæ Sedis Numidiarum, & suorum Coepiscoporum, quibus promittebant, se ad Concilium venturos, vel ex more Legatos destinaturos. Ob has litteras, dilata paulisper fuit Concilii celebratio, rogatique fuere Legati Provinciæ Muritaniæ Sitifensis, ut tantisper expectarent, quousque advenire potient de Numidia Legati.

Verum cum diebus aliquot expectati de Numidia Legati non advenirent, " diu se detineri de longinquo veniente Legati Mauritaniæ Sitifensis, non posse testabantur (*seu Gr.* non posse se amplius moram trahere).

Conc. generale 28. Aug. vel 1. Sept. in quo probatur Breviarium ex Conc. Hipponensi desumptum.

Itaque tandem Aurelius Concilium indictum celebravit die 28. Augusti, uti habetur in Codice Africano, vel prima Septembris, ut habet inscriptio Concilii Carthaginensis, quod vulgo tertium dicitur.

Primum autem Aurelius Primas Carthaginensis, & præses Concilii, proposuit Patribus, ut si ipsis videretur, " litteræ fratrum nostrorum Byzacenorum, ait, sed & Breviarium quod eidem Epistolæ adjunxerunt, ad hunc cœtum congregatum (*seu Gr.* in hac convocata congregatione) legantur: ut si qua forte illic movere charitatis vestræ animum possunt (*sive Gr.* minus placent) in eodem breviario, quæ diligentius fuerint animadversa (*sive Gr.* quæcumque cura, ac diligentia corrigi potuerint) in melius reformentur.

Addidit Aurelius, quo Mizonius Primæ Sedis Episcopus litteris ad ipsum datis id postulasset.

Patribus Concilii *breviarium* illud placuisse, paucis adjectis aut mutatis, patet ex dicto Epigonii Episcopi, quod refertur *Canone* 34. Codicis, cujus Scholion consule.

Epistola Mizonii unicum statutis brevitis Conc. Hipponen.

Habemus hodie ad calcem Concilii Carthaginensis III. *tom.* 2. Concil. general *col.* 1179. Epistolam Mizonii ad diversarum Provinciarum Africæ Episcopos, & titulos 41. Canonum Hipponensium, una cum Symbolo Nicæno, quibus hic præfigitur titulus, *Canones Concilii Carthaginensis, habiti sub die Iduum Augustarum, circa tempora Siricii Papæ, Attico & Cæsario Consulibus, & Epistola Aurelii & Misonii ad Episcopos*. Inscriptio autem Epistolæ hæc est: *Dilectissimis fratribus, & Coepiscopis diversarum Provinciarum Numidiæ, Mauritaniæ utriusque, Tripolis & Provinciæ Proconsularis; Misonius & cæteri Episcopi*.

His primum subjicitur exemplar dictæ Epistolæ, ac dein sequitur alter titulus: " Statuta Concilii Hipponensis breviata, & quædam eorum in Concilio Carthaginensi cum Byzacenis Episcopis collata, & diligentius pertractata hæc sunt. " Huic titulo immediate subditur Nicæni Concilii professio.

Petrus Crabbe, qui Epistolam hanc cum hisce statutorum titulis primus edidit ex vetusto Codice Monasterii S. Baronis Flandriæ civitatis, huic professioni Nicænæ hanc monitiunculam præmisit. " Sequens fidei Nicænæ professio, alium interpretem sapit, quam superius habita; præterquam quod nonnulla addita, aut adempta esse, liquido constat.

Professioni illi subjunguntur 41. tituli statutorum Concilii Hipponensis, cum hac Epigraphe: *Concilii Hipponensis abbreviationes factæ in Concilio Chartaginensi*, scilicet tertio.

In Codice Ecclesiæ Romanæ capitulo 2. habetur eadem Epistola Mizonii cum simili inscriptione, ac exigua in textu varietate, in margine annotata.

Epistolæ subjunguntur statuta Concilii Hipponensis, cum hac inscriptione, " Statuta Hipponensis breviata, & quædam eorum in Concilium Carthaginensi cum Byzacenis Episcopis collata, & diligentius pertractata hæc sunt.

De Nicæna professione hæc tantum leguntur *Nicæni Concilii professio & fides recitata & confirmat est*. Monet autem Quenellus in nota marginali *integra habetur in MS. Thua. ut in edit.*

Dein post primum Canonem (seu primum titulum, prout habetur apud Labbeum) Codex hic exhibet quædam decreta spectantia ad causas particulares, ad quorum calcem hæc adduntur. " Quæ in Concilio Africano sunt promulgata, in hoc Carthaginensi Concilio confirmantur.

Dein subjicitur *1 incipit Brevis Statutorum*. Hunc titulum sequuntur 39. Canones, qui pene respondent citatis 41. titulis; sed multo sunt prolixiores; ut illi merito Canones, & statuta; hi vero *tituli* Canonum appelari mereantur.

Duplex Canonum Hipponensium Breviarium.

Schelstratus *in sua Ecclesia Africana, diss.* 3. *cap.* 6. utrumque hoc Canonum Hipponensium Breviarum discutit. Et quamvis neutrum per omnia ipsi placeat, nihilominus dicere non dubitat " quod si aliqua ex duabus editionibus amplectenda, non illa, quæ integros Canones retulit, (scilicet Quenelliana) sed editio potius vulgata amplectenda foret, quæ solum Canonum Hipponensium Breviarium continet.

Tillemontius *nota* 17. ad vitam Sancti Augustini, de duplici hac Breviatione agens, rationes per Schelstratium allatas discutit: aliquas minoris ponderis esse ostendit; omnibus autem expensis, dubius hæret, non dissimulans nonnulla, quæ de sinceritate horum Brevium dubium relinquant, licet illud, quod in Codice Quenelliano continetur, absolute cum Schelstratio rejicere non audeat. Plura hic eruditione plena, & plurimum notanda, observat Tillemontius.

Tandem ipse Quenellus in *appendice ad dissertationem duodecimam*, in recentiore operum S. Leonis editione Breviarium in suo Codice contentum, summa eruditione contra Schelstratium vindicare conatur, quæ legisse non pigebit; multaque etiam ad illustrationem Canonum Hipponensium inde hauriri potuerunt. An tamen plene satisfaciat omnibus, quæ sinceritati hujus Breviarii opponi possunt, eruditioribus judicandum relinquo.

C A N O N XXXIV. *

* Gr. XXXVII.

Epigonius Episcopus dixit: In hoc Breviario, quod decerptum est de Concilio Hipponensi, nihil arbitrantur esse emendandum, vel assuendum, nisi ut dies Sanctæ Paschæ tempore Concilii innotescat.

S C H O L I O N.

Mens & sensus hujus Canonis.

HÆC verba Epigonii, *nihil arbitramur esse emendandum, vel assuendum, nisi ut*, &c. non esse referenda ad solum *Canonem de die Paschatis*, tempore Concilii indicanda (uti communiter existimatum est;)

sed

ſed ad alios etiam tredecim Canones ſequentes, ut recte advertit, & probat Quenellus in *additione ad diſſertationem* 12. in noviſſima operum S. Leonis editione, anni 1700. Primus itaque Canon, quem Patres Breviario Hipponenſi a Byzacenis ſubmitto aſſuendum cenſuerunt, eſt, ut dies Sanctæ Paſchæ tempore Concilii innoteſcat.

Apud Quenellum poſt Synodicam Epiſtolam, ante Brevem ſtatutorum Hipponenſis Concilii, legitur: " Placuit etiam, propter controverſiam, quæ ſæpe ſolet ,, oboriri, ut omnes Africanæ Provinciæ obſervationem diei Paſchalis ab Eccleſia Carthaginenſi curent ,, accipere ". Habetur quoque inter vulgatas Concilii Hipponenſis abbreviationes *cap.* 1. apud Labbæum *tom.* 2. Concil. gener. *col.* 1180. Integer Hipponenſis Canon relectus eſt in Synodo Carthaginenſi, ſub Bonifacio II. anno 525. in cujus fine additur: " univerſi Epiſcopi ,, dixerunt: omnibus placet, ut a Sede Carthaginenſi ,, de die Sancto Paſchæ diverſarum Provinciarum Primæ Sedis Epiſcopi informentur ". *Tomo* 4. Concil. gener. *col.* 1639.

Feſtum Paſchatis uno eodemque die ab omnibus celebrandum.

Quanta fuerit Patrum cura hujus diſciplinæ.

Scimus jampridem ſummam curam fuiſſe, ut uno eodemque die ſolemnitas Paſchatis celebraretur: ſcribitque ad Ravennium Arelatenſem Epiſcopum S. Leo Epiſt. 74. his verbis: " ad præcipuum religionis noſtræ pertinet Sacramentum, ut in feſtivitate Paſchali, nulla ſit in toto orbe diverſitas ". Afferit & ibidem, quod hoc *Divina* inſtitutio, & *Paterna* traditio ad ſuam ſollicitudinem pertinere voluerit; quodque propterea ſolemniter eum admoneat, ut " Paſcha Domini ,, celebrandum die decima Kalendarum Aprilis recognoſcat, cujus notitiam per ipſum alii vult intimari: *ut quorum in fide eſt una confeſſio, ſit etiam in hac feſtivitate una devotio*.

De hoc ritu indicandi diem celebrandi Paſchatis, vide Gloſſarium Latinum Du Cange, verbo, *Paſchalis Epiſtola*, & ibi auctores citatos.

CANON XXXV. *

* Gr. XXXVIII.

Ut Epiſcopi, vel Clerici filios ſuos a ſua poteſtate per emancipationem exire non ſinant; niſi de moribus eorum ſuerint, & de ætate ſecuri, ut poſſint ad eos jam propria pertinere peccata.

SCHOLION.

HIC Canon eſt ſecundus ex aſſutis Breviario Hipponenſi, extatque in Concilio Carthaginenſi tertio *Can.* 14. & inter ſtatuta breviata *cap.* 13. refertur quoque a Ferrando *cap.* 41. ex Concilio Carthag. *tit.* 22.

Filii Clericorum non emancipandi niſi bene probati.

Ad hunc Canonem monet Balſamon, hic decerni: ,, non debere ſui juris fieri Epiſcoporum & Clericorum filios a Patribus ſuis, niſi ex ætate & bonis ,, moribus certam ſcientiam dederint, ſe poſſe ſua ,, prudenter, & ut oportet, adminiſtrare: hoc autem ,, niſi ita fiat, decernit Concilium Patres reddituros ,, rationem pro peccatis filiorum.

Parentes & ſingulariter Clerici arguantur, qui filios a ſua cura dimittunt.

Spiritus hujus Canonis eſt, parentibus inculcare, ut ſedulam filiorum curam agant; nec eos ſui juris & libertatis faciant, niſi bene probati ſint; ne alias peccata filiorum ipſi imputentur; & maxime Clerici injuria afficiantur, ex eo quod ipſorum filii ex eorum conniventia profuſe, ac luxurioſe vivant: ut ibidem monet Balſamon.

CANON XXXVI. *

* Gr. XXXIX.

Ut Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi non ordinentur, priuſquam omnes, qui ſunt in domo eorum, Chriſtianos Catholicos fecerint.

SCHOLION.

Non ordinandi Epiſcopi, niſi domeſticos ſuos fecerint Chriſtianos, recteque inſide & moribus inſtituerint.

EST hic tertius ex adjectis Breviario Hipponenſi, & inter Breviata extat *cap.* 17. & in Carthaginenſi III. *Can.* 28. & in Concilio Africano *cap.* 3.

Canonem hunc, ejuſque ſpiritum bene exponit Zonaras, dicens: " Epiſcoporum munus eſt, Infideles erudire atque allicere ad fidem, tum Chriſtianis a fide aberrantibus rectam orthodoxæ doctrinæ ſemitam præmonſtrare. Quod idem Sacerdotes quoque & Diaconi præſtare debent; ſi quis ergo, ipſe quidem Chriſtianus ,, ſit, domeſticos vero, uxorem nempe filioſque & ſervos, infideles eum ſint, vel hæretici, erudire negligit; cum neque Epiſcopum, neque Presbyterum ,, neque Diaconum, creari licere, Canon decernit.

Non ordinandi, qui filios & domeſticos ſuos in fide & moribus erudire negligunt.

,, Quiſquis enim domeſticos ſuos erudire, atque a pravo ſenſu ad rectam ſententiam traducere non poteſt, ,, aut negligit, quo pacto aliis erudiendis ille ſufficiet? ,, quinimmo dubiæ fidei ſuſpicione ipſemet non carebit; & vero magnus quoque Paulus ad Timotheum ,, ſcribens: *ſi quis*, inquit, *domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit* "? 1. *ad Timoth. cap.* 3. *verſ.* 5.

CANON XXXVII. *

* Gr. XL.

Ut in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aqua mixtum. Primitiæ vero ſeu mel & lac, quod uno die ſolemniſſimo in infantum myſterio ſolet offerri. Quamvis in altari (a) offerantur; ſuam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominici corporis & ſanguinis diſtinguantur; nec amplius in primitiis offeratur, quam de uvis & frumentis.

SCHOLION.

CANON hic ex adjectis Breviario Hipponenſi, extat eodem ſenſu, ac iiſdem verbis inter ſtatuta breviata Concilii Hipponenſis *c.* 23. & apud Ferrandum *c.* 213.

Canon diverſimode relatus.

In Concilio vulgo Carthaginenſi III. *Can.* 24. hic Canon his duntaxat verbis refertur: *ut in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit; hoc eſt panis & vinum aqua mixtum, nec amplius in ſacrificiis offeratur, quam de uvis & frumentis.*

Veriſimiliter Canon ita primitus conditus fuit in Concilio Hipponenſi anno 393. ac demum in Synodo Carthaginenſi anni 397. auctior factus; & in locum prioris ſubſtitutus. Conjecturam hanc juvat collectio antiqua Canonum, quam ex MS Codice Herovalliano edidit Jacobus Petit in appendice ad pœnitentiale Theodori Cantuarienſis *cap.* 29. ubi refertur pars Canonis hujus poſterior tamquam ex Concilio Hipponenſi, his verbis: *nec amplius de primitiis in altare offeratur, quam de uvis & frumentis. Alia omnia ad domum Sacerdotis deferatur ad benedictionem.* Apud Gratianum *diſt.* 2. *de conſecratione*, *Can.* 5. refertur, uti jam relatus eſt, ex Concilio vulgo Carthaginenſi tertio.

Hinc patet, in ea collectione, ſeu farragine Canonum, quæ extat in collectione Conciliorum, ſub nomine Concilii Carthaginenſis III. Canones Hipponenſes miſceri cum Canonibus Concilii Carthaginenſis anni 397. hoſque nonnunquam parte aliqua truncatos referri; prout hic Canon truncatus refertur ea parte, quæ hujus Concilii propria erat. Vide quæ de hac Canonum collectione notata ſunt, in *diſſertatione proœmiali* §. 5.

Recens baptizatis tamquam infantibus olim guſtandum dabatur *lac & mel.*

Cum laudatus Canon ſupponat baptizatis mel & lac conferri; non erit ſuperfluum brevem hujus cæremoniæ ſeu ritus expoſitionem ſubjicere. Igitur notandum, ritus eſſe antiquiſſimi, ut recens baptizatis, tamquam in Chriſto renatis infantibus lac & mel guſtandum detur. Ejus meminit Tertullianus de *Corona militis* c. 3. " inde ,, ex ſacro fonte ſuſcepti *lactis & mellis* concordiam deguſtamus ". Et apud S. Hieronymum in *dialogo adverſus Luciferianos*: " Multa, quæ per traditionem ,, obſervantur in Eccleſiis, auctoritatem ſibi legis ſcriptæ uſurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare: deinde egreſſos *lactis & mellis* prægustare ,, concordiam, ad infantiæ ſignificationem ". Mos ac Typus, inquit idem S. Hieronymus in *Iſai.* 56. ,, in Occidentis Eccleſiis hodie uſque ſervatur, ut renatis in Chriſto vinum *lacque* tribuatur.

Lacte hoc materiali ſignificatum volebat Eccleſia illud, de quo S. Petrus ad Neophytos: *quaſi modo geniti infantes ſine dolo lac concupiſcite.*

Lac autem illud & mel in ſolemniſſimo die Paſchæ, olim baptiſmo conferendo præcipue deſtinato, offerri & benedici in altari conſueverat: & hinc imperiti quidam Epiſcopi & Presbyteri cœperunt ipſam Euchariſticam conſecrationem eis impertiri: quem errorem & abuſum præſens Canon proſcribit.

CANON XXXVIII. *

* Gr. XLI.

Clerici vel continentes, ad Viduas vel Virgines, niſi ex juſſu vel permiſſu Epiſcoporum aut Presbyterorum non accedant: & hoc non ſoli faciant, ſed cum Conclericis, vel cum his, cum quibus Epiſcopus aut Presbyter juſſerit; nec ipſi Epiſcopi & Presbyteri ſoli habeant acceſſum ad hujuſmodi fœminas: ſed ubi aut Clerici præſentes ſunt, aut graves aliqui Chriſtiani.

SCHOLION.

Clericis in converſatione cum mulieribus omnis ſuſpicio incontinentiæ vitanda.

HIC Canon extat in Carthaginenſi III. *Can.* 25. & inter ſtatuta breviata Concilii Hipponenſis *cap.* 24. his verbis exprimitur: *Ut Epiſcopi, Presbyteri, aut Clerici, ad Viduas, vel Virgines ſoli non accedant.*

Cum maxime allaborandum ſit, ut Clerici, aliique Deo ſpecialiter conſecrati, ut ſunt Monachi, ut hic vocantur *continentes*, vitam agant *ſine offenſione*, & ab omni etiam ſpecie mali abſtineant, merito Patres ſolliciti fuere, ut eorum cum mulieribus converſatio extra omnem ſit mali ſuſpicionem. Unde hujus Canonis ſpiritum & ſcopum ſequuti Romani Pontifices, ſub graviſſimis pœnis prohibuerunt, ne Monachi ad Monaſteria

(a) Alii Codices ita legunt *non offerantur*.

ria Monialium colloquendi causa, sine espressa superiorum licentia accedent: de quibus consuli poterit Prosper Fagnanus ad *cap. Quanto* ✠ *de Privilegiis*, ibidem late probans, Regulares sine legitima Superiorum licentia ad Monialium Monasteria, quantumvis Ordinariis non subjecta, accedentes, posse ab Episcopis, saltem ut Apostolicæ Sedis delegatis puniri, tamquam contra clausuram Monialium peccantes.

Clausura Monialium

Cæterum circa rigorem hujus disciplinæ, attendi debet variorum locorum & regionum conditio. Certum quippe est ex hac conversatione una in Provincia, facilius scandalum oriri, & periculum esse timendum incontinentiæ, quam in alia Provincia, uti latius notavi in *Jure Eccles. Tomo I. parte* 1. *tit.* 30. *cap.* 3. & 4. ubi de clausura Monalium actum est.

Extat hic Canon apud Gratianum *dist.* 81. *Can.* 32.

CANON XXXIX. *

* Gr. XLII.

Ut primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi; sed tantum primæ Sedis Episcopus.

SCHOLION.

In Africæ Provinciis primus Episcopus non vocatur nisi primæ Sedis Episcopus.

EXTAT præsens Canon in Carthaginensi tertio, *Canon.* 26. & inter Concilii Hipponensis statuta breviata *cap.* 25. his verbis: *Ut primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum.*

In Africa Episcopos, præcipue Metropolitanos, dictos aliquando fuisse, *Principes Sacerdotum*, & *summos Sacerdotes*, patet ex Optato Milevitano, *lib.* 1. contra Parmen. dicente: „ Quid commemorem Laicos, „ qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? „ Quid Diaconos in tertio? Quid Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos? Ipsi *apices* & *Principes* omnium Episcopi.

Et Tertullianus *lib.* 10. de Baptismo. „ Dandi quidem baptismi jus habet *summus* Sacerdos, qui est „ Episcopus". Et apud Augustinum in appendice ad *tom.* 3. *quæst.* 101. *ex utroque mixtim quid est Episcopus nisi primus Presbyter, hoc est summus Sacerdos.*

Ubi vero patuit, quod ad dominatum quidam hac nomenclatura abuterentur; ac revera superbum aliquid ac fastuosum eæ voces significare viderentur, ab Africanis suppressæ sunt. Quapropter Concilium non prohibuit hæc nomina Episcopis attribui, quasi id quod vocabulis illis significatur, eis non competeret; sed ad præveniendum abusum horum vocabulorum & titulorum, præsenti decreto voluere a similibus titulis esse abstinendum, uti notat Baronius ad annum 397. & Theodorus Balsamon; „ Vetita sunt, ait, hæc vocabula, ad tollendam arrogantiam, & propterea plus „ Patriarchæ & Antistites, seipsos viles & humiles ap„ pellant, in suis inscriptionibus.

Quomodo Gratianus referat hunc Canonem.

Refertur a Gratiano *dist.* 99 *Can.* 3. additur autem ibidem: *Universalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur*: sed non sunt verba Canonis, sed Gratiani, quæ, ut talia, recte a Canone sejunxerunt Correctores Romani. Et observavit vetus glossographus, quod ab his verbis incipiat tertia pars distinctionis 99. solet enim Gratianus propriis suis verbis summarium singularum partium præmittere: ideoque ex hoc Canone concludi nequit Africanam Ecclesiam leges dedisse Romanæ, ubi bene monuit Baronius.

CANON XL. *

* Gr. XLIII.

Ut Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

SCHOLION.

Clericis vetatur tabernarum ingressus.

REFERTUR in Carthaginensi III. *Can.* 28. & Hipponensi *cap.* 26. Evidens est tabernas hic accipi pro cauponis; quare apud Græcos legitur: *Cauponam non ingrediantur.* Ad hunc Canonem reflectens Schelstratius, in *sua Ecclesia Africana dissert.* 3. *cap.* 7. exclamat: „ Statutum vere aureum, quod utinam observa„ ret Clerus nostri temporis, qui si Canone Ecclesiæ „ Africanæ non trahatur ad observantiam regulæ, „ vel Ethnici Imperatoris, Juliani, monitu perfunda„ tur rubore: qui Epistola ad Sacerdotem Galatiæ, „ *Sacerdotem*, inquit, *hortare, ne accedat ad spectacula, neve in taberna bibat.*

Quomodo in Synodis nostris hoc decretum sæpius renovatum sit, videri potest *Tom. V.* in dissertatione nostra, *de instituto & officio Canonicorum part.* 2. *cap.* 4. §. 6. & *Tom.* 1. in *Jure Eccles. part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 4.

Extat Canon laudatus apud Gratianum *dist.* 44. *Can.* 4.

CANON XLI. *

* Gr. XLIV.

Ut Sacramenta altaris, non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quæ Cœna Domini celebratur: nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, sive cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat: si illi, qui faciunt, jam pransi inveniantur.

SCHOLION.

Sacramenta altaris nonnisi a jejunis celebrentur.

EXTAT in Carthaginensi III. *Can.* 29. & Hipponensi *Can.* 28. & inter statuta breviata *Can.* 30. ita legitur, *ut a jejunis altaris Sacramenta celebrentur.*

In priori parte vult, *ne Sacramenta Altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur*: quibus verbis sat innuitur hic de confectione Sacramenti & celebratione sacrificii sermonem esse; quod & Græci supponunt, pro titulo apponentes Canoni: *ut a jejunis sacrificia Deo offerantur.*

Excipitur dies Cœnæ Domini.

Ab hac generali lege excipiunt Patres Africani, *diem anniversarium, quo Cœna Domini celebratur*; quam exceptionem noluerunt admittere Patres Synodi Trullanæ *Can.* 29. cujus Scholion consule.

Commendationes defunctorum peraantiquæ:

Posterior Canonis pars nos docet, apud Africanos sæculo IV. in usu fuisse commendationes defunctorum; easque etiam tempore vespertino factas fuisse cum celebratione Sacramentorum altaris, sive cum oblatione sacrificii; nisi illi, qui commendationem faciunt, *jam pransi inveniantur*, sive *pransi esse inventi fuerint*, quo casu solis orationibus commendatio fiat; quemadmodum & hodie pomeridianis inhumationibus fieri consuevit.

Etiam vespertino tempore, olim sacrificium offerri potuit pro defunctis.

Cum tunc demum velint Africani commendationem solis precibus peragi, si ii, qui eam peragunt, pransi inveniantur, nequam obscurum est, eos permisisse, vespertino etiam tempore sacrificium offerri, si pransi non sint.

De commendatione defunctorum hic commemorata, loqui videtur S. Augustinus sermone 32. de verbis Apostoli, hodie serm. 172. „ Hoc enim a Patribus tradi„ tum universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in „ corporis & sanguinis Christi communione defuncti „ sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemo„ rantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri com„ memoretur. Cum vero eorum commendandorum „ causa, opera misericordiæ celebrantur, quis eis du„ bitet suffragari, pro quibus orationes Deo non ina„ niter allegantur.

Extat Canon laudatus apud Gratianum *dist.* 1. *de Consecratione Can.* 49.

CANON XLII. *

* Gr. XLV.

Ut nulli Episcopi vel Clerici in Ecclesia conveniantur, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiant. Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur.

SCHOLION.

Convivia in Ecclesiis non celebrentur nisi necessitate cogente.

HIc Canon unus quoque est ex adjunctis in Breviario Hipponensi, extatque apud Quenellum *Can.* 29. & in Concilio III. Carthaginensi *Can.* 31.

In primis absolute interdicitur hoc Canone Episcopis & Clericis, *ne in Ecclesia conviventur*, addita hac exceptione, *nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiant* (seu Gr. *illic diversentur*): id est, interprete Zonara „ nisi forte in externa tellure hospi„ tio destitutus, Ecclesiam necessitate compulsus in„ grediatur.

Hic apparet Patres Africanos judicasse, Ecclesiam posse esse, saltem in necessitate, pro hospitali Clericis peregre proficiscentibus.

Laicos autem non absolute vetat Synodus in Ecclesia convivari; sed præcipit, *ut ab hujusmodi conviviis prohibeantur, quantum fieri potest.* Ratio moderationis, ex mox dicendis patebit.

Olim in Ecclesiis communes epulæ fiebant.

Fuere primis Ecclesiæ sæculis communes Cœnæ, seu epulæ, quæ, ut mutuæ charitatis indices, ac illices diebus festivis, in ipsis Templis instituebantur, atque Græca voce *agapæ* dicebantur; de quibus S. Chrysostomus, in verba Apostoli; *oportet hæreses esse*: „ fideles „ omnes, inquit, in conventibus suis, postquam audis„ sent doctrinas, post preces, post mysteriorum com„ munionem, soluta concione, non mox demum con„ scendebant; sed divites alimenta & edulia, domibus „ suis afferentes, pauperes vocabant communesque fa„ ciebant mensas, communia prandia, communia con„ vivia in ipsa Ecclesia: atque ita a communi mensa, „ & pietate loci, undequaque ad pietatem accende„ bantur.

Sensim in abusus degenerarunt.

Verum hæc charitatis convivia sensim in comessationes & ebrietates degenerarunt. Testaturque S. Augustinus *Epist.* 22. ad Aurelium Episcopum Carthaginensem data, circa annum 392. ea jam tum *per Italiæ maximam partem, & in aliis omnibus, aut prope omnibus transmarinis Ecclesiis... Episcoporum diligentia & animadversione extincta, atque deleta fuisse*; deploratque ibidem, quod in Africa comessationes & ebrietates sub prætextu horum conviviorum adhuc publice in Ecclesiis in honorem martyrum frequentarentur.

Epistola Augustini contra hos abusus.

Postquam enim ex Apostolo ostendisset comessationes & ebrietates numerari inter vitia, quæ a regno Dei ex-

excludunt, ſubdit: ,, Sed feramus hæc in luxu, & labe ,, domeſtica, & eorum conviviorum, quæ privatis ,, parietibus continentur; accipiamuſque cum eis cor- ,, pus Chriſti, cum quibus panem edere prohibemur; ,, ſaltem de ſanctorum corporum ſepulcris, ſaltem de ,, locis Sacramentorum, de domibus orationum, tan- ,, tum dedecus arceatur. Quis enim audet vetare pri- ,, vatim, quod cum frequentatur in ſanctis locis, ho- ,, nor martyrum nominatur?

Poſt hæc hortatur Aurelium, ut hunc peſſimum & ſacrilegum abuſum abolere ſatagat: ,, Sed, ait, tanta ,, peſtilentia eſt hujus mali, ut ſanari prorſus, quan- ,, tum mihi videtur, niſi Concilii auctoritate, non ,, poſſit.

Hic Canon ſuggerente Auguſtino videtur conditus.

Ex his verbis non infundate colligunt eruditi Monachi Benedictini, operum S. Auguſtini reviſores, in nota ad Epiſtolam 29. hunc præſentem Canonem procurante Auguſtino tunc Presbytero, in Concilio Hipponenſi anno 393. conditum fuiſſe; extatque inter ſtatuta breviata hujus Concilii, *cap.* 29. creduntque & hi Reviſores, in præfatione ad tom. 2. operum S. Auguſtini, hac Epiſtola: ,, permotum Aurelium ad cogen- ,, dum iſtud Concilium Hipponenſe, quo ejus auctoritate commeſſationes, quibus Afri, pietatis prætextu in Eccleſiis vacabant, prohiberet.

Quomodo ad extirpationem abuſuum inolitorum procedendum?

Merito legenda utraque Epiſtola S. Auguſtini 21. & 29. ex priore apparebit, quam altas radices hæ comeſſationes & ebrietates per Africam egiſſent; ex hac item diſcent Epiſcopi & Paſtores qua ratione in evellendis abuſibus multum inolitis, & a multis frequentatis procedendum ſit: ,, non aſpere, quantum exiſtimo, ait, ,, non duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur; ,, magis docendo, quam jubendo; magis movendo, ,, quam minando, ſic enim agendum eſt cum multitu- ,, dine: ſeveritas autem exercenda eſt in peccata pau- ,, corum. Et ſi quid minamur, cum dolore fiat, de ,, ſcripturis comminando vindictam futuram, ne nos ,, ipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone ,, timeatur. Ita prius movebuntur ſpirituales, vel ſpi- ,, ritualibus proximi, quorum auctoritate, & leniſſi- ,, mis quidem, ſed inſtantiſſimis admonitionibus, cæ- ,, tera multitudo frangatur.

Poſt hæc aperit prætextum populi hæc convivia, in memoriis ſive Cœmeteriis martyrum inſtituendi, nimirum quod ,, iſtæ in Cœmeteriis ebrietates & luxu- ,, rioſa convivia, non ſolum honores martyrum, ſed ,, etiam ſolatia mortuorum a carnali & imperita plebe ,, credi ſolerent.

Ut ergo hic prætextus populo adimatur, & infundatus oſtendatur, conſultum eſſe ſcribit: ,, ſi & de ,, ſcripturis prohibeatur, & oblationes pro ſpiritibus ,, dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum ,, eſt, ſuper ipſas memorias non ſint ſumptuoſæ, atque ,, omnibus petentibus ſint typho & cum alacritate præ- ,, beantur, neque vendantur; ſed ſi quis pro Religione ,, aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præſenti paupe- ,, ribus eroget. Ita nec deſerere videbuntur memorias ,, ſuorum, quod poteſt gignere non levem cordis dolo- ,, rem, & id celebrabitur in Eccleſia, quod pie & ho- ,, neſte celebratur.

In poſteriore Epiſtola narrat Auguſtinus, quomodo ipſe, adhuc Presbyter, hunc abuſum in Eccleſia Hipponenſi abrogaverit; ex qua videbunt Epiſcopi & Paſtores, de extirpando abuſu quantumvis inolito, ſe deſperare non debere, neque propter multorum obloquia, & malevolorum hominum murmurationes ab incepto eſſe deſiſtendum: videbuntque præcipuum argumentum, quo a nonnullis hic abuſus ſuſtinebantur, fuiſſe vulgare illud, hodieque uſitatiſſimum a conſuetudine petitum. ,, Nuntiatur mihi, ait, nonnullos eorum etiam ,, qui ſermoni aderant, nondum a murmuratione ceſ- ,, ſaſſe, tantumque in eis valere vim *peſſimæ conſuetu-* ,, *dinis*, ut ejus tantum voce uterentur, & dicerent; ,, *quare modo? num enim antea*, qui hæc non prohi- ,, buerunt Chriſtiani non erant?

Scribit Auguſtinus de hac quæſtione ſeu argumento pauca diſſeruiſſe. ,, Nihil nos nec brevius, ne verius, ,, ait, poſſe afferre adverſus eos, qui dicunt, *quare* ,, *modo*, niſi ut nos dicamus, *vel modo*.

Hæ quoque Epiſtolæ Auguſtini oſtendunt, cur Patres Africani non crediderint, mox omnibus generaliter hæc convivia interdicenda; ſed primum Clericis duntaxat, ut ita paulatim ad conſuetudinem adeo radicatam, & communem, dimittendam populus ſuavius diſponeretur; quando Clericos ab iis abſtinere, & ea ſuo exemplo improbare viderent.

CANON XLIII. *

* Gr. XLVI.

Ut pœnitentibus, ſecundum differentiam peccatorum, Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur, & ut Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem; niſi abſentiæ Epiſcopi neceſſitate cogente. Cujuſcumque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam Eccleſiam commoverit, ante abſidem manus ei imponatur.

SCHOLION.

Hic Canon diverſimode legitur, & diſtribuitur.

Est & hic Canon Breviario Hipponenſi aſſutus; habeturque apud Quenellum *Can.* 30. in Concilio vulgo Carthaginenſi III. in duos Canones dividitur, quorum prior primam duntaxat partem Canonis complectitur: *Ut pœnitentibus, ſecundum peccatorum differentiam, Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Alter Canon reliquum Canonis exhibet; & ſane licet unicus in Codice ſit Canon, tria tamen diſtincta membra complectitur.

Epiſcoporum eſt pœnitentiæ tempora determinare.

Et primo quidem in arbitrio Epiſcopi relinquitur, ut pœnitentibus, ſecundum differentiam peccatorum, pœnitentiæ tempora decernat. Hoc membrum, ut dixi, in Concilio Carthaginenſi III. *Can.* 30. diſtinctum Canonem conficit, uti & apud Gratianum, *cauſ.* 26. *quæſt.* 7. *Can.* 5.

Penes ipſos fuit, illa protrahere, vel contrahere.

Sicut enim Apoſtolis Chriſtus dedit poteſtatem ligandi & ſolvendi, ita Epiſcopis, tamquam eorum ſucceſſoribus, plena fuit auctoritas circa adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ; ipſaſque pœnitentias, conſiderata peccatorum & pœnitentium gravitate & diſpoſitione, decernendi. Immo licet auctoritate Synodorum, certa pœnitentiæ tempora pro certis criminibus eſſent præſcripta; ſemper tamen Epiſcopi ſalva manſit auctoritas contrahendi vel protrahendi ſtatuta pœnitentiæ tempora, prout hic & nunc, attenta diſpoſitione pœnitentis, & criminum circumſtantiis expedire judicaſſent, uti ſæpius in Scholiis ad Canones, præſertim Nicænos, & Ancyranos notavimus. Quæ autem in impoſitione pœnitentiarum attendenda ſint, latius expreſſit Canon 102. Trullanus, infra referendus, cujus Scholion conſule.

Ex hoc & ſimilibus Canonibus patet, penes Epiſcopos, ut Apoſtolorum ſucceſſores, plenariam eſſe auctoritatem protrahendi aut diminuendi pœnitentiarum tempora, ſive concedendi pœnitentiarum remiſſionem, quam hodie vocamus, indulgentiam, ſive indulgentias.

Presbyteri ſine Epiſcopi licentia, niſi neceſſitate cogente, pœnitentes reconciliare non poſſunt.

Secundum membrum noſtri Canonis decernit, ut Presbyter, inconſulto Epiſcopo, ſeu præter mentem Epiſcopi, non reconciliet pœnitentem, *niſi abſentia Epiſcopi neceſſitate cogente*, ſive niſi impellente neceſſitate in abſentia Epiſcopi.

Evidens eſt, Patres noluiſſe, ut Presbyter reconciliet pœnitentem, *inconſulto Epiſcopo*, etiamſi Epiſcopus abſit; niſi abſente Epiſcopo neceſſitas impellat, uti & evidenter lectio Carthaginenſis Concilii *Can.* 32. ſupponit: quæ habet, *niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente*. Et in Concilio Hipponenſi *cap.* 30. legitur; *niſi abſentia & neceſſitate cogente*.

Hinc videmus, quanti momenti crediderint Patres debitam & convenientem pœnitentium reconciliationem, uti eam nec Presbyterum arbitrio committere auderent. Videmus etiam quantum hodie ab idea Patrum de reconciliatione pœnitentium declinaverimus; dum eam facultatem Presbyteris paſſim, etiam parum doctis, & exercitatis, ab Epiſcopis dari videmus; nec Epiſcopi ullam ſoleant pœnitentium curam gerere: cum eam e præcipuis Epiſcoporum functionibus eſſe, Patres uno conſenſu docuerint: utpote quibus vi officii Epiſcopalis incumbit peccatores Deo mortuos ad vitam revocare; & præcavere, ne ſpiritualiter reſuſcitati rurſus moriantur.

Tertio Canonis membro agitur de reconciliatione pœnitentis, *cujus publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam Eccleſiam commoverit*. Hoc eſt, quod notorium eſt, ſive, ut legitur in Concilio Carthaginenſi tertio, & Hipponenſi, *quod univerſa Eccleſia noverit*.

Qui publice peccarunt, *ante abſidem* reconciliandi.

Huic pœnitenti vult *manum ante abſidem imponi*. Zonaras credit, hic ſignificari manus imponi in pœnitentiam, ſed contextus Canonis inſinuat, hic agi de reconciliatione pœnitentis, & conſequenter intelligi impoſitionem manus reconciliatoriam; uti ad hunc Canonem obſervat Albaſpinæus.

Hanc fieri debere *ante abſidem* volunt Patres Africani, ſatque conſtat rurſus ex contextu Canonis hoc a Patribus ſpecialiter hic decerni, quia ipſum crimen *publicum & vulgatum* eſt, adeoque videntur velle *ante abſidem* reconciliationem fieri, ut publico ſcandalo ſatisfiat. Quapropter licet alii per *abſidem* intelligant locum extra *Eccleſiam*, alii locum in Eccleſia, ſed *patentem*, nihilominus certum eſt hujus Canonis mentem eſſe ,, ut eorum graviſſimorum criminum pœnitentia ,, & purgatio in omnium oculis conſtituatur, exempli- ,, que cujuſdam vim, rationemque propoſiti ſubeat": uti notat Albaſpinæus.

CANON XLIV. *

* Gr. XLVII.

Ut Virgines ſacræ, cum parentibus, a quibus cuſtodiebantur, privatæ fuerint, Epiſcopi, vel Presbyteri; ubi Epiſcopus abſens eſt, providentia gravioribus fœminis commendentur, aut ſimul habitantes invicem ſe cuſtodiant: ne paſſim vagando Eccleſiæ lædant exiſtimationem.

SCHO-

SCHOLION.

Virgines parentibus deſtitutæ, Epiſcopi curæ, vel gravioribus fœminis commendantur.

HIc Canon extat in Carthaginenſi III. *Can.* 33. & Hipponenſi *Can.* 31.

Agit hic de providentia impendenda Virginibus ſacris *cum parentibus, a quibus cuſtodiebantur, privatæ fuerint* (vel Gr. *quando a parentibus, quorum oculis domi obſervabantur, ſeparatæ fuerint*) quæ Græcorum lectio indicat Canonem loqui de Virginibus, quæ quocumque modo a parentibus ſunt *ſeparatæ*, quod & ſcopo Canonum conſonum apparet.

Providentia vero harum ſacrarum Virginum, quæ a parentum cura ſeparatæ ſunt, committitur Epiſcopo vel Presbytero, ſed hanc duntaxat, ubi Epiſcopus eſt *abſens*, quemadmodum legitur apud Dionyſium, & in Concilio Carthaginenſi III. necnon apud Græcos; ſed in Hipponenſi hæc reſtrictio non additur, at ſimpliciter ponitur, *Epiſcopi, vel Presbyteri*. Sed quia priſtinis Eccleſiæ ſæculis Presbyteri nihil pene agebant, præſentibus Epiſcopis, aut ſaltem niſi ex ſpeciali ipſorum determinatione, veriſimile eſt, Presbytero hanc providentiam non fuiſſe creditam, niſi abſente Epiſcopo, aut ſaltem eo ſpecialiter committente.

Cura autem Epiſcopo aut Presbytero hoc Canone commiſſa potiſſimum eo tendit, ut ipſorum providentia Virgines illæ *gravioribus*, ſive *venerabilioribus* fœminis commendentur. In Concilio Carthaginenſi III. legitur; *in Monaſterio Virginum*, ſed veriſimile eſt verba illa addita eſſe recentiore manu, poſt extructa paſſim *Monaſteria Virginum*, & poſtquam conſuetudo retrudendi in Monaſteria ad ſuſtinendam pœnitentiam invaluerat. Manifeſtum eſt enim ex Canonis contextu, Virgines non in Monaſteriis, ſed in domibus privatis tunc habitaſſe.

Quædam huic Canoni recenti manu addita.

Additur in Canone: *aut ſimul habitantes invicem ſe cuſtodiant*: quæ ſignificare videntur, quod Patres permittant, ut Virgines illæ, vel *gravioribus fœminis commendentur*, vel plures ſimul habitantes, ſe invicem cuſtodiant, etiam ſejunctæ a gravioribus fœminis, quæ eſt quoque lectio Græcorum; ubi & Balſamon juxta hanc lectionem Canonem interpretatur. Verum in Concilio Carthaginenſi & Hipponenſi legitur, *ut ſimul habitantes, invicem ſe cuſtodiant*, omiſſa disjunctiva, *vel*, quæ lectio innuat Virgines commendandas gravioribus mulieribus, *ut ſimul cum his* mulieribus habitantes, invicem ſe cuſtodiant. Quæ lectio verior apparet; intentio enim Patrum apparet, providere ut graviores hæ fœminæ hiſce Virginibus loco parentum ſint. Eadem eſt lectio in Africano Græco Latino apud Labbæum tomo 2. Concil. Ratio hujus providentiæ notanda, quæ hic allegatur; *ne paſſim vagando, Eccleſiæ lædant exiſtimationem*. Hoc eſt, ait Zonaras „ ne ſuſpicionibus parum commodis occaſionem nonnullis „ præbeant.

Quis hujus Canonis ſpiritus.

Hoc ſpiritu moti Patres Tridentini, curam clauſuræ Monialium Epiſcopis adeo enixe commendarunt, de quo latius in *Jure Eccleſ. Tom. I. part. I. tit.* 30. *cap.* 3. & 4.

Quod autem jampridem Epiſcopi crediderint ſingularem curam hiſce Virginibus eſſe impendendam, teſtis eſt S. Cyprianus, tractatu de *diſciplina, & habitu Virginum cap.* 2. ſcribens: „ nunc nobis ad Virgines ſermo „ eſt, quarum ſublimior gloria eſt, major & cura “; poſt hæc deſcriptis laudibus & prærogativis Virginitatis concludit, *ad has loquimur, has adhortamur affectione potius quam poteſtate, non quod extremi, & minimi, & humilitatis noſtræ admodum conſcii aliquid ad cenſuram licentiæ vindicemus, ſed quod ad ſollicitudinem magis cauti, plus de diaboli infeſtatione timeamus.*

CANON XLV. *

* Gr. XLVIII. & XLIX.

Ubi ægrotantes, qui pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium ſui periculo proprio dixerint, baptizentur, Ut ſcenicis atque hiſtrionibus, cæteriſque hujuſmodi perſonis, vel Apoſtaticis converſis vel reverſis ad Deum, gratia vel reconciliatio non negetur.

SCHOLION.

Canon in duos diviſus.

CANON complectitur, duo omnino diſtincta membra, quæ & in Concilio Carthaginenſi & Hipponenſi, & in Codice Africano apud Græcos duos ſeparatos Canones conficiunt.

Infidelibus ægrotantibus baptiſmus concedendus, ſi eum poſtulaſſe probentur.

Priore membro, quod in Breviario Hipponenſi conficit *Canonem* 32. & in Concil. Carthag. III. *Canonem* 34. agitur de ægrotantibus, qui ſenſibus deſtituti pro ſe, ſive *per ſe*, ut eſt in Carthaginenſi, reſpondere non poſſunt; nimirum quod baptiſmum deſiderent; ſed *voluntatis eorum* de ſuſcipiendo baptiſmo, *teſtimonium ſui*, ſeu *hi qui ſui ſunt* (ut habet Concilium Carthaginenſe & Hipponenſe) hoc eſt domeſtici *periculo proprio dixerint*, hos baptizandos eſſe Patres decernunt.

Hunc ſenſum Canonis claris terminis expreſſit Ferrandus Diaconus in Breviario Canonum *nu.* 202. *Ut ægrotantibus, quando ipſi loqui non poſſunt, ſi pro eis alii teſtimonium dixerint, baptiſmus non negetur.*

Quid ſignificent hæ verba periculo proprio.

Verba *periculo proprio*, ita interpretatur Zonaras; quod teſtificantes de voluntate infirmorum, ſe obligent, *ut niſi fidei depoſitum ſervaverint, ipſi in periculum veniant*: atque pro baptizando ſponſores ſe conſtituant. Recte autem advertit Gabriel Albaſpinæus, in notis ad Canonem 34. Concilii Carthaginenſis tertii, hoc Canone non agi de Catechumenis, ſed de Gentilibus nondum in Catechumenatu conſtitutis, animus enim & voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, toto Catechumenatus tempore manifeſtata omnem de voluntate ſuſcipiendi baptiſmum dubitationem tollebat: ſecus in *Gentili* nondum Catechumeno, cujus proinde exploranda erat voluntas. De quo autem conſtat baptiſmum ante morbum poſtulaſſe, illum baptizandum eſſe, quamvis reſpondere nequeat, ſi aliquibus ex cauſis baptiſmus dilatus fuerit, notat hic Zonaras.

Agitur de Gentilibus nondum Catechumenis.

Gratianus refert hanc partem, ut diſtinctum Canonem, *diſt.* 4. *de conſecratione, Can.* 75. cum hac finali clauſula: *Similiter & de pœnitentibus agendum eſt*. Quæ indubie recentiore manu per modum gloſſæ adjecta fuit; quandoquidem nec in Concilio Carthaginenſi aut Hipponenſi, nec in Codice Africano reperiatur.

Hiſtrionibus converſis & pœnitentibus non neganda reconciliatio.

Altero membro noſtri Canonis, quod conficit Breviarii Hipponenſis Canonem 33. & Concilii Carthaginenſis tertii Canonem 35. agitur de Scenicis, Hiſtrionibus, cæteriſque hujuſmodi perſonis.

Senſus Canonis videtur, quod & Scenicis & Hiſtrionibus, & cæteris hujuſmodi perſonis, nimis, puta Thymelicis (*a*), & omnibus, qui publice in theatris ludunt, eo pene unico fine, ut adſtantibus riſum excitent; atque ita paganam, gentilemque vitam agunt, non eſſe denegandam gratiam, id eſt baptiſmum, neque reconciliationem, ſi poſt baptiſmum ad hujuſmodi vitam tamquam apoſtatæ delapſi ſint, modo a tali vita ad Deum converſi ſint, & pœnitentiam egerint, ut apud Græcos expreſſis terminis requiritur; ita enim ipſi legunt: *Ut Scenicis, & mimis, & reliquis ejuſmodi perſonis, vel apoſtatis, pœnitentiam agentibus, & ſe ad Deum convertentibus gratia vel reconciliatio non negetur.*

Quam ſit contraria hæc profeſſio vitæ Chriſtianæ.

Cum appareat ex hoc Canone, dubitatum fuiſſe, num hujuſmodi hominum generi eſſet concedenda gratia baptiſmi, aut reconciliatio, intelligi poteſt, ejuſmodi vitam Patribus viſam eſſe profeſſioni Chriſtianiſmi admodum contrariam.

Notatque hic recte Zonaras, quod Canon „ omnes „ hujuſmodi homines ſine diſcrimine pœnitentia indigere affirmet, quippe qui & ipſi, ait, negligenter vitam agunt, & aliis diſſolute ac effuſe vivendi cauſam præbeant.

CANON XLVI. *

* Gr. L.

Liceat etiam legi paſſiones martyrum, cum anniverſarii dies eorum celebrantur.

SCHOLION.

Num hic Canon ſit pars Canonis 28.

HUNC Canonem hic alieno loco poſitum credit Petrus de Marca, in opuſculo de veteribus collectionibus *cap.* 6. *n.* 7. „ Cum ſit, ait, appendix Canonis editi „ de ſcripturis divinis, qui ſupra *Can.* 24. hujus Codi„ cis relatus eſt, cujus exordium cum ſic conceptum „ ſit: *Item placuit, ut præter ſcripturas Canonicas, ni„ hil in Eccleſia legatur ſub nomine divinarum ſcriptu„ rarum*; poſt enumeratos legis divinæ libros: recte „ ſubjungitur, *liceat etiam legi paſſiones martyrum, cum „ anniverſarii dies eorum celebrantur* “: & ita in Con„ cilio Carthaginenſi & Hipponenſi jungitur.

Paſſiones martyrum in die anniverſaria legi permittuntur in Eccleſia.

Verum notandum in hoc Concilio Carthaginenſi, anni 397. cujus hic Canones referuntur, lectum eſſe Breviarium Canonum Hipponenſium, atque varia fuiſſe Canonibus hiſce aſſuta in hac Synodo Carthaginenſi, & inter alia prædicto Canoni de ſcripturis Canonicis, hanc præſentem clauſulam, quæ ei optime connectitur, per conjunctionem *etiam*. Cum autem hæc ſola clauſula a Synodo Carthaginenſi eſſet addita & confecta, ſola quoque in actis Synodi deſcripta fuit; ſed Canoni Hipponenſi emendato addita. Ut vel hinc eluceſcat ſinceritas actorum hujus Concilii Carthaginenſis, in hoc Codice Africano relatorum; & hæc clauſula a reliquo Canone, ad quem refertur per conjunctionem *etiam*, hic fuit ſubjuncta, licet ad Canonem Hipponenſem referatur, tamquam novum additamentum.

Antiquitas hodierni ritus legendi in officio divino acta martyrum.

Quidquid ſit, patet hic antiquitas ritus hodierni legendi Hiſtorias martyrum in officio divino: hoc dolendum, non eam exactitudinem ſervari diſcernendi acta ſincera ab apocryphis, quam majeſtas divini officii requirit.

CANON XLVII. *

* Gr. LI.

De Donatiſtis placuit, ut conſulamus Fratres & Conſacerdotes noſtros Siricium & Simplicianum de ſolis infantibus, qui baptizantur penes eoſdem: ne quod ſuo

(*a*) Diſtinguuntur Scenici a Thymelicis. Senici dicebantur Hiſtriones, qui in ſcena fabulam agebant. Thymelici vero qui perſonam ex fabula non habentes, ante ſcenam in Orcheſtra ſaltabant, & ſcenæ ſubſerviebant.

suo non fecerunt judicio; cum ad Ecclesiam Dei salubri proposito fuerint conversi, parentum illos error impediat, ne promoveantur sacri altaris ministri.

SCHOLION.

An infantes a Donatistis baptizati, deinde in Ministros assumi possint.

DUBITATUM fuisse in Africa de *infantibus*, qui baptizantur apud Donatistas; Utrum, *quod suo non fecerunt judicio, cum ad Ecclesiam Dei salubri proposito fuerint conversi, parentum illis error impediat, ne promoveantur sacri altaris ministri*; Id est, utrum possent ad sacra ministeria assumi & ordinari. Et quidem tam perplexa, tantique momenti hæc quæstio visa fuit, ut super ea Consacerdotes, sive Coepiscopos Siricium scilicet Episcopum Romanum & Simplicianum Mediolanensem Episcopum, consulendos duxerint.

Hinc discant Episcopi, quam circumspecti esse debeant in admittendis ad sacros Ordines, & in Ecclesiæ ministros, qui a schismate aut hæresi ad Ecclesiam revertuntur; quando videmus Patres Africanos dubitasse, num infantes a Donatistis baptizati possent, jam majores facti, ministri Ecclesiæ constitui.

Finis Breviarii Hipponensis.

Hæc sunt, quæ proprie Canonem conficiunt, & finem videntur imponere iis, quæ nomine Concilii Carthaginensis addenda dixerat Epigonius Breviario Concilii Hipponensis, per Bizacenos ad Aurelium transmisso, ut recte advertit Quenellus in appendice *dissertationi suæ* 12. adjecta.

De posteriore parte Canonis.

Sequitur enim in Codice: *quibus insertis, Honoratus & Urbanus Episcopi*, &c. quibus verbis insinuatur, quod hactenus recitata fuerint inserta sub eadem periodo & interlocutione, scilicet ab Epigonio nomine Concilii facta, quæ supra Can. 34. expressa erat.

His ergo insertis & absolutis, quæ circa Breviarium Hipponense resoluta erant, Honoratus & Urbanus Episcopi, Legati Provinciæ Mauritaniæ Sitifensis exposuerunt Concilio: *jam dudum, cum apud Sanctitatem vestram allegaremus scripta, dilati sumus, quousque fratres advenire possent de Numidia Legati, sed quia non parvi dies sunt, quibus exspectati minime venerunt*, dicunt se *ultra prætermittere* non oportere ea, quæ sibi a suis *Coepiscopis* mandata fuerunt; rogantque Patres, ut libenti animo admittant, quæ suggerenda habent.

De *fide enim Nicæni tractatus audivimus*, inquiunt, *verum & de sacrificiis inhibendis post prandium, ut ab jejunis, sicut dignum est, offerantur, & tunc & nunc firmatum est.*

Verisimile est, Episcopos illos in mandatis habuisse agendi de fide Nicæna, & de sacrificiis a non jejunis minime celebrandis. Quin & verisimile apparet, quod per ea, quæ ex Concilio Hipponensi prælegi, & de novo hic confirmari audierant, circa hæc puncta ipsis satisfactum fuerit: unde ad alia quæ suggerenda habebant, pergunt.

CANON XLVIII.*

* Gr. LII.

Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum: ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel translationes Episcoporum. Nam Cresconius Villa-Rhegensis Episcopus, plebe sua derelicta, Tribuniensem invasit Ecclesiam, & usque hodie commonitus, secundum quod statutum fuerat, relinquere eamdem, quam invaserat, plebem contempsit. Adversus istum quæ pronunciata fuerant, confirmata quidem audivimus: sed petimus, secundum quod nobis mandatum est, ut dignemini dare fiduciam, quod jam necessitate ipsa cogente liberum nobis sit, Rectorem Provinciæ, secundum statuta gloriosissimorum Principum, adversus illum adire: ut qui miti admonitione Sanctitatis vestræ adquiescere noluit, & emendare inlicitum, auctoritate judiciaria protinus excludatur. Aurelius Episcopus dixit: servata forma disciplinæ non æstimabitur appetitus, sita vestra charitate modeste conventus recedere detrectaverit: cum fuerit suo contemptu & contumacia, faciente etiam auctoritate judiciaria, conventus. Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt: hoc ergo omnibus placet. Ab universis Episcopis dictum est: justum est, placet.

SCHOLION.

Canon ex Concilio Carth. III.

HIc Canon extat in Concilio Carthaginensi tertio *Can.* 38. Synodum plenariam Capuensem, cujus hic fit mentio, credit Baronius ad annum 389. eam esse, quæ pro sopienda difficultate super Episcopatu Antiocheno, inter Flavianum & Evagrium circa hæc tempora celebrata fuit, uti testatur & narrat Sanctus Ambrosius *Epist.* 78. asseritque Baronius, in hac Synodo constitutum fuisse, ne fierent rebaptizationes, reordinationes, & Episcoporum translationes.

Quæ fuerit Synodus plenaria Capuensis.

Translatio Episcoporum.

Exposuere itaque Legati Mauritaniæ Provinciæ, sibi mandatum, ut revocaretur quod in Synodo Capuensi, præsertim circa translationes Episcoporum statutum fuerat; eo quod Cresconius, Villa-Rhegensis Episcopus, plebe sua derelicta Tribuniensem invasisset Ecclesiam, & licet commonitus de statuto Capuensis plenariæ Synodi, cui & Africani Episcopi aliqui verisimiliter interfuerant, uti notat Schelstratius *dissert.* 3. *cap.* 7. *num.* 16. eam tamen deserere noluerat.

Aliqua jam tum ab Episcopis Mauritaniæ Provinciæ contra dictum Cresconium pronuntiata fuisse, eaque etiam in hac Synodo confirmata, satis indicant hæc Legatorum verba; *adversus istum* (Cresconium) *quæ pronuntiata fuerant, confirmata audivimus*. Nimirum in consessu præambulo hujus Carthaginensis Concilii, de quo supra actum est.

Exemplum invocati brachii sæcularis contra Episcopos contumaces.

Cum igitur Episcopi Mauritaniæ Sitifensis scirent, nec sic Cresconii contumaciam & pervicaciam frangendam; petierunt, ut liberum ipsis sit Rectorem Provinciæ sive Magistratum sæcularem adversus illum adire, ut qui miti admonitione Episcoporum, acquiescere eis noluit, auctoritate judiciaria, seu brachio sæculari, protinus ab Ecclesia, quam invasit, excludatur.

Huic petitioni respondit Aurelius præses Concilii; *servata forma disciplinæ* sive (*constitutionis*) *non æstimabitur appetitus*; id est, interpretante glossa, injuria lacessitus, si a vestra charitate modeste conventus recedere detrectaverit, cum fuerit suo contemptu & contumacia faciente, etiam auctoritate judiciaria conventus, quasi diceret; non est quod queratur Cresconius, si post Episcopalem admonitionem potestati sæculari tradatur; „ ipse enim seipsum per suam pervicaciam „ & Synodalium præceptorum contemptum, in sæcu„ larem potestatem tradidit, ait Balsamon.

Nihilominus negotium nondum absolutum fuisse quatuor annis, post hoc decretum, patet ex Concilio celebrato 3. Septembris anno 401. ubi negotium hoc rursus tractatum, uti notabitur ad Can. 77. hujus Codicis.

Translationes Episcoporum odiosæ.

Hic Canon in priore sua Parte, quam refert Gratianus *dist.* 4. *de consecratione Can.* 107. evincit Patribus admodum odiosas fuisse Episcoporum translationes; quas cum rebaptizationibus, & reordinationibus conferre haud dubitarunt.

Altera Canonis pars a Gratiano relata *caus.* 11. *qu.* 1. *Can.* 19. ostendit, novum non esse adversus Clericos, quin & Episcopos contumaces brachium sæculare implorare.

CANON XLIX.*

* Gr. LIII.

Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt, & illud nobis mandatum est, ut quia proxime fratres nostri Numidiæ duo Episcopi ordinare præsumpserunt Pontificem; nonnisi a XII. censeatis celebrari Episcoporum ordinationes. Aurelius Episcopus dixit: forma antiqua servabitur, ut non minus quam tres sufficiant, qui fuerint destinati ad Episcopum ordinandum. Propterea quia in Tripoli forte, & in Arzuge interjacere videntur barbaræ gentes; nam in Tripoli, ut asseritur, Episcopi sunt quinque tantummodo, & possunt forte de ipso numero vel duo necessitate aliqua occupari: difficile est enim, ut de quolibet numero omnes possint occurrere, numquid debet hoc ipsum impedimento esse Ecclesiasticæ utilitati? Nam & in hac Ecclesia, ad quam dignata est vestra Sanctitas convenire, crebro ac pene per diem Dominicam ordinandos habemus: numquidnam frequenter duodecim potero, vel decem, vel non multo minus advocare Episcopos? sed facile est mihi duos adjungere meæ Parvitati vicinos. Quapropter cernit mecum Charitas vestra, hoc ipsum observari non posse.

CANON L.*

* Gr. LIV.

Sed illud est statuendum, ut quando ad eligendum Episcopum conveniremus, si qua contradictio fuerit oborta, quia talia tractata sunt apud nos, non præsumant ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres jam: sed postuletur ad numerum supradictorum unus vel duo, & in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primo personæ contradicentium. Postremo etiam illa, quæ objiciuntur, pertractentur, & cum purgatus fuerit in conspectu publico, ita demum ordinetur. Si hoc cum vestræ Sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ dignationis responsione. Ab universis Episcopis dictum est: satis placet.

SCHOLION.

Ex Conc. Carth. III.

HOs duos Canones tamquam unicum Canonem in Concilio Carthaginensi III. anni 397. editum fuisse admodum verisimile est; ipseque contextus satis indicat, præsertim quia prior Canon non nisi propositionem continet, resolutio vero extans ad calcem posterioris Canonis integram Aurelii propositionem respicit. Accedit, quod inter statuta breviata in Codice Ecclesiæ Romanæ hi duo Canones per modum unius referuntur *cap.* 38.

Quot Episcopi ordinare Episcopum debeant.

Priore parte, quæ priorem Canonem in hoc Codice, & in Concilio Carthaginensi tertio conficit, narratur, quod Episcopi Legati Mauritaniæ conquesti sint, duos

duos Episcopos præsumpsisse ordinare Pontificem, ideoque rogarunt, ut a Concilio statueretur; *non nisi a duodecim Episcopis celebrari Episcoporum ordinationem.*

Ad hanc propositionem reposuit Aurelius Episcopus Carthaginensis, & Concilii præses: *forma antiqua servabitur, ut non minus: quam tres sufficiant, qui fuerint destinati ad Episcopum ordinandum.* Haud obscurum est ab Aurelio hic reflecti ad *Canonem 4. Nicænum*, quo decernitur in ordinatione Episcopi, ut minus tres debere esse præsentes, quare ut hunc numerum Episcoporum sufficientem judicet, subjicit Aurelius, quia in nonnullis Provinciis pauci sunt Episcopi, quos ad ordinationem Episcopi omnes simul convenire, inconveniens esset: & quamvis in aliis Provinciis plures essent Episcopi; tamen nec hic conveniens foret tam multos Episcopos a suis Ecclesiis avocari, ad ordinationem Episcoporum; eo quod in Africa esset admodum frequens ordinatio Episcoporum; nam, ut ait Aurelius, *& in hac Ecclesia Carthaginensi, ad quam dignata est vestra Sanctitas convenire, crebro ac pene per diem Dominicam ordinandos habemus.*

Si quæstio circa ordinationem incidat, tres Episcopi non sufficient.

Multos fuisse in Africa Episcopos, vel ex sola collatione inter Catholicos, & Donatistas, tempore S. Augustini instituta, constat, ut proinde mirum videri haud debeat, si pene *per Diem Dominicam* ordinandi essent Episcopi.

Posteriore Canone, sive ejusdem Canonis altera parte, & illud statuendum censuit Aurelius; ut quando ad eligendum Episcopum convenerint Episcopi, si qua contradictio contra personam electi fuisset oborta, *non præsumant ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres* Episcopi, qui juxta Canonem præcedentem, pro ordinatione sufficiunt, *sed postuletur ad numerum supradictorum unus vel duo.* (Apud Gratianum *dist.* 23. *Can.* 5. legitur, *duo vel tres*) quæ lectio quoque notatur ad marginem Concilii vulgo dicti Africani *Can.* 17. apud Labbæum *t.* 2. *Conc. gener. col.* 1649.

Apparet autem genuinus sensum jam expositus hujus Canonis, si attendatur lectio Latina Dionysii supra exhibita, consonans lectioni Concilii Carthaginensis tertii & Hipponensis apud Quenellum.

Canon 50. prout apud Græcos legitur.

Apud Græcos autem Canon ita legitur: *Illud autem definire oportet, ut si ad Episcopi electionem convenerimus, & oborta fuerit aliqua contradictio, postquam ea a nobis tractata fuerint, esse deinceps nimis audax inceptum, tres solos ad eum deponendum, qui ordinatus est, inveniri; sed prædicto numero adjiciantur unus, vel duo, & in eodem populo, cujus est ordinandus, examinentur primum personæ eorum, qui contradicunt, postea autem & quæ sunt proposita conjungantur; & quando in aspectu populi purus & innocens apparuerit, deinde sic ordinetur. Si hoc ergo admittat vestra Sanctitas, concordi vestræ dignitatis responsione stabiliatur. Ab omnibus Episcopis dictum est satis placet.*

Juxta hanc expressionem, videntur Patres Africani indicare, quod si ad electionem Episcopi convenerint, & oborta fuerit contradictio; & hæc contradictio ibidem per Electores tractata fuerit, & non obstante objectione, processum sit ad electionem, tunc tres Episcopi, qui ad ordinationem convenerint, non audeant electum deponere, sive ordinationem ei negare; nam, ut inquiunt Patres, *postquam ea a nobis tractata fuerint, esset deinceps nimis audax incepium, tres solos ad eum deponendum, qui ordinandus est, inveniri*, sed tribus illis adjici volunt *unum aut duos.*

Tunc vero demum per *unum* aut *duos* simul cum aliis tribus, qui ad ordinationem accesserant, in eadem plebe, cui ordinandus est, *examinentur primum personæ eorum, qui contradicunt; postea autem & quæ sunt proposita;* id est quæ ordinando objiciuntur, *conjungantur*, sive examinentur: *& cum purgatus fuerit in conspectu publico* (sive *quando in aspectu populi purus & innocens apparuerit*) *ita demum ordinetur.*

Itaque versio Græcorum videtur innuere, quod contradictio *oborta* in electione, ab Electoribus fuerit *discussa*, hique cum eligi posse dixerint; sed in ordinatione rursus illi aliquid opponatur: atque ita agatur de re jam per Episcopos tractata, iterum retractanda: quod non consonat Codicis Latini lectioni, quam juvat lectio extans apud Gratianum, *dist.* 23. *Can.* 5, ubi pro his verbis; *quia talia tractata sunt apud vos*, leguntur hæc parenthesi inclusa: *Quia sæpe talia facta sunt apud vos.*

Ergo lectio Latinorum id unum significat, contradictionem obortam contra Electum discutiendam coram ordinatoribus; sed si tres duntaxat sint, uno aut duobus adjunctis: & hunc sensum amplectitur Petrus de Marca, *l.* 6. *de Concord. Sacerd. & Imperii c.* 2. *n.* 12.

Episcopus cui aliquid objicitur, non ordinandus nisi purgatus.

Ex hoc equidem Canone discimus, quod Episcopus accusatus, non sit ordinandus, *nisi cum purgatus fuerit in conspectu publico*, (vel *quando in aspectu populi purus & innocens apparuerit*.)

CANON LI. *

* Gr. LV.

Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt, quoniam de Commonitorio nostro omnia tractata noscuntur, addimus etiam de die Paschæ nobis esse mandatum, ut de Ecclesia semper Carthaginensi, sicuti adsolet, instruamur, & non sub angusto temporis spatio. Aurelius Episcopus dixit: si Sanctitati vestræ videtur, quoniam nos spopondisse jam dudum meminimus, ut singulis quibusque annis ad tractandum conveniamus, & cum venerimus in unum, tunc divulgabitur sanctus Paschæ dies per Legatos, qui adfuerint Concilio. Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt: Nunc de præsenti cœtu petimus, ut litteris Provinciam nostram de hac die informare dignemini. Aurelius Episcopus dixit: ita fiat, necesse est.

SCHOLION.

Dies Paschatis indicanda minoribus Ecclesiis.

ADMODUM solliciti fuerunt Patres, ut solemnitas Paschalis in omnibus Ecclesiis eodem die celebraretur; quapropter voluerunt, ut per principaliores Ecclesias de die, qua Pascha eo anno celebrandum erat, minores Ecclesiæ instruerentur.

Quo die Pascha celebrandum in Concilio annuatim celebrando determinari debet.

Petierunt itaque Legati Provinciæ Mauritaniæ, ut de hac die ab Ecclesia Carthaginensi semper instruerentur Ecclesiæ Mauritaniæ, & non *sub angusto temporis spatio*, id est, ut tempestive instruantur, quo possit se ad solemnitatem Paschalem rite peragendam præparare.

Huic postulato respondit Aurelius, *cum definitum esset, quod singulis annis Carthagine esset conveniendum, sive Concilium congregandum, possit ibi dies statui, & per Legatos singularum Provinciarum, cum ad suas Provincias venerint, dies Paschalis divulgari*. Vide infra Can. 73. ubi decernitur, ut dies Paschæ *formatarum* subscriptione omnibus intimetur.

Responso Aurelii acquievere Legati, hoc unum postulantes, ut saltem pro præsenti tempore, nomine Concilii Provincia Mauritaniæ de die Paschali per litteras informetur; quod justum & necessarium, judicavit, & annuit Aurelius.

Lectio hujus Canonis in Concilio Carth. III. reddit hanc collectionem suspectam.

Refertur hic Canon in Concilio Carthaginensi III. *Can.* 41. ubi pro his verbis, *sicuti assolet*, leguntur hæc parenthesi inclusa: *sicut prædictum est*; quæ variatio circa hæc verba, uti & illa, quæ est in initio Canonis, ubi pro his, *de Commonitorio*, legitur, *de Concilio*, reddit hanc Canonum collectionem de suppositione suspectam.

Quare hic Canon non reperiatur in Breviario Hipponen.

Inter Canones breviatos Concilii Hipponensis in Codice Ecclesiæ Romanæ hic Canon non reperitur. Verisimiliter enim ea sola e Concilio Hipponensi sumpta erant, quæ horum Legatorum *Commonitorio* erant inserta, de quibus in hoc Canone ipsi asserunt: *quoniam de Commonitorio nostro omnia tractata noscuntur*; hoc est, omnia absoluta sunt, quæ Commonitorio continebantur.

CANON LII. *

* Gr. LVI.

Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt: & illud nobis verbo mandatum est, ut quia constitutum est in Concilio Hipponensi, singulas debere Provincias tempore Concilii visitandas esse, dignemini etiam, quod hoc anno secundum ordinem distulistis, vel alio anno Mauritaniam Provinciam visitare. Aurelius Episcopus dixit: tunc de Provincia Mauritania, propterea quod in finibus Africæ posita sit, nihil statuimus; siquidem vicinæ sunt Barbarico: sed præstet Deus, ut ex abundanti non pollicentes venire possimus ad vestram Provinciam. Cogitare enim debetis, fratres, quia hoc sibi & Tripolitani, Arzugitani fratres poterant exigere, si ratio pateretur.

SCHOLION.

Cur hic Canon in breviario Hippon. non relatus?

INITIALIA Canonis verba, *& illud novis verbo mandatum est*, probant, nec ea quæ præsenti Canone, nec quæ præcedenti continentur, Legatos habuisse in suo *Commonitorio*, uti in præcedenti Scholio notavimus; ut propterea nec inter Canones Hipponenses apud Quenellum referatur, uti nec sequentes.

Provinciæ Mauritaniæ visitatio ob barbaros vicinos dilata?

Canonis sensus haud obscurus est. Id enim unum decernitur, quod in præsenti addici nequeat Provinciæ Mauritaniæ visitatio ob barbaros huic Provinciæ vicinos, idque ad exemplum aliarum Provinciarum, quæ eamdem ob causam visitari nequeunt.

CANON LIII. *

*Gr. LVII.

Epigonius Episcopus dixit: multis Conciliis hoc statutum a cœtu Sacerdotali est, ut plebes, quæ in Diœcesibus ab Episcopis retinentur, quæ Episcopos nunquam habuerunt, non nisi cum voluntate ejus Episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant Rectores, id est Episcopos. At vero quia nonnulli; dominatu quodam adepto, communionem fratrum abhorrent, vel certe, cum depravati fuerint, quasi in quadam arce tyrannica sibi dominatum vendicant: quod plerique timidi, atque stolidi, adversum Episcopum suas cervices erigunt Presbyteri, vel conviviis sibi concinnantes plebem, vel certe persuasu maligno, ut illicito favore eosdem velint sibi collocare Rectores. Quod quidem insigne mentis tuæ tenemus votum, Frater religiose Aureli, qui

hæc

hæc sæpe oppressisti, non curando tales petitores. Sed propter eorum malos cogitatus, & prave concinnata consilia hoc dico, non debere Rectorem accipere eam plebem, quæ in Diœcesi semper subjacuit, nec unquam proprium Episcopum habuit. Quapropter si universo sanctissimo cœtui placet hoc, quod prosequutus sum, confirmetur. Aurelius Episcopus dixit: Fratris & Consacerdotis nostri prosecutioni non obsisto: sed hoc me & fecisse, & facturum esse profiteor circa eos sane, qui fuerint concordes, non solum circa Ecclesiam Carthaginensem, sed circa omne Sacerdotale consortium. Sunt enim plerique conspirantes cum plebibus propriis, quas decipiunt, ut dictum est, earum scalpentes aures, blandi ad seducendum, vitiosæ vitæ homines, vel certe inflati, & ab hoc consortio separati, qui putant propriæ plebi incubendum & nonnunquam conventi ad Concilium venire detrectant, sua forte ne prodantur flagitia metuentes. Dico, si placet, circa hos non tantum Diœceses non esse servandas, verum & de propria Ecclesia, quæ illis male faverit, omnimodo adnitendum, ut etiam auctoritate publica rejiciantur, atque ab ipsis principalibus Cathedris removeantur. Oportet enim, ut qui universis fratribus, ac toto Concilio inhæserit, non solum suam integro jure, sed & Diœceses possideat. At vero, qui sibimet putant plebes sufficere, fraterna dilectione contempa, non tantum Diœceses amittant, sed, ut dixi, etiam propriis publica careant auctoritate, ut rebelles. Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt: summa provisio sanctitatis tuæ cohæsit mentibus singulorum, & puto, omnium responsione ea, quæ prosequi dignatus es, roboranda. Universi Episcopi dixerunt: placet, placet.

S C H O L I O N.

Novi Episcopatus auctoritate Synodi erigendi cum consensu antiqui Episcopi.

IN præsenti Canone, in primis Epigonius Episcopus Patribus proponit, multis in Conciliis definitum esse: *ut plebes* (seu *populi*) *quæ in Diœcesibus ab Episcopis retinentur* (sive *continentur*) id est consistunt intra limites Diœcesium aliquorum Episcoporum, *& quæ Episcopos* (seu *proprium Episcopum*) *nunquam habuerunt, nonnisi cum voluntate ejus Episcopi, a quo* (*in principio*) *tenentur, proprios accipiant Rectores, id est Episcopos.*

Notant hic Balsamon & Zonaras, quod Synodus Rectores appellet Episcopos, ut ipsi populum dirigant & ad veram fidei viam virtutisque deducant.

Ex hoc Canonis textu sat manifestum est, novam Episcopatuum institutionem tunc fuisse penes Episcopos, sed dismembrationem fieri non potuisse sine voluntate ejus Episcopi, a cujus Diœcesi dismembratur pars in novum Episcopatum erigenda.

Hæc pars Canonis extat apud Gratianum, *caus.* 16. *quæst.* 1. *Can.* 51. omissis his verbis finalibus, *id est Episcopos*, uti quoque notatur in correctione Romana.

Rationem, ob quam merito Episcopi antiqui consensus desideretur, subjungit Epigonius. *Quia nonnulli dominatu quodam adepto* (sive *tyrannidem quamdam assecuti*) *communionem fratrum abhorrent; vel cum depravati fuerint* (sive *quando viles abjectique evaserint*): vel ut legitur in Concilio vulgo dicto Africano, *c.* 20. *cum elevati fuerint*; quæ lectio verior apparet, eamque præfert de Marca in opusculo de veteribus collectionibus Canonum *cap.* 6. *num.* 8. *quasi in quadam arce tyrannica, sibi dominatum vendicant* (sive *quadam veluti antiqua tyrannide sibi Dominia vendicant*). Hoc est interprete Balsamone & Zonara: ut ex antiqua forte consuetudine aliquod jus habentes.

Ulterius, ut persuadeat Epigonius prohibendum esse, ne Episcopi dentur plebibus, quæ nunquam proprios habuere, *sine voluntate* Episcopi, ad quem hactenus spectaverunt, addit, quod „ plerique tumidi atque „ stolidi (*sive* inflati & stulti) adversus Episcopum „ suas cervices erigunt Presbyteri, vel conviviis sibi „ concinnantes plebem; vel certe persuasu maligno, „ ut illicito favore eosdem sibi velint collocare Recto- „ res; " sive uti sine particula disjunctiva, *vel*, legunt uno contextu Græci; „ multitudinem conviviis, „ & malignis consiliis instigantes, ut inordinata bene- „ volentia eos sibi directores constituant, id est Epis- „ copos.

Hisce expositis Epigonius se ad Aurelium convertit, dicens: „ quod quidem insigne mentis tuæ tenemus vo- „ tum (*sive* hoc autem insigniter optandum, a vestra „ benevolentia obtinemus ") hoc est, certam spem habemus, quod postulata impetrabimus, quia „ hæc „ sæpe oppresisti, non curando tales petitores (*sive* „ quod sæpe ejusmodi eorum appetitiones, non admit- „ tens prohibuisti): *Aurelius dixit*: Fratris & Con- „ sacerdotis nostri prosecutioni non resisto; sed hoc „ me & fecisse, & facturum profiteor circa eos sane, „ qui fuerint concordes, non solum circa Ecclesiam „ Carthaginensem, sed circa omne Sacerdotale consor- „ tium.

His significatum voluit Aurelius, se velle facere & fecisse, quod Epigonius suggessit; ut scilicet novus Episcopus non ordinetur in parte alicujus Diœcesis, *sine consensu ipsius Episcopi*, sub quo pars hæc hactenus constitit: si modo Episcopus, qui hanc injuriam patitur, etiam consentiat universo Sacerdotali consortio.

Contra eos qui seducta plebe Episcopatum aucupantur.

„ Sunt enim plerique (*sive* plurimi) conspirantes „ cum plebibus propriis, quas decipiunt earum scal- „ pentes (*seu* titillantes) aures, blandi ad seducen- „ dum, vitiosæ vitæ homines; (*seu* homines vitæ de- „ speratæ, damnatæque adulationibus ad se allicientes) „ vel certe inflati, & ab hoc consortio separati (*si-* „ *ve potius*, & ab hoc consortio seipsos separantes); „ qui putant propriæ plebi incubandum (*vel potius*, „ qui quidem proprio populo innitentes) & nonnun- „ quam (*vel* sæpe) conventi (*sive* evocati) ad Con- „ cilium venire detrectant, sua forte ne prodantur „ flagitia metuentes.

De similibus itaque Episcopis pronuntiat Aurelius iis non tantum Diœceses, quas malis artibus occupaverant, non esse servandas, verum *& de propria Ecclesia, quæ illis male faverit*, in qua forsan fuerat Presbyter, „ etiam auctoritate rejiciantur, atque ab ipsis „ principalibus Cathedris removeantur: " id est auctoritate Patriarcharum, vel Metropolitanorum (qui hic per principales Cathedras significantur) removean- „ tur, uti notant Balsamon & Zonaras.

Oportet enim, pergit Aurelius, „ ut qui universis „ fratribus, ac toto Concilio inhæserit, non solum „ suam (propriam Cathedram) integro jure (*seu* ju- „ ste) sed & (ejusmodi) Diœceses possideat: „ id est eas, quæ sine eorum scitu, a sua Diœcesi fuere divulsæ.

Qui vero *sibimet putant plebes sufficere* (seu *qui videntur sua esse multitudine contenti*) *fraterna dilectione contempta*; hoc est, fidentes multitudini populi, qui eos sibi in rectores, sive Episcopos assumpserunt, reliquos Episcopos contemnunt, *non tantum Diœceses*, quas favore populi parum Canonice occupaverunt, *amittant, sed etiam propriis*, quas antea obtinebant, *publica* (sive *sæculari*) *careant auctoritate ut rebelles*: „ ut qui ma- „ nus contra erigunt, & Canonibus & Episcopis ad- „ versantur " inquiunt Balsamon & Zonaras.

Sententiam Aurelii probavit Synodus, *atque universi Episcopi dixerunt: placet, placet.*

Episcopi in Synodo judicati & contumaces seditus ejiciendi.

Docet hic Canon, quod sæpius in hisce Scholiis notovimus, Episcopos jampridem in Synodis Episcoporum fuisse judicatos, atque Synodorum judicia malitiose & pertinaciter subterfugientes, ut *rebelles*, etiam auctoritate publica seu sæculari, e propriis sedibus ejectos.

Episcopatus dismembratio in Synodo peracta.

Insuper ex hoc Canone habemus, depositionem Episcoporum, uti & novam Diœcesis aut Episcopatus erectionem, vel antiqui dismembrationem, tunc temporis in Synodo Episcoporum fuisse factam, neque tunc temporis Romano Pontifici fuisse reservatas.

C A N O N LIV. *

*Gr. LVIII.

Epigonius Episcopus dixit: in multis Conciliis hoc statutum est, etiam nunc hoc confirmatum est a vestra prudentia, Beatissimi fratres, ut Clericum alienum nullus sibi præripiat Episcopus præter ejus arbitrium, cujus fuerit Clericus. Dico autem Julianum, qui ingratus est Dei beneficiis per meam parvitatem in se conlatis, ita temerarium & audacem extitisse, ut eum qui a me baptizatus est, cum esset puer egentissimus, mihi ab eodem commendatus, cumque multis annis a me aleretur, atque incresceret, hunc, ut dixi, baptizatum esse in Ecclesia mea per manum parvitatis meæ constat: idem in Diœcesi Mappaliensi lector esse cœperat, immo annis ferme duobus legerat; nescio quo contemptu humilitatis meæ idem Julianus eum arripuit, quem dicit quasi proprium civem sui loci Vazaritani, me inconsulto usurpare; nam & Diaconum illum ordinavit: hoc si liceat, pateat hæc licentia nobis, Beatissimi fratres: si minus, tam impudens cohibeatur, ne se misceat communioni cujusquam. Numidius Episcopus dixit: si non postulata, neque consulta tua dignatione id videtur fecisse Julianus, judicamus omnes, inique factum atque indigne. Quapropter nisi idem Julianus correxerit errorem suum, & cum satisfactione eumdem Clericum, quem fuerat ausus ordinare, revocaverit tuæ plebi, contra statuta Concilii faciens, contumaciæ suæ separatus a nobis excipiet judicium. Epigonius Episcopus dixit; ætate pater & ipsa promotione antiquissimus, vir laudabilis, Frater & Collega noster Victor, vult hanc petitionem generalem omnibus effici.

S C H O L I O N.

Querela Epigonii adversus Julianum, qui in Diaconum ordinaverat Lectorem.

HOC Canone proponitur querela Epigonii Episcopi contra Julianum Episcopum, quod hic in Diaconum ordinasset & in suum Clerum adoptasset sine consensu Epigonii, quem ipse Epigonius a Juliano sibi missum, misericorditer susceptum, & enutritum baptizaverit; qui & tandem *in Diœcesi Mappaliensi lector esse cœperat* (sive Gr. *in Mappalitanorum parœcia publicæ lector factus est*) *immo annis ferme duobus legerat.*

Conqueritur ergo Epigonius, quod hunc sic a se nutritum, baptizatum, & in lectorem ordinatum Julianus præsumpserit se inconsulto usurpare: *nam*, ait, *& Dia-*

Juliani excusatio.

& Diaconum illum ordinavit. Verum Julianus dicebat, *eum quasi proprium civem sui loci Vazaritani* (sive Gr. *eum esse civem loci Bazaritani ad eum pertinentis*) ac per consequens, fas sibi esse, proprium civem, sine consensu alterius Episcopi, Diaconum ordinare, & Ecclesiæ suæ adscribere.

Epigonii responsio.

Sed Epigonius e contrario contendebat, quod cum ipse, *consentiente* Juliano, puerum enutrisset, baptizasset, ac tandem in Lectorem ordinasset, hunc factum fuisse suum Clericum; adeoque nec sine suo scitu potuisse a Juliano usurpari, & in Diaconum suæ Diœcesis ordinari; *quia*, ajebat Epigonius, " in multis ,, Conciliis hoc statutum est, etiam nunc hoc confirmatum est a vestra prudentia, ut Clericum alienum ,, nullus sibi præripiat Episcopus, præter ejus arbitrium, cujus fuerit Clericus.

Concedebat igitur Epigonius, quod hic puer esset *origine* civis loci pertinentis ad Diœcesim Juliani; sed prætendebat, eum hoc titulo a Juliano non potuisse, sine suo consensu, in Diaconum ordinari, quod jam a se in Lectorem fuisset ordinatus, annuente Juliano, & sic suus Clericus effectus; quem per consequens, juxta decreta Conciliorum, Julianus sibi præripere non potuit.

Querela Epigonii justa judicata.

Ad hanc querelam Epigonii respondit Numidius Episcopus, quod si Julianus " non consulto, nec postulato Epigonio, id videtur fecisse (*sive Gr.* hoc fecisse Julianum appareat) judicamus omnes inique factum atque indigne.

Addit & Numidius: quod nisi Julianus " errorem ,, suum correxerit, & cum satisfactione, eumdem Clericum, quem ausus fuerat ordinare, revocaverit ,, (*sive Gr.* restituerit) tuæ plebi; contra statuta ,, Concilii faciens, contumaciæ suæ, separatus a nobis, excipit judicium.

Olim qui ordinem etiam minorem ab uno Episcopo acceperat, ab alio superiorem accipere non poterat.

Hæc resolutio nos docet, quod per ordinationem alicujus etiam in *Lectorem*, ordinatus sic adstringeretur ordinati, & vinculo tam arcto ejus Clero alligaretur, ut nec Episcopus originis, sive nativitatis, eum ad altiorem ordinem ordinare, & suo Clero sine consensu primi ordinantis posset adscribere.

Vestigium hujus disciplinæ hodie Ecclesia Romana servatur.

Error Canonistarum ex ignorantia veteris disciplinæ.

Hujus disciplinæ vestigium est, quod ordinati a Romano Pontifice, ab alio Episcopo, sine Pontificis speciali licentia ad ulteriorem ordinem promoveri nequeant: cujus rei testimonium occurrit apud Innocentium III. *lib.* 1. *Epist.* 22. & communiter docent Canonistæ ad *cap. tit. de temp. ordinat.* qui tamen imperite ex ignorantia veteris disciplinæ id refundunt in prærogativam Romani Pontificis: cum non sit nisi veteris, & omnibus Episcopis communis disciplinæ in Ecclesia Romana fidelius conservatæ; aliqua restans particula.

C A N O N LV. *

* Gr. LIX.

Aurelius Episcopus dixit: sermonem meum admittite Fratres. Contingit nonnunquam, ut postulentur ab Ecclesiis, quæ Præpositis egent, vel Presbyteris vel Episcopis; & tamen memor statutorum id sequor, ut conveniam Episcopum ejus, atque ei inculcem, quod ejus Clericus a qualibet Ecclesia postuletur: sed forte in hodierno non reluctati sunt, & nequando contingat, ut reluctentur, cum fuerint a me in hac causa postulati, quem scitis multarum Ecclesiarum, & ordinandorum curam sustinere. Justum est ergo, ut quemlibet Consacerdotum conveniam cum duobus e consortio nostro, vel tribus testibus. Sin vero indevotus extiterit, quid censet charitas vestra faciendum? Ego enim cunctarum Ecclesiarum, dignatione Dei, ut scitis Fratres, sollicitudinem sustineo. Numidius Episcopus dixit: fuit semper hæc licentia huic Sedi, ut unde vellet & de cujus nomine fuisset conventus pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinare Episcopum. Epigenius Episcopus dixit: Bonitas sequestrat possibilitatem, minus enim præsumis, Frater, cum te bonum & clementem omnibus præbes: habes enim hoc in arbitrio, sed longe est, ut satisfiat personæ uniuscujusque Episcopi in prima tantummodo conventione. Si autem quod licet huic Sedi vendicandum sibi fuerit arbitratus, necesse habes tu omnes Ecclesias fulcire, unde tibi non potestatem damus, sed tuæ adsignamus; ut liceat voluntati tuæ, & semper tenere quem voles, ut Præpositos plebibus, vel Ecclesiis constituas, qui postulati fuerint, & unde volueris. Posthumianus Episcopus dixit: deinde, qui unum habuerit, numquid debet illi unus Presbyter auferri? Aurelius Episcopus dixit: sed Episcopus unus esse potest, per quem dignatione divina Presbyteri multi constitui possint, unus autem Episcopus difficile invenitur constituendus. Quapropter, si necessarium Episcopatui quis habuerit Presbyterum, & unum, ut dixisti, frater, habuerit: etiam ipsum ad promotionem dare debebit. Posthumianus Episcopus dixit: ergo si habet alius abundantes Clericos, debet mihi alia plebs subvenire. Aurelius Episcopus dixit: sane quando tu Ecclesiæ alteri subveneris, persuadebitur illi, qui plures habet Clericos, ut unum tibi ordinandum largiatur.

S C H O L I O N.

Clerici sine consensu proprii Episcopi, in Episcopos aliarum Ecclesiarum ordinari non possunt, nisi a Carthaginensi.

PRÆSENS Canon evincit Clericos ita fuisse Episcopis suis adstrictos, ut etiam a populo postulati ad Episcopatum sine Episcoporum suorum licentia in Episcopos ordinari non possent.

Ulterius hic Canon nos docet, plures consuevisse ex Africanis Ecclesiis sucurrere ad Episcopum Carthaginensem tamquam totius Africæ Primatem, ut ipsis de idoneis ministris, præsertim Episcopis, provideret.

Proposuit igitur Aurelius Episcopus Carthaginensis, quid sibi sit agendum, si Episcopi, qui sub se habent idoneos Clericos, qui in Episcopos ordinari possent, legitime ab eo interpellati, eos dimittere renuant.

Primatus Ecclesiæ Carthag.

Huic propositioni respondit Numidius Episcopus: ,, fuit semper hæc licentia huic Sedi; ut unde vellet, ,, & de cujus nomine fuisset conventus, pro desiderio ,, cujusque Ecclesiæ ordinare Episcopum.

Numidio succinens Epigonius Episcopus dixit: " bo- ,, nitas sequestrat possibilitatem (*sive Gr.* bona tua ,, voluntas moderatur potestatem) minus enim præ- ,, sumis, frater, cum te bonum & clementem omni- ,, bus præbes; habes enim hoc in arbitrio, sed longe ,, est, ut satisfiat personæ uniuscujusque Episcopi, in ,, prima tantum conventione (*vel Gr.* nam hoc quo- ,, que in tuo judicio positum est, ut uniuscujusque ,, personam corrigas, idque in primo & solo congres- ,, su, si intelligas in hujus esse Cathedræ potestate, ,, punire) *rationem subjecit Epigonius*: necesse habes ,, tu, omnes Ecclesia fulcire.

Hunc Epigonii ad Aurelium sat obscurum discursum sic paraphrastice exponit Zonaras. " Cum tibi quidem ,, alienis Clericis ad te traductis conferre Ordines omnino liceat, quamdam tamen in usu auctoritatis moderationem humanitatis requirit, ut non pro potestate & imperio, sed cum Episcopi quoque sui facultate, Clerici auferantur: in omnibus namque benignitatem & humanitatem ostendere minus quiddam est, quam pro imperio, ac potestate Clericos abducere: id enim in tuo judicio positum est, ut uniuscujusque Episcopi personæ medicinam facias; hoc est; tibi quoque hoc propositum est, ut Episcopos omnes humanitate demulceas: in primo autem & solo congressu, si jus huic Cathedræ vendicandum esse perspexeris; hoc est, ubi primum semel convento Episcopo, consilium de ejus Clerico abducendo, atque ad Ordines promovendo communicaris, si se ille minus obsequentem præbuerit, jus huic Cathedræ datum, Clericos unde velit sumendi, iisque Ordines conferendi, ipse vendicabis.

Sed Epigonius veritus ne Episcoporum offensionem incurreret, eam auctoritatem Carthaginensi Episcopo attribuendo, dicit: *unde tibi non potestatem damus, sed tua adsignamus* (sive Gr. *unde nos tibi facultatem non damus, sed ea tua voluntate obsignamus*): quasi diceret: non hanc nos tibi largimur facultatem, *sed ante traditam, confirmamus, ut liceat voluntatis tuæ, & semper tenere quod voles, ut præpositos plebibus, vel Ecclesiis constituas, qui postulati fuerint, & unde volueris.*

Fas erat Episcopo Carthaginensi ex aliis Ecclesiis assumere Clericos, quos diversis pro necessitate Ecclesiis alligaret.

Posthumianus intelligens decretum esse, quod fas esse Aurelio alienos Clericos assumere, ut aliis Ecclesiis provideat, interrogavit; *quid si quis unum habuerit, numquid debet illi unus Presbyter auferri?* Respondit Aurelius, *sed Episcopus unus esse potest, per quem permissione divina Presbyteri multi constitui possunt, unus autem Episcopus difficile invenitur constituendus* (sive clarius Gr. *Dei permissione potest unus Episcopus multos Presbyteros ordinare, Presbyter autem aptus Episcopatui difficulter invenitur*): quia multa sane requiruntur in Episcopo, quæ non requiruntur in Presbyteris: immo tanta, juxta Apostolum, ut merito dicant Patres Africani, quod Presbyter aptus Episcopatui difficulter inveniatur.

Qua moderatione hac in parte uti debeat Episcopus Carthagin.

Hinc concludit Aurelius. Quapropter *si necessarium Episcopatui quis habuerit Presbyterum, & unum habuerit, etiam ad promotionem dare debebit*. Id exigit communio & charitas, quæ inter diversas particulares Ecclesias intercedere debet.

Sed ut utrimque charitas & communio servetur, resolvit, instante ulterius Posthumiano, Aurelius; quod si contingat Ecclesiam, cui datus fuerit Presbyter alterius Ecclesiæ Clericis minoribus abundare, justum esse, ut huic Ecclesiæ, a qua Presbyterum in Episcopum ordinandum accepit, det unum Clericum ordinandum in Presbyterum in locum illius, qui abstractus fuit, ut in Episcopum ordinaretur.

Prærogativam, quæ hoc Canone Episcopo Carthaginensi asseritur, Ferrandus Diaconus in Breviario Canonum *cap.* 230. expressit his verbis. *Ut soli Ecclesiæ Carthaginis liceat alienum Clericum ordinare.*

C A N O N LVI. *

* Gr. LX

Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt. Audivimus constitutum, ut Diœceses non mereantur Episcopos accipere, nisi consensu ejus, sub quo fuerant constituta;

sed

sed in Provincia nostra, cum aliqui forte in Diœcesi, concedente eo Episcopo, in cujus potestate fuerant constituti, ordinati sunt Episcopi, etiam Diœceses sibi vendicant; hoc & corrigi charitatis vestræ judicio, & inhiberi de cætero debet. Epigonius Episcopus dixit: singulis Episcopis servatum est quod decebat: ut ex massa Diœcesium nulla carperetur, ut proprium Episcopum habuisset, nisi ipse consensum adhibuisset concedendi: Sufficiat enim, si concesserit, ut eadem Diœcesis permissa, proprium tantum Episcopum habeant: cæteras sibi non vindicent Diœceses, quia exempta de fasce multarum sola meruit honorem Episcopatus suscipere. Aurelius Episcopus dixit: non dubito charitati vestræ omnium placere eum, qui in Diœcesi conducente Episcopo, qui matricem tenuit, solam eamdem retinere plebem, in qua fuerat ordinatus. Quoniam igitur universa arbitror fuisse tractata, si omnia cum animo vestro cuncta roborate. Universi Episcopi dixerunt: omnibus nobis hæc placuerunt, & hæc nostra subscriptione firmavimus, & subscripserunt. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, & prælecto subscripsi similiter & cæteri Episcopi subscripserunt.

SCHOLION.

Episcopus portione plebis, quæ ei ordinatione contigit, fit contentus.

DUo hoc Canone statuuntur. Primum ut Episcopus, *qui in Diœcesi, concedente Episcopo, qui matricem tenuit, solam eamdem retineat plebem, in qua fuerat ordinatus* (sive Gr. ait *Episcopus, qui ex prioris Episcopi in Diœcesi permissione promotus est, eum solum populum obtineat, ad quem ordinatus fuerat*): hoc est, ut Episcopus in aliqua parte Diœcesis, consentiente hujus Diœcesis Episcopo, ordinatus, contentus sit ea portione, quæ ei ex consensu Episcopi obtigit.

Decreta Concilii Carthag. an. 379. a PP. firmata.

Secundo postulante Aurelio, universa, quæ hactenus tractata in hoc Concilio anni 397. fuerunt, ab universis firmata & subsciptione singulorum roborata.

Tres Articuli in Codice Africano inserti post Canonem LVI.

ARTICULUS I.

Gr. post Can. LX.

Cæsario & Attico VV. CC. Conss. sexto Kal. Julias Carthagine placuit, ut nullus Episcoporum naviget, sine formata Primatis. Gesta in authenticis, qui quæret, inveniet.

SCHOLION.

De conventu, sive ut alii volunt, Concilio habito 6. Kal. Jul. 397.

POst Canonem LVI. sequitur in Codice Africano apud Dionysium, uti & apud Grecos præsens articulus *Cæsario*, &c. verum in Concilio vulgo Africano, seu collectione variorum Canonum apud Labbæum *tom.* 2. Concil. general. *col.* 1643. hæc præmittuntur Canoni 34. Codicis Africani.

Et sane cum hoc Concilium celebratum dicatur *V. Kalendas Julias Cæsario & Attico viris clarissimis Consulibus*, id est anno 397. non immerito præmittitur Canoni 34. & sequentibus, qui demum ultimam perfectionem acceperant Concilio, V. Kalendas Septembris ejusdem anni; putatque Quenellus, non fuisse aliquod particulare Concilium celebratum VI. Kalendas Julias; sed quod magni illius Concilii celebrati V. Kalendas Septembris anni 397. quidam fuerit anticipatus concessus, in quo hi, qui ad præstitutam diem convenerant, aut eam etiam prævenerant, de variis capitibus tractatum inter se inierint: quæ postmodum in Concilio V. Kalendas Septembris celebrato relicta & firmata sint, ad quæ respiciunt finalia verba; *gesta in authenticis, qui quæret, inveniet.*

Tillemontius autem in nota 25. ad vitam S. Augustini putat non perfectum ac distinctum Concilium fuisse, sed duntaxat Provinciale, ejusque gesta, in Concilio plenario totius Africæ V. Kalendas Septembris fuisse probata.

Episcopis non licet ad transmarinas oras navigare sine dimissoriis Primatis.

Interim ex hoc Concilio hic unum recitatur, ut *nullus Episcoporum naviget, sine formata* (sive Gr. *dimissoriis Epistolis*) *Primatis.*

„ Dimissoriæ nomine, ait hic Zonaras, pacificam „ Epistolam, *Primatis* vero appellatione, Patriarcham, „ aut Metropolitanum intelligit: navigare porro, est „ maritimo itinere in alias oras peregrinari.

ARTICULUS II. *

* Gr. Act. 3

Post consulatum gloriosissimi Imperatoris Honorii Augusti IV. & Eutichiani V C. quinto Kal. Majas, Carthagine, in Secretario Basilicæ Restitutæ. In hoc Concilio Legationem susceperunt Epigenius & Vincentius Episcopi; ut pro confugientibus ad Ecclesiam, quocumque reatu involutis legem de gloriosissimis Principibus mereantur, ne quis eos audeat abstrahere.

SCHOLION.

De Concilio Carthag. anno 399.

HIc est alter articulus, qui sequitur in Codice Africano, & quo refertur Synodus Carthaginensis habita *Kalendis Majis* anno 399 sive *post consulatum gloriosissimi Imperatoris Honorii Augusti IV. & Eutichiani V. C. quinto.*

Legatio Episcoporum ad Imp. pro obtinenda immunitate Ecclesiastica.

Ex actis hujus Synodi nihil refertur, nisi " quod in „ hoc Concilio Legationem susceperunt Epigonius & „ Vincentius Episcopi, ut pro confugientibus ad Ec- „ clesiam quocumque reatu involutis, legem de glo- „ riosissimis Principibus mereantur, ne quis eos audeat „ abstrahere.

Occasio hujus Legationis.

Quæ fuerit occasio susceptæ hujus Legationis, nequaquam expeditum est. Admodum verisimile est; huic Legationi occasionem dedisse constitutionem Arcadii Imperatoris, quam circa hoc tempus extorserat Eutropius Eunuchus Imperatoris. Scribit enim Socrates *lib.* 6. *hist. Eccles. c.* 5. Quod Eutropius Eunuchus " cum „ de nonnullis, qui ad Ecclesiam confugerant, pœnas „ sumere vellet; operam dederat, ut Lex ab Impera- „ toribus promulgaretur, jubens ne quis ad Ecclesias „ confugeret; sed ut quicumque ad eas confugissent, „ inde abstraherentur ". Et Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 7. „ scribit; Eutropius vero legem ferri curavit, qua „ vetabatur, ne quisquam ad Ecclesiam confugeret: „ & qui jam confugissent, expelli jubebantur ". Ejusdem & meminit S. Chrysostomus, sermone in Eutropium.

Hanc Arcadianam extare in Codice Theodosiano divisam in plures partes conficientes in dicto *Codice legem* 3. *de his qui ad Eccles. confug. item l.* 16. *de pœnis l.* 57. *de appellat & l.* 33. *de Episcopis*, probat vir multæ lectionis, & eruditionis Jacobus Gothofredus, in notis ad has leges, præsertim priorem, ubi una notat, quod Legatio hæc a Synodo Carthaginensi destinata fuerit ad Imperatorem ad evacuandam hanc Arcadianam constitutionem: multisque probat, errare Baronium, aliosque, qui putant, huc pertinere *legem* 34. *Cod. Theod. de Episcopis*, cum hæc Lex non pertineat ad immunitatem seu asylum Templorum; sed ad immunitatem Clericorum ab operibus publicis.

Ex hac Legatione patet hanc immunitatem dependere a placito Principis.

Interim ex solemni hac duorum Episcoporum Legatione facta, auctoritate Concilii, ut pro confugientibus ad Ecclesiam quocumque reatu involutis, legem de gloriosissimis Principibus mereantur, ne quis eos audeat abstrahere; manifestum est Patres Africanos credidisse, hoc jus asyli a Principibus dependere, atque ab ipsis legem hanc esse petendam.

Evincunt & hanc Principum auctoritatem plurimæ, quæ in Codice tum Theodosiano, tum Justinianæo extant constitutiones pristinorum Imperatorum, præsertim sub titulo utriusque Codicis, *de his qui ad Ecclesiam refugiunt*: sub quibus referuntur leges, quarum nonnullis jus hoc asyli conceditur, vel restringitur; immo quodammodo abrogatur, subinde rursus restituitur & extenditur, prout Principibus visum fuit.

Et sane, dum hoc jus asyli nimium dilatatur, facile contingit, ut impunitas delicti licentiam faciat delinquendi; ipsaque atrociora scelera, cum summo reipublicæ, & publicæ tranquillitatis detrimento & pernicie licentius perpetrentur.

Quod advertentes Principes nostri variis edictis declararunt, atrociora nonnulla crimina hoc Templorum asylo non gaudere. Videri potest edictum criminale anni 1570. *art.* 66. item edictum de 22. Junii 1587. *art.* 22. & de 2. Julii 1616. *art.* 22. (*a*).

ARTICULUS III.

Post Consulatum Fl. Stiliconis V. C. XIV. Kal. Julias; Carthagine, in Secretario Basilicæ Restitutæ. Cum Aurelius Episcopus una cum Coepiscopis suis consedisset, adstantibus Diaconis, Aurelius Episcopus.

EX dictis constat hoc Concilium Africanum celebratum fuisse 14. Kalendas Julii, id est decimo octavo Junii; quamquam in Græco textu legitur 16. Kalendas Julii, id est decimo sexto Junii: de anno celebrationis hujus Synodi non una est quoque Chronologorum sententia; Justellus censet hanc Synodum habitam fuisse an. 401. dum alii contendunt anno 499. eam fuisse celebratam. Concilium illud Aurelius Carthaginensis Episcopus his aperuit verbis.

Oratio Aurelii de Clericorum indigentia & paucitate in Ecclesia Africana.

„ Ecclesiarum Dei per Africam constitutarum neces- „ sitates, mecum optime novit charitas vestra, san- „ ctissimi fratres; & quoniam præstitit Dominus, ut ex „ aliqua parte, sancti cœtus vestri esset congregata „ præsentia, videtur mihi ut has easdem necessitates, „ quas pro sollicitudine nostra indagare potuimus, „ in medium proferamus, quas cum approbaverit ve-

„ stra

(a) Qui plura voluerit de asylo Templorum, legat dissertationem Canonicam a Domino Van-Espen elucubratam: extat illa inter tomi IX. hujus editionis dissertationes, in fronte gerens hunc titulum: *De intercessione sive interventione Episcoporum pro Reis apud Principes & Magistratus civiles: & de confungentibus ad Ecclesias*, &c.

„ stra sinceritas, sit consequens, eligendum esse unum „ a nostro numero Consacerdotem, qui, auxiliante „ Domino, & orationibus vestris, & has ipsas necessitates suscipere possit, & gnaviter peragendas implere, perrecturus ad transmarinas Italiæ partes, „ ut tam sanctis fratribus & Consacerdotibus nostris, „ venerabili sancto fratri Anastasio, Sedis Apostolicæ „ Episcopo, quam etiam sancto fratri Venerio, Sacerdoti Mediolanensis Ecclesiæ, necessitatem ipsam, ad „ dolorem, atque inopiam nostram valeat intimare: „ ex his enim sedibus hoc fuerat prohibitum, quod „ noverim, communi periculo providendum: maxime „ quia tanta indigentia Clericorum est; multæque Ecclesiæ ita desertæ sunt, ut ne unum quidem Diaconum vel inliteratum habere reperiantur: nam de „ cæteris superioribus gradibus & officiis tacendum „ arbitror, quia, ut dixi, si ministeriorum Diaconi facile non invenitur, multo magis superiorum honorum inveniri non posse certissimum est. Et quotidianos planctus diversarum pene emortuarum plebium jam non sustinemus, quibus, nisi fuerit aliquando subventum, gravis nobis & inexcusabilis innumerabilium animarum pereuntium causa apud „ Deum mansura est.

Haud obscura est Aurelii propositio, quæ tamquam æqua a Patribus probata fuit: quare & Aurelius multa Patribus proposuit, quæ ad succurrendum necessitatibus Ecclesiarum Africanarum, atque ad reformandos abusus conducere possent, quæ a Patribus probata, & per articulos, qui numerum Canonum augent, in Codice Africano relata sunt (*a*).

CANON LVII. *

* Gr. LXI.

Unde quoniam superiori Concilio statutum esse mecum recognoscit unanimitas vestra, ut hi, qui apud Donatistas parvuli baptizati sunt, nondum scire valentes erroris eorum interitum & posteaquam ad ætatem rationis capacem pervenerunt, agnita veritate falsitatem eorum abhorentes ad Ecclesiam Dei Catholicam per universum mundum diffusam ordine antiquo, per manus impositionem recepti sunt, debere talibus suscipiendum munus Clericatus non impedire nomen erroris: cum veram Ecclesiam illorum putaverint ad fidem accedendo, & ibi Christo crediderint, & Trinitatis Sacramenta perceperunt, quæ omnia vera, & sancta, atque divina esse certissimum est, & in his omnem animæ spem constitutam. Quamquam & hæreticorum præsumpta audacia, veritatis nomine palliata, hæc tradere audeat, quæ quoniam simplicia sunt, ut præmonet Beatus Apostolus dicendo, unus Deus, una fides, unum baptisma, & iterari non liceat, quod semel dare oportet, anathematizato nomine erroris recipiantur per manus impositionem in unam Ecclesiam, columbam, ut dictum est, & unam matrem omnium Christianorum, ubi omnia illa Sacramenta salubriter & æterna, & vitaliter accipiuntur: quæ perseverantibus in hæresi magnam damnationis pœnam conquirunt, ut quod eis in veritate ad æternam vitam consequendam esset luminosius, hoc in errore sit tenebrosius atque damnosius. Quod fugientes nonnulli, & matris Ecclesiæ Catholicæ ubera cognoscentes, qui illa omnia sancta mysteria amore veritatis crediderunt atque perceperunt, quibus Sacramentorum rebus cum vita bona probitas accesserit, sine dubio ad officium Clericatus tales esse applicandos; & maxime in tanta rerum necessitate nullus est qui non concedat. Quamquam nonnulli ejusdem sectæ Clerici cum plebibus atque honoribus suis ad nos transire desiderent: qui amore honoris aut persuadent ad vitam, aut retinent ad salutem. Sed hoc majori fratrum supradictorum consideratione dimittendum censeo; ut prudentiori suo consilio nostræ suggestionis sermonem cum perpenderint, quid de hac re eis placeat, nos informare dignentur. Tantum de his, qui infantes baptizati sunt, satagimus, ut nostræ, si placet, in iisdem ordinandis consentiant voluntati. Omnia ergo quæ superius comprehendimus, apud sanctos Episcopos agenda esse mecum honorabilis fraternitas vestra perpendat.

SCHOLION.

Legatio decernitur ad Papam, & ad Episcopum Mediolanensem de ordinandis, qui a Donatistis ad Ecclesiam redirent.

SUPERIUS Concilium, cujus hic meminit Aurelius, est Concilium Hipponense anno 393. habitum, in quo statutum fuerat, ut redeuntes a Donatistis, ad Clericatum assumerentur, *quos aut non rebaptizasse constiterit, aut qui cum suis plebibus ad Communionem Catholicam transire voluerit*; uti habetur inter Statuta breviata in Codice Eccl. Rom. *c.* 37.

Porro cum hic Canon in Concilio Carthaginensi anno 397. relegeretur, atque super eo difficultates plures moverentur, resolutum fuit, ut consulerentur Siricius Episcopus Romanus, & Simplicianus Mediolanensis Episcopus; sed *tantum de his, qui infantes baptizati sunt* a Donatistis, satagunt: „ ne inquiunt, quod suo non „ fecerunt judicio, eum ad Ecclesiam Dei salubri pro„ posito fuerint conversi, parentum illos error impe„ diat, ne promoveantur sacri altaris ministri “: ut est in Canone 47. hujus Codicis, supra exhibito.

Verum cum Patres Africani, nec a Siricio Romano Episcopo, nec a Simpliciano Mediolanensi Episcopo, responsum accepissent: forsan quod consultatio in Concilio Carthaginensi anni 397. decreta, oborto aliquo impedimento nimium fuisset dilata; atque interea anno consequenti, scilicet 398. obiisset Siricius, rursus Episcopi Africani, in hoc Concilio an. 401. attendentes necessitates Africanarum Ecclesiarum, resolverunt mittendam Legationem ad Anastasium Sedis Apostolicæ Episcopum, qui Siricio successerat, & ad Venerium Sacerdotem Mediolanensis Eccl. successorem Simpliciani.

Duo fuere consultationis capita; unum de Clericis Donatistis cum suis honoribus recipiendis, quando una cum suis plebibus ad Ecclesiam Cathol. reverti desiderant: alterum de promovendis ad gradus Ecclesiasticos his, qui apud Donatistas *parvuli* baptizati fuerant.

Primum consultationis caput in suspenso habuisse videntur Patres Africani, donec a dictis Episcopis super eo resolutionem accepissent. Post hoc enim caput consultationis immediate ab Aurelio subjicitur: „ sed hoc „ majori fratrum supradictorum considerationi dimit„ tendum censeo; ut prudentiori suo consilio, nostræ „ suggestionis sermonem cum perpenderint, quid hac „ de re ejus placeant, nos informare dignentur.

At alterum consultationis caput interim ab Africanis observatum fuisse apparet; illudque solum in mandatis datum esse Legatis, ut apud prædictos Romanum & Mediolanensem Episcopus instarent, quatenus ipsorum resolutioni assentire dignarentur: quod probant & verba Aurelii, quibus ostendit, parvulos apud Donatistas baptizatos & ad Ecclesiam reversos, in Clerum posse assumi; tum & finalia verba, quibus significat, quid a dictis Episcopis circa hoc caput sit postulandum, „ tantum de his, *ait*, qui infantes bapti„ zati sunt, satagimus, ut nostræ, si placet, in iis„ dem ordinandis consentiant voluntati.

Litteras responsorias misit Anastasius Romanus Episcopus hoc eodem anno, quæ in Concilio Episcoporum Africanorum Idibus Septembris ejusdem anni lectæ fuerunt; quod infra Canonibus hujus Concilii 16. Kalendas Julias habiti, subjicitur; ubi & dicetur quid ab Anastasio responsum, quidque ab Africanis replicatum; & quid denique ab Africanis observatum sit.

Gratianus hujus Canonis verba refert, *causa* 1. *quæst.* 4. *Can.* 5. ut probet filio non nocere parentum crimen, eo ignorante commissum: eo quod *infantes* apud Donatistas baptizati, & postmodum ad Ecclesiam reversi, ad Clerum assumi permittantur.

CANON LVIII. *

*Gr. LXII.

Instant etiam aliæ necessitates a religiosis Imperatoribus postulandæ; ut reliquias idolorum per omnem Africam jubeant penitus amputari. Nam plerisque in locis maritimis, atque possessionibus diversis, adhuc erroris istius iniquitas viget, ut præcipiantur & ipsa deleri, & templa eorum, quæ in agris vel in locis abditis constituta, nullo ornamento sunt, jubeantur omnimodo destrui.

SCHOLION.

De abolendis in Africa idololatriæ reliquiis ad Imperatores directa Legatio.

QUÆ hic referuntur, Canonis nomen non merentur, quandoquidem nihil a Patribus statuatur, sed Commonitorium duntaxat concipiatur, pro Legatis ad Imperatorem delagendis, quo instruantur, quæ sint postulanda & prosequenda apud Imperatores. Primo itaque pro abolitione reliquiarum idololatriæ apud Imperatores instandum, dicunt Patres Africani.

Quantumvis enim plures fuissent Imperatores Christiani, sub quibus Religio Christiana, mirum in modum propagata, & superstitio gentilis depressa fuerat, nihilominus reliquiæ vetustæ & inolitæ superstitionis multis in locis, ac præcipue in pagis, & apud homines agrestes remanserant. Hinc & Gentiles a Christianis tandem dicti fuere *pagani*.

Canonis hujus seu potius Commonitorii capita.

Itaque ut *reliquias idololatriæ* & gentilitatis *per omnes Africam jubeant penitus amputari*, a Principibus postulandum decreverunt Patres Africani.

(*a*) Eo loco occurrit hæc quæstio: unde tanta per Africam Clericorum penuria? Responderi potest, quod Donatistæ tunc temporis per Africam late diffusi, omnes pene Ecclesias occuparent. Verum quidem est. Aurelio, Augustino, aliisque Catholicis Episcopis allaborantibus, multos e Donatistis fuisse conversos; sed cum eos ad Clerum promoveri vetuisset Anastasius Papa in Concilio Italico, cui Venerius Mediolanensis interfuerat, Legationem ad Romanum Pontificem & Episcopum Mediolanensem mittendam censuit Aurelius, ut spectata Africanæ Ecclesiæ præsenti necessitate, & præsertim Clericorum penuria, de suo constituto aliquid relaxare vellent, communi periculo providentes: quem sensum & Legationis scopum manifeste evincit Canon, qui Codice Africano recensentur quinquagesimus septimus.

Insuper ab iisdem Principibus postulari volunt, ut *& Templa* idolorum, *quæ in magis, vel in locis abditis nullo ornamento sunt* (seu Gr. *ornamentis spoliata*) *jubeantur omnimodo destrui.*

Sollicite addiderunt Patres, Templa quæ *nullo ornamento sunt*, vel *ornamentis spoliata*. Sciebant enim, non facile a Principibus impetratum iri, ut Templa ad ornatum publicum conducentia, destrui curarent, licet ritus gentiles abolere vellent.

Constitutiones Honorii Imp. circa Templa Idolorum.

Et quidem extat constitutio Honorii Imperatoris, cui tunc Africa parebat, anno 399. promulgata, ad Hispaniam & Gallias spectans, *in l. 3. C. de Paganis*, quæ habet: „ sicut sacrificia prohibemus, ita volumus „ *publicorum* operum ornamenta servari.

Porro huic Patrum Africanorum postulato respondere, ejusdem Imperatoris Honorii constitutionem, relatam in *l.* 18. *Cod. Theod. de Paganis*, contendit Jacobus Gothofredus in commentario ad hanc legem, observans Honorum Africanorum Patrum Legationem & postulationem diserte probasse, quod ad idola attinet, sed quod Templorum eversionem repulisse; quod ex textu constitutionis probare contendit. Verba constitutionis sunt. *Ædes inlicitis rebus* (puta aris & simulacris) *vacuas, nostrarum beneficio sanctionum*, id est prætextu Legum, quibus simulacra ubique everti seu deponi jussa fuerant, *conetur evertere: decernimus enim, ut ædificiorum quidem sit integer status, si quis vero sacrificio* (subaudiendum, *in*) *fuerit deprehensus, in eum legibus vindicetur: depositis sub officio idolis disceptatione habita, quibus etiam nunc patuerit, cultum variæ superstitionis impendi.*

Cum autem hæc Lex lata sit anno 399. etiam Synodum Carthaginensem, in qua hoc Commonitorium datum est, ad hunc annum retrotrahendam censet idem Gothofredus, ipsamque pseudo-Synodum Carthaginensem V. ut authenticam adoptat.

Quid vigore hujus Commonitorii ab Imperatoribus impetratum sit: & quæ leges occasione hujus latæ fuerant?

Verum hanc legem nequaquam respondere Commonitorio; eamque ante hanc Synodum promulgatam fuisse notavit Cardinalis Perronius, *Replica sua cap.* 48. Lex enim, ait, de sacrificiis abolendis, deponendisque simulacris, de templis vero non evertendis lata est, Africani vero Patres, de idololatriæ reliquiis abolendis, non solum a simulacris, sed etiam a lucis & arboribus ad Imperatores scripsere. Præterea Imperator hoc primum ac directe intendit constitutione sua, ne prætextu sanctionum ante editarum, de sacrificiis, omnibusque idololatriæ ritibus evellendis, ad ædificiorum eversionem incitarentur Christiani, indirecte vero & cautionis ergo duntaxat, de sacrificiis & idolis abolendis agit, ne videlicet colore ex hac ipsa lege quæsito Cultum deorum exercerent pagani.

At Patres Africani directe reliquias idolorum everti postulant; Templa vero non nisi ex consequenti. Dein, quod maxime notandum, duntaxat everti postulant Africani *Templa eorum, quæ in agris, vel locis abditis constituta nullo ornamento sunt*. Lex vero contra de Templis omnibus, præsertimque civitatum, quæ ex illis ornamenti, & commodi aliquid capessebant statuit.

Quinimmo, cum zelus Episcoporum se restringat ad eversionem Templorum *in agris, vel in locis abditis constitutorum*, Templisque civitatum parcere videatur, argumentum est admodum probabile, jam ante aliqua Imperatorum sanctione horum demolitionem fuisse vetitam; ac per consequens hanc legem præcessisse præsentem Synodum, quæ ad annum 301. referenda est, ut Dionysii Exigui auctoritas evincit, & adstruit Baronius ad annum 301.

Eversionem templorum circa tempus latæ dictæ legis contigisse Carthagine, testatur S. Augustinus *l.* 18. *de civit. Dei cap.* 24. „ Consule Manlio Theodoro, „ ait, in civitate notissima, & eminentissima Carthagine Africæ, Gaudentius, & Jovius comites Imperatoris Honorii 14. Kalendas Aprilis, falsorum deorum *Templa everterunt*, & simulacra fregerunt.

Hæc autem sine speciali Imperatoris auctoritate aut mandato facta esse a Comitibus hisce, leges Imperatoris interpretantibus, & dilatantibus, verisimile facit S. Augustini de simili Imperatoris mandato altum silentium.

Cum ergo ad Comitatum vel paganorum clamoribus, vel Magistratuum querelis, delata esset hæc Templorum abolitio; secuta est post quinque menses hæc Imperialis sanctio, data 3. Kalendas Septembris anno 399. qua Templa Reipublicæ ornamento & usui futura, everti vetantur.

CANON LIX. *

*Gr. LXIII.

Petendum etiam ut statuere dignentur, ut si qui forte in Ecclesia quamlibet causam jure Apostolico Ecclesiis imposito agere voluerint, & fortasse decisio Clericorum uni parti displicuerit; non liceat Clericum in judicium ad testimonium devocari eum, qui cognitor vel præsens fuit: ut nulla ad testimonium dicendum Ecclesiastici cujuslibet persona pulsetur.

SCHOLION.

DUO in hac parte Commonitorii ab Imperatoribus petenda dicuntur.

Canon se Commonitorium Legatorum pro firmandis judiciis Episcoporum in causis civilibus.

Primum, ut statuere dignentur, „ ut si qui forte in Ecclesia quamlibet causam, jure Apostolico Ecclesiis „ imposito (*vel Gr.* quod in Ecclesiis situm est) agere „ (*seu* agitare) voluerint, & fortasse decisum) seu „ decisio) Clericorum uni parti displicuerit; non li- „ ceat in judicium ad testimonium (dicendum) devo- „ cari (*seu* vocare) eum (Clericum) qui cognitor „ vel præsens fuerit (*sive* qui potius rem examinavit, „ vel examinationi interfuit).

Hic est primus Canonis, sive potius Commonitorii articulus, pro cujus intellectu notandum, quod privatis quibuslibet etiam Laicis litigatoribus indultum fuerit a Costantino Magno, ut judicio Episcopali committerent causas suas, etsi *civiles*, neglectis, si ita placet Magistratibus, seu judicibus ordinariis; quod & Arcadii Imperatoris lege sancitum fuit. Utque firmior esset Episcopalis decisio; nec ab ea provocandi patebat facultas; uti latius ostendi in *Jure Eccl. Tom. IV. part. 3. tit. 1. cap. 2.*

Honorius Imperator causas civiles Magistratibus reservat.

Primus Honorius Imperator, edita sanctione 13. aut 3. Kal. Septembris anno 399. huic Episcoporum juri derogasse videtur; dicens: „ Quoties *de Religione* agi- „ tur, Episcopos convenit judicare; cæteras vero cau- „ sas, quæ ad *ordinarios* cognitores, vel ad usum pu- „ blici juris pertinent, legibus oportet audiri.

Neque enim obscurum est, hac lege causas civiles, cognitioni judicum ordinariorum, sive Magistratuum civium reservari; atque eatenus derogari anterioribus legibus, permittentibus causas etiam civiles Laicorum ad audientiam Episcopalem deferi.

Verisimiliter hac occasione Patres Africani pristinam judicandi in rebus civilibus auctoritatem sibi restitui postularunt.

Cum autem nulla reperiatur Lex antiquior hac lege, quæ dicto juri deroget, & tamen ipsum Carthaginensis Synodi Commonitorium supponat, Episcopis ablatam facultatem illam, quam ab Imperatoribus acceperant, videlicet, ut de *civilibus* causis ad se ex partium litigantium consensu delatis, definitiora sententia possent decernere, nulla his appellandi potestate relicta; admodum verisimile est, Patres Africanos occasione huius legis hoc Commonitorium concepisse, ut ab Imperatore peteretur pristinam Episcoporum in decidendis causis, etiam *civilibus* auctoritatem restitui: atque pro motivo impetrandi, non addunt præcedentium Imperatorum leges, quibus derogatum sciebant; sed Mandatum Apostolicum, *jure Apostolico Ecclesiis imposito*: eo quod Apostolus velit fideles ad Ecclesiam quæstiones & controversias suas deferre, quod & S. Augustinus; qui huic Concilio interfuit, tradidit *in psalm.* 118. *concione* 24. „ Constituit, ait, talibus cau- „ sis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro pro- „ hibens jurgari Christianos.

Hinc haud obscurum est, hoc Commonitorium post promulgatam hanc legem in Africa datum esse: adeoque errare Gothofredum in commentario dictæ legis, dum asserit, hanc legem occasione hujus Commonitorii esse evulgatam; præsertim cum nihil in hac lege decernatur, quod postulatis Africanorum respondeat, ut ex collatione utriusque inter se perspicuum erit.

Secundus Commonitorii articulus, ne Clerici testimonium ferre cogantur coram Magistratu civili.

Secundus Commonitorii articulus erat: *nulla ad testimonium dicendum Ecclesiastici cujuslibet persona vocetur* (sive *ut nec quis ad Ecclesiasticam personam attinens in jus vocetur, ut testimonium ferat.*)

Notat Petrus de Marca *dissertatione de veteribus Canonum collectionibus, cap.* 8. *num.* 5. quod lectio Dionysii indicet, quasi tantum postulandum dixerint ab Imperatoribus, ut qui *cognitor* fuerit, non revocetur ad testimonium dicendum: eo quod posterior clausula sive articulus, non sufficienter a priore separetur propter omissam particulam conjunctivam, *&*; ita ut videatur potius ratio præcedentis, quam novus articulus. Et ita intellexit Dionysius, vel auctor Lemmatis Canoni præfixi. Ita enim habet: *ut Clerici de judicii sui cognitione non cogantur in publico dicere testimonium.*

At supra relata Græcorum apud Balsamonem lectio, uti & quæ extat in Codice Africano Græco-Latino apud Justellum, & apud Labbæum, quæ addit conjunctivam, *&*, quemadmodum & farrago Canonum sub nomine Concilii Carthaginensis quinti, aperte præfert, postulandum generaliter ne persona Ecclesiastica in jus vocari queat ad testimonium dicendum; hancque lectionem & interpretationem probat de Marca; atque tamquam hinc consequens, notandum a lectione monet, „ antiquam esse probitionem, ne Clerici a ju- „ dicibus sæcularibus ad testimonium citentur, nisi de „ consensu Episcopi, quod, ait, Decretalibus severe „ sancitum est, & ubique observatur, præterquam in „ Galliæ Regno, quod suis privilegiis utitur; quam- „ quam diffitendum non sit a Justiano aliter constitu- „ tum ". Belgii mores hac in parte a Regni Galliæ moribus haud multum diffident, uti notavi in *Jure Eccles. Tom. IV. parte 3. tit. 7. cap. 6. num. 9.*

Hæc pars Commonitorii refertur a Gratiano per modum Canonis.

Partem hanc Commonitorii retulit Gratianus *caus.* 2. *quæst.* 6. *Can.* 38. ex farragine, quæ extat sub nomine Concilii Cartaginensis V. ubi refertur per modum Canonis seu statuti, tamquam a Patribus Africanis pro-

pria

pria auctoritate conditi; quod ut *ab Imperatoribus statueretur*, postulandum decreverant Africani: quod recentiorem plane manum redolet, ac signanter pseudo illius Isidori, qui merces suas unice ad amplificandam Sedis Apostolicæ & Episcoporum auctoritatem adornasse videtur, quemadmodum occasione falsarum Decretalium, primis Romani Pontificibus suppositarum infra observabimus in *Observationibus in Jus novum & novissimum part. 2. differt. 1. §. 3.*

*G. LXIII.

CANON LX. *

Illud etiam petendum, ut quæ contra præcepta divina convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta sunt, ita ut nunc a Paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur. Ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occulte videatur: vetari talia jubeant, & de civitatibus & de possessionibus impositam pœnam prohiberi: maxime cum etiam in natalibus Martyrum per nonnullas civitates, & in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam, quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exerceant: ut matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor, devote venientium ad sacratissimum diem, injuriis lasciventibus appetatur: ut etiam ipsius sanctæ Religionis pene fugiatur accessus.

SCHOLION.

Conviviorum paganorum abolitio postulanda ab Impp.

CONQUERUNTUR hoc Canone Patres Africani, *contra præcepta divina, quædam convivia multis in locis exerceri, quæ ab errore gentili attracta* sive *inducta*) *sunt, ita ut nunc a paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur: ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occulte videtur.* Ita lectio Dionysiana; item Codex Africanus apud Justellum, sed apud Græcos ita simpliciter legitur: *ut etiam Christiani ad paganos clanculum in eorum celebratione accedant*; reliquis omissis. Atque ita legisse Balsamonem & Zonaram, ex ipsorum Commentariis in hunc Can. manifestum est.

Hujus postulationis ratio.

Itaque Patres Africani resolverunt, petendum ab Imperatoribus, quod *vetari talia jubeant, & de civitatibus, & de possessionibus, imposita pœna prohiberi* (seu *arceri*); rationem, qua movendos Imperatores credebant, adjungunt: *cum etiam in natalibus martyrum, per nonnullas civitates, & in ipsis locis sacris talis* (sive *ejusmodi peccata*) *committere non reformident. Quibus diebus etiam*, (inquiunt patres) *quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas* (seu *execrandas*) *per vicos atque plateas exercent.* Atque hinc ulterius contingere dicunt, *ut matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor devote venientium ad sacratissimum diem, injuriis lascivientibus appetatur, ut etiam ipsius sanctæ Religionis pene fugitur accessus.*

Quæ & hodie merito attenditur.

Si serio attendantur juvenum & puellarum conventiuncula; necnon saltationes & tripudia, quæ diebus festis & dominicis in multis locis frequentantur, apparebit ea non minus, quam hæc a Patribus Africanis descripta convivia & tripudia esse execranda; ideoque merito Episcopos & Pastores iis eliminandis exemplo Patrum Africanorum opportune & importune allaborare; ipsorumque Principum manum auxiliatricem implorare, de quo latius in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 2. tit. 2. cap. 5. num. 24.*

*G. LXIV.

CANON LXI. *

Nec non & illud petendum, ut spectacula theatrorum, cæterorumque ludorum die Dominica, vel cæteris Religionis Christianæ diebus celeberrimis amoveantur, maxime quia sancti Paschæ Octavarum die populi ad circum magis, quam ad Ecclesiam conveniunt, debere transferri devotionis eorum dies, si quando occurrerint; nec oportere etiam quemquam Christianorum cogi ad hæc spectacula; maxime, quia in exercendis, quæ contra præcepta Dei sunt, nulla persecutionis necessitas a quoquam adhibenda est: sed, uti oportet, homo liberæ voluntatis subsistat sibi divinitus concessa. Corporatorum enim maxime periculum considerandum est, qui contra præcepta Dei, magno terrore cogunt ad spectacula convenire.

SCHOLION.

Ne dies festi violentur exhibitione spectaculorum. Ratio.

SOLLICITI fuere Patres Africani hoc Canone, *ut spectacula theatrorum cæterorumque ludorum* (seu Gr. *ut theatralium ludicrorum spectacula*) *die Dominica, vel cæteris Christianæ Religionis diebus celeberrimis amoveantur* (seu Gr. *prohibeantur*): rationem addunt; *maxime quia sancti Paschæ octavarum die populi ad circum magis, quam ad Ecclesiam conveniunt.*

Quæ & hodie obtinet.

Quam hoc sit verum, quotidiana nos experientia docet; ut merito proinde Episcopi & Pastores curent, & apud Principem, ejusque Magistratum instent, ut similia fieri, saltem tempore divini officii non finantur, ne alias per hæc populus a divinis officiis adstrahatur.

Docet nos hic Canon, eo tempore totam Paschalem Octavam solemniter fuisse celebratam; quod & multis sæculis non tantum in Africa, sed & per alias Ecclesias observatum esse ostenditur in *Scholiis ad Canonem 66. Trullanum*, quo similiter inhibetur hujusmodi spectacula per Octavam Paschæ exhiberi.

Octava Paschæ solemniter celebrata.

Insuper docet præsens Canon, certos dies designatos fuisse, quibus hi ludi, sive publicæ lætitiæ signa, exhiberentur, postulandumque dicunt Patres Africani ab Imperatoribus, ut si hi dies incidant in dies Paschales, *debere transferri devotionis eorum dies, si quando occurrant.* Veluti clarius expressit lectio Græca, apud Balsamonem & Zonaram: *debere præfinitos ipsorum* (scilicet *spectaculorum*) *dies transferri, quando ita evenerit.*

Quæ verba ita interpretatur Zonaras: „ illud postulavit Synodus, ne spectacula videlicet Dominicis „ aut festis diebus, neve equestres ludi Paschatis hebdomada præbeantur, verum *in aliud tempus transferantur*. Ne his occupati ludicris ab Ecclesiis frequentandis, homines Christiani desistant; tum ne fidelium aliquis in theatrali consessu adesse cogatur.

His postremis verbis reflexit Zonaras ad hæc Canonis verba; *nec oportere etiam quemquam Christianorum cogi ad hæc spectacula.*

Hæc autem verba, tum in lectione Græca, apud Balsamonem & Zonaram, quam in Codice Africano apud Justellum, præsentem Canonem claudunt. Quæ enim apud Dionysium adjunguntur, in Græco desunt: unde apud Labbæum in Codice Africano Græco-Latino, textus Græcus desinit ad prædicta verba; reliqua tantum latine exprimuntur.

Quid nomine corporatorum intelligatur, & quare ne hi ad spectacula cogantur, postulandum?

Porro ex Latina lectione hic notandum, quod in Codice Africano apud Labbæum *t. 2. Conc. col.* 1088. legatur *cooperatorum* pro *corporatorum*; sed convenientior videtur Dionysiana lectio, cui & Justelliana consentit. *Corporati* enim dicebantur urbium incolæ, qui ex certis *corporibus*, præsertim artificum erant, quorum meminit *L. unica Cod. de privileg. corporatorum urbis Romæ l. 11. tit. 14. & L. un. Cod. de Alexandrin. Primatibus eod. l. tit. 28.* Hos ergo, utpote corpori artificum, aut alterius publici operis adscriptos facile erat, terrore amittendi lucri ad exhibenda hujusmodi spectacula cogere. Ut proinde sapientissimum fuerit Patrum consilium, hujusmodi homines periculo eximere: Utinam & hodie Ecclesiæ Prælati, exemplo Patrum, ita invigilarent, ut suis subditis pericula & occasiones peccatorum subtraherentur!

Constitutio Honorii Imperatoris de lætitiis publicis retinendis.

Extat in Codice Theodosiano, sub titulo *de Paganis* in *lege 17. & l. 4. Cod. Just.* eodem titulo, Constitutio Honorii edita 13. Kalendas Septembris 390. qua sancitur: *Ut profanos ritus jam salubri lege submovimus, ita festos conventus civium: & communem omnium lætitiam non patimur submoveri; unde absque ullo sacrificio, atque ulla superstitione damnabili exhibere populo voluptates, secundum veterem consuetudinem: intre etiam festa convivia, si quando exigunt publica vota decernimus.*

Verisimiliter occasione hujus legis Postulationes Africani Legationem ad Imperatores decreverunt.

Cum hac lege, *secundum veterem consuetudinem* spectacula, sive festi conventus exhiberi permittantur, eaque ad Præfectum Africæ missa legatur, admodum verisimile est, occasione hujus legis hoc Commonitorium ab Africanis Patribus fuisse conceptum, quo scilicet postuletur ab Imperatoribus, ut spectacula, quæ exhiberi permittit, saltem die Dominica, vel cæteris diebus Religionis celeberrimi non exhiberentur, & si in dies Paschales inciderent dies ordinarii spectaculis exhibendis, hæc in aliud tempus transferrentur.

Non ergo hæc Lex occasione Legationis Africanæ edita fuit, uti vult Jacobus Gothofredus, sed e contra, Lex ipsa occasionem dedit Legationi Africanæ, maxime cum hæc Lex nihil plane contineat postulatis Africanorum respondens.

CANON LXII. *

*Gr. LXV.

Et illud petendum, ut statuere dignentur: ut si cujuslibet honoris Clericus judicio Episcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis, quibus præfuit, sive a quolibet homine defensari, interposita pœna damni, pecuniæ, atque honoris, quo nec ætatem, nec sexum excusandum esse præcipiant.

SCHOLION.

Clerici ob sua crimina damnati a nullo defensentur via facti.

PRÆSENTI Canone suggerunt Patres petendum ab Imperatoribus, ut *si quis Clericus judicio Episcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis, quibus præfuit* (Gr. Gr. *ab Ecclesia, cujus fuit*) *sive a quolibet homine defensari* (sive Gr. *ab ullo homine liberari a pœna*).

Nequaquam tamen ipsis justa denegatur appellatio.

Recte autem notat Zonaras, hic nequaquam intendere Patres Africanos adimere Clericis justam defensionem per appellationem a judicio Episcoporum, si hoc injustum credant; sed tantum postulandum ab Imperatoribus, ne justa Episcoporum sententia. Ita contra Clericum, per quemquam *vi* & armis impediatur. Unde sensum Canonis recte expressit Aristenus in commentario ad epitomen, his verbis: „ Clericus, qui ob delicta ab Episcopo condemnatur, si sibi videtur injuria affe-

„ affectus, appellet; cum auctoritate autem, & pote- „ state, a quopiam ne liberetur.

Pœnis civilibus coercendi, qui ejusmodi violentiam inferunt.

Petrus de Marca, in *dissertatione de veteribus Canonum collectionibus*, *cap.* 8. reflectens ad hunc Canonem prout extat apud Dionysium Exiguum, & a Patribus Africanis conceptus fuit, ait: „ Lex petenda erat ob „ pœnam civilem, quæ ab Ecclesia infligi non pote- „ rat, sed tantum Canonica.

Præterea notat ibidem de Marca, collectori illius farraginis, quæ sub nomine Concilii Carthaginensis V. prostat „ visum, ut Canonem istum secundum in sua „ collectione locaret, constituendo Synodi auctoritate, „ quod postulandum erat a Principibus. *Et istud statuendum*, inquit, & cætera subjungit.

Hæc recte a viro erudito notata; sed illud mirum, a viro hoc non fuisse agnitam collectionis hujus corruptricem manum; nec illum fœtidas pseudo-Isidori merces subodoratum fuisse.

Interim & illud non immerito monuit ibidem de Marca, ex hac Canonis mutatione, seu potius corruptione factum, ut plures mediæ ætatis Pontificum constitutiones damno honoris & privatione dignitatum afficiendos jubeant, qui suis decretis reluctati fuerint.

Hoc Commonitorium apud Gratianum relatum occasionem præbuit judicibus Eccles. imponendi pœnas civiles.

Neque dubium, quin hic Canon ita conceptus dederit occasionem judicibus Ecclesiasticis imponendi quoque pœnas pecuniarias & civiles, præsertim postquam in Decretum Gratiani per modum absoluti Canonis a Concilio Carthaginensi quinto editi relatus fuit *caus.* 21. *quæst.* 5. *Can.* 3.

Quomodo vero rursus per recentiora Principum Edicta hæc auctoritas judicum Ecclesiasticorum restricta sit, notavi in *Jure Eccles. Tom. IV. part.* 3. *tit.* 3. *cap.* 3.

CANON LXIII. *

Et de his etiam petendum, ut si quis ex qualibet ludicra arte ad Christianitatis gratiam venire voluerit, ac liber ab illa macula permanere, non eum liceat a quoquam iterum ad eadem exercenda reduci vel cogi.

SCHOLION.

Scenici ad Christianissimum conversi, non iterum ad eam artem cogendi.

PRo intellectu hujus Canonis notat Zonaras, olim „ in magnis urbibus extitisse theatra, in quibus „ statis temporibus populi conventu ludi exhibebantur, „ ad eamque rem, inquit, scenicorum opera & servi- „ tium, nulla excusatione admissa, ita flagitabatur, „ ut ad ea munia vel inviti traherentur.

Petendum ergo ab Imperatoribus censent Patres, ut si quis hanc scenicam artem professus, ad Christianismum sit conversus, a nemine compelli possit ad eadem exercitia resumenda.

Hic rursus docemur, quomodo Patres solliciti fuerint, ne, qui vitam suam moresque mutarunt, iterum implicarentur exercitiis vitæ illi contrariis, aut admodum periculosis.

CANON LXIV. *

* Gr. LXVII.

De manumissionibus sane in Ecclesia dicendis: si id nostri consacerdotes per Italiam facere reperiuntur, nostra etiam erit fiducia istorum ordinem consequi: data plane licentia, misso Legato, ut quacumque digna fide pro statu Ecclesia, & salute animarum agere potuerit, nos laudabiliter in conspectu Domini recepturos. Quæ omnia si sanctitati vestra placent, edicite: ut & meam suggestionem ratam esse vobis advertant, & nostram omnium consensionem sinceritas eorum libenter accipiat. Ab universis Episcopis dictum est: omnibus placent hac, qua injuncta sunt peragenda, & prudenter a tua Sanctitate enarrata.

SCHOLION.

De manumissionibus in Ecclesia faciendis.

MANUMISSIONUM in Ecclesia factarum apud pristinos auctores frequens mentio occurrit; testaturque Sozomenus *lib.* 1. *hist. cap.* 9. tres de his manumissionibus editas esse leges. „ Nam cum ob nimiam „ legum severitatem, inquit, potior libertas, quam „ Romanam civitatem vocant, etiam volentibus Do- „ minis, difficile admodum acquireretur, tres tulit le- „ ges quibus constituit, ut quicumque in Ecclesia sub „ testimonio Sacerdotum libertate donati essent, civi- „ tatem Romanam consequerentur.

Hæc verba Sozomeni, interprete Epiphanio Scholastico, ita redduntur apud Cassiodorum in historia tripartita *lib.* 1. *cap.* 9. „ Cum propter subtilitatem legum, „ etiam inviti possessores difficultatem paterentur circa „ dationem melioris libertatis, quam civitatem Roma- „ nam vocant, tres posuit leges, decernens omnes in „ Ecclesia manumissos, sub testimonio Sacerdotum, „ per hanc piam adinventionem Romana civitate frui, „ cujus indicium præsens etiam tempus servat.

Extant duæ ex tribus hisce Constantini legibus in Codice Justinianæo, sub titulo, *de his qui in Ecclesia manumittuntur*, quarum prior dirrigitur ad Protogenem Episcopum, altera ad Osium Cordubensem; extatque & hæc in Theodosiano sub eodem titulo; ad quos titulos tractant plerique interpretes de his manumissionibus, ac signanter Jacobus Gothofredus ad hunc titulum in Codice Theodosiano; ibidem ostendens multis sæculis usum harum manumissionum perdurasse, quod & probant formulæ hujus manumissionis apud Marculfum, quæ una cum eruditis notis Hieronymi Bignonii extant *tomo* 2. *Capitularium* ex editione Baluzii.

Itaque hoc Canone dicunt Patres: *de manumissionibus sane in Ecclesia dicendis* (seu Gr. *proclamandis*) *si id nostri consacerdotes per Italiam facere reperiunt, nostra erit fiducia istorum ordinem consequi*; hoc est, speramus, quod per Legatum nostrum id ab Imperatoribus consequi poterimus, quod tamen tum obtentum non fuisse patet ex Canone 82. hujus Codicis, in quo decernunt, pro his manumissionibus ad Imperatores esse instandum. Unde recte notavit Jacobus Gothofredus, hunc morem manumittendi serius per Africam invaluisse.

Post hæc datur licentia *misso Legato*, *ut quacumque digna fide pro statu Ecclesia agere potuerit, faciat*: *promittuntque Patres, quod ea omnia laudabiliter in conspectu Domini* (seu Gr. *coram Domino*) *suscipient*.

Commonitorium Aurelii pro Legatione comprobatum a patribus.

Tandem probant Patres, omnia, quæ suggerent Aurelio in Commonitorio erant expressa; responderuntque Patres; *placent hac, qua injuncta sunt*, scilicet Legatis ad Imperatorem, *peragenda, & prudenter a tua Sanctitate enarrata*; vel clarius (*& qua sapienter a tua Sanctitate sunt exposita, perfici debent*).

CANON LXV. *

* Gr. LXVIII.

Aurelius Episcopus dixit; Equitii etiam, olim merito suo Episcopali sententia damnati, non arbitror prætereundam esse Legationis causam; ut si forte eum in illis partibus repererit, sit eidem Fratri nostro cura pro Ecclesia statu, quod oportuerit, vel ubi licuerit, adversus eum peragere. Ab universis Episcopis dictum est: multum placet & ista prosecutio: maxime cum olim damnatus sit Equitius, & ejus impudens inquietudo, pro statu & salute Ecclesia, magis magisque ubique reppelenda. Et subscripserunt. Aurelius Episcopus Ecclesia Carthaginensis huic decreto consensi, & prælecto subscripsi. Similiter & cæteri Episcopi subscripserunt.

SCHOLION.

Mandatum, ut per Legatum quocumque modo compescatur Equitii insolentis.

CUJUS civitatis Episcopus fuerit iste Equitius, non exprimitur; illud autem satis constat, eum Episcopali judicio fuisse condemnatum, hoc est depositione mulctatum, uti notat Zonaras, eumque nequaquam post sententiam quievisse, sed impudenter inquietum fuisse, & ad transmarinas partes confugisse, ut sic Ecclesias turbaret, ut merito Patres Legato suo injunxerint, ut turbulento homini ubicumque potuerit, se opponat, eumque compescat. Sciebant enim quantopere vel unus interdum turbulentus, præcipue charactere Episcopali insignitus, paci Ecclesiasticæ, & saluti animarum obesse queat. Ideo dicunt, quod ejus *impudens inquietudo pro statu & salute Ecclesia magis magisque ubique repellenda* (sive Gr. *sit oppugnanda*).

Notandum, quod quæ de Equitio ab Episcopis injunguntur, non ab Imperatoribus petenda dicantur; *sed sit eidem fratri nostro*, ait Aurelius, *cura pro Ecclesia statu, quod oportuerit, vel ubi licuerit adversus eum peragere.*

Præfatio Synodi habita Idibus Septembris anni 401. qua post Can. LXVI. in Codice Africano apud Dionysium sequitur. *

* G. Act 4.

Vincentio & Fravita VV. CC. Conss. Idibus Septembris, Carthagine in Secretario Basilica Restituta, cum in Concilio congregati in Ecclesia Carthaginensi consedissemus ex Africanis omnibus Provinciis Episcopi, id est Aurelius ejusdem Sedis Episcopus cum collegis suis, quos eorum subscriptio manifestat: recitatis Epistolis beatissimi fratris & consacerdotis nostri Anastasii, Ecclesia Romana Episcopi, quibus nos Paterna, & fraterna charitatis sollicitudine, ac sinceritate adhortatus est, ut de hæreticorum & schismaticorum Donatistarum insidiis & improbitatibus, quibus Africanam Ecclesiam Catholicam graviter vexant, nullo modo dissimulemus, Gratias agimus Domino nostro, quod illi optimo ac Sancto Antistiti suo tam piam curam pro membris Christi, quamvis in diversitate terrarum, sed in una compage corporis constitutis, inspirare dignatus est.

SCHOLION.

De Concilio Carthaginensi sub Aurelio, idibus Septembris 401.

AURELIUS Carthaginensis Episcopus admodum sollicitus, ut Africanæ Ecclesiæ necessitatibus succurreret, & Ecclesiam per Donatistarum schisma scissam, ad unitatem revocaret, eodem anno, quo præcedens Synodus habita fuerat, necnon litteræ ad Anastasium Romanum Episcopum, & Venerium Mediolanensem datæ erant; generalem rursus Synodum, ex omnibus

Africæ

Africæ Provinciis ad Idus Septembris indixit, ut omnium sententia summi ponderis res tractaretur; nimirum pax universalis cum omnibus Donatistis, uti monet Baronius ad annum 401.

In Concilio Carthaginensi V. recitantur litteræ Anastasii Papæ.

Has litteras coram Patribus recitatas fuisse, in præfatione ipsius Synodi significatur, & licet exemplar earum non inseratur, nec hactenus notum sit; hoc tamen habemus, quod Episcopos Africanos hortatus fuerit, ut *de hæreticorum & schismaticorum Donatistarum insidiis, & improbitatibus, quibus Africanam Ecclesiam graviter vexant* (vel potius Gr. *quæ in universa Afrorum Regione Catholicam Ecclesiam graviter depopulatur*) *nullo modo dissimulent*.

Hisce ab Aurelio recitatis, Patres Africani hæc subjiciunt: *Gratias agimus* (Gr. *Deo*) *Domino nostro, quod illi Optimo, ac Sancto Antistiti suo* (sive Gr. *Excellentissimo & Sanctissimo ejus Sacerdoti*) *tam piam curam pro membris Christi, quamvis in diversitate terrarum* (sive Gr. *etsi in diversis quidem terræ partibus*) *sed in una compage corporis* (Gr. & *harmoniæ*) *costitutis, inspirare dignatus est*.

Quid in hac Synodo actum est?

Præcipue autem in hac Synodo tractatum, qualiter agendum cum Donatistis ad Ecclesiam Catholicam revertentibus, item de modo quo ad *utilitatem* reduci possent, necnon de restituenda disciplina occasione hujus schismati. Donatistarum non parum labefactata.

Ad duo priora spectant quatuor primi hujus Synodi Canones; reliqui sedecim varia disciplinæ puncta decidunt.

Canones hujus Synodi in farragine sub nomine Concilii Carthaginensis V. cum præcedentibus confunduntur.

Canones hujus Synodi, concernentes puncta disciplinæ omissis prioribus Donatistarum ad Ecclesiæ unitatem reductionem spectantibus, in illa Canonum farragine, quæ vulgo dicitur Concilium Carthaginense V, referuntur, cum Canonibus præcedentis Synodi, tamquam unius & ejusdem Synodi, cum tamen constet, fatente quoque de Marca, editos esse in diversis Conciliis eodem anno celebratis; faterique debet ipse de Marca, farraginis illius alioquin propugnator, quod „ utrumque Concilium accuratius & rectus distinguatur apud Dionysium, & ab ipso quoque Ferrando " *dissert. de veteribus Canonum collectionibus cap. 9.*

CANON LXVI.

* Gr. LXIX.

Deinde pertractatis & consideratis omnibus, quæ utilitati Ecclesiæ convenire videbantur, annuente atque admonente spiritu Dei eligimus cum memoratis hominibus, quamvis de Dominici corporis unitate inquieta dissensione præcisis, leniter & pacifice agere: ut quantum in nobis est omnibus, qui eorum communione & societate irretiti sunt, per universas Provincias Africanas penitus innotescat, quam miserabili errore devincti sunt: ne forte sicut dicit Apostolus, nobis in mansuetudine corripientibus diversa sentientes, det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de diaboli laqueis, captivati ab ipso in ipsius voluntatem.

SCHOLION.

Judicant P. summa moderatione & conniventia agendum cum Donatistis.

QUAMVIS Anastasius Romanus Episcopus scripsisset, *de insidiis & improbitatibus & impudentia Donatistarum nullo modo esse dissimulandum*; nihilhominus Patres Africani *pertractatis & consideratis omnibus, quæ utilitati Ecclesiæ convenire videbantur, annuente atque admonente* (seu Gr. *inspirante*) *spiritu Dei, elegerunt* (sive Gr. *satius esse duxerunt*) *cum memoratis hominibus, quamvis de corporis Dominici unitate, inquieta dissensione præcisis* (vel Gr. *se obscindant*) *leniter & pacifice agere*.

Notanda ratio hujus moderationis.

Ratio mansuetudinis servandæ notari meretur, nec expositione sed attentione solum indiget. Et sane ille modus pacificus, tamquam reducendis hæreticis & schismaticis, præsertim iis, qui hæreseos aut schismatis primi auctores non sunt, sed in iis nati & educati sunt, aptior a Patribus passim judicatus fuit, eumque ut teneret, monuit Augustinum Anglorum Apostolum S. Gregorius, uti ipsemet testatur *lib. 9 Epist. 71.* dicitque Gentilibus concedenda, quæ salva fide concedi possunt: „ nam *duris* mentibus ait, simul omnia obscin„ dere impossibile esse non dubium est; quia is, qui „ lucum summum ascendere nititur, necesse est ut gra„ dibus vel passibus non autem saltibus elevetur.

Quæ hodie certo attenderetur.

Ea agendi ratio si cum hæreticis & hodie sincere iniretur, & dissimularentur ea, quæ salva fide, tolerari possunt, spes non incerta affulgeret, plures ex hodiernis hæreticis & schismaticis ad unitatem Ecclesiæ, & veram Religionem Catholicam reducendi.

Verum uti recta advertit pius & eruditus auctor notarum in citatam Epistolam S. Gregorii, illius consilii prudentem moderationem non patitur zelus quorumdam immodicus „ quos delectat clamare *exinanite, exina„ nite usque ad fundamentum*, fibras etiam minimas ex„ tirpate, ut tam præpostera agendi ratione plurimi „ fuerunt in schisma aut hæresim compulsi, quos mo„ deratio retinuisset in Ecclesia. Alii forte redirent in „ unitatis gremium, si morosi quidam objectis spinis vi„ am non sepirent, aut propugnatione quarumdam cor„ ruptelarum, aut ritus exigendo laudabiles quidem, „ at minus forte necessarios, aut alios minus laudabiles importune exagitando, quos Patres sanctissimi uni„ tatis studio tolerassent. Scilicet *piscatorie nobis est „ agendum non Aristotelice*, ut habet Epistola Episco„ porum Ponti ad Leonem Imperatorem post Chalce„ donense Concilium " . Hæc ille, quæ utinam hodie „ attente expenderentur, dum de hæreticis ad Eccle„ siam reducendis agitur?

CANON LXVII.

* Gr. LXX

Itaque placuit, ut ex Concilio nostro litteræ darentur ad judices Africanos, a quibus hoc peti congruum videretur, ut in hoc adjuvent communem matrem Ecclesiam Catholicam, in quo Episcopalis auctoritas communiri in civitatibus potest, id est ut judiciaria potestate atque diligentia ex fide Christiana, quid gestum sit in omnibus locis, in quibus Maximianistæ Basilicas obtinuerunt, qui ab eis schisma fecerunt, inquirant, & gestis publicis, propter firmam notitiam omnibus necessariam, faciunt inhærere.

SCHOLION.

Deputatio ac judices Africanos pro habendis actis rerum, quæ a Donatistis, & a Maximianistis gestæ fuerant.

MANIFESTUM est ex initialibus verbis, hunc Canonem esse præcedentis appendicem, sive ea, quæ hoc Canone decernuntur, decreta esse ut obtineatur conversio, sive reductio Donatistarum, qui ab unitate Ecclesiæ se sejunxerant; ad quam obtinendam, *leniter & pacifice* allaborandum esse, jam Patres in præcedenti Canone resolverant.

Qui fuerint Maximianistæ?

Ut autem intelligatur, qua ratione quæ hoc Canone resoluta sunt, essent opportuna reducendis ad Ecclesiam Donatistis: notandum, quod Maximianistæ, quorum hic fit mentio, essent quædam secta eorum, qui se a Donatistis per speciem quamdam schismatis, separaverant, & a Donatistis pro schismaticis habebantur, quemadmodum multis locis S. Augustinus, ac signanter *Epist. 185. c. 4.* & *libro de gestis cum Emerito Cæsariensi Donatistarum Episcopi*, ubi & *nu. 9.* hujus schismatis originem describit, & qualiter cum his Maximianistis ipsi Donatistæ eum agendi modum tenuerint, quem Catholici cum Donatistis ad Ecclesiam reducendis inibant.

Cum itaque Patres Africani resolvissent *leniter & pacifice* cum Donatistis agere, & eos potius rationum, quam potestatis & coactionis pondere ad Ecclesiæ unitatem adducere, resolverunt litteras dandas ad judices Africanos, qui diligenter inquirerent *quid gestum sit* a Donatistis *in omnibus locis, in quibus Maximianistæ Basilicas obtinuerunt, qui ab eis schisma fecerunt, & gestis publicis propter firmam notitiam omnibus necessariam, faciant inhærere*, ut hoc pacto ex gestis & ex modo procedendi Donatistarum cum Maximianistis ad ipsos revertentibus, ipsi Catholici possent suum lenem & pacificum agendi modum cum Donatistis ad Ecclesiam revertentibus justificare, uti & factum esse docet citata Epistola S. Augustini, & mox referendus Canon 69. hujus Codicis latis evincit.

CANON LXVIII.

* Gr.

Deinde placuit, ut litteræ mittantur ad Fratres & Coepiscopos nostros, & maxime ad Sedem Apostolicam, in qua præsidet memoratus venerabilis frater & collega noster Anastasius, quo noverit habere Africam magnam necessitatem, propter Ecclesiæ pacem & utilitatem: ut ex ipsis Donatistis quicumque Clerici correcto consilio ad Catholicam unitatem transire voluerint, secundum uniuscujusque Episcopi Catholici voluntatem atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur, sicut prioribus ejusdem divisionis temporibus factum esse manifestum est. Quod multarum, & pene omnium Africanarum Ecclesiarum, quibus talis error exortus est, exempla testantur: non ut Concilium quod in trasmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur: sed ut illiud maneat circa eos, qui sic transire ad Catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio procuretur. Per quos autem vel omni modo perfici, vel adjuvari manifestis fraternarum animarum lucris Catholica unitas in locis, in quibus degunt, visa fuerit: non eis absit, quod contra honores eorum, quamvis salus nulli interclusa sit, in trasmarino Concilio statutum est, id est ut ordinati in parte Donati, si ad Catholicam correcti transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis secundum transmarinum Concilium: sed exceptis his, per quos Catholicæ unitati consulitur.

LXXI.

SCHOLION.

Litteræ responsoriæ quibus Papæ exponitur modus quem Africani in recipiendis Donatistis tenere decreverunt.

JAM superius monuimus, Anastasium Episcopum Romanum scripsisse, quod cum Donatistarum insidiis & improbitatibus nullo modo esset dissimulandum; quod Patribus Africanis non omnino placuisse ostendit relatus Canon 66. ubi decreverunt *leniter & pacifice* cum Donatistis agendum esse.

Insuper

Insuper ex hoc Canone con[illegible], in transm[illegible] Concilio statutum simile; *ut ordinati ex parte Donati, si ad Catholicam correcti transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis.*

Clerici Donatistis in Ecclesiam revertentes, in suis honoribus suscipiantur, si Episcopi id judicent pro bono pacis & unitatis convenire.

Hoc statutum ita generaliter expressum, Africanis durius apparuit, ipsique decreverunt, *ut ex ipsis Donatistis quicumque Clerici, correcto consilio ad Catholicam unitatem transire voluerint, secundum uniuscujusque Episcopi Catholici voluntatem, atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur.*

Et ne se temere ab aliorum Episcoporum resolutione; ac decreto separare velle ostenderent, captam resolutionem, iterum ad Episcopos transmarinos, & maxime ad Sedem Apostolicam, cui præsidebat Anastasius, mittendam censuerunt, utque eos in suam sententiam trahant, primo statum Ecclesiæ Africanæ, summamque ejus necessitatem aperiunt, & secundum Ecclesiæ pacem & utilitatem, inde magis fovendam augendamque asserunt.

Tertio dicunt *ita prioribus ejusdem divisionis temporibus factum esse, quod multarum & pene omnium Africanarum Ecclesiarum, quibus talis error exortus est, exempla testantur.*

Quarto, hæc esse decreta, *non ut Concilium, quod in trasmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur; sed ut illud maneat circa eos, qui sic transire ad Catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio procuretur.*

Quasi dicerent; salvo manente decreto transmarino, Episcopi Catholici dispensare poterunt cum iis, per quos unitati Ecclesiæ consuli judicabunt.

Quid his litteris ab Anastasio, aut aliis transmarinis Episcopis rescriptum sit, nescitur. Hoc scimus, Africanos hujus Concilii resolutioni constanter inhæsisse, immo Fpigraphæ Dionysiana, huic decreto præfixa, innuit Africanos suum decretum a consensu Anastasii Episcopi non suspendisse; sed simpliciter & absolute statuisse; ita enim habet: *ut Clerici Donatistarum in Ecclesia Catholica suscipiantur in Clero.*

S. Augustinus hanc resolutionem se servaturum, omnibus intimandum voluit

Sanctus Augustinus ita de justitia, æquitate & utilitate hujus Decreti erat persuasus, ut resolvisset in se nullum Clericum a Donatistis revertentem in suis honoribus non recepturum; suumque illud propositum propria maun scriptum, ac interposito juramento confirmatum, omnibus publicatum voluit, ut scribit Epist. 61. ad Theodorum, quam eruditi Revisores operum ejusdem Sancti Patris, circa tempus hujus Concilii, est circa annum 401. scriptum autumant; „ nam, „ inquiunt, prædicti Concilii decreto relictum erat vo„ luntati arbitrioque cujusque Episcopi Catholici, ut, „ si ipsi expedire videretur, eosdem deinceps cum suis „ honoribus, & ordinibus reciperet.

Quid huic agendi modo opposuerint Donatistæ, & quid ab Augustino responsum.

Obloquebantur quidem huic Catholicorum Episcoporum agendi modo pertinaces Donatistæ, dicebantque: „ si ergo oportet ut nos extra Ecclesiam, & adver„ sus Ecclesiam fuisse pœniteat, ut salvi esse possi„ mus, quomodo post istam *pœnitentiam* apud eos Cle„ rici, vel etiam Episcopi permanemus“? Respondet ipsis Augustinus: „ hoc non fieret, quoniam revera, „ quod fatendum est, fieri non deberet, nisi pacis *ipsius* „ *compensatione* sanaretur; sed si hoc dicant, & multo „ maxime humiliter doleant qui in tanta morte præ„ cisionis jacent, ut illo quidem vulnere matris Catho„ licæ reviviscant,

Hæc & plura S. Augustinus Epist. 185. num. 44. & 45. scripta circa annum 417. uti notant iidem Revisores, adeoque 15. ut minus annis post hanc Synodum, ut hinc pateat, non obstante quoque Donatistarum contra eum agendi morem murmuratione, Africanos constanter in hac praxi perseverasse.

Quomodo induerint Patres Afr. ut hæc sua resolutio ab Episcopis transmarinis, notanter a Romano probaretur.

Totus tamen Canonis contextus nos docet, Patribus Africanis curæ fuisse, ut ipsorum agendi ratio ab aliis quoque Episcopis transmarinis, ac præsertim Romano probaretur.

Quamvis nonnihil contraria disciplinæ.

Secundo docet nos, quod crediderint Patres Africani a rigore disciplinæ aliquantulum recedi posse: si *vulnus* disciplinæ infligendum, pacis & unitatis Ecclesiæ *compensatione*, sanari possit: nec ipsis persuasum fuisse per Decretum transmarinum, eam agendi libertatem sibi esse ademptam.

CANON LXIX.

** Gr. LXXII.*

Deinde placuit, ut his per actis Legati etiam prædicandæ pacis atque unitatis, sine qua salus Christiana non potest obtineri e numero nostro ad ipsorum Donatistarum, sive quos habent, Episcopos, sive ad plebes mittantur, per quos omnibus in notitiam preferatur, quam nihil habeant, quod adversus Ecclesiam Catholicam justa possint dicere: maxime ut manifestum fiat omnibus, per gesta etiam municipalia, propter documentorum firmitatem, quid ipsi de Maximianistis schismaticis suis egerint: ubi eis divinitus demonstratur, si attendere velint, tam inique tunc illos ab Ecclesia unitate præcisos, quam nique nunc clamant a se Maximianistas schisma fecisse; ex quorum tamen numero, quos jam plenarii Concilii sui auctoritate damnaverant, in suis honoribus denuo receperunt, baptismum, quem damnati & exclusi dederant, acceptaverunt: ut videant quam stulto corde resistant paci Ecclesiæ toto orbe diffusæ: cum ista faciant pro parte Donati, neque se istorum, quos ita receperunt, communione propter intuitum pacis, contaminari dicant, & nos condemnent, id est Ecclesiam Catholicam, etiam in extremis terrarum partibus constitutam, per eorum communionem inquinatam, quos tunc accusantes convincere nequiverunt.

SCHOLION,

Patres Afri. modum suum, quo recipiebant revertentes a Donatistis justificant per propria gesta Donatistarum cum Maximianistis.

PRo intellectu hujus Canonis, in memoriam revocandum quod supra ad Canonem 67. dictum est; scilicet Patres Africanos petiisse a judicibus publicis, ut diligenter annotarent, quid cum Maximianistis ad Donatistas revertentibus ageretur in parte Donati. Cum autem reperissent, quod ex Maximiniastis, quos aperta proprii Concilii auctoritate condemnaverant, postea in propriis honoribus plene susciperent, & baptismum, quem damnati & exclusi dederant, acceptarent: voluere Patres, ut mitterentur in Provincias, qui hunc agendi modum Donatistarum publicarent, ut hoc pacto, populo ostenderetur, quam injuste Ecclesiam Catholicam arguant Donatistæ, ob id quod e Donatistis, quos pro schismaticis habet, revertentes in suis honoribus suscipiat, & baptismum apud Donatistas susceptum probet; cum idem ipsi Donatistæ in Maximianistis ad se revertentibus probent.

De hoc Catholicorum argumento ex proprio Donatistarum facto formato, & populo proposito agit etiam S. Augustinus; illudque pene eodem, quo hoc Canone expressum est, proponit, additque: „ plurimi confun„ debantur, & manifesta veritate erubescentes corri„ gebantur solito crebrius, & multo magis ubicumque „ ab eorum (Donatistarum) sævitia respirabat aliquan„ ta libertas“. lib. de corr. Donatist. ad Bonifacium, sive Epistola 185. num. 7.

Non eadem condescendentia servata cum omnibus.

Hæc sunt, quæ pro facilitanda reductione Donatistarum, præsens Synodus decrevit, sed & hoc constat, non eadem facilitate receptos fuisse, qui in Ecclesia Catholica babtizati, & enutriti, ad Donatistas fugissent, sicut illi quis in schismate erant *nati & educati*: illis enim severior & diuturnior imponebatur pœnitentia, uti pluribus locis docet Augustinus, ac signanter *lib. 2. contra Cresonium, cap.* 16. & de unico baptismo *contra Petilianum, cap.* 12. una monenti, quod nec tales ad Clericatum admittantur, sive ad hæreticis rebaptizati sunt, sive prius suscepti ad illos redierint, sive apud illos Clerici, sive Laici fuerint.

CANON LXX.

** Gr. LXXIII.*

Præterea, cum de quorumdam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur: placuit, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, secundum priora statuta etiam ab uxoribus continere, quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.

SCOLION.

Varia consuetudo Ecclesiarum circa continentiam servandam a minoribus clericis.

EX præsenti Canone intelligimus circa observantiam continentiæ minorum Clericorum, tempore hujus Concilii diversam fuisse Ecclesiarum consuetudinem; voluisseque Patres quoad Clericos hosce, secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem continentiam servari debere.

Cæterum pro intellectu hujus Canonis repeti poterit Scholion in Canonem 25. hujus Codicis, huic omnino similem, ac sufficienter ex collatione utriusque cognosci poterit, Canonem hunc 25. in Concilio Carthaginensi VI. an. 419. fuisse relectum & confirmatum, nonnullis pro temporum circumstantiis additis, ac signanter de Subdiaconis, utpote, *qui sacra mysteria contrectant*, qui propterea eisdem cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis continentiæ legibus subjiciuntur; cum in Canone præsentis Synodi anni 401. tres posteriores gradus dumtaxat legibus hisce subjiciantur, ob penuriam forsan ministrorum, quæ hoc tempore in Africa fuit, ut probat Canon 68. supra exhibitus, quæ penuria anno 419. pro parte saltem cessare potuit, ob compressos multis Imperatorum edictis Donatistas.

CANON LXXI,

** Gr. LXXIV.*

Rursum placuit, ut nemini sit facultas, relicta principali Cathedra ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre, vel in re propria diutius, quam oportet, constitutum, curam vel frequentationem propriæ Cathedræ negligere.

SCHOLION.

Contra Episcopos su[illegible] Cat[illegible] Eccl[illegible] [illegible]

SCopus hujus Canonis est stabilire residentiam Episcoporum in propriis suis Cathedralibus Ecclesiis,

utque

quæ curam & sollicitudinem suæ Ecclesiæ non negligant, etiam prætextu gerendæ & procurandæ rei propriæ quod lectio Græca clarius expressit his verbis: *nulli liceat Episcopo, de re propria, plusquam oportet, sollicito, propria Sedis curam & sollicitudinem negligere.*

Hic Canon tamquam Concilii Africani renovatur; *lib. 1. Capitularium Regum Francorum cap.* 20. his verbis: " ut non liceat Episcopo principalem Cathedram „ suæ parochiæ negligere, & aliquam Ecclesiam in sua Diœcesi magis frequentare.

Eumdem Canonis sensum reddidit Ferrandus Diaconus, cum in Breviario suo *nu.* 17. contrahens in hæc verba: *ut nullus Episcopus dimissa matrice in Diœcesi constituat*, uti ex fide veterum Codicem addendum monet hic in margine Justellus. Hic Cathedra principalis recte *matrix* redditur; unde matrices Cathedræ in Concilii Carthaginensis *cap.* 123. apud Dionysium, ut notavit de Marca in sæpius citata dissertatione *de veteribus Canonum collect. cap. 9. num. 5.*

Itaque hic Canon ferit Episcopos, qui quietis & liberioris vitæ cupidine ducti, relicta principali Cathedra, in civitate, ubi major eis negotiorum cura incumbit, ad ruralem aliquam Ecclesiam a civitate remotam ut mollius, & liberius agere possent, se consecrabant.

Unde & sæculo IX. Concilium Meldense *c.* 28. dicebat: „ providendum est ne Episcopi propter suam „ quietem, ad *remotiora* loca sedentes, & suum mini- „ sterium negligentes, proprias deserant civitates: " vide etiam *Scolion ad Canonem* 15. *Sardicensem.*

Extat apud Grat. *caus. 7. quæst. 1. Can.* 21, sub nomine Concilii Carthag. V.

CANON LXXII. *

* Gr. LXXV.

Item placuit de infantibus, quoties non inveniantur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem de traditis sibi Sacramentis idonei respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari. Hinc enim Legati Maurorum fratres nostri, consuluerunt: quia multos tales a Barbaris redimunt.

SCHOLION.

Infante, quorum dubium est baptisma, baptizandi sunt.

NOLUERUNT Patres Africani, ne ob periculum rebaptizationis, illis, de quibus certo non constat eos baptizatos, baptismus negetur, *ne*, inquiunt, *ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari.*

Nec ob periculum rebaptizationis omitti debet.

Hinc & patet, Patres Africanos apprehendisse summam hujus Sacramenti necessitatem etiam in parvulis.

Forma baptizandi sub conditione olim ignota.

Hoc unum circa præsentem Canonem notandum, nullam hic fieri mentionem cautelæ, de qua in *cap.* 2. *n.* 2. *de baptismo*, & in omnibus modernis Ritualibus, cum de dubie baptizato rebaptizando, agitur ubi sollicite inculcatur hæc formula: " si baptizatus es, non „ te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te ba- „ tizo, &c.

Nec hanc disciplinam Africana duntaxat Ecclesia, sed & Romana secuta fuit, ut constat ex S. Leone, qui interrogatus a Rustico Episcopo Narbonensi, " utrum „ parvuli ab hostibus capti, & non se sapiunt bapti- „ zatos, sed sciunt se aliquoties ad Ecclesiam a paren- „ tibus ductos, possint vel debeant, cum ad Roma- „ nam venerint, baptizari "? Respondet: qui autem „ possunt meminisse, quod ad Ecclesiam veniebant „ cum parentibus suis, possunt recordari, an quod a „ parentibus dabatur, acceperint, Sed si hoc etiam „ ab ipsorum memoria alienum est, conferendum eis „ videtur, quod collatum esse nescitur: quia non te- „ meritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia „ pietatis ". *Epist. 1. inquis.* 17. & pluribus verbis rescribit & exponit in Epist. ad Neonam Ravennatem Episcopum. " Quoniam, ait, non potest in iteratio- „ nis crimen venire, quod factum esse omnino nesci- „ tur ". *Epist.* 135. edit. Quenelli. Gratianus *dist.* 4. *de consecr. Can.* 112.

Quin & post tempora Alexandri III. disciplinam simpliciter baptizandi dubie baptizatos superstitem fuisse in Anglia, docent nos Synodus Eboracensis 1195. *Can.* 4. & Synodus Londinensis 1200. *Can.* 3. his verbis: „ de baptismate si dubitetur, sacrorum Canonum sta- „ tuta sequentes, statuimus ut conferatur: quia non „ dicitur iteratum, quod non scitur fuisse collatum. „ Ideoque baptizentur expositi, de quorum baptismo „ dubitatur, sive inveniantur cum sale, sive sine sale,

Hæc forma non ubique eodem tempore recepta.

Quandonam forma baptizandi sub conditione invaluerit, incertum est: hoc satis constat, in aliquibus Ecclesiis citius, in aliis serius receptam. In Anglia enim nec sæculo XII. receptam fuisse ex citatis Synodis probatur, at in Gallia, in aliquibus saltem Ecclesiis sæculo IX. nota erat, nam inter Canones Isaaci Episcopi Lingoniensis *tit.* 11. *cap.* 17. habetur desumptum ex *lib.* 6. *Capitularium*, *cap.* 184. " de quibus dubium est, in- „ quit, utrum sint baptizati, an non; omnimodis abs- „ que ullo scrupulo baptizentur, his tamen verbis præ- „ missis: *Non te rebaptizo; sed si nondum baptizatus* „ *es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus* „ *Sancti.*

Auctoritas Decretalium Gregorii IX. passim invaluit.

Non dubium quin post promulgationem & receptionem Decretalium Gregorii IX. quibus resolutio Alexandri III. erat inserta, hic ritus baptizandi sub conditione dubie baptizatos, magnum acceperit incrementum.

In farragine sub nomine Concilii Carthaginensis V. extat hic Canon *cap.* 6. cum hac addita finali clausula: *similiter & de Ecclesiis, quoties super earum consecratione hæsitatur, agendum est; id est, ut sine ulla trepidatione consecrentur.*

Clausula de reconsecrandis Ecclesiis huic Canoni in farragine sub nomine Conc. Carthag. V. addita, recentiorem manum hujus Collectoris prodit.

Et quidem Petrus de Marca, hujus farraginis patronus prætendit, ob prætermissam hanc clausulam, hunc Canonem esse mutilum apud Dionysium, atque in hac farragine suo nativo textui esse redditum additione hujus clausulæ, cum e contra, hæc clausula prodat recentiorem hujus collectoris manum; quandoquidem in antiquitate, nihil de simili reconsecratione occurrat: nec ætate hujus Synodi Ædes sacræ seu Ecclesiæ sacris usibus deputabantur, nisi prius solemni ritu eas dedicatas constaret.

Refert hunc Canonem Gratianus *dist. 4. de consecratione Can.* 3. addita eadem clausula. Verum diligenter notant Correctores Romani: " hæc absunt a Co- „ dice Regio hujus Concilii, a 72. Carthaginensi Ca- „ none Græco, & a Burchardo Wormatiensi.

CANON LXXIII. *

* Gr. LXXVI.

Item placuit, ut dies venerabilis Pascha Formatarum *subscriptione omnibus intimetur; Dies vero Concilii idem servetur, qui in Hipponensi Concilio constitutus est, id est X. Kal. Septembris. Et scribendum ad singularum quarumque Provinciarum Primates, ut quando apud se Concilium congregant, istum diem non impediant.*

SCHOLION.

DUo hic statuuntur; primum ut *formatarum subscriptione dies Paschalis omnibus intimetur* (sive Gr *per formatarum subscriptionem omnibus ostendatur*). Id est ut in *formatis*, quæ Clericis peregre proficiscentibus dantur, dies Paschæ adnotetur, uti notat de Marca in opusculo de veteribus Collectionibus Canonum *cap. 9. num.* 7.

Admodum sollicitos fuisse jampridem Patres, ut solemnitas Paschalis ubique eodem die celebraretur, jam sæpius ostensum.

Dies Concil. generalis totius Africæ annuatim habendi statuitur X. Kal. Sept. Hanc diem Collector farraginis immutavit.

Secundo statuit, ut *dies Concilii idem servetur, qui in Hipponensi Concilio constitutus est, id est X. Kal. Septembris.*

In sæpius nominata Canonum farragine sub nomine Concilii Carthaginensi V. tempus illud habendi Concilii mutatum est, legiturque: *dies Concilii undecimo Kalendas Novembris servetur*: sed qua auctoritate collector hoc tempus immutavit? Petrus de Marca, istius farraginis egregius defensor, asserere non dubitat, in *dissert. de veteribus Canonum collectionibus, cap. 9. n.* 7. quod collector tempus illud mutavit, *auctoritate sibi delegata*, verum quoadusque ostendatur, quis ille fuerit collector; & ubi, quando, & a quo ipsi auctoritas illa mutandi fuerit *delegata*, confidenter dicemus, collectorem, seu potius corruptorem hunc sibi ipsi hanc auctoritatem, seu audaciam præsumptuosam delegasse, seu usurpasse, ut omnia misceret; atque ex hoc ipso Canone eximiam Statuti Hipponensis de Synodorum tempore notitiam prorsus evaderet.

Ex ea farragine Canonem citat Gratianus.

Additur autem, scribendum esse *ad singularum quarumcumque Provinciarum Primates, ut quando apud se Concilium congregat, diem istum non impediant*; hoc est diem istum *X. Kal. Septembris*: agitur enim in hoc Canone de *universali* & generali totius Africæ Concilio, quod per Synodos Provinciales a Metropolitanis sive Primatibus, non impediendum Patres statuunt, uti loco citato recte monet de Marca.

Præsentem Canonem refert Gratianus *dist. 3. de consecr. Can.* 24. prout extat in vulgato Concilio Carthaginensi V. ubi a lectione Dionysiana & Græcorum receditur; uti & Correctores Romani notarunt, & supra notavimus.

CANON LXXIV. *

* Gr. LXXVII.

Item constitutum est, ut nulli intercessori licitum sit Cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere: sed dare operam, ut intra annum eisdem Episcopum provideat: quod si neglexerit, anno exempto interventor alius tribuatur.

SCHOLION.

Quodnam sit intercessoris seu visitatoris officium?

INtercessor hic vocatur Episcopus, qui Ecclesiæ vacanti a Metropolitano præficiebatur, ut civium animos pro eligendo Antistite in concordiam revocaret: Hæcque disciplina non in Africa duntaxat, sed & in aliis Provinciis per aliquot sæcula in usu fuit. Et quidem

dem hujusmodi intercessoris sub nomine *Visitatoris* sæpius in suis Epistolis meminit S. Gregorius & signanter *l. 11. Epist. 19.* ad Benenatum Visitatorem Ecclesiæ Cumanæ, ubi & quod ejus sit munus, proponit. "Assiduis adhortationibus, ait, Clerum plebemque ejusdem „ Ecclesiæ admonere te volumus, ut remoto studio diversarum partium, uno eodemque consensu talem sibi „ præficiendum expetant Pontificem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & a venerandis Canonibus nullatenus respuatur ". Quin & sæculo IX. hanc in his partibus disciplinam superstitem fuisse evincit Epistola Hincmari Rhemensis, qua Hedenulphum Laudunensem Episcopum rogat, ut Visitatoris officio fungatur in electione Episcopi Cameracensis. Extat apud Labbeum *tom. 8. Conc. col. 1867. & col. 1871.* refertur allocutio Visitatoris Episcopi ad Clerum & plebem electionis causa congregatam.

Porro hi intercessores, cum deberent populum ad concordiam adducere, ipsamque electionem accelerare, dissensiones fovebant; ut diutius Cathedra vacante, intercessoris munere fungerentur.

Abusus horum intercessorum comprimitur.

Huic abusui occurrens hæc Synodus statuit, *ut nulli intercessoris licitum sit Cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus* (sive G. *propter quodcumque populorum studium vel dissensionem*) *retinere, sed dare operam, ut intra annum eisdem Episcopum provideat. Quod si neglexerit* (sive Gr. *præter hæc fecerit*) *anno exempto* (seu Gr. *post anni finem*) (a) *intercessor alius tribuatur* (seu G. *eligatur*.

Ferrandus Diaconus in Breviario *nu. 22.* ita hunc Canonem expressit: *ut nullus Episcopus Cathedram, cui datus fuerit interventor, plusquam annum teneat, sed ipse eis* (*populis*) *Episcopum petat*

Extat apud Gratianum *caus. 7. quæst. 1. Can. 22.* ex Concilio Carthaginensi V.

CANON LXXV. *

* Gr. LXXVIII.

Ab Imperatoribus, universis visum est, postulandum propter afflictionem pauperum, quorum molestiis, sine intermissione, fatigatur Ecclesia, ut defensores eis adversus potentias divitum, cum Episcoporum provisione delegentur.

SCHOLION.

Ut defensores pauperum constituantur petendum ab Imperatoribus.

„ EPISCOPI non tantum populos ipsorum curæ commissos docere, sed eorum quoque patrocinium, „ si injuste lædantur, suscipere, ac illos pro viribus „ tueri debent": ait Zonaras ad hunc Canonem, & uno consensu Patres inter præcipua Episcoporum munia, tuitionem, ac defensionem pauperum retulerunt, unde & communiter *Patres pauperum* dicti fuere.

Cum igitur viderint Episcopi nonnullos divites, & potentes pauperes opprimere, nec Episcopalem auctoritatem hisce comprimendis sufficere, resolverunt postulandum ab Imperatoribus *propter afflictionem* (sive Gr. *vexationem*) *pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, ut defensores eis adversus potentias* (seu Gr. *tyrannidem*) *cum Episcoporum provisione* (vel Gr' *providentia*) *delegentur* (vel Gr. *eligantur*); qui pauperum & oppressorum patrimonium susciperent, *eorumque querelas & causas audirent & examinarent; hocque dacto Ecclesia, sive Episcopi liberarentur a molestiis* pauperum ad Ecclesiam sive Episcopos sine intermissione, pro auxilio contra divites & potentes accurrentium.

Justinianus defensores civitatum instituit. An postulatis Patrum ab Imperatore Honorio sit satisfactum.

De defensoribus civitatum, eorumque officio extat Novella 15. Justiniani, dicitque in præfatione: " Siquidem & propter hoc *paterna* voce *defensores* voca- „ mus, quatenus eripiant a malis injustitiam patientes.

Quin & ad postulationem Patrum Africanorum in Africa ab Honorio Imperatore datos fuisse pauperum *defensores*, videtur Baronio ad an. 398. eo quod de Magistratu in Africa, qui dicebatur *defensor*, meminerit Possidius in *vita S. Augustini, cap. 12.* Quidquid sit de hac Baronii conjectura, saltem annum 401. quo hæc Synodus habita fuit, datos fuisse, haud est verisimile; cum alias frustra id ab Imperatoribus postulandum constituissent.

CANON LXXVI. *

* Gr. LXXIX.

Item placuit, ut quotiescumque Concilium congregandum est, Episcopi, qui neque ætate, neque ægritudine, neque aliqua graviori necessitate impediuntur, competenter occurrant, & Primatibus suarum quarumque Provinciarum intimetur, ut de universis Episcopis vel duæ, vel tres turmæ fiant, ac de singulis turmis vicissim, quotquot electi fuerint, ad diem Concilii instantissime occurrant. Quod si non potuerint occurrere excusationes suas in tractoria conscribant; vel si post adventum tractoriæ aliquæ necessitates repente forsitan ortæ fuerint: nisi rationem impedimenti sui apud suum Primatem reddiderint, Ecclesiæ suæ communione deberre esse contentos.

(a) In quibusdam Codicibus legitur *anno expleto*.

SCHOLION.

Quomodo Episcopi designandi ad Synodum generalem Africæ?

HIc Canon rursus ostendit, quam solliciti fuerint jampridem Patres, ut Synodi Episcopales suo tempore haberentur; quemadmodum sæpius in hisce Scholiis notavimus

Sed tamen ne per crebram Synodorum celebrationem, Episcopi nimium a suis abstraherentur Ecclesiis, cautum est hoc Canone, *ut de universis Episcopis, vel duæ, vel tres turmæ* (sive Gr. *congregationes*) *fiant ac de singulis turmis* (vel Gr. *unoquoque numero*) *vicissim*, id est, per vices *quotquot electi fuerint, ad diem Concilii instantissime occurrant*.

Tractoria, vel tractatoria, cujus hic sit merito, est Epistola Synodalis, sive Synodica, quæ a Synodo ad Episcopos scribitur, vel de quavis re ad Synodum spectante; uti observat Du-Cange in Glossario, verbo *tractatoria*, creditque veram vocabuli hujus originem esse a Synodo, quam tractatum etiam dici ostendit ibidem, verbo *tractatus*.

Varia & obscura hujus Canonis lectio.

Verum si *tractatoria*, sive *tractoria*, ut in quibusdam exemplaribus legitur, hic accipiatur pro Epistola Synodi ad Episcopos; non apparet quomodo velint Patres hujus Synodi, ut Episcopi ad Synodum non venientes, *excusationes suas in tractoria conscribant*; utpote quæ evidenter supponunt hic agi, non de Epistola Concilii ad Episcopos, sed de Epistola Episcopi, qua excusationes, ob quas ad Concilium non accedit, Concilio insinuat.

Apud Græcos hæc periodus non occurrit, sed tantum injungitur Episcopis, ut *sui impedimenti rationem suo Primati reddant*; quemadmodum & Balsamonem, & Zonaram legisse ex eorum commentariis manifestum est.

Apud Gratianum dist. 18. *Can.* 10. legitur; *excusationes suas Litteratorie conscribant*; sed Correctores Romani monent: *in Conciliis impressis, legitur in tractoria*; nec dubitant, quin vitiosa sit Gratiani lectio; tantum dubitant, an legendum sit *tractoria*, an *tractatoria*.

E contra vir eruditus Joannes d' Artis, antecessor Sacrorum Canonum in Universitate Parisiensi, in commentario ad distinctionem 15. Gratiani *pag.* 51. credit Gratiani lectionem esse retinendam, atque hac voce, *litteratorie*, significari idem quod *litterato*, sive per litteras, ut sensus sit, Episcopum teneri per litteras rationem sui impedimenti Synodo vel Primati suo significare: & ita quoque intellexisse antiquum glossographum Gratiani, ex contextu evidens est.

Non obscurus tamen ejus scopus.

Quidquid sit de varia & ambigua hac lectione, hoc constat, scopum hujus Canonis esse, ut Episcopi ad Synodum venire non negligant, nisi legitime impediti, & " nisi rationem impedimenti sui apud suum Primatem „ reddiderint, Ecclesiæ suæ communione debere esse „ contentos.

Pœna Episcoporum non venientium ad Synodum.

Ad hæc finalia verba reflectens Aristenus, in notis ad abbreviationem hujus Cannis, ait: " mandat Synodus, Coepiscopos, & confratres eorum, cum iis com- „ municare, aut sacra celebrare: sed in solis propriis „ suis Ecclesiis acquiescere, & in iis munus obire.

Monet autem Balsamon: "hic notari novum excom- „ municationis genus; alii enim Canones accipiunt ex- „ communicationem; quod quidem attinet ad Episco- „ pos, ut nihil Sacerdotale obeant; præsens autem „ Canon, eos a sacro ministerio non impedit, sed se- „ parat a reliquorum fratrum communione.

Et sane justum est, eos a fratrum communione excludi, qui confratrum & Coepiscoporum conventum contemnunt.

CANON LXXVII. *

* Gr. LXXX.

De Cresconio Villa-Regensi hoc omnibus visum est, ut hinc (a) *quoque Primati Numidiæ intimetur, quo cognoscat memoratum Cresconium scriptis suis conveniendum esse, ut proximo universali Africano Concilio suam præsentiam non differat exhibere: quod si venire contempserit, in se cognoscant sententiam promulgandam.*

SCHOLION.

De Causa Cresconii, de qua in Conciliis Hipponen. anni 393. & Carthag. anni 397.

DE hoc Cresconio extat inter Statuta breviata Hipponensis Concilii anni 493. in Codice Eccl. Rom. hoc decretum ": Cresconius Villa-Regensi Episcopus, „ qui Tuburiensis Ecclesiæ Cathedram tenuisse dicebatur, plebe sua, hoc est, Villa-Regensi Ecclesiæ; „ jussus est esse contentus.

Cum autem Cresconius non obstante hoc decreto, Tuburiensem occuparet Ecclesiam, rursus quadriennio post in Synodo Carthaginensi anni 397. de Cresconio actum fuit, conclusumque petentibus Honorato & Urbano Legatis Mauritaniæ, ut *liberum sit Rectorem Provinciæ adversus illum adire*.

An revera Rectorem Provinciæ adversus Cresconium Episcopi adierunt, quidve actum sit in hac causa a tempore Synodi anni 397. usque ad hanc anni 401. nescitur.

Hoc

(a) Id est de hac re.

Hoc unum innotefcit ex præfenti Canone in hac Synodo rurfus caufam Crefconii examinatam fuiffe, decretumque ut Numidiæ Primarii intimetur, quo cognofcat, Crefconium fcriptis fuis conveniendum effe, ut proximo univerfali Concilio fuam præfentiam non differat exhibere: „ quod fi venire contempferit, in fe „ cognofcat fententiam promulgandam.

Tranfmigrationes Epifcoporum de una Ecclefia ad aliam Patribus admodum odiofæ.

An Crefconius decreto obedierit, quidve aliud in hac caufa poft hæc contigerit, latet nos. Hoc inde habemus, ægre admodum a Patribus tunc temporis diffimulatas fuiffe tranfmigrationes Epifcoporum de una ad aliam Ecclefiam.

CANON LXVIII. *

* Gr. LXXXI.

Rurfum placuit, ut quoniam Hipponenfium Diarretorum *Ecclefiæ deftitutio non eft diutius negligenda, & Ecclefia ibi ab his retinentur, qui Equitii facinorofam communionem declinaverunt, miffis ex præfenti Concilio Epifcopis, Regino, Alipio, Auguftino, Materno, Theafio, Evodio, Placiano, Urbano, Valerio, Ambivio, Fortunato, Quod-Vult-Deo, Honorato, Januario, Apto, Honorato, Ampelio, Victoriano, Evangelo, & Rogatiano; conventis & correctis his, qui culpabili pertinacia fugam ejufdem Equitii expectandam putabant, cum omnium voto eis Epifcopus ordinetur. Si autem illi pacem confiderare noluerint; non impediant in eligendo ad ordinandum præpofito utilitatem tanto tempore Ecclefiæ deftitutæ.*

SCHOLION.

Duo in Africa Hippones.

PRo intellectu hujus Canonis, notandum, duas fuiffe civitates Hippones in Africa, quarum una in Numidia Hippo-Regius, cui præferat S. Auguftinus, altera in Provincia confulari, quæ proprie Africa dicitur, quam *Hipponem dilutum vocant*, Græce *Diarrhytos*, propter aquarum irrigua ut in notis ad hunc Canonem notat, & latius probat Juftellus.

Alteri præerat Equitius, cujus occafione in Ecclefia, fciffuræ ad quas conciliandas Epifcopi deputantur.

Huic pofteriori Hipponi præerat Equitius quidam, quem nonnulli popularibus quoque ftudiis fubnixi, vehementer infectabantur, illiufque communionem rejiciebant. Ad eam ergo feditionem fedandam quofdam Epifcopos ex hoc mittendos effe cenfuit Synodus, ut, fi fieri poffet, tumultu fedato diffidentes concilient, vel fi id minus obtineant, Hipponenfis Ecclefiæ utilitati confulentes, quæ jam diu deferta; hoc eft a fuo Antiftite deftituta eft, aliquem interim in ea Epifcopum conftituant. Hic apparet naturalis Canonis fenfus, quem & Zonaras fequutus eft.

CANON LXXIX. *

* Gr. LXXXII.

Rurfus conftitutum eft, ut quoties Clericis convictis & confeffis in aliquo crimine, vel propter eorum, quorum verecundia parcitur, vel propter Ecclefiæ opprobrium, aut infolentem infultationem hæreticorum atque Gentilium, fi forte caufæ fuæ adeffe voluerint, & innocentiam fuam afferere, intra annum excommunicationis hoc faciant. Si vero intra annum caufam fuam purgare contempferint, nulla eorum vox poftea penitus audiatur.

SCHOLION.

Hic Canon etiam apud Dionyfium male videtur relatus.

HIc Canon iifdem verbis extat in vulgato Concilio Carthaginenfi V. & in Codice Ecclefiæ Africanæ apud Juftellum, recteque advertit Petrus de Marca in opufculo de *veteribus Canonum collectionibus cap. 9. num.* 11. textum effe corruptum, tam in collectione veteri, id eft vulgato Concilio Carthaginenfi V. quam in collectione Dionyfiana: „ Quænam, ait, amabo, confe„ quentia eft in his verbis; *ut convictus & confeffus,* „ *innocentiam fuam deinde afferat*? Convictus & con„ feffus, pro judicato habetur.

Clerici accufati intra annum fe purgare coguntur. Verior lectio Græcorum.

At fane in hoc Can. tractari de Clericis accufatis, non autem convictis & confeffis innuit fummarium ipfius Can. apud Ferrandum Diaconum, *n.* 136. *Ut accufatus Clericus intra annum caufam fuam agere debeat.*

Huic & congruit lectio Græcorum apud Balfamonem & Zonaram, quæ habet; „ rurfum decretum eft, ut „ quoties Clericis accufatis, & aliquorum in eos dicto „ teftimonio, &c.

E qua verus fenfus elicitur.

Senfus itaque Canonis juxta hanc lectionem videtur effe; quod Clerici de crimine *accufati*, & teftium teftimonio in eos dicto *aliquatenus convicti*, & propterea excommunicati, id eft a communione abftinere juffi, „ fi fortæ caufæ fuæ adeffe voluerint) *five Gr.* ut par „ eft caufam fuam defendere) & innocentiam fuam „ afferere, intra annum excommunicationis hoc fa„ ciant. Si vero intra annum caufam fuam purgare „ contempferint, nullo eorum vox poftea penitus au„ diatur.

Ratio determinati temporis ad purgationem.

Rationem hujus feftinæ purgationis indictæ, videtur præmififfe Concilium, fcilicet „ vel propter Ecclefiæ „ opprobrium (*five Gr.* reverentiam) aut infolentem „ infultationem hæreticorum, atque Gentilium.

Addit autem Concilium, quod ita conftitutum fit, etiam ut Clericorum verecundiæ parcatur (a).

Ex hoc Canone difcimus, quam follicitì fuerint Patres, ut Clerici infamia criminis laborantes, & functionibus Ecclefiafticis addicti, quam primum fe a criminis fufpicione liberare fatagant: nam, ut ait S. Auguftinus „ duæ res funt confcientia & fama. Propter „ nos confcientia noftra fufficit nobis. Propter alios „ fama neceffaria eft. Confcientia tibi, fama proximo „ tuo“. *Serm. 1. de vita comm. Cler.*

Confcientia & fama Clericis neceffaria.

Notat infuper Petrus de Marca loco citato, ex eo quod hoc Canone anni tempus poft excommunicationem inflictam concedatur Clerico, ut fe purget, eoque anni tempore elapfo, non amplius audiatur, natum effe ut decretis recentioribus, Laici quoque excommunicati ad purgationem, vel ad petendam abfolutionem intra annum adigantur; alias fi quis obdurato animo in cenfuris per annum infordu‍erit; etiam contra eum tanquam de hærefi fufpectum procedi poffit, de quo vide Concilium Trident. *feff.* 25. *cap.* 3. *de Reformat.* & tractatum noftrum *de Cenfuris.*

Occafione hujus Can. invaluit, ut Laici excommunicati intra annum abfolutionem petere debeant.

Extat Canon apud Grat. *cauf.* 11. *quæft.* 3. *Can.* 36. ubi monent Correctores Rom. quod in aliquibus Gratiani exemplaribus legatur, uti & apud Ivonem, & Burchardum: *convicti Clerici vel confeffi*, in nominativo; quæ lectio Canonem redderet clariorem; nam uti recte advertit Petrus de Marca, juxta vulgatam lectionem, deeft verbum, a quo nomina dativi cafus, *Clericis convicti*, regantur, ideoque mutandum credit illud, *quorum verecundia parcitur*, in hæc verba: *vel propter eorum verecundiam parcitur.*

Hujus Canonis meminiffe videtur S. Aug. & quem crediderit effe ejus fenfum.

Hujus Canonis meminit S. Auguftinus *Epift.* 65. ad Xantippum Epifcopum. In hac Epiftola *n.* 1. primum expofuit Abundantium quemdam in fundo Strabonianenfi pertinente ad curam fuam, ordinatum fuiffe Presbyterum; qui cum cœpiffet non bonam famam habere, de indiciis illius *malæ converfationis* facta inquifitione „ convictus atque confeffus eft die Jejunii nata„ lis Domini, quo etiam Gippitana Ecclefia, ficut „ cæteræ jejunabant, cum tamquam perrecturus ad „ Ecclefiam fuam, valefeciffet collegæ fuo Presbytero „ Gippitano, hora ferme quinta, & cum fecum nul„ lum Clericum haberet, in eodem fundo reftitiffe, „ & apud quadam *malæ famæ* mulierem & cœnaffe, „ & in una domo manfiffe, in hujus autem hofpitio „ jam quidem Clericus nofter Hipponenfis remotus „ erat; & hoc quia ifte optime noverat, negare non „ potuit. Nam quæ negavit, Deo dimifi, judicans „ quæ occultare permiffus non eft.“ Poft hæc addidit, *n.* 2. „ Audivi autem caufam ejus, cum centum „ dies effent ad Dominicum Pafchæ, qui futurus eft „ octavo Idus Aprilis. Hoc propter Concilium infinua„ re curavi venerabilitati tuæ, quod etiam ipfi non „ celavi, fed ei fideliter quid inftitutum effet, aperui, „ ut fi intra annum caufam fuam, fi forte fibi aliquid „ agendum putat, agere neglexerit, deinde ejus vo„ cem nemo audiat.

Evidens eft Auguftinum hic indicare præfentem Synodum, & hunc Canonem, uti & in margine notarunt operum Revifores.

Notandum quod S. Auguftinus caufam hujus Presbiteri audierit, & poftquam is de hac cum muliere malæ famæ converfatione fuiffet convictus, *removendum ab officio Presbyterii arbitratus fum*, ait, *timens ei deinceps Ecclefiam Dei committere*. Ibidem.

Hinc patet, quod Auguftinus Canonem intellexerit de Clericis, qui ab Epifcopo judicati, ita mala fama laborarent, ut eis merito Clericale minifterium interdictum fit: & annum purgationis peragendæ incipere a die, quo caufa ab Epifcopo audita eft, qui propterea ab Auguftino tam follicite annotatus, & intimatus fuit.

CANON LXXX. *

* Gr. LXXXIII.

Item placuit, ut fi quis de alterius monafterio repertum, vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in fuo monafterio majorem monafterii (b) *conftituerit, Epifcopus, qui hoc fecerit, a cæterorum communione fejunctus, fuæ tantum plebis communione contentus fit; & ille neque Clericus, neque Præpofitus perfeveret.*

SCHOLION.

SANCTUS Auguftinus Epift. 64. ad Quintianum fcribit: „ recenti autem *Concilio* ftatutum, ut de aliquo mo„ nafterio, qui receflerint, vel projecti fuerint, non „ fiant alibi Clerici, aut Præpofiti monafteriorum.

Epifcopus non ordinet Monachum monafterii alterius Diœcefis: Cujus Canonis meminit S. Auguftinus.

Hic ab Auguftino indicari præfentem Canonem, fat manifeftum eft; monentque ejus operum Revifores, atque hinc ftatuunt hanc Epiftolam fub finem anni 401. fcriptam effe.

Infu

(a) De prædicto Canone confule Hincmarum *Ep.* 54. *tom.* 2. *pag.* 821. addatur quoque Capitulare Benedicti *lib.* 5. *cap.* 37. & *lib.* 7. *cap.* 43.

(b) In collectione Harduina *Tom.* 1. *col.* 996. legitur *Monafterio.*

Insuper ex verbis S. Augustini habemus, in præsenti Canone agi de Monachis, *qui de monasterio recesserint, vel projecti fuerint*; hosque Episcopum, cui monasterium non est subjectum, *ad Clericatum promovere non posse, aut in suo monasterio majorem* (seu Gr. *præfectum monasterii constituere*.

Et ex ipso verus Canonis sensus elicitur,

Putat Petrus de Marca, in opusculo *de veteribus Canonum collectionibus cap. 9. num. 12.* in voce, *repertum* hic esse mendum, & restituendam lectionem ex interprete Græco: *si quis de alterius monasterio receptum*: verum attentis supra relatis S. Augustini verbis, quæ indicant hic agi de Monachis, *qui de suo monasterio recesserint, vel projecti fuerint*, apparet non incongrua lectio, retenta voce *repertum*, scilicet extra suum monasterium.

Canon corrupte refertur a Gratiano,

Refertur a Gratiano *dist.* 58. *can.* 2. & quidem in editione Decreti an. 1515. 1550 & 1572. post hæc verba: *vel in suo majorem monasterii constituere*, sequitur, *sine licentia Abbatis & Monachorum*. Unde glossa casum Canonis exprimens ait: dicitur in hoc Canone, quod „ Episcopus non potest alienum Monachum promovere ad Clericatum, vel facere Abbatem in suo „ monasterio, nisi de voluntate proprii Abbatis.

Verum in editione Gratiani correcta, prædicta verba esse expuncta, monent Correctores: „ quia absunt „ a Concilio Carthaginensi & Africano, & plerisque „ vetustis Gratiani Codicibus “: ut proinde verisimile sit, a recentiore alicujus manu adjecta esse, ut Canonem ad sui temporis disciplinam inflecteret.

Cæterum evidens est, in præsenti Canone hoc unice caveri, ne Episcopus e monasterio alterius Diœcesis Monachum ad Clericatum, aut sui monasterii præfecturam assumat sine dimissoriis Episcopi, sub quo illud monasterium est situm, ut recte exponit Balsamon adeoque idem hic de Monachis constitui, quod supra de Clericis decretum fuit. Et sane juxta temporis illius disciplinam, ut etiam hic observat Balsamon, Monacho de suo monasterio ad alium migrare volenti. „ Episcopi dimissoriis minus opus *erat, quam* monasterii præfecti; quod Episcopis, *inquit*, magis subjecti „ sunt Monachi, quam monasteriorum præfectis. *Vide* „ *ad* Can. IV. Chalcedonensem.

CANON LXXXI. *

* Gr. LXXXIV.

Item constitutum est, ut si quis Episcopus hæredes extraneos a consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut paganos Ecclesiæ prætulerit, saltem post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur. Nec excusari possit, si intestatus decesserit; quia utique debuit factus Episcopus rei suæ ordinationem congruam suæ professioni nequaquam differre.

SCHOLION.

Elucidatur hic Canon ex Canone XXXII.

IN Scholio Can. 32. hujus Codicis monuimus, quod Ferrandus Diaconus in sua Canonum Abbreviatione verba istius Canonis, *faciant quod eorum proposito congruit*, in alienum sensum detorserit; quod & præsens Canon confirmat, qui istius Canonis interpres esse videtur.

Ordinationem rerum temporalium; quam citatus Canon 32. dicit, *eorum proposito congruere*, eamdem præsens Canon vocat *professioni* Episcopali *congruam*. Item quod Hipponensi Concilio (e quo præsens Canon 32. desumptus est) *honore Ecclesiastico tamquam reprobum judicari*, id Concilio Carthaginensi, cujus est hic Canon est, „ Episcopo anathema dici, atque ejus nomen „ nullo modo inter Dei Sacerdotes recitari.

Ordinatio autem quæ, Episcopi *proposito, & professioni non congruit*, hæc est, quod „ hæredes extraneos „ a consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consan„ guineos, aut paganos, Ecclesiæ prætulerit.

Episcopus in dispositione suarum rerum, præferre Ecclesiæ vetatur hæreticos vel schismaticos etiam consanguineos. Sed non consanguineos orthodoxos.

Ita legitur apud Dionysium, & in Codice Africano apud Justellum; at apud Balsamonem, nihil de *extraneis* hæredibus dicitur, sed tantum de hæreticis, & paganis, qui ibi vocantur *Græci, sive sint consanguinei, sive a consanguinitate alieni*; atque ita Balsamonem & Zonaram legisse ex eorum commentariis manifestum est.

Et sane cum hic agatur de rebus propriis ipsius Episcopi, non apparet, quare eas relinquere non posset hæredibus *extraneis*, modo orthodoxi sint juxta Canonem 40. vulgo Apostolorum, & 24. Antiochenum, quorum Scholia consule.

Verba finalia Canonis videntur referenda ad casum, quo Episcopus *intestatus* decedens, reliquit hæredes consanguineos hæreticos, vel paganos, quos per ordinationem testamentariam *congruam suæ professioni* debuisset excludere: nec similem ordinationem *differre*.

Dipytcha.

Pro intellectu horum verborum, *ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur*, notandum, quod nomina, præsertim Episcoporum, in communione Ecclesiæ defunctorum, referrentur in certas tabulas, quas *Diptycha* dicebant, ut tempore sacrificii publice recitarentur, & eorum memoria fieret. Qui autem de hæresi aut schismate, aliove crimine erant convicti, aut multum suspecti, vel in Diptycha non referebantur, aut relati delebantur; atque ita ab Ecclesiæ communione, etiam post mortem, abscindi videbantur. Hinc in edicto Justiniani de fide orthodoxa inter acta Synodi V. de Theodoro Mopluesteno legitur: *deleverunt e sacris Ecclesiæ Diptychis ejus nomen.*

Plura de his videri possunt in Glossario Du-Cange verbo *Diptycha*.

CANON LXXXII. *

* G. LXXXV.

Item placuit, ut de manumissionibus in Ecclesia celebrandis ab Imperatore petatur.

SCHOLION.

De iterata manumissionis postulatione ab Imperatoribus,

EX hoc Canone haud obscurum est, Legatos pro eadem causa anno 397. missos, ab Imperatoribus postulata non obtinuisse, uti ad *Can.* 64. supra notavimus, cujus Scholion pro intellectu hujus Canonis consuli poterit.

Constat quoque tandem tempore etiam S. Augustini has manumissiones in Africa receptas fuisse, ex *sermone* 21. §. 6. ubi & formam earum describit.

CANON LXXXIII.

* Gr. LXXXVI.

Item placuit, ut altaria, quæ passim per agros & per vias, tamquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum condita probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ut qui recte sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur, & omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus, aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi relationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria, omni modo reprobentur.

SCHOLION.

Antiquitas ritus & venerationis reliquiarum.

OSTENDIT Canon, 1. Martyrum reliquias, eorumque memorias hoc tempore Patribus in honore fuisse. 2. Patribus jampridem probatum fuisse modernum Ecclesiæ ritum Sanctorum reliquias altaribus includendi. 3. Patribus persuasum fuisse, haud facile deferendum esse privatorum revelationibus. 4. Patres credidisse, nonnunquam in externo cultu aliqua esse toleranda sive dissimulanda ad evitandam populi commotionem & tumultui occurrendum.

Item quomodo abusus jam tunc invaluerit?

Sed & illud notandum, quod etiam dum ob tumultus populares, similia altaria dejici nequeunt, Patres velint plebes admoneri, *ne illa loca frequentent* (sive Gr. *ne plebs iis in locis conventus agat*) *ut qui recte sapiunt, nulla ibi* (Gr. *eorum locorum*) *superstitione devincti teneantur*.

Quomodo agendum, quando abusus inoleverunt, nec sine tumultu tolli possunt

Hic notent Episcopi & Pastores, si ob certa temporis circumstantias nequeant totaliter evellere, & corrigere abusus, & superstitiosas observationes, quæ sub specie pietatis & Religionis sæpe invalescunt, & quasi pro lege servantur, nihilominus populum de his esse monendum, ut sibi ab hujusmodi erroribus caveat, & de vero & religioso cultu rite instruatur.

Canonem hunc sub nomine Concilii Africani refert Gratianus, *dist.* 1. *de consecr. Can.* 26.

CANON LXXXIV. *

* Gr. LXXXVII.

Item placuit ab Imperatoribus gloriosissimis peti, ut reliquiæ idololatriæ non solum in simulacris, sed in quibuscumque locis, vel lucis, vel arboribus omni modo deleantur.

SCHOLION.

Idololatria sensim abolita.

QUAMVIS Episcopi, adjuvantibus etiam Christianis Principibus multum allaborassent ad destructionem idololatriæ; nihilominus ejus cultus, tot sæculis radicatus & universaliter quasi receptus difficulter admodum eradicari potuit.

Quæ superstitiones Gentilium.

Quapropter hoc Canone placuit Patribus Africanis ab Imperatoribus peti; *uti reliquiæ idololatriæ, non solum in simulacris* (seu Gr. *quæ sunt in simulacris*) *sed in quibuscumque locis, vel lucis, vel arboribus omni modo deleantur*. Id est „ non tantum simulacra conteri oportet, & aras eorum everti, sed si quæ ido„ lolatriæ reliquiæ restent “ ait Aristenus hic.

De superstitione, cujus hic mentio fit, habetur apud Augustinum *tom.* 5. *in Appendice, sermone de tempore* 278. quem Revisores Cæsario attribuendum existimant: „ Quicumque, inquit; in agro suo aut in villa aut „ juxta villam aliquas *arbores* aut aras, vel quælibet va„ na habuerit, ubi miseri homines solent aliqua *vota* redde-

„ reddere, si eas non destruxerit atque succiderit; in „ illis sacrilegiis, quæ ibi facta fuerint, sine dubio „ particeps erit“. Et Concilium Arelatense II. Can. 23. „ si in alicujus Episcopi territorio infideles aut „ faculas accenderint, aut *arbores*, fontes aut saxa „ venerentur, si hæc eruere neglexerit, sacrilegii se „ esse reum cognoscat.

Extant & hujus superstitionis vestigia apud profanos auctores. Plinius *lib. 12. cap. 1.* „ arbores fuere numi„ num templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc „ Deo præcellentem arborem dicant, & Tacitus, de „ Germanis, lucos ac nemora consecrant, deorumque „ nominibus appellant.

Constitutio Honorii qua postulatis Patrum annuit.

Huic Patrum Africanorum petitioni, non mox annuit Imperator Honorius; sed demum anno 408. legem edidit, quæ extat in *lib. 19. Cod. Theod. de Paganis*, qua Africanorum postulatis *plene satisfecisse videtur*. Hac enim constitutione voluit Honorius, primo, templorum paganorum detrahi annonas, & eas in militares annonas converti: annonæ templorum erant ea, quæ epulis & sumptibus conviviorum, & ludorum Gentilium isto ævo adhuc deputabantur, uti ad hanc legem notavit Jacobus Gothofredus, qui & notat in eum finem loca quædam, seu ædificia, & possessiones destinatas fuisse; neque tantum ex fisco, sed ex privatorum quoque liberalitate, reditus hos profectos fuisse.

Ergo eradicandæ superstitioni Gentilitiæ optima inter alias visa est ratio Honorio, si *annonæ*, id est reditus in templorum & rituum Gentilitiorum usum deputati, detraherentur, & in annonas militares converterentur.

Secundo statuit Honorius, ut *simulacra, si qua nunc in templis fanisque consistunt, vel alicubi ritum*, seu (*cultum*) vel acceperint, vel accipiunt Paganorum (puta in *lucis & arboribus*; quod hoc Canone peti jubent Patres Africani) *suis sedibus evellerentur*.

Tertio, templa publica in publicos usus converti jubentur. *Ædificia ipsa templorum*, ait, *quæ in civitatibus vel oppidis, vel extra oppida sunt, ad usum publicum vendicentur, aræ locis omnibus destruantur, omniaque templa possessionibus nostris, ad usus accommodatos transferantur*: hoc est, templa, quæ sunt in possessionibus Principis, in alios usus Principis convertantur.

Addit Lex: *Domini destruere cogantur*; id est Domini fundorum, in quibus templa constructa sunt, ea destruere cogantur.

Quarto jubet Honorius; *non liceat omnino in honorem sacrilegii ritus funestioribus locis convivio exercere, vel quidquam solemnitatis agitare*.

Evidens est, Honorium hac lege, non tantum satisfecisse postulatis Patrum Africanorum, contentis hoc Canone, sed etiam contentis in Canone 61. & 62.

Post hæc sanctionem suam his verbis concludit: „ Episcopis quoque locorum hæc ipsa prohibendi Ecclesiasticæ manus tribuimus facultatem; judices autem 20. „ librarum auri pœna constringimus, & pari forma „ officio eorum, si hæc eorum dissimulatione fuerint „ neglecta.

Votum ad Episcopos & Magistratus directum, ut ritibus Gentilium evellendis allaborent.

Quam esset optandum, ut & hodie Episcopi & Magistratus, quod & posterioribus Canonibus & legibus sæpius injunctum, sedulo allaborarent evellendis, quæ nimium proh dolor! in populo frequentantur, e Gentilitate ad Christianos derivatis superstitionibus?

Neglectam suo tempore fuisse Honorii legem indicavit S. Augustinus *Epistola* 91. ad Nectarium, *num.* 8. scribens: „ contra recentissimas leges, Kalendis Junii is „ festo Paganorum sacrilega *solemnitas* agitata est, ne„ mine prohibente, &c.“ uti etiam notarunt operum S. Augustini Revisores, qui & hinc veram ejus, & præcedentis Epistolæ Epocham eliciunt.

CANON LXXXV. *

* Gr. LXXXVII.

Ab universis etiam Episcopis dictum est, ut si quæ litteræ dictandæ in Concilio placuerint, venerandus Episcopus, qui huic Sedi præsidet, omnium nomine dictare, & subscribere dignetur, in quibus etiam ad Episcopos Legatos, qui per Provincias Africanas in cursu Donatistarum mittendi sunt, placuit litteras dari tenorem mandati continentes, quem non egrediantur. Et subscripserunt; Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, & prælecto suscripsi, similiter & cæteri Episcopi subscripserunt.

SCHOLION.

Ut Carthago erat Metropolis in civilibus, ita Episcopus Carth. Primatum obtinebat.

CARTHAGINEM jampridem fuisse totius Africæ Metropolim nemo negat, & ipse Marius Mercator, Augustino coævus in Commonitorio, nominat, *Carthaginem totius Africæ* Metropolim.

„ Cum enim ex Apostolico instituto, Ecclesiæ regi„ men ordinari quodammodo æquum visum esset ad for„ mam Imperii, idque successu temporis continuerit; „ rationi quoque consonum fuit, Africæ totius *Me„ tropolim* obtinuisse Sedem totius Africæ Metropoli„ tanam, uti notavit Schelstratius in *sua Ecclesia Afri„ cana, diss. 1. cap. 5. num. 3.*

Hujus Primatus meminisse videtur Augustinus.

Huic Sanctus Augustinus, libro *de unico baptismo contra Petilianum, cap. 14.* perpendens Carthaginensem sub Cypriano Ecclesiam, eam cum Romana *eminentissimam* scribere non dubitavit: „ Duo erant eminentissimarum „ Ecclesiarum, *Romanæ* scilicet, & *Carthaginensis* Epi„ scopi, Stephanus & Cyprianus.

Et supra *Canone* 55. audivimus dicentem Aurelium Episcopum Carthaginensem: *ego enim cunctarum Ecclesiarum, dignatione Dei, ut scitis, fratres, sollicitudinem sustineo*.

Prærogativa Primatis Carthaginensis.

Itaque sicuti Carthago in civilibus erat totius Africæ Metropolis, ita ipse Carthaginensis Episcopus, Africæ *Primas* reputatus fuit.

Episcopus Carthagin. omnium nomine litteris Synodalibus subscribit.

Vigore hujus Primativæ cumpetierunt Episcopo Carthaginensi plures prærogativæ, quarum una hoc Canone exprimitur, scilicet ut litteras Synodi scribendas *omnium nomine dictare & subscribere dignetur*; idque in qualitate Primatis, uti recte notavit Aristenus: „ ut „ *Primas*, inquit, omnium in Africa, Episcoporum lit„ teras, quæ a Synodo mitti debent, ad Africæ Ma„ gistratus, Donatistarum gratia vel etiam ad alios „ scribet, & subscribet:

De Synodo celebrata sexto Kalendas Septembris anno 402. *

* Gr. Act. 5. post Canonem LXXXVII.

Gloriosissimis Imperatoribus Arcadio & Honorio Augustis, V. Conss. sexta Kalend. Septembris in civitate Milevitana, in Secretario Basilicæ, cum Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis in Concilio universali consedisset, adstantibus Diaconis, Aurelius Episcopus dixit: Quoniam Ecclesia sancta unum est corpus, omniumque membrorum caput est unum; factum est, volente Deo, & nostram infirmitatem juvante, ut ad hanc Ecclesiam veniremus dilectionis & fraternitatis gratia invitati; unde quæso charitatem vestram, quia ita credendum est, quia noster accessus ad vos nec superfluus, nec insuavis est cunctis, ut consensus omnium vestrum manifestetur concordare complacitis decretorum, quæ jam dudum vel in Hipponensi Synodo firmata sunt, vel postmodum meliore Concilio apud Carthaginem definita, nunc quoque nobis ex ordine recitentur. Tunc demum fraternitatis vestræ concordia luce clarior apparebit, si hæc, quæ a nobis superioribus Conciliis legaliter definita noscuntur, non solum consensu vestro his actis, verum & subscriptionibus manifestetis. Xantippus Episcopus Primæ Sedis Numidiæ dixit: credo quod omni fraternitati placuit, & statuta sua manu confirmaverunt, subscribendo etiam nobis placere posse, & nostra subscriptione firmamus. Nicetius Episcopus Primæ Sedis Mauritaniæ Sitifensis dixit: quæ recitata sunt decreta, quoniam ratione non carent, & quæ approbata cunctis, etiam & meæ parvitati hæc placent, quæ quidem propria subscriptione firmabo.

SCHOLION.

De Synodo Milevitana ann. 402. Vera epocha hujus Concilii.

IN Codice Africano post Canonem LXXXV. sive post Canones Concilii Carthaginensis ann. 401. sequitur iste articulus, *Gloriosissimis Imperatoribus*, &c. Ex nota autem Consulari hic apposita recte colligit Christophorus Justellus in notis ad Codicem Africanum, hanc Synodum celebratam quinto Kalendas Septembris anni 402. cui & in collectione Conciliorum assignatur, uti & a Baronio.

Notat quoque Justellus, quod hæc nota diei & Consulis a Conciliorum collectoribus falso præfixa sit Concilio Milevitano II. ex Provinciæ Numidiæ Episcopis sub Silvano Primate, contra Pelagium Cœlestium, coacto anno 416. quod & in nota marginali monuit Labbæus, *tom. 2. Concil. col.* 1538.

Postulata approbatio statutorum Concilior. Hipp. 393. & Carthag. 397.

In ipsa Synodi prima allocutione, Aurelius Primas Carthaginensis hortatus est Patres: *ut consensus omnium vestrum* (sive Gr. *nostrum*) *manifestetur concordare cum placitis, quæ jam dudum in Hipponensi Synodo firmata, vel postmodum meliore Concilio nunc quoque nobis ex ordine recitentur* (sive Gr. *similiter autem & nunc nobis ordine lecta sunt*).

Synodus Hipponensis, cujus hic mentio fit, indubie est famosa illa Synodus Hippone celebrata ann. 393. & cujus Canones ægre per Ecclesias Africanas recepti fuere, ut propterea plures recitari & confirmari debuerint, uti contigit in Concilio Carthaginensi anno 397. quod hic indicari nota Justellus, in quo aliqua Breviario Canonum Hipponensium addita fuisse notavimus.

Ut autem Patrum horum decretorum approbatio firmior esset, petiit Aurelius, ut iis subscriberent, dicens; *tunc demum fraternitatis vestræ concordia* (seu Gr. *consensus*) *luce clarior apparebit, si hæc, quæ a nobis superioribus Conciliis legaliter* (seu Gr. *legitime*) *definita noscuntur, non solum consensu vestro in actis, verum & subscriptionibus manifestetis*.

Quare hanc tantopere urserit Aurelius?

Præcipua autem ratio, quæ ad relectionem Decretorum Concilii Hipponensis, & Carthaginensis anni 397. obtinendamque eorum approbationem movit Aurelium Carthaginensem, fuisse videtur, quod in Concilio Hipponensi *Mauritaniæ Sitifensi* datus esset specialis Primas, uti & Carthaginensi; cui concessioni hactenus Numidiæ Primas aut illius Provinciæ Episcopi non consen-

ferant, tamquam juribus sui Primatis, cui Mauritania Sitifensis hactenus subjacuerat, præjudiciosæ.

Cum enim Aurelius vehementer optaret, Primatem illum, ipso auctore, Mauritaniæ Sitifensi concessum, a Numidis confirmari, nec tamen expresse ac nominatim eam confirmationem a Numidio postulandum judicaret, generaliter duntaxat decretorum prædictorum confirmationem petiit; & quidem scripto.

Revera non ab omnibus decreta Hipponensis & Carthaginensis Concilii fuisse probata, evidens est ex dicta Aurelii allocutione. Insuper clarum est, ipsum vehementer optasse, ut omnes illis decretis subscriberent.

Denique haud obscurum est, præcipue ad Numidiæ Episcopis hanc Aurelii allocutionem & propositionem fuisse directam. Mox enim *Xantippus Primas*, sive *Primæ Sedis Episcopus Numidiæ dixit: credo quod omni fraternitati placuit, & statuta sua manu confirmaverunt, subscribendo etiam nobis placere posse, & nostra subscriptione firmamus.*

Hoc responsio Xantippus artem Aurelii quasi elusit; cum scilicet sciret Synodo illi Carthaginensi, quam Aurelius *meliorem* dixerat, quæque Mauritaniæ Sitifensis Primatum confirmaverat, nec Bizacenos, nec Numidas interfuisse, nec alios exceptis Provinciæ Proconsularis Episcopis, adfuisse, præter Mauritaniæ Sitifensis duos Legatos Numidiæ infensos, ut ex Canone 49. Codicis Africani intelligitur.

Ut autem finalis Numidarum Episcoporum resolutio ad propositionem Aurelii innotescat, his connectenda sunt, quæ in Canone sequenti referuntur. Ibidem enim relata necessario reducenda sunt ad allocutionem & propositionem Aurelii, ut in Scolio notabitur.

CANON LXXXVI. *

* Gr. LXXXIX.

Valentinus Episcopus dixit: si permittit bonum patientiæ vestræ, prosequor ea, quæ præterito tempore in Ecclesia Carthaginensi gesta sunt, & subscriptionibus fratrum firmata claruerunt: etiam nos hoc servaturos esse profiteor: sed illud scimus, inviolatam semper mansisse Ecclesiasticam disciplinam, ita ut nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet anteponere, sed officiis charitatis id semper exhibitum est prioribus, quod in sequentibus gratanter semper acciperetur. Hunc ordinem jubeat sanctitas vestra melius vestris interlocutionibus roborari. Aurelius Episcopus dixit: non docuerat quidem, ut hæc repeteremus, nisi forte existerent inconsiderata mentes quorumdam, quæ ad hæc statuenda nostros acuerent sensus, sed communis hæc causa est: quam insinuavit frater & consacerdos noster, ut unusquisque nostrum ordinem sibi decretum a Deo cognoscat, & posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Quæ de re dico, prout captus animi mei retinet, eos, qui putaverint spretis majoribus aliquid præsumendam, competenter esse ab omni Concilio coercendos. Xantippus Episcopus Primæ Sedis Numidiæ dixit: audivit omnium fratrum præsentia prosecutionem fratris & consacerdotis nostri Aurelii, quid ad hæc respondent? Datianus Episcopus dixit: quæ majorum decrevit sententia, nostro assensui mancipabuntur, ut quæ præteritorum Conciliorum gestis tenentur Carthaginensis Ecclesiæ, nostra assensione plenè apud omnes firmata teneantur. Universi Episcopi dixerunt: hic ordo & a Patribus & a majoribus servatus est, & a nobis Deo propitio servabitur, salvo etiam jure Primatus Numidiæ & Mauritaniæ.

Deinde placuit omnibus Episcopis, qui in hoc Concilio subscripserunt, ut matricula & archivus Numidiæ & apud Primam Sedem sit, & in Metropoli, id est Constantina.

SCHOLION.

Primatus in Africa desumebatur a prioritate ordinationis.

DISCIPLINAM Africanam habuisse ut inter Episcopos prior dignitate haberetur, qui prior esset ordinatione, satis notum est: indicatque S. Augustinus, Epistola 59. ad Victorinum, conquerens in tractatoria „ ad „ ipsos Numidas ita perturbato & neglecto ordine scri„ ptum: ut nomen meum, ait, *tertio* loco invenerim, „ qui novi quam post multos Episcopos factus sim.

Immo adeo constans & notoria videbatur Aurelio hæc Ecclesiæ Africanæ disciplina: ut eam confirmari hoc Canone petenti Valentino Episcopo responderit: *non decuerat quidem, ut hæc repeteremus, nisi forte existerent inconsiderata* (sive Gr. *minus intelligibiles mentes*) aut Gr. *cogitationes* (*quorumdam, quæ ad hæc statuenda nostros acuerent sensus* (sive Gr. *ad hæc decreto excitarent*).

Post hæc prosequitur Aurelius. *Sed communis hæc causa est, ut unusquisque ordinem sibi decretum a Deo cognoscat, & posteriores anterioribus deferans; nec, eis inconsultis* (sive Gr. *præter eorum sententiam*) *aliquid agere præsumant.*

Quæ de re dico, pergit Aurelius, *prout captus animi mei retinet* (sive Gr. *quemadmodum venit mihi in mentem*) *eos, qui putaverint spretis majoribus, aliquid præsumendum* (sive Gr. *qui contemnunt illo, qui ante se sunt, & aliqua temere audent*) *competenter esse ab omni Concilio coercendos.*

Hoc decreto proposito, *universi Episcopi dixerunt hic ordo & a Patribus & a Majoribus servatus est, & a nobis Deo propitio servabitur, salvo etiam jure Primatus Numidiæ & Mauritaniæ* (Gr. *ex indice & matricula Numidiæ*).

Notandum, quod decreti hujus approbationem præcipue urserit Xantippus Episcopus: hic quippe de Primatu Numidiæ contendebat cum Victorino; uti patet ex Epistola S. Augustini ad Victorinum scripta circa exeuntem annum 401. id est mensibus aliquot ante præsentem Synodum. Satisque insinuat S. Augustinus, Xantippo Primatum competere, queriturque quod Victorinus nomen ejus in *tractatoria* omisisset. „ Quod si, ait, in mediis locis conscriberetur, & non in primo poneretur „ multum mirarer; quanto magis mirandum est, quod „ nulla ibi ejus admemoratio facta est, qui maxime ad „ Concilium venire debuit, ut de ipso *Primatus* ordine „ coram omnium Numidarum Episcopis, Ecclesiarum „ Primatus ageretur.

Hujus decreti approbationem præcipue urget Xantippus

Apertius id significavit Augustinus *Epist.* 56. ad ipsum Xantippum scripta, sub initium anni 402. uti notat Benedictini; adeoque mensibus aliquot ante hanc Synodum.

Hanc enim Epistolam inscribit: *Domino beatissimo & venerabiliter suscipiendo Patri & consacerdoti seni Xantippo.*

Porro *senis* nomine hic designari *Primatem* Provinciæ facile intelligi, qui novit eam fuisse Africanarum Ecclesiarum disciplinam, ut qui ex Episcopo ordinationis tempore collegas suos anteibat. *Prima* nominaretur, seu Primæ Sedis Episcopus; cum in aliis Provinciis affixa esset Primaria, sive prima Sedes civitati Metropoli, id est mater urbium habetur in ordine civili, Vide de Marca in *dissertatione de Primatu Lugduensi*, & aliis Primatibus.

Hinc de Primatibus Africæ loquens Leo IX. *Epist.* „ 4. ad Petrum & Joannem Episcopos ait: in singulis „ ejus (*Africæ*) Provinciis antiquitus Primates instituebantur, non secundum potentiam alicujus civitatis, „ sed secundum tempus suæ ordinationis.

Morem istum Africanarum Ecclesiarum refert Leo IX.

Cum hæc de ordine Episcoporum decreta essent, voluerunt decidere dissidium inter Episcopos ortum de loco, in quo tabulæ Ecclesiasticæ seu Regina Provinciæ essent servanda; quod sequenti decreto fecerunt: *deinde placuit omnibus Episcopis, qui in hoc Concilio subscripserunt, ut matricula & archivus* (seu Gr. *archetypum*) *Numidiæ, & apud primam Sedem sit, & in Metropoli, id est Constantina.*

Matricula & archivus servandus in Metropoli, & ejus exemplar apud Primatem.

Sensus est; ut recte loco citato notavit de Marca „ ut Regesta Provinciæ & in urbe Metropoli conde„ rentur (ipsæ fortassis authenticæ litteræ) ubi tutior „ erat custodia; tum e iam in Prima Sede (exempla „ fortasse litterarum (ut Primæ Sedis Episcopo parata „ essent ad manum, ne in hac parte a Metropoleo „ Episcopo penderet" Hæc ille.

CANON LXXXVII. *

* Gr. XC.

De Quodvultdeo etiam Centuriensi, quoniam adversarius ipsius, cum se petisset introduci ad Concilium nostrum, interrogatus, utrum cum eo vellet apud Episcopos experiri, primò promiserat, & alia die respondit, hoc sibi non placere; atque discessit: placuit omnibus Episcopis, ut nullus eidem Quodvultdeo communicet, donec causa ejus, qualem potuerit, terminum sumat. Nam adimi ei Episcopatum; antequam causa ejus exitus appareret, nulli Christiano videri jure potuisset.

SCHOLION.

SUPER quo facto accusarentur *Quodvultdeus* Episcopus, hoc Canone non aperitur, nec aliunde mihi hactenus compertum est. Illud ex Canone habemus, quod *Quodvultdeus* fuit accusatus, & *ipsius dum se petisset improduci ad Concilium* (sive Gr. *ut ad Synodum introduceretur*) Quodvultdeus *interrogatus*, utrum cum eo vellet apud *Episcopos experiri, primo promiserat, & alia die respondit hoc sibi non placere atque discessit.*

Quodvultdeus accusatur, sed de quo crimine, incertum.

Cum ergo *Quodvultdeus* recusaret se coram Synodo Episcoporum purgare, & accusationibus adversarii satisfacere, patres Africani, ipsum tamquam de crimine objecto suspectum habuere. *Placuitque omnibus Episcopis, ut nullus eidem Quodvultdeo communicet, donec causa ejus, qualem potuerit terminum sumat*) sive Gr. *donec ejus negotium finem acceperit*).

Interim accusatus ob contumaciam in respondendo a communione suspenditur.

Ob contumeliam igitur in respondendo & se purgando, atque inde resultantem de crimine suspicionem, suspenditur a communione, *non adimi ei Episcopatum*, inquiunt Patres, *antequam causa ejus exitus appareret, nulli Christiano jure videri potuisset.* Hoc est priusquam tota causa plene examinata negotium finem accepisset.

Non tamen in eum sententiam depositionis ferendam censent, nisi cognita & finita causa.

Hinc intelligimus, quam procul a mente Patrum recedant Episcopi, aliique superiores, qui ob leviores ac vagas nonnunquam accusationes, ad suspensionem aut depositionem Presbyterorum sibi subjectorum procedunt; tametsi non tantum non convicti, sed nec unquam citati ad se purgandum fuerint, uti & ad *Canonem* 19. monui, & quam id esset alienum a genio S. Augustini ibidem notavi.

Hic

Canon in Decretalibus citatur, sed corrupte.

Hic Canon refertur a Raymundo in *cap. 1. titulo de judiciis*, sed verbis quibusdam omissis, & quibusdam immutatis & additis, quæ exhibent disciplinam temporibus hujus Synodi plane ignotam. Ita pro his verbis: *ut nullus ei Quodvultdeo communicet, donec causa ejus, qualem potuerit, terminum sumat* (vel ut est apud Græcos: *donec ejus negotium finem acceperit*): Raymundus hæc supposuit: *placuit ut nullus eidem communicet, donec satisfactione præmissa fuerit absolutus*. Quibus verbis aperte insinuat disciplinam, quæ circa sua empora invaluerat, ut excommunicatus ob contumaciam, absolvatur data cautione judicio sisti; quæ disciplina ætate Patrum ignota fuit, quibus remanebat excommunicatus usquequo negotium finem accepisset, nec ante absolvi poterat. Vide Cujacium ad citatum *cap. 1*.

Causæ Episcoporum in Synodo dijudicandæ.

Probat & præsens Canon, accusationes Episcoporum eo tempore coram Synodo Episcoporum conformiter ad Canones Nicænos institutas fuisse, atque auctoritate Synodi Episcopos accusatos de crimine, cognita causa, fuisse vel absolutos, vel suspensos, vel depositos.

* Gr. XCI.

CANON LXXXVIII. *

De Maximiano autem Bagajensi, & ad eum, & ad ipsam placuit de Concilio litteras dari, ut & ipse ab Episcopatu discedat, & illi sibi alium requirant.

SCHOLION.

De Maximiano Vagiensi, qui pacis causa Episcopatum suum dimittit.

MAXIMIANUM, cujus hic fit mentio, non *Bagajensem* sed *Vagiensem* Episcopum fuisse monet Baronius ad annum 402. adeoque in Canone pro *Bagajensi* legendum esse *Vagiensi*; eumque non esse Maximianum, de quo S. Augustinus *lib. 3. contra Cresconium cap. 43.* sed eum, qui ex Donatistarum schismate ad Ecclesiam reversus, cum a populo Vagiensi haud pacifice reciperetur, *pacis* causa Episcopatu cedere voluit, eaque de causa ad hanc Synodum litteras dedit, quæ sanctum ejus propositum laudavit, abdicationemque probavit: atque in ejus locum Castorins frater Maximiani ordinatus fuit: ad quem extat Epistola SS. Alypii & Augustini 69. ubi de Maximiano pacis ergo se abducante, hæc ab omnibus Ecclesiæ Pastoribus merito notanda habentur: „ Longe est gloriosius Episcopatus sarcinam „ propter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse, quam „ propter regenda gubernacula suscepisse. Ille quippe „ se honorem si pacis ratio pateretur, digne accipere potuisse demonstrat, qui acceptum non defendit indigne.

* Gr. XCII.

CANON LXXXIX.

Deinde placuit, ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur per Provincias Africanas, litteras accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum subscriptas, continentes Consulem & diem; ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

SCHOLION.

Episcopi ab ordinatoribus litteras ordinationis petere debent, & quare?

„ UT Episcopis pro temporis ratione, quod creati „ sunt, suus cuique locus assignetur, hoc est, ut „ antiquiores dignitate cæteris præferantur, paulo ante constitutum est. Ergo ne qua controversia de tem„ pore, quo quisque renuntiatus fuit, existeret Syno„ do placuit, ut Episcopi singuli ab iis, a quibus crea„ ti sunt, Episcopis litteras subsignatas acciperent, „ quibus & Consulis nomen, & dies adscriberetur. „ Quippe ex Consulibus tempora indicabantur, cum „ publicis monumentis consignata, atque testata singu„ lorum Consulum nomina extarent". Ita recte hunc Canonem exponit Zonaras.

* Gr. XCIII

CANON XC. *

Item placuit, ut quicumque in Ecclesia vel semel legerit, ab alia Ecclesia ad Clericatum non teneatur. Et subscripserunt: *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, & prælecto subscripsi, similiter & cæteri Episcopi subscripserunt.*

SCHOLION.

Canon renovat præcedentes Canones de non ordinandis alienis Clericis.

PLURES extant Canones, quorum & nonnulli jam ante in hoc opere relati sunt, quibus Clerici suas Ecclesias deserere, & ad alias Ecclesias se conferre vetantur; quod & hoc Canone decernitur, idque non sine aliquo etiam Auctario, uti notat Zonaras: „ Auctarium vero illud est, ait, ut si vel semel tantum in „ Ecclesia aliqua quispiam, quasi ejus Clero adscriptus „ legeret, in alia non admittatur; videntur enim non„ nulli eam excusationem veluti justam prætexuisse, „ Canones videlicet, de iis, qui multum temporis in „ Clero egissent, esse intelligendos; si quis vero semel „ tantum in Ecclesia legisset, nihil obstare quominus „ illi, utpote nullo tempore ibi ab illo transacto, ab „ ea secedere liceret. Quamobrem hoc improbato, „ Synodus eum, qui vel semel tantum in una Eccle„ sia Lectoris munus obierit, in alia recipi omnino „ vetat.

Quod extenditur ad eum, qui semel officio Lectoris in alia Diœcesi functus est.

Quando inter S. Augustinum & Severum de hujusmodi ordinatione contentio orta sit.

Legitur apud S. Augustinum Epistola 63. quod contentio aliqua fuerit inter ipsum Augustinum, & Severum Episcopum, occasione Timothei, qui a Severo ordinatus fuerat in Subdiaconum, postquam *Lectoris* officio in Diœcesi Hipponensi fuerat aliquoties functus, regatque August. *num. 4.* ipsum Severum, ut apud de consulto Deo ipse perpendat „ utrum homo, qui in Ec„ clesia mea, inquit, dispensationi credita jam legere „ cœperat, & non semel, sed iterum & tertio, apud „ Subsanam, & Presbytero Subsanensis Ecclesiæ comi„ tatus, & apud Turres, & apud Gizan (a) & apud „ Verbalis legerat, non fuisse lector, possit aut debeat „ judicari.

Cum hic nulla præsentis Canonis ab Augustino mentio fiat, recte collegerunt Benedictini in noctis ad hanc Epistolam, eam ante celebratam hanc Milevitanam Synodum, & editum hunc Canonem, scriptam fuisse; potuisse autem hanc contentionem huic Canoni occasionem dedisse.

Hic rursus apparet, quam arcto vinculo Clericus adstringeretur Ecclesiæ, cujus servitio jam semel esset adscriptus, quamque Patrum disciplinæ contrariæ sint hodiernæ Clericorum de una ad aliam Ecclesiam pinguiorem aut commodiorem decursationes.

Refertur a Gratiano, sed corrupte.

Refertur hic Canon a Gratiano *dist. 72. Can. 3.* qui erronee pro *vel semel legerit*, ponit, *vel semel elegerit*, prout & monent Correctores Romani, qui una notant, in Concilio Africano *cap. 67.* haberi, vel semel *suscepto officio elegerit*.

Episcoporum subscriptio.

Subscriptio Aurelii, aliorumque Episcoporum, quæ ad calcem hujus Canonis apponitur, non ad hunc duntaxat Canonem, sed ad omnia hujus Synodi decreta est referenda.

Procemium Synodi Carthaginensis anni 403. *

* Gr. post Can. XCIII

Gloriosissimo Imperatore Theodosio Augusto & Rumerido V. C. Conss. IX. Kalendas Septembris Carthagine in Basilica Regionis secundæ, cum Aurelius Episcopus in universali Concilio consedisset, adstantibus, Diaconis, Aurelius Episcopus dixit: exigente ratione fraternitas vestra a mea tenuitate ad hoc Concilium congregata est: jam dudum enim, sicut vestra Sanctitas recordatur, habito Concilio destinavimus fratres nostros ad transmarina Legatos, quos oportuit in cœtu Sanctitatis Vestræ, perfunctæ Legationis cursum narrare, & licet hesterno die de hac re confidentibus nobis præter gesta Ecclesiastica diligentius, quæ gesserint, tractaremus, hodie tamen oportet tractatum hesterni diei actis Ecclesiasticis confirmari.

Ordo itaque rerum deposcit, ut primitus de fratribus nostris & consacerdotibus, qui ad hoc Concilium, vel de Brazantio, vel certe de Mauritania convenerunt, quæramus, quemadmodum huic Concilio decreverint interesse, & offerentibus Philosogia, Geta, Venustiano, & Feliciano Episcopis Provinciæ Byzacenæ Legationis litteras, & recitatis, offerentibus etiam Luciano & Sylvano Legatis Provinciæ Mauritaniæ Sitifensis Legationis litteras & recitatis, Aurelius Episcopus dixit: horum scriptorum textu sociabitur gestis.

Numidius Episcopus dixit: animadvertimus fratres & coepiscopos nostros Byzacenæ Provinciæ & Mauritaniæ Sitifensis ad Concilium destinasse Legatos, nunc quæramus; utrum Legati Numidiæ advenerint, vel certe Provinciæ Tripolitanæ, vel Mauritaniæ Cæsariensis.

Lucianus & Sylvanus Episcopi, Legati Provinciæ Mauritaniæ Sitifens dixerunt: sero ad Cæsarienses fratres nostros Tractoria venit; nam jam & illi venirent; tamen necesse est veniant; & confidimus de animis illorum, quia si quid in hoc Concilio gestum fuerit, & ipsi sine dubio suos consensus adhibebunt.

Alypius Episcopus Ecclesiæ Tagastensis dixit: nos quidem de Numidia venimus, ego & Sancti fratres, Augustinus & Possidius, sed de Numidia Legatio mitti non potuit, quod adhuc tumultu Tironum, Episcopi propriis necessitatibus in civitatibus suis aut impediti, aut occupati sunt. Nam etiam Tractoriam Sanctitatis tuæ cum ad Sanctum senem Xantippum deferrem, in præsenti tractatu hoc visum fuerat, ut Concilium indiceretur, quod instructa Legatio posset ad hoc Concilium destinari, sed cum eum posterioribus litteris admonerem de impedimento Tironum, ut superius dixi, rescriptis propriis excusavit. Aurelius Episcopus dixit: non dubium est, quod prædicti fratres & Coepiscopi nostri Numidiæ, cum gesta Concilii acceperint, & suos adhibebunt consensus, & in effectum deducere maturabunt, quæcumque in placitum venerint: cura ergo istius Sedis hoc ipsum ut eis intimetur necesse est provideri.

De Tripolitanis vero fratribus nostris hoc potui condiscere, quod Dulcinum fratrem nostrum destinaverint Legatum; sed quia non potuit occurrere, hæc asseveraverunt quidam filii nostri venientes de supradicta Provincia, quod memoratus navi se commiserit, & credendum est accidisse nonnullam de tempestatibus moram; quæ retardaret ejus adventum. Tamen etiam circa ipsos, si charitati Vestræ placet, hæc forma servabitur, ut placita ad eosdem Concilii transmittantur. Ab universis Episcopis dictum est: *hæc, quæ statuit Sanctitas tua, omnibus placent.*

SCHO-

(a) In veteri Codice Corbejensi legitur *Cizau*, ut notant docti Benedictini.

SCHOLION.

Relatio Legatorum qui missi fuerant ad Episcopum Romanum facta in Concilio Carthag. anno 403.

UT procemium, ac præsertim allocutio Aurelii intelligatur, meminisse oportet, elapso abhinc anno, cum Anastasius Romanæ Ecclesiæ præesset, de unitate & pace Ecclesiæ facienda, agi cœptum fuisse. Ut negotium hoc suum assequeretur effectum, decreta fuit in superiori Concilio Legatio ad Romanum Pontificem, ut supra vidimus; sed mortuo eodem anno Anastasio, & in ejus locum surrogato Innocentio I. diutius forsan egere Legati, qui demum in hoc Concilio suam relationem fecerunt, uti ex allocutione Aurelii constat.

Et quidem cum semel coram Patribus de omnibus relationem fecissent Legati, iterum die sequenti confirmari voluit Aurelius; ratio additur in actis apud Balsamonem; *propter Episcopos Provinciarum Africæ, qui in præsenti Synodo non aderant.*

Porro quid retulerint Legati, in actis non refertur; neque aliunde satis innotescit.

De Legatis Provinciarum Africæ ad celebrandum Africanum Concilium. Huic Concilio interfuere Alypius Augustinus, & Possidius.

Quæ sequuntur in Synodi procemio, concernunt Legatos, qui ad Synodum ex omnibus Africæ Provinciis essent mittendi, & de modo quo agendum cum his, qui vel ad Synodum Legationem mittere non poterant, vel quarum Legati nondum advenerant.

Ex his, qui de Episcopis & Legatis Numidiæ referuntur, intelligimus huic Synodo interfuisse Alepium Tagastensem Episcopum, S. Augustinum Hipponensem, & Possidium Calamensem.

Ulterius ex relatione Alypii habemus, de Numidis Legationem mitti non potuisse, *quod adhuc* durante *tumultum Tironum, Episcopi propriis necessitatibus, in civitatibus suis, aut impediti, aut occupati* essent.

Quid per Tirones intelligatur.

Per *Tirones*, hic intelligi videntur juniores milites, sive recenter militiæ adscripti, qui in Africa desertores militiæ facti, longe lateque per Provincias grassabantur, more prædonum, uti notat Baronius ad annum 403. creditque his comprimendis, editas quatuor Constitutiones ab Honorio, nonis Octobris hoc anno 403. quæ extant in *l.* 11. 12. 13. *&* 14. *Cod. Theodos. de desertoribus.* Videri quoque potest Jacobus Gothofredus, in commentario ad has leges.

Disciplina circa convocationem Synodi generalis Africæ.

Insuper ex verbis Alypii discimus antiquam Africanorum disciplinam indicendi, & congregandi Synodum generalem totius Africæ. Mittebatur per Episcopum Carthaginensem tractatoria, seu Epistola Synodalis ad cujuslibet Provinciæ Primatem, id est ad Episcopum, qui ordinatione inter Provinciæ Episcopos *senior* erat. Hic accepta tractatoria, convocabat Provinciæ suæ Synodum, ut de illa Legatio ad Synodum generalem mitteretur. Dicit enim Alypius: „ nam etiam tractoriam „ (*sive Gr.*) Synodalem) Sanctitatis tuæ, cum ad Sanctum senem Xantippum deferrem (*sive Gr.* postquam „ detuli) in præsenti tractatu hoc visum fuerat, ut „ Concilium indiceretur (*sive Gr.* statuit pro præsen„ti quæstione Synodum indicere) quod instructa (*seu Gr.* „ plena) Legatio posset ad hoc Concilium destinari; &c.

Ex hoc procemio quoque habemus, quod Patribus in more fuerit, acta Conciliorum mittere ad Provincias, quarum Episcopi, seu Legati Concilio interesse non potuerant, ut suum in eo Decretis consensum præberent, & ea observari curarent.

Hoc Concilium dictum est generale, nimirum totius Africæ; quod ex omnibus Africæ Provinciis Legationes in eo adfuerint, excepta Numidia, e qua soli tres, Alypius Tagastensis, Augustinus Hipponensis, & Possidius Calamensis adfuerunt. Vide Baronium loco citato.

*Gr. XCIV.

CANON XCI. *

Aurelius Episcopus dixit: quod in tractatum venit charitatis vestræ, paulo hoc Ecclesiasticis gestis esse firmandum. Professio enim vestra omnium hoc deprompsit, debere unumquemque nostrum in civitate sua per se convenire Donatistarum Præpositos, aut adjungere sibi vicinum collegam; ut pariter eos in singulis quibusque civitatibus, vel locis per Magistratus, vel seniores locorum conveniant. Hoc si omnibus placet, edicatur. Ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet, & omnes hoc subscriptione nostra firmavimus. Petimus etiam, ut Epistolis ad judices de Concilio mittendis, pro omnibus subscribat Sanctitas tua. Aurelius Episcopus dixit: si videtur charitati vestræ, forma conventionis eorum recitetur: ut hunc tenorem prosecutionis omnes, si placuerit, teneamus. Ab universis Episcopis dictum est: recitetur. Lætus Notarius recitavit.

SCHOLION.

De conveniendis Donatistis. omnibus

ADMODUM verisimile est, Legatos, qui ad transmarina missi fuerant, quippe coram Synodo relationem fecerant, retulisse ac proposuisse tamquam medium ad conciliandos Donatistas maxime accommodum; „ debere unumquemque Episcopum in civitate sua per se „ convenire Donatistarum Præpositos (*sive Gr.* cum „ Donatistarum Principibus congredi) aut adjungere „ sibi vicinum collegam, ut pariter in eos singulis qui„busque civitatibus vel locis per Magistratus vel se„niores locorum (*vel Gr.* eos qui primas partes fe„runt) conveniant (*Gr.* in iisdem locis).

Hæc propositio omnibus placuit; additumque fuit a Patribus, ut litteris ad Magistratus mittendis pro omnibus subscriberet Aurelius Episcopus Carthaginensis.

Modus uniformis ab omnibus servandus in conveniendis Donatistis.

Ut autem scirent Episcopi, qualiter cum Donatistis esse congrediendum, omnesque in modo & forma convenirent proposuit Aurelius, *ut forma conventionis eorum* (sive Gr. *congressionis cum illis*) *recitetur; ut hunc* (Gr. *prosecutionis*) *tenorem, omnes, ait, si placuerit, teneamus.* Placuit eam recitari; eamque Notarius recitavit, quæ & constituit Canonem sequentem.

CANON XCII. *

*Gr. XCV.

Ille Episcopus Ecclesiæ illius dixit: quid de auctoritate illius amplissimæ Sedis impetraverimus, petimus gravitatem vestram recitare, & gestis innecti, atque ut in effectum deduci jubeatis. Recitata autem jussione atque actis innexa, ille Episcopus Ecclesiæ illius dixit: quid ergo nobis de Concilio Ecclesiæ Catholicæ mandatum sit ad Donatistas per vestram gravitatem perferendum, audire & actis inserere, & ad eos perferre dignemini, eorumque responsionem rursus apud acta vestra nobis insinuare. Convenimus vos ex Concilii nostri Catholica auctoritate missi, de vestra correctione gaudere cupientes, considerantes Domini charitatem, qui dixit Beati pacifici; quia ipsi filii Dei vocabuntur, *& admonuit per Prophetam etiam in his, qui dicunt se fratres nostros non esse, dicere nos debemus,* fratres nostri estis. *Hanc ergo pacificam ex charitate venientem communionem nostram contemnere non debetis: ut si quid veritatis habere vos arbitramini, non dubitetis adserere, idest, ut congregato vestro Concilio diligatis ex vobis, quibus causam assertionis vestræ committatis; ut & non possimus hoc facere; ut etiam de nostro Concilio diligantur, qui cum eis, quos delegeritis, constituto loco & tempore, quidquid quæstionis est, quod vestram a nobis separat communionem, cum pace discutiant, & tandem aliquando, adjuvante Domino Deo nostro, finem veternosus error accipiat, ne propter animositatem hominum, infirmæ animæ & ignari populi sacrilega dissensione dispereant. Si enim hoc fraterne acceperitis, veritas facile dilucescet: si autem hoc facere nolueritis, diffidentia vestra facile innotescet: Cumque recitata esset, ab universis Episcopis dictum est: satis placet; hoc fiat, & subscripserunt. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, & prælecto subscripsi. Similiter & cæteri Episcopi subscripserunt*

SCHOLION.

Forma conventionis Donatistarum vocata decretum Pacis, a S. Aug. videtur suggestum.

HOc pacis decretum suggerente & instante S. Augustino conditum fuisse, haud obscure insinuant Clerici Hipponenses Epistola ad Januarium Episcopum Donatistam, quæ est 88 inter Augustinianas. Postquam enim atrocissimas injurias & violentias Donatistarum in Catholicos retulissent, subdunt *n.* 7. „ nec tamen de his „ injuriis, & persecutionibus, quas Ecclesia Catholica „ in Regione nostra tunc pertulit, Imperatoribus con„questus est Epicopus noster (*Augustinus*) *sed facto Con„cilio, placuit ut pacifice* conveniremini; quo, si fieri „ posset, haberetis inter vos collationem, & errore su„blato, fraterna charitas pacis vinculo lætaretur.

Scribunt quoque collationem ab Augustino oblatam Proculejano Episcopo Donatistæ, sed ab eo fuisse recusatam. „ Et in ipsa conventione, inquiunt, quid Pro„culejanus primo responderit, quod Concilium factu„ri essetis, & illic visuri, quid respondere deberetis. „ Deinde quid postea, cum propter suam promissionem „ denuo conventus esset, actis expresserit, recusans *pacifi„cam collationem*, ipsa Gesta instruant gravitatem tuam.

Extat & *Epistola* 33. Sancti Augustini ad eumdem Proculejanum, qua eum ad pacificam collationem pluribus invitat: quam vero blandis, & ad durissimum quoque eos emolliendum compositis verbis usus sit, Epistola ipsa indicat; cui hunc titulum præfixit: *Domino honorabili & dilectissimo Proculejano.*

Ejusdem decreti meminit idem Doctor.

Hujus decreti de conventione, sive congressione Episcoporum cum Donatistis, meminit quoque S. Augustinus, *lib.* 3. *contra Cresconium Donatistam, cap.* 45. scribens: „ Et quia multi erroris eorum laqueis implicati; „ cum quibus ut indeliberarentur, agebamus, respon-

Mansuetudo August.

„debant nobis, hoc nos cum Episcopis suis agere de„bere, collationemque nostram se vehementer opta„re, ubi possent videre, quibus asserentibus superaret „ veritas falsitatem, in Carthaginensi totius Africæ „ Concilio, nobis placuit, ut adhibita etiam publico„rum testificatione gestorum, quo possemus eis, qui „ hoc flagitabant, probare, desiderio eorum nos mi„nime defuisse, vestri pacifice convenirentur Episco„pi, quisque ab eo nostrum, qui eodem loco, in quo „ ille consisteret, ut per collationem nostram, errore „ sublato, Christiana & fraterna societate, unitate, „ charitate, pace fruerentur; id fruentes, quia si „ hoc fieri vellent, adjuvante misericordia Dei, fa„cillime poterat, quidquid in causa nostra esset,

„ agno-

,, agnosci; si autem recusarent, saltem difficentia eo-,, rum non frustra illis, qui hoc a nobis poposcerant, ,, appareret.

Donatistarum obstinatio.

Hactenus Augustinus; sed quæ consecuta sunt, mox subdit his verbis: ,, factum est, conventi sunt, recu-,, sarunt; quibus verbis, quo dolo maledictione, ama-,, ritudine plebis, nunc longum est demonstrare.

Quanta arrogantia collationem sibi oblatam rejecerint Donatistæ, patet ex iis, quæ loco citato de Crispino Donatista a Possidio ad collationem provocato, scribit Augustinus, & generaliter *Epist.* 105. ad Donatistas, *nu.* 13. dicit: ,, vestri Episcopi conventi a no-,, bis, nunquam nobiscum pacifice conferre voluerunt, ,, quasi fugientes cum peccatoribus loqui. Quis ferat ,, istam superbiam, quasi Paulus Apostolus non contu-,, lerit cum peccatoribus, & valde sacrilegis.

Quid nomine Amplissimæ Sedis intelligatur.

Porro nomine *amplissimæ Sedis*, cujus in exordio decreti mentio fit, intelligi putat Baronius ad annum 303. Apostolicam Sedem urbis Romæ, & censet *missas ab ipsa litteras hic recitandas peti, quibus quæ ab ea fuerant impetrata, nota fiant*. Verum uti notant operum S. Augustini accurrati Revisores, in Nota ad hanc conventionis formam, in appendice *tomi* 9. *col.* 43. ,, agitur profecto isthic de ipsa, quæ ejusdem Con-,, cilii Carthaginensis precibus petita mox fuit, & im-,, petrata a Septimino Proconsule, sive a Vicario Præ-,, fecturæ Sede, conficiendorum gestorum facultas. ,, Unde dicitur; *recitata autem jussione*, illius videli-,, cet *amplissimæ Sedis*, qua jussione Magistratibus præ-,, cipiebatur, ut Catholicis Episcopis fieret potestas ,, conveniendi Donatistas per Codices publicos ,,. Habetur libellus Concilii nomine oblatus, & jussio, sive decretum Septimini in collatione Carthaginensi III. *cap.* 174. apud Labbæum *tomo* 2. *Concil. general. col.* 148.

Baronii error.

* Gr. post Can. XCV.

Proœmium Synodi Carthaginensis habitæ die 20. Junii anno 404.

Gloriosissimo Imperatore Honorio Augusto VI. Cons. XII. Kalendas Julias Carthagine in Basilica Regionis secunda. In hoc Concilio Legationem susceperunt Theasius & Evodius contra Donatistas; in quo Concilio insertum est Commonitorium, quod ita se continet.

*Gr.XCVI.

CANON XCIII. *.

Commonitorium fratribus Theasio & Evodio, Legatis ex Carthaginensis Concilio ad gloriosissimos, religiosissimosque Principes missis, cum Domini auxilio pissimos Imperatores adierint, ut eis insinuent.

Quemadmodum plena fiducia secundum superioris anni Concilium Donatistarum Præpositis actis municipalibus sunt conventi: ut si confiderint de assertionibus suis, electis ex suo numero aliquibus idoneis, nobiscum pacifice conferrent, & mansuetudine Christiana, si quid veritatis tenerent, non ambigerent demonstrare, quo ita sinceritas Catholica, quæ jampridem superioribus temporibus claruit, nunc quoque per imperitiam vel pertinaciam resistentibus innotesceret; sed quia diffidentia premebantur, nihil pene ausi sunt respondere. Unde quia impletum est erga eos Episcopale ut pacificum officium, & illi, qui veritati respondere requiverunt, ad immanes violentias sunt conversi: ita ut multos Episcopos, multosque Clericos (ut de Laicis taceamus) insidiis oppresserint, Ecclesias etiam aliquas invaserint, aliquas invadere pertentaverint: ipsorum jam clementiæ est consulere, ut Ecclesia Catholica, quæ eos religioso utero in Christo genuit, & fidei firmitate nutrivit, eorum etiam prospectione muniatur, ne temerarii homines, religiosis temporibus, infirmos populos terrendo prævaleant; quoniam seducendo depravare non possunt. Nota est enim & sæpe legibus conclamata Circumcellionum, quæ furunt detestabilis manus: quæ etiam ipsorum religiosissimorum supra Principum frequentibus sanctionibus condamnata est, adversus quorum furorem possimus non insolita, nec a Scripturis sanctis aliena impetrare præsidia, quando Apostolus Paulus, sicut in Apostolorum actibus fidelibus natum est, factiosorum conspirationem militari etiam submovit auxilio. Sed nos illud poscimus, ut Catholicis Ecclesiis ordinum per civitates singulas, & vicinorum quorumque possessorum per diversa loca sine ulla dissimulatione tuitio præbeatur. Simul etiam petendum, ut illam legem, quæ a religiosæ memoriæ eorum Patre Theodosio de auri libris decem in ordinatores, vel ordinatos hæreticos, seu etiam in possessores, ubi eorum congregatio deprehenditur, promulgata est, ita deinceps confirmari præcipiant; ut in eos valeat, contra quos propter eorum insidias Catholici provocati contestationem deposuerint, ut hac saltem terrore a schismatica, vel hæretica pravitate desistant, qui consideratione æterni supplicii emendari corrigique dissimulant. Petendum etiam, ut Lex, quæ hæreticis vel ex donationibus, vel ex testamentis aliquid capiendi, vel relinquendi denegat facultatem, ab eorum quoque pietate hactenus repetatur, ut eis relinquendi vel sumendi jus adimat, qui pertinaciæ furore cæcati, in Donatistarum errore perseverare voluerint. Cæterum illis, qui consideratione unitatis & pacis se corrigere voluerint, absque interdicto hujus legis capiendæ hæreditatis aditus pateat, etiamsi adhuc in errore hæretico constitutis aliquid ante donationis vel hæreditatis obvenit. His sane exceptis, qui lite pulsati putaverint ad Catholicam transeundum, quia de talibus credibile est, non metu cælestis judicii potius quam terreni commodi aviditate unitatem Catholicam præoptasse. Ad hæc autem omnia præsidio opus est potestatum suarum quarumque Provinciarum, sane pro utilitatibus Ecclesiæ, quidquid intellexerint prodesse, agendi & imperandi liberam decernimus Legationem. Illud præterea cunctis nobis placuit, ut litteræ de cœtu nostro ad gloriosissimos Imperatores, & eminentissimas potestates dirigantur: quibus instruantur omnium consensu ob beatissimum comitatum Legatos a nobis esse directos. Sed quia iisdem litteris ab omnibus subscribi tardissimum est, nisi singulorum suscriptionibus eadem Epistolæ onerentur, petimus, frater Aureli, ut iisdem tua charitas nostro omnium nomine subscribere dignetur & subscripserunt. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi & subscripsi. Similiter & cæteri Episcopi subscripserunt. Litteræ etiam ad judices mittendæ sunt, ut donec Dominus Legatos ad nos redire permittat, tuitionem per ordines civitatum, & possessores prædiorum Ecclesiæ Catholicæ impertiant. Adjungendum etiam de Equitio, ut improbitas ejus, quæ sibi jus Sacerdotum improbissime vendicat, ad Hipponensi Diarytorum Diœcesi secundum statuta Imperatoria repellatur. Litteræ etiam ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ commendatione Legatorum mittendæ sunt: vel ad alios, ubi fuerit, Imperator. Et subscripserunt. Item Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi & prælecto subscripsi. Similiter & cæteri Episcopi subscripserunt.

SCHOLION.

Legatio ad Imperatores.

OCCASIO hujus Concilii, & destinatæ ex illo Legationis ad Imperatores, indicatur in ipso Commonitorii exordio. Itaque primo exponunt, quomodo justa superioris Concilii decretum, ipsi ,, Donatistarum ,, Præpositi (*seu Gr.* Primates) actis municipalibus ,, *fuissent* conventi (*sive Gr.* ad acta civilia admoniti ,, convenire) ut si confiderint de assertionibus suis, ,, electis ex suo numero aliquibus idoneis, pacifice ,, conferrent, & mansuetudine Christiana, si quid ve-,, ritatis tenerent, non ambigerent demonstrare, quo ,, ita sinceritas Catholica, quæ jampridem superiori-,, bus temporibus claruit; nunc quoque per imperitiam, ,, vel pertinaciam resistentibus innotesceret.

Quod Donatistæ conventi nil pene ausi sint respondere.

Post hæc subjunxerunt: *sed quia diffidentia premebantur* (sive Gr. *quia non satis fidebant*) *nihil pene ausi sunt respondere*. Vidimus supra in Scholio ad Canonem præcedentem, seu ad formam conventionis, quomodo collationem subterfugerent Donatistæ. Illud autem evenire solet veritatis oppugnatoribus, ut resistere veritati non volentes, in ipsos defensores veritatis furere incipiant; ut ita veritatem ipsam destruere non valentes, saltem eius defensores opprimant; uti in Donatistis evenisse hic Patres Africani testantur. *Et illi*, inquiunt, ,, qui veritati respondere nequive-,, runt, ad immanes violentias sunt conversi; ita ut ,, multos Episcopos, multosque Clericos, ut de Laicis ,, taceamus, insidiis oppresserint, Ecclesias etiam ali-,, quas invaserint, aliquas invadere pertentaverint.

Sævitia Donatistarum Circumcellionum in Catholicos.

Circumcelliones, de quorum furore in Catholicos præcipue hic queruntur Africani, describit S Augustinus *lib.* 1. *contra Gaudentium, cap* 28. ,, Quis enim ,, nescit, ait, hoc genus hominum in horrendis faci-,, noribus inquietum, ab utilibus operibus otiosum, ,, crudelissimum in mortibus alienis, vilissimum in suis, ,, maxime in agris territans, ab agris vacans, & vi-,, ctus sui causa *cellas circumiens* rusticanas, unde & ,, *Circumcellionum* nomen accepit, universo mundo ,, pene famosissimum Africani erroris opprobrium.

Et *lib.* 4. *contra Cresconium cap.* 51. ait; ,, sævitia ,, igitur vestra, & violentissima audacia, per *Circum-* ,, *celliones* vestros, Clericorum vestrorum *Satellites* ,, omnibus nota, comprimenda fuit legibus, quæ con-,, tra vos latæ sunt, & quodammodo colligenda.

Variis locis hanc Circumcellionum in Catholicos rabiem graphice descripsit S. Augustinus, ac nominatim *lib.* 3. *contra Cresconium cap.* 42. ubi conqueritur, quod quotidie Clerici Catholici incredibilia patiantur a Circumcellionibus: ,, namque, ait, horrendis armati cu-,, jusque generis talis terribiliter vagando, non dico ,, Ecclesiasticam, sed ipsam humanam quietem pacem-,, que perturbant, nocturnis aggressionibus Clericorum ,, Catholicorum in vasas domos, nudas atque inanes ,, derelinquunt, ipsos etiam raptos & fustibus tunsos, ,, ferroque concisos, semivivos abijciunt. Insuper no-,, vo, & antehac inaudito sceleris genere, oculis eo-,, rum calcem aceto permixto, infundentes, & infer-,, tientes, quos evellere compendio poterant, excru-,, ciare amplius eligunt, quam citius excæcare. Nam ,, primo tantum calce ad hoc facinus utebantur; sed

,, postea-

„ posteaquam illos, quibus hoc fecerant, cito salutem reparasse didicerunt, acceptum addiderunt.

Hæc Augustinus, qui & ibidem exempla hujus credulitatis in ipsos Episcopos exercitæ recitat.

Et *libro ad Donatistas* post collationem, *nu.* 11. horrendam *Circumcellionum* in Catholicos immanitatem, describit: quibus addenda epistola Cleri Hipponensis ad Januarium Donatistam, quæ est 88. inter Augustinianas, in qua horrenda *Circumcellionum* illorum crudelitas ad vivum depingitur, *nu.* 8.

Patres ab Impp. petunt tuitionem adversus Donatistarum vim.

Adversus horum itaque furorem, judicarunt Patres Africani, se posse „ non insolita, nec a scripturis sanctis aliena impetrare præsidia; quando Apostolus Paulus, sicut in Apostolorum actibus, fidelibus notum est, factiosorum (*Gr.* & insolentium hominum) conspirationem, militari etiam submovit auxilio.

Itaque per suos ad Imperatores Legatos petendum monet, primo. “ ut Catholicis Ecclesiis ordinum (*sive Gr.* universarum Ecclesiarum ordinibus) per civitates singulas, & vicinorum quorumcumque possessorum per diversa loca sine ulla dissimulatione tuitio (*sive Gr.* sine mora custodia & præsidium) præbeatur.

Item confirmari legem de mulcta 10. librarum auri in illos duntaxat Donatistas, qui violentias exercuissent.

Secundo simul etiam *petendum* dixerunt, „ ut illam legem, quæ a religiosæ memoriæ eorum Patre Theodosio, de auri libris decem in ordinatores vel ordinatos hæreticos, seu etiam in possessores, ubi (*sive Gr.* apud quos) eorum congregatio deprehenditur, promulgata est, ita deinceps confirmari præcipiant, ut in eos valeat, contra quos propter eorum insidias Catholici provocati, contestationem deposuerint, *vel Gr.* adversus eos valeat, propter quorum insidias, ii qui Catholicæ Ecclesiæ curam gerebant, per testimonium depositi sunt).

Lex Theodosii Magni, quam hic ad Donatistas extendi postulant Patres Africani, est *Lex* 21. *Codicis Theodosiani de hæreticis* anno 391. promulgata, qua Theodosius in tribus hominum generis, mulctam *decem auri librarum* imponit; primo Clericorum hæreticorum ordinatoribus; secundo Clericis ipsis ordinatis; tertio locum conventibus hæreticorum præbentibus; uti latius in ipsa lege exponitur,

Hanc legem rogatu Legatorum ex hoc Concilio missorum extendit Honorius ad Donatistas, eos scilicet hæreticos declarando, *l.* 39. *Cod. Theod. de hæreticis*, cujus hæc sunt verba: „ Donatistæ superstitionis hæreticos quocumque loci vel fatentes vel convictos, legis tenore servato, pœnam debitam absque dilatione persolvere decernimus.

Hujus legis, uti & Theodosianæ frequens apud Augustinum mentio occurrit, ac nominatim Epistola 185. ad Bonifacium, ubi *cap.* 7. exponit, quod *antequam istæ leges in Africam mitterentur*, sibi, & nonnullis „ fratribus videretur, quamvis Donatistarum rabies usquequaque sæviret, non esse petendum ab Imperatoribus, ut ipsam hæresim juberent omnino non esse, pœnam constituendo eis, qui in illa esse voluissent; sed hoc potius constituerent, ut eorum furiosas violentias non paterentur, qui veritatem catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent constituendo.

Deinde subdit: „ Quod eo modo fieri aliquatenus posse arbitramur, si Legem piissimæ memoriæ Theodosii, quam generaliter in omnes hæreticos promulgavit, *ut quisquis eorum Episcopi vel Clericus ubilibet esset inventus, decem lib. auri mulctaretur*, expressius in Donatistas, qui se negabant hæreticos, ita confirmarent, ut non omnes ea mulcta ferirentur sed in quorum regionibus aliquas violentias, a Clericis, vel a Circumcellionibus, vel populis eorum, Ecclesia Catholica pateretur: ut scilicet post protestationem Catholicorum, qui fuissent ista perpessi, jam cura ordinum ad persolvendam mulctam, Episcopi sive Ministri cæteri tenerentur. Ita enim existimabamus, eis territis, & nihil tale facere audentibus posse libere doceri & teneri Catholicam veritatem, ut ad eam cogeretur nemo, sed eam, qui sine formidine vellet, sequeretur, ne falsos, & simulatores Catholicos haberemus.

Duriora Imperator. decreta in Donatistas, quam quæ fratres postulant.

Post hæc scribit, licet nonnullis fratribus viderentur postulandæ duriores, adversus Donatistas sanctiones, tamen suam obtinuisse sententiam: „ obtinuimus tamen; ait, ut illud potius, quod dixi, ab Imperatoribus peteretur; decretum est in Concilio nostro Legati ad Comitatum missi sunt.

Et sane ex verbis Commonitorii supra relatis evincitur, Legatis non fuisse injunctum, nisi ut postularent ab Imperatoribus pœnam decerni in eos, quos Augustinus expressit.

Quomodo hæ leges Imperator. reducendis Donatistis profuerint.

Verum uti mox subdit Augustinus: „ sed Dei major misericordia, qui sciret harum legum terror, & quædam medicinalis molestia, quam multorum esset pravis, vel frigidis animis necessaria, & illi duritiæ, quæ verbis emendari non potest: sed tamen aliquantula severitate disciplinæ potest, id egit, ut Legati nostri, quod susceperant, obtinere non possent: jam enim nos prævenerant ex aliis locis, quædam Episcoporum querellæ gravissimæ, qui mala fuerant ab ipsis multa perpessi, & a suis sedibus exturbati, præcipue horrenda & incredibilis cædes Maximiani Episcopi Catholici Ecclesiæ Bagajensis effecit, ut nostra Legatio jam quid ageret, non haberet. Jam enim Lex fuerat promulgata, ut tantæ immanitatis hæresis Donatistarum, cui crudelius parci videbatur, quam ipsa sæviebat, non tantum violenta esse, sed omnino esse non sineretur impune: non tamen supplicio capitali, propter servandam, etiam circa indignos, mansuetudinem Christianam; sed pecuniariis damnis propositis, & in Episcopos vel Ministros eorum exilio constituto.

Quod hac epistola latius exponit Augustinus, id brevioribus verbis expresserunt Clerici Hipponenses, ad Januarium Donatistam *epistola* 88. inter Augustinianas, *num.* 7. „ Ex Concilio autem nostri Episcopi Legatos ad Comitatum miserunt, qui impetrarent, ut non omnes Episcopi & Clerici partis vestræ, ad eamdem condemnationem decem librarum auri, quæ in omnes hæreticos constituta est, tenerentur: sed hi soli, in quorum locis aliquas a vestris violentias Ecclesia Catholica pateretur. Sed cum Legati Romam venerunt, jam cicatrices Episcopi Catholici Bagaitani horrendæ ac recentissimæ Imperatorem commoverant, ut Leges tales mitterentur, quales & missæ sunt.

Meminit & hujus Legis Possidius in vita S. Augustini *cap.* 12. uti recte demonstrat Jacobus Gothofredus in commentario ad citatam *legem* 39. Intelligimus ex Possidio, quomodo S. Augustinus institerit apud judices, ut *multa auraria decem librarum*, in quam quidam Donatistarum erant condemnati juxta tenorem dictæ legis, eis fuerit remissa.

Patres petunt renovari legem quæ Donatistis testandi vel adeundi hæreditatem deneget facultatem.

Præter hanc legem petendum quoque ab Imperatoribus voluerunt hujus Synodi Patres; „ ut Lex (*Gr.* quæ etiam hucusque duravit) quæ hæreticis, vel ex donationibus, vel ex testamentis aliquid capiendi, vel relinquendi denegat facultatem (*Gr.* & ut semel dicam, propria vel relinquere, vel capere, tollit potestate hæreticis) ab eorum quoque pietate hactenus repetatur (*sive Gr.* renovetur); ut eis relinquendi, vel sumendi jus adimat, qui pertinaciæ furore cæcati in Donatistarum errore perseverare voluerint.

Licet hic sufficienter ostendant Patres Africani, se non velle has leges ferri, nisi ut *pertinacia & furor* Donatistarum frangatur, ut id tamen manifestius demonstrarent, addendum censuerunt, „ cæterum illis, qui consideratione unitatis & pacis se corrigere voluerint, absque interdicto hujus legis capiendæ hæreditatis aditus pateat, etiamsi adhuc in errore hæretica constitutus, aliquid ante donationis vel hæreditatis obvenit.

Ne tamen adhuc pervicaces Donatistæ prætextu simulatæ conversionis ab hujus legis rigore se eximant, & humanitate Catholicorum abutantur, subdunt, *his sane exceptis, qui lite pulsati, putaverint ad Catholicam transeundum.*

Rationem hujus exceptionis addunt: *quia de talibus credendum est, non metu cœlestis judicii potius quam terreni commodi aviditate, unitatem Catholicam præoptasse.*

Ratio admodum notanda in conversione hæreticorum; ut qui eorum conversioni intendunt, merito eam habeant suspectam, duo temporale lucrum ei occasionem dedisse deprehenditur.

Lex Honorii de [illegible] Februarii ann. 405.

Si cum hoc postulato Patrum Africanorum conferatur constitutio Honoris Imperatoris relata in *l.* 4. *Cod. Theod. ne sanctum baptisma iteretur*, & evulgata pridie Idus Februarii 405. manifestum erit, eam huic postulato respondere: verba legis sunt, „ Sciant ii vero, qui a (juxta Sirmundum melius e) supradictis iterare baptismum non timuerint; aut qui consentiendo, hoc facinus propria hujus societatis permixtione non damnaverint; non solum testandi sibi, verum adipisci aliquid sub specie donationis, vel agitandorum contractuum, in perpetuum copiam denegatam.

En pœna Donatistis, sive reiterantibus baptisma sanctione Imperatoria inflicta, quam infligi petiverant Patres. Post hæc & exceptio a Patribus addita etiam subjicitur. “ Nisi pravæ mentis errorem reverendo adversus fidem consilio, emendatio correxerit “. Vel uti Jacobus Gothofredus legendum credit: “ nisi pravæ mentis errorem, revertendi ad veram rursus fidem consilio, emendatio correxerit.

Plura in hac, aliisque legibus eodem anno 405. adversus Donatistas ab Honorio decreta fuere (*a*).

Æquitas & utilitas istarum legum.

Has leges frequenter memorat S. Augustinus, agens contra Donatistas, ostendens eorum immania & horrenda in Catholicos scelera graviores pœnas meruisse. Et quidem *lib.* 3. *contra Cresconium cap.* 43. dicit eorum

(a) Harduinus in sua Conciliorum collectione *tom.* 1. *col.* 918. supponere videtur unicam fuisse Honorii legem, *qua in plures discerpta leges extat Cod. Theodos. lege* 38. *&* 39. de hæreticis: *item.* 3. 4. *&* 5. ne sanctum baptisma iteretur.

rum in Catholicos etiam Epiſcopos exercitam crudelitatem, necnon Circumcellionum eorum furorem, ubique odioſiſſime innotuiſſe, & ob id ingentem in eos conflagraſſe invidiam. „ Atque inde factum eſt, in„ quit, *ut præterita omnes contra vos leges excitaren„ tur, & iſtæ conderentur nova.* Quarum tamen uni„ verſarum ſeveritas ſi veſtrorum inordinatę, ac ſine „ ulla lege graſſanti ſęvitię comparetur, mira lenitas „ appellanda eſt: his enim magis, tanta poteſtate ac„ cepta, manſuetudo Catholico commendatur, quam „ hęretica immanitas plectitur: immo vero in nos cę„ des, rapinas, incendia, cęcitates excogendo, minan„ do, exercendo audacius & inſanius debacchatur.

Plura & de his habet idem Sanctus *epiſt.* 185. *cap.* 7. ad Bonifacium; ibidem & oſtendens harum legum utilitatem, atque inter alia, *n.* 21. ait: „ melius eſt qui„ dem (quis dubitaverit) ad Deum colendum doctri„ na homines duci, quam pœnę timore vel dolore „ compelli; ſed non quia illi meliores ſunt, ideo il„ li, qui tales non ſunt, negligendi ſunt, multis enim „ profuit, quod experimentis probavimus, & proba„ mus, prius timore, vel dolore cogi, ut poſtea poſ„ ſent doceri, aut quod jam verbis dedicerant, opere „ ſectari". Et *n.* 29. ſcribit. „ Jam vero cum ipſę „ leges veniſſent in Africam, præcipue illi, qui quę„ rebant occaſionem, aut ſęvitiam furentium metue„ bant, aut ſuos verecundebantur offendere, ad Ec„ cleſiam continuo tranſierunt; multi etiam, qui ſola „ illic a parentibus tradita conſuetudine tenebantur, „ qualem vero cauſam ipſa hęreſis haberet, nunquam „ antea cogitaverant, nunquam quęrere, & conſide„ rare voluerant, mox ubi cœperunt advertere, & „ nihil in ea dignum invenire, propter quod tanta „ damna paterentur, ſine ulla difficultate Catholici „ facti ſunt, docuit enim eos ſollicitudo, quos negli„ gentes ſecuritas fecerat.

Litteræ Patrum ad judices.

Cum autem incertum eſſet, quis futurus eſſet hujus Legationis ſucceſſus, & quando is haberetur, ne interim Donatiſtæ impune in Catholicos graſſarentur, decreverunt Patres, quod *litteræ ad judices mittendæ ſint, ut donec Dominus Legatos ad nos*, inquiunt, *redire permittat, tuitionem* (ſeu Gr. *præſidium*) *per ordines civitatum & poſſeſſores prædiorum Eccleſiæ Catholicæ* (ſeu Gr. *univerſalis*) *impertiant* (ſive Gr. *diſtribuant*).

De compeſcendo Equitio.

De diverſis ordinibus civitatum, Decurionum videlicet & Curialium, Honoratorum (id eſt qui municipalibus honoribus prębfuncti ſunt) & populi, vide Juſtellum hic in notis ad Codicem Canonum Eccleſię Africanę, qui monet ibidem, populum in Clerum, poſſeſſores & plebem fuiſſe diviſum.

Decreverunt quoque Patres Africani *adjungendum de Equitio* (a), *ut improbitas ejus* (Gr. *ut ejus impudentia, & improbitas*) *quæ ſibi jus Sacerdotum improbiſſime vindicat, ab Hipponenſi Diarhytorum Diœceſi, ſecundum ſtatuta Imperatoria, repellatur*; vel uti apud Græcos legitur: *A Diœceſibus extrudatur, quas a curatoribus Hipponenſis Eccleſiæ Sacerdotali jure ſibi vendicat.*

Ex hoc patet, non obſtante decreto anni 401. *Equitium* ſe in Epiſcopatum voluiſſe intrudere, & Eccleſiam illam turbaſſe, & impediviſſe, quominus illi Eccleſię Epiſcopus, qui ab omnibus reciperetur, poſſet ordinari. Vide Scholion ad *Canonem* 78.

Procœmium Synodi Carthaginenſi anni 405.*

* Gr. act. 9. poſt Can. XCVI.

Sitilicone iterum & Arthemio VV. CC. Conſſ. X. Kal. Septembris Carthagine in Baſilica Religionis ſecundæ. Hujus Concilii geſta ideo non ex integro deſcripſi; quoniam magis ea, quæ in tempore neceſſaria fuerunt, quam aliqua generalia, conſtituta ſunt, ſed ad inſtructionem ſtudioſorum ejuſdem Concilii brevem digeſſi.

SCHOLION.

Procœmii Synodi Carthaginenſis anni 405. lectio varia.

NOTANDUM eſt, quod Patres Africani anno 419. in Concilio Carthaginenſi VI. curam dederint aliquibus colligendi, quæ pro diſciplina & fide in præteritis Conciliis Africanis, præſertim ſub Aurelio celebratis, eſſent utiliter decreta, quæ collectio a Synodo corrigenda, auctorandaque erat ad totius Eccleſiæ Africanæ commodum; vel etiam ad hujus diſciplinæ apud Zoſimum & Bonifacium Romanos Pontifices, quos inter & Africanos tunc non parva fervebat contentio, defenſionem & corroborationem.

Hujus collectoris, non autem ipſius Synodi verba ſunt, quæ ſupra in procœmio adjecta ſunt, quibus rationem reddit Synodo, cur „ hujus Concili geſta non ex integro *retulerit*. Quoniam, *ait*, magis ea, quæ in tempore neceſſaria fuerunt, quam aliqua generalia conſtituta ſunt, ſed ad inſtructionem ſtudioſorum ejuſdem Concilii brevem digeſſi.

(a) *Equitius*, nomen viri proprium, & cognomen familiæ Romanæ ab equo deductum.

Finalis clauſula eodem modo occurrit in Codice Eccleſiæ Africanæ apud Juſtellum; in Concilio vero vulgo Africano centum Canonum, iiſdem quidem verbis, ſed diſtincto a reliquo textu charactere refertur apud Labbæum, *t.* 2. *Conc. gener. col.* 1660. at apud Græcos. Balſamonem & Zonaram, verbis & ſenſu diverſis ita exprimitur: „ propter quæ brevis compoſitio „ eorum, quæ in hac Synodo ſtudioſe acta ſunt, ex„ preſſa eſt.

Verior apparet Grecorum lectio.

Quæ lectio apparet genuinior. Quid enim *brevis* hæc geſtorum hujus Synodi compoſitio ad *inſtructionem ſtudioſorum* faciat, non apparet; deinde nullibi in hac collectione indicatur eam ad inſtructionem ſtudioſorum ornatam eſſe. Porro *brevis* hæc expoſitio, ſive relatio geſtorum Canonem ſeparatum in hoc Codice efficit.

CANON XCIV. *

Ut libera Legatio ab omnibus Provinciis ad Concilium dirigatur. Ad Mizonium Legati, & litteræ propter liberam dirigendam Legationem deſtinari præcepta ſunt: ut quia apud Carthaginem tantum unitas facta eſt, dentur etiam litteræ ad judices: ut & aliis Provinciis, & civitatibus operam impendi jubeant unitati, & gratiarum actiones de Carthaginenſi Eccleſia pro univerſa Africa de excluſione Donatiſtarum cum Epiſcoporum litteris ad Comitatum mittantur. Recitatæ litteræ Papæ Innocentii, ut Epiſcopi ad tranſmarina pergere facile non debeant, quod hoc ipſum Epiſcoporum ſententiis confirmatur: ut propter gratiarum actionem, & excluſionem Donatiſtarum duo Clerici Eccl. Carthaginenſis ad Comitatum imitantur.

SCHOLION.

* Gr. XCVII. Littera Patrum ad Magiſtratus, ut unio Donatiſtarum perficiatur in aliis Provinciis, uti Carthagine contigit.

EX brevi geſtorum enarratione intelligimus, ſollicitos fuiſſe Patres, ut unio, quæ per converſionem Donatiſtarum contigit Carthagine occaſione legum, quas ſub initium hujus anni 405. contra Donatiſtas evulgaverat Honorius Imperator, etiam per Legatos procuraretur in aliis Africæ Provinciis. Eumque in finem decernunt, ut „ dentur etiam litteræ ad judices „ (*ſive Gr.* Magiſtratus) ut & aliis Provinciis & ci„ vitatibus (*Gr.* ipſi Magiſtratus) operam impendi ju„ beant unioni". Hoc eſt, ut operam Magiſtratuum, legum prædictarum habeatur in omnibus Africæ Provinciis executio, qua mediante Donatiſtæ ad unionem & communionem Eccl. Cathol. reducantur in iis Provinciis; quemadmodum Carthagine accidiſſe, experientia docuerat. Volunt quoque, ut una „ gratiarum „ actiones de Carthaginenſi Eccleſia pro univerſa Afri„ ca, de excluſione Donatiſtarum (*ſeu Gr.* de ejectis „ Donatiſtis) cum Epiſcoporum litteris, ad Comita„ tum mittantur.

Legatio pro gratiarum actione de reductis Donatiſtis per leges Impp.

Procœmium Synodi Carthaginenſis anni 408.

* Gr. XCVII.

Glorioſiſſimis Imperatoribus Honorio VII. Theodoſio II. iterum Auguſtis Conſſ Idus Junias Carthagine, in Baſilica Regionis ſecundæ. Cum Aurelius Epiſcopus una cum Epiſcopis ſuis conſediſſet, adſtantibus Diaconis; quoniam conſtitutum fuerat in Concilio Hipponenſi, ut ſingulis annis contraheretur Concilium Africæ plenarium: necnon tantum hic apud Carthaginem, verum etiam per diverſas Provincias ſuo ordine, & hoc reſervatum eſt, ut indiceremus aliquando in Numidia, aliquando in Byzantio, atque hoc laborioſum omnibus fratribus viſum eſt.

CANON XCV.

* Gr. XCVIII.

Placuit, ut non ſit ultra fatigandis fratribus anniverſaria neceſſitas, ſed quoties exegerit cauſa communis, id eſt totius Africæ: undecumque ad hanc Sedem de hac re data litteræ fuerint, congregandam eſſe Synodum in ea Provincia, ubi opportunitas perſuaſerit. Cauſæ autem, quæ communes non ſunt, in ſuis Provinciis judicentur.

SCHOLION.

Conc. Carthag. anno 407. ubi, mitigatum ſtatutum de cogenda Synodo generali anniverſaria.

EX allocutione Aurelii manifeſtum eſt, Canonem de *anniverſaria generali totius Africæ* Synodo per Provincias habenda, conditum fuiſſe in Concilio Hipponenſi; extatque in hoc Codice ſub *n.* 18. hic autem Canon in hoc Concilio anni 407. eatenus reformatus fuit, ut neceſſitas annuam generalem Synodum indicendi remittatur; „ ſed quoties exegerit cauſa (*ſeu Gr.* „ uſus) communis, id eſt, totius Africæ; undecum„ que ad hanc ſedem de hac re litteræ datæ fuerint „ (*ſive Gr.* undique datis litteris ad hanc Cathedram) „ congregandam eſſe Synodum in ea Provincia, ubi „ opportunitas perſuaſerint: hoc eſt, ſi cauſa communis, ſive totam Africam tangens emerſerit; & undique Epiſcopi Primatem Carthaginenſem litteris datis requirant pro cauſa illa *communi*, Synodum generalem totius Africæ habendam, ipſe Primas Carthaginenſis eam convocet in ea Provincia, *ubi opportunitas perſuaſerit.*

Synodus generalis non indicenda, niſi ob cauſam toti Africæ communem. Forma indictionis.

Quoad autem causas, *quæ communes non sunt*, volunt Patres Africani, ut *in suis* (sive Gr. *propriis*) *Provinciis judicentur*.

Quæ causæ communes, quæ privatæ?

Causas communes interpretatur Balsamon quæstiones *dogmaticas*; speciales autem seu privatas, quæ forte *exortæ sunt inter Clericos & Episcopos*. Illas examinari in generali totius Africæ Synodo; has vero in unaquaque Provincia terminari oportet.

Causæ particulares examinandæ in loco ubi exortæ sunt?

Hic nota, jampridem a Patribus probatum esse, ut causæ particulares in illis partibus judicentur, in quibus exortæ sunt. Item hic advertere est, quam solliciti fuerint Patres, ne citra necessitatem Pastores a suis ovibus avocarentur.

CANON XCVI. *

* Gr. XCIX. 1. parte.

Si autem fuerit provocatum; eligat qui provocaverit judices, & cum eo & ille, contra quem provocaverit: ut ab ipsis deinceps nulli liceat provocare.

SCHOLION.

Appellatio ab electis judicibus non admittenda.

VIDETUR hic Canon præcedentis Canonis supplementum, eique connectendus. Dictum enim erat Canone præcedenti, *causas, quæ communes non sunt, in suis propriis Provinciis* esse judicandas; cùm vero nihil dictum esset de casu appellationis, hoc Canone decernitur; quod *si fuerit provocatum* (sive Gr. *emissa sit appellatio*) *eligat, qui provocaverit judices, & cum eo & ille, contra quem provocaverit* (sive Gr. *adversus quem appellavit*) *ut ab ipsis deinceps nulli liceat appellare*.

Varia hujus Canonis lectio.

Attenta hac Latina lectione, videtur imponi necessitas provocanti, sive appellanti, & provocato eligere judices; at lectio Græca apud Balsamonem innuit tantum; loqui Canonem de casu, quo partes elegerint judices. Ita enim legitur: *si autem emissa sit appellatio, & qui appellavit, elegerit judices, & cum illo is quoque, adversus quem appellavit*.

Vera hujus Canonis sententia.

Quidquid sit de hac varietates lectionis, illud constat, Canonem præcipue intendere, a judicibus ex consensu utriusque partis electis non esse provocandum.

Periodus de adventu Legatorum aliarum Provinciarum huic Canoni adjuncta apud Græcos.

Apud Græcos huic Canoni adjungitur Periodus de *diversarum Provinciarum Legationibus*, quæ in Latina sub titulo separato refertur, sed tamen numerum Canonum non auget, ideoque & eam periodum Canoni præsenti adjungemus, quæ sic habet.

* (a)

* Gr. XCIX. 2. parte.

*Cum * universæ Legationes diversarum Provinciarum allegarentur, gratissime accepta sunt, id est Numidarum, Byzacenorum, Maurorum, Sitifensium, itemque Cæsariensium, sed & Tripolitanorum.*

*

*Placuit * preterea, ut executores in omnibus desideriis, quæ habet Ecclesia, quinque postulentur, qui in diversis Provinciis impertiantur.*

SCHOLION.

De Legationibus diversarum Provinciarum.

HIs id unum significatur, ut recte notat Zonaras hic, Legatos, quos Synodo affuturos speraverant, jam omnes simul advenientes (apud Græcos enim legitur, *Legationes simul repræsentatæ lubenter admissæ sunt*) magna lætitiæ significatione; Synodi Patres excepisse.

Item addita periodus de exatoribus seu executoribus Ecclesiæ per Provincias constituendis.

Additur & apud Græcos huic Canoni decretum *de exactoribus Ecclesiæ*, quod a Canone Latini distinguunt, nec tamen Canonem distinctum conficit.

Legitur autem apud Dionysium in hæc verba: „ placuit præterea, ut executores in omnibus desideriis, „ quæ habet Ecclesia, quinque postulentur, qui in di- „ versis Provinciis impertiantur.

Sensum hujus decreti clarius & verius videtur exponere lectio Græcorum apud Balsamonem, his verbis, „ Placuit præterea, ut exactores in omnibus, quæ „ fuerint Ecclesiæ necessaria, quinque eligi petantur, „ qui in diversis Provinciis dividantur.

Moris, fuisse ut exatores, sive executores in Provinciis, ad exigenda debita, etiam civilia constituerentur, probat *Lex 7. Cod. quæ res pignori obligari possunt*: Et qui in *l. 1. Cod. Theol. de Paganis* vocantur *intercessores*, subinde executores dicuntur, uti ad hanc legem notat Jacobus Gothofredus. Itaque similes *exactores*, sive *executores* constituendos esse per Provincias, qui necessariis Ecclesiæ negotiis invigilent, eaque exigant seu exequantur, placuit Patribus Africanis.

CANON XCVII. *

Placuit etiam, ut petant ex nomine Provinciarum omnium Legati perrecturi, Vincentius, & Fortunatianus a gloriosissimis Imperatoribus, ut dent facultatem defensores constituendi Scholasticos, qui in actu sunt, vel in munere defensionis causarum, ut more Sacerdotum Provinciæ, idem ipsi, qui defensionem Ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi judicum Secretaria.

SCHOLION.

* Gr. C.

Petendi defensores Ecclesiarum.

DUo hic ab Imperatoribus postulanda per Legatos, decreverunt Patres Africani.

Defensorum nomine intelliguntur Advocati.

Primum, ut Imperatores *dent facultatem defensores constituendi Scholasticos; qui in actu sunt, vel in munere defensionis causarum* (sive Gr. *quibus hoc ipsum munus negotiorum defendendorum cura sit*). Per *Scholasticos* hic intelligi causarum Patronos seu Advocatos, qui causis agendis & negotiis forensibus tractandis specialiter occupantur, dubium non est; ipseque Canonis contextus satis innuit; eosque in defensores Ecclesiarum constitui, optant Patres Africani, ut hoc pacto, Clerici, quibus hoc defensorum officium hactenus erat commissum, a negotiis forensibus prosequendis liberarentur.

Postulato Patrum satisfecit Honorius l. 38. *Cod. Theod. de Episcopis & Clericis*.

Huic Patrum Africanorum postulato respondet constitutio Honorii Imperatoris, data 17. Kal. Decembr. anni 407. id est aliquot mensibus post habitam hanc Synodum; extatque in *l. 38. C. Theod. de Episcopis*.

In hac constitutione, in primis ait Honorius: „ Privilegia, quæ Ecclesiis & Clericis legum decrevit au- „ ctoritas, hac quoque præceptione, Sancta & invio- „ lata permanere decrevit“; deinde hæc addit: „ At- „ que hoc ipsis præcipuum ac singulare deferimus, ut „ quæcunque de nobis Ecclesiam tantum pertinen- „ tia, specialiter fuerint impetrata, non per *corona-* „ *tos*, sed ab *advocatis* eorum arbitratu, & judicibus, „ innotescant, & sortiantur effectum.

Per *coronatos* hic intelligi Clericos contendit vir multæ eruditionis Jacobus Gothofredus in commentario ad hanc legem; ita dictos ait a *corona*, quæ jam tunc per Africam tamquam Clericale insigne invaluerat. Et uti *purpura* Principibus insigne, interdum pro Principe & principali reverentia sumebatur, ita & Corona pro Clero & reverentia Clericali accepta fuit. Sic S. Hieronymus epistola ad S. Augustinum, 113. inter Augustinianas, scribit *precor coronam tuam*, & ipse Augustinus, epistola 33. ad Proculejanum Episcopum Donatistam: *per coronam nostram, nos adjuvant vestri, per coronam vestram, vos adjuvant nostri*.

Itaque dicit Honorius, se per præcipuum sive novum ac singulare privilegium concedere, ut defensores Ecclesiarum sint, non e *coronatis*, sive e Clericis, uti hactenus fuerat solitum, sed ex *Advocatis*, seu *Scholasticis*, ut ait Lex, *quæcumque de vobis ad Ecclesiam tantum, vel Ecclesiæ statum specialiter fuerint impetrata, ut judicibus innotescant, & fortiantur affectum*; id est ii *privilegia & jura Ecclesiarum* defendant, & prosequantur;

Cur potius ex ordine Advocatorum, quam Clericorum assumendi defensores.

Porro hi defensores e numero Advocatorum, arbitratu, sive arbitrio *coronatorum*, seu *Clericorum* deligendi sunt, uti indicant hæc legis verba, *eorum arbitratu*, quæ non ad Advocatos, se ad *coronatos* referenda esse monet in notis Gothofredus.

Post datum hoc privilegium addit Honorius: Sacer- „ dotes vero Provinciæ erunt solliciti, ne sub hac sci- „ licet privilegii excusatione, etiam contra eorum utilitatem, aliquid his inferatur incommodum.

Nomine *Sacerdotum Provinciæ* intelliguntur Episcopi.

Nomine *Sacerdotum Provinciæ* hic intelligi Episcopos, verius credit Gothofredus, putatque hac periodo, intentionem Imperatoris fuisse monere Episcopos, ut sint solliciti, ne aliquid incommodi inferatur privilegiis, & juribus Ecclesiarum, dum iis defendendis, & prosequendis, non Clerici ex corpore Ecclesiastico, sed Laici e numero Advocatorum, sive Scholasticorum, præfecti erunt.

Hinc discant Ecclesiarum Prælati, ut dum Laicos rerum & jurium Ecclesiæ administratores & defensores constituunt; ad exemplum Patrum Africanorum, etiam monito huic Imperatoris attendant; invigilentque, ne horum negligentia, aut etiam injustitia, jura & bona Ecclesiæ pereant, aut dissipentur.

Patrum postulatum de expediendis negotiis Ecclesiæ.

Secundum, quod hic ac Imperatoribus postulandum resolvunt Africani, exprimitur his verbis, „ Ut mo- „ re Sacerdotum Provinciæ, iidem ipsi, qui defensio- „ nem Ecclesiæ susceperint, habeant facultatem, pro „ negotiis Ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, „ vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria „ suggerenda, ingredi judicum Secretaria.

Contendit supra citatus Gothofredus, verba hæc, *more Sacerdotum Provinciæ*, esse connectenda cum verbis precedentibus; quasi Patres Africani postularent dari potestatem defensores constituendi e numero Scholasticorum more Sacerdotum Provinciæ. Apud Gentiles enim *Sacerdotes Provinciæ* dicebantur, ad quorum curam templa, templorumque solemnia pertinebant; qui in Africa, ex constitutione Constantii in *l. 46. C. Theod. de Decurionibus*, debebant eligi ex ordine *Advocatorum*, uti notat ipse Gothofredus ad hanc legem; & in *paratitlo* tituli Cod. Theodos. *de Paganis*.

Verum ipse contextus Canonis non patitur, ut verbis precedentibus hec connectantur: quod & manifestius

(a) Duo, qui sequuntur, articuli Canonibus Codicis Africani absque titulis intermixti leguntur; eos tamen stellulis a se invicem distinctos voluit D. Van-Espen.

stius exprimit lectio Græcorum apud Balsamonem, quæ & clarius evincit, per hoc posterius postulatum id unum intendi, ut negotia Ecclesiæ non retardentur, sed prompte expediantur. Ita enim legunt: *Et ut tamquam Provinciæ Sacerdotes, iidem Ecclesiarum defensione suscepta, facile possint, pro negotiis Ecclesiæ, quoties necessitas exegerit, ad resistendum iis, quæ urgent, & necessaria exponenda, secreta judiciorum ingredi.*

Per *secreta judiciorum*, sive *judicium Secretaria*, intelligitur locus judicii; nam uti notat hic Zonaras: „ est „ *Secretum* Latinis exercendi judicii locus: nam, ait, „ secernere apud illos, dijudicare significat.

Huic postulato satisfactum per l. 7. Cod. Theod. de denunt. vel ed. rescript.

Huic postulator, demum post biennium, ad iteratam verisimiliter Legationem satisfactum videtur per constitutionem Honorii, editam anno 409. relatam in *lib. 7. Cod. Theod. de denuntiatione, vel editione rescripti*, qua decernit: „ quæcumque forte Ecclesiæ venerabili nego„ tia sunt, vel esse poterunt actiones, *celeri* judican„ tium disceptatione finiantur. Nec enim decet defen„ sione loci, nominisque venerabilis suscepta, *publica* „ *diu Secretaria præstolari.*

Hujs legis vera interpretatio.

Vetus interpres, ita hanc legem reddit: „ Ecclesia„ rum negotia, pro reverentia Sanctitatis ac fidei, o„ portet cum ad publicum prolata fuerint, sine aliqua „ *dilatione* finiri, nec debent defensores loci venerabi„ lis ulla tarditate suspendi.

Itaque sat clarum est, hac lege caveri, quod Patres Africani intenderant; nimirum ut negotia Ecclesiæ cito finirentur, addita tamen ab Honorio hac cautione, *legum ordine servato*, hoc est, ut accelerentur quidem, sed tamen legum ordo servetur. Eo loci observare non erit superfluum, pauperum defensores, de quibus supra Scholio in Canonem 75. fuisse a defensoribus Ecclesiarum plane distinctos, uti monet vir legum peritissimus Gothofredus ad citatam legem 38. *Cod. Theod. de Episc.*

Porro notant eruditiores Canonistæ, hoc defensionis officium, quod *Scholasticis*, sive *Advocatis* committi postularunt Patres Africani, succedentibus sæculis transiisse ad viros potentiores, & militares, qui armis potius quam facundia & peritia forensi, jura Ecclesiæ defenderent ac protegerent; qui tamen nomen *Advocati* retinuerunt; de quibus plura videri possunt *in Jure Eccl. Tom III. part. 2. sect. 3. tit. 8. cap. 1. num. 14.* alias *tom. 1. part. 2. tit. 15. cap. 2.*

Monendum est hos defensores seu Advocatos Ecclesiis & Monasteriis fuisse deinceps onerosos & molestos; quod luculentius probat diploma fundationis Abbatiæ Lacensis in Diœcesi Trevirensi conditæ ab Henrico Comite Palatino ann. 1093. Apud Miræum in diplomatibus Belgicis *lib. 2. cap.* 35. ideoque privilegii instar esse cœpit, liberam esse Ecclesiam ab Advocato, aut saltem eligendi liberam habere facultatem. Inde quoque factum, ut a fundatoribus jura *Advocatorum* taxerentur, & designarentur; ne alias Ecclesias nimium gravarent; uti videre est in diplomate dato in favorem Monasterii Trudonensis apud Miræum in Codice *donationum piarum cap.* 54. interdum ipsi Reges & Duces, Ecclesiarum fundatores, sibi & suis successoribus *Advocatiam* reservarunt; uti videre est in diplomate dato Monasterio Gemblacensi ann. 1123. apud Miræum ibidem *cap.* 76. Et in diplomate Philippi Alsatii Comitis Flandriæ, quo Abbatiæ Ninivensis Advocatum & defensorem se profitetur: apud Miræum *in donationibus Belgicis lib. 2. cap.* 53.

Duo articuli, qui Canoni XCVII. subjiciuntur.

* Gr. CI.

*Placuit *, ut Legationem liberam habeant ad Comitatum missi delecti Legati.*

* Gr. post Can. CI.

*Protestatos * esse præterea Mauros Cæsarienses constat, Primosum per principales civitatis Thiganensis conventum litteris eorum fuisse, ut secundum principalia scita plenario Concilio sui præsentiam faceret, & ut oportuit, requisitus Primosus repertus non est, sicuti Diaconi renuntiaverunt: sed quia poposcerunt iidem Mauri, de plenario Concilio oportere litteras destinari ad venerabilem Fratrem senem Innocentium, has placuit mitti, ut cognoscat requisitum Primosum in Concilio, & minime fuisse repertum.*

SCHOLION.

DUo subjiciuntur Canoni XCVII. distinctis quidem summariis, sed numero Canonum non acto.

Legatis ad Imperatores annuitur *libera Legatio*, & quid per eam intelligatur?

Primum, quo placuit, *ut Legationem liberam habeant ad Comitatum missi Legati delecti*. Hoc decreto extenditur Legatio, quæ allegato Canone decreta erat, cujus proinde Canonis præsens decretum quædam appendix est. Per Legationem liberam enim id datum intelligitur, ut „ non ea solum, quæ in mandatis ha„ bent; sed quæcumque alia Ecclesiæ prodesse co„ gnoverint, & verbis, & reipsa exequi liceat " uti monet Zonaras.

Additamentum Canonis de Primoso.

Alterum est protestatio Maurorum de Primoso; refertur que *protestatos esse præterea Mauros Cæsarienses, Primosum per principales civitatis Tiganensis*, (seu Gr. *Thigavensis*) *conventum litteris eorum fuisse, ut secundum principalia scita* (sive Gr. *imperiales constitutiones*) *plenario Concilio sui præsentiam faceret, & ut oportuit, requisitus Primosus repertus non est, sicuti Diaconi renuntiaverunt: sed quia poposcerunt iidem Mauri de plenario Concilio* (seu Gr. *ex omni Synodo*) *oportere litteras destinari ad venerabilem Fratrem senem Innocentium, has placuit mitti, ut cognoscat requisitum Primosum in Concilio, & minime fuisse repertum.*

Innocentius senex, ad quem hic scribendum dicitur, erat *Primas* Mauritaniæ Cæsariensis. Quid autem de *Primoso* actum sit, aut de quo accusaretur, ex actis non habetur.

CANON XCVIII. *

* Gr. CII

Placuit & illud, ut plebes, quæ nunquam habuerunt proprios Episcopos, nisi ex Concilio plenario uniuscujusque Provinciæ & Primatis, atque consensu ejus, ad cujus Diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minime accipiant.

SCHOLION.

Institutio novi Episcopatus defertur Synodo cujusque Provinciæ cum Primate.

SENSUS hujus Canonis est, quod si parochia aliqua Episcopo alterius civitatis subjecta fuerit nec populus istius parochiæ proprium Episcopum hactenus habuerit, & nunc proprium habere contendat, non esse dandum, *nisi ex Concilio plenario uniuscujusque Provinciæ, & Primatis* (vel Gr. *nisi ab universa Synodo uniuscujusque Provinciæ & Primatis*) *atque consensus ejus, ad cujus Diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit.*

Ex hoc Canone manifestum est, institutionem novi Episcopatus tum temporis non fuisse Sedi Apostolicæ reservatam, sed quod ea fieret auctoritate Concilii Provincialis & Primatis, sive Metropolitani.

Habetur quoque, specialiter requisitum fuisse consensum Episcopi, in cujus Diœcesi erat Ecclesia in Cathedralem eligenda.

CANON XCIX. *

* Gr. CIII.

Sane ut illæ plebes, quæ conversæ sunt a Donatistis, & habuerunt Episcopos, sine dubio inconsulto Concilio habere mereantur, quæ autem plebes habuerunt Episcopum, & eo defuncto voluerint non Episcopum proprium habere, sed ad alicujus Episcopi Diœcesim pertinere, non eis esse denegandum. Nec non & illud suggestum est, quod plebes ante legem Imperatoris de unitate latam quicumque converterentur Episcopi ad Catholicam, ipsi eas obtinere debeant: verum a lege unitatis & deinceps, oporteat universas Ecclesias vendicare sibi Episcopos Catholicos eorum locorum, ad quæ loca sub hæreticis pertinebant, vel conversorum ad Catholicam, vel non conversorum hæreticorum, & Diœceses, & si quæ forte sunt instrumenta Ecclesiæ, vel ad ejus jus pertinentia. Qui vero aliqua usurpaverunt, post legem usurpata conventi restituant.

SCHOLION.

De Episcopis Donatistis ad Ecclesiam cum populo suo revertentibus.

QUÆ sunt hujus Canonis partes; prima parte ordinatur, *ut illæ plebes, quæ conversæ sunt a Donatistis, &* (Gr. *præter Synodi sententiam*) *habuerunt Episcopos, sine dubio inconsulto Concilio habere mereantur* (sive Gr. *eos sine controversia habere digna censeantur*). *Quæ autem plebes habuerunt Episcopum, & eo defuncto, voluerunt non Episcopum proprium habere, sed ad alicujus Episcopi Diœcesim pertinere,* (sive Gr. *recurrere*) *non eis esse denegandum.*

Hic nos docent Patres Africani, quando agitur de reducendis hæreticis aut schismaticis ad veritatem fidei, aut ad unitatem Ecclesiæ, nequaquam scrupulose aut rigorose inhærendum disciplinæ, sed ab ea posse subinde aliquid remitti, quo eorum reditus facilitari queat; quemadmodum Patres Africani hic remittunt de disciplina præcedenti, & pluribus Canonibus stabilita, de non instituendo novo Episcopatu, nisi ex Synodi Provincialis decreto.

Quanta humanitate Patres Africani in reducendis Donatistis usi sint.

Ulterius, pro reducendis facilius Donatistis ad unitatem Ecclesiæ, declarant Patres Africani, *necnon & illud suggestum esse* (sive Gr. *relatum esse*) *quod plebes ante legem Imperatoris de unitate latam, quicumque converterentur Episcopi ad Catholicam, ipsi eas obtinere debeant*. Hoc est, interprete Zonara: „ ut Episcopi „ Donatistarum, quicumque populos suos Ecclesiæ con„ ciliarint, eodem, quo antea jure, in eosdem popu„ los Episcopalem auctoritatem obtineant". Atque hic est genuinus Can. sensus, quem clarius exprimit lectio Græca, his verbis: *Quod Episc., qui ante legem Imperatoriam, de unione allatam, populos ad Catholicam Ecclesiam convertunt, quos ipsi habebant, eos tenere debent.*

Ut autem amplius innotescat indulgentia, qua Patres Africani agebant cum Donatistis, ut eorum ad sinum Ecclesiæ reditum facilitarent; notandum hic agi de Episcopatibus, sive districtibus ad Episcopos orthodoxos pertinentibus, quos Donatistæ occupaverant; uti ex altero membro hujus decreti manifestum est.

Quid egerint Patres cum Episcopis re-

Decernitur, quod *a lege unitatis, & deinceps* (seu Grat. *post legem unionis & ultra*) *oporteat universas*

Vertentibus post publicatam legem Imp. *de unitate seu unione.*

sas Ecclesias (Gr. & earum Diœceses) vendicare sibi Episcopos Catholicos eorum locorum, ad quæ loca sub hæreticis pertinebant, vel conversorum ad Catholicam, vel non conversorum hæreticorum, & Diœceses, & si quæ forte sunt instrumenta Ecclesiæ, vel ad ejus jus pertinentia.

Manifestum, hic de iisdem locis ac Diœcesibus agi, de quibus in præcedenti membro, hac differentia quod in priore membro agatur de Episcopis Donatistis conversis una cum populo suo ad Catholicam Ecclesiam, ante *allatam legem de unitate*, & in hoc posteriore membro, de Episcopis conversis, vel convertendis *post latam legem de unitate*: ab illis retineri permittunt Ecclesias & populos; sed horum Ecclesias, & earum Diœceses cum omnibus ad eas pertinentibus juribus, Catholicis Episcopis, ad quos loca illa pertinuerant, restitui volunt; quem sensum paucis his verbis comprehendit Epitome Canonis, quam commentatur Aristenus. „ Post Regium autem illud mandatum, inquit, quamvis ad Catholicam redeant Ecclesiam, vel etiam „ non, quæque jura sua defendet Ecclesia “. Id est Ecclesia ad Episcopum Catholicum spectans, vindicabit ea loca a Donatistis occupata, quæ ad ejus districtum pertinent.

Exponitur Lex *de unitate.*

Per legem *de unitate*, sive *unione* intelligitur constitutio Imperatoris Honorii, edita sub initium an. 405. qua diversas pœnas decernit in Donatistas; ut earum metu ad *unitatem* Ecclesiæ Catholicæ reducerentur, & plurimos reductos fuisse testatur variis locis S. August.

Hæc vero Lex de *unitate* promulgata apparet sub initium anni 405. ad instantiam Africanorum, qui e Synodo Carthaginensi anno 404. Legationem miserant ad Imperatorem, pro coercendis Donatistis, extatque hæc constitutio, partim in *l. 38. Cod. Theod. de hæreticis*, partim in *l. 3. 4. & 5. Cod. Theod. ne Sanctorum baptisma iteretur*. Quam constitutionem sub nomine edicti vel rescripti *de unitate* eodem an. 405. Nonis Martiis Imperator per Africam publicari jussit constitutione, quæ extat *in l. 2. Cod. Theod. de Religione*; ubi ita loquitur: „ Edictum, quod de unitate per Africanas „ regiones Clementia nostra direxit, per diversa pro„ poni volumus, ut omnibus innotescat Dei omnipo„ tentis unam & veram fidem Catholicam, quam cre„ dulitas confitetur esse retinendam.

Porro inter ea, quæ pro reducendis Donatistis ad unitatem edixerant Imperatores, & hoc erat, teste S. Augustino *Epistola* 185. ad Bonifacium *nu.* 36. „ quid„ quid nomine Ecclesiarum partis Donati, possidebatur, „ Christiani Imperatores religiosi legibus, cum ipsis „ Ecclesiis, ad Catholicam transire jusserunt. Hoc & „ ipse Honorius Imperator in *l. 52. Cod. Theod. de Hæreticis* edita an 412. *jamdudum* a se statutum affirmat.

Sensus Canonis.

Itaque ex his haud difficulter integer hujus Canonis, quoad posteriorem partem, sensus perspicitur; nimirum quod Episcopi a Donatistis ad Ecclesiam reversi, retinere debeant Ecclesias, quas apud Donatistis obtinuerant; si modo ante legem Imperialem *de unitate* essent conversi; secus si posteam legem; quia per illam legem Episcopis Catholicis erant addictæ, & Donatistis ablatæ.

CANON C.*

* Gr. CIII.

Ad suggestionem vel postulationem Episcopi Maurentii, cum lecta fuisset scheda, quam obtulit Episcopus Placentinus, qui personam Legati Numidiarum gestat, sententia ejusdem Placentini recitata est in conspectu Episcoporum, & cum quærerentur hi, quos adesse voluit, a Diaconis pro foribus, id est seniores a nova Germania, ac terminime invenirentur, secunde vel tertio requisiti: propterea censuit Sanctum Concilium, ut litteræ ad eumdem senem Xantippum prærogetur, quæ noverit voluntati plebis memoratæ nullo modo injuriam Episcopi succumbendum. Maurentius Episcopus dixit: quoniam requisiti sunt seniores a nova Germania secundo ac tertio, & non sunt inventi, quibus præceptum erat a Primate, ut occurrerent ad venerabile Concilium, quod nunc agitur idibus Juniis, suam absentiam procurarunt. Idcirco decernat ex hac re aliquid Sanctitas vestra, ne sua molestia calumniæ ipsorum innocens videar laborare. Concilium Sanctum statuit, debuisse quidem secundum censuram Sacerdotalem ex hoc Concilio adversus contumaces ferri sententiam: sed quia mansuetudo Ecclesiastica servanda est, in omnibus causis præmissæ sunt litteræ ad senem Xantippum, ut noverint judices de Concilio electos sine dilatione considerare debere in civitate Thubursecensi, ut negotio congruum adhibeatur examen. Maurentius Episcopus dixit: judices peto Sanctum senem Xantippum, Sanctum Augustinum, Florentium, Theasium, Sansucium, Secundum, & Possidium, hos decerni mihi jubeatis. Sanctum Concilium concessit judices postulatos, reliquos autem judices ad complendum numerum necessarios, eligentibus ipsis senioribus a nova Germania senex Xantippus curavit decernere.

SCHOLION.

Confirmatur disciplina terminandi causas Episcoporum coram 12. Episcopis.

PRÆSENS Canon specialem casum continet alicujus Episcopi accusati, qui suos accusatores coram Synodo comparere petierat: quibus non comparentibus, tandem causam a Synodo, septem Episcopis petierat judices, commissa fuit. Sed quia juxta Canones, ad judicium ferendum cotra Episcopum, reqiruntur duodecim Episcopi; idcirco in fine additur: *reliquos autem judices ad complendum numerum necessarios, eligentibus ipsis senioribus, a nova Germania, senex Xantippus curavit decernere.*

Hic rursus nota, juxta disciplinam Africanam, *Xantippo* tamquam *Seni*, hoc est *Seniori* omnibus cæteris Episcopis Provinciæ, jus Primatis, sive Metropolitani deferri.

CANON CI.

* Gr. CIV.

Placuit etiam, ut de dissensione Romana atque Alexandrina Ecclesiæ, ad Sanctum Papam Innocentium scribatur, quoque Ecclesia intra se pacem, quam præcepit Dominus teneat.

SCHOLION.

Patres Africani student paci componendæ inter Ecclesiam *Romanam & Alexandrinam.*

NOTAT Baronius hic agi de dissensione inter dictas Ecclesias exorta, occasione S. Chrysostomi, qui factione Theophili Alexandrini fuerat in exilium missus; quam ob causam Innocentius I. teste Palladio Theophilum a communione separare decreverat (a): hoc ne fieret, vel si factum fuerat, ne perseveraret, rogandum ducunt Patres Africani; suo exemplo docentes, quomodo Ecclesiarum Prælati solliciti esse debeant, ut pacem atque concordiam inter dissentientes Ecclesias concilient & foveant. Hæc enim Patrum prima semper cura fuit, ut pacem inter Ecclesias retinerent. Sic Basilius *Epist. 52. ad Athanasium*; „ curandum, inquit, „ ut *paci* posthabeantur omnia, & cum primum An„ tiochenæ Ecclesiæ medeatur, ne illa sincera pars im„ becillis facta, personarum respectu scindatur.

Et sane nullibi apparet, quod Africana Ecclesia se a communione Theophili Alexandrini separaverit; licet Aurelius fortiter pro Chrysostomo steterit, ut ex Epistola 149. Chrysostomi ad Aurelium intelligitur.

CANON CII.*

*Gr. CV.

Placuit, ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungatur, sed ita maneat, aut sibimet reconcilientur: quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur, in qua causa legem Imperialem petendam promulgari.

SCHOLION.

De hoc cedentibus ad novas nuptias pendente matrimonio.

NOTUM est, apud Romanos variis de causis divortia inter conjuges fuisse per publicas leges permissa; atque sub Imperatoribus Christianis tolerata.

Cum autem scirent Patres Africani, non eam esse legum earum vim, ut matrimonia vigore earum possint *quoad vinculum dissolvi*; hoc Canone decreverunt, *ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungatur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur*: palam supponentes, dissolutionem hanc matrimonii Evangelicæ & Apostolicæ disciplinæ contrariari. Adduntque: *quod si contempserint*, id est si alteri conjungantur, *ad pœnitentiam reducantur*, nimirum tamquam adulteri.

Quare Patres legem ab Impp. petendam putarint.

At non ignorantes Africani Patres, quam parum efficax sæpius esset Ecclesiæ constitutio, tametsi Evangelicæ & Apostolicæ disciplinæ & doctrinæ innixa, notanter contra inolitam consuetudinem, humanæ libertati & concupiscentiæ faventem, necnon publicis legibus probatam, aut ut minus toleratam, merito addiderunt: *in qua causa legem Imperialem petendam promulgari.*

Canon apud Gratianum relatus omissa clausula finali.

Gratianus retulit hunc Canonem *caus. 32. qu. 7. Can.* 5. omissa postrema clausula, petenda lege Imperiali.

CANON CIII.

* Gr. CVI.

Placuit etiam hoc, ut preces, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur, nec aliæ, omnino contra fidem præferantur, sed quæcumque a prudentioribus fuerint collecta dicantur.

SCHOLION.

Non nisi in Synodo probatæ preces in Ecclesia recitentur.

PUBLICAS *preces* in Synodo *probatas* ab omnibus celebrari, hoc Canone decrevere Patres Africani, *nec alias* quam *a prudentioribus collectas* dici voluerunt, Ratio additur in Canone; prout extat in Concilio Mile-

vita-

(a) Vide Palladium in vita S. Chrysostomi pag. 214.

vitano, quod vulgo vocatur, ubi poſterior hujus Canonis pars ita legitur: *nec alia omnino dicantur in Eccleſia, niſi quæ a prudentioribus tractata vel comprobata in Synodo fuerint; ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſitum.*

Scholion Balſamonis, quod ex Codice Amerbachiano profert Guilelmus Beveregius in notis ad hunc Canonem, quid per varia precum nomina Canon ſignificet, his verbis exponit: „ Preces quidem vocat totam Li-„ turgiam; præfationes autem, pſalmodias, & lectiones „ SS. Scripturarum uſque ad divina Evangelia; com-„ mendationes vero, orationes pro Catechumenis, qui-„ bus Deo commendantur; impoſitiones autem manuum, „ eas, quæ poſt preces pro pœnitentibus iis Epiſcopi „ manu factæ ſunt, benedictiones.

Epiſcopi curare debent, ut nihil apocryphi in officium divinum irrepat.

Docent hoc decreto Patres Africani, quam ſolliciti eſſe debeant Epiſcopi, aliique Prælati, ne quid apocryphum, aut ſatis probatum, vel quod ſolidæ pietati populi non ſubſervit; aut Divina Majeſtate minus dignum eſt in publicas Eccleſiæ preces irrepat; aut ſi irrepſerit, ut tollatur. Ut & ipſa Synodus Tridentina optat, & pluribus oſtendimus *in Jure Eccleſiaſt. Tom. I. part. 1. tit. 16. cap. 9.*

CANON CIV. *

* Gr. CVII.

Placuit, ut quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur; ſi autem Epiſcopale judicium ab Imperatore poſtularit, nihil ei obſit.

SCHOLION.

De Clerico, qui judices ab Imperatore petit.

PRÆSENTI Canone agi de Epiſcopo aut Clerico, qui criminaliter coram Synodo Provinciali, vel ſuo Epiſcopo accuſatur, aut in jus vocatur, apud omnes expeditum eſt.

De hoc itaque ſtatuitur, quod ſi Epiſcopus, vel Clericus ſic accuſatus, vel conventus, *ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum* (Gr. *ſæcularium*) *petierit, honore proprio privetur*: „ Hoc eſt, ait Zonaras, „ deponatur.

Poſt hæc adjungit Canon: quod *ſi* ita accuſatus, *Epiſcopale judicium ab Imperatore poſtulaverit*: hoc eſt, notante Zonara „ cauſam ſuam in conventu Epiſcopo-„ rum Imperatoris auctoritate habendo cognoſci velit, „ *nihil ei obſit*, id eſt, nullam dignitatis ſuæ jacturam „ ex ea faciet.

Principis auctoritate conventus Eccleſiaſticus indici poteſt.

Agnoſcunt ergo Patres, auctoritate Principis poſſe convocari, quin & peti conventum Epiſcoporum, in quo Epiſcopi, aut Clerici cauſa diſcuti jubeatur.

Hic Canon male a Gratiano aſſignatur Concilio Carthaginenſi VIII.

Extat hic Canon apud Gratianum, *cauſ. 11. quæſt. 1. Can. 11.* ſub nomine Concilii Carthaginenſis VIII. monentque Correctores Romani, hoc nomine intelligi Concilium Milevitanum II. in quo hic Canon, inquiunt, extat *c. 19.* ſed huic Concilio Canonem hunc non recte tribui ex diſſertatione procemiali intelligi poteſt.

CANON CV. *

* Gr. CVIII.

Quicumque autem non communicans in Africa, ſi in tranſmarinis ad communicandum obrepſerit, jacturam Clericatus excipiat.

SCHOLION.

Clerici excommunicati in una Eccleſia, tales habendi in alia.

CANON hic oſtendit, ſcelusum Clericum a communione, etiam ſe pro excluſo reputare debere in aliis regionibus; atque hac in parte concidit Canone V. Nicæno, qui vetat excommunicatum ab uno Epiſcopo, recipi in communionem ab aliis, prout in Scholio ad illum Canonem oſtenſum eſt.

Loquitur autem ſpecialiter Canon de eo, qui *in Eccleſiis tranſmarinis ad communicandum obrepſerit* (ſive Gr. *in tranſmarinas partes ad communicandum ſe ſurripuerit*); hoc eſt: qui ab Eccleſia in Africa clanculo defecit, ſeu tranſmeavit, & *in tranſmarinis* Eccleſiis, ſeu Romana *ſacrificat*, uti notat Balſamon.

Et revera admodum veriſimile eſt, quod plures Romam refugerent, tamquam ad principaliorem, ſeu primam Eccleſiam, ut ibi ad communionem admitterentur, qui in Africa erant excluſi: quod tamquam totius diſciplinæ, & ordinis Hierarchici deſtructium, impedire voluerunt Patres Africani, qui per appellationes ad Romanum Pontificem, judicia Epiſcoporum contra Clericos, aut Synodorum Provincialium contra Epiſcopos enervari voluerunt, uti natum eſt, & infra oſtendetur.

CANON CVI. *

* Gr. CIX.

Placuit, ut quicumque ad Comitatum ire voluerit, in formata, quæ ad urbis Romæ Eccleſiam mittitur, intimetur, ut inde etiam ad Comitatum formatam accipiat. Quod ſi accipiens ad Romam tantummodo formatam, & tacens neceſſitatem, quæ ad Comitatum illi pergendum eſt, voluerit etiam ad Comitatum pergere, a communione removeatur. Quod ſi ibi Romæ ei repentina neceſſitas orta fuerit ad Comitatum pergendi, alleget apud Epiſcopum urbis Romæ ipſam neceſſitatem; & de hoc ſcripta ejuſdem Romani Epiſcopi præferat. Formata autem, quæ a Primatibus, vel a quibuſcumque Epiſcopis Clericis propriis dantur, habeant diem Paſchæ: quod ſi adhuc ejuſdem anni Paſchæ dies incertus eſt, ille præcedens adjungatur, quomodo ſolet poſt Conſulatum in publicis geſtis adſcribi. Placuit & illud, ut adverſus Donatiſtas & Paganos, vel eorum ſuperſtitione Legati miſſi de hoc glorioſo Concilio, quicquid utile perviderint, de glorioſiſſimis Principibus impetrent. Placuit etiam petitu omnium Epiſcoporum, ut Epiſtolis omnibus de Concilio dandis Sanctitas ſua ſola ſubſcribat. Et ſubſcripſerunt. Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis huic decreto conſenſi, & prælecto ſubſcripſi. Similiter & cæteri Epiſcopi ſubſcripſerunt.

SCHOLION.

Reprimitur frequens Epiſcoporum ad ultramarine, ac notanter ad Comitatum profectio.

MULTA ſunt, quæ evincunt jampridem, etiam ante hanc Synodum frequentiorem fuiſſe Epiſcoporum & Clericorum Africanorum, ad *Comitatum*, ſive ad aulam Imperatoris, & tranſmarinas regiones navigationem. Plura enim etiam in hoc Codice decreta adverſus hanc frequentiorem navigationem recitavimus: quin & ad Synodum Sardicenſem de hoc abuſu querelas delatas fuiſſe a Grato Carthaginenſi Epiſcopo, conſtat ex hujus Synodi *Canone 4.*

Cum autem Epiſcoporum ad *Comitatum* acceſſus totaliter prohiberi non poſſet, quia nonnunquam eum acceſſum exigit neceſſitas, vel evidens utilitas Eccleſiæ, voluerunt Patres Africani hoc Canone præſcribere, qualiter cum Epiſcopis Romam, vel ad *Comitatum* navigaturis ageretur; ut hac ratione, quantum poſſibile eſſet, huic abuſui, ſive Epiſcoporum frequentiori, quam neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ exigit, ad *Comitatum* navigationi, obviaretur.

De formatis ſeu dimiſſoriis.

Itaque ſtatuunt in primis: *ut quicumque ad Comitatum ire voluerit, in formata* (ſive Gr. *dimiſſoria*) *quæ ad urbis Romæ Eccleſiam mittitur, intimetur*. Hoc eſt, uti notat Zonaras, ut Romano Papæ, *dimiſſoriæ* illæ litteræ oſtendantur, ut inde, hoc eſt a Papa Romano, *etiam ad Comitatum formatam accipiat.*

Deinde ſtatuit Canon, *quod ſi accipient ad Romam tantummodo formatam, & tacens neceſſitatem* (ſeu Gr. *prætermiſſa neceſſitate*) *quæ* (vel Gr. *propter quam*) *ad Comitatum illi pergendum eſt, voluerit etiam* (Gr. *recta*) *ad Comitatum pergere, a communione removeatur.*

Senſus Canonis hac in parte apparet; quod ſi is, qui *formatam*, ſive *dimiſſoriam*, prout in Canone acceperat eundi Romam, neceſſitatem pergendi ad Comitatum non expoſuerit; ſed recta ad Comitatum perrexerit, communione privetur.

Porro cum contingere queat, ut cuipiam in urbe Roma alia de cauſa exiſtenti, repentina neceſſitas ſuboriatur ad Comitatum pergendi, permittunt Patres, *ut alleget apud Epiſcopum urbis Romæ ipſam neceſſitatem, & de hoc ſcripta ejuſdem Romani Pontificis perferat.*

Arguuntur Epiſcopi Aulici.

Hic oſtendunt Patres, non niſi neceſſitate cogente Epiſcopum a ſua Diœceſi & Eccleſia recedere oportere etiam ad Comitatum Principis eundi cauſa, condemnantes hoc ſuo decreto, Epiſcopos illos aulicos, quibus aula magis, quam propria Eccleſia placet.

Quare formatis inſerenda dies Paſchæ.

Inſuper placuit, *ut formata, quæ a Primatibus, vel a quibuſcumque Epiſcopis Clericis propriis dantur*, adjungatur *dies Paſchæ* ejus anni: vel ſi is adhuc incertus ſit, dies Paſchæ præcedentis anni, *quomodo ſolet, poſt Conſulatum in publicis geſtis adſcribi*. Veriſimilis ratio hujus adſcriptionis videtur recte notata a Zonara: „ ut „ illius, qui ad Imperatorem proficiſcitur, abſcentiæ „ tempus indicaretur.

Duo Concilia Carthaginenſia contra Paganos & Hæreticos.

Primum. *

* Gr. CX. priori parte.

Baſſo & Philippo VV. CC. Conſſ. 16. Kal. Julias Carthagine in Secretario Baſilicæ Reſtitutæ. In hoc Concilio Legationem iterum ſuſcepit Fortunatianus Epiſcopus contra Paganos & Hæreticos.

Alterum. *

* Gr. CXI. poſteriori parte.

Baſſo & Philippo VV. CC. Conſſ. 3. Idus Octobris Carthagine in Secretario Baſilicæ Reſtitutæ, In hoc Concilio Legationem ſuſceperunt Reſtitutus & Florentius Epiſcopi contra Paganos & Hæreticos eo tempore, quo Severius & Macarius occiſi ſunt, & propter eorum cauſam Evadius, Theaſius, & Victor Epiſcopi cæſi ſunt.

SCHOLION.

Duo Concilia Carth. ann. 408. in quibus decreta Legatio contra Paganos & Hæreticos.

IN Codice Africano poſt Can. CVI. ſequuntur hæc duo Concilia Carthagine habita ann. 408. Primum *Baſſo & Philippo VV. CC. Conſſ. 16. Kalendas Julias Carthagine in Secretario* (ſive Gr. *Secreto*) *Baſilicæ Reſtitutæ.*

De

De hoc Concilio illud duntaxat habetur, quod „ in „ hoc Legationem accepit iterum Fortunatianus Epi„ scopus contra Paganos & Hæreticos.

Alterum sub iisdem Consulibus, eodemque loco, 3. Idus Octobris.

Occasio postulandi innovationem legem adversus Gentiles & Donatistas.

Occasio harum Synodorum & Legationum fuit, quod mortuo sub initium anni 408. Stilicone, qui munus magistri Officiorum gesserat, apud Imperatorem Honorium, Gentiles & Donatistæ in Africa falso rumore jactarent leges contra se latas, nequaquam ex voluntate extitisse Honorii Imperatoris; sed opera Stiliconis. Et quasi earum auctoritas una cum ipso Stilicone esset extincta, in Catholicos immaniter insurrexerunt: & quosdam etiam Episcopos inaudita crudelitate occiderunt.

S. Aug. exponit insolentia Donatistarum.

De his agit ipse Augustinus, *Epistola* 97. ad Olympium, qui hoc anno, mortuo Stilicone, ad dignitatem magistri Officiorum fuerat erectus. In hac Epistola scribit: „ Et fratres quidem, multi sancti collegæ „ mei, graviter perturbata Ecclesia profecti sunt pene „ fugientes ad gloriosissimum Comitatum " ; His non obscure innuit Legationes Episcoporum per has Synodos hoc anno decretas; insuper ex his verbis, *pene fugientes*, intelligitur Episcoporum ad Comitatum *acceleratus* accessus, & inde colligitur, per insolentiam Donatistarum, multum conturbatam fuisse Ecclesiam.

Deinde hortatur Olympium, ut opus bonum, quod meditabatur, *diligentissima acceleretur instantia*: „ quo „ noverint, ait, inimici Ecclesiæ, leges illas, quæ de „ idolis confringendis, & hæreticis corrigendis, *vivo* „ *Stilicone*, in Africam missæ sunt, ex voluntate Im„ peratoris piissimi & fidelissimi constitutas, qui ne„ sciente, vel nolente factum, sive dolose jactant, si„ ve libenter putant: atque huic animos imperitorum „ turbulentissimos reddunt; nobisque periculose ac ve„ hementer infestos.

Meminit dein rursus Episcoporum, *qui propterea navigaverunt*; nimirum ad transmarinas regiones, & Comitatum, quos benigne audiri rogat; qui, ait, „ po„ tuerunt *communi consilio* diligentius deliberatum ali„ quid ferre; quantum temporis permittebat angustia ". Interfuerant nimirum hi Episcopi prædictis Synodis, in quibus communi consilio deliberatum erat, quid in hac Ecclesiæ perturbatione per Donatistas suscitata, agendum esset.

Monet autem Augustinus Olympium. „ Illud tamen, „ quo animum Clementissimi & Religiosissimi Principis „ erga Ecclesiam Provincia moverit, nullo modo esse „ differendum; sed etiam antequam Episcopos, qui „ profecti sunt, videas, quamprimum tua præstantis„ sima pro Christi membris in tribulatione maxima „ constitutis vigilantia potuerit, accellerandum sugge„ ro, peto, obsecro, flagito.

His Augustini, aliorumque Episcoporum querelis, commotus Olympius, plures adversus Donatistas leges ab Honorio hoc anno impetravit; atque inter alias *legem* 43. *Cod. Th. de hæreticis*, hujus tenoris. „ Om„ nia, quæ in Donatistas, qui & *Montenses* vocantur, „ Manichæos, sive Priscillianistas, vel in Gentiles, a nobis generalium legum auctoritate decreta sunt, non „ solum manere decernimus, verum in executionem „ plenissimam effectumque deduci, ita ut ædificia quo„ que, vel horum, vel cœlicolarum etiam (quæ ne„ scio cujus dogmatis novi conventus habent) Eccle„ siis vendicentur, pœna vero lege proposita veluti „ convictos, tenere debebit eos, qui Donatistas se con„ fessi fuerint, vel Catholicorum communionem refu„ gerint scævæ religionis obtentu, quamvis Christia„ nos esse se simulent.

Plures leges latæ contra Donatistas.

Promulgata est eodem tempore, & ad Donatum Africæ Proconsulem missa *Lex* 44. *Cod. Theod. de hæreticis*, qua Donatistas ut hæreticos supplicio affici jubet Honorius, qui Catholicis vim & mortem his temporibus intulere.

Rogat Augustinus, ut Donatistæ morte, non afficiantur.

Ad hanc legem verisimiliter attendit S. Augustinus scribens circa hoc tempus Donato Proconsuli Africæ, Epist. 100. qua Donatistas, coerceri quidem, sed *non occidi* enixe postulat. „ Neque enim vindictam de ini„ micis in hac terra requirimus, aut vero ad eas an„ gustias animi nos debent coarctare, quæ patimur, „ ut obliviscamur, quid nobis præceperit, pro cujus „ veritate ac nomine patimur: diligimus inimicos no„ stros, & oramus pro eis: unde ex occasione terribi„ lium judicum ac legum, ne in æterni judicii penas „ incidant, corrigi eos cupimus, non necari, nec di„ sciplinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis, „ quibus digni sunt, exerceri. Sic igitur eorum pec„ cata compesce, ut sint quos pœniteat peccasse.

Post hanc sententiam dignam charitatis Doctore, subjungit. „ Proinde si occidendos in his sceleribus ho„ mines putaveritis, deterrebitis nos, ne per operam „ nostram ad vestrum judicium aliquid tale perveniat: „ quo comperto, illi in nostram perniciem, licentiore „ audacia grassabuntur, necessitate nobis impacta & „ indirecta, ut etiam occidi ab eis eligamus, quam „ eos occidendos, vestris judiciis ingeramus.

Has leges, ad privatas Augustini, & aliorum quorumdam Episcoporum instantissimas & urgentissimas preces, datas fuisse ante adventum Legatorum e Synodis Africanis, recte advertit Jacobus Gothofredus ad citatam *legem* 44. post quorum adventum lata fuit *Lex* 46. *Cod. Theod. de hæreticis* data 15. Januarii anno 409. qua rursus declaratur, omnia ante constituta contra Donatistas executioni mandanda.

Lex impetrata contra Paganos.

Non tantum contra Donatistas, sed & contra Paganos, jam mortuo Stilicone evulgata est *Lex* 19. *Cod. Theod. de Paganis*; qua decernuntur, quæ præcedentibus annis, vivente Stilicone, pro extirpandis idololatriæ reliquiis, a Patribus Africanis, non semel postulata fuerant, nec hactenus impetrari potuerant utpote Stilicone Paganis non parum favente, uti ad hanc legem latius ostendit citatus Jacobus Gothofredus.

CANON CVII. *

* Gr. post Can. CX.

Gloriosissimis Imperatoribus Honorio VII. & Theodosio III. Augg. Conss. 17. Kal. Julias Carthagine in Basilica Regionis secunda. In hoc Concilio placuit, ut non sibi unus Episcopus vendicet cognitionem. Gesta hujus Concilii ideo non descripsi, quoniam Provinciale non Universale celebratum est.

SCHOLION.

Causa Episcopi vel Clerici contra Episcopum in Synodo tractetur.

DE hujus Concilii gestis nihil aliud hactenus scitur, quam hic constitutum esse, *ut non unus Episcopus vendicet sibi cognitionem*. Id est „ si duo inter se Epi„ scopi litigent, vel adversus Episcopum Clericus actio„ nem intendat, ne sibi Episcopus quispiam ejus cau„ tionem solus assumat, sed ea ad Synodi Provincialis „ conventum referatur " : uti notat Zonaras hic.

Quare gesta hujus Concilii in Canone non fuerint descripta,

Auctor collectionis dicit, se gesta hujus Concilii ideo non descripsisse, *quoniam Provinciale, non Universale celebratum est*: quibus innui apparet ideo gesta illius Concilii non fuisse descripta, quoniam duntaxat ex Episcopis unius Provinciæ erat conflatum, & non totius Africæ: adeoque tacite significari, nulla nisi Conciliorum generalium gesta, in hoc Codice esse descripta. Verum ipsa Græcorum lectio indicat alium esse horum verborum sensum; nimirum ideo gesta hujus Concilii non fuisse descripta, quoniam ob unam solam Provinciam, sive propter negotia ad unam duntaxat Provinciam spectantia, celebratum fuit. Ita enim hæc Græcorum lectio habet: *Acta præsentis Synodi non sunt scripta, propterea quod specialiter ad illam regionem, & non in commune peracta sunt.*

An huic Concilio adscribi possit separatus Canon?

Speciale hic occurrit, quod apud Dionysium huic procemio Concilii apponatur numerus Canonis CVII. cum tot aliorum Conciliorum procemiis nullus numerus apponatur: nec etiam in Codice Africano Græco Latino apud Justellum huic procemio apponatur: quin & numerus CVII. in illo Codice Justelli omittitur, fitque transitus a numero CVI. immediate ad numerum CVIII. quod non sine mysterio factum videri potest, uti infra notabimus.

De Synodo Carthaginensi anni 410. *

* Gr. CXI.

Post Consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorii VII. & Theodosii III. Augg. 18. Kalend. Julias Carthagine in Basilica Regionis secunda. In hoc Concilio Legationem susceperunt contra Donatistas Laurentius, Possidius, Præsidius, & Benenatus Episcopi, eo tempore, quo Lex data est, ut libera voluntate quis cultum Christianitatis exciperet.

SCHOLION.

Leges adversus Donatistas latæ occasione Attali invadentis Imperium silere jussæ.

HABEMUS hanc Synodum celebratam, & *Legationem* in eam decretam, *eo tempore quo Lex data est*, *ut libera voluntate* (seu Gr. *libera electione*) *quis* (seu Gr. *unusquisque*) *cultum Christianitatis exciperet*; id est Lex, quia hæretici, etiam Donatistæ sinerentur eam, quam vellent Religionem amplecti, uti notat Baronius ad annum 419. qui & conjicit, occasionem latæ hujus legis fuisse; quod cum Attalus Tyrannus, circa annum 409. invasisset Imperium, & jam Africam esset tentaturus, Heracliani in Africa Comitis, vel Macrobii in ea Proconsulis consilio factum fuerat, ut in Africa leges adversus Donatistas silerent, ne alioquin Donatistæ, tot legibus exasperati, a partibus Tyranni Attali starent; atque hac occasione legem hanc ab Honorio rerum ipsarum necessitate presso extortam esse.

Legatio ad Imp. ut Attalo jam exauctorato, priores leges restaurentur; cui & annuit Imperator

Postquam ergo periculum illud cessabat, Attalo exautorato, Patres Africani, congregato Concilio, Legationem, pro legis istius abrogatione, ad Imperatorem miserunt, qui ad ipsorum preces haud gravate legem a necessitate rerum quadam violentia exortam revocavit, edita constitutione VIII. Kalendas Septemb. 410. inscripta Heracliano Comiti Africæ, exstatque in *L.* 51. *Cod. Theod. de hæreticis*: ipsasque pœnas in hæreticos antea decretas intendit; eo quod mitioribus edictis invitati, vel pœnis etiam affecti; furorem suum quo-

quotidie acrius in Catholicos exercerent. Verba legis sunt: " Oraculo penitus remoto, quo ad ritus suos „ hæreticæ superstitiones obrepserunt; sciant omnes „ sanctæ legis inimici plectendos se pœna & proscri„ ptionis & sanguinis, si ultra convenire per publi„ cum, execranda sceleris sui temeritate tentaverint.

Barbariem donatistarum describit Augustinus.

Quam atrocia, & immunia essent Donatistarum in Catholicos scelera sub hoc tempus, variis locis describit S. Augustinus, ac signanter *epistola* 111. ad Victorianum, ubi ait, *num.* 1. " Ecce in Regione nostra „ Hipponensi, quoniam eam barbari non attigerunt, „ Clericorum Donatistarum, & Circumcellionum latrocinia sic vastant Ecclesias, ut Barbarorum fortasse „ facta mitiora sint. Quis enim Barbarus excogitare „ potuit, quod isti, ut in oculos Clericorum nostrorum calcem & acetum mitterent, quorum membra „ etiam cætera plagis horrendis, vulneribusque sauciarunt.

* Gr. CXII. priori parte.

CVIII. * *Procemium Concilii Carthaginensis. anni* 418.

Gloriosissimis Imperatoribus, Honorio XII. & Theodosio VIII. Augg. Conss. kal. Majas Carthagine in Secretario Basilicæ Fausti. Cum Aurelius Episcopus in universali Concilio concedisset, adstantibus Diaconis, placuit, omnibus Episcopis, quorum nomine & subscriptiones indictæ sunt, in sancta Synodo Carthaginensis Ecclesiæ constitutis.

S C H O L I O N.

De Concilio Carth. an. 418. cui adscribendi sint hic, & sequ. Canones contra Pelagium non autem Conc. Milevitano.

HÆc est illa Synodus plenaria, cui passim eruditi censent adscribendos illos famosos Canones contra hæresem Pelagianam, qui per errorem, jampridem adscripti fuerant Concilio Milevitano II. quem errorem retinuit Gratianus, Canones hos dicto Concilio Milevitano adscribens *dist.* 4. *de consecr.* quem errorem post Baronium notavit Labbæus, tom. 2. Conc. in nota marginali ad *Can. I.* dicti Concilii Milevitani, & plenius notavimus in *dissertatione procemiali*, §. 8. & §. *sequenti* ostendimus, Canones hos primum in Concilio Africano Autumnali anno 417. conditos, & ad Zosimum missos esse; at in hoc Concilio demum publicatos, & subscriptionibus plenum robur accepisse; ideoque & merito huic Concilio adscribi.

* Gr. CXII. posteriori parte.

CANON CIX. *

Ut quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturæ; anathema sit.

S C H O L I O N:

Damnatur Pelagius asserens Adam moriturum fuisse, etiamsi non peccasset.

DE hoc errore multis locis agit S. Augustinus, eumque Pelagio Hæresiarchæ in Synodo Palæstina objectum fuisse scribit *lib.* 2. *contra Julianum cap.* 16. ita Julianum alloquens. " Hoc loquens, quod objectum „ est Hæresiarchæ vestro Pelagio, in Episcopali judicio Palæstino, quod ita factus fuerit Adam, *ut sive* „ *peccaret, sive non peccaret*, moriturus esset; hanc „ enim mortem, qua omnes morimur, de qua dictum „ est, a muliere initium factum est peccati, & pro„ pter illam omnes morimur, non vis ex peccato in „ omnes fecisse originaliter transitum, ne cogaris fateri simul etiam originaliter transisse peccatum. Sentis „ quippe, quam iniquum sit, sine merito transisse supplicium. Verumtamen, tam Catholicum est quod expugnare conaris, ut hoc ille, cui, sicut dixi, objectum est, nisi damnasset, profecto ex illo judicio „ damnatus exiisset. Mors ergo & ista, qua spiritus a „ corpore separatur, & illa, quæ dicitur secunda, qua „ spiritus cum corpore cruciabitur, quantum attinet „ ad meritum generis humani, in omnes homines per„ transiit: sed gratia Dei, per eum qui venit ut moriendo regnum mortis auferret, ea resurrectione, cujus in illo præcessit exemplum, mortem regnare non „ sivit. Hoc tenet Catholica fides, hoc tenent judices, quos Pelagius formidavit, hoc non tenent hæretici, quos Pelagius seminavit.

Hunc errorem damnare compulsus est ipse Pelagius in Synodo Palæstina anni 415.

Hujus Synodi Palæstinæ, in qua accusatus Pelagius de hoc errore, eum in eadem Synodo damnare compulsus fuit, meminit idem Sanctus, *lib. de gestis Pelagii cap.* 35. Habitaque fuit anno 415. apud Diospolim mense Decembris, interfueruntque Episcopi 14. ubi primus articulus Pelagio objectus fuit ille, qui huic Canoni respondet. *Adam mortalem factum, qui sive peccasset, sive non, moriturus esset.* Huic articulo opposuit Pelagius ex mandato Synodi hanc confessionem, quid " Adam, nisi peccasset, non fuisset moriturus. Plura de hac Synodo videri possunt apud Labbæum *tom.* 2 *Conc. col.* 1529.

Error Gratiani.

Gratianus *dist.* 4. *de consecr. Can.* 152. hunc ei titulum *præfigens*, *ex Concilio Milevitano, cui interfuit Augustinus, & Anselmus Romana Sedis Legatus contra Pelagianos.* Errorem Gratiani, quo Canonem Concilio Milevitano attribuit, jam notavimus. Monent autem Correctores Romani in marginem circa nomen Anselmi: videtur, inquiunt, mendum in hoc nomine.

CANON CX. *

* G. CXII. alter eorum, qui il lic sub hoc Eod. num. occurrunt.

Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; *nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit: propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in seipso adhuc committere potuerit, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*

S C H O L I O N.

Quæ circa statum parvulorum ante & post baptismum in Synodo Diospolitano Pelagius coactus fuit damnare.

INTER puncta, quæ in Synodo Diospolitana anno 415. jussus erat anathematizare Pelagius, erant, & hæc. „ Quod infantes nuper nati, in illo statu sint, in quo „ Adam fuit ante prævaricationem; item infantes, „ etiam non baptizentur, vitam æternam habere possint.

Articuli his oppositi, quos in hac Synodo professus est Pelagius, timens ne anathematizaretur, erant; „ *Quod infantes nuper nati, non sint in illo statu, in* „ *quo Adam fuit ante prævaricationem*: ut ad ipsos „ etiam pertineat, quod breviter ait Apostolus: *Per* „ *unum hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita* „ *& in Christo omnes vivificantur.* Item quod infan„ tes non baptizati, non solum regnum cœlorum, ve„ rum etiam vitam æternam habere non possunt. " Vide Augustinum *de gestis Pelagii cap.* 11.

De hac Pelagii professione, & quomodo ad eam adactus fuerit in Synodo, & quibus fallaciis eam exponere conati sint ejus discipuli, late describit S. Augustinus, *lib.* 2. *contra Julianum cap.* 5. ubi & nomina Episcoporum, qui huic Synodo Diospolitanæ interfuerunt, recenset.

Ostendit quoque variis locis S. Augustinus, Pelaganos quidem agnovisse baptismum parvulorum, sed tamen sustinuisse per baptismum eos a peccato non liberari, aut mundari, nec a potestate diaboli eripi, utpote quod negabant ullum *verum peccatum* ex Adamo contrahere, aut potestati diaboli obnoxios nasci; atque notanter *lib.* 2. *contra Jullianum, cap.* 9. ita eos alloquitur: " Non eos dicitis non debere baptizari, „ sed pro magnitudine sapientiæ vestræ, res mirabiles „ dicitis. In Sacramento Salvatoris baptizantur, sed „ non solvantur: redimuntur, sed non liberantur; „ lavantur, sed non abluuntur, exorcizantur, & „ exsufflantur, sed a potestate diaboli non eruuntur. „ Hæc sunt sententiarum portenta vestrarum; hæc inopinata mysteria dogmatum novorum, hæc paradoxa „ Pelagianorum hæreticorum, mirabiliora, quam Stoicorum Philosophorum. Ut enim hæc dicatis, timetis audire, si salvantur, quid in eis ægrotabat? si „ liberantur; quid in eis servitutis vinculo tenebatur? „ si abluuntur, quid in eis latebat immundum? si eruuntur, quo merito erant sub Diaboli potestate, qui „ propria iniquitate non erant rei, nisi quia trahuntur, quod negatis, originale peccatum,

Et *lib.* 1. *contra duas epistolas Pelagianorum cap.* 22. ipsos ita loquentes introducit. " Gratiam Christi om„ nibus necessariam, & majoribus & parvulis confite„ mur; & eos, qui dicunt, de duobus baptizatis na„ tum, non debere baptizari, anathematizamus ". Respondet autem Augustinus. " Novimus quoniam „ non secundum Paulum Apostolum, sed Pelagium hæreticum ista dicatis: parvulis videlicet baptismum „ necessarium, non propter remissionem peccatorum, „ sed tantum modo propter Regnum cœlorum. Datis „ enim eis extra Regnum locum salutis & vitæ æter„ næ, etiamsi non fuerint baptizati.

Hunc igitur Pelagianorum errorem anathematizat præsens Canon, stabiliens dogma Ecclesiæ Catholicæ, infantes nasci obnoxios peccata originali, quod lavacro Baptismatis expiari debet; ideoque in remissionem peccatorum *veraciter baptizari, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*

Hoc dogma contra Pelagianos validissime stabilivit S. Augustinus, ostenditque ex exorcismis & exsufflationibus, quas Ecclesia in baptismo adhibet, infantes revera servituti diaboli obnoxios nasci, item ex pœnis & mysteriis, quas etiam ante omnem usum rationis patiuntur infantes, eos peccato infectos generari concludit: nam, hæc utique mala, sub justo & omnipoten„ te Deo non irrogarentur ejus imagini, quibus malis „ in virtute exerceri infantilis ætas non potest dici,

„ dici, si nulla ex parentibus mala merita trahe-„ rentur,

Hic Canon quoque ostendit, Patribus Africanis jam tum persuasum fuisse sensum Scripturæ ex sensu Ecclesiæ esse sumendum, nec scripturam *aliter* accipi debere, *nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa* (Gr. *& simplex*) *semper intellexit*.

Refertur hic Canon apud Gratianum *dist.* 4. *de consecr. Can.* 153.

CANON *huic Synodo in quibusdam exemplaribus adscriptus*.

Item placuit, ut si quis dixerit, ideo dixisse Dominum: In domo Patris mei mansiones multæ sunt, *& ut intelligatur, quia in Regno cœlorum erit aliquis medius, aut nullus alicubi locus, ubi beati vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in Regnum cœlorum, quod est vita æterna, intrare non possunt, anathema sit. Nam cum Dominus dicat:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum cœlorum: *quis Catholicus dubitet, participem fore diaboli eum, qui cohæres esse non meruit Christi? qui enim dextera caret, sinistram proculdubio partem incurret.*

S C O L I O N.

IN Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ tom. 2. operum S. Leonis edit. Quenell. exhibetur, *Capitulo* XIII. sopradictum Carthaginense Concilium; eique *n.* 3, adscribitur hic Canon: *Item placuit ut si quis dixeris, &c.*

Sinceritas hujus Canonis.

Eumdem Canonem extare quoque in quodam pervetusto Codice ex Surio monet Binius; hosque secutus Labbæus collocavit inter Canonem præcedentem & proxime sequentem in Concilio vulgo dicto Africano, seu collectione variorum Canonum, sed charactere a reliquis distincto.

Eruditi operum S. Augustini Revisores in appendice secunda *tom.* 10. Concilium hoc Carthaginense exhibent ex Codice, qui hunc Canonem *num.* 3! repræsentat, nec ilum charactere a reliquis distinguunt.

Photius, qui sæculo IX. floruit, similem Canonem in hac Synodo conditum apertissime supponit in sua Bibliotheca *cap.* 58, ubi Synodum hanc evolvens ac relegens, hæc habet: " damnat hæc Synodus eos, qui „ asserunt, Adamum mortalem esse conditum, non „ autem prævaricationis causa morte mulctarum. Si-„ militer & eos, qui recens natos infantes baptismo „ minime indigere dicerent, quod illos peccato origi-„ nis ex Adamo, non putarent obnoxios ". En duo „ primi Canones. Tertium deinde subjungit. " Eo „ quoque, qui affirmarent, *medio quodam loco*, para-„ disum inter & inferos, non baptizatos infantes bea-„ te vivere. Sex item his affinia capita, quæ a Pela-„ gianistis & Cœlestianis traduntur, anathemate Ba-„ tres jugulant.

Canonem hunc in hoc Concilio editum, non obscure quoque significavit S. Augustinus *lib*, 2. *de anima & ejus origine cap.* 12. quem anno proximo a celebrata hac Synodo scripsit. Dicit enim " Novellos hære-„ ticos Pelagianos justissime *Conciliorum Catholicorum* „ & Sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eo quod „ ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis & „ salutis locum, etiam præter Regnum cœlorum: quod „ ausi non fuissent, nisi negarent, eos habere origina-„ le peccatum, quod opus esset absolvi per baptisma-„ tis Sacramentum.

Porro nullum Concilium circa hæc tempora occurrit præter duo hæc Carthaginensis, unum scilicet Autumnale annis 417. & alterum hoc nostrum Vernale anni 418. in quo hæc Pelagianorum dogmata damnata esse noscuntur. Ut vel hinc magni ponderis pro sinceritate hujus Canonis argumentum habeatur.

Verum quidem est, a Dionysio Exiguo hunc Canonem non repræsentari, nec in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ a Christophoro Justello Latino & Græce evulgato extare: uti nec apud Græcos Balsamonem & Zonaram: at eum aliquando in Codice Canonum Africanorum, etiam apud Dionysium, suum habuisse locum, indeque jam ab antiquo subtractum, vel forsan casu aliquo excidisse non levis nec temeraria est suspicio.

Cur titulus Concilii Carthag. 418. in Codice Afric. habeat præfixum nu. ad instar Canonis?

Pro quo notandum, in hoc Codice etiam apud Dionysium numerum non apponi, nisi ad ipsos *Canones*, seu decreta Conciliorum, sive integri Canones illi repræsententur, sive abbreviati; eo vero locet, ubi tantum Concilii titulus, nota consularis; locus Synodi, & alia hujusmodi, nullus adjungitur, uti ad relatos in hoc Codice Synodorum titulos videri potest. At hujus nostræ Synodi Carth. an. 418. non solis octo Canonibus distincti numeri, incipiendo a numero CIX. apponuntur, sed & ejus, qui præmittitur, titulo apponitur num. CVIII. cum nihilominus duntaxat notam consularem, locum Synodi, & Aurelii Primatis Præsidisque nomen contineat: quod circa solum hunc titulum inter omnes, qui Canonem non exhibent, non sine mysterio factum videri potest.

Mysterium autem hoc fuisse apparet, quod cum Codex Africanus contineret 138. Canones numeris suis distinctos & consequentes, ne ob recisum hunc Canonem numerus unus deesset, num titulo hujus Synodi apponendum censerunt, atque ita numerum pristina continuatio salva maneret, prout latius deducit Quenellus, *dissertatione* 13. *de Conciliis Africanis contra Pelagianos, tomo* 2. operum S. Leonis inserta, ubi *cap.* 31. *&* 32. pro sinceritate hujus Canonis erudite discurrit, & argumentis contrariis respondet.

C A N O N CXI.

* Gr. CXIII. priori parte.

Item placuit, ut quicumque dixerit, gratiam Dei, qua justificatur homo per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur; anathema sit.

S C H O L I O N.

Dogma Pelagii.

GRATIAM Christi & remissionem peccatorum, sive ut a peccato liberemur, admittere videbantur saltem tenuiter ipse Pelagius; at gratiam illam, ut non peccemus, esse necessariam negabat, uti variis locis testatur S. Augustinus, ac notanter *lib. de gestis Pelagii cap.* 23. ait: " de Dei gratia quæstionem non ali-„ ter sibi solvere visus est (*Pelagius*) nisi ut natu-„ ram cum libero arbitrio conditam, Dei diceret gra-„ tiam: aliquando, idque *tenuiter*, nec aperte, ei con-„ jungens, vel legis adjutorium, vel *remissionem etiam peccatorum* ". Et *lib. de natura & gratia cap.* 26. citatis verbis Pelagii exclamat: " videtisne quemadmo-„ dum non dicant *necessariam* misericordiam Dei, *ut* „ *non peccemus*, sed *quia peccavimus* ". Idem *de gratia & libero arbitrio cap.* 13. de Pelagianis scribit 3. „ Dicunt etiam gratiam Dei, quæ data est per fidem „ Jesu Christi, quæ neque Lex est, neque natura, ad „ hoc tantum valere; ut peccata *præterita* eimittan-„ tur, non ut *futura vitentur*, vel repugnantia superentur,

An Catholicum dogma, quod hoc Canone proponitur, & ab Augustino variis locis validissime contra Pelagianos stabilitur, est, gratiam Cristi esse necassariam, non tantum ut peccata, quæ commissa sunt, dimittantur, sed etiam ut non committantur: " post „ causam enim hominis, nonnisi ad gratiam suam De-„ us voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; „ neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut ho-„ mo non recedat ab eo ": ait Augustinus *de Dono perseverantia cap.* 7. Et " neque natura, neque sola „ remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Jesum „ Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa facit, „ ut Lex impleatur, ut natura liberetur, ne pecca-„ tum dominetur ": ut ait idem Doctor. *lib. de gratia & libero arbitrio cap.* 14.

Extat hic Canon apud Gratianum *dist.* 4. *de consecr Can.* 154.

C A N O N CXII.

* Gr. CXIII. posteriori parte.

Item quisquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum; quia per ipsum nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum. ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus; scientia inflat, charitas vero ædificat; *valde impium est, ut credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi, ad eam, quæ ædificat, non haberes cum sit utrumque donum Dei, & scire quid facere, debeamus, & diligere ut faciamus: ut ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est,* qui docet hominem scientiam; ita *etiam scriptum est* charitas ex Deo est.

S C H O L I O N.

Quod Gratia Christi non solum scientiam tribuat quid agamus, sed & dilectionem inspiret, ut quod scimus implere valeamus.

PELAGII dogma fuisse, gratiam duntaxat requiri ad illustrationem intellectus, clare tradit S. Augustinus, *de gratia Christi contra Pelagium cap*, 7. relatis enim verbis Pelagii, quibus suam de gratia sententiam exponit, tandem *cap.* 8. concludit Augustinus. " Hinc „ itaque apparet, hanc eum gratiam confiteri, qua „ *demonstrat & revelat* Deus quid agere debeamus, non „ qua donat, atque adjuvat, ut agamus.

At dogma Catholicum hoc Canone propositum, & ab Augustino invictissime contra Pelagianos assertum est, quod per gratiam Christi, non solum *nobis reveletur & aperiatur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus*, sed & *per illam nobis præstari, ut quod faciendum & cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus.*

Unde Augustinus *lib. de correptione & gratia, cap.* 2.

„ In-

„ Intelligenda eſt enim gratia Dei per Jeſum Chriſtum „ Dominum noſtrum, qua ſola homines liberantur a „ malo, & ſine qua nullum prorſus, ſive cogitando, „ ſive agendo faciunt bonum; non ſolum ut monſtrante ipſa quid faciendum ſit, ſciant, verum etiam ut „ præſtante ipſa, faciant cum dilectione quod ſciant “. *Et libro de ſpiritu & littera cap.* 19. „ nemo dicat „ ideo ſine operatione gratiæ Dei nos juſtos eſſe non „ poſſe, quia legem dedit, quia doctrinam inſtituit, „ quia bona præcepta mandavit; iſta enim, ſine adjuvante ſpiritu procul dubio eſt littera occidens; „ cum vero adeſt vivificans ſpiritus, hoc ipſum intus „ conſcriptum facit diligi, quod foris ſcriptum Lex „ faciebat timeri “. Totuſque hic liber eo tendit, ut oſtendatur, non in eo nos adjuvari ad operandam juſtitiam, quod legem dedit Deo plenam bonis ſanctiſque præceptis; ſed quod ipſa voluntas noſtra, ſine qua bonum operari non poſſumus, adjuvetur & erigatur, impertito ſpiritu gratiæ, ſine quo adjutorio doctrina legis littera eſt occidens.

Refert hunc Canonem Gratianus *diſt.* 4. *de conſecr. Can.* 255. omiſſis tamen iis, quæ in probationem ſtabiliti dogmatis adducuntur.

* Gr. CXIV.

CANON CXIII. *

Item placuit, ut quicumque dixerit: ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quid facere libero jubemur arbitrio, facilius poſſimus implere per gratiam, tamquam & ſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere divina mandata, anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, ſine me difficilius poteſtis facere; ſed ait, ſine me nihil poteſtis facere.

SCHOLION.

Quod ſine gratia nihil poſſimus boni implere.

PELAGIUS, teſte Auguſtino, *lib.* 2. *contra duas epiſtolas Pelagianorum cap.* 8. „ *facilius* dicebit impleri, „ quod bonum eſt, ſi adjuvet gratia: Quo additamento, id eſt, addendo *facilius*, utique ſignificat, „ hoc ſe ſapere, quod etiamſi gratiæ defuerit adjutorium, poteſt, quamvis *difficilius*, impleri bonum, „ per liberum arbitrium.

Hoc Pelagii dogma reprobatur hoc Canone, tamquam contrarium his verbis Chriſti: *ſine me nihil poteſtis facere*; quod S. Auguſtinus loco citato notavit, dicens: „ Dominus autem, ut reſponderet futuro Pelagio, non ait; ſine me, *difficile* poteſtis aliquid facere; ſed ait, ſine me nihil poteſtis facere.

Canon expoſitus extat apud Gratianum *diſt.* 4. *de conſecr. Can.* 256.

* Gr. CXV.

CANON CXIV. *

Item placuit, quod ait ſanctus Joannes Apoſtolus, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt; *quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita eſt, anathema ſit. Sequitur enim Apoſtolus, & adjungit:* ſi autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni inquitate. *Ubi ſatis apparet, hoc non tantum humiliter, ſed etiam veraciter dici. Poterat enim Apoſtolus dicere: ſi dixerimus, non habemus peccatum, nos ipſos extollimus, & humilitas in nobis non eſt: ſed cum ait: nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt, ſatis oſtendit, eum qui dixerit ſe non habere peccatum, non verum loqui, ſed falſum.*

SCHOLINO.

Nemo in hac vita abſque peccato contra Pelagii errorem.

PELAGIANOS docuiſſe, hominem eſſe poſſe ſine peccato, ſi velit, variis locis ſcripſit S. Auguſtinus; quin & inter aſſerta hæreticorum numerat S. Auguſtinus, *de geſtis Pelagii c.* 35. „ quod filii Dei non poſſint „ vocari, niſi omnino abſque peccato fuerint effecti.

Verum Catholici non negabant hominem in hac vita abſolute poſſe eſſe ſine peccato: „ ſi enim, ait Auguſtinus, *lib. de peccatorum meritis, cap.* 6. eſſe poſſe „ negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc „ volendo appetit, & Dei virtuti, vel miſericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus; ſed „ alia quæſtio eſt, ait, utrum eſſe poſſit, alia utrum ſit.

Ad hanc autem quæſtionem reſpondens, *cap.* 7. ait: „ eſſe non credo, magis enim credo Scripturæ dicenti; *ne intres in judicium cum ſervo tuo, quoniam* „ *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, & „ ideo miſericordia Dei opus eſt, quæ ſuperexaltat „ judicio, quæ illi non erit, qui non facit miſericordiam.

Et latius *libero de perfectione juſtitiæ hominis*, probat hominem nullum in hac vita eſſe ſine peccato, aitque *cap.* 21. „ Quiſquis autem dicit, poſt acceptam „ remiſſionem peccatorum, ita quemquam hominem „ juſte vixiſſe in hac carne, vel vivere, ut nullum „ omnino habeat peccatum, contradicit Apoſtolo Joanni, qui ait, *ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non* „ *eſt*; non enim ait, *habuimus*; ſed *habemus*.

Tractatum hunc ante editos hoſce Canones ab Auguſtino compoſitum fuiſſe probant operum Reviſores; atque hinc facile pateſcit in condendis his Canonibus majorem partem habuiſſe Auguſtinum, ita quidem ut ex ejus ſcriptis excerpti videri poſſint.

CANON CXV. *

* Gr. CXVI.

Item placuit, ut quicumque dixerit in oratione Dominica ideo dicere ſanctos, dimitte nobis debita noſtra, ut non pro ſe ipſis hoc dicant, quia non eſt eis jam neceſſaria iſta petitio, ſed pro aliis, qui ſunt in ſuo populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque ſanctorum, dimitte mihi debita mea, ſed dimitte nobis debita noſtra, ut hoc pro aliis potius quam pro ſe juſtus petere intelligatur, anathema ſit. Sanctus enim & juſtus erat Apoſtolus Jacobus, cum dicebat: in multis enim offendimus omnes. Nam quare additum eſt, omnes, niſi ut iſta ſententia conveniret & Pſalmo, ubi legitur: ne intres in judicio cum ſervo tuo, quoniam non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens, & in oratione ſapientiſſimi Salomonis: non eſt homo, qui non peccavit. Et in libro ſancti Job: in manu omnis hominis ſignat, ut ſciat omnis homo infirmitatem ſuam. Unde etiam Daniel ſanctus & juſtus, cum in oratione pluraliter diceret: peccavimus, iniquitatem fecimus, & cætera, quæ ibi veraciter & humiliter confitetur; ne putaretur, quemadmodum quidam ſentiunt hoc non de ſuis, ſed de populi ſui potius dixiſſe peccatis, poſtea dixit: cum orarem, & confiterer, peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo, noluit dicere, peccata noſtra, ſed peccata populi ſui dixit & ſua: quoniam futuros iſtos, qui tam male intelligerent, tamquam Propheta prævidit.

CANON CXVI. *

* Gr. CXVII.

Item placuit, ut quicumque ipſa verba Dominicæ orationis, ubi dicimus, dimitte nobis debita noſtra, ita volunt a ſanctis dici, ut humiliter non veraciter hoc dicatur, anathema ſit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittantur, debita non habere.

SCHOLION.

Error Pelagii circa expoſitionem petitionis dimitte nobis debita noſtra.

HOS rurſus Canones præcipue opera S. Auguſtini, atque ex ejus ſcriptis fuiſſe elaboratos, conſtat ex iis; quæ habet in opoſculo *de perfectione juſtitiæ hominis*, in quo variis argumentis oſtendit, ex oratione Dominica probari, juſtos non eſſe ſine peccato in hac vita: aitque *cap.* 8. „ In hac oratione, ſi contentioſi eſſe nolumus, ſatis nobis propoſitum ſpeculum „ eſt, ubi inſpiciatur vita juſtorum, quo ex fide vivunt, „ & perfecte currunt, quamvis ſine peccato non ſint.

Pro intellectu materiæ de gratia, conſulenda ſunt ſcripta S. Auguſtini contra Pelagianos.

Qui pro elucidatione horum Canonum abſtruſiora originalis peccati, necnon divinæ gratiæ myſteria continentium plura ſcire deſiderant, Theologos de his tractantes myſteriis adeant. Et quia Theologi in hac materia inter ſe non conveniunt, conſultum eſt præmittere ante omnem de hac materia lectionem, S. Auguſtini opuſcula contra Pelagianos, & Semipelagianos; ut ita ab omni præventione liber facilius videat, quid S. Auguſtinus in hac materia ſenſerit, immo quid ſentiat Eccleſia Catholica, quæ doctrinam S. Auguſtini in hac materia adoptavit, juſta illud Joannis II. Papæ epiſt. 3. *S. Auguſtinus, cujus doctrinam ſecundum prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſervat Eccleſia.*

CANON CVII. *

* Gr. CXVIII.

Item placuit, quoniam quidem ante aliquot annos in Eccleſia plenario Concilio conſtitutum eſt, ut quæcumque Eccleſiæ in Diœceſi conſtitutæ, ante leges de Donatiſtis latas, Catholicæ factæ ſunt, ad eas Cathedras pertineant, per quarum Epiſcopos factum eſt, ut Catholicæ unitati communicarent: poſt leges autem, quæcumque communicaverunt, illuc pertineant, quo pertinebant, cum eſſent in parte Donati. Sed quia multa controverſia poſtea inter Epiſcopos de Diœceſibus orta ſunt, & oriuntur, quibus tunc minus videtur eſſe proſpectum, nunc iſto Concilio ſancto placuit: ut ubicumque & Catholica fuit, & pars Donati, & ad diverſas Cathedras pertinebant, quocumque tempore illic unitas facta eſt, vel facta fuerit, ſive ante leges, ſive poſt leges, ad eam Cathedram pertineant, ad quam Catholica, quæ jam ibi fuerat, pertinebat.

CANON CXVIII. *

*Gr. CXIX.

Ita ſane, ut ſi Epiſcopus ex Donatiſtis ad Catholicam unitatem converſus eſt, æqualiter inter ſe dividant eas, quæ ſic fuerint inventæ, ubi ambæ partes fuerunt, id eſt, ut alia loca ad illum, alia ad illum pertineant, ita ut ille dividat, qui amplius temporis in Epiſcopatu habet, & minor eligat. Quod ſi forte unus fuerit locus, ad eum pertineat, cui vicinior invenitur. Quod ſi ambabus Cathedris æqualiter vicinus eſt, ad eum pertineat, quem plebs elegerit. Quod ſi forte antiqui Catholici ſuum Epiſcopum voluerint, & illi ſuum, qui ex Donati parte converſi ſunt: plurium voluntas paucioribus præferatur: ſi autem partes æquales ſunt majoris temporis Epiſcopo deputetur. Si autem ita plurima loca inveniuntur, in quibus ambæ partes fuerunt, at non poſſint æqualiter dividi, velut ſi impari numero fuerint; diſtributis eis locis, quæ parem habent numerum, quicumque locus remanſerit, hoc in eo ſervetur, quod ſuperius dictum eſt, cum de uno tractaretur loco.

SCHOLION.

Modus componendi diſſenſiones circa Cathedras inter Epiſcopos & Donatiſtas ad Eccleſiam revertentes.

EX ipſa horum Canonum materia, necnon convertendi modo, ſatis apparet hos duos Canones pro uno eodemque potius, quam pro duobus diſtinctis Canonibus eſſe habendos: unum quippe hic agitur negotium; ſcilicet ut uniformis modus præſcribatur procedendi, dum Donatiſtæ ad Eccleſiæ unitatem revertuntur; & diverſæ Cathedræ, quarum uni Donatiſta, alteri Catholicus præſidebat, uno eodemque loco inveniebantur; vel una duntaxat Cathedra, & duo Epiſcopi, quorum unus eſſet Donatiſta, ſed ad Eccleſiæ unitatem converſus.

Forma providendi Eccleſiis hic adeo exacte & dilucide propoſita eſt, ut nihil obſcuritatis occurrere videatur, quod elucidatione indigeat, ſed tantum attenta lectione opus ſit; uti etiam notavit Zonaras hic.

Mitigatur Can. XCIX.

Concilium, cujus hic Canon meminit, eſt de an. 407. cujus Canon ſupra XCIX. exhibitus, per præſentem Canonem ob difficultates, & quæſtiones varias exortas reformatur.

Epiſcopi Catholici amore pacis parati Cathedras ſuas cedere.

Quam parum noxii eſſent Epiſcopi Catholici de amittendis ſuis Cathedris, modo Donatiſtæ ad Catholicam unitatem reverti vellent, quamque eſſent parati pati & Eccleſiæ unitati ſuas Cathedras immolare; docet S. Auguſtinus *ſerm. 2.* ante collationem Carthaginenſem; ubi ita Donatiſtas alloquitur: „ Epiſcopi vultis eſſe „ nobiſcum? Eſtote. Non vult populus duos Epiſco„ pos, nobiſcum in hæreditate fratres eſtote. *Non* „ *propter honores noſtros impediamus pacem Chriſti...* „ Ergo ſublato errore de medio, tamquam pariete „ materiæ contradictionis & diviſionis, eſt frater meus, „ & ego ſum frater tuus; & ambo ſimus ejus, qui „ Dominus eſt & meus & tuus. *Hæc dicimus amore pa*„ *cis, non diſſidentia veritatis.*

CANON CXIX. *

*Gr. CXX.

Item placuit, ut etiam ſi quiſquam, poſt leges, aliquem locum ad Catholicam unitatem converterit; ſi eum per triennium nemine repente retinuit, ulterius ab eo non repetatur. Si tamen per ipſum triennium fuit Epiſcopus, qui poſſet repetere, & tacuit, præjudicium patietur: ſi autem non fuit, non præjudicetur matrici, ſed liceat, cum locus acceperit Epiſcopum, qui non habebat, ex ipſo die intra triennium repetere. Itemque ſi fuerit Epiſcopus ad Catholicam ex Donati parte converſus, non ei præjudicet præfinitum tempus, ſed ex quo die converſus eſt, habeat per triennium poteſtatem repetendi loca, quæ ad ipſam pertinebant Cathedram.

SCHOLION.

Cathedra aſſeritur illi, qui eam per triennium pacifice poſſedit.

HIc Canon rurſus ſpectat ad ſedandas controverſias ſuper finibus, ſive terminis Diœceſium, quæ occaſione converſionis Donatiſtarum ad Eccleſiam exoriebantur. Vult igitur, ut ſi Epiſcopus aliquis Catholicus *poſt leges* Imperatorum adverſus Donatiſtas promulgatas, *aliquem locum ad Catholicam unitatem converterit: ſi eum per triennium nomine repente retinuit; ulterius* (Gr. *deinceps*) *ab eo non repetatur: ſi tamen per ipſum triennium fuit Epiſcopus, qui poſſet* (ſeu Gr. *debebat.*) *repetere, & tacit* (ſive Gr. *quievit*).

Præſcribitur triennium, ut Epiſcopus in Cathedra ſua maneat pacificus.

Videbimus hic triennialem pacificum poſſeſſorem in Eccleſiæ ſuæ poſſeſſione defendi, ſive quod poſt triennii lapſum Epiſcopus locum illum pacifice retineat; nec a quoquam ſuper eo moleſtari aut turbari queat.

A quo tempore triennium currere incipiat, & quid curſum ejus impediat?

Merito autem Synodus addit hanc clauſulam; *ſi tamen per ipſum triennium*, quo Epiſcopus novus locum hunc poſſedit, fuerit in illa Eccleſia; ad quam locus ille primitus pertinebat, Epiſcopus, qui *poſſet repetere* locum ad ſuam Eccleſiam ſpectantem, eumque ſibi revendicare.

Si enim Eccleſia hæc vacaſſet, declarat Synodus, quod demum *triennium* incipiat currere *a die*, quo locus Epiſcopum accepit. Quod pariter obſervandum decernitur, *ſi Epiſcopus* iſtius loci *ad Catholcam ex Donate parte converſus* ſit; ut nimirum *non ei præjudicet præfinitum tempus*; id eſt, non ei præjudicet triennium elapſum, quo nondum erat ad Catholicam Eccleſiam converſus; *ſed ex quo die converſus eſt, habeat per triennium poteſtatem repetendi loca, quæ ad ipſam* (Gr. *ſuam*) *pertinebat Cathedram*,

Hoc Canone videmus, jampridem placuiſſe Patribus Africanis, ut pacificus Eccleſiæ poſſeſſor *triennalis* non turbaretur, aut in judicio inquietaretur, conformiter ad illud quod poſtmodum placuit generaliter decernere in Concilio Baſileenſi, per decretum *de pacificis poſſeſſoribus*; necnon regulam Cancellariæ de *triennali poſſeſſore*; quibus hic Canon veriſimiliter occaſionem dedit.

Inſuper hoc Canone, non obſcure probatur Canoniſtarum communis regula fundata *cap. 1. & 2. titul. Ne Sede vacante*, nimirum Eccleſiam Epiſcopo ſuo ſeu Paſtore viduatam comparari pupillo, qui ſuo deſtitutus eſt Tutore. Ideoque nec ei præjudicari eo tempore poſſe: Hoc ex capite præſenti Canone ſtatutum eſt, *triennium* vacante Eccleſia elapſum non nocere; ſed demum computari a die, quo Eccleſia ſuum Paſtorem, qui locum ab alio occupatum vindicare poterat, accepit.

CANON CXX. *

*Gr. CXXI.

Item placuit, ut quicumque Epiſcopi, plebs, quas ad ſuam Cathedram æſtimant pertinere, non ita repetunt, ut cauſas ſuas Epiſcopis judicantibus agant, ſed alio retinente irruerint, ſive volentibus, ſive nolentibus plebibus, cauſa ſua detrimentum patiantur. Et quicumque jam hoc fecerunt, ſi nondum eſt inter Epiſcopos finita contentio, ſed adhuc inde contendunt; ille inde diſcedat, quem conſtiterit prætermiſſis judiciis Eccleſiaſticis irruiſſe. Nec ſibi quiſque blandiatur, ſi a Primate, ut retineat, litteras impetravit; ſed ſive habeat litteras, ſive non habeat conveniat eum, qui tenet, & ejus litteras accipiat, ut eum appareat pacifice tenuiſſe Eccleſiam ad ſe pertinentem. Si autem aliquam quæſtionem retulerit, per Epiſcopos judices cauſa finiatur: ſive quos eis Primates dederint, ſive quos ipſi vicinos ex conſenſu elegerint.

SCHOLION.

De non occupandis propria auctoritate plebibus aliōs ſpectantibus.

HIc quoque Canon pertinet ad ſopiendas quæſtiones, quæ inter Epiſcopos, de terminis ſuarum Diœceſium, & plebibus ad ſe ſpectantibus tempore Donatiſtarum frequenter oriebantur: ſtatuiturque hoc Canone ne quiſquam propria auctoritate invadat plebes, quas alius de facto retinet: ſed ſi ad eas ſibi jus eſſe credat, Epiſcoporum judicio ſubmittat; eorumque judicium expectet; quod niſi fecerit, ſed propria auctoritate irruerit; *cauſa ſua detrimentum patiatur*; id eſt jure quod ad plebes illas ſibi vendicandas habere poſſet, excidat.

Unde unicus Canonis ſcopus eſt præcavere, ne quis *propria* auctoritate, aut tumultuarie, juris ordine neglecto, locum ab alio detentum invadat & occupet. Nam „ Lex quoque civilis, ait hic Balſamon, ſtatuit, „ ut qui ſine Magiſtratus auctoritate rem propriam ab„ ſtulerit, is ab ea excidat.

Quare & Canonem præſentem allegat Gratianus *cauſ. 16. quæſt. 6. Can. 2.* ad hujus aſſerti probationem: quod *quiſquis ſua auctoritate, quod ſibi deberi putat, uſurpat, nec per judicem repoſcit; cadat a cauſa.*

Notandum, quod non ſufficiat ad intrandam Eccleſiam, ſive obtinendam Cathedram, quam alius de facto detinet, *ſi a Primate, ut retineat* (ſive Gr. *de poſſidendo*) *litteras impetravit*; ſed debeat convenire *eum, qui tenet* (ſeu Gr. *poſſidet*) *ut eum appareat pacifice tenuiſſe Eccleſiam ad ſe pertinentem* (ſive Gr. *ut is videatur pacifice, quæ ad ipſam pertinet, Eccleſiam poſſidere*): hoc eſt, ut quantum ad illum, qui de facto poſſidet, pacifice poſſideat.

Si autem is, qui de facto Eccleſiæ eſt præfectus, renuat; ſed *aliquam quæſtionem retulerit* (ſive Gr. *contrariam quæſtionem refert*) *per Epiſcopos judices* (Gr. *ipſa quoque*) *cauſa finiatur; ſive quos eis Primates dederint* (vel Gr. *Primas dederit*) *ſive quos ipſi vicinos ex conſenſu elegerint.*

CANON CXXI. *

* Gr. CXXII.

Item placuit, ut quicumque negligunt loca ad ſuam Cathedram pertinentia, in Catholicam unitatem lucrari; conveniantur a diligentibus vicinis Epiſcopis, ut id agere non morentur. Quod ſi intra ſex menſes a die conventionis non effecerint, qui potuerit ea lucrari, ad ipſum pertineant. Ita ſane, ut ſi ille, ad quem pertinuiſſe videbantur, probare potuerit magis illius electam negligentiam ab hæreticis, ut impune ibi ſint,

& ſuam

& suam diligentiam fuisse præventam, ut eo modo ejus cura sollicitior vitaretur; cum hoc judices Episcopi cognoverint, sua Cathedra loca restituant. Sane si Episcopi, inter quos causa versatur, diversarum sunt Provinciarum, ille Primas det judices, in cujus Provincia est locus, de quo contenditur. Si autem ex communi placito vicinos judices elegerint, aut unus eligatur aut tres ut si tres elegerint, aut omnium sententiam sequantur aut duorum.

S C H O L I O N.

Quænam hoc Can. statuatur contra Episcopos negligentes reductionem Donatistarum in sua Diœcesi morantium?

VOLUNT hoc Canone Patres Africani diligentiam Episcoporum, in reducendis Donatistis ad Ecclesiæ unitatem. Hunc in finem placuit, „ ut quicumque negligunt loca, ad suam Cathedram pertinentia, in Catholicam unitatem lucrari, conveniantur „ a diligentibus vicinis *eorum*, Episcopis, ut id agere „ non morentur.

Credunt aut Balsamon & Zonaras hic, Episcopos de hac negligentia apud Synodum Episcoporum, a vicinis Episcopis accusandos, sive conveniendos esse. *Quod si intra sex menses, a die conventionis* hujus, *non* (seu Gr. *nihil*) *effecerint, qui potuerit ea lucrari, ad ipsum pertineat* (sive Gr. *ei deinceps, qui illos possit lucrifacere, assignentur*). Hoc est, si postquam facta fuerit denuntiatio „ interpellati non corrigantur, nec doctrinæ „ invigilen, &c. " ait Balsamon.

Quæ possit esse excusatio Episcoporum negligentium?

Post hæc subjicitur quædam moderatio, seu exceptio circa Episcopos, qui ob aliquam œconomiam publicæ conversioni Donatistarum allaborare ad tempus subsistendum judicarunt, quæ moderatio clarioribus terminis apud Græcos exprimitur. „ sic tamen, si ille, ad „ quem ii pertinere ostenduntur, de industria, propter „ antiquam œconomiam negligere visus est, cum hoc „ maluissent hæretici, ut istos absque ullo strepitu „ acciperet, & interea ejus diligentia ab alio præventa sit; qua quidem si usus esset, ipsos hæreticos ma- „ gis ad improbitatem incitasset; eo inter judicantes „ Episcopos cognito, loca ejus Sedi restituantur.

Unde & textum ita recte exponit Balsamon: si au- „ tem Episcopus, qui ante hunc eamdem habuit Diœ- „ cesim, dicat œconomia aliqua, & quodam consilio „ se populum suum docere negligere; utpote quod hæ- „ retici, qui in eo forte sunt, velint sine ulla repre- „ hensione converti, & æquum censeant, ut verita- „ tis rationem tacite suscipiant, & propterea docere „ negligit; ne ea utens, hæreticos magis ad improbi- „ tem incitet, ut qui reprehendi ægre fuerant; & hoc „ ipsum ab Episcopis verum cognitum fuerit, ad eum- „ dem Episcopum Regio revertetur.

Qui de hac negligentia judicare debeant.

Qui autem judices de hoc judicare debeant, sed aperte in fine Canonis demonstratur, Ex qua determinatione habemus, jampridem creditum fuisse, controversias super beneficiis exortas, decidendas esse per judicem loci, in quo situm est beneficium. Secundo conveniens judicatum esse, ut arbitri numero impari eligantur, & ubi plures fuerint electi, a pluralitate suffragiorum decidatur.

Gratiani error a S. Antonino correctus.

Hunc Canonem refert Gratianus *caus.* 16. *quæst.* 3, *Can.* 15. in qua quæstione tractat de requisitis ad Præscriptionem, ejus speciebus & effectibus, atque inter alia immediate post hunc Canonem dicit, quod *sufficiat in initio cuique bona fide possidere cœpisse, etiamsi medio tempore scientiam rei alienæ habuerit.* S. Antoninus in summa *part.* 4. *tit.* 11. *cap.* 8. notans dicta Gratiani, quæ communiter reprobantur, etiam citatam opinionem illis annumerat; additque, quod „ licet hoc „ sit secundum jura civilia, tamen, ut dicit glossa, „ hoc non teneatur secundum jus Canonicum, cui in „ hoc standum est. Oportet enim, quod non solum „ ab initio, sed per omne tempus, quo currit præscri- „ ptio, habeat bonam fidem, id est, credat se juste pos- „ sidere.

C A N O N CXXII. *

* Gr. CXXIII.

A judicibus autem, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare. Et quisquis provocatus repertus fuerit per contumaciam nolle obtemperare judicibus: cum hoc primæ Sedis Episcopo fuerit probatum, det litteras, ut nullus ei communicet Episcoporum, donec obtemperet.

S C H O L I O N.

Ab electis judicibus non provocatur.

IN præcedenti Canone dictum fuerat, quod si quæstio esset inter Episcopos diversarum Provinciarum, de certo loco, sive populo, *Primas, in cujus Provincia* est locus, de quo contenditur, det judices: Si autem ex communi placito, vicinos judices elegerint, „ aut „ unus eligatur, aut tres; ut si tres elegerint aut om- „ nium sententiam sequantur, aut duorum.

Ad hanc finalem clausulam referri præsentem Canonem, nequaquam obscurum est; immo hunc præcedenti connectendum, atque in unum ambos ex mente Patrum conflandos esse insinuat, & Canonis contextus, & particula *autem* initio hujus Canonis expressa, quæ connexionem cum præcedenti innuit.

Gratianus Canonem in duas partes dividens, sensum alterat.

Hunc Canonem in duas partes dissectum retulit Gratianus *caus.* 2. *quæst.* 6. *Can.* 19. & 33. quæ di ectio non tantum obscuriorem sensum Canonis, sed etiam a mente Patrum diversum imprimit: quasi nimirum semper, qui per contumaciam judicibus obtemperare noluit, communione privandus sit ex Patrum Africanorum sententia: cum tamen ex integro Canone manifestum sit, hic duntaxat actum esse de contumacia contra judices, *de consensu partium* electos.

C A N O N CXXIII. *

* Gr. CXXIV.

Si in matricibus Cathedris Episcopus negligens fuerit adversus hæreticos, conveniatur a vicinis Episcopis diligentibus, & ei sua negligentia demonstretur, ut se excusare non possit. Quod si ex die, quo convenitur, intra sex menses, si in ejus Provincia executio fuerit, & non eos ad unitatem Catholicam convertendos curaverit: non ei communicetur, donec adimpleat. Si autem executor ad loca non venerit, non adscribatur Episcopo.

C A N O N CXXIV. *

* Gr. CXXV.

Si autem probatum fuerit, eum de communione illorum fuisse mentium, dicendo eos communicasse, quos eo sciente non communicasse constiterit, etiam Episcopatum amittat.

S C H O L I O N.

De negligentia Episcoporum in reducendis Donatistis, postquam Legis Imp. Executor venit.

ADVERSATIVA, *si autem* in initio Canonis posterioris expressa, satis insinuat, hunc ad præcedentem esse referendum, immo præcedentis esse complementum; ut proinde non male hi duo Canones, sub uno Canone referantur, in Concilio vulgo Milevitano II.

Porro idem pene in priore decernitur, quod supra Canone CXXI. decretum fuerat; nisi quod hic specialiter agatur de negligentia Episcoporum, in quorum Provinciis *executio fuit*, id est executio *legum*, quæ adversus Donatistas ab Honorio latæ fuerant; additurque expresse, excusari Episcopum, *si executor ad loca non venerit* (sive Gr. *non adfuerit*) id est: „ Executor, sive Præfectus Regionis, qui opus ad exitum „ perducat, & a quo hæretici causam dicere vel in- „ viti cogantur „ ait Zonaras hic.

Itaque si *Executor* adfuerit, & ipse Episcopus nihilominus etiam monitus, per sex menses *negligens fuerit* in reducendis locis per Donatistas occupatis, *ad unitatem Catholicam* (sive Gr. *non eorum, qui debent ad Catholicam unionem converti, curam gesserit*) decernitur hoc Canone, ut *non ei communicetur, donec adimpleat*.

Si autem, ait Canon, *Executor ad loca non venerit* (sive Gr. *in his non adfuerit*) *non adscribatur Episcopo*; „ si, addit Zonaras, tunc temporis aliquam ex „ Magistratus, aut Defensoris absentia, rebus ipsis „ moram afferri contigerit.

Sensus posterioris periodi Canonis, quæ in Codice nostro constituit separatum Canonem supra exhibitum, non male concepisse videtur Zonaras his verbis. „ Si „ vero ab hæreticis (Donatistis) injuste possessa bo- „ na non eripuerit accusatus (Episcopus) eo se tueatur, quod eos Ecclesiæ Catholicæ communicare af- „ ferat, propterea que vendicationem honorum ipse ne- „ glexerit, postea mendacii convictus fuit; cum il- „ los, vel nullo modo, vel certe non ejus scientia, „ id est, nec ipso laborante, nec sciente, communi- „ casse sit compertum: Episcopatu quoque privabitur, „ hoc est, deponetur.

C A N O N CXXV. *

* Gr. CXXVI.

Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint; vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quidquid est, finiant adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum; ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur.

S C H O L I O N.

Vetitæ appellationes ad transmarina judicia.

HIc Canon iisdem verbis in hoc Codice extat, & supra exhibitus est *Canone* 28. cum hæc tantummodo adjecta clausula, quæ hic deest, & nonnulli suppostitiam contendunt; *sicut & de Episcopis sæpe constitutum est*. Consuli poterit dicti Canonis Scholion.

CANON CXXVI. *

* Gr. CXXVII.

Item placuit, ut quicumque Episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquo mortis periculso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet, velaverit Virginem, seu velavit intra viginti & quinque annos ætatis; non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est:

SCHOLION.

Virgo ante 25. annum ætatis regulariter non velanda.

SAT patenter supponit hic Canon, in anteriore aliqua Synodo constitutum fuisse, Virginem ante XXV. annum non esse valendam, permittiturque hoc Canone Episcopo tempus illud prævenire *necessitate periclitantis pudicitiæ Virginalis* (seu Gr. *propter necessitatem Virginalis pudicitiæ in periculum adducta*) puta, *cum petitor potens* seu Gr. *potens amator*) *vel raptor aliquis formidatur* (sive Gr: *suspectus fuerit*) ex quo, ait Zonaras, castitati illius periculum imminet.

Altera causa præveniendi tempus a Canonibus velationi Virginum præstitutum est, *si Virgo aliquo mortis periculoso scrupulo* seu Gr. *propter mortiferum aliquod periculum*) *compuncta fuerit, ne non velata moriatur: aut exigentibus* (sive Gr. *adhortantibus ejus*) *parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet.*

Auctoritas Episcopi in hac præventione.

Hic videmus penes Episcopos tum fuisse curam Virginum Deo dicatarum, atque ipsis quoque auctoritatem fuisse, tempus ætatis per Canonem earum velationi præfixum, ex justa causa prævenire. Quin & notandum monet Balsamon, quod etiam ex præsenti Canone, non permittitur alicui homines Monastico habitu induere, sine Episcopali permissione. Quid in hac disciplina, circa auctoritatem Episcoporum per exemptiones & privilegia Monachorum & Monialium sit mutatum, satis notum est.

Canon male apud Gratianum a scribitur Pio Papæ.

Gratianus *caus.* 10. *qu.* 1. *Can.* 15. sub nomine Pii Papæ refert hunc Canonem: „ Virgines non velentur „ ante an. 25. nisi forte necessitate periclitantis pudicitiæ Virginalis: & non sunt consecrandæ nisi Epiphania, & in Sabbato Paschæ, & in Apostolorum „ Natalitiis, nisi causa mortis urgente “. Notantque Correctores Romani „ quod caput hoc inter decreta Pii „ non sit inventum, & absit a tribus vetustis Gratiani „ exemplaribus. De causa vero, ob quam ante 25. an„ nos possint Virgines velari, agitur in Concilio Mi„ levitano *cap.* 26. & Africano *cap.* 93. “ Hæc illi evidenter ad Canonem præsentem alludentes.

Conc. Carthag. VI. anno 419.

Quod fuerit Concilium, quo ætas XXV. annorum elationi Virginum fuerit præfixa, & cujus hic mentio, incertum est. Hoc verisimile est, quod Concilium Carthaginense VI. anno 419. occasione relecti ibidem Canonis Hipponensis da ætate Diaconi, rursus Canonem hic mitigatum ad pristinum rigorem revocaverit: absolute ac simpliciter statuens: *ut ante viginti quinque annos ætatis; nec Diaconi ordinentur, nec Virgines consecrentur*. Prout extat Canone XVI. hujus Codicis, cujus Scholion repete.

CANON CXXVII. *

* Gr. CXXVIII.

Item placuit, ne diutius universi Episcopi, qui ad Concilium congregati sunt, tenerentur, ab universo Concilio judices ternos de singulis Provinciis eligi, & electi sunt de Provincia Carthaginensi Vincentius, Fortunatianus, & Clerus: de Provincia Numidiæ Alypius, Augustinus, & Restitutus: de Provincia Byzacena, cum Sancto sene Donatiano Primate, Cresconius, Jocundus, & Æmilianus, de Mauritania Sitifensi, Severianus, Asiaticus, & Donatus, de Provincia Tripolitana Plautius, qui ex more Legatus unus est missus, qui omnes cum Sancto sene Aurelio universa cognoscant, a quo petiit universum Concilium, ut cunctis sive gestis, quæ confecta jam sunt, seu epistolis ipse subscribat. Et subscripserunt. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi & prælecto subscoipsi. Similiter & cæteri subscripserunt.

SCHOLION.

Ne Episcopi a suis Diœcesibus diu absint, trini ex singulis Provinciis deligantur ad absolvenda negotia in Synodis resident.

NICHIL speciale in hoc Canone occurrit, nisi quod appareat sollicitudo Patrum Africanorum, ne Episcopi diutius a suis absint gregibus; ac propterea decrevit Synodus, ut Canonibus, conditis aut reformatis, vel approbatis, gravioribusque negotiis absolutis, pro resolutione eorum, quæ supererant, aliqui ex singulis Provinciis deputarentur, qui vice omnium, quæ resolvenda & agenda essent, resolverent.

Senior Episcopus ordinatione, Primas suæ Provinciæ.

Hoc hic rursus notandum occurrit, quod *Donatianus* tamquam *senex*, dicatur *Primas* Provinciæ Byzacenæ: *de Provincia Byzacena*, inquit Canon, *cum Sancto sene Donatiano Primate, Cresconius*, &c.

Idque juxta disciplinam Ecclesiæ Africanæ, quæ Primatiam, sive jus Metropoliticum deferebat Episcopo, qui erat *senior*, seu prior ordinatione inter Episcopos Provinciæ, uti supra monui.

Concilium Carthaginense anni 419. 3. Kal. Junii *

* Gr. post Can. CXXVIII.

Post Consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorii XII. & Theodosii VIII. Augg. 3. Kal. Junias, Carthagine in Secretario Basilicæ Restitutæ. Cum Aurelius Episcopus, una cum Faustino Ecclesiæ Potentinæ, Provinciæ Italiæ Piceni, Legato Romanæ Ecclesiæ, Vicentio Culusitano, Fortunatiano, Neapolitano, Mariano Uzipparensi, Adeodato Simidio, Pentadio Carpitano, Rufiniano Muzubensi, Prætextato Sicilibensi, Quodvultdeo Verensi, Candido Abbiritano, Galloniano Uticensi Legatis Provinciæ Proconsularis, Alypio Thagastensi, Augustino Hipponensium Regiorum, & Posidonio Calamensi Legatis Provinciæ Numidiæ, Maximiano Aquensi, Jocundo Suffetulensi, & Hilariano Horreacellorum Legatis Provinciæ Byzacenæ, Novato Sitifensi, Ninello Rusurrensi, Laurentio Icosinano, & Numeritano Rusguniensi Legatis Provinciæ Mauritaniæ Cæsariensis ab universali Concilio judicibus delectis, adstantibus Diaconis, consedisset; & quibusdam peractis; multi Episcopi cæterorum peragendum memorasse conquerentur sustinere non posse; & ad proprias Ecclesias festinarent, placuit universo Concilio, ut ab omnibus eligerentur de singulis quibusque Provinciis; qui propter alia peragenda residerent. Et factum est, ut hi adessent, quorum subscriptiones eos affuisse testantur.

SCHOLION.

Hoc Concilium non videtur esse distinctum a VI. Carthaginensi.

NON pauci vocarunt hoc Concilium Carthaginense VII. ut distinctum a Carthaginensi VI. ut ab eruditis, ac notanter a Baronio, Perronio, & Justello notatum, hoc non fuisse distinctum a Carthaginensi VI. sed ejusdem esse continuationem, seu sessionem alteram; ad quam una cum deputatis singularum Provinciarum Sedis Apostolicæ Legati convenerunt, acque quinque Canones ad disciplinam Ecclesiæ spectantes condiderunt, & epistolam de gestis Concilii ad Bonifacium Papam miserunt (*a*).

CANON CXXVIII. *

* Gr. CXXIX.

Placuitque omnibus, quoniam superioribus Conciliorum decretis, de personis, quæ admittendæ sunt ad accusationem Clericorum, jam constitutum est; & quæ personæ non admitterentur; non expressum est; idcirco definimus, eum rite ad accusationem non admitti, qui posteaquam excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, sive sit Clericus, sive Laicus, accusare voluerit.

SCHOLION.

De his qui ad accusationem non recipiendi.

HOc & sequentibus Canonibus agitur de personis, quas ad accusationem admittendas non esse judicarunt Patres Africani; rationemque allegant hoc Canone, ob quam ad ea determinanda processerint. *Quoniam*, ajunt, *superioribus Conciliorum decretis, de personis, quæ admittendæ sunt ad accusationem Clericorum* (Gr. *de personis Clericorum*, quæ debent ad accusationem admitti) *jam constitutum est, & quæ personæ non admitterentur, non expressum est; idcirco definimus*, &c.

Notandum in primus, quod lectio Græca innuat, in superioribus decretis tantummodo de *personis Clericorum*, quæ ad accusationem admittendæ sint, actum esse; non vero ut in Latina versione, de *personis generatim*, *quæ admittendæ sunt ad accusationem Clericorum*.

Solvitur objectio, quæ ex hoc Canone formatur contra sinceritatem hujus Codicis Africani.

Si Græcam hanc versionem sequamur, sua sponte evanescet objectio, quæ adversus primam Codicis partem, ejusque cum reliquis conjunctionem formatur, ex his Canonis relatis verbis: *& quæ personæ non admitterentur, non expressum*; quandoquidem id expressum reperiatur in prima hujus Codicis parte Canone VIII. & IX. Si enim, prout lectio Græca hujus Canonis innuit, in hisce Canonibus tantum agatur de *personis Clericorum*, quæ ad accusationem admittendæ sunt, verum erit, quod *generaliter* illis Canonibus non fuerit expressum, quæ personæ non sint admittendæ, cum de Laicis nihil esset expressum, quod præsentibus Canonibus supplendum esse resolverunt Africani.

Præterea pro objecti argumenti solutione notandum, quod in dictis Canonibus prima parte relatis uno & generali Edictio arceantur ab accusatione, criminum rei;

at in

(a) Concilium istud bis collocatur in indice Conciliorum insertorum Codici Ecclesiæ Africanæ, in fronte & in fine, ut observat juris Canonici peritissimus Gibert tom. 1. corp. *Juris Canon.* p. 113. in fronte quidem propter primam sessionem 25. die Maji habitam, in quo inquit doctissimus Canonista „ conditi fuerunt 33. Canones, & lecti Canones in Codice comprehensi; in „ fine autem Codicis visitur illud Concilium propter secundam „ sessionem 27. Maji celebratam, in qua sex Canones facti fuerunt.

at in hisce Canonibus, *quorum* criminum rei, ac præterea, quæ genera personarum etiam criminis omnis immunitum ad accusationem admittenda non sint, distinctis verbis exprimitur: atque ita Canones, in priori parte relati per hunc Canonem explanantur, & etiam extenduntur.

Denique pro solutione objectionis, attendenda lectio hujus Canonis Isidoriana apud Merlinum, quæ ultimam negotivam ante verbum *expressum* tollit; atque ita in ultima parte superioris periodi legit affirmative, *& quæ personæ non admitterentur, expressum est:* Quasi dicerent quoniam aliqua in *superioribus decretis* expressa de personis non admittendis ad accusationem, plenius & de omnibus distinctius agendum est.

Porro hæc lectio Isidoriana præferenda apparet vulgatæ, licet hæc sit omnium Codicum Græcorum & Latinorum: quia vulgata contradictionem aliquam præfert. Dum enim constitutum est, quæ personæ ad accusandum admittantur, quæ non sint admittendæ, satis insinuatur.

Itaque præsenti Canone ab accusatione repellitur, *qui posteaquam excommunicatus* (seu Gr. *communione motus*) *fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione* (sive Gr. *in eadem segregatione*) *constitutus, sive sit Clericus sive Laicus, accusare voluerit*. Videri poterit Scholion Canonis II. Constantinopolitani I. (*a*).

CANON CXXIX. *

* Gr. CXXX.

Item placuit, ut omnes servi, vel proprii Liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes quos ad accusanda publica crimina Leges publicæ non admittant. Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ, hæretici etiam, sive pagani, sive Judæi; sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non neganda.

SCHOLION.

Repelluntur ab accusatione liberti contra Dominos, item hæretici & pagani.

PER *proprios Libertos* hic intelliguntur, qui cum essent *servi*, liberalitate & benignitate Dominorum Libertate donati, sive manumissi fuerunt. Hi contra suos manumissores, qui *Patroni* dicuntur, accusatores non admittuntur, quia honor iis debitus, accusationem illam respuit.

Quare hæretici & pagani repellantur.

Hæretici, pagani, similesque excluduntur, propterea (uti notat hic Aristenus) quod isti nihil aliud in animo habent & conatu, quam infamiam & maculam Sacerdotum opinionibus affingere, & Ecclesiæ perturbationes afferre. Cæterum de similium ab accusatione Clericorum repulsione, late agit Canon VI. Concilii Constantinopolitani I. supra exhibitus.

Gratianus hunc & præcedentem Canonem mutilos & mixtos refert sub nomine Concilii Carthagin. VII.

Gratianus nonnullis ex præcedenti Canone, & aliquibus e præsenti desumptis, unum Canonem conflavit: eumque sub nomine Concilii Carthaginensis VII. retulit *caus. 4. quæst. 1. Can. 1.*

Ex postremis autem his verbis hujus Canonis: *sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non deneganda*: conflavit separatum Canonem, quem exhibet *caus. 4. qu. 6. Can. 11.* sed vel hinc apparet, Canones a Gratiano sæpius nec integre nec sincere referri, quod non semel notavimus.

Agitur in hoc Canone tantum de actione publica.

Equidem ex finali hac clausula præsentis Canonis discimus, in his Canonibus solum agi de aliquibus repellendis ab accusatione *publica*, sive ad vindictam publicam, quæ hodie ad solos officiarios publicos translata est, relicta privatis denuntiandi sola auctoritate, uti latius in *Jure Eccles. tom. IV. parte 3. tit. 8. cap. 1.* notavimus. Omnibus autem liberum esse, agere actione privata pro interesse proprio, sive *in propriis causis*.

CANON CXXX. *

* Gr. CXXXI.

Item placuit, quotiescumque Clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipsis, de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cætera jam non admittantur.

SCHOLION.

Qui unum crimen non probaverit, ad secundum non admittatur.

AD hunc Canonem monet Aristenus. „ optima ratione & hic ad accusationem, aut ad testimonium non admittetur; utpote qui calumniator videtur, & ideo etiam infamis est, eo quod multas profert contra quemlibet accusationes, sed nihil „ probat.

Verum recte videtur existimare Balsamon, „ quod „ tunc præsens Canon locum habeat, quando judex „ pronuntiavit crimen, de quo prius actum est, fuisse „ a condemnato sycophantice objectum.

Extat apud Gratianum, sub nomine Concilii Carthaginensis VIII. *caus. 3. quæst. 10. Can. 1.*

(a) Citatus Canon II. Constantinopol. I. extat Tom. VI. hujusce editionis.

CANON CXXXI. *

* Gr. CXXXII.

Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem intra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur.

SCHOLION.

Qui ab accusatione repelluntur, etiam ad testimonium ferendum non admittēdi.

TRIA genera personarum hoc Canone, a testimonio ferendo adversus Clericos removentur.

Primo omnes, qui ab accusatione repelluntur, de quibus in præcedentibus Canonibus tractatur.

Item non admittuntur domestici.

Secundo, *quos ipse accusator de sua* (Gr. *propria*) *domo produxerit*; sive testes domestici ipsius accusatoris, qui dicuntur „ omnes, qui cum eo habitant, & qui- „ bus ipse potest imperare. Non est enim testis fide „ dignus, cui ego possum in accusando imperare“. Uti hic reflectit Balsamon.

Nec impuberes.

Tertio impuberes, id est, *intra annos 14. ætatis suæ* ad testimonium *non admittantur*, quibus cum mentis constantia desit, testimonii quoque dicendi ratio haud constabit, ait Zonaras hic.

Hodie nulli pene a testimonio dicendo arcentur, sed arbitrio judicis committitur dispicere, quantum testium productorum testimonio sit deferendum.

Extat apud Gratianum, sub nomine Concilii Carthaginensis VII. *caus. 4. quæst. 2. Can. 1.*

CANON CXXXII. *

* Gr. CXXXIII.

Item placuit, ut si quando Episcopus dixit, aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget: non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non creditur, etsi scrupulo propriæ conscientiæ se dicit, neganti nolle communicare.

CANON CXXXIII. *

* Gr. CXXXIV.

Quamdiu excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis: ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non poterit.

SCHOLION.

Episcopus a communione repellere non potest ob crimen sibi soli declaratum.

DUo hi Canones in Concilio Carthaginensi vulgo VII. unicum Canonem constituunt; idque congruentius, ut ex tenore Canonis posterioris sui apparet, utpote qui decernit pœnam in Episcopum, qui communicare non vult illi, quem de crimine convincere non potest, & de cujus crimine non aliunde constat, quam ex testimonio ipsius Episcopi, asserentis Clericum *sibi soli crimen* illud *fuisse confessum*.

Agitur de communione societatis.

Ex toto contextu, præsertim posterioris Canonis manifestum est, hic non agi de communione Eucharistica, sed de communione *societatis*, qua fideles inter se communicant.

Decernunt itaque Patres, quod aliquis a communione segregari nequeat ad testimonium *solius Episcopi*; qui *dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille negat*, nec alias probationes Episcopus adferre queat; *etsi scrupulo propriæ conscientiæ se dicit, neganti nolle communicare*. Id est; „ etiamsi dicat „ Episcopus, nolo eum ad communionem admittere, „ cum mea in eo conscientia ostendatur, propterea „ quod crimen confessus est“: qui exponit Balsamon, addens: „ mihi videtur, quod etiamsi revera confessus „ sit, qui accusatur; ex eo solo non potest Episcopus eum a communione separare, ut qui non sit con- „ demnatus.

Ob crimen occultum nullus ad pœnitentiam publicam cogi potest.

Monet dein Balsamon; „ notandum, præsentem Ca- „ nonem propter Episcopos & Monachos, qui peccatorum hominum confessiones audiunt, & testimonium ferunt adversus eos, qui dicuntur fecisse apud „ ipsos confessionem criminis.

Si hic sermo sit de confessione Sacramentali, sive in foro conscientiæ, non dubium quin hujusmodi criminum propalatio, directe contrarietur sigillo confessionis, neque unquam licuisse ob crimina occulta in sola confessione revelata, peccatores a communione publice repellere, aut ad pœnitentiam publicam *invitos* ac negantes compellere, cum id sine criminis revelatione fieri non posset: licet ob crimina occulta per Episcopos publicam etiam pœnitentiam confitentibus olim impositam fuisse, eamque disciplinam pluribus seculis viguisse, plures eruditi cum Morino, *lib. 7. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ*, sustineant: sed hi nequaquam admittunt ob crimen soli Episcopo ex confessione pœnitentis notum, potuisse cogi pœnitentem per repulsionem a communione, aliave pœna externa ad pœnitentiam publicam.

Monet Labbæus, *tom. 2. col. 1669.* in nota marginali ad Canonem XCIX. Concilii vulgo Africani, seu collectionis variorum Canonum, quod post finalia verba prioris Canonis *nolle communicare*, in editione Moguntina inferantur hæc verba: *secreta tamen interdicat*

dicat ei communicationem, donec obtemperet. Quæ cum nec apud Græcos nec apud Latinos legantur, veriſimile eſt recentiore manu fuiſſe appoſita; aut etiam ex nota marginali in textum irrepſiſſe.

Sequitur poſt Canonem CXXXIII.

* Gr. CXXXV.

*Aurelius * Epiſcopus dixit: juxta ſtatuta totius Concilii congregati, & mea mediocritatis ſententiam, placet facere rerum omnium concluſionem: univerſi tituli deſignati & Digeſti hujus diei tractatu, Eccleſiaſtica geſta ſuſcipiant; quæ vero adhuc expreſſa non ſunt, die ſequenti per fratres noſtros Fauſtinum Epiſcopum, Philippum & Aſellum Presbyteros venerabili fratri & Coepiſcopo noſtro Bonifacio reſcribemus.*

S C H O L I O N.

Allocutio Aurelii ad Patres pro concluſione Con.

IN Codice Africano apud Dionyſium, & etiam apud Juſtellum Canoni CXXXIII. annectitur allocutio Aurelii ad Synodum: at eam rectius ſejungi, & contextus ipſius oſtendit, & monet Labbæus in nota marginali ad Canonem C. citati Concili, vulgo Africani, in quo ſejuncta a præcedenti Canone conficit Canonem centeſimum iſtius Concilii, ſive collectionis.

Allocutio hæc eſt: *Aurelius Epiſcopus dixit, juxta ſtatuta totius Concilii congregati, & mea mediocritatis ſententiam placet facere rerum omnium concluſionem; univerſi tituli deſignati & digeſti hujus diei tractatu Eccleſiaſtica geſta ſuſcipiant.* Græci autem ita legunt, & ut apparet concinnius: *Placet omnium rerum prius declarati perfecti tituli facere concluſionem, & præſentis diei conſtitutionis tractatum acta Eccleſiaſtica ſuſcipiant.*

His ſignificare voluit Aurelius ſibi placere concluſionem omnium facere: id vero ita fieri poſſe, ſi primum, quæ ea die edita fuerant, a Legatis Provinciarum *Capitula quinque* probarentur.

Deinde addit Aurelius: „ Quæ vero adhuc expreſſa „ (*ſeu Gr.* pertractata) non ſunt, die ſequenti per „ fratres noſtros Fauſtinum Epiſcopum, Philippum & „ Aſellum Presbyteros venerabili fratri & Coepiſcopo „ noſtro Bonifacio reſcribemus. „ Quæ epiſtola die ſequenti ſcripta, & Patribus prælecta, Canonem CXXXIV. hujus Codicis conficit.

Quot & quo ordine ſubſcripſerint Primates, cæterique Epiſcopi, item Eccleſiæ Romanæ Legati?

Tandem *ſubſcripſerunt* decretis una cum Aurelio Legati, ſive electi judices omnium provinciarum, quorum nomina ibidem ſingulatim exprimuntur. Ac dein additur, tam apud Dionyſium ex editione Juſtelli, quam apud Græcos: *& cæteri Epiſcopi 217. ſimiliter ſubſcripſerunt.* Nimirum in ipſo Concilii loco, uti veriſimilius eſt.

Cum enim res breviori tempore quam credebatur, eſſet abſoluta, admodum probabile eſt, quod Epiſcopi, qui Concilio interfuerunt, nondum receſſiſſent, uti notavit Petrus de Marca in opuſculo *de veteribus Canonum collect. XI. num. 2.*

Circa ſubſcriptionem Epiſcoporum, quæ in Codice Africano hoc loco ſubnectitur, notandum, Aurelium Epiſcopum, necnon Valentinum Primæ Sedis Epiſcopum Provinciæ Numidiæ ante Fauſtinum Epiſcopum Legatum Romanæ Eccleſiæ ſubſcripſiſſe: necnon Philippum & Aſellum Presbyteros ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Legatos *poſt omnes* Epiſcopos ſignaſſe.

In reliquos *Canones* ſeu articulos hujus Codicis, nempe CXXXIV. CXXXV. CXXXVI. CXXXVII. & CXXXVIII. *Scholia* hic nulla ſubjiciuntur, quia de illis ſufficienter dictum eſt in *Differt.* procemiali, atque integri (ſi CXXXVII. qui non continet niſi ſymbolum fidei Nicænæ exceperis) ibidem ſunt exhibiti §. X. *art. 7. 8. & 10.*

D I S S E R T A T I O.

In Synodum Quini-ſextum ſive in Trullanam, ejuſque Canones.

§. Unicus.

Occaſio Synodi Trullanæ.

ANNIS aliquot poſt abſolutam Synodum VI. adverſus Monothelitas, Juſtiniano juniore imperante, rurſus convocata eſt Synodus Conſtantinopolim, ad reſtaurationem diſciplinæ, morumque reformationem; eo quod Synodum VI. nullos Canones edidiſſet. “ Quo„ niam, inquiunt Patres in allocutione ad Imperato„ rem, Sanctæ & univerſales duæ Synodi (*nimirum* „ *Quinta & Sexta*) ſacros Canones nequaquam con„ ſcripſerunt, ſicut reliquæ Quatuor univerſales Sy„ nodi, per quos populi quidem a deteriore & abje„ ctiore vivendi ratione recedant, ad meliorem autem „ & altiorem vitam ſe traducant . . . . Sanctam hanc „ & divinitus electam univerſalem Synodum congre„ gari decreviſti, ut multorum ſimul juncta voluntate „ unanimique conſenſione, id quod ſtudio contenditur, „ a te recte & ordine efficiatur . . . . Propterea ergo „ tuæ pietatis juſſu, in hac Dei obſervatrice & impe„ rante Urbe congreſſi, ſacros Canones conſcripſi„ mus „. Compendium refert Gratianus *diſt.* 16. *Can.* 7.

Unde dicta Trullana & Quini-ſexta.

Celebrata eſt hæc Synodus in *Trullo* magni Palatii Imperatoris, id eſt, ſub Regia Cuppula, ſeu fornice Hemicyclo, qui vulgo Italice dicitur *Cupola*. Atque inde dicta Synodus *Trullana*. Vocatur etiam nonnunquam *Quini-ſexta*, quod velut ad ſupplementum Synodorum *Quinta & Sexta*, quæ Canones non ediderant, celebrata ſit.

Vicarii Sedis Apoſtolicæ adfuerunt.

Huic Synodo adfuiſſe nomine totius Synodi Romanæ Eccleſiæ Baſilium Gortynæ Epiſcopum, & quemdam Ravennæ Epiſcopum, aſſerit Balſamon. Et quidem ſi Synodi ſubſcriptionibus fidei ſit, in iis legitur: *Baſilius Epiſcopus Gortynicorum Metropolis Chriſto Amabilis Creta inſula, & locum tenens totius Synodi Sancta Eccleſia Romana definiens ſubſcripſi.*

An & quando Epiſcopus Ravennas Synodo adfuerit non æque ex ſubſcriptionibus habetur, in quibus ſolum legitur *locus Ravennatis*. Cæterum Sedis Apoſtolicæ Legatos ſive locum tenentes adfuiſſe, teſtatur etiam Anaſtaſius in vita Sergii I. ſcribens, *hujus Pontificis temporibus, Juſtinianus Imperator Concilium in Regia urbe fieri juſſit, quo & Legati Sedis Apoſtolica convenerant, & decepti ſubſcripſerant.*

An Canones Trullani ab Eccleſia Romana probati.

Canones CII. editi fuere, quorum plurimos jure meritoque laudari, & optimam diſciplinam continere, nemo inficiabitur: eſſe tamen nonnullos, qui Romanæ Eccleſiæ diſciplinæ non tantum repugnens, ſed eam juſto acrius carpant, negari ſimiliter non poteſt. Unde plures Romani Pontifices Canone hos agnoſcere noluerunt. At Synodus VII. Canone I. ſub nomine Synodi VI. hos Canones laudavit. Et Anaſtaſius in Præfatione hujus VII. Synodi ait: “ Ergo regulas, „ quas Græci a ſexta Synodo perhibent editas, ita in „ hac Synodo principalis Sedes admittit, ut nullatenus ex illis recipiantur, quæ prioribus Canonibus „ vel decretis Sanctorum hujus Sedis *Romana*) Ponti„ ficum, aut certe bonis moribus inveniuntur adver„ ſæ “. Et quidem Sixtus V. iis Canonibus, etiam ſub nomine ſextæ Synodis uſus eſt in Conſtitutione adverſus procurantes abortum, uti ad *Canonem XCI.* notabimus. Plures quoque ſuo decreto inſeruit Gratianus, ut in Scholiis indicabitur.

S C H O L I A.

In Banones Synodi Quini-ſextæ ſive in Trullo.

CANON PRIMUS.

Ordo eſt optimus ei, qui omnem orationem & rem incipit, & a Deo incipere, & in Deum deſinere, ut dicit Theologus (a). Quocirca cum & pietas a nobis clare prædicetur, & Eccleſia, in qua Chriſtus eſt fundamentum, aſſidue augeatur ac promoveatur, ante ſupra Cedros Libani extollatur: & nunc ſacros Canones ordientes, ſtatuimus fidem a verbi Miniſtris, quique ipſum ſuis oculis viderunt, & a Deo electi ſunt, Apoſtolis traditam, citra ullam innovationem immutabiliterque ac inviolabiliter eſſe ſervandam. Præterea autem & trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, qui Nicaa convenerunt ſub Conſtantino, qui fuit noſter Imperator, adverſus impium Arium, & Gentilem ab eo dogmatizatam Deitatis diverſitatem, vel Deorum potius, ut aptius dicam, multitudinem; qui nobis unanimi fidei agnitione conſubſtantialitatem, in tribus divina natura conſiſtentibus perſonis, & revelarunt & declararunt, hanc ſub ignorantia modio abſconſam eſſe non ſinentes; ſed Patrum & Filium & Spiritum Sanctum una adoratione

(a) Scilicet S. Gregorius Nazianzenus oratione apologet, 1. ſub initium.

tione fideles adorare aperte docentes; & inæqualium divinitatis graduum opinionem detrahentes ac divellentes & ab hæreticis ex arena constructa adversus rectam opinionem puerilia ludibria dejicientes & subvertentes. Similiter & eam, quæ sub Theodosio majore, qui fuit noster Imperator, a centum quinquaginta Sanctis Patribus, qui in hac urbe imperante convenerunt, prædicata est, fidem confirmamus, de Spiritu Sancto voces, quæ eum Deum esse statuunt, amplectentes, & profanum Macedonium una cum prioribus veritatis inimicis expellentes; ut qui eum, qui dominatur, servum esse decernere ausus sit: & insectilem unitatem secare prædonis more voluerit; ut non esset perfectum fidei nostræ mysterium: una etiam cum isto odioso ac detestabili, quique adversus veritatem fuit rabie percitus, etiam Apollinarem ejusdem iniquitatis mysten una condemnantes: qui dominum corpus mente & anima non præditum sumpsisse impie eructavit, hinc quoque & iste imperfectam nobis factam salutem ratiocinans. Jam vero & quæ in Ephesiorum civitate a ducentis divinis Patribus sub Theodosio Arcadii filio Imperatore nostro exposita sunt, doctrinas tamquam infractum pietatis robur obsignamus, unum Christum Filium Dei & incarnatum prædicantes: & quæ ipsum sine semine peperit, impollutam semper Virginem, proprie & vere deiparam decernentes; & ineptam Nestorii divisionem, tamquam a divina sorte semotam persequentes, hominem separatim & Deum separatim unum Christum decernentis, & impietatem Judaicam renovantis. Quin etiam eam, quæ in Chalcedonensium Metropoli sub Marciano, qui fuit & ipse Imperator noster, a sexcentis triginta descripta est Patribus, fidem orthodoxe confirmamus: quæ unum Christum Filium Dei, ex duabus naturis compositum, & in duabus eisdem naturis creditum, magna ac sublimi voce terrarum finibus tradidit; & stulte ac inepte sentientem Eutychem, qui magnum œconomiæ mysterium apparentia perfectum esse dicebat, tamquam avertendum aliquod portentum tetramque postemque, ex sacris Ecclesiæ ambitibus exturbavit. Una autem cum eo etiam Nestorium & Dioscorum quorum ille quidem divisionis, hic vero confusionis defensor erat & propugnator. Qui quidem ex impietatis diametro ad unum perditionis & abnegationis Dei baratrum deciderant. Sed & centum sexaginta quinque divinorum Patrum in hac civitate Imperatrice congregatorum sub Justiniano piæ memoriæ, qui fuit Imperator noster, pias voces ut a Spiritu editas cognoscimus, & posteros nostros docemus; qui Theodorum Mopsuestiæ Nestorii magistrum, & Origenem, & Didymum, & Evagrium, qui Gentilet fabulas rursus fictas retulerunt, & corporum quorumdam & animarum circuitiones & immutationes seu transmigrationes de integros ruminaverunt, suis quibusdam mentis deliriis ac somniis: & in mortuorum resurrectionem impie ac contumeliose insultarunt: & quæ a Theodorito scripta sunt adversus rectam fidem, & duodecim beati Cyrilli capita, & eam quæ dicitur Ibæ epistolam, Synodice anathematizarunt & execrati sunt. Porro sextæ quoque Sanctæ Synodi, quæ in hac civitate Imperiali sub divæ memoriæ Imperatore nostro Constantino pridem congregata fuerat, fidem, quæ majorem ex eo firmitatem accepit, quod pius Imperator eam scriptam suo signaculo munivit ad futuram in omnia sæcula securitatem, non movendam nec agitandam nos servare rursus profitemur, quæ duas naturales voluntates seu volitiones, duasque operationis in incarnatæ unius Domini nostri Jesu Christi Dei œconomia nos pie opinari debere aperte docuit: iis, qui rectum veritatis decretum adulteraverant, & unam voluntatem ac operationem unam in uno Domino nostro Jesu Christo populos docuerant, pia sententia condemnatis; Theodoro, inquimus, Pharan, Cyro Alexandriæ, Honorio Romæ, Sergio Pyrrho, Paulo, Petro, qui in hac a Deo servata civitate præsederunt; Macario, qui fuit Antiochensium Episcopus; Stephano ejus discipulo, & insipiente Polychronio: hac ratione intacto & illibato communi corpore Domini nostri Jesu Christi ab eis servato. Atque, ut semel dicamus, omnium, qui in Dei Ecclesia decora ornamentaque fuerunt, & luminaria in mundo, vitæ rationem obtinentia, firmam fidem valere, & usque ad sæculi consummationem inconcussam ac illabefactam permanere sancimus, eorumque scripta ac decreta divinitus tradita: rejicientes omnes & anathematizantes, quos rejecerunt & anathematizarunt, ut veritatis inimicos; & qui adversus Deum inaniter fremuerunt: & iniquitatem in altum meditati sunt: Si quis autem ex omnibus prædicta pietatis decreta non tenet & amplectitur, sicque opinatur & prædicat, sed iis contra adversari conatur, sit anathema, & secundum prius expositum declaratorum Sanctorum & beatorum Patrum decretum, a Christiano quoque catalogo ut alienus extrudatur & excidat. Nos enim juxta prius definita neque aliquid adjicere, neque quidquam adimere omnino statuimus, vel ullo modo potuimus.

S C H O L I O N.

CANON hic vice præfationis seu introductionis ad subjectos Canones a Patribus præfixus apparet. Continet enim prolixam fidei professionem, ejus præsertim fidei, quæ in sex Synodis OEcumenicis hactenus fuerat asserta, & contra hæreses illius temporis proposita; inchoando a Synodo Nicæna contra Arium sub Constantino Magno, usque ad Synodum VI. contra Monothelitas habitam.

Processio fidei in sex Synodis OEcumenicis propositæ.

Harum Synodorum dogmata contra hæreticos proposita & definita singulatim exponit; necnon hæresum oppositarum auctores seu propugnatores, quibus in dictis Synodis anathema dictam fuit; atque inter alios, qui a VI. Synodo damnati erant tamquam qui *unam voluntatem ac operationem unam, in uno Domino nostro Jesu Christo populos docuerant*, numerant Honorium Romæ Episcopum.

Recitatis summarie, quæ in sex illis universalibus Synodis adversus hæreses credenda fuere proposita, notanda clausula subjecta. " *Atque ut semel dicamus*, „ omnium, qui in Dei Ecclesia decora ornamentaque „ fuerunt, & luminaria in mundo, vitæ rationem „ obtinentia, firmam fidem valere, & usque ad sæ„culi consummationem inconcussam ac illabefactam „ permanere sancimus; eorumque scripta ac decreta „ divinitus tradita: rejicientes omnes & anathemati„zantes, quos rejecerunt & anathematizarunt; ut „ veritatis inimicos, & qui adversus Deum inaniter „ fremuerunt, & iniquitatem in altum meditati sunt, „ Hic non obscure Patres significant, traditiones Apostolorum per Patres ad nos transmissas, necnon Synodorum generalium definitiones esse recipiendas, eisque inhærendum.

C A N O N II.

Hoc quoque huic sanctæ Synodo pulcherrimo & honestissimo placuit, ut ab hoc nunc tempore deinceps ad animarum medelam & perturbationum curationem firmi stabilesque maneant, qui a sanctis Patribus, qui nos præcesserunt, suscepti ac confirmati sunt, atque adeo nobis etiam traditi sunt, sanctorum & gloriosorum Apostolorum nomine octoginta quinque Canones. Quoniam autem in his nobis Canonibus præceptum est, ut eorumdem sanctorum Apostolorum per Clementem constitutiones susciperemus; quibus jam olim ab iis, qui a fide aliena sentiunt ad labem Ecclesiæ aspergendam, adulterina quædam & a pietate aliena introducta sunt, quæ divinorum nobis decretorum elegantem ac decoram speciem obscurarunt, has constitutiones ad Christianissimi gregis ædificationem ac securitatem conducibiliter rejecimus, hæreticæ falsitatis fœtus nequaquam admittentes, & germanæ ac integræ Apostolorum doctrinæ inserentes. Obsignamus etiam reliquos omnes Canones, qui a sanctis & beatis nostris Patribus expositi sunt, id est, a trecentis decem & octo sanctis ac deiferis Patribus, qui Nicææ convenerunt: iisque qui Ancyræ: & iis etiam qui Neocæsareæ: similiter & qui Gangris; præterea & iis qui in Antiochia Syriæ: atque iis etiam qui in Laodicea Phrygiæ, præterea autem & centum quinquaginta Patribus, qui in hac a Deo conservanda & Imperiali civitate convenerunt: & ducentis, qui in Ephesiorum Metropoli prius coacti sunt: & sexcentis triginta sanctis & beatis Patribus, qui Chalcedone: similiter & iis qui Sardicæ, & qui Carthagine, & qui rursus in hac Dei cultrice & Imperatrice urbe convenerunt sub Nectario, qui imperanti huic civitati præsidebat: & Theophilo, qui fuit Alexandriæ Archiepiscopus. Quin etiam Canones Dionysii, qui fuit Archiepiscopus magnæ Alexandrinorum civitatis; & Petri, qui fuit Alexandriæ Archiepiscopus & martyr; Gregorii Neocæsareæ Episcopi Thaumaturgi: Athanasii Alexandrini Archiepiscopi: Basilii Archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ: Gregorii Episcopi Nyssæ, Gregorii theologi, Amphilochii Iconii, Timothei Archiepiscopi, Alexandriæ, prioris Theophili Archiepiscopi ejusdem Alexandriæ: Cyrilli ejusdem Alexandriæ Archiepiscopi; & Gennadii, qui fuit Patriarcha hujus a Deo servandæ & imperantis civitatis. Præterea vero & a Cypriano, qui Afrorum fuit Archiepiscopus & Martyr, & a Synodo, quæ sub ipso fuit, emissum canonem, qui in prædictorum Præsulum locis solum, secundum traditam eis consuetudinem servatus est. Et nulli licere prius declaratos Canones adulterare, vel non admittere, vel alios præter hic propositos recipere Canones, a quibusdam falsæ adjecta inscriptione compositos, qui veritatem cauponari conati sunt. Si quis autem quod prædictorum Canonum aliquem innovare vel subvertere conetur, convictus fuerit, reus erit secundum eum Canonem, ut ipse pronuntiat Canon, pœnam luens; & per ipsum in eo, in quo offendit, medelam suscipiens.

S C H O L I O N.

Patrum Canones probantur.

HIc ſingulatim exhibentur Concilia, & Sanctorum Patrum ſcripta, quorum auctoritate in Eccleſiæ regimine utendum ſit: *placuitque, ut ad hos uno tempore ad animarum medelam & perturbationum curationem firmi ſtabileſque maneant.*

Et quidem primo loco repræſentantur, " qui a Sanctis Patribus, qui nos, *inquiunt*, præceſſerunt, ſuſcepti ac confirmati ſunt, atque adeo nobis etiam „ traditi ſunt, ſanctorum & glorioſorum Apoſtolorum „ nomine octoginta quinque Canones.

Et in primis 85. Canones Apoſtolici.

Nequaquam obſcurum eſt, Patres hujus Synodi credidiſſe, hos 85. Canones Patribus Apoſtolorum nomine fuiſſe traditos.

Notat ad hunc Canonem Chriſtianus Lupus: quod „ Joannes III. cognomento *Scholaſticus* Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſub Juſtiniano Auguſto Epiſcopus „ (*a*) ſuæ quinquaginta capitum collectioni primus non „ ita pridem inſeruerat *octoginta quinque* Canones, „ apud vulgum, *Apoſtolicos*, cum anteriores & Græci „ & Latini ſolos paſſim *quinquaginta* noviſſent. Additos ergo ab illo Canones præſens Synodus recipit „ & probat.

Quid de auctoritate, & antiquitate horum Canonum, vulgo *Apoſtolorum* ſentiendum ſit, examinavimus ſupra in diſſertatione proœmiali ad hos Canones.

Conſtitutiones vulgo Clementis rejiciuntur.

Cum vero finalis Apoſtolorum Canon præcipiat in auctoritatem recipi etiam *Clementis* ordinationes ſive *conſtitutiones* libris octo comprehenſas, videri poterat & hæc Synodus omnes hos Canones Apoſtolorum recipiendo; & has Clementis *conſtitutiones* probaſſe; quas tamen rejicit, & tanquam *Hæreticæ falſitatis fœtus nequaquam admittit.*

Sed ne rejiciendo has Clementis conſtitutiones dicto Canoni Apoſtolorum contrariam viderentur Epiſcopi, afferunt, dictis conſtitutionibus Clementis, " jam olim „ ab iis, qui a fide aliena ſentiunt, ad labem Eccleſiæ adſpergendam, adulterina quædam, & a pietate „ aliena introducta eſſe, quæ divinorum nobis decretorum elegantem ac decoram ſpeciem obſcurarunt." Quaſi dicerent: conſtitutiones Clementis libris octo comprehenſæ probantur quidem per Canonem Apoſtolorum; ſed cum quædam a fide aliena in illas introducta poſtmodum fuerint; eas propterea ſic adulteratas rejicimus.

Hunc ſenſum Patrum compendioſe ſic expreſſit Ariſtenus. " In Canonibus Apoſtolicis, præter alios Novi „ & Veteris Teſtamenti libros, & conſtitutiones Apoſtolorum, a Clemente in octo libris compoſitas venerandas & ſacras habere nobis in mandatis datur. „ At præſens Canon, quia ſpuria quædam, & a pietate aliena in illis ab heterodoxis adduntur ad Eccleſiæ exitum, abjici ea præcipit, ad gregis Chriſtianiſſimi ædificationem & ſecuritatem.

De his Clementis conſtitutionibus, conſule Scholion ad dictum Canonem ultimum Apoſtolorum; ibi notatum eſt has nequaquam Clementi attribui poſſe (*b*).

Probantur Canones Synodorum particularium, & quorumdam SS. Patrum.

Poſt hæc confirmantur Canones Synodorum non tantum Generalium, ſed & particularium ſive localium, notanter qui ab Eccleſia erant recepti, item decreta quorumdam Sanctorum Patrum in ſuis epiſtolis Canonicis contenta. " Nota, ait Balſamon, per hunc quoque Canonem localium ſanctarum Synodorum confirmationem, & decretorum a quibuſdam Sanctis Patribus factorum. Multi enim ea nequaquam obſervari debere exiſtimant, ut quæ neque ab univerſalibus Synodis facta ſint, nec ab Imperatoribus confirmata.

Probantur Canones Sardicenſes.

Inter Canones recipiendos, hic quoque numerantur Canones *Sardicenſes*, quos a Græcis primitus rejectos fuiſſe conſtat; crediteque Chriſtianus Lupus in Scholiis ad hunc Canonem, ob auctoritatem Joannis III. Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui vulgo dicitur *Scholaſticus*, qui Canones Sardicenſes in ſuam collectionem retulerat: " admiſſos hos, inquit, refutatos huc uſque „ a Græcis Canones Sardicenſes, quorum cauſſa (pergit Lupus) dictam ejus collectionem laudavit in litteris ad Michaelem Auguſtum Sanctus Pontifex Nicolaus Primus.

Poſt relatos Patres, quorum decreta tanquam leges recipi mandatur, ſubjicitur: " Præterea vero & a „ Cypriano, qui Afrorum regioni fuit Archiepiſcopus „ & Martyr, & a Synodo, quæ ſub ipſo fuit emiſſum Canonem, qui in prædictorum Præſulum locis „ ſolum (*Gr.* & ſolum) ſecundum traditam eis conſuetudinem ſervatus eſt.

Videtur hic judicari Canon a Cypriano & Africana Synodo editus contra baptiſmum datum ab hæreticis; quem Cyprianus, aliique plures Africani Epiſcopi *invalidum* dicebant: volebantque ab hæreticis baptizatos denuo rebaptizari.

Arguitur Gratianus.

Unde & notant Correctores Romani ad *diſt.* 16. *Can.* 7. ubi Gratianus fragmentum hujus Canonis refert. „ In iſto Canonis loco eſt error: quia illa Synodo Cypriani probatur, in qua ipſe cum multis aliis Africæ Epiſcopis putavit baptizatos ab hæreticis verum „ baptiſma non recepiſſe: cum tamen D. Auguſtinus „ afferat aliam extitiſſe traditionem Apoſtolorum, & „ ipſam Cypriani ſententiam plenario totius orbis Concilio excluſam fuiſſe teſtetur.

Similiter Antoninus Auguſtinus *lib.* 2. *de emend. Grat. dialog.* 8. advertens ad hunc a Gratiano relatum Canonem, ait: „ Non eſt ferendus Gratianus cum ex „ hac Synodo (Trullana) partem refert, in qua Cypriani Synodum probare videtur de *batiſmo hæreticorum*; cum contra Cypriani ſententiam omnes veteres Patres ſteterint ". Vide Scholia noſtra ad *Can. XLVI.* vulgo Apoſtolorum (*a*).

Codex Eccleſiæ Græcæ evulgatus a Guil. Beveregio.

Ex Canonibus Synodorum, necnon Decretis Patrum, quæ hoc Canone confirmantur, & recipi mandantur; una cum Canonibus ab hac Synodo Trullana editis; conflatus eſt Codex Eccleſiæ Græcæ, quos & ſuis commentarius illuſtrarunt Theodorus Balſamon. Joannes Zonaras, aliique apud ipſos Canonum periti, & quem nuper Oxonii in duobus tomis cum Scholiis dictorum Balſamonis & Zonaræ, aliorumque, evulgavit, & prolegomenis munivit, atque annotationibus auxit Guillelmus Beveregius Eccleſiæ Anglicanæ Presbyter.

C A N O N III.

Quoniam vero pius Chriſtique amator Imperator noſter, hanc ſanctam & univerſalem Synodum allocutus eſt, ut eos, qui in Clerum relati ſunt, & aliis divina tranſmittunt, puros & a culpa ac reprehenſione alienos miniſtros efficiant: & quod intelligentia percipitur, magni Dei, qui eſt & ſacrificium & Pontifex, ſacrificio dignos: & quæ ex nefariis nuptiis iis inuſta ſunt probra ac dedecora repugent: & præterea qui ſunt Sanctiſſimæ Romanorum Eccleſiæ exactæ perfectionis Canonem ſervandum proponant: qui vero ſub hoc a Deo conſervandæ & imperantis urbis throno, quod eſt humanitatis & miſericordiæ: utriſque paternæ & ſimul religioſe mixtis, ut neque quod eſt mite ac manſuetum, diſſolutum: neque quod eſt auſterum, aſtrictivum relinquamus: & maxime cum ex ignorantia lapſus in non exiguam hominum multitudinem pervadat, decernimus, ut qui duobus quidem matrimoniis implicati fuere, & uſque ad decimum quintum præteriti menſis Januarii præteritæ quartæ indictionis, anni ſexies milleſimi centeſimi non, peccato ſervierunt, & non ab eo reſipiſcere voluerunt, depoſitioni Canonicæ ſubjicere: eos autem, qui talis quidem bigamiæ probro ac dedecori implicati fuere, ante noſtrum autem Decretum id quod utile eſt agnoverunt, & malum a ſe abſciderunt, & hanc adulterinam & alienam congreſſionem procul abegerunt: vel eos etiam, quorum uxores in ſecundis nuptiis jam mortuæ ſunt: vel ipſi etiam ad converſionem reſpexerunt, & continentiam didicerunt, & priorum ſuarum iniquitatum obliti ſunt, ſive ſint Presbyteri, ſive Diaconi, eos ab omni quidem Sacerdotali miniſterio ſive exercitio jam ceſſare, præfinito aliquo tempore punitos, honorem autem in Cathedra & ſtatione participare, prima Sede contentos: & cum fletu a Domino poſtulantes, ut eis condonetur peccatum ignorantiæ. Neque enim convenit, ut is alteri benedicat, qui debet propria curare vulnera. Eos vero, qui uni quidem uxori copulati ſunt, ſi vidua erat, quæ accepta eſt: ſimiliter & eos, qui poſt ordinationem uni matrimonio ſe applicarunt, hoc eſt, Presbyteros, Diaconos, & Hypodiaconos, brevi aliquo tempore a ſacro miniſterio prohibitos, & punitos, rurſus propriis gradibus reſtitui, ad alium gradum nequaquam promovendos, eis nefario videlicet diſſoluto conjugio. Hæc autem in his, qui deprehenſi ſunt uſque ad decimum quintum, ut dictum eſt, menſis Januarii quartæ indictionis, in prius declaratis delictis, ſolum valere ſtatuimus: abhinc definientes & renovantes Canonem, qui dicit eum, qui duobus matrimoniis poſt baptiſmum implicatus fuerit, vel concubinam habuerit, non poſſe eſſe Epiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel omnino ex Sacerdotali catalogo. Similiter & qui viduam accepit, vel dimiſſam, vel meretricem, vel ſervam, vel ſcenicam, non poſſe eſſe Epiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel omnino ex Sacerdotali catalogo.

SCHO-

(a) Iſte Joannes dictus Scholaſticus, ideſt cauſarum Patronus, ad dignitatem Patriarchalem Sedis Conſtantinopolitanæ evectus eſt anno 565. quo quidem anno obiit Imperator Juſtinianus.

(b) Conſulatur præfatio Labbæi ad has conſtitutiones *Tom.* 1. *Conc. column.* 191. & Elias Dupin *Tom.* 1. *Biblioth. Eccleſ.*

(a) Dictus Canon 46. vulgo Apoſtolorum extat *Tom. VI.* hujuſce editionis.

S C H O L I O N.

Imperator postulat, ut Latini Clerici suum de continentia Canonem, & Græci suum servent,

IN primis hoc Canone testatur Synodus, quod Imperator alloquens Synodum, hortatus sit Episcopos, aliosque, qui in Clerum relati sunt, *& aliis divina trasmittunt, puros & a culpa ac reprehensione alienos ministros efficiant: & magni Dei, qui est sacrificium & Pontifex, sacrificio dignos; & quæ ex nefariis nuptiis iis inusta sunt probra ac dedecora repurgent.*

Hoc ut facilius assequeretur, voluit Imperator, *ut qui sunt sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ exactæ perfectionis* (seu *exactissimum*) *Canonem servandum proponant.*

Loquitur hic Imperator de Canone, quo Romana Ecclesia omnibus Episcopis, Presbyteris Diaconis præcipiebat absolutam & plenam continentiam: ut nec propriis uxoribus, quas ante ordinationem habuerunt, post ordinationem uti queant.

Notandum autem, quod Imperator vocet hunc Canonem *exactæ perfectionis* sive *exactissimum*; eumque debere ab omnibus Episcopis, qui sunt Patriarchatus Rom. Eccl. servandum proponi. Dein addit: *Qui vero sub hoc a Deo conservando & imperantis urbis throno* (Constantinopolitano) *quod est humanitatis & misericordiæ, utriusque paterne & simul religiose mixtis; ut neque quod est mite ac mansuetum, dissolutum; neque quod est austerum astrictivum relinquamus.*

Manifestum est his verbis indicari consuetudinem & disciplinam Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ subjectis suo Patriarchatui Presbyteris & Diaconis indulgebat, & etiamnum indulget usum matrimonii ante ordinationem contracti, idque ex miseratione & conniventia, quemadmodum Imperator satis innuit, quando hanc consuetudinem expressit sub hoc verborum tenore: *Quod est humanitatis & misericordiæ.*

Ulterius desiderat Imperator, ut tam Rom., quam Constantinopolitanæ Ecclesiæ disciplina exacte servetur, & intra utriusque definitos terminos contineatur; *at utriusque paterne & Religiosæ mixtis, neque quod est mite ac mansuetum* (nimirum quod Constantinopolitana Ecclesia indulgent) *dissolutum; neque quod est austerum* (scilicet quod suis Presbyteris, & Diaconis præcipit Ecclesia Romana) *astrictivum relinquamus.*

Manifestum apparet, præcipue hic intendere Imperatorem, ut indulgentia Ecclesiæ Constantinopolitanæ permittens Presbyteris & Diaconis *usum matrimonii ante ordinationem contracti*, terminos præfixos non excedat, neque ejus occasione violetur Canon vere Apostolicus: *Oportet Episcopum, Presbyterum, ac Diaconum, esse unius uxoris virum. I. ad Tim. c. 3. vers. 2.*

Bigamus a Presbyteratu, ac Diaconatu exclusus.

Numquam enim Ecclesiæ Constantinopolitanæ, aut alterius Orientalis Ecclesiæ Canon permisit, bigamum sive plurium uxorum etiam successivarum virum ad Presbyteratus aut Diaconatus ordinem promoveri, aut hujusmodi secundo matrimonio uti.

Itaque ulterius ad expostulationem Imperatoris decrevit Synodus, ut *qui duobus quidem matrimoniis implicati fuere, & usque ad decimum quintum præteriti mensis Januarii præteritæ quartæ indictionis anni sexies millesimi centesimi anni, peccato servierunt, & non ab eo resipiscere voluerunt, depositioni Canonicæ subjicere.*

Hic agi de duobus matrimoniis successive contractis; adeoque de veris bigamis, id est, de Presbyteris & Diaconis, qui duabus successive uxoribus usi sunt, ex sequentibus Canonis verbis satis constat.

Hæc Synodus Trullana habita an. 691.

Insuper nequaquam ambiguum est, per epocham his expressam designari tempus habitæ Synodi & editi hujus Can., quod juxta hic expressum annorum numerum incideret an. Christi 601. cum tamen constet, Synodum hanc habitam Justiniano II. Const. Pogonati filio regnante, qui ante ann. Chr. 685. Imperio potitus non est. Quapropter hic errorem Typographi esse plures annotarunt; legendumque esse, *anni sexies millesimi centesimi nonagesimi noni*, qui juxta civilem Græcorum æram & computationem incidit in ann. Chr. 691. quo currente, & regnante dicto Just. II. hæc Syn. celebrata fuit.

Porro hanc lectionem confirmat Theophanes, apud quem præsens Can. cum citatis verbis legitur, ut refert Baronius ad ann. 692. Videri etiam possunt notæ Frontonis Ducæi in hunc Can. apud Labbæum *t. 6. Conc. col.* 1321. item Guillelmi Beveregii, qui & scribit, quod Elias Elimgerus, qui hunc cum aliis veterum Concil. Canon. e Canonic. Divi Hilarii Pictaviensis, & Augustana Bibliotheca edidit, hunc locum ita legerit; additque: *sic etiam Gentianum Hervetum legisse, ex eo constare, quod vertit, anni* 699. hinc *t. 6. Conc. gener. edit. Labb. col.* 1141. ubi hic Canon ex versione Herveti refertur cum vulgari expressione anni, ad marginem notatur: *alias* 699.

Presbyter aut Diaconus per ignorantiam bigamiæ implicitus, sacro ministerio cesset.

Pergens Synodus declarat postulationem Imperatoris, quid observandum circa eos, qui tali quidem *bigamiæ probro ac dedecore* (scilicet duas successive ducendo uxores, & iis utendo) *implicati* fuere, sed ante hoc decretum, malum suum agnoscentes, *hanc adulterinam & alienam congressionem procul avegerunt, vel quorum uxores in secundis nuptiis jam mortuæ essent, vel ipsi etiam ad conversionem respexerunt, & continentiam didicerunt, & proprium suarum iniquitatum obliti sunt.* De his, inquam, declarat Synodus, *hos, sive Presbyteros, sive Diaconos ab omni quidem Sacerdotali ministerio, sive exercitio jam debere cessare, præfinito autem tempore punitos* (scilicet per pœnitentiam) *honorem autem in Cathedra & statione participare, prima Sede contentos: & cum fletu a Dom. postulantes, ut eis condonetur peccatum ignorantiæ.*

Vult igitur Synodus, quod qui simili bigamia fuerunt implicati, etiam post conversionem & actam pœnitentiam ab omni *Sacerdotali ministerio sive exercitio cessent*: quamvis eis permittat, ut *retineant honorem Cathedræ, atque in statione participent*; id est, temporalia accipiant, ut tamen prima Sede, id est, quam *primitus* obtinuerunt, sint contenti; atque interim *cum fletu a Domino* veniam peccati sui, licet per ignorantiam commissi, postulare pergant.

Ratio vero, ob quam Synodus similes a Sacerdotali exercitio cessare velit, notari meretur: *neque enim convenit*, inquit, *ut is alteri benedicat, qui debet proprio curare vulnera.*

Hic notetur, quam procul a mente Patrum recedant, quos non pudet, Sacerdotem in peccatum carnis prolapsum, nullo pene temporis intervallo intercedente, repente ad altare mittere.

Qui ante hunc Canonem viduam duxit, aut post ordinationem matrimonio junctus est, brevi tempore a Sacro ministerio cesset.

Hæc quidem de Presbyteris & Diaconis, qui prorie dictæ *bigamiæ*, id est, duobus successive matrimoniis implicati fuere, hunc de iis agit, qui bigamiæ, quam hodie *interpretativam* dicimus, obnoxii fuerunt, id est, qui uni quidem *uxori copulati sunt, si vidua erat, quæ accepta est.*

Item de his, *qui post ordinationem uni matrimonio se applicarunt.* Licet enim disciplina Ecclesiæ Constantinopol. permitteret, ut uxorati non *bigami*, Presbyt. & Diaconi ordinarentur, & ordinati etiam suis legitimis uxoribus post ordinationem uterentur, non tamen permittebant, ut *post ordinationem* uxorem ducerent.

Itaque de his, qui vel viduam duxerunt, vel post ordinationem matrimonio se applicarunt, decrevit Synodus, hos *brevi aliquo tempore a sacro ministerio prohibitos, & punitos, rursus propriis gradibus restitui; ad alium gradum nequaquam promovendos, eis nefario, videlicet dissoluto matrimonio*, id est, etiam dissoluto nefario matrimonio.

Ex his manifestum est, Patribus unius odiosam vilam fuisse bigamiam interpretativam, quam bigamiam proprie dictam.

Insuper habemus, Patribus admodum curæ fuisse, ut licentia Ecclesiæ Orientalis de usu uxorum non extenderetur; sed intra præfixos terminos omnino concluderetur, hoc est, ut non uterentur uxore, nisi quam *unicam*, eamque *non viduam*, idque *ante* ordinationem duxisset.

Bigami impostérum a Sacerdotali catalogo exclusi.

Denique declarat expresse Synodus, quæ hic statuta sunt, *in his tantum videre, qui deprehensi sunt usque ad 15. ut dictum est mensis Januarii quartæ indictionis, in prius declaratis delictis.*

Concluditque quod *abhinc*, hoc est, a tempore hujus conditi Can., renovet Canon. vulgo Apostolicum 17. & 18. cujus verba referuntur eo tenore, quo supra relata sunt, quorum & ibidem Scholia consuli possunt.

C A N O N IV.

Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel Ostiarius, cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, ut qui Christi sponsæ vitium attulerit. Sin autem Laicus, segregetur.

S C O L I O N.

Violans Deo dicatam, si Clericus, deponitur; si Laicus, segregatur.

PATRES in Can. præcedenti postquam multis egissent de continentia Cleric. in præsenti Can. eamdem materiam prosequentes agunt de vitio incontinentiæ, quod specialem supra reliqua inordinationem habet.

Non enim dubium quia specialem malitiam contrahat peccatum carnis, si cum persona specialiter Deo per votum castitatis dicata committatur; immo rationem quamdam sacrilegii induit; eo quod res Deo consecrata hujusmodi peccato profanari censeatur; atque ideo & peccatum carnis eo titulo gravius efficiatur, majorisque pœnæ obnoxium redditur; edeo ut jure civili fornicatio cum Moniali pœna capitali puniatur, uti & hic notat Balsamon, quod & moribus multorum locorum consonat, uti ex Julio Claro notavi in *Jure Ecclesiastico T. IV. part. 3. tit. 4. cap. 6. n.* 63.

Monet denique Balsamon: „ Cam autem discis quo„ modo puniuntur, qui cum talibus mulieribus rem ha„ bent, non subdistinguas virginem, an viduam, sed de „ omni muliere Deo consecrata dic, locutum esse Can. Extat apud Gratianum *caus.* 27. *quæst,* 1. *Can.* 6.

C A N O N V.

Nullus eorum, qui in Sacerdotali catalogo degunt, extra eas, quæ in Canone recensentur, a suspicione alienas personas, mulierem possideat vel ancillam, se nulli reprehensioni affinem ex hoc servans. Si quis autem quæ a nobis definita sunt transilierit, deponatur. Hoc ipsum autem etiam Eunuchi servent; ut a vituperatione alieni fiat, providentes. Qui autem transgrediuntur, si sint quidem Clerici, deponantur: si vero Laici, segregentur.

SCHOLION.

Est innovatio tertii Canonis Nicæni, atque ad eum Canonem referenda sunt hæc verba: *Quæ in Canone recensentur*. Addit autem præsens Canon idem ab *Eunuchis* servandum; id est, ait Aristenus: „ Sacratas „ introductas habuere mulieres, licet Eunuchi sint, „ aut admodum senes, & presens Canon, & Basili „ magni ad Gregorium Presbyterum epistola prohibet. Addit dein Aristenus: „ De Eunnuchis autem plus „ etiam addit hic præsens Canon, quod licet Laici „ sunt, & una cum mulieribus, quæ non sunt ex co„ gnatis istis personis omnem suspicionem effugientibus „ cohabitent, excommunicantur.

Plura vide in Scholiis ad Canonem I. & III. Nicænum. (*a*).

CANON VI.

Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores & Cantores uxorem posse ducere; & nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur. Si quis autem eorum, qui in Clerum accedunt, velit lege matrimonii mulieri conjungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.

SCHOLION.

Sacris Ordinibus initiati uxores non ducant.

Canon Apostolicus, cujus hic fiat mentio, est, Canon XXV. eumque confirmavit Justinianus in L. 45. *Cod. de Episc. & Cler.*

Ostiarii, Acolythi, & Exorcistæ apud Græcos non ordinabantur.

Occasione hujus Canonis qui forsan eredet, in Ecclesia Græca Matrimonium fuisse interdictum *Ostiaris, Acolitis, & Exorcistis*: quandoquidem hic Canon, uti, & Apostolicus, solis *Lectoribus, & Cantoribus* uxores ducere permittat; sed nihil minus: quod enim de solis Lectoribus & Cantoribus loquantur Canones, ea est ratio, quod hi soli juxta Græcorum disciplinam in Clerum per ordinationem reciperentur: Ostinarii vero & Acolythi, ac Exorcistæ inter Ecclesiæ Ministros; sed citra ullam ordinationem, assumebantur, atque de Laicorum ordine manebant: uti late & solide ostendit Morinus de *Sacris Ordinat. part. 3. Exercit. 14. c. 1.* & notavimus ad Can. XXVI. Laodicenum. Cum ergo de solis Clericis quærentur, necesse non erat eorum meminisse, qui de Clero non erant.

Error Gratiani, quem Innocentius III. est secutus.

Postremam partem sub nomine Synodi VI. refert Gratianus *dist.* 32. *Can.* 7. his verbis: " si quis eorum, „ qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mu„ lieri copulari, hoc ante ordinem Subdiaconatus fa„ ciat ". Eisdem plane verbis, etiam nomine Synodi VI. eum citat Innocentius III. *in c. 9. t. de ætat. & qual. ordinand.* ut vel inde appareat, Innocentium Canones non in fontibus, sed in Gratiano legisse.

Idipsum notavit Antonius Augustinus *lib.* 1. de emendatione Gratiani *dial.* 8. postquam enim meminit hujus Canonis, sub nomino *sextæ Synodi*, prout extat apud Gratianum, mentionem fieri ab Innocentio. ait: *errorem Gratiani est secutus.*

Qui deinceps post ordinationem uxorem ducit, deponitur.

Ex præsenti Canone patescit Græcorum disciplina, quæ Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos post ordinationem a matrimonio excludit; at matrimanio junctos, modo non sint bigami, ad dictos Ordines admittit; eiisque permittit legitimis suis uxoribus uti quod supra ad *Canonem III.* notaveram. Sed an ante hoc Synodale decretum id generaliter vetitum fuerit, dubitare facit particula *deinceps*; innuens novum decretum, quod *deinceps* sive posthac servandum sit; nisi dicamus quod in hac Synodo primum pœna *depositionis* matrimonium post ordinationem contrahentibus inflicta fuerit.

Hoc notat hic Aristenus, quod " decimus quidem „ Canon (Ancyranus) jubet eum, qui Presbyteri aut „ Diaconi gradum est suscepturus, & cum eum susce„ perit, ante testatus est se non posse innuptum ma„ nere, sed velle uxorem ducere; etiam post ordina„ tionem matrimonium inire, & in proprio ministerio. „ Præsens autem Canon istum evertit Canonem, & „ omnino prohibet Presbyterum, Diaconum, aut Hy„ podiaconum post ordinationem fœminam sibi matri„ monio conjungere, vigesimum sextum Canonem A„ postolicum sequens; & decernit eum, qui post ordi„ nationem hoc facere ausus fuerit, deponi; cuique „ concedens libertatem, ante ordinationem lege matri„ monialis se fœmine conjungendi ". Videri poterit „ *tom. VI. Scholion*, quod in dictum Canonem Ancy„ ranum elaboratum est.

CANON VII.

Quoniam in nonnullis Ecclesiis Diaconos officia ecclesiastica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia & licentia fretos ante Presbyteros sedere: statuimus, ut Diaconus, etiamsi in dignitate est, id est, in quovis sit officio ecclesiastico, ante Presbyterum ne sedeat, præterquam si proprii Patriarchæ vel Metropolitani vicem gerens adsint in alia civitate super aliquo capite: tunc enim ut locum illius implens honorabitur. Si quis autem tyrannica adductus audacia, tale quid efficere ausus fuerit, is ex proprio gradu defectus, sit omnium ultimus ejus ordinis, in cujus est catalogo in sua Ecclesia, Domino nostro admonente, ne in primis Sedibus delectemur, secundum eam, quæ in sancto Evangelista Luca, ut ex Domino nostro & Deo profecta, posita est, doctrinam. Iis enim, qui vocati erant, dicebant hanc parabolam: Quando ab aliquo ad nuptias invitatus fuerit, ne in primo loco accubueris, ne forte quispiam te honoratior ab eo invitatus fuerit, isque qui te & ipsum invitavit, veniat & dicat: Da ei locum; & tunc incipies cum pudore ultimum locum tenere. Sed quando invitatus fueris, in ultimo loco accumbe, ut quando venerit qui te invitavit, dicat tibi, Amice, ascende altius; tunc erit tibi gloria coram iis, qui tecum accumbunt: *Nam* quisquis se extollit, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. *Hoc ipsum autem etiam servabitur in reliquis sacris ordinibus, quandoquidem sæcularibus dignitatibus spirituales præstantiores esse scimus.*

SCOLION.

Diaconus qui ante Presbyterum sederit, fiat Diaconorum ultimus.

Præsens Canon Diaconorum arrogantiam compescit, qui se Presbyteris præferre ambiebant, uti & compescuit *Can.* 18. Nicænos: hac tamen differentia (cui notarunt Balsamon & Zonaras hic) quod Canon Nicænus Diaconum ob eam arrogantiam a ministerio, sive Diaconatu arceat; præsens vero qui honestiorem sedendi locum impudenti temeritate Sacerdotibus præripuerit, eum in arrogantiæ suæ pœnam non a ministerio quidem repelli, sed *ex proprio gradu dejectus sit omnium ultimus*: hoc est, si primum forsan gradum inter Diaconos obtineret, in postremum detrudatur; maneat tamen in ministerio Diaconatus.

Rationem levioris pœnæ hoc Canone inflictæ nonnulli cum Zonara refundunt in hoc, quod Canon Nicænus agat de Diaconis, qui, dum sacra mysteria peraguntur, in sacrario medii inter Presbyteros consedere præsumant, quo tempore eos maxime Sacerdotibus inservire & adstare oportuerat: Præsens autem Canon agit de Diaconis, qui *extra* sacrarium alio quocumque consessu digniorum inter Sacerdotes locum sibi arrogarent.

Ordo Ecclesiasticus præferatur officiis circa temporalia.

Quidquid sit de hac distinctione, manifestum, quod non tantum in Diaconis respectu Presbyterorum, sed etiam in reliquis Ordinibus servari velit Synodus, ut dignitas magis ab Ordinibus Ecclesiasticis, quam a sæcularibus officiis seu dignitatibus sumatur: " quando„ quidem, *ait Synodus*, sæcularibus dignitatibus spiri„ tuales præstantiores esse scimus.

Pro intellectu hujus Canonis hoc quoque notandum, quod in Ecclesia Græca distincta essent officia Ecclesiastica ab Ordinibus sacræ. Neque enim efficis hujusmodi præfecti, qua tales, *sacris* mysteriis celebrandis assistebant, sed tantum ecclesiasticarum rerum curam vel custodiam habebant: atque ideo *sæculares dignitates* dicebantur; quia circa res temporales & in se sæculares versabantur.

Horum præcipui erant (uti notat hic Bevergius) *magnus OEconomus, magno Sacello Præpositus, magnus Vasorum Custos, Chartophilax (a), parvo Sacello Præpositus, ut primus Defensor.*

Aliquod simule officium affecuti inferiores Clerici sese majoribus hoc titulo præferre volebant, dignitatem & prerogativam confessus, a dignitatibus hisce, & non a sacris Ordinibus metientes, quod hoc Canone vetatur.

Diaconus aut Presbyter vices gerens sui patriarchæ, aut Metropolitæ.

Excipit tamen Canon casum, quo Diaconus " pro„ prii Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens „ adsit in alia civitate super aliquo capite; tunc enim „ ut locum illius implens honorabitur ". Id est, si Patriarcha, vel Metropolitanus Diaconum muneris sui Vicarium mittat ad aliquam civitatem, debitos ipsi Præsuli, cujus vices gerit, seu legatione fungitur, honores ipsi deferri placet.

Ita in Antiochena Synodo an. 363. per Meletium Patriarcham Lamydrio Pisonis Adanensis Episcopi Prebyter, ac Legatus subscripsit in hanc formam: *Piso Adanorum Episcopus per Lamydrionem Presbyterum.*

Similiter & sexta Synodus immediate ante hanc Trullanam celebrata, admisit Patriarchæ Hierosolymitani Legato Presbyteros ad, consensum & suffragium inter Patriarchas, uti ad hunc Canonem notavit Christianus Lupus, asserens, quod hic videatur fuisse mos Græcorum usitatus, quem præsens Canon confirmat.

Illum autem fuisse morem in Galliarum & Hispaniarum Ecclesiis, constat ex multis Synodis, a Christiano Lupo ibi citatis; notavimusque in Scholio ad Canonem CXXXIII. Africanum Philippum & Asellum Presbyteros, & *Legatos Romanæ Ecclesiæ* post Episcopos subscripsisse actis Concilii Carthaginensis anni 492.

CA-

(a) Extant citati Canones I. & III. Nicæni *Tom. VI.* hujus editionis.

(a) *Carthophilax*, inquit doctissimus pater le Quien *t. 1. Orientis Christiani p. 129. col. 1. tametsi vel Diaconus duntaxat esset; post Patriarcham tamen ante Episcopos & Metropolitas sedebat. Quartus* tamen *ordine censebatur inter præcipuos Patriarchæ Constantinop. Officiales* præibant enim *Magnus OEconomus, Magnus Saccellarius. Magnus Sceveph ylax.*

CANON VIII. *

In omnibus ea, quæ a nostris sanctis Patribus decreta sunt, nos quoque rata ac firma esse volentes, Canonem quoque renovamus, qui jubet, uniuscujusque Provinciæ Episcoporum quotannis fieri Synodus, ubi Metropolitanus Episcopus satius esse duxerit. Quoniam autem propter Barbarorum incursiones, & quosdam alias incidant causas non possunt, qui Ecclesiis præsident, Synodus in bis anno facere; visum est, ut omnino semel in anno propter Ecclesiasticas quæstiones, ut consentaneum est, emergentes, fiat prædictorum Episcoporum Synodus a sancto Paschæ festo, & usque ad Octobris mensis complementum, singulis annis, in loco, quem, ut prædictum est, Metropolitanus Episcopus aptiorem judicaverit. Ii autem, qui non conveniunt, Episcopi, cum in suis civitatibus agant, & sani sint, & ab omni inevitabili & necessario negotio liberi, fraterne corripiantur.

SCHOLION.

Synodus Provinciæ annue bis celebranda, aut si bis fieri non possit saltem semel,

PRÆSENS Canon renovat *Canon. quintum* Nicænum, qui voluit Synodum Provincialem *bis* in anno celebrari; una tamen declarans, quod „ quoniam propter Barbarorum incursiones, & quasdam alias incidentes causas, non possunt, qui Ecclesiis præsident. „ Synodos bis in anno facere, omnino saltem semel „ in anno propter Ecclesiasticas quæstiones, ut consentaneum (*sive* verisimile est) emergentes, fiat prædictorum Episcoporum (in unaquaque Provincia) Synodus. Nolunt ergo Patres totaliter recedere a Canonibus, quis *bis* in anno Synodorum Episcoporum celebrari volunt; sed duntaxat ob urgentem necessitatem indulgent, ut necessitate durante, Synodus saltem *semel* in anno habeatur.

Verum quod ob necessitatem solummodo indultum fuit, sensim in legem generalem transivit, atque tandem quasi pro lege receptum, *semel* in anno convocandam esse Synodum Provinciæ; uti notavi in *Jure Eccl. T. I. part.* 1. *tit.* 20. *c.* 1. Ut vel hinc pateat, quam ægre a Canonum præscripto recedendum sit: quia recessus ille, licet ob necessitatem ad tempus tantum indulgeatur, facile in legem mutatur; & quod limitate & ex sola necessitate fuit toleratum, sensim tamquam generaliter & simpliciter probatum recipitur (*a*).

Patet insuper ex hoc Canone, quæstiones ecclesiasticas, eo etiam tempore, ad Synodos Provinciales fuisse delatas, & ibidem terminatas; quod pristinis Canonibus, & multorum sæculorum disciplinæ consonum esse, ostendi in *Jure Eccles. T. IV. part.* 3. *tit.* 5. *cap.* 1. Ibi una notavi, tandem labente ætate, ob neglectam Synodorum celebrationem, quæstiones Ecclesiasticas ad Episcopos extra Synodum delatas esse; Episcopos autem, ut se a negotiis extricarent, eas ad suos remisisse Officiales; atque ob hanc mutandam judiciorum formam, Tribunalia Ecclesiastica, multum de sua amisisse simplicitate, & integritate; atque exinde & eorum non parum diminutam auctoritatem.

Tempus celebrandæ Synodi præfigitur *a Festo Paschæ usque ad Octobris mensis complementum*; intra quem terminum Metropolitani est, Episcopos suæ Provinciæ convocare *in locum quem Metropolitanus Episcopus aptiorem judicaverit*.

Hujus Canonis sub nomine *sextæ Synodi* meminit septima Synodus *Can.* 6. appellanturque ibidem qui huic Synodo sextæ interfuerunt nomine *Patrum*; monet Antonius Augustinus *l.* 1. *de Emend. Gratiani dial.* 8. quod *omnes Græci ita appellent, & aliqui ex Latinis*.

CANON IX. *

Nulli licere Clerico cauponariam habere tabernam. Si enim in cauponam ingredi non est permissum, quanto magis aliis in ea ministrare, & ea quæ non licet ipsi tractare? si quid autem tale fecerit, vel cesset, vel deponatur.

SCHOLION.

HOc Canone Clericis interdicitur, *cauponariam habere tabernam*; quod ita accipiendum monet Zonaras hic. „ Ut eis operas locare in caupona, ejusque „ ministeriis inservire ne liceat. Turpe siquidem (per„ git Zonaras) atque ab Ordinum dignitate vehemen„ ter alienum, exercendæ cauponæ Clericum præside„ re excipiendis hominibus, apponendis ferculis præ„ sto esse, pincernæque quodamodo operam ac mi„ nisteria hospitibus exhibere. Id tantum a Clericali ordine alienum crediderunt Synodi nostræ Belgicæ, ut nec in Custodes seu Matricularios Parochialium Ecclesiarum admitti voluerint, qui *cauponas* seu tabernas tenent, prout annotavi in *Jure Eccl. Tom. I. part.* 1. *tit.* 4. *c.* 2. *n.* 3.

Supponit Synodus, jam pridem per Canones Clericis ingressum in cauponas sive tabernas fuisse interdictum; ex hac prohibitione inferens prohibitionem exercitii cauponæ, argumento a minori ad majus: *si enim ait, in cauponam ingredi non est permissum, quanto magis & aliis in ea ministrare, & ea quæ non licet ipsi tractare*. Canones ingressum vetantes refert Gratianus *dist.* 44. his & consonat Synodi Belgicæ, quas annotavi in *Jure Eccl. Tom. I. part.* 2. *tit.* 2. *c.* 4.

Clericus cauponam exercens, & monitus se non corrigens, deponitur hoc Can.; at ingrediens, solum segregatur *Can.* 47. *Apost.* eo quod hoc illo levius sit.

CANON X.

Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, qui usuras, vel quæ dicuntur, centesimas accipit, vel cesset, vel deponatur.

SCOLION.

Episcopus, Presbyter vel Diaconus centesimas accipiens vel cesset, vel deponatur.

QUOD hoc Canone statuitur, id generaliter Clericis interdicitur *Canone* 17. Nicæno, cujus Scholion consuli potest.

CANON XI. *

Nemo eorum, qui Sacerdotali ordini enumerantur, vel Laicus, Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accersat, vel ab eis medicinas accipiat, vel una cum eis in balneis lavetur. Si quis autem hoc facere aggressus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur: si autem Laicus, segregetur.

SCHOLION.

Nulla cum Judæis habenda familiaritas.

SCIMUS Græcos jam pridem in sacrificio incruento usos fuisse pene *fermentato*; panemque azymum respuisse, ne videretur judaizare; quin & Latinis vitio vertisse, quia in sacrificio azymis utuntur; creditque Theodorus Balsamon, hoc Canone nequaquam vetitum esse, comedere azyma; sed per azyma festa celebrare more Judaico; sive in *sacrificiis* azymis uti, idque ait Balsamon „ propter Latinos, qui cum azy„ mis festa celebrant.

Ex his facile intelligitur hunc Canonem juxta hunc sensum annumerandum esse Canonibus hujus Synodi, qui ab Ecclesia *Latina* recepti non sunt: utpote quæ non obstante hoc Canone, & Græcorum mori conformi, perstitit, & etiamnum hodie persistit in usu *azymorum*: non ed exemplum *Judæorum*, sed ipsius *Christi*: quem in *azymis* prima de azymorum consecrasse, & hoc Sacramentum instituisse, eredit.

Canone 69. vulgo Apostolorum interdicitur, ne festos dies cum *Judæis* celebrare, neve *munuscula* ab eis accipere liceat. At hoc Canone omnis cum eis familiaritas interdicitur; ut *nec in morbis accersere eos liceat; neque ab eis medicinas accipere*.

Similiter & Pontificum Romanorum posterioribus Constitutionibus; relatis sub titulo Decretalium de *Judæis*, familiaritas & comercium cum ipsis interdicitur. „ Quoniam, ait Pontifex, in *cap.* 8. *ibid.* Judæo„ rum mores & nostri in nullo concordant, & ipsi de „ facili ob continuam conversationem, & assiduam fa„ miliaritatem, ad suam superstitionem & perfidiam „ simplicium animos inclinarent". Quæ ratio evincit omnem cum hæreticis familiaritatem fugiendam esse.

Verum in regionibus, in quibus Judæi permittuntur habitare, nec Canonis hujus, aut dictarum Constitutionum rigor observatur.

Error Gratiani.

Canonem hunc retulit Gratianus *caus.* 28. *quæst.* 1. *Can.* 13. sed sub nomine *septimæ* Synodi: & pro voce *Judæorum*, legit *eorum*; uti notavit Ant. Augustinus *de emend. Grat. cap.* 1. *dial.* 8. At utrumque Gratiani errorem in ipso textu emendarunt Correctores Romani, nulla hujus correctionis facta mentione: Hinc rursus probatum, quod hodie post Romanam correctionem non habeatur hoc decretum, sive opus prout a Gratiano compositum, & evulgatum fuit, ut non esmel monuimus, & a pluribus est deploratum.

CANON XII.

Porro hoc quoque ad nostram cognitionem pervenit, quod in Africa & Lybia, & aliis locis quidam ex iis, qui illic sunt, religiosissimi Præsules cum propriis uxoribus. etiam postquam ad eos processit ordinatio, una habitare non recusant, ex eo populis offendiculum & scandalum offerentes. Cum itaque studium nostrum in eo magnopere laboret, ut omnia ad gregis in manus no-

(*a*) De habendis in Regno Galalliarum Conciliis Provincialibus votum suum Lodovicus XIV. in declaratione data 16. Aprilis 1646. his significavit verbis: *Desiderant de tout notre cœur voir fleurir la Religion & la Pieté en notre Royaume, nous... admoneton & exhortons les Archeveques & Metropolitains de notre Royaume, de tenir les Conciles Provinciaux au moins de trois ans en trois ans, en tel lieu de lieu de leur Province, qu' ils conneitront etre plus propre & plus convenable pour cet effet, affin de pourvoir à la discepline & correction des Mœurs, & direction de la police Ecclesiastique, istitution des Seminaires & Ecoles, selon la ferme des saints Decrets.*

noſtras traditi nobiſque commiſſi utilitatem fiant, nobis viſum eſt, ut nihil ejuſmodi deinceps ullo modo fiat. Hoc autem dicimus, non ad ea abolenda & evertenda, quæ Apoſtolice antea conſtituta ſunt, ſed populorum ſalutis & ad meliora progreſſionis curam gerentes, & ne ſtatus Eccleſiaſticus ullo probro afficiatur. Dicit enim divinus Apoſtolus: Omnia ad Dei gloriam facite: ſine offendiculo eſtote, & Judæis, & Græcis & Dei Eccleſiæ, quemadmodum & ego omnibus in omnibus placeo, non quærens meam utilitatem, ſed multorum, ut ſerventur. Imitatores mei eſtote, ſicut Chriſti. *Si quis autem tale quid agere deprehenſus fuerit, deponatur.*

S C H O L I O N.

Epiſcopis interdicta cohabitatio cum ſuis uxoribus.

IN Scholiis ad *Canonem ſextum* Apoſtolorum notavimus, quod olim apud Græcos uxorati in Epiſcopos ordinati poſſent ſuis uxoribus uti; quod & hodie Presbyteris & Diaconis permittunt: at quoad Epiſcopos diſciplina mutata fuit, vetitumque Epiſcopis uti uxoribus, quas etiam *ante* ordinationem habuerant; quam diſciplinam hoc Canone Patres ſtabiliunt, atque ubique obſervari volunt.

Nec tantum præcipiunt, ut Epiſcopi *poſt* ſuam ordinationem propriis uxoribus non utantur, ſed inſuper prohibent, ne cum eis una habitare præſumant. „ Nam etſi fieri poteſt, ut ſic cohabitantes, ſe caſtos „ nihilominus & integros ſervent, aliis tamen offendi„ culo & ſcandalo erunt“; ait Zonaras hic.

Monent autem Patres, hæc dici, *non ad ea abolenda & evertenda, quæ Apoſtolica antea conſtituta ſunt, ſed populorum ſalutis, & ad meliora progreſſionis curam gerentes, & ne ſtatus Eccleſiaſticus ullo probro afficiatur.*

Haud obſcurum eſt, per *Apoſtolice antea conſtituta*, ſignificari citatum *Canonem ſextum* Apoſtolorum, qui vetat Epiſcopos uxores ſuas legitime ante ordinationem ductas, poſt ordinationem a ſe dimittere, ac conſequentur uſum earum permittere videtur, uti notatum fuit in Scholiis ad dictum Canonem Apoſtolorum.

Dicunt itaque Patres, ſe hic ſtatuta non decreviſſe, *ad ea abolenda & evertenda, quæ Apoſtolice antea conſtituta ſunt, ſed populorum ſalutis, & ad meliora progreſſionis curam gerentes, & ne ſtatus Eccleſiaſticus ullo probro afficiatur.* Quaſi dicere: „ Apoſtolos quidem „ (verba ſunt Zonaræ) naſcente ac emergente tum „ primum fide, neque adhuc ſonitu divinæ prædica„ tionis latius evulgato, mitius cum iis, qui fidem „ amplecterentur, ac remiſſius egiſſe, nec ab eis omnes „ numeros perfectionis exigentes, aliquid tum imbe„ cillitati ipſorum, tum inveteratæ apud omnes gen„ tes, atque adeo apud ipſos Judæos, conſuetudini „ indulſiſſe. Nunc vero longe lateque propagata Reli„ gione, ac diligentius quæ ad ſanctiorem vitæ nor„ mam pertinent conſtitutis, augeſcente in dies & „ Angelico cultu, ſeverioribus, inquiunt, vitam ſu„ am continentiæ legibus abſtringere ipſi quoque Epi„ ſcopi debent, ut non modo ab alienis uxoribus ab„ ſtineant, ſed ab iis quoque, quas tori conſortes „ habuere: neque ſolum lecti ſocias non admittant, „ ſed nec ſub eodem tecto, aut iiſdem ædibus dege„ re patiantur „. Ita Zonaras hic, cui & Balſamon conſentit.

Idem prohibet Eccleſia Latina omnibus ſacro Ordine initiatis.

Porro cum apud Latinos eadem lex continentiæ poſt ordinationem impoſita ſit Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, non mirum ſi ſtatutum hoc Canone de Epiſcopis, Eccleſia Latina a Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis obſervandum decreverit, ut nimirum ab uxorum, quas *ante* ordinationem habuerunt, cohabitatione, tamquam periculoſa & ſcandaloſa abſtineant *poſt* ordinationem.

Et quidem Synodus Agathenſis *Canone XVI.* „ Non „ ordinentur, inquit, conjuncti, niſi ſequeſtrati man„ ſionis cubiculo.

Et Synodi Turonenſis *Canone XIX.* cavetur; „ Ne „ Presbyteri cum ſuis uxoribus maneant, ſed ſegrega„ tim ſolitarii in cella jaceant, orent, dormiant: „ *quia*, ait, *nulli Clericorum juxta Canonum ſententiam cum conjuge ſua manere permittitur.*

Error Gratiani in citando loco S. Gregorii.

Ubi ergo legitur apud S. Gregorium *lib.* 1. *Epiſt.* 50. & refertur a Gratione *diſt.* 81. *Can.* 24. „ Volumus, „ ut Sacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus „ converſentur, excepta duntaxat Matre, Sorore, „ vel *uxore*, quæ caſte regenda eſt „. Dubitat vir eruditus Petrus Guſſanvillæus „ an non vox illa, *uxo„ re*, irrepſerit; ſiquidem iſtam converſatio res eſt „ plena periculi & ſuſpicioſiſſima ... ideoque quod ait „ *lib.* 7. *Epiſt.* 39. *uxores* non relinquant, interpretor, „ curam earum non deferant, victum eis admini„ ſtrent.“ Hæc ille in Notis ad dictam Epiſt. 50.

Cæterum quid obtineat jure Decretalium circa uxorem illius, qui ea vivente ad ſacrum Ordinem vel vitam Monaſticam tranſit, vide Commentatores ad Titulum Decretalium *de Converſione Conjugatorum.*

C A N O N XIII.

Quoniam Romana Eccleſia pro Canone traditum eſſe cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum, vel Presbyteratum, profiteantur ſe non amplius ſuis uxoribus conjungendos; nos antiquum Canonem Apoſtolicæ perfectionis ordiniſque ſervantes, hominum qui ſunt in ſacris legitima conjugia deinceps quoque firma & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem diſſolventes, vel eos mutua tempore convenienti conſuetudine privantes. Quamobrem ſi quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum aſſumi nequaquam prohibeatur, ſi cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo poſtuletur, ut profiteatur ſe a legitima cum uxore conſuetudine abſtenturum: ne ex eo a Deo conſtitutas a ſua præſentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur, Evangelica voce exclamante: Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet, *& Apoſtolo docente*, honorabiles nuptias & torum immaculatum. *Et* alligatus es uxori? ne quære ſolutionem. *Scimus autem, ſicut & qui Carthagine convenerunt, & vitæ miniſtrorum honeſtatis curam gerentes dixerunt, ut Subdiaconi, qui ſacra myſteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri ſecundum proprios terminos a conſortibus abſtineant: ut & quod per Apoſtolos traditum eſt, & ab ipſa uſque antiquitate ſervatum, nos quoque ſimiliter ſervemus, tempus in omni re ſcientes, & maxime in jejunio & oratione. Oportet enim eos, qui divino altari aſſident, in ſanctorum tractandorum tempore eſſe omnino continentes, ut poſſint id, quod a Deo ſimpliciter petunt, obtinere. Si quis ergo fuerit auſus præter Apoſtolicos Canones incitatus, aliquem eorum, qui ſunt in ſacris, Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum conjunctione cum legitima uxore & conſuetudine privare, deponatur. Similiter & ſi quis Presbyter vel Diaconus ſuam uxorem pietatis prætextu ejecerit, ſegregetur, & ſi perſeveret, deponetur.*

S C H O L I O N.

Diſciplina Græcorum de matrimonio Presbyterorum & Diaconorum quoad uſum in Eccleſia Latina merito admiſſa non fuit.

RATIONES, quibus diſciplinam ſuam circa uſum matrimonii Diaconorum & Presbyterorum ſtabiliunt, non obſcure carpunt Eccleſiam Romanam, quaſi per legem continentiæ Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis indictam, vinculum matrimonii ante ordinationem legitime contracti diſſolveret; vel nuptias a Deo conſtitutas & ſua præſentia benedictas injuria afficeret: cum certum ſit & notorium, Eccleſiam Rom. nunquam matrimonium Presbyterorum aut Diaconorum ante legitime contractum quoad vinculum diſſolviſſe; ſed uſum dumtaxat Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconi tamquam ſacris eorum functionibus minus convenientem ademiſſe; neque unquam nuptias ipſas contempſiſſe aut injuria affeciſſe; ſed perfectionem majorem in ſuis deſiderans Miniſtris, eos ſolummodo eligendos cenſuit, qui eam perfectioris vitæ normam ultro eligere volunt; quemadmodum in Epiſcopis Græci obſervandum Canone præcedenti ſtatuerunt (*a*).

Canonis erratum circa ſenſum Canonis Carthaginenſis.

Ulterius, ſicuti nimio ſtudio ſtabiliendæ propagandæque Eccleſiæ ſuæ diſciplinæ a mente & ſenſu Eccleſiæ Rom. aberrarunt, ita & eodem præcipiti zelo abrepti a ſententia Patrum Carthaginenſium receſſerunt; canonemque eorum in alienum plane ſenſum contorſiſſe videntur.

Cum enim Canon latine editus diceret, placere Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos ſecundum *priora ſtatuta*, vel ut alii legunt, *propria ſtatuta*, id eſt ſecundum priores aut proprias Conſtitutiones jam editas, ipſi verterunt *ſecundum proprios terminos*; quaſi eo Canone ſolum interdiceretur Presbyteris & Diaconis uſus matrimonii *ſecundum proprios terminos*, ſive cum eorum vices ſacrificandi vel miniſtrandi altari recurrunt. Quod alienum eſſe a mente Patrum non tantum ipſe obvius verborum intellectus oſtendit, ſed & illud quod, conſtet ex S. Auguſtino *l.* 2. *de Adult. Conjug. cap.* 20. in Africa ſacratis hominibus uſum matrimonii nullo tempore indultum fuiſſe. Deinde ſi Canon pateretur ſenſum ipſis a Græcis affictum, non tantum Presbyteris & Diaconis, verum & Epiſcopis licita fuiſſet conjunctio matrimonialis extra tempus miniſterii: cum de his Carthaginenſis Canon eodem, quo de Presbyteris a Diaconis modo loqua-

(a) Non abs re erit obſervare, quod Innocentius III. non improbaverit morem, quo Græci ſuis Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis uſum matrimonii ante ordinationem contracti permittunt. Conſultus enim Innocentius de filio Sacerdotis Græci, cujus pater ante ordinationem matrimonium contraxerat, & Sacerdos exiſtens eumdem in matrimonio ſuſceperat, conſultus inquam, num iſte Sacerdos Græcus in Epiſcopum legitime poſſet eligi; reſpondit Pontifex his verbis: „ Nos attendentes, quod Orientalis Ec„ cleſia votum continentiæ non admiſit, quoniam Orientales in „ minoribus Ordinibus contrahunt, & in ſuperibus utuntur „ matrimonio jam contracto: mandamus; quatenus niſi pro „ eo quod inter Latinos Græci hujuſmodi converſantur, regio„ nis conſuetudo repugnet, ſi aliud Canonicum non obſtat ad „ conſecrationem ejuſdem ſine dubitatione procedas „. Cap. Cum olim, tital. de Clericis conjugatis.

loquatur, & tamen nec ipsi Greci id Episcopis licitum fuisse prætendunt.

Cæterum vitiosam esse Græcorum expositionem Canonum Carthaginensium, ostendit quoque Fronto-Ducæus in Notis ad hunc Canonem.

Tametsi ergo Ecclesia Latina disciplinam Græcorum, Presbyteris, & Diaconis matrimonii prius contracti indulgentem non improbet, quasi Legi Evangelicæ repugnantem, nunquam tamen Canonem hunc, zelo nimium præcipiti contrariam disciplinam reprobantem & Ecclesiæ Romanæ errores temerarie nimis affingentem probavit.

Culpatur Gratianus Canonem referens.

Unde nec immerito dixit Antonius Augustinus *lib.* 1. *dial. de emend. Grat. cap.* 8. *nullo pacto recipi potest: est enim contra cælibatum Latinorum Sacerdotum conscriptus, & aperte contra Romanam Ecclesiam*. Refertur, tamen a Grat. *dist.* 31. *Can.* 13. quod notare poterunt, qui credunt omnia in Decreto Gratiani contenta ab Ecclesia Romana esse probata.

Quod vero in præsenti Canone edicitur, Presbyteros & Diaconos recurrentibus vicibus suis sacrificandi aut ministrandi debere ab usu matrimonii abstinere: quia „ oportet eos, qui divino altari assident in sanctorum „ tractandorum tempore esse omnino continentes, ut „ possint id, quod a Deo simpliciter petunt, obtine„ re „: nunquam non probare potuit Ecclesia Romanam, utpote quæ plane continentes Ministros altaris desiderat. Quare & Clemens VIII. statuit conformiter ad hunc Canonem, ut Presbyter Græcus conjugatus Missæ sacrificium oblaturus per hebdomadam vel triduum ab uxore abstineat, *const.* 33. *in Bull. Romam.*

Hæc expendat, qui Presbyterum, non tantum licito actui matrimoniali operam dantem, sed & in actum fornicationis & sacrilegii prolapsum, nullo pene aut exiguo intercurrente tempore sacris altaribus adstare permittit (*a*).

CANON XIV.

Sanctorum divinorumque Patrum nostrorum Canon in his quoque valeat, ut Presbyter ante triginta annos non ordinetur, etiamsi sit homo valde dignus, sed reservetur. Dominus enim Jesus Christus trigesimo anno baptizatus est, & cœpit docere. Similiter nec Diaconus ante vigintiquinque annos, nec Diaconissa ante quadraginta annos ordinetur.

CANON XV.

Subdiaconus ne minor viginti annis ordinetur. Si quis autem in quovis Sacerdotii gradu præter præfinita tempora ordinatus fuerit, deponatur.

SCHOLION.

Presbyter non ordinetur nisi 30. annorum Disciplina hæc varie mutata.

VARIA fuit Ecclesiæ disciplina circa ætatem ordinandorum. *Novella Justiniani* 123. *cap.* 13. Presbyterorum minorem triginta quinque annis fieri non permittit. At præsens Canon ætatem hanc ad annum trigesimum, prout jam pridem *Canone* Neocæsariensi, quem hic indicat, præscripta erat, reduxit.

Hæc disciplina multis sæculis constanter perduravit, sæpius Synodalibus Decretis renovata & stabilita; donec tandem sæculo undecimo & sequentibus occasione frequentioris dispensationis sensim ad *vigesimum quintum annum* deducta fuit, quæ relaxatio consuetudine primum inducta, tandem sub nomine Concilii Viennensis in *Clem.* 3. *de ætate & qualit. ordinand.* & novissime in Concilio *Trid. sess.* 23. *c.* 12. *de Reform.* hæc ætas in Presbyteris sufficiens probata; uti in Scholiis ad citatum Canonem 2. Neocæsariensem notatum est.

Ætas 20. annorum in Diacono hic requisita varie postmodum diminuta.

Ætas viginti quinque annorum in Diacono, hoc Canone præfixa ad annum *vigesimum* tandem declinaverat; eamque probat citata Clementina: at eam ad annumvigesimum tertium reduxit Synodus Tridentina dicto *cap.*12.

Conformiter ad *Canonem XV.* in Subdiacono ætatem viginti solum annorum requirit Leo sapiens *Novell.* 75. abrogata Novella Justiniani, *Subdiaconum fieri non permittente minorem viginti quinque annis.*

Circa hanc ætatem notabilem supervenisse relaxationem posterioribus sæculis in quibusdam Ecclesiis Latinis probat Melphitana Synodus sub Urbano II. sub finem undecimi sæculi celebrata, edicens: „ Nemo ante annos „ *quindecim* aut *quatuordecim* Subdiaconus ordinetur.

Synodus Ravennatensis tertia sub Clemente V. annum exigit *decimum sextum*, & sub nomine Concilii Viennensis in citata *Clementina* 3. requiritur annus *decimus octavus*.

At Synodus Tridentina hic ætatem majorem, quam hoc Canone præfigitur, requisivit, scilicet annum *vigesimum primum* completum. Nec immerito Ecclesia Latina maturiorem in Subdiaconis, quam Ecclesia Græca ætatem requirit; quod Ecclesia Latina ad omnimodam & absolutam continentiam servandam ipsos obstringat, non autem Græca, quæ ipsis licentiam facit uxoribus suis *ante* ordinationem legitime ductis, post ordinationem, utendi.

Notanda est ratio, qua Synodus inductam se asserit, ut trigesimum in Presbytero ætatis annum requirat: *Dominus enim Jesus Christus*, ait, *trigesimo anno baptizatus est, & cœpit docere*; non obscure insinuans Presbyterorum quoque officium esse, docere, ac sufficere, ut exemplo Christi anno trigesimo illud ministerium incipiant.

CANON XVI.

Quoniam Actuum liber septem Diaconos ab Apostolis constitutos esse tradit, Neocæsariensis autem Synodus sic in a se editis Canonibus aperte disseruit; quod septem debent esse Diaconi ex Canone, etiamsi sit valde magna civitas, ex libro autem Actuum persuadeberis: nos cum dicto Apostolico Patrum mentem adaptassemus, invenimus eos esse locutus non de viris, qui ministrant mysteriis, sed de ministerio, quod in usu mensarum adhibebatur, cum liber actum sic habeat: In diebus illis cum discipulorum multitudo cresceret, fuit Græcorum murmur adversus Hebræos, quod despiciebatur eorum viduæ in ministerio quotidiano. Duodecim ergo, accersita discipulorum multitudine, dixerunt: Non placet, ut verbo Dei relicto, mensis serviamus. Providete ergo, fratres, viros ex vobis, de quibus bonum sit testimonium, septem, Spiritu Sancto & sapientia plenos, quos in hoc usu constituemus: nos autem in oratione & verbi ministerio fortiter perseverabimus. Et placuit sermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum Proselitum Antiochenum, quos statuerunt coram Apostolis. *Hac interpretans Ecclesia Doctor Joannis Chrysostomus, sic prosequitur: est opera pretium admirari, quomodo non est scissa multitudo in virorum electione, quomodo non sunt ab ipsis rejecti ac reprobati Apostoli. Quamnam autem habebant hi auctoritatem, & quam acceperunt ordinationem, scire est necessarium. Numquid Diaconorum? Atqui hoc non est in Ecclesiis. Sed est Presbyterorum dispensatio. Atqui nullus adhuc erat Episcopus, sed soli Apostoli. Unde nec Diaconorum, nec Presbyterorum nomen existimo apertum esse ac manifestum. Propter hac ergo nos quoque prædicamus, ut prædicti septem Diaconi non de iis accipiantur, qui mysteriis serviunt, ut est prius exposita doctrina: sed eos esse, quibus fuit concredita ac tradita dispensatio communi eorum usui, qui tunc collecti fuerant, qui nobis in hoc quoque forma fuere humanitatis & studii in eo, qui indigent.*

SCHOLION.

De numero Diaconorum in singulis civitatibus.

CANONE 15. Neocæsariesi cautum erat, quod *septem debent esse Diaconi ex Canone, etiam sit magna civitas*. Rationem subjicit; *ejus fidem faciet liber Actorum*.

Nequaquam obscurum est, Synodum Neocæsariensem supposuisse, S. Stephanum, aliosque ab Apostolis in actibus Apostolorum electos, fuisse veros Diaconos, & tales quales ipsa Synodus intellexit; atque ad septenarium numerum Diaconos esse restringendos in quacumque etiam magna civitate, quia eum numerum Diaconorum elegerunt Apostoli.

Hunc quoque numerum pluribus sæculis retinuit Romana Ecclesia: septem Diaconis per septem Urbis regiones distribuens.

Quale munus concreditum fuerit 7. Diaconis. Act. VI.

Cum autem tempore hujus Synodi in Ecclesia Constantinopolitana essent multo plures, quam *septem* Diaconi, immo teste Zonara ex Constitutione Justiniani essent *centum* Diaconi; atque hunc numerum adhuc multiplicasset Heraclius Imperator, Synodus hæc Constantinopolitana, ut auctaritatem dicti Canonis Neocæsariensis a se amoliretur, dicit, quod postquam *cum dicto Apostolico Patrum* (Neocæsariensium) *mentem* adaptasset, invenerint, *eos esse locutos, non de viris qui ministrabant mysteriis; sed de* „ *Ministerio, quod in usu men*„ *sarum adhibebatur*. id est, interpretante Zonara: „ *septem* illos Actorum Diaconos fuisse, non qui *sa*„ *cris* ministeriis, dum res divina peragitur, obeun„ dis vacarent, sed qui hominibus amplectendæ fidei „ studio ab Apostolos assidue commeantibus alimenta „ prospicerent, a quibus exemplum quoque in egenos „ charitatis piæque liberalitatis ad nostra usque tem„ pora ductum esse affirmant.

Tum probata sententia S. Chrysostomi *ex Homilia* 14. *in Acta Apostolorum*, concludit Synodus in præsenti Canone: *propter hæc ergo nos quoque prædicamus, ut prædicti septem Diaconi non de iis accipiantur, qui mysteriis serviunt, ut est prius exposita doctrina, sed eos esse, quibus fuit concredita ac tradita dispensatio communi eorum usui, qui tunc collecti fuerant, hoc est fidelium multitudine.*

Quod præsens Synodus Diaconos, de quibus in Actis

(*a*) Quapropter perniciosissimo errore tenentur Casuistæ, qui censent Sacerdotes in crimen carnis lapsos post unam aut alteram horam ad accipiendam absolutionem esse paratos. Quo major enim est Sacerdotalis gratia, quo celsior hujus ordinis dignitas, eo graviori lapsu inde deciditur, eo difficilius post lapsum surgitur. Paucos omnino hinc erigit Deus, & per veram pœnitentiam ad se revocat, & cum id facit, si usitatum gratiæ ordinem attendamus, non statim facit; nec continuo in homine maturam illam accipiendæ cum fructu absolutioni affectionem operatur. Hoc videlicet spectarunt SS. Patres, cum pœnitentes tam longis pœnitentiæ officiis ad percipiendam absolutionis gratiam præpararent, medicorum in hoc solertiam imitati, ut docet S. Ambrosius in Psal. 37. igitur non modo non Eucharistia, nec Sacrificii aditu; sed ne absolutione quidem Sacerdotes flagitiosi, adhuc libidinum suarum æstu flagrantes omnino dignandi sunt; non quia conversis absolutionem differre necesse sit; sed quia pro conversis habendi non sunt,

Synodus Trullana correxit potius quam expoſuit Canonem de numero Diaconorum Neocæſarienſem.

Actis Apoſtolorum eo modo deſcribens, potius *correxerit*, quam interpretata ſit Canonem Neocæſarienſem, monet Balſamon, immo Zonaras relatis verbis Canonis Neocæſarienſis ait: „ Illum igitur Canonem „ Synodi Patres hoc loco *reprehenderunt*, neque ſatis „ Diaconorum nomen, quod ex actis affertur, intel- „ lectum eſſe pronuntiant.

Sane diffiteri non poſſumus, quin inſpectis verbis ſacri Textus, ſeptem illi viri (de quibus in Actibus Apoſtolorum) ab Apoſtolis primario videantur electi fuiſſe, ut communibus menſis intenderent, id eſt, diſpenſationi eorum, quæ a fidelibus in alimoniam pauperum offerebantur; utque hoc pacto Apoſtoli ab hac temporalium cura liberi, poſſent liberius orationi & miniſterio verbis inſtare.

Hinc S Hieronymus *Epiſtola* 83. volens Diaconorum arrogantiam deprimere, dicere non veretur, ipſos ſua origine eſſe duntaxat *famulos viduarum & pauperum*.

Verum hæc temporalium cura Diaconis impoſita, nequaquam impedit, quominus & in officiis eccleſiaſticis, & ſacris functionibus Miniſtri eſſent Sacerdotum: ideoque & Hieronymus, qui Diaconos ubique deprimit, ipſos tamen *Sacerdotum* miniſtros vocare non dubitat.

Primi fideles corporali menſa ſpiritalem junxerunt.

Pro quo notandum cum S. Auguſtino, juxta Apoſtolum, primos fideles communi & corporali refectioni junxiſſe cœnam Euchariſticam, & conſuetudinem primitivorum Chriſtianorum fuiſſe, ut ad exemplum Chriſti, utramque menſam corporalem & ſpiritualem conjungerent, notat Baronius ad *annum* 34. quamvis ob exceſſus & abuſus id poſtmodum vetitum fuerit.

Itaque admodum veriſimile eſt, quod Diaconi curam communis menſæ habentes, atque eatenus publici Eccleſiæ miniſtri erant conſtituti, etiam primi fuerint, quorum in diſtribuenda Euchariſtia, & ſacris functionibus Apoſtoli, eorumque Succeſſores cum opus eſſet, miniſterio uſi ſint.

Quid de functionibus Diaconorum ſenſerint priorum ſeculorum Patres.

Ita S. Ignatius ipſis Apoſtolis pene coævus ſcribit ad Trallianos: „ oportet & Diaconos *myſteriorum Chriſti* „ *Miniſtros*; per omnia placere, nec enim ciborum & „ potuum miniſtri ſunt, ſed Eccleſiæ Dei adminiſtra- „ tores“. Similiter & S. Polycarpus Epiſtola ad Philippenſes, vocat ipſos, *Miniſtros Dei & Jeſu Chriſti*, vel *in Jeſu Chriſto, & non hominum*.

Ex *Apologia* 2. S. Juſtini martyris habemus, quod Diaconi *Euchariſtiam* ferrent ad fideles, cui die Dominica conventui fidelium intereſſe non potuerunt.

Itaque ex his aliiſque teſtimoniis, quæ adfert Baronius loco citato, evincitur. Diaconos ab initio Eccleſiæ, non tantum fuiſſe diſpenſatores eleemoſynarum, ſed & miniſtros *altaris*: adeoque nec ambigendum, quin & electi ab Apoſtolis miniſterio altaris, & non functionibus *ſacris* obeundis fuerint impenſis.

Eccleſia Latinæ ſententia de electione Diaconorum in actis Apoſt. relata.

Itaque Eccleſia Latina originem Diaconorum, qui altari miniſtrant, cum Synodo Neocæſarienſi ad Diaconos ab Apoſtolis electos refert, atque hodiernos ſuos Diaconos ſucceſſores credit illorum, qui ad Apoſtolis conſtituti fuere. Hinc ex præſcripto Pontificalis Romani Pontifex ordinans monet Diaconos, „ ut cogitent „ Beatum Stephanum, merito præcipue caſtitatis ab „ Apoſtolis ad officium illud“: Diaconatus *electum*.

Ejuſdem Eccleſiæ ſententia de eorum numero.

Sed quod dicta Synodus Neocæſarienſis judicare videatur, Apoſtolos per electionem *ſeptenarii* numeri, fixum illum numerum præfixiſſe, Eccleſia Latina non recipit: ſupponitque, ab Apoſtolis libertatem relictam eligendi tot Diaconos, alioſque Eccleſiæ miniſtros, quot pro temporum & locorum conditione neceſſarios aut utiles futuros Eccleſiarum Prepoſiti judicarent.

CANON XVII.

Quoniam diverſarum Eccleſiarum Clerici propriis, in quibus ordinati ſunt, relictis Eccleſiis, ad alios Epiſcopos ſe contulerunt, & ſine proprii Epiſcopi ſententia in alienis Eccleſiis conſtituti ſunt, & ex eo ipſos reddi inſolentes ac inobedientes evenit: ſtatuimus, ut a menſe Januario præterita quarta indictionis, nullus omnino Clericus, in quocumque ſit gradu, poteſtatem habeat ſine proprii Epiſcopi ſcripta dimiſſoria, in alie- na Eccleſia catalogum referri. Qui enim a præſenti nunc tempore non ſervaverit, ſed quod in ſe eſt, eum, qui illi manus impoſuit, dedecore affecerit, deponatur & ipſe, & qui eum præter rationem ſuſcepit.

SCOLION.

Clericus ne proprii Epiſcopi dimiſſoria alteri Eccleſiæ non adſcribatur

NOTUM eſt, & non ſemel in his Scholiis obſervatum, quod olim Clerici etiam minorum Ordinum ordinarentur ad certam Eccleſiam, cui tamquam miniſtri abſcribebantur & intitulabantur.

Porro alicui Eccleſiæ ita per ordinationem alligati, non poterant a vinculo illo propria auctoritate ſolvi; ſed auctoritate Epiſcopi, qui per ordinationem eum alligaverat ſuæ Eccleſiæ, ſolvendus erat. Hinc multis Canonibus jam pridem decretum fuit, quod & hoc Canone renovatur, Clericum uni Eccleſiæ vi ſuæ ordinationis adſtrictum, alterius Diœceſis Eccleſiæ adſcribi, ſive in catalogum Clericorum illius Eccleſiæ referri non poſſe, ſine *proprii Epiſcopi*, cujus Eccleſiæ erat alligatus, *ſcripta dimiſſoria*, qua a vinculo, quo ſuæ Eccleſiæ adſtrictus tenebatur; abſolvitur ſeu dimittitur.

Itaque Clericus, qui ad aliam Eccleſiam migrare, & in Clerum illius referri vult„ duas ſcripturas afferre „ debet, ejus qui eum ordinavit, ait Balſamon, *com-* „ *mendatitiam* ſcilicet, & *dimiſſoriam*: ut illa quidem „ utatur ad comprobationem illius gradus, qui ei in- „ eſſe dicitur: hæc vero, ut citra ullum impedimen- „ tum ab alia Eccleſia in Clerum cooptetur.

Dicunt autem Patres, quod qui ſine Epiſcopi proprii auctoritate Eccleſiam relinquit, & aliam tranſit, „ quod in ſe eſt, eum, qui illi, manus impoſuit, de- „ decore afficiat, “ quia hac deſertione, auctoritatem dignitatemque Epiſcopalem contemnit: uti notat hic Zonaras.

Ex pœna depoſitionis, tam Clerico tranſeunti, quam Epiſcopo talem in ſuum Clerum ſuſcipienti, inflicta, intelligitur, Patribus hunc contemptum non levem; & diſciplinæ hujus infractionem non exigui monumenti viſam fuiſſe.

Canonem hunc Gratianus retulit *cauſ.* 21. *q.* 1. *Can.* 1. ſub nomine *Synodi ſeptimæ*, quem errorem emendarunt Correctores Romani; notantque Gratianum in pluribus a texto Græco recedere: ut vel hinc rurſus pateat quam exiguam & parum exactam notitiam Canonum habuerit Gratianus. Ut proinde nec mirum ſit Canoniſtas huic operi Gratiani fidentes in pluribus a vero Canonum ſenſu aberraſſe.

CANON XVIII.

Eos, qui Barbaricæ incurſionis prætextu, vel aliquo alio modo propter aliquam circumſtantiam emigrarunt, Clericos, poſtquam modus ille a circumſtantia ceſſarit, vel Barbaricæ incurſioner, propter quas receſſerant, rurſus in ſuas jubemus Eccleſias reverti, nec eas diu abſque ulla occaſione relinquere. Si quis autem non, ut præſens vult Canon, adierit, ſegregetur, donec ad ſuam Eccleſiam redeat. Hoc ipſum autem, etiam in eo ſuit Epiſcopo, qui illum detinet.

SCHOLION.

Clerici ceſſante Barbarica incurſione ad propriam Eccleſiam redeant.

HUJUS Canonis & præcedentis idem eſt ſcopus; ut nimirum Clerici alligati vi ſuæ ordinationis alicui Eccleſiæ, ſine neceſſitate non recedant, & dum ob cauſam ad tempus receſſerint, ceſſante cauſa mox revertantur. Et hæc diſciplina multis anterioribus Canonibus hactenus injuncta fuerat atque expoſita.

CANON XIX.

Quod oportet eos, qui præſunt Eccleſiis, in omnibus quidem diebus, ſed præcipue Dominicis, omnem Clerum & populum docere pietatis & rectæ religionis eloquia; ex divina ſcriptura colligentes intelligentias & judicia veritatis: & non tranſgredientes jam poſitos terminos, vel divinorum Patrum traditionem. Sed & ſi ad ſcripturam pertinent controverſia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Eccleſiæ luminaria & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt: & majorem ex iis laudem aſſequantur, quam ſi quæ a ſe dicuntur componant, ne dum quandoque ad id hæſitant, ab eo quod convenit, excidant. Per prædictorum enim Patrum doctrinam, populi ad eorum, quæ ſunt bona & expetenda, & inutilia ac rejicienda, cognitionem venientes, vitam in melius componunt, nec in ignorantia vitium delabuntur, ſed doctrinæ mentem adhibentes, ſeipſos ad id, ne mali quid eis accidat, & excitant; & imminentium ſuppliciorum metu ſibi ſalutem operantur.

SCHOLION.

Epiſcopi munus eſt populum Scriptura S. docere.

TRIA præſens Canon docet. Primum Epiſcopos, qui præſunt Eccleſiis, debere Clerum populumque ſibi commiſſum docere, id eſt, verbo prædicationis inſtare præſertim diebus Dominicis. „ Per eos enim dies „ ait Zonaras, vacationem a laboribus nacti homines in „ Eccleſiam conveniunt, & divinas Scripturas audiunt.

Quantas Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus ſit prædicandi obligatio liquet ex verbo S. Pauli: *non miſit me Chriſtus baptizare, ſed prædicare.* 1. *Cor. cap.* 1. *verſ.* 17. & præcipua ejus ad Timotheum per Jeſum Chriſtum judicem & adventum ejus adjuratio fuit, *prædica verbum* 2. *Tim. cap.* 2. *verſ.* 4. Unde Patres olim Epiſcopatum dixere *officium prædicationis*, uti liquet ex profeſſione Adalberti Epiſcopi Morienſis, & formula profeſſionis futuri Archiepiſcopi. Utraque extat apud Labbæum in appendice ad *tom.* 8. *Conc. n.* 12. & 13.

Unde nec Synodus Tridentina dubitavit iterato *ſeſſ.* 5. *cap.* 2 & *ſeſſ.* 24. *c.* 4. *de Reform.* dicere, Evangelicam prædicationem eſſe *præcipuum Epiſcoporum munus*: eoſque *teneri per ſeipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum Dei Evangelium.*

Secun-

Regula interpretandæ S. Scripturæ.

Secundo inculcat Canon, ut prædicatores ea, quæ populum docent, ex divina ſcriptura colligant; vel ut ait Synodus Tridentina, *prædicent ſanctum J. C. Evangelium.*

Utinam id hodie amplius attenderetur & obſervaretur, neque veriſſimum eſſe videremus, quod ſuo tempore „ dixit S. Hieronymus; „ Ex litteris quicumque ordi„ nantur id habent curæ, non quomodo *ſcripturarum* „ *medullas* ebibant, ſed quomodo aures populi decla„ mationum floſculis mulceant". *Liv. adv. Lucif.* „ *c.* 82.

Tertio monet Canon: „ ne prædicator Scripturam „ aliter interpretetur, quam quomodo Eccleſiæ Lumi„ naria & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt". En „ clariſſimis terminis expreſſum, quod contra noſtris temporis ſectarios propoſuit Synodus Tridentina *ſeſſ.* „ 4. „ Ut nemo contra unanimem conſenſum Patrum, „ ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat". Vel „ ut habet profeſſio fidei: „ Sacram Scripturam nun„ quam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum acci„ piam & interpretabor.

CANON XX.

Ne liceat Epiſcopo in alia, quæ ad ſe non pertinent, civitate publice docere. Si quis autem hoc facere deprehenſus fuerit, ab Epiſcopatu deſiſtat, Presbyteri autem munere fungatur.

SCHOLION.

Epiſcopus in aliena civitate prædicans, ad Presbyteri miniſterium deprimitur.

AD vitandas diſſenſiones diſcordiaſque ſæpius cautum fuit, ut quiſque Epiſcopus terminis ſuis eſſet contentus, nec in alienam meſſem ſe immitteret.

Conformiter ad hos Canones, & eccleſiaſticam diſciplinam, declarat Synodus, quod *non liceat Epiſcopo in alia, quæ ad ſe non pertinet, civitate publice docere:* utique ſine licentia ejus, cui civitas hæc ſubjecta eſt. „ Nec enim id, ait Zonaras; ſine aliquia Præ„ fecti Urbis illius Epiſcopi contumelia fieri poteſt", „ Vide ulterius *Canonem* 41. Sardicenſem ſupra re„ latum.

Notat Balſamon, quod Epiſcopus faciens contra hunc Canonem ab Epiſcopatu non deponatur; ſed tantum ab honore ſeu munere Epiſcopali *deſiſtere* jubeatur, Presbyteri autem munere fungatur. Ut enim Epiſcopus *depoſitus* ad Presbyteri gradum deprimatur, Canones „ non permittunt. „ Vel enim, ait propter juſtam cau„ ſam Epiſcopatu dejectus eſt, & ne Presbyter qui„ dem erit: vel ſine cauſa, & ne ſic quidem ad Pre„ sbyteri gradum deprimetur, ſed erit rurſus Epiſco„ pus.

Quod vero Epiſcopus id attentans Epiſcopali functione privatus Presbyteri munere fungi permittatur, id„ eo eſt, ait Zonaras, quod „ hic Epiſcopus nullum, „ ex quo Sacerdotio moveri debeat, in ſe facinus ad„ miſit: ſola is ambitione, laudiſque immoderata cu„ piditate peccavit. Ut igitur peccato animadverſio re„ ſpondeat, & temeraria hominis elatio comprimatur, „ ab Epiſcopatu gerendo deſiſtere, atque in Presbyte„ rorum ordinem traduci jubet.

Idem reflectit Balſamon: ſed Ariſtenus ſupponit, Epiſcopum hoc Canone *deponi* ab Epiſcopatu, & ad Presbyterorum locum deduci; creditque hic eſſe exceptionem a regula tradita *Canone* 29. Chalcedonenſi, cujus hoc eſt ſummarium: *Epiſcopum in Presbyteri gradum detrudi, eſt ſacrilegium.* Balſamonis & Zonaræ commentarius verbis Canonis couformior apparet.

CANON XI.

Qui Canonice quorumdam priminum rei facti, & propterea perfecta ac perpetua depoſitioni ſubjecti, in Laicorum locum detruſi ſunt, ſiquidem ad converſionem ſua ſponte reſpicientes peccatum deflent, propter quod a gratia exciderunt, & ab eo ſe penitus alienus efficiunt, Clerici habitu tondeantur. Sin autem non ſua ſponte hoc elegerint, comam ſicut Laici nutriant, utpote qui mundanam converſationem vitæ cœleſti prapoſuerit.

SCHOLION.

Clericus depoſitus meretur propter pœnitantiam aliquod ſignum Eccleſiaſtici ordinis retinere.

CANONICA crimina dicta ſunt (ait Beveregius hic) quæ a Canonibus vetantur, reoſque Canonicis ſuppliciis ſubjiciunt.

Notant tamen ibidem Beveregius, quod Codex MS. „ Bodlejanus & Amerbachianus rectius hoc loco κανονικῶς „ legiſſe videntur, ut ſenſus ſit, *quis rei criminum Ca-* „ *nonice facti ſunt*, hoc eſt prout in Canonibus Eccle„ ſticis tantum eſt

Ex hoc Canone habemus regimen veteris diſciplinæ, & quæ per multa ſæcula vigunt, ſcilicet quod Clerici graviorum criminum rei in *perpetuum* a functionibus Eccleſiaſticis, ſive Clericalibus deponerentur. Unde ad hunc Canonem notat Zonaras: „ ſi quis fornicationis „ reus deprehendatur, Presbyter aut Diaconus, *depo-* „ *ni* ac *Laicis* adſcriptos cenſeri debet", Additque Balſamon: " Nec poſſunt poſt depoſitionem aliquid a„ gere, quod ad Clericum ulla ratione pertineat.

Illud duntaxat Canon indulget iis, qui *ad converſionem ſua ſponte reſpicientes, peccatum deflent, propter quod a gratia exciderunt, & ab eo ſe penitus alienos efficiunt:* ſive a peccato abſtinent, ut *Clerici habitu* tondeantur: „ ut eo videlicet, ait Zonaras, qui Cle„ ricorum proprius eſt, ornatu conceſſo, pudor igno„ miniaque minuatur.

Jampridem uſitatum fuiſſe, ob *ultroneam* ac *humilem* delictorum confeſſionem & pœnitentiæ ſuſceptionem, pœnam mitigari, multis oſtendit Morinus *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 6.

Sin autem non *ſua ſponte* crimina ſua confiteri & pœnitentiam agere reſolverint, tunc & tonſura Clericali, privantur, & ad inſtar Laici *comam* nutrire jubentur, *utpote qui mundanam ſeu ſacularem converſationem vitæ cœleſti prapoſuerunt.* „ Ut cum ſe antea Sacerdo„ tem aut Diaconum, nunc in *Laicorum* ordinem re„ latum non ſine rubore animadvertat (ait Zonaras) „ ita demum ſeipſe colligat, & a peccato abſtineat (a).

CANON XXII.

Eos, qui pecuniis ordinantur, ſive Epiſcopos, ſive qualeſcumque Clericos, & non per examinationem ac vitæ electionem, deponi jubemus, ſed & eos etiam qui ordinaverunt.

SCHOLION.

Contra ſimoniacas ordinationes.

MONET ad hunc Canonem Zonaras: „ Innumeri „ hac de re editi Canones fuere; ſerpebat ta„ men aduc in dies malum, & Eccleſia veluti gan„ græna depaſcebatur, proinde hunc Canonem ſextæ „ Synodi Patres ſuperioribus addidere.

Ratio, quæ malum illud tunc quaſi incurabile reddidit, nequaquam obſcura eſt, juxta diſciplinam enim illius temporis collatio beneficiorum & dignitatum nondum ab ipſa ordinatione ſejuncta erat: ſed vi ordinationis Clerici jus in temporalia & prærogativas Eccleſiæ adipiſcebantur, uti hodie per beneficiorum & dignitatum proviſionem contingit.

Quare cupiditas temporalium & ambitio honorum, quæ poſterioribus ſæculis ſimoniam circa beneficia reddidit pene incurabilem, fecit quod olim, antequam ab ordinatione eſſet ſeparata beneficiorom proviſio, non obſtantibus tot editis Canonibus, ſimoniacæ ordinationis continuo retruduerunt.

Præſens Canon deponi jubet, non tantum ſimoniace ordinatum, ſed & ordinantem, ſtatuens, ut ordinatio non *pecuniis*, ſed *per examinationem ac vitæ electionem fiat*; aperte ſupponens, dum *pecuniis* fiunt, examinationem vel vitæ electionem, ſive meritorum conſiderationem non intervenire; aut ſaltem non attendi, atque hoc pacto, indignos quoſvis in Eccleſiæ miniſtros aſſumi & ordinati: hoc ex capite ſimoniæ crimen graviſſimum & Eccleſiæ pernicioſiſſimum merito jampridem reputatum fuit: eo quod ſumma Eccleſiæ pernicies fluat ex inordinata miniſtrorum electione: dum inepti ac indigni idoneis & merentibus neglectis, ad præcipua Eccleſiæ miniſteria aſſumuntur.

Sicuri Clericus ſimoniace ordinatus jubetur a ſuo ordine deponi, ita & poſterioribus decretis Clericus ſimoniace ad beneficium promotus, beneficio privatur; ipſaque proviſio ſimoniace obtenta irrita eſt uti latius. oſtenditur in *Jure Eccleſ. Tom. III. parte* 2. *ſect.* 3. *tit.* 13. *cap.* 6. in anterioribus *tit.* 30. *cap.* 9.

CANON XXIII.

Ut nullus ſive Epiſcopus, ſive Presbyter, ſive Diaconus, immaculatam præbens communionem, ab eo, qui communicat, ejus participationis gratia obolos vel quamvis aliam ſpeciem exigat. Non eſt enim venalis gratia, nec pro pecuniis Spiritus ſanctificationem impartimur; ſed ea iis, qui digni ſunt, abſque ulla eſt calliditate communicanda. Si quis autem eorum, qui ſunt in Cleri catalogo ab eo, cui immaculatam impertit communionem, ullam ſpeciem exigere viſus fuerit, deponatur, ut ſimoniaci erroris & maleficii æmulator.

SCOLION.

Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus præbens Sacram communionem, & pecunias exigens.

PRIMUM, oſtendit hic Canon, quod tempore hujus Synodi, Diaconi ſacram commanionem diſtribuerent; quod primitus vulgare fuiſſe nemo ignorat. Immo

---

(a) Generatim id affirmari poteſt, antiquo jure, quo Eccleſia uſa eſt, conſtitutum eſſe, ut Sacerdotes & Diaconi, qui ſe aliquo crimine, maxime luxuriæ commulaſſent, in perpetuum gradu dejicerentur. Id docet S. Baſilius epiſt. canon. 1. Canon. 3. id de ſæculo ſexto teſtatur Concilium Arelatenſe II. anno 533. Canone 8. id quoque declatar Jeannes II. Romanus Pontifex, epiſt. I. Cæſarium, Arelatenſem, in cauſa Contumelioſi Regienſis Epiſcopi, qui in fornicationem lapſus fuerat.

mo in Ecclesia Latina Diaconos distribuisse *sacrum calicem*, quando disciplina communicandi Laicos sub utraque specie viguit compertum est.

Secundo ex hoc decreto sufficienter constat, tunc fuisse abusum, at is, qui *immaculatam prabebat communionem, ab eo, qui communicat, ejus participationis gratia*, id est, ut ejus particeps fiat, *obolos vel aliam speciem exigeret*.

Vult autem Canon, ut qui ex Clero speciem ullam seu rem aliquam temporalem a communicante exigere visus est, *deponatur, ut Simoniaci erroris & maleficii æmulator*.

Ratio in Canone allegata, si rite attendatur, patebit, quod non tantum *simoniaci erroris & maleficii æmulator* sit ex mente Canonis, qui rem temporalem pro *sacra communione* exigit, sed etiam qui pro cujuscumque alterius Sacramenti administratione quid petit. *Non est enim venalis gratia* (ait Canon) *nec pro pecuniis Spiritus sanctificationem impartimus, sed ea iis, qui digni sunt, absque ulla calliditate est communicanda*.

Ad hæc ratio allegata sufficienter evincit, simoniam, quam hic redarguit Synodus, non esse juris positivi, sed *divini & naturalis*, qualis fuit Simonis Magi, cujus meminere Acta Apostolorum *cap. 8. cujus erroris & maleficii æmulator* dicitur, qui temporale aliquid pro administranda communione a communicante exigit.

Hinc merito sacri Canones, exactiones, in administratione Sacramentorum, vi consuetudinis a simonia purgari non posse declararunt; recteque de his pronuntiavit Alexander III. *cap. 8. & 10. de simonia: diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget*.

De hac simoniæ specie latius egi *Tom. V.* in differr. *de Simonia circa beneficia, parte 1. cap. 8. §. 1. seqq. hujus edition.* ubi & ostendi, abusum esse admodum gravem, quod confessarii a suis pœnitentibus munuscula accipiant, aut etiam ex oblatis a pœnitentibus vivere cogantur: quo fiet ut horum intuitu facilius, quam eorum dispositio, & peccatorum gravitas requirit, eos reconcilient, aut sacram communionem sumere permittant.

Extat apud Gratianum *cauf. 1 quæst. 1. Can. 100*, sub nomine *Synodi sextæ*; at apud Ivonem legitur cum hac inscriptione: *ex sexta, Synodo Constantinopolitana tertia*; monetque Ant. Augustinus *de emend. Grat. lib. 1. dial. 8.* dici *sextam* tanquam post sextam generalem repetitam; *tertiam* autem Constantinopolitanam a loco, tanquam diceretur *tertia* Constantinopoli celebrata.

CANON XXIV.

Ne cui liceat eorum, qui in Sacerdotali ordine enumerantur, vel Monachorum, in equorum curriculis subsistere, vel scenicos ludos sustinere. Sed & si quis Clericus ad nuptias vocetur, quando ad deceptionem comparata ludicra ingressa fuerint, surgat & discedat, Patrum nostrorum sic jubente doctrina. Si quis autem ejus rei convictus fuerit, vel cesset, vel deponatur.

SCOLION.

Spectacula & ludi Scenici Clericis & Monachis vitanda.

QUOD priore hujus Canonis membro decretum est, *ne cui liceat eorum, qui in Sacerdotali ordine enumerantur, vel Monachorum, in equorum curriculis subsistere, vel scenicos ludos sustinere*, sancitum jam erat a Justiniano Imperatore in *L. 34. Cod. de Episc. aud.* ubi §. 1. ait nuntiatum sibi esse, quod „ ex reverendissimis Diaconis, itemque Presbyteris (nam eo amplius „ etiam dicere erubescimus, Deo amantissimos nempe „ Episcopos) quosdam, inquam .... alii nec obscure, „ aut latenter, aut equorum certaminibus se immiscent; aut etiam invitant aliquos super equorum profligatione aut victoria, vel per seipsos, vel per alios quosdam, ut quia non decenter talia ludant; „ aut scenicorum vel Thymelitarum spectatores fiunt „ ludorum, aut earum quæ in theatris certantium „ ferarum pugnæ fiunt, neque cogitant quemadmodum „ ipsi vel his, qui modo & recens initiati sunt, & „ adorandis mysteriis dignati, ipsi prædicunt, *ut abrenuntient adversarii Dæmonis cultui, & omnibus pompis ejus*, quarum non minima pars talia spectacula „ fiunt.

Deinde §. 3 sancivit: „ neminem neque Diaconum, „ neque Presbyterum, & multo magis Episcopum, „ interesse *plebeis* hujusmodi *spectaculis*, aut quid eorum, quæ in his prohibentur facere, sed omni ad „ illa participio abstinere. Decet enim, ait, ipsos jejuniis & vigiliis & meditationibus, seu exercitationibus, in divinis oraculis, & pro omnium salute „ fundendis vacare precibus.

Post hæc subjungit, extendens sanctionem suam ad „ Subdiaconos & Lectores: quando & ipsi, ait, sacræ mensæ, & omnis circa sanctissimas Ecclesias ornatus constituti sunt ministri & operarii, & sacra „ contrectantes eloquia: dum sacras nobis ex sacris „ nostris Bibliis illi quidem legunt Scripturas, hi vere „ Hymnos & Odas canunt.

Equorum curricula, quorum hic meminit Synodus, eadem fuisse videntur cum *ludis circensibus*, qui & Circensium certamina in *L. 2. Cod. Theod. de Spectaculis*, & Circensium *voluptas in L. 5. Cod. eod.* vocantur.

Erant & Equi ac hos ludos, vel certamina, seu curricula specialiter destinati, qui Equi curules dicebantur, de quibus in *Lege 5. Cod. de Spectaculis*: & speciali titulo Codicis Theodosiani de *Equis curulibus*, quos ad solemne certamen deputatos asserit *L. 6. Cod. Theod. de Scenicis*, & ad *voluptates L. 3. Cod. de Spectaculis*.

Fuerunt & his exhibendis destinati *aurigæ sive agitatores*, qui a scenicis, mimis, histrionibus, aliisque similibus vilibus & infamibus personis, publice exhibebantur, uti in Paratitlo ad titulum Codic. Theod. notavit Jacobus Gothofredus; neque hi ludi vix exhibebantur, quin aliquid honestati aut castitati contrarium intercurreret: ut propterea vox *obscenitas* a *scena* originem ducere notat Lupus hic.

Merito proinde per sacros Canones specialiter vetitum jampridem fuerat Clericis hujusmodi ludos spectare.

Cumque spectacula & comœdiæ, quæ hodie in theatris a similibus personis repræsentari solent „ iisdem vitiis laborent, merito ad mentem Canonum hæc spectare posteriora Concilia Clericis inhibuerunt,

Sanctus Carolus in Concil. Provinc. 1. *parte 2. cap.* „ 25. ait: „ Clerici fabulis *Comœdiis & Hastiludiis*, „ aliisque profanis & inanibus *Spectaculis* non intersunt: ne aures & oculi, sacris officiis addicti, ludicris, impuris actionibus, sermonibusque distracti „ polluantur.

Simile est decretum Concilii Burdigalensis anni 1583. „ *tit.* 2. addita similiter hac ratione: ne visus & obtutus „ sacris mysteriis dicati, turpium spectaculorum contagione polluantur.

Plurima Conciliorum & Episcoporum decreta his conformia exhibet vir eruditus Joannes Baptista Thiers in suo Tractatu de Ludi *cap. 2.*

In secundo membro Canonis per hæc verba *Patrum nostrorum sic jubente doctrina*, intelligit Synodus doctrinam Patrum Synodi Laodicenæ, qui *Canone 54.* eumdem abusum proscripserunt, cujus Scholion consule.

Hoc notandum, quod abusus sit antiquus, ab Ethnicis in Ecclesiam devolutus, Nuptias solemnibus conviviis, saltibus (*a*), sceniis, aliisque similibus fœdare, quæ antiquitus a Synodus interdicta legimus. Atque inter cætera jampridem Synodus Agathensis *Can. 39.* injungit sacratis hominibus: „ ut Nuptiarum evitent „ convivia, nec his cætibus admisceantur, ubi, ait, „ amatoria cantantur & turpia, aut obsceni corporum „ motus choreis & saltationibus offeruntur, ne auditus & obtutus sacris mysteriis deputati turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur". Apud Grat *dist. 34. Can. 19.*

Ut hic abusus tollatur, statuit Synodus Tridentina: „ Nuptias Episcopi, ut ea, qua decet, modestia & „ honestate fiant, curabunt: sancta enim res est matrimonium, & sancte tractandum", *sess. 24. de Refor. Matrim. cap. 10.*

CANON XXV.

Præterea renovamus etiam Canonem: qui dicti agrestes, & quæ sunt in Provincia parochias inconcussas manere apud Episcopos, qui eas possident, maxime, si triginta annorum spatio eas sine vi possidentes administraverint. Si autem intra triginta annos fuit vel fuerit aliqua de iis controversia liceat iis, qui se injuria affectos dicunt, de eo actionem movere apud Synodum Provinciæ.

SCHOLION.

Renovatur Canon XVII. Chalced.

CANON, quem se renovare dicunt hic Patres est *Canon 17.* Chalcedonensis, quo idem statuitur, cujus proinde Scholion utrique sufficere poterit.

CANON XXVI.

Presbyterum, qui per ignorantiam illicitis nuptiis est implicatus esse quidem Cathedræ participem, secundum ea quæ sunt nobis a sacro Canone decreta: a reliquis autem operationibus abstinere. Et enim, qui est talis, satis, est si venia detur. Ut is autem alii benedicat, qui debet propria curare vulnera, non est consentaneum, Benedictio enim est sanctificationis impertitio: qui autem

(a) Quamvis saltationum abusus e Paganismo in Ecclesiam irrepserit, constat tamen a plurimis Ethnicis hunc abusum fuisse damnatum. *Nemo*, inquit Tullius *saltat sobrius, nisi forte insaniat*. Vetuit Tiberius ne choragi *histrioniam* in imperio exercerent. Domitianus Cœlium Rufum Senatu movit, quod saltasse diceretur.

autem id non habet propter delictum ex ignorantia, quomodo alteri impertiet? Nec ergo publice, nec privatim benedicat, nec Christi corpus aliis distribuat (nec aliquod aliud ministerium obeat); sed præsidentia contentus Domino defleat, ut illi ex ignorantia peccatum remittatur. Manifestum enim est, quod nefarium conjugium dissolvetur, nec vir cum ea ullo modo consuetudinem habebit, propter quam sacra operatione privatus est.

SCOLION.

SACER Canon, ad quem hic se refert Synodus est, *Canon* 27. S. Basilii in epistola Canonica ad Amphilochium, quo idem plane decretum est.

Presbyter qui ignoranter cum consanguinea matrimonium contraxit.

Præsens igitur Canon conformiter ad illum S. Basilii Canonem, Presbyterum, qui *per ignorantiam illicitis nuptiis*, puta cum sua consanguinea, *ignorata consanguinitate, implicatus est*, permittit esse *quidem Cathedræ participem*, id est, una cum aliis Presbyteris assidere, & cum illis pariter in honore haberi, *a reliquis autem operationibus abstinere*, sive aliud nullum Sacerdotale munus obire.

Hunc sensum ipse Canon in sequentibus clarissime exponit; nec tam explanatio quam attenta reflexio ac meditatio desideratur, optandumque, ut serio eum expendant, qui Sacerdotes, non per ignorantiam, sed *scienter* in peccatum carnis prolapsos post modicum a lapsu intervallum adhuc impuritate sua fœtentes sacris altaribus adstare posse impudenter asserere audent. Sane verendum est, ne similes Sacerdotes per sua sacrificia sæpius pro benedictione maledictionem in populum derivent.

Quod & Patres non obscure significarunt, ubi monent, *non esse consentaneum, ut is alii benedicat, qui propria debet curare vulnera. Benedictio enim est*, ait Synodus, *sanctificationis impertiti. Qui autem id non habet propter delictum ex ignorantia, quomodo alteri impertiet?* id est, ait Zonaras, „ quicumque quod in „ ipso sanctitatis & gratiæ fuit, propter offensionem „ ab ipso patrati facinoris amisit, aliis impartiri qua „ ratione poterit?

Quapropter non tantum publicam Sacerdotalem functionem, sed & privatam interdicit: *nec ergo* (ait) *publice nec privatim benedicat, nec corpus Christi aliis distribuat, nec aliquod aliud ministerium obeat, sed præsidentia contentus Domino defleat, ut illi ex ignorantia peccatum remittatur.*

Monet finaliter Synodus, quod Presbyter, qui a sacris operationibus remotus, & honore consessus contentus, peccatum suum deflet, nequeat illicitis his nuptiis per ignorantiam contractus uti, sed *nefarium conjugium* esse *dissolvendum*; nec qui sic contraxit, cum muliere ullo modo consuetudinem habere possit, *propter quam sacra operatione privatus est*. Unde non male paucis verbis sensum hujus Canonis reddidit Hermenopolus: „ si per ignorantiam in illicitas nuptias Presbyter inciderit, soluto matrimonio, sedem duntaxat „ habeat; ab universis actibus abstinens.

CANON XXVII.

Nullus eorum, qui in Cleri catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque iter ingrediens: sed utatur vestibus, quæ iis, qui in Clerum relati sunt, attributa fuere. Si quis autem tale quid fecerit, una septimana segregetur.

SCHOLION.

„ ETSI habitus non faciat Monachum (*a*), oportet „ tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordi„ni semper deferre, ut per decentiam habitus extrin„seci, morum hon statem intrinsecam ostendant": ait Synodus Trid. *sess.* 14. *cap.* 6. *de Ref.*

Vestis Clericalis.

Hac ratione luxuriosas, & statui Clericali haud convenientes vestes in Clericis tam antiqui, quam recentiores Canones uno consensu reprobarunt; decernentes, ne qui in Cleri catalogum relati sunt, vestem Ordini suo non congruentem; sive in civitate morentur, sive iter aggrediantur, induant, prout hic Canon loquitur.

Cum autem pro locorum & temporum varia conditione, variæ possint esse vestes, quæ pro hoc loco & tempore Clericis congruant, & alio loco & tempore nos congruant, recte hoc Canone præcipit Synodus, ut *qui in Cleri catalogum relati sunt .... utantur vestibus, quæ iis, qui in Clerum relati sunt, attributa fuere*: hoc & conforme esse recentioribus Synodorum decretis notavi in *Jure Eccl. Tom. I. part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 2.

CANON XXVIII.

Quoniam in diversis Ecclesiis intelleximus, uva ad altare allata, ex quadam quæ invaluit consuetudine, ministros hanc incruento oblationis sacrificio conjungentes, utraque simul populo distribuere: decernimus, ut nullus Sacerdos hoc amplius faciat, sed ad verificationem & peccatorum remissionem solam oblationem populo impertiat: tamquam primitias autem uvæ allationem existimantes, Sacerdotes eam seorsum benedicentes petentibus impertire ad fructuum datoris gratiarum actionem, per quos corpora nostra divina dispositione augentur & aluntur. Si quis autem Clericus præter hæc decreta fecerit, deponatur.

SCHOLION.

IN quibusdam Ecclesiis consuetudo invaluerat, ut *uva* ad altare offerrentur, atque cum speciebus consecratis populo distribuerentur, quod ne posthac fiat hoc Canone edicitur: at uvarum *primitias a Sacerdotibus benedici & populo distribui* permittitur: „ ut exinde „ frugum datori, omniumque quæ ad carnis victum, „ cultumque necessaria sunt, largituri gratias agant": ait Zonaras.

Uvarum benedictio tempore Missæ.

Similes frugum, ac singulatim *uvarum* benedictiones extant tam in recentioribus, quam in vetustioribus Græcorum Euchologiis, & Latinorum Ritualibus. Et quidem in Sacramentario S. Gregorii in Festo S. Sixti extat benedictio *uvæ* his verbis expressa: „ Benedic, „ Domine, & hos fructus novos uvæ, quos tu, Do„ mine, rore cæli, & inundantia pluviarum, & tem„ porum serenitate atque tranquillitate, ad maturita„ tem perducere dignatus es, & dedisti eos ad usus „ nostros cum gratiarum actione percipere in nomine „ D. N. J. C. per quem hæc omnia, &c.

Illud *&c.* includit quæ hodie in Missa sequuntur: „ Semper bona creas, sanctificas, benedicas, & præ„ stas nobis". Nam ut advertit Cardinalis Bona *lib.* 2. *Rer. Liturg. cap.* 14. immediate ante hæc verba, si novæ fruges aut quælibet alia humanis usibus inservientia benedicenda erant, ante altare olim collocari solebant, & hic a Sacerdote benedici, & terminata Benedictione solita clausula *per Christum Dominum nostrum*, sequentem addebat orationem *per quem hæc omnia bona creas*, &c. quæ hunc non tam ad corpus & sanguinem Christi, quam ad res benedictas referebantur, quas Deus continue conservando creat, easque petimus ejus benedictione sanctificaris nostris usibus profuturas.

Sed successu temporis, tepescente fidelium fervore; hæc, ne Missa prolixior esset, ab ea sejuncta fuerunt, manente interim oratione, quæ dum hodie super solas species consecratas profertur, vix intelligitur, immo ut sensum habeat convenientem, mirum in modum torqueri debet; quod & in multis aliis in Missa occurrentibus accidisse, & hodie obscuritatem magnam parere, sæpius monet Cardinalis Bona.

Extat hic Canon apud Grat. *dist.* 2. *de Consecr. Can.* 6. sed in summam redactus, ut monent Correctores Romani.

CANON XXIX.

Carthaginensis Synodi Canon dicit, ut Sancta altaris non nisi a sobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo Cœna Domini peragitur; tunc fortasse propter aliquas in iis locis occasiones Ecclesiæ utiles sanctis illis Patribus hac dispensatione usis. Cum nihil ergo nos inducat, ut accuratam observationem relinquamus, statuimus Apostolicas ac paternas traditiones sequentes, non oportere in Quadragesima postrema septimana quinta feria jejunium solvere, & totam Quadragesimam injuria afficere.

SCHOLION

CANON Carthaginensis, cujus hic fit mentio est X I. in Codice Afric. exhibitus, quo permittitur Feria V. in cœna Domini a non jejunii sumi Eucharistia: quam indulgentiam seu *dispensationem* Patres Trullani non admittunt, *Apostolicas ac paternas traditiones sequentes*; quibus verbis, ut notat Zonaras. LXVIII. *Can. Apost.* & L. *Laodicenum* intellexerunt.

Consuetudo apud Afros solvendi jejunium ante sumptionem Eucharistiæ in Cœna Domini a Patribus Trullanis non admissa.

Porro de hac Ecclesiæ Africanæ dispensatione in dicto Can. XLI. expressa, solvendi jejunium Feria V. hebdomadæ Majoris, sive in cœna Domini, necnon accipiendi Eucharistiam eo die a non jejunis tractat S. Aug. *epist.* 54. ad Januarium, aitque, eam esse de hoc genere, *quod per loca regionesque variatur*, ac de quo consequenter concludit: *faciat ergo quisque, quod in ea Ecclesia, ad quam venit, invenerit.*

Post hæc ostendit, quod licet „ liquido appareat, „ quando primum discipuli acceperunt corpus & san„ guinem Domini, non eos accepisse jejunos, nequa„ quam tamen propterea calumniandum sit universæ „ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipiatur. Ex hoc „ enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti „ Sacramenti in os Christiani prius Dominicum cor„ pus intraret, quam cæteri cibi.

Deinde adductis rationibus, quibus hanc universalis Ecclesiæ praxim justificat, subjungit: „ sed nonnullo „ probabilis quædam ratio delectavit, ad insigniorem „ commemorationem post cibos offerri & accipi liceat „ corpus & sanguinem Domini. Honestius autem arbi-

(*a*) Hoc Adagium derivatur ex C. *Porrectum Ex*, & C. *Ex parte* [illegible] *de Regul.* [illegible] utque auctoritas in Gallorum Jurisprudentia agnoscitur.

„ arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, post „ refectionem, quæ hora nona fit, ad oblationem possit occurrere.

„ Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere „ audemus. Hoc tamen non arbitror institutum, ni „ quia plures & prope omnes in plerisque locis eo die „ lavare consueverunt.

Hactenus Augustinus addens & causam, ob quam plerique in variis locis illa die lavarent; eo quod „ Baptizandorum corpora per Quadragesimæ observatio„ nem sordidata, cum offensione sensus ad fontem tra„ ctarentur, nisi aliqua die lavarentur. Istum autem „ diem potius ad hoc electum, qua cœna Dominica „ anniversarie celebratur. Et quia concessum est hoc „ Baptismum accepturis, multi cum his lavare volue„ runt, jejuniumque relaxare.

CANON XXX.

Ad Ecclesiæ ædificationem omnia facere volentes, etiam Sacerdotes, qui sunt in Barbaricis Ecclesiis, complecti cura constituimus. Quare si Apostolicum Canonem de uxore non rejicienda pietatis ac religionis prætextu, se supergredi debere existimant, & ultra ea quæ sunt constituta, facere, & ideo communi cum suis consortibus conventione & consensu inito, a mutua consuetudine abstinent: statuimus eos non amplius cum illis ullo modo cohabitare debere, ut ex eo nobis perfectam sui promissi demonstrationem præbeant. Hoc autem illis non propter aliud, quam propter eorum pusillanimitatem, extraneosque ac non satis firmos mores concessimus.

SCHOLION.

Sacerdotes, qui sunt in Barbaricis Ecclesiis, si velint se ab uxore continere, illi nec cohabitent.

SACERDOTES nonnulli in Barbaricis Ecclesiis more Latinorum ab uxoribus ante Sacerdotium ductis abstinendum crediderunt; quod licet contrarium esset disciplinæ Græcorum, immo & Canoni V. Apostolico oppositum videretur, tamen Patres id esse tolerandum crediderunt; modo tales Sacerdotes etiam a cohabitatione uxorum abstinerent, *ut ex eo*, inquiunt, *nobis perfectam sui promissi demonstrationem præbeant.*

„ Hinc enim, ait Zonaras, cum & eos implere pro„ missi fidem facile apparebit, tum vero constantiores „ in suscepto continentiæ consilio dissociatio procul „ amandatæ uxoris efficiet. Cum iis enim cohabitare, „ easque continuo aspicere; ad veneream congressio„ nem sit illis forsitan incitamento.

CANON XXXI.

Clericos, qui in oratoriis, quæ sunt intra domos, sacra faciunt, vel baptizant, hoc illius loci Episcopi sententia facere debere decernimus. Quare si quis Clericus hoc non sic servaverit, deponatur.

SCHOLION.

In privatis oratoriis Missa non celebrentur.

DECLARAT præsens Canon, Clericum esse deponendum, qui sine licentia Episcopi *loci in Oratoriis, quæ sunt intra domos, ministrant, vel baptizant.*

Credebant enim Patres, Clericos, qui *sine Episcopi sententia* in similibus privatis Oratoriis sacra peragere audebant, privata agere conventicula, & spiritu schismatico altare contra altare erigere; præsertim si & contradicente Episcopo id tentarent. Si autem Oratorium auctoritate Episcopi sit erectum, Clericus in eo ministrans, consentiente Episcopo, id facere censebatur, si expresse id prohibitum non fuerit; ut notat Balsamon addens; „ Propterea enim, ut est verisimile, „ excogitata sunt *mensalia*, & fiunt a regionis Anti„ stitibus, quo tempore faciunt Ecclesiæ inthroniza„ tionem, ut ponantur ea supra *sanctas mensas* Ora„ toriorum, & sufficiant non solum pro iis, quæ san„ ctum altare perficiunt, & sanctæ mensæ tabulæ exi„ stimantur, scilicet inthronizatione apertionum & de„ dicationum, sed ut ostendatur ex Episcopi permissio„ ne in Oratorio fieri sacrificium.

Quid antimisia, vel mensalia.

Ut hæc Balsamonis annotatio intelligatur, sciendum, quod Græci Antistites, præsertim recentiores, cum Templum consecrarent, soliti fuerint, pannum humi sternere, sanctæque mensæ, modo dedicatæ, circumvolvere, eumdemque postea in multas partes scissum, inter Sacerdotes distribuere, ut ipsi sanctas iis mensas, ubicumque celebrarent, amicirent: quæ propterea *antiminsia* vel *mensalia* dici consueverant, uti docet Anonymus quidam Bellæ Episcopus in jure Græco-Rom. *lib.* 3. *pag.* 329. scribens: „ *Antiminsia* fieri noscimus „ cum Pontifex per seipsum dedicationem Templi per„ fecit, eaque e strato panno, sacramque mensam in„ volvente, in frustra dissecto & depicto, Sacerdoti„ bus distribui.

Similiter Joannes Episcopus Citri in eodem jure Græ„ co-Rom *lib.* 5. *pag* 331. testatur. Nullo autem mo„ do receptum esse, ut *antimisia* aliter quam in *novi* „ *Templi* dedicatione fiant.

Dicit autem Balamon ad *Canonem* 7. *Concilii Nicæni II.* „ Propterea *antiminsia* seu *mensalia* esse appel„ lata, quod multas ejusmodi mensas exprimant & „ referant, quæ sanctam Dominicam mensam refe„ runt"; nimirum ut & ad illum & ad præsentem Canonem docet, mensalia supra *mensam*. Oratoriorum posita pro *consecratione* eorumdem sufficiunt: quippe quæ una cum novi Templi dedicatione consecrata sunt.

Hinc ratio nominis clare elucescit. Nam *antiminsia* vocantur quasi pro *mensis* vel *mensarum* loco posita; voce partim e Græco, partim Latino confecta. Quare ubi mensæ consecratæ sunt, si *antiminsia* præsto sint, Sacerdotibus celebrare licet, & si sint mensæ consecratæ, *antiminsiis* opus non est, uti constat ex Manualis Patriarchæ Constantinopolitani responsis ad supradictum Bullæ Episcopum: „ Antiminsia, ait, „ omnibus „ sanctis mensis poni necesse non est, sed in iis, nec „ quibus incertum est, consecratæ sint nec ne. Nam „ *antiminsia* mensarum consecratarum locum tenent: „ nec iis opus est, ubi mensas consecratas esse con„ stat". Uti in observationibus ad hunc Canonem latius exposuit Beveregius.

Itaque Balsamoni hoc loco verisimile visum est, *mensalia* eo nomine instituta fuisse, ut Sacerdotes etiam in Oratoriis celebrarent, ubi ea ex permissione Episcopi haberentur.

Quod autem apud Balsamonem hic legitur, *scilicet inthronizatione apertionum & dedicutionum*, vitiose legi recte notat Beveregius: nam quis unquam legit *inthronizationem apertionum* aut *dedicationum*: hi enim tres distincti actus sunt, atque ut tales a Balsamone ad citatum Canonem 7. referuntur, dicente, *antiminsia Oratoriis tradita sufficere pro consecratione, sive dedicatione ac inthronizatione, Encaniis & apertionibus.* Unde illa Balsamonis verba ita liganda apparent: *scilicet inthronizatione, & apertionibus, & Encaniis.*

Altaria portabilia.

Si quis hactenus dicta de Græcorum *antiminsiis* attenderit, facile intelliget, horum usum respondere nostris altaribus *portabilibus*, sive lapidibus consecratis, quorum usus seculo VIII. cœpit, & sequentibus seculis multum invaluit; incrementumque dederunt privatis Oratoriis, quorum frequentia tandem in abusum degeneravit; cui evellendo, aut saltem eorum usui moderando sæpius allaboratum est: uti exposui in *Jure Eccles. Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 5. *cap.* 8.

CANON XXXII.

Quoniam ad nostram cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione vinum tantum in sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes, qui incruentum sacrificium peragunt, adducentes Ecclesiæ Doctorem Joannem Chrysostomum, hæc dicentem in interpretatione Evangelii secundum Matthæum: Quamobrem non aquam bibit cum surrexit, sed vinum? improbam sane hæresim radicitur extirpans. Quoniam enim nonnulli aqua in mysteriis usi sunt, ostendens quod & quando mysteria tradidit, & quando postquam resurrexisset, absque mysteriis solam ac nudam mensam apposuit, usus est vino ex genimine, inquit, vitis: vitis autem vinum, non aquam generat: & ex eo aquæ in sacro sacrificio adjunctionem Doctorum subvertere existimant: ut non ab hoc tempore in posterum ignorantia teneantur, Patris sententiam orthodoxe aperimus. Cum enim improba Hydoparastarum, hoc est, eorum qui aquam offerebant, antiqua esset hæresis, qui loco vini sola aqua in proprio sacrificio usi sunt, refellens hic vir divinus detestabilem ejusmodi hæresis doctrinam, & ostendens quod directe Apostolicæ traditioni adversatur, id quod jam dictum est, affirmavit. Nam & suæ Ecclesiæ, ubi est illi Pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi sacrificium oportet, ex pretioso Christi nostri redemptoris latere ex sanguine & aqua contemperationem ostendens, quæ in totius mundi vivificationem effusa est, & peccatorum redemptionem, & in omni etiam Ecclesia, ubi spiritalia lumina refulserunt, hic ordo divinitus traditus servatur. Nam & Jacobus Christi Domini nostri secundum carnem frater, cui Hierosolymitanæ Ecclesiæ thronus primum est creditus, & Basilius Cæsariensium Ecclesiæ Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis in scriptis tradito sacrificio, ita consecrandum in divina Missa ex aqua & vino sacrum calicem ediderunt. Et qui Carthagine convenerunt sancti Patres his verbis aperte & præcise mentionem facere: ut in sanctis nihil plus quam corpus & sanguis Domini offeratur, ut ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum. Si quis ergo Episcopus vel Presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, & aquam vino miscent, sic immaculatum offert sacrificium, deponatur, ut imperfectum mysterium nuntians, & quæ tradita sunt, innovant.

SCHO-

SCHOLION.

Aqua vino miscenda in sacrificio contra Hydroparastas & Encraticas.

HOc Canone redarguit Synodus Armenios, qui vinum in sacra mensa tantum offerebant aquam illi non miscentes. Cum autem Armenii in suæ praxeos defensionem adducerent verba S. Chrysostomi ex homilia in Matthæum, ea interpretantes Synodi hujus Patres, dicunt, illa non accipienda in sensu Armeniorum, quasi hic sanctus Doctor aquam vino in sacra mensa sive Missæ sacrificio misceri vetaret, sed adversus Hydroparastatas directa esse, qui scilicet, *pro vino solo aqua in proprio sacrificio utebantur. Refellens* (inquit Synodus) *hic vir divinus detestabilem ejusmodi Hæresis doctrinam, & ostendens quod directe Apostolicæ traditioni adversatur, id quod jam dictum est, affirmavit.*

Hydroparastatarum; quorum hic mentio fit, qui & *Encratitæ* sive *Aquarii* dicti fuere, principem fuisse Tatianum Justini martyris discipulum testatur Theodoretus *hæret. fab. l. 1. cap. 20.* scribens: „ Hunc (Tatianum) habent ducem Hydroparastatæ & Encratitæ. Hydroparastatæ dicuntur, qui *aquam* pro vino „ offerunt. Encratitæ, quod nec vinum bibant, nec „ animatis vescantur. Aquam ad mysteria *solam* adhi„ bent; a vino autem penitus abstinent.

Docet igitur Synodus, Chrysostomi verba nequaquam accipienda esse, ac si aquam vino misceri in sacrificio nollent, sed contra hanc hæresim docet, non *solam* aquam offerendam esse: *nam*, inquiunt, *& sua Ecclesia, ubi est illi administratio pastoralis tradita; aquam vino misctudam tradidit, quando incruentum peragi sacrificium oportet*: uti in Liturgica ipsius Chrysostomi habetur.

Confirmatur ex Liturgiis sub nomine S. Jacobi Apost. & S. Basilii.

Quin & addunt: *& in omni vera Ecclesia, ubi spiritualia lumina refulserunt, hic ordo divinitus traditus servatur. Nam & Jacobus Christi Domini nostri secundum carnem frater, cui Hierosolymitana Ecclesia Thronus primum est creditus & Basilius Cæsariensium Ecclesiæ Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit mystico nobis in scriptis tradito sacrificio, ita peragendum in sacro ministerio ex aqua & vino sacrum Calicem ediderunt.*

Quamvis multa in his Liturgiis occurrant, quæ recentiorem redolent ætatem, meritoque viris etiam Catholicis dubium ingerant, num sanctis illis tamquam earum auctoribus adscribi queat, & utrum earum tanta sit auctoritas, ut ritus in his præscriptus *divinitatem traditus*, sive ex Apostolica traditione descendere dicatur, tamen hoc constat, ritum miscendi *aquam* vino in Missæ sacrificio admodum antiquum esse, & jampridem in Ecclesia tam Latina, quam Græca receptum.

Item ex SS. Justino, & Augustino. Ex S. Cypriano, qui & mistionem significationem allegat.

Meminit illius Justinus martyr *Apolog. 2.* Ambrosius seu auctor librorum de Sacramentis *lib. cap. 1.* Augustinus, aliique plures, ac præ cæteris S. Cyprianus, qui longam de hoc ritu epistolam scripsit ad Cæcilium, rationem ritus petens ex eo junctione populi, per aquam significati, cum Christo, qui per vinum figuratur. „ Aquas namque populos significare, in Apocaly„ psi scriptura Divina declarat, dicens: aquæ, quas „ vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi & „ turbæ & gentes Ethnicorum sunt, & linguæ. Quod „ scilicet perspicimus & in Sacramento Calicis conti„ neri: nam quia nos omnes portabat Christus, qui & „ peccata nostra portabat; videmus in aqua populum „ intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. „ Quando autem in Calice vino aqua miscetur, Chri„ sto populus adunatur, & credentium plebs ei, in „ quem credidit, copulatur, & conjungitur. Quæ co„ pulatio & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in „ calice Domini, ut commixtio illa non possit ab in„ vicem separari; Unde Ecclesiam, id est, plebem in „ Ecclesia constitutam fideliter & firmiter in eo quod „ credidit, perseverantem, nulla res separare poterit, „ a Christo, quominus hæreat semper & maneat indivi„ dua dilectio. Sic autem in sanctificando calice Do„ mini, offerri aqua sola non potest, quomodo nec „ vinum solum potest, nam si vinum tantum quis of„ ferat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero „ aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: Quan„ do autem utrumque miscetur, & adunatione confu„ sa sibi invicem copulantur, tunc Sacramentum spi„ rituale & cœleste perficietur. Sic vero Calix Domini „ non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque „ sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest „ esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adu„ natum fuerit, & copulatum, & panis unius com„ page solidatum. Quo & ipso Sacramento populus no„ ster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana „ multa in unum collecta, & commolita, & commix„ ta panem unum faciunt: sic in Christo, qui est pa„ nis cælestis, unum sciamus esse corpus, cui conjun„ ctus sit noster numerus, & adunatus. “ Fragmenta hujus epistolæ sub aliis nominibus extant apud Gratianum *dist. 2. Can. 1. & 2. & 7. de Consecrat.*

Altera ratio hujus mixtionis.

Aliam rationem hujus ritus indicat S. Augustinus in sermone ad Neophytos dicens: „ Hoc accipite in pa„ ne, quod pependit in Cruce: hoc accipite in Calice, „ quod manavit de latere “: scilicet *sanguis & aqua.*

Hæc ratio pluribus placuit, & quidem in ritu Ambrosiano ratio hæc exprimitur in verbis, quæ in ipsa aquæ infusione pronunciantur: *de latere Christi exivit sanguis & aqua pariter in nomine Patris, &c.*

Plures antiquos Rituales, quibus similis oratio eam rationem exprimens, præscribitur, refert Cardinalis Bona *l. 2. rerum Liturg. c. 9. nu. 3.* ubi & *nu. 4.* notat, quod „ Græci his aquam misceant, semel frigi„ dam, cum in prothesi sancta dona præparant, pun„ gente Sacerdote panem sancta Lancea, & dicente, „ *unus militum Lancea latus ejus aperuit, statimque* „ *exivit sanguis & aqua*, & Diacono infundente vi„ num & aquam “. Hic rationem ab Augustino indicatam a Græcis probari notorium est.

Secundo miscent Græci „ aquam *calidam* post con„ secrationem, immediate ante communionem, petente „ Diacono a Sacerdote, ut aquam *fervidam* bene„ dicat; illo autem benedicente his verbis: *benedictus* „ *fervor sanctorum tuorum jugiter, nunc & semper, &* „ *in sæcula sæculorum amen.* Tum Diaconus autem in„ fundit in Calicem dicens: *Fervor fidei plenus Spiri*„ *tu sancto, amen* “. Ita Cardinalis Bona ibidem.

Tertia ratio.

Tertia hujus ritus ratio ab aliquibus sumitur ex facto Christi, qui creditur ita Sacramentum hoc in ultima Cœna instituisse; quam & in præsenti Canone Synodus indicavit his verbis: *ut ipse Dominus tradidit.*

Omnes tres rationes expressit Synodus Tridentina.

Omnes tres rationes expressit Synodus Trid. *sess. 22. de Sacrif. Missæ cap. 7.* monens; „ præceptum esse ab „ Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice mi„ scerent: tum quod Christum Dominum ita fecisse „ credatur; tum etiam quia a latere ejus aqua simul „ cum sanguine exierit, quo Sacramentum hac mix„ tione recolitur, & cum aquæ in Apocalypsi B. Jo„ annis populi dicantur; ipsius populi fidelis, cum ca„ pite Christo unio repræsentatur. (*a*).

Antiquitas hujus ritus.

Synodus Trullana post præscriptum hunc ritum, addit *si quis Episcopus vel Presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, deponatur, ut imperfecte mysterium enuntians, & quæ tradita sunt, innovans.*

Hic Græci supponunt, ritum hunc ab *Apostolis* traditum, idque, ut apparet, juxta Liturgiam sancti Jacobi, quam genuinus ejus opus esse credunt.

Verum cum multa in ea occurrant, quæ probant eam Jacobo tribui non posse; nullum quoque certum & convincens habemus hinc argumentum, quo probemus, hunc ritum ab Apostolis institutum vel adhibitum fuisse, quamvis antiquum esse nemo dubitet.

Aquæ admixtio in Calice an sit necessaria.

Quinimmo Jacobo Pamelio in notis ad supra citatam epistolam Cypriani, verisimilis videtur eorum sententia, qui admixtionem aquæ ita necessariam volunt, ut sine illa sit irrita Calicis Domini consecratio, contraque ex S. Bernardo *epist. 69.* quosdam etiam eo tempore existimasse aquæ admixtionem esse necessariam ad Sacramenti integritatem.

At hodie certa est Theologorum sententia, omissa aqua validam esse consecrationem, nihilque essentiæ Sacrificii deesse; uti monet Cardinalis Bona loco citato *num. 3.*

Neque huic Thelogorum sententiæ refragantur hæc præsentis Canonis verba: *ut imperfecte mysterium enuntians*; nam uti bene notat Zonaras: „ minus perfecte „ mysterium enuntiat, quia cum ex latere Domini san„ guis & aqua simul emanarint: Sacrificium tamen so„ la vini oblatione perficiendo, ex corpore Domini „ sanguinem solum effusum fuisse opere ipso demon„ strat, & factis Evangelistarum testimoniis adversa„ tur, & tradita immutat, dum juxta antiquam con„ suetudinem non sacrificat.

Nequaquam tamen hic dicere voluit Zonaras quasi per omissam aquæ mixtionem imperfectum redderent ipsum sacrificium, sed dumtaxat eam omittendo non significaretur quod ex latere Christi exivisset sanguis & aqua, quod tamen mysterium Ecclesia per hanc mixtionem indicare voluit: atque ita Sacerdos commixtionem omittens, imperfectum redderet sacrificium ex mente ipsius Ecclesiæ, quæ voluit in sacrificio repræsentari mysterium, quod significatur per effluxionem sanguinis & aquæ ex latere Christi (*b*).

CANON XXXIII.

Quoniam cognovimus in Armeniorum regione eos solum in Clerici ordinem referri, qui sunt ex genere Sacerdotalis, iis, qui hoc facere aggrediuntur, mores Judaicos sequentibus; nonnullos autem eorum, etiam non tonsos, sacros Cantores, & divinæ legis Lectores constitui: decernimus, ut deinceps non liceat iis, qui volunt aliquos ad Clerum adducere, ad ejus, cui manus imponitur, genus respicere: sed examinantes an digni sint juxta exposita in sacris Canonibus de-

(a) Eo loco Concilium Tridentinum refutandos sibi proponit Lutheranos & Calvinistas, qui Catholicam suggillant Ecclesiam, eo quod ejus Sacerdotes in Sacrificio Eucharistico vinum aquam temperent.

(b) Ex dictis colligi potest permixtionem aquæ cum vino consecrando esse tantum juris Ecclesiastici; ea videtur esse mens Papæ Eugenii IV. in suo ad Armenos decreto; eos quidem reprehendit quod aquam omitterent, non quod adversus Christi præceptum peccarent, sed quod contra communem Ecclesiæ unum agerent,

decreta, in Cleri catalogum referri, ut eos ecclesiastice promoveant, sive sint ex majoribus suis Sacerdotibus, sive non. Sed etiam, ut nulli ex omnibus permittant, juxta ordinem eorum, qui sunt in Clericorum ordinem relati, populo in suggestu divinas scripturas recitare, nisi is Sacerdotali tonsura usus fuerit, & benedictionem a suo Pastore canonice susceperit. Si quis autem præter hæc facere deprehensus fuerit, segregetur.

SCHOLION.

Contra Armenios, qui volebant eos solos in Clerum assumi, qui essent ex genere Sacerdotali.

DUos abusus hoc Canone perstringit Synodus. Pro primo abusu notandum, quod cum apud Græcos ad Sacerdotium etiam *conjugati* promoverentur; hique possent etiam *post* ordinationem suis legitimis uxoribus uti, tandem invaluit *in Armeniorum regione, eos solum in Clerici ordinem referri, qui essent ex genere Sacerdotali*, in hoc *mores Judaicos frequentantes*, qui e sola Tribu Levitica, quæ Sacerdotalis erat, eligebant sacris ministraturos.

Hunc igitur Armeniorum morem reprobat Synodus, decernens, non licere, *iis, qui volunt aliquos ad Clerum adducere, ad ejus, cui manus imponitur, genus respicere; sed examinantes an digni sint juxta exposita in sacris Canonibus decreta, in Cleri catalogum referri, ut eos ecclesiastica* (vel *Ecclesiasticos*) *promoveant, sive sint ex majoribus suis Sacerdotibus, sive non.*

Propinquitatis affectus in conferendis beneficiis Ecclesiasticis.

Ratio Canonis hac in parte funditus avertit omnem in conferendis Sacerdotiis carnalem proximitatis & consanguinitatis affectum; quem & olim S. Gregorius *lib. 7. epist.* 5. ad Brunichildam Francorum Reginam, non secus ac simoniacam pravitatem cavendum monuit: „Christianitatis vestræ sollicitudo diligenter, inquit, „invigilet, & nullum, qui sub Regno vestro est, ad „sacrum Ordinem ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio personarum, seu *proximitatis jure* „patiatur accedere: sed ille ad Episcopatus vel alterius sacri Ordinis officium eligatur, quem dignum „& vita & mores ostenderint.

Et Synodus Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. *de Reform.* monet Episcopos „quam maxime potest .... ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis, affectum, unde, inquit, multorum malorum in „Ecclesia seminarium extat, penitus deponant.

Quin & hæreditariam in ministeria ecclesiastica successionem adeo improbavit Ecclesia Latina, ut legitimum filium ante ordinationem genitum, Patri immediate in idem Beneficium etiam legitimæ electionis via succedere vetuerit, *cap.* 11. *& de Filiis Presbyt.* Quid hoc puncto statuerit Synodus Tridentina exposui in *Jure Eccles. Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3.

Contra Cantores, & lectores non tonsuratos.

Secundus abusus seu error, qui in Armeniorum regione invaluerat, & quem hoc Canone Synodus improbat, hic erat, quod *nonnullos etiam non tonsos, sacros Cantores, & divina Legis lectores constituerent*; vultque Synodus, *ut nulli permittant, populo in suggestu divinas Scripturas recitare, nisi is Sacerdotali Tonsura usus fuerit, & Benedictionem a suo Pastore canonice susceperit.*

Hic non obscure Canon conjungit Tonsuram Clericalem ab Episcopo acceptam cum Lectoratu, ita ut accepta Tonsura ab Episcopo, una censeatur ipse Tonsuratus & Lectoratus ordine insignitus. Quod & Balsamon hic indicavit dicens: „Dicunt Patres, & in „suggestu eos solos legere debere, qui ad hoc in Clericorum numerum relati sunt, eos scilicet, qui habent Episcopales Tonsuras". Hic haud obscurum est, Balsamonem existimasse, eos Lectores constitutos, hoc ipso quo habent *Episcopales Tonsuras*, id est, ab Episcopis collatas.

Hinc notat Morinus *de Sacr. Ordinat. part.* 3. *exercit.* 15. *cap.* 4. „morem illum, qui apud Latinos ab „aliquot sæculis invaluit, scilicet Tonsuram Clericalem ab omni Ordine separandi, nec Græcos, nec „Syros hactenus usurpasse. Hactenus enim (ait) Tonsuram Clericalem cum Lectoratu conjungunt.

Monet tamen ibidem, quod „non inde debeat Lector colligere Tonsuram Clericalem apud Græcos „cum Lectoratu *confundi*; sunt enim res distinctissimæ, inquit, & variis actionibus collatæ. Sed Lectoratus ordo non datur, nisi præcedat Tonsura, nec „Tonsura nisi statum subsequatur Lectoratus, ita ut „Tonsura apud eos sit velut cæremonia ad Lectoratus collationem pertinens.

E quibus concluditur, Græcos non admisisse simplices Clericos, seu Tonsura Episcopali solum insignitos, sed voluisse, ut quicumque in Clerum reciperentur, etiam alicui functioni Ecclesiasticæ, tamquam Ecclesiæ ministri applicarentur.

CANON XXXIV.

Porro autem cum & hoc Canon Sacerdotalis aperte edicat, quod conjurationis vel sodalitatis crimen etiam ab externis legibus vetitum, multo autem magis hoc fieri in Ecclesia prohibere oportet: nos quoque observare studemus, ut si qui Clerici, aut Monachi inventi sint vel conjurantes, vel sodalitates ineuntes, vel adversus Episcopos, vel Conclericos aliquid struentes, a proprio gradu omnino excidant.

SCHOLION.

EST renovatio Canonis 18. Chalcedonensis, cujus Scholion consule (a).

Renovatus Canon 18. Chalced. de Conjurationibus.

CANON XXXV.

Nulli omnium Metropolitanorum liceat, mortuo Episcopo, qui ejus throno subest, res ipsius, vel Ecclesiæ ejus auferre, vel sibi vendicare: sed sint sub custodia Cleri Ecclesiæ, cui defunctus præfuit, usque ad alterius Episcopi promotionem; præterquam si in eadem Ecclesia non relicti sint Clerici. Tunc enim Metropolitanus ea non diminuta servabit, ordinando Episcopo omnia reddens.

SCHOLION.

Metropolitanus non accipiat suffraganei defuncti res vel Ecclesiæ ipsius.

CANONE 22. Chalcedonensi decretum erat, deponendos Clericos, qui rapiunt bona ad mortuum Episcopum pertinentia: sed quod Clericis vetitum erat, Metropolitani ambiebant. Præsens ergo Canon omnibus Metropolitanis idem prohibet, scilicet *mortuo Episcopo, qui ejus throno subest*, id est, ejus est Provinciæ, *res ipsius vel Ecclesiæ ipsius auferre, vel sibi vendicare.*

Cum enim Metropolitanus sit Episcoporum suorum Suffraganeorum superior, videbatur post mortem Episcopi, cura & custodia rerum ad ipsum vel Ecclesiam ejus pertinentium Metropolitano concredita: atque rerum ad Episcopum spectantium, de quibus defunctus non disposuerat, dispensationem ad eum jure pertinere.

Nec dubium, quin hoc titulo Metropolitani nonnulli bona Episcopi defuncti sibi vendicare prætenderint: quemadmodum & hodie multis in locis invaluit, ut hoc prætextu Episcopi sibi vendicent bona mobilia Sacerdorum decentium sine testamento, cujus & condendi facultatem ab Episcopo prævie obtinere debent. De quo latius egi in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect.* 4. *tit.* 1. *cap.* 8. alias *tom.* 1. *tit.* 32. *cap.* 8.

Sed ex maneant sub custodia Cleri ejus. Ecclesiæ.

Verum expendens Synodus, res Episcopi quodammodo reputandas esse res Ecclesiæ, voluit, eas una cum rebus Ecclesiæ, esse sub custodia Cleri Ecclesiæ, cui defunctus præfuit.

Hic enim Clerus repræsentans Ecclesiæ Presbyterium (in cujus locum Capitula Cathedralia hodierna successerunt) sede vacante jampridem, uti & hodie, ipsius Ecclesiæ regimen & curam sustinuit; uti in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 9. *cap.* 1. ostendimus: ut proinde merito & curam ac custodiam rerum temporalium ei demandet hæc Synodus *usque ad alterius Episcopi promotionem.*

Si non sint Clerici relicti, Metropolitanus res servet.

Ubi autem *in eadem Ecclesia non relicti sunt Clerici*, vult Synodus, *ut tunc Metropolitanus ea non diminuta servabit, ordinando Episcopo omnia reddens.*

Cum enim Metropolitanus revera sit superior Ecclesiæ vacantis, merito, deficiente Clero, qui Episcopum Sede vacante repræsentat, conceditur ei custodia & cura temporalium ad Ecclesiam spectantium, sic tamen, ut nihil ex iis sibi vendicet, sed futuro Episcopo fideliter servet & consignet.

Praxis hodierna in hujusmodi.

Ita & hodie Sede vacante cura temporalium ad Capitulum seu Clerum vacantis Ecclesiæ solet devolvi: utque omnia fidelius & diligentius administrentur, statuit Synodus Trident. *sess.* 24. *c.* 16. *de Reform.* ut „Capitulum, „Sede vacante, ubi fructuum percipiendo„rum munus ei incumbit, œconomum unum, vel „plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Eccle„siasticarum & proventuum curam gerant, quorum „rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri.

Addit quoque Synodus Tridentina, quod Episcopus ad Ecclesiam vacantem promotus, ab œconomio per Capitulum constituto rationem administrationis exigere queat: ut hinc appareat, num fidelis fuerit Administrator, nihil in proprios usus divertens, quemadmodum & hoc Canone Synodus Trullana decreverat, volens ut *imminuta* ordinato Episcopo omnia reddantur.

CANON XXXVI.

Renovantes, quæ a sanctis centum quinquaginta Patribus in hac a Deo conservanda & regia urbe convenerunt, & sexcentorum triginta, qui Chalcedone convenere, constituta sunt, decernimus, ut thronus Constantinopolitanus æqualia privilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, & in Ecclesiasticis ut ille rebus magnificat, ut qui sit secundus post illum. Post quem magnæ Alexandrinorum civitatis numeretur thronus; deinde Antiochiæ, & post eum Hierosolymitanæ civitatis.

SCHO-

(a) Citatus Canon XVIII. supra exhibetur *hujus Tom. VII.*

S C O L I O N.

Patriarcha Conſtantinop. ſecundus poſt Romanum.

HOc Canone renovat Synodus non tantum Canonem in prima Synodo Conſtantinopolitana in favorem Epiſcopi Conſtantinopolitani editum, ſed etiam Canonem 28. Chalcedonenſem decernendo, ut "Thro- „ nus Conſtantinopolitanus æqualia privilegia cum an- „ tiquæ Romæ Throno obtineat, & in Eccleſiaſticis, „ ut ille rebus (ſeu negotiis) magnificat, ut qui ſit „ ſecundus poſt illum.

Videri poterunt Scholia ad citatos Canones Conſtantinopolitanum & Chalcedonenſem; ubi ad poſteriorem notavimus, quod licet Græci prærogativas Sedi Conſtantinopolitanæ per Synodum Chalcedonenſem attributas, ipſi detulerint, & competere aſſeruerint, tamen uſque ad hanc Synodum, ſolius Canonis Conſtantinopolitani, & vetuſtæ conſuetudinis auctoritate ipſos in aſſerendis his prærogativis Sedi Conſtantinopolitanæ eſſe uſos; & abſtinuiſſe ab uſu Canonis Chalcedonenſis, ſive eum diſſimulaſſe propter oppoſitionem, quam contra hunc Canonem moverat S. Leo: uti ibidem oſtenſum eſt.

At ſæculo ſexto Juſtinianus Imperator in *Novella* 131. *cap.* 1. declaravit, ut vicem Legum obtineant Eccleſiaſticæ Regulæ, quæ a ſanctis *quatuor* Conciliis expoſitæ ſunt, nimirum in *Niceno*, *Conſtantinopolitano*, *Epheſino*, & *Chalcedonenſi*; atque huic *cap.* 1. intulit: „ Ideoque ſancimus ſecundum earum definitiones „ ſanctiſſimum ſenioris Romæ Papam primum eſſe om- „ nium Sacerdotum. Beatiſſimum autem Archiepiſco- „ pum Conſtantinopoleos novæ Romæ, *ſecundum* ha- „ bere locum poſt ſanctam Apoſtolicam ſenioris Romæ „ Sedem.

Ordo 5. Patriarcharum hic primum expreſſus.

Hoc Juſtiniani Decreto ſuffulti Orientales non dubitarunt Canonem Chalcedonenſem diſerte renovare, atque prærogativas Epiſcopo Conſtantinopolitano per Canonem illum ei delatas confirmare: atque Patriarcharum ordinem, nullo hactenus Canone expreſſum determinare.

Canon a Gratiano mutilatus.

Canonem retulit Gratianus *diſt.* 22. *Can.* 6. ſed mutilatum. In primis enim non meminit renovati Canonis Chalcedonenſis: recteque notat Antonius Auguſtinus *lib.* 1. *de emend. Grat. diat.* 9. mendoſe ſcriptum eſſe *perimus* pro *definimus*, & *inferior Roma*, pro *ſenior Roma*.

Ad hæc apud Gratianum in antiquis editionibus legebatur: *Non tamen in Eccleſiaſticis rebus magnificetur ut illa*, quæ, uti recte ibidem monuit Antonius Auguſtinus, juxta textum Græcum originalem hujus Canonis mutanda ſunt in contrariam ſententiam, atque pro *non tamen* ſcribendum, &: quem errorem obſervarunt quoque Correctores Romani, qui & textum Gratiani corrigentes pro *non tamen* poſuerunt *necnon*: monentque, ſic emendatum eſſe ex aliquot MSS. & Græco.

Inſuper apud Gratianum etiam poſt correctionem legitur *ſimilia privilegia* pro *æqualia privilegia*, prout in ipſo Canone tam apud Græcos, quam Latinos legitur.

Hic rurſus patet quam parum fidendum Gratiano in relatione Canonum; & quomodo ſenſum Canonum ſubinde omnino invertat.

C A N O N XXXVIII.

Quoniam diverſis temporibus Barbaricæ incurſiones fuere, & ex eo plurimæ civitates infidelibus ſubjugatæ fuere, ut ideo non poſſit ejus civitatis Præſul, poſtquam ordinatus fuerit, ſuum thronum apprehendere, & in eo in Sacerdotali conſtitutione collocari, & ſic pro ea, quæ invaluit, conſuetudine ordinationes, & omnia, quæ ad Epiſcopum pertinent, agere & tractare: nos honorem ac venerationem Sacerdotio ſervantes, & Gentilem injuriam nequaquam ad Eccleſiaſticorum jurium perniciem exerceri volentes: eos, qui ſic ordinati ſunt, & propter prædictam cauſam in ſuis thronis non ſunt conſtituti, ut abſque ullo ex ea re præjudicio conſerventur, decrevimus: ut & diverſorum Clericorum ordinationes Canonicæ fiant, & præſidentiæ auctoritate ſecundum proprium ſtatum utantur, & ſit firma ac legitima quæcumque ab eis procedit adminiſtratio. Non enim a tempore neceſſitatis exacta juris obſervatione circumſcripta, diſpenſationis terminus circumſcribetur.

S C O L I O N.

Epiſcopus ob incurſiones Barbaricas a ſua ſede capeſſenda impeditus honore tamen & munere Epiſcopali fungatur.

CANONE 18. Antiocheno decretum fuit, ut Epiſcopus electus & ordinatus, qui ad ſuam Eccleſiam non ierit non ſua quidem culpa, ſed quia populus ipſum admittere recuſat, aut ob aliud externum impedimentum, cui ipſe cauſam non dedit, ſit honoris & muneris particeps.

Præſenti Canone idipſum annuitur Epiſcopis, quorum civitates Epiſcopales ſunt "infidelibus ſubjugatæ, „ ut ideo non poſſit ejus civitatis Præſul, poſtquam „ ordinatus fuerit, ſuum Thronum apprehendere (*ſeu* „ *Gr.* occupare), & in eo ſin Sacerdotali conſtitu- „ tione (*ſive G.* ſtatu) collocari: *decrevitque Synodus*, *ut* qui propter prædictam cauſam in ſuis Thro- „ nis non ſunt conſtituti, abſque ullo ex eore præju- „ dicio conſerventur.

Hoc eſt, interprete Zonara " omnia is privilegia ſibi „ pro munere præfecturæ, quam obtinet, debita, ni- „ hilominus vendicabit.

Poſt hæc ſpecificat Synodus nonnulla, quæ Epiſcopi hi agere poſſint, puta, *ut diverſorum Clericorum*, id eſt, variorum ordinum prout Eccleſiæ ſibi creditæ convenire judicaverint, *Ordinationes Canonicæ*, ſeu ſervatis Canonum ſanctionibus *faciant*.

Deinde & *præſidentiæ* (ſeu Gr. *præſulatus*) *auctoritate ſecundum proprium ſtatum* (ſive Gr. *proprios fines*) *utantur*: hoc eſt, quod honorem & dignitatem ſuæ Eccleſiæ ſecundum proprium ſtatum ſive proprios fines iſtius Eccleſiæ habebit, ac ſi revera Cathedram occupaſſet, & in Eccleſia reſideret.

Denique declarat Synodus, quod *& ſit firma ac legitima quæcumque ab* (vel Gr. *ſed*) *iis procedit adminiſtratio*: id eſt " quæcumque Epiſcopali auctoritate ab „ eo conſtituta actave fuerint, rata omnia & quam „ optimo jure firma haberi placet " ait Zonaras hic.

Rationem ſui decreti ſubjungit Synodus. "Non enim „ a tempore neceſſitatis exacta juris obſervatione di- „ ſpenſationis terminus circumſcribetur: " vel ut ex Codice Regio verti poſſe notat Fronto-Ducæus in notis ad hunc Canonem *tom* 6. *Concil. Labb. col.* 1322. *Non enim ſi ob temporum difficultatem exacta obſervatio impedita fuerit, exacta miniſterii ratio prohibebitur.*

Huic lectioni conſonat expoſito Zonaræ, quæ & contextui Canonis, & menti ipſius Synodi admodum conformis apparet: verba ejus ſunt: " Nec enim quia „ temporum iniquitate, excitatæque a Barbaris pro- „ cellæ periculo excluſus Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem „ Epiſcopus adire non poſſit, idcirco circumſcribetur „ diligentia, & œconomiæ ſive diſpenſationis termini „ anguſtius definientur; hoc eſt, non ea de cauſa mi- „ nus exacte ac religioſe Can. ſervari placet, quorum „ auctoritate Epiſcopis, in ſua cuique Diœceſi, ex „ omnibus, quæ ad eam pertinent, ſtatuendi eſt con- „ ceſſa facultas.

De Epiſcopis titularibus.

Quandoquidem Canon permittat his Epiſcopis, quod ordinationes aliaque poſſint facere, quæ Eccleſiæ ſibi commiſſæ judicabunt convenire, non ſecus ac ſi in ſua Cathedrali civitatæ reſiderent, evidens eſt, hos Epiſcopos multum diſtare ab hodiernis Epiſcopis *titularibus*, qui ordinantur titulo alicujus Eccleſiæ conſiſtentis in partibus infidelium, quæ vel non amplius extat, vel plerumque populo & Clero fideli plane deſtituta; cum e contrario Epiſcopi, quorum hic mentio occurrit, ordinarentur, ſed in quibus reſidere Gentilium furor eos prohibebat (*a*).

Clementina in pleriſque.

Sane Epiſcopos titulares ſine populo & Clero ordinari primis ſæculis in auditum & incognitum fuit, ut & Fagnanus ad cap. *Epiſcopalia*, *t. de privileg. n.* 39. notavit ſcribens, quod antiquitus Epiſcopi *titulares* non creabantur, ſed tantum qui a propriis Eccleſiis ob hoſtilitatem ejecti erant, in aliis Eccleſiis vacantibus Cardinales conſtituebantur: id eſt, incardinabantur, donec ad proprias Eccleſias reverti permitterentur.

Conſtat autem eos poſterioribus ſæculis admodum frequentes fuiſſe, eorumque uſum in magnum ac perniciοſum admodum abuſum ſenſum degeneraſſe; docetque decretum ſub nomine Clementis V. in Concilio Viennenſi relatum *in Clementina in pleriſque de elect.* quod eo tempore " in pleriſque Eccleſiis nedum ſubſi- „ dio facultatis, ſed & Clero parentibus & populo „ Chriſtiano multos frequenter & religioſos præſertim „ improvida ſuperiorum proviſio ad Pontificatus aſſu- „ mit honorem, qui nec (ut expediret) prodeſſe, nec „ præeſſe (ut deceret) valentes, inſtabilitate vagatio- „ nis & mendicitatis opprobrio ſerenitatem Pontificalis „ obnubilant dignitatis.

Decernitur autem ibidem, ut " nullus de cætero „ quacumque dignitate præpollens (niſi ſpeciali ſuper „ hoc auctoritate Sedis Apoſtolicæ fulciatur) de Pa- „ ſtore provideat Cathedrali Eccleſiæ ſibi qualitercum- „ que ſubjectæ, quæ Clero careat & ſubditis Chriſtia- „ nis: nulluſque religioſus a ſuo unquam, qui provi- „ ſioni tali conſentiat, licentietur Prælato.

Qiud ſi „ Religioſus hujuſmodi proviſioni conſenſe- „ rit, & in Epiſcopum ſeſe fecerit, aut conſecrari „ permiſerit, non ſtatuitur tantum, ut in Epiſcopali „ nullatenus recipiatur honore, ſed in tantæ ambitio- „ nis pœnam Religionis aut Monaſterii ſui Prælato „ ſemper ſic degat humilis, jaceatque proſtratus, quod „ nullus eidem in Religione ſua vel extra ad gradum „ honoris vel adminiſtrationis cujuslibet ſit aſcenſus.

Hic evidenter ſupponitur, hunc abuſum præcipue inter Religioſos obtinuiſſe: " qui (uti ibi notat gloſsa) labo-

(a) Quocirca D. Van-Eſpen diſſentit a viro hiſtorico D. Fleury, qui *lib.* 40. *hiſt. Eccleſ. num.* 51. aſſerit Trullanum Canonem citatum extitiſſe originem inſtitutionis Epiſcoporum *in partibus infidelium*.

„ laborant ad hoc interdum importune & per curruptelas, ut dicere poſſint cum Pſalmiſta *Laqueus contritus eſt*; additque vidi etiam Religioſum conſecratum ad titulum, qui non erat in rerum natura, „ nec fuerat, quod petere poſſet per *Provincialem*, „ eſt, per librum, in quo ſcriptæ ſunt.

Cur Religioſi in hoc magis peccarent, quam alii, notatur ibidem in gloſſa marginali: “ quia communiter cupiunt magis exaltari quam ali: “ nam ut ait Gui: “ quilibet magis appetit, quo ſe videt deſtitui.

Abuſum Epiſcoporum *Titularium*.

Quantumvis per hunc textum Epiſcoporum titularium ſive ad Eccleſias Cathedrales Clero & populo carentes ordinatio prohibita ſit, *niſi* ordinatum *ſpeciali ſuper hoc Auctoritate Sedis Apoſtolicæ fulciatur*, ut habet dicta *Clementina in pleriſque*; nequaquam abuſum ceſſaſſe probant varia decreta Conciliorum, ac notanter Tridentini contra horum Epiſcoporum exceſſus.

Et ſane cum Paſtor dicatur a *paſcendo*, & Epiſcopus ab *intendendo*, ſat inordinatum apparet, Epiſcopos ordinari titulo tenus, nullum habentes aut habiturus populum, quem paſcant aut regant, ridiculum apparet ſimili ordinato dici ab ordinatore, *accipe Evangelium & vade, prædica populo tibi commiſſo*.

Recte proinde monet Fagnanus loco citato: minime „ eſſe procedendum ad Epiſcopi titularis ordinationem „ ſine gravi & urgenti neceſſitate: tum quia hujuſmo„ di creatio & inſtitutio eſt ab Eccleſiaſticis regulis „ aliena, & ſacris Canonibus inviſa; tum quia Epi„ ſcopus præficiatur Eccleſiæ ſine reditibus, ſine Diœ„ ceſi, ſine Clero populoque Chriſtiano, quod eſt con„ tra Concilium Viennenſe & Tridentinum.

Epiſcopos titulares ordinari, ut Nuntii & Prælati Aulæ Romanæ titulo illo honoris inſigniantur, nullum unquam de cætero popullum recturos, aut Epiſcopale miniſterium auctores, parum conſonum Epiſcoporum inſtitutioni, & prioribus ſæculis ignotum fuit (*a*).

CANON XXXVIII.

Canonem, qui a Patribus factus eſt, nos quoque obſervamus, qui ſic edicit: ſi qua civitas ab Imperiali poteſtate innovata eſt, vel rurſus innovata fuerit, civiles ac publicos typos Eccleſiaſticarum quoque rerum ordo conſequatur.

SCHOLION.

Civitas a Principe in Metropolim erecta privilegia Eccleſiaſtica etiam conſequitur:

CANON Patrum, quem Synodus quoque obſervatum vult, eſt Canon 17. Chalcedonenſis, cujus Scholion conſulendum.

Hoc hic notandum, per *civiles ac publicos typos* ſignificari *gramatitas*, aut Imperatorem litteras, quibus Imperatores de novo excitatis aut reædificatis civitatibus aliarum urbium privilegio concedunt, aut eas certæ Provinciæ annectunt.

Dicit itaque Canon, quod *civiles ac publicos typos*, ſive pragmatica Imperatorum litteras, *Eccleſiaſticarum quoque rerum ordo conſequatur*: “ ut ſive Epiſcopatus „ appellationem nova urbs habuerit, ſeu ad Metropo„ litani faſtigii honorem erecta ſit, eodem prorſus Ec„ cleſiaſticorum jurium ordine recenſeatur “: inquit „ hic Zonaras. Vel uti habetur Ariſtenus hic: “ Quæ „ ab Imperatore de novo extruitur aut extrueretur urbs „ ſub ejus Epiſcopi Diœceſi erit, ſub qua deſcripta „ eſt, & cui ſubjacere juxta. Licet enim alterius Epi„ ſcopi Parœciæ proximior ſit, eam tamen ſibi non „ vendicabit, qui vicinior eſt, ſed civiles & publicos „ typos etiam talis civitas ſequetur.

At hodie alio jure utimur. Nec vix ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ civitatis in Cathedralem, aut Metropolitanum tranſire poteſt: uti notavi in *Jure Eccleſ. Tom I. part. 1. t. 19. cap. 1.*

CANON XXXIX.

Cum frater & comminiſter noſter Joannes inſulæ Cypri Præſul, una cum ſuo populo in Helleſponticam Provinciam & propter Barbaricas incurſiones, & ut a Gentilium ſervitute liberaretur, & Chriſtianiſſimæ potentiæ ſceptris pure ſubjiceretur, a prædicta inſula emigraverit, clementis Dei providentiâ, & pii Deique amantis Imperatori labore, conſtituimus, ut citra ullam innovationem ſerventur, quæ a divinis Patribus, qui Epheſi primum convenerunt, prædicti viri throno privilegia conceſſa ſunt, ut nova Juſtinianopolis Conſtantinopoleos jus habeat, & qui in ea conſtituitur prius ac religioſiſſimus Epiſcopus, præſit omnibus Helleſpontiorum Provinciæ Epiſcopis, & a ſuis Epiſcopis eligatur ex antiqua conſuetudine. Mores enim, qui ſunt in unaquaque Eccleſia, divini etiam noſtri Patres ſervandos cenſuerunt. Cyzicenorum civitatis Epiſcopos Præſuli dictæ Juſtinianopoleos ſubjecto exiſtente, ſed imitationem reliquorum omnium Epiſcoporum, qui ſubſunt prædicto Dei amantiſſimo Præſuli Joanni; a quo cum uſus poſtulaverit, etiam ipſius Cyzicenorum civitatis Epiſcopus ordinabitur.

SCHOLION.

De juribus conſervandis *novæ Juſtinianopoli* a Barbaris occupatæ.

PRO intellectu hujus Canonis notandum, quod Metropolis Cypriorum olim dicta *Coſtantia*, a Juſtiniano Imperatore reſtaurata, ſuo de nomine vocata ſit *nova Juſtianopolis*.

Porro Synodus Epheſina antehac decreverat, ut nec Antiochenus, nec ullus quivis Epiſcopus in inſula Cypro aliquam vel Metropolicam auctoritatem exerceret, ſed ut omnia negotia Eccleſiaſtica ibi emergentia Metropolitano *Conſtantiæ* & Synodo Provinciæ definirentur.

Cum vero Saraceni tempore hujus Synodi Conſtantiam ſive *novam Juſtianopolim* occupaſſent, Joannes civitatis illius Epiſcopus cum ſuo populo emigravit in Helleſponticam Provinciam, *ut Chriſtianiſſimæ potentiæ ſceptris pure ſubjiceretur*. Cum itaque Joannes cum ſuis Epiſcopis, Clericis, & populo hic eſſet, Patres in ejus gratiam conſtituerunt, annuente etiam Imperatore, ut jura a Synodo Epheſina, ſuæ quondam Cathedræ indulta, etiam in Helleſponto obtineret; ut nimirum nullus in ſuos Epiſcopos aut populos poteſtatem haberent; atque inſuper Helleſpontica Provincia, ejuſque Metropolita Cyzicenus Epiſcopus dicto Joanni ſubjicerentur, in hancque Provinciam *novam Juſtinianopolis* idem jus exercerer, quod antea *Conſtantinopoli* ſive *nova Roma* competierat.

Porro monent Balſamon, Zonaras, & Ariſtenus ſuo tempore nullam ex his Eccleſiis Cypri Archiepiſcopatui fuiſſe ſubjectam; cujus rationem attigiſſe videtur Ariſtenus, quod “ poſtquam Cyprus Gentilium mani„ bus liberata fuit, quæ in Helleſponto erant Metro„ poles ad Thronum Conſtantinopolitanum redierint: “ ut vel hinc appareat, hanc indulgentiam tantum fuiſſe temporalem, quamdiu ipſe Joannes Provincia ſua a Barbaſis occupata, in Provincia Helleſpontica pro fide quaſi exulare debebat.

CANON XL.

Quoniam Deo hærere per ſeceſſum ex vita ſtrepitu ac perturbatione valde eſt ſalutare, oportet nos non ſine examinatione eos, qui vitam Monaſticam eligunt, non intempeſtive admittere, ſe nobis a Patribus traditum terminum in eis quoque ſervare, ut vitâ ſecundum Deum profeſſionem jam firmam, & a ſcientia ac judicio factam tunc admittamus, poſt rationis complementum. Qui ergo Monachicum jugum eſt ſubiturus ne ſit minor quam decem annorum natus, ejus quoque rei examinatione in Præſulis arbitrio ſita, an augeri tempus conducibilius exiſtimet ad introductionem & conſtitutionem in vita Monaſtica. Etſi enim magnus Baſilius in ſacris ſuis Canonibus, quæ ſua ſponte Deo offeret, & Virginitatem complectitur, ſi ſeptimum decimum annum compleverit, in Virginum ordinem referendam eſſe ſtatuit: ſed tamen de viduis & Diaconis exemplum ſecuti, in dictum tempus, analogia & proportione habita, eos, qui vitam Monaſticam elegerunt, deduximus. In divino enim Apoſtolo ſcriptum eſt, ſexaginta annorum viduam in Eccleſia eligendam: ſacri autem Canones quadraginta annorum Diaconiſſam ordinandam eſſe ſtatuerunt, cum Dei Eccleſiam Dei gratia potentiorem ac robuſtiorem evaſiſſe, & ulterius procedere vidiſſent, fideliumque ad divinorum mandatorum obſervationem firmitatem & ſtabilitatem, Quod quidem cum nos quoque optime intellexiſſemus modo ſtatuimus benedictionem gratiæ ei; qui certamina ſecundum Deum aggreſſurus eſt, veluti quoddam ſignaculum celeriter imprimentes, hinc eum ad non diu cunctandum & tergiverſandum inducentes, vel potius etiam ad boni electionem & conſtitutionem incitantes.

SCHOLION.

Ætas Profeſſioni vitæ Monaſticæ præſcripta.

HOC Canone vita Monaſtica a Patribus recte vocantur *ſeceſſus ex ſtrepitu ac perturbatione*. Monachatus enim proprius character & finis eſt, ſeparatio a mundi tumultu; & in quiete & ſilentio Dominum præſtolari. Unde ad Eccleſiam Vercellenſem ſcribit S. Ambroſius *epiſt.* 24. “ Clericorum officia in „ Theatro ac ſtadio, Monachorum inſtituta in ſpe„ lunca & ſecreto “ Plura veterum in hanc rem teſtimonia refert Chriſtianus Lupus in Scholiis ad præſentem Canonem, e quibus concludit: *& hinc in Eccleſia nullum fœdius monſtrum, quam Monachus inquietus*.

Volunt etiam Patres in hoc Canone, ad vitam Monaſticam *non ſine examinatione, nec intempeſtive quemquam admitti, ſed a Patribus traditum terminum* (ſeu Gr. *decretum*) in admittendis ad vitam Monaſticam *ſervari* mandant, *ut*, inquiunt, *vita ſecundum Deum profeſ-*

(a) Plura ſi quis forſan ſcire cupit de hiſce Titularibus Epiſcopis, eorumque origine; & progreſſu, ac eorum abuſu, & quidquid de his Conſilium Ravvenatenſe, nec non quamplurimi Patres in ipſa Synodo Tridentina, nonnullique alii ſenſerit, quidque horum querelæ adverſus ipſos directæ reſpexerint, conſulat D. Van-Eſpen, qui de iis fuſius, uteriuſque egit in *Jure Eccleſ. Tom. I. part. 1. tit. 15. cap. 4.* hujus editionis.

professionem, ut jam firmam, & a scientia ac judicio factam tunc admittamus, post rationis commendatum,

Utinam ad hoc tam necessarium decretum adverterent, quibus ad vitam Monasticam admittendi cura incumbit; atque serio examinarent, num desiderium amplectendi vitam Monasticam sit firmum, & a scientia ac judicio procedat.

Porro Patres ad hanc professionem neminem admittendum censent, *qui sit minor quam decem annorum natus*, igitur decem annorum natum non reiiciunt; quamvis S. Basilius, „ in ea, quæ se sua sponte Deo „ offert, & Virginitatem complectitur, si septimum „ decimum annum compleverit, in Virginum ordinem „ *referendam esse statuerit*.

Dicunt autem Patres hujus Synodi, se ætatem contraxisse exemplo sacrorum Canonum, qui *quadraginta annorum* Diaconissam ordinandam statuerunt; licet in divino Apostolo scriptum sit, *sexaginta annorum viduam in Ecclesia eligendam*. 1. Tim. *cap. 5. vers. 9.*

Rationem autem contractæ ætatis adjicit Synodus, quoniam ipsi etiam intellexissent, „ Dei Ecclesiam, „ Dei gratia potentiorem ac robustiorem evasisse, & „ ulterius procedere vidissent, fideliumque ad divi„ norum mandatorum observationem, firmitatem, ac stabilitatem.

Tridentinum requirit 16. expretum.

Ratio hæc *an subsistat, est longa indaginis*, ait Lupus hic. Sane si ad tempora nostra referenda sit, nescio, qua specie verificari queat; cum tandem videamus fidelium ad divinorum mandatorum observantiam tepiditatem & inconstantiam, ac charitatem & fervorem religionis ubique ita flaccescere, & cupiditatem dominari; ut jure merito Synodus Tridentina statuerit *sess. 23. de Regular. cap. 15. in quacumque religione, tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum expletum.*

Ulterius, sicuti Synodus Trullana non simpliciter admittendum censuit ad vitam Monasticam, qui decem annos natus est; sed *ejus rei examinatione in Præsulis arbitrio sita, an augeri tempus conducibilius existimet*, ita nec Synodus Tridentina ad professionem admittendos censet omnes: qui *decimum sextum annum* expleverint; sed qui prævie *per annum* integrum *post susceptum habitum in probatione steterit*, & post probationem judicatus fuerit idoneus & a Deo ad Religionem vocatus, de quo plura in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 35. cap. 1.*

Qua ratione professio Monastica vocetur Benedictio gratia.

Quod Canon *Benedictionem Monachalem* vocet *Benedictionem gratiæ*, ac veluti quoddam *signaculum*, quod Monacho imprimitur, Goffredo Abbati Vindocinensi occasionem dedit; teste Christiano Lupo „ existimandi, aut saltem graviter dubitandi, eam benedictio„ nem esse *consecrationis* speciem, manus impositio„ nem, Sacramentum ex Apostolica traditione cele„ brandum, quod possit a solo Abbate, non a simpli„ ci Monacho imprimi, ac nullo pacto aut casu ite„ rari. At rectius ejus Episcopus S. Ivo; *Monachi be„ nedictio aliam vim mihi habere non videtur, quam „ super populum Sacerdotis oratio*. Eam S. Antonio, „ ac aliis antiquis Monachis dicit fuisse ignotam, mul„ tiplicatis postmodum Monachorum gregibus inductam „ ex quadam cautela, tamquam Religionis vinculum „ humanæ infirmitati provisum, *ut Monasticus ordo „ quanto firmius in conspectu Dei & hominum, & so„ lemnius ligaretur, tanto robustius ac devotius a Mo„ nachis servaretur. Et qui vellent ab hoc proposito „ recedere, testimoniis pluribus convincerentur, & tam„ quam jurati in Christo Sacramenta Tyrones ad pro„ positum suum reverti cogerentur*. Et hinc liquet Dio„ nysium illum, qui nobis Monachorum Benedictiones „ producit, non esse Areopagitam Apostoli discipu„ lum: sed S. Antonio, ac primis ejus discipulis po„ steriorem". Hæc Lupus.

CANON XLI.

Eos, qui in urbibus vel vicis in clausuras volunt secedere, & sibi ipsis separatim attendere, prius quidem in Monasterium ingredi oportet, & Anachoreticam, hoc est, aliis separatam ac semotam, vivendi rationem exercere, & spatio triennii ei, qui mansioni præest, in Dei timore parere: & obedientiam in omnibus, ut æquum est, implere; & ita hujus vitæ eligendæ institutum profitentes, quod eam ex toto corde sua sponte amplectuntur, ab ejus loci Præsule examinari: deinde sic alio anno extra clausuram fortiter se gerere: ut scopus eorum evadat manifestior. Tunc enim plene ac perfecte significabunt, quod non inanem gloriam captantes, sed propter ipsum revera pulchrum ac honestum hoc otium persequuntur. Post tanti autem temporis complementum, si in eodem eligendæ vitæ instituto permaneant, includi ipsos; & eis non amplius licere, quando voluerint, ex tali mansione egredi, præterquam si propter communem utilitatem, vel aliam necessitatem ad mortem urgentem, ad id trahantur; & ita cum benedictione ejus loci Episcopi. Qui autem sine his jam dictis causis ex suis habitaculis exire aggrediuntur, primo quidem vel invitos dicta clausura coerceri, deinde jejuniis & aliis afflictionibus ipsos curare scientes, quemadmodum scriptum est, quod nemo qui manum aratro immisit, & retro conversus est, aptus regno cælorum.

SCHOLION.

Vita Angelica.

Hoc Canone agitur de genere Monachorum, qui *Anachoretæ* a Patribus dicti fuerunt; & quos Justinianus in *Novel. 6. cap. 3.* vocat *discedentes*, sive *Helichastos*, id est, *quiescentes, tamquam a communione ad meliora exceptos*; hoc est, a vita *communi* separatos, *solitarie* in silentio & oratione adventum Domini præstolantes.

Horum jampridem meminit S. Augustinus *lib. 1. de moribus Eccles. Cathol. cap. 31.* eorumque vitam tamquam omnium perfectissimam, & prope Angelicam describit, eamque Manichæis; ad demonstrandam Ecclesiæ Catholicæ *Sanctitatem* proponit: „ Nihil de iis di„ cam, ait, quos paulo ante commemoravimus, qui „ secretissimi penitus ab omni hominum conspectu pa„ ne solo, qui eis per certa intervalla temporum af„ fertur, & aqua contenti; desertissimas terras inco„ lunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus „ inhæserunt, & ejus pulchritudinis contemplatione „ beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu præcipi non potest.

Vita perfectorum.

Frequens & horum mentio occurrit apud S. Hieronymum; asseritque in commentariis *Threnorum cap. 3. vers. 27.* vitam hanc eligendam a solis *vere* & non *ex parte* perfectis; „ qui & in Eremo squalorem solitudi„ nis, & in cœnobio infirmitates fratrum æquali ma„ gnanimitate sustentent „. Hæc pluribus exponit in litteris ad Rusticum Monachum, qui ipsum interrogaverat, *num solus, an cum aliis in Monasterio deberet vivere*? Eremi grandibus & multis periculis enumeratis, respondet Hieronymus: „ De ludo Monaste„ riorum egredi volumus hujusmodi milites, quos Ere„ mi duro redimenta non terrent, qui specimen con„ versationis suæ multo ante tempore dederint, qui „ omnium fuerunt minimi, ut primi omnium fierent,

Dum ergo Patres vitæ hujus institutum tamquam summæ perfectionis instrumentum laudant; una agnoscunt, nisi a multum probatis & in virtute militiaque Christiana exercitatis arripiendum esse; laudatque S. Benedictus in sua regula *cap. 1.* Anachoretas, id est Eremitas; „ qui non conversationis fervore *Novicio*. „ sed Monasterii probatione diuturna; qui didicerunt „ contra diabolum multorum solatio jam docti pugna„ re, & bene instructi fraterna ex acie ad singularem „ pugnam Eremi securi; jam sine consolatione alte„ rius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel „ cogitationum Deo auxiliante sufficiunt pugnare.

Prius sint Monachi quam Anachoretæ.

Conformiter ad has Patrum sententias, Synodus hæc voluit, eos, qui Eremiticam seu Reclusorum vitam profiteri intendunt, prius in Monasterium ingredi, atque ibidem quatuor annis probari: triennio quidem ab aliis separatam ac semotam vivendi rationem exercentes, & ei, qui mensioni præest, in Dei timore parentes, & obedientiam in omnibus, ut æquum est, implentes.

Adhæc, *ab ejus loci Præsule*, seu Episcopo, *examinari, quod eam vitam toto corde sua sponte amplectantur.*

Triennio hoc expleto, quarto anno *extra clausuram* exercebuntur, ut sic a clausura liberi, & *fortiter se gerentes, scopus eorum evadit manifestior.*

Ubi ergo sic probati fidem fecerit, se non laudis humanæ, sed virtutis exercendæ studio, sive *non inanem gloriam captantes, sed propter ipsum revera pulchrum ac honestum hoc silentium prosequi*; atque *in eodem eligendæ vitæ instituto permaneant*, includi eos permittit Synodus, nimirum ab Episcopis, uti hic notant Balsamon & Zonaras: & quidem egredi non liceat; *preterquam si ob communem utilitatem, vel aliam necessitatem ad mortem urgentem*, id est mortis periculum, *ad id trahantur; & ita cum benedictione ejus loci Episcopi*, hoc est, cum Episcopi licentia.

Hunc Canonem quoad necessitatem probatione admittendorum ad vitam Anachoreticam posteriores etiam Synodi sæpius probarunt, experientia edoctæ, quam periculosum sit, non sat probatus ad vitam hanc solitariam, & a communi hominum consortio abstractam admittere. Vide Synodum Veneticam circa ann. 465. *Can. 7.* Agathensem *cap. 78.* Aurelianensem I. *Can. 22.* Francofordiensem *Can. 22.* Toletanam VII. *Can. 5.* Capitulare Caroli M. ad Monachos *cap. 2.*

Et unde nisi ex defectu probationis hodie videmus eos, qui hanc vitam Reclusorum seu Anachoretarum exterius profitentur, nihil veterum istorum Anachoretarum perfectionis præferant; ac potius generi Monachorum, quod a S. Benedicto *Gyrovagum* a vagatione appellatur, similes sunt, quam Anachoretarum; immo multi falsis illis Eremitis; qui Canone sequenti describuntur, similiores sunt.

C A-

CANON XLII.

Eos, qui dicuntur Eremitæ, qui quidem nigris vestibus induti, & capite comati urbes obeunt, & cum viris sæcularibus ac mulieribus versantur, & propria professioni faciunt injuriam, statuimus, si elegerint quidem tonsis comis reliquorum Monachorum amictum suscipere, eos in Monasterio constitui, & inter fratres referri. Quod si hoc non elegerint, & urbibus expelli & solitudines habitare, ex quibus sibi etiam denominatione confinxere.

SCOLION.

Falsi Eremitæ.

AD hunc Canonem ait Balsamon: „ Complures populi seductores, urbes obeuntes, induuntur nigris vestibus, & sunt intonsis capillis, jejunium & squalorem præ se ferentes, & simpliciores decipientes, ac Monachalem professionem injuria afficientes.

Joannes Zonaras hic reflectens ad hæc verba Canonis *capite comati*, ait fuisse, qui *coma nequaquam detonsa, sed in cincinnos plexa & intorta, in pectus humerosque defluente, ita urbes pervolitarent.*

Porro „ nonnulli eorum (ait Balsamon) una cum viris Laicis mulieribus versantes, & in triviis Dæmoniacis doctrinis circumstrepentes, pro populo utique precantur; & pœnitentiam prædicant.

„ Alii vero (pergit Balsamon) dicunt, se Dei jussu ex solitudine in civitates venisse, ut futura quædam prædicant; & simplicioribus bona quædam pollicentur lucri & mercimonii gratia.

Quin horum reperiantur successores & imitatores, qui *& improprie professioni faciant injuriam*, nimis notorium est.

Optandum esset, ut Episcopi, aliique, penes quos est publica auctoritas, similes Monasticæ & solitariæ vitæ simulatores, aut desertores ad præscriptum hujus Canonis eatenus saltem coercerent, eos nimirum ad Monasteria relegantes, ut ibidem inter fratres quiete viverent.

Præsens Canon ostendit, visum fuisse Synodo, professioni vitæ solitariæ contrarium, *urbes obire, & cum viris sæcularibus* (seu Gr. *Laicis*) *ac mulieribus versari*: quod & a Patribus jampridem observatum fuit. Hinc illud Hieronymi ad Heliodorum Monachum: *interpretare vocabulum Monachi, hoc est, nomen tuum: quid facis in turba, qui solus es?* Vide quæ dixi hac de re in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 27. cap. 4.*

Docetque nos præsens Canon, olim Monachos fuisse *tonsis crinibus*; quod & docet S. Augustinus *libro de opere Monachorum cap. 32.* ubi contra Monachos *crinitos* seu *comatos* scribit: „ Venalem circumferentes hypocrisim timent, ne vilior habeatur *tonsa* Sanctitas, ut videlicet qui eos videt, antiquos illos, quos legimus, cogitet Samuelem, & reliquos, qui non tondebantur.

CANON XLIII.

Licet omni Christiano vitam exercitatricem eligere, & rerum ad vitam pœnitentium deposita tempestate, Monasterium ingredi, & habitu Monachi tonderi, in quacumque prolapsione deprehensus fuerit. Salvator enim noster Deus inquit: eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. *Tamquam ergo Monachali vita agenda instituto in pœnitentia nobis vitam describente, ei, qui ad illud germane ac sincere accedit, acquiescimus ac favemus, nec ulli ei mores impedimentum afferent, quominus proprium scopum adimpleat.*

SCHOLION.

A vita Monastica ne sceleratissimus arcendus, modo velit pœnitentium agere.

VITAM Monasticam esse vitam pœnitentiæ, jampridem Patres tradidere; atque hinc vulgatum illud S. Hieronymi: *Monachus non docentis habet officium, sed plangentis*; quod & præsens confirmat Canon, asserens, quod Monachalis vitæ institutum in pœnitentia vitam describat; hoc est „ quod sicut columna, quod in ea describitur, nobis exprimit, sic & Monastica professio pœnitentiæ imaginem ita effingit ac exprimit, ut eam ex animis nostris elabi aut effluere nunquam omnino patiatur “. Uti Zonaras & Balsamon hic notant.

Cum itaque omni Christiano in quodcumque crimen prolapso pœnitentia neganda non est, decrevit hæc Synodus, *licere omni Christiano vitam exercitatricem* seu Gr. *asceticam*) *eligere*; *& rerum ad vitam pœnitentium deposita tempestate, Monasteriorum ingredi, & habitu Monachi* (sive Gr. *ad instar Monachi*) *tonderi, in quacumque prolapsione* (seu Gr. *delicto*) *deprehensus fuerit*: nimirum ut deposita rerum terrenarum cura pœnitentiam de suo delicto agat, atque ei, qui sic *ad illud institutum germane ac sincere accurrit, acquiescimus ac favemus*, ait Synodus.

Igitur qui gravioribus criminibus obnoxii, vitam solitariam & Monasticam *germane ac sincere* appetunt, ut tamquam veri *pœnitentes* in silentio, & a rerum terrenarum curis expediti peccata sua defleant; qui, inquam, vitam hujusmodi ea intentione suscipiunt, a mente Patrum Monachorum nequaquam recedunt; immo veram se de statu Monastico habere ideam demonstrant.

At sceleribus implicati si ad Monasteria convolent, & recipiantur, ut mox emissa professione ad sacros Ordines ascendant, procul hi a spiritu Canonum & Patrum omnino recedunt. Hi enim peccatores quidem ad Monasteria ut *pœnitentes* recipi optabant, nec ulli ob crimina anteriora vitam Monasticam negari volebant, si ostenderent se *germane*, atque *sincere* vitam Monasticam ad agendam pœnitentiam expetere, & in Monasterio ut veros Pœnitentes vivere velle. At eos mox a professione, aut modico intervallo, ad sacros Ordines mittere, sacris Canonibus est vel maxime adversum, qui pœnitentes & graviorum criminum rei sacris Ordinibus in perpetuum arceri voluerunt, uti pluribus ostendi *Tom. V. in dissert. de instituto Canonicorum part. 2. cap. 3. §. 11.*

Ex his quoque patescit, hunc Canonem non recte applicari Monasteriis, quæ primario non ad fovendos pœnitentes, & peccata sua plangentes ordinantur, sed potius, ut Ministri Ecclesiæ & operarii in vinea Domini alantur & instituantur: quæ si quoscumque etiam gravioribus criminibus infectos recipiant, verendum erit, ne ex ipsis prodeant Ecclesiæ Ministri, qui nondum a suis propriis vitiis plene purgati, potius seipsos in exercitio animarum inficiant, quam alios a peccatis suis expurgent.

CANON XLIV.

Monachus fornicationis convictus, vel qui ad matrimonii communionem, vitaque societatem uxorem duxit, fornicatorum pœnis secundum Canones subjicietur.

SCHOLION.

QUOD fornicatorum pœnis subjiciatur, qui fornicatus est Monachus, est (inquit Balsamon hic) ut „ clementissimum amplectendum & recipiendum. Forte enim dixerit quispiam non ex æquo debere puniri Laicos & Monachos fornicantes. — De Monacho fornicante, aut matrimonium contrahere.

Notat autem Aristenus hic, quod „ fornicatorum pœna sit septem annorum juxta 59. Canon in Basilii magni; duos namque annos deflet, duos audit, duos substernitur, unum cum fidelibus consistit, & octava ad communionem admittitur.

Cum autem major pœna in aliis Canonibus, ac notanter *Can. 16. Chalced.* & *Can. 19. Ancyr.* decernitur in Virgines & Monachos, qui contra promissam Deo virginitatem ad nuptias convolant, vult Balsamon distingnendos sua sponte & ultro suum delictum confitentes, ac ad priorem statum reversos; ab iis, qui delictum pertinaciter negantes, de illo tandem convicti sunt: prætenditque, quod de illis agat præsens Canon, de his vero Canones duriorem pœnam infligentes.

Nescio, num hæc Balsamonis distinctio sat conveniat verbis Canon, qui nullam hujus distinctionis mentionem facit, sciaturque quod nihil frequentius, quam hæc in Canonibus pro temporum & locorum ac personarum varietate, pœnarum diversitas.

Quidquid sit recte hic notat Aristenus: quod juxta hunc Canonem, „ æquales pœnas dabit Monachus sive fornicatus fuerit, sive ad matrimonii communionem uxori conjunctus “. Insuper apparet verisimile, votum Monachale tempore hujus Synodi necdum induxisse impedimentum *dirimens*: cum nulla fiat separationis matrimonii a Monacho contracti mentio; quamvis graviter peccaret fidem Deo datam violando: vide Scholion ad *Canonem* 16. Chalcedonensem.

CANON XLV.

Quoniam intelleximus, in nonnullis Mulierum Monasteriis mulieres, quæ sacro illo amictu sunt induendæ, prius sericis & omnis generis vestibus præterea autem & mundi auro & gemmis variatis ab iis, qui eas ducunt, exornari, & sic ad altare accedentes, exui tanto opum apparatu, & statim in illis fieri habitus benedictionem, illasque nigro amictu indui; statuimus, ne hoc deinceps fiat. Neque enim fas est, ut quæ jam propria voluntate omnem vitæ jucunditatem deposuit, & eam, quæ est secundum Deum, vitæ agendæ rationem amplexa est; firmisque ac stabilibus rationibus eam confirmavit, & ita ad Monasterium accessit per eum, qui interit ac fluit mundum, quorum jam oblita erat, memoriam revocet: & ex eo anceps reddatur, & ejus anima perturbatur instar exundantium fluctuum, hucque & illuc versantium: ut nec nonnunquam lacrymam emittens cordis per corpus compunctionem ostendat: sed & si exigua aliqua, ut est consentaneum, lacryma exilierit, non magis propter affectionem, quam habent propter exercitatorium certamen, quam propterea quod mundum & mundana relinquant, ea evidentibus profluxisse putetur.

SCHO-

SCHOLION.

Moniales cum sæculari ornatu ad professionem non accedant.

PRæSENS Canon improbat consuetudinem, mulieres monastico habitu induendas, splendido vestium apparatu, auro gemmisque conspicuas ad altare sistendi; *& sic ad altare accedentes exui tanto opum apparatu, & statim in illis fieri habitus benedictionem, illasque nigro amictu indui.*

Hic per transennam observa, jampridem notam fuisse vestis Monasticæ Virginibus imponendæ *benedictionem:* vestemque eam *nigram* fuisse.

Rationem improbandi eam consuetudinem subjicit Synodus: *Neque enim fas, ut quæ jam propria voluntate omnem vitæ jucunditatem deposuit, & eam, quæ est secundum Deum, vitæ agendæ rationem amplexa est, firmisque ac stabilibus rationibus eam confirmavit, & ita ad Monasterium accessit, per eum qui interit & fluit mundum* (sive Gr. *per ornatum hujusmodi corruptibilem & caducum*) *quorum jam oblita erat, memoriam revocet, & ex eo anceps reddatur, & anima eius perturbetur,* &c.

Hæc ratio satis insinuat, spiritum hujus Canonis esse sollicite cavere, ne Virginibus Deo dicatis, quæque mundi voluptatibus & illecebris renuntiarunt, ea objiciantur, quæ eorum, quæ oblitæ erant, memoriam revocent; atque rursus in ipsis amorem & desiderium excitare possent eorum, quibus renuntiare proposuerunt, ipsasque, si non opere, saltem affectu retro respicere faciant.

Deplorat Balsamon id, quod hoc Canone Patres pie & sancte prohibuerunt, sua ætate vel maxime fieri a Cellulariis Monasteriis. Causam contemptus hujus decreti refundit Balsamon in hoc, quod ejus contemptoribus supplicium quoque non simul ab eo inducatur.

Cernitur & hodie in quibusdam Monasteriis hujus Canonis contemptus, qui in cupiditatem habendi refundendus apparet, utpote vestibus hisce pretiosiis & mundanis Monasterio appropriari solitis.

CANON XLVI.

Quæ vitam exercitatoriam eligunt, & in Monasteriis sunt constitutæ, ne omnino progrediantur. Si qua autem inexorabilis necessitas eas ad hoc trahit, cum benedictione & promissione eius, quæ præest, hoc agant. Tuncque non solæ per se, sed cum aliquibus vetulis, & quæ in Monasterio primæ sint, cum mandato eius, quæ præfecta est. Eis autem omnino extra cubare non licet. Sed & viri, qui, vitam Monasticam persequuntur, urgente necessitate & ipsi cum benedictione eius, cui regimen creditum est, procedant. Quamobrem qui transgrediuntur id, quod est nunc a nobis decretum, sive sint viri, sive mulieres, convenientibus pœnis subiiciantur.

SCHOLION.

Moniales e Monasteriis non egrediantur.

VIRGINUM Deo dicatarum solitudinem magnopere laudarunt Patres; omnemque vagationem in ipsis admodum periculosam judicarunt: quod & præsens Synodus apprehendens, primo generaliter vetat, mulieres, *quæ vitam exercitatoriam* (seu Gr. *asceticam*) *elegerunt, & in Monasteriis constitutæ sunt, ne omnino progrediantur*, sive Monasterio egrediantur, *Si autem inexorabilis necessitas ad hoc* (scilicet ad *exeundum*) *trahat*, & ne tunc quidem nisi *cum benedictione & permissione eius, quæ præest*: sed & *tunc non solæ per se, sed cum aliquibus vetulis, & quæ in Monasterio primæ sint*, id est, quæ cum ætate grandiores tum moribus præ cæteris probatæ sint; uti notat Zonaras; *cum mandato eius, quæ præfecta est.*

Hac itaque cautione in casu *inexorabilis necessitatis* egressum e Monasterio mulieribus Canon permittit; sic tamen ut extra Monasterium nullatenus pernoctare permittantur per additam hanc clausulam; *eis autem omnino extra cubare non licet*. Verbum *cubare* hic significare *pernoctare* monet Zonaras; adeoque sensum esse, *mulieribus omnino extra Monasterium pernoctare non licere.*

Cæterum quid posterioribus Conciliis, ac notanter a Concilio Trid. *de clausura Monialium* statutum sit, late deduxi in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 30. *cap.* 3.

Monachi non egrediantur nisi urgente, necessitate, & cum benedictione Superioris.

Secunda parte decernit Canon, Monachos non nisi *urgente necessitate*, idque *cum benedictione eius, cui regimen creditum est*, e Monasterio procedi.

Quam enixe solitudinem Monachis Patres tamquam summopere utilem, ac pene necessariam inculcaverunt, uno consensu clamant eorum Regulæ. Et quidem S. Benedictus „ Monasterium, si fieri potest, ita constitui vult, ut omnia necessaria, id est aqua, molendinum, hortus, pistinum, vel artes diversæ intra „ Monasterium exerceantur „. *Ut non sit*, ait, *necessitas Monachis evagandi foras; quia omnino non expedit animabus eorum*, in Regula *cap.* 66.

Notum quoque est illud apud Grat. 16. *quæst.* 1. *Can.* 8. sub nomine Eugenii Papæ. „ Monachus claustro suo sit contentus: quia sicut piscis sine aqua „ caret vita, ita sine Monasterio Monachus. Sedeat „ itaque solitarius & taceat; quia mundo mortuus est, „ Deo autem vivit.

Cæterum de hac Monachorum solitudine, & a sæculo separatione præter eruditas notas Hugenis Menardi ad *cap.* 71. concordiæ Regularum, vide late discurrentem Rancejum Abbatem Trappensem in Tract. de Sanctitate vitæ Monasticæ *cap.* 16.

Quod de benedictione Præfecti accipienda a Monacho foras egressuro dicitur: „ antiquus in „ Monasteriis mos invaluit, ait Hugo Menardus loco citato §. „ 9. ut nunquam Monachus sine benedictione vel ora„ tione sui Rectoris foras progrediatur, ut hac veluti „ circumvallatus, mundi pericula & dæmonum tela „ declinare possit.

Vide etiam quæ de hac a Monachis solitudine servanda dixi in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 27. *cap.* 4.

Cæterum hic Canon rigidius cum mulieribus quem cum viris agit. His enim ex necessitate cum benedictione superioris egredientibus, socios adjungi non jubet.

Secundo viris, ne *extra* Monasterium *urgente necessitate* pernoctent, prohibitum non invenitur.

CANON XLVII.

Neque mulier in virorum Monasterio, neque vir in mulierum dormiat. Extra offendiculum enim & scandalum fideles esse oporteat, & ad id quod decorum ac honestum, Deoque gratum, vitam suam componere. Si quis autem hoc fecerit, sive sit Clericus, sive Laicus, segregetur.

SCHOLION.

Virorum & mulierum Monasteria sint plane separata.

JUSTINIANUS in *Lib.* 44. *Cod. de Episcopis & Clericis* interdixit „ omnibus habitantibus Monasteria, con„ versari cum mulieribus in Monasteriis, aut occa„ sionem aliquam excogitare, qua communicationem „ aliquam cum ipsis habeant, sed ita segregatos esse, „ ut nullam participationem ad invicem ob quamcum„ que causam habeant ipsi, neque excogitari aliquam „ occasionem, vel illis, vel his mutuæ inter se com„ morationis: sed soli per se homines in quolibet Mo„ nasterio degant, a vicinis sibi per quamcumque cau„ sam Monasteriis segregati: solæ item per se mulieres „ non commistæ viris; ut omnibus suspicio indecoræ „ conversationis penitus tollatur.

Ex toto contextu legis evidens est, Justinianum hic agere contra *duplicia* Monasteria, in quibus viri & mulieres simul habitant: ipsumque velle, ut quæ ita instituta erant, separentur; ipsique viri a mulieribus, & e contra mulieres a viris sejungantur, ac distincta Monasteria inhabitent.

Nequidem Presbyter cum Monialibus cohabitet.

Mulieribus autem sic separatis, „ a Deo amantissimo „ Episcopo vult ad divinas peragendas Liturgias, & „ sancta communione participandas unum Presbyterum „ & unum Diaconum honestæ vitæ dari, qui hæc sola „ supra dicta agere debeant, non etiam convesci & „ conversari, aut cohabitare cum ipsis

Episcopi vigilantia in hac re.

Injungit dein Episcopis: „ inspiciant diligenter Mo„ nachorum degentium in Monasteriis sub sua cura „ ordinatis conversationem, & si quos repererint con„ tra hanc ordinationem egisse, pro merito puniant, „ & cogant, ut eorum conversationes sint puræ & se„ paratæ ab omni commercio muliebri. Nam & ipsis „ amantissimis Episcopis (ait) si hoc recte æstimare „ voluerint, perspicuum est, quod ex observatione „ honestæ hujus devotissimorum Monachorum conver„ sationis, & si eis contigerit, nihil indecens aut in„ honestum accidere: Clemens Deus propitius res com„ munes nostræ Reipublicæ secundabit.

Et in *Novella* 133. *c.* 3. statuit, quod „ non ingre„ dientur, neque mulieres in *virile* Monasterium, ne„ que viri in *fœmineum* occasione mortui & ibi sepul„ ti memoriam, vel ob aliam causam, & maxime si „ quis fratrem forte vel sororem, vel aliquem ex genere „ habere in Monasterio dicat: *cognatio enim* (ait) *Mo„ nachis in terra non est, cœlestem zelantibus vitam.*

Ostiariæ Monialium

Plura ibidem pro debita horum observantia præscribit Justinianus; ac præ cæteris exactius, quales esse debeant ii, qui Monialibus divina administrant, & temporalium curam gerunt: una præcipiens Abbatissis, tales aliquas ad Januas ordinari, quæ similiter ingressus & agressus in Monasterium inspiciant, & egressus prohibeant, & inaccessibiles viris ingressus præterquam Apocrysiariis constituant. „ Illi vero ad Ostiariam lo„ quentur, & dicent suum adventum: Abbatissæ vero „ per eas agnoscentes & descendentes his loquentur, „ & illi referent ad illas de earum gubernatione aut „ utilitate, pro qua venerint.

Apocrysiarii.

Per *Apocrysiarios* hic intelliguntur viri ad negotia Monasteriorum procuranda & agenda specialiter constituti; qui & *Responsales* sæpius vocantur.

Concludit dein Justinianus: „ & ita & quæ humana „ sunt agentur bene, & castitas permanebat undique „ a nullo tentata malo.

Conformiter igitur ad has Justiniani Leges hunc Canonem edidit Synodus; cujus disciplinæ exacta ob-

servantia indubie plura & scandala & pericula avertere idonea est : quare & in Monasteriis rite ordinatis diu permansit, & posteriores etiam ordinum constitutiones saepius renovarunt : uti latius ostendi in *Jure Eccl. Tom. I. part. 1. tit. 30. cap. 2. & cap. 3.*

CANON XLVIII.

Uxor ejus, qui ad Episcopalem dignitatem promovetur, communi sui viri consensu prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est ac consecratus, Monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione exstructum, & Episcopi providentia fruatur. Sin autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem provehentur.

SCHOLION.

Uxor promoti ad Episcopatum in Monasterio collocetur.

CERTUM est, quod disciplina Ecclesiae Graecae tempore hujus Synodi non permiserit uxoratis, postquam in Episcopos essent ordinati, suis legitimis uxoribus uti; eamdemque fuisse hujus Ecclesiae circa Episcopos uxoratos disciplinam tempore praesentis Concilii, quae jamquidem fuit, & modo est disciplina Ecclesiae Latinae non tantum circa Episcopos, sed & Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos uxoratos, quorum nulli juxta Ecclesiae Latinae disciplinam uxoribus suis, tametsi legitime *ante* ordinationem ductis, uti possunt post ordinationem.

Hinc Ecclesia Latina nullum conjugatum ad sacros Ordines promoveri vult, nisi ut minus ab uxore continentiam profitente, fuerit absolutus *c. 5. tit. de convers. conjugat.* Quin si uxor juvenis sit, aut talis, quae suspicione non caret, major adhibenda cautio, uti colligitur ex *c. 8. tit. eod.* & hic notant Canonistae.

Circa ordinandam in Episcopum cautionem adhibendam praesenti Canone praescriptam rescripsit Alexander III. in *cap. 6. tit. eod.* nimirum conjugatum in Episcopum non ordinandum „ nisi uxor prius professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, & Religiosam vestem assumat.

Ratio, ob quam absolute & indistincte requirat ingressum Religionis in uxore ordinandi in Episcopum, potius quam in uxore promovendi ad Ordinem sacrum inferiorem, desumitur ex dignitate & eminentia Episcopatus, uti judicatur in integra decretali seu parte decisa, in qua praecitatis verbis praemittitur : „ Quod „ si in quibuslibet Ecclesiasticis gradibus, providenter „ solerterque curandum est, ut in domo Dei nil sit „ inordinatum, nihilque praeposterum : multo magis „ laborandum est, ut in ejus promotione, qui *super* „ *omnes gradus* continetur, ne erretur „. Apud Antonium Augustinum in prima Decretalium collectione additur haec finalis clausula : „ nolumus enim ut viri „ promotio uxori relictae in saeculo, fieri perditionis „ possit occasio.

Disciplina itaque servanda circa uxorem ordinandi in Episcopum hic praescripta, ab Ecclesia quoque Latina est recepta; idque eamdem ob causam, ut nimirum omnis incontinentiae, & carnalis conversationis post ordinationem, vel suspicio evitetur; quam & praesens Canon clarius indicat, dum requirit, ut uxor ingrediatur *Monasterium procul ab habitatione Episcopi extructum*, quod citata Alexandri III. Decretalis non expressit.

Hujusmodi Episcopus habeat curam suae uxoris.

Addit autem Canon de uxore Monasterium ingressa; „ *Et Episcopi providentia fruatur*, id est, corporaliter „ sustentetur, si scilicet sit pauper; sin autem sit locu„ ples, nihil ei ab Episcopo dabitur (ait Balsamon) „ quoniam nec si ipse quidem sit locuples, ex Episco„ patus reditibus quidquam potest in seipsum expende„ re „. Idipsum notavit Zonaras.

Episcopo diviti patrimonio, non licet ex reditibus Eccl. vivere.

Hic obiter nota, hos Canonum peritissimos & probatissimos interpretes nec dubitasse, quin illicitum esset Episcopis ex reditibus Ecclesiasticis vivere, suo reservato patrimonio: eo quod scirent, bona Ecclesiae non in usus divitum ut censum suum patrimonialem augeant, sed in pauperum usus: ut vivant, esse impendenda.

Quando talis uxor fieri possit Diaconissa.

Denique concludit Canon, quod si uxor illius, qui est promotus ad Episcopatum, digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus *dignitatem* provehetur, id est, in *Diaconissam*, cujus frequens in pristinis Canonibus, praesertim Graecis, fit mentio.

CANON XLIX.

Hunc sacrum etiam Canonem renovantes decernimus, ut quae Episcopali voluntate semel consecrata fuerint Monasteria, semper Monasteria maneant, & res, quae ad ipsa pertinent, Monasterio serventur, & ea non possint esse amplius saecularia habitacula, nec ab ullo ex omnibus saecularibus tradi hominibus. Sed etiam si hoc hucusque factum est, hoc nequaquam servandum decernimus, eos autem, qui deinceps hoc facere aggrediuntur, Canonum poenis subjici.

SCHOLION.

CANON hic renovatus, est *Canon 24.* Chalcedonensis, cujus Scholion consule. Hoc interim observandum, quomodo Canones etiam Conciliorum generalium in desuetudinem sensim abeant, nisi Episcoporum & Pastorum cura invigilet; eosque saepius in usum esse revocandos exemplo hujus Synodi.

Renovatur Canon XXIV. Chalced. de Monasteriis non convertendis in usus profanos.

Nec dubium quin satius frequenter esset jam a Patribus Canones editos renovare, & in usum revocare, quam novos condere.

CANON L.

Nullum omnium, sive Clericum, sive Laicum, ab hoc deinceps tempore alea ludere. Si quis autem hoc deinceps facere deprehensus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur: Si vero Laicus, segregetur.

SCHOLION.

Ludus alearum vetitus.

ETIAM apud Gentiles alearum usum fuisse reprobatum multis probat Christianus Lupus in Scholio ad hunc Canonem, & quid posteriores Canones, ac praesertim Synodorum Belgicarum super hac re decreta habeant notavimus in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 2. cap 5.* Interim ex poena ludentibus alea Clericis & Laicis hoc Canone inflicta, intelligimus, Patres apprehendisse lusum hunc & Clericis & Laicis admodum esse perniciosum & indecentem.

CANON LI.

Omnino prohibet haec sancta & universalis Synodus eos, qui dicuntur, Mimos, & eorum spectacula; deinde venationum quoque spectationes, atque in scena saltationes fieri. Si quis autem praesentem Canonem contempserit, & se alicui eorum, quae sunt vetita, dederit, si sit quidem Clericus, deponatur, si vero Laicus, segregetur.

SCHOLION.

MIMI sive Mimorum ludicrae artes sunt (uti notavit hic Zonaras) qui „ nunc Arabas, nunc Armenios, nunc servi personam, nunc quaedam imitatione effingentes colaphis sibi invicem impactis, strepituque incomposito risus immodicos movent, rudiorumque proinde animos quodam quasi furore per„ cellunt.

Quaenam venationum spectacula vetita.

Circa venationum spectationes sive spectacula monet hic Zonaras : „ Venationum vero spectacula, quorum „ spectationes hic prohibentur non Clericis duntaxat, „ sed & Laicis, non ea intelligenda esse, cum ferae „ canum ministerio, aut alia simili ratione captantur; „ nec enim spectaculi vicem, sed actionis potius cujus„ dam ea res obtinet. Verum in magnis urbibus ferae „ bestiae, Leones nimirum, Ursique alebantur, quae „ quidem cum statis temporibus producerentur in thea„ trum, ibique vel cum hominibus aut captivis aut „ rei capitalis damnatis committerentur, plures eo „ aspectu oblectari soliti sunt. Ea igitur spectacula, „ quippe saevitiae adstantium argumenta, quia aliena „ clade ad suas ipsi voluptates abuterentur, edi ve„ tat Canon.

Rationem prohibitionis praemisit ibidem Zonaras dicens : „ non remisse aut dissolute vitam instituere, sed „ eam quae sanctos viros decet, morum integritatem „ ac severitatem tueri, ex praescriptio Evangelicae di„ sciplinae fideles jubentur. Igitur ea omnia, per quae „ animus minime necessaria remissione laxari, ejus„ demque contentio dissolvi potest, undeque risus im„ modici & cachinnationes existunt, vetita hujus Ca„ nonis decreto atque interdicta fuere.

Notat Balsamon hic non agi de Clericis aut Laicis, qui hujusmodi intersunt (de quibus actum supra *Can. 24.*) sed de iis, qui his ludis & spectaculis exhibendis se dedunt, eorumque exercitium profitentur; quod gravius; ideoque hi simpliciter & indistincte deponi aut segregari jubentur: Canon autem 24. Clericos & Monachos ad ea accedentes demum deponi jubet, si non cessent; scilicet postquam moniti fuerint.

Monet in Scholiis ad hunc Canonem Christianus Lupus: „ hodiernos Latinae linguae professores adolescen„ tulorum saltus tamquam praecipuum ornatum scenis „ suis introducentes, graviter impingere in Regulas „ Christianas.

CANON LII.

In omnibus sanctae Quadragesimae jejunii diebus, praeterquam Sabbato & Dominica, & sancto Annuntiationis die, fiat sacrum praesanctificatorum ministerium.

SCHO-

S C H O L I O N.

Missa præsanctificatorum.

JAMPRIDEM Græcos quadragesimalis jejunii diebus uti *præsanctificatis* satis notum est.

Hoc autem præsenti Canone præscribitur, ut in omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus fiat *præsanctificatorum* ministerium.

Dicitur Missa *ministerium* vel Liturgia *præsanctificatorum*, sive *antisanctificatorum*, vel etiam *anticonsecratorum*; quia dum ipsa Liturgia agitur, non consecratur corpus aut sanguis Christi; sed consecratis antecedentibus diebus utitur Sacerdos, eaque absumit, quæ cum jam *præsanctificata*, sive *anticonsecrata* sint, nomen *præsanctificatorum* huic Liturgiæ sive Missæ dederunt.

Hinc in commentario hujus Canonis dicit Balsamon: „ præsanctificatorum autem ministerium incruentum sacrificium non dicimus, sed oblationem *prius oblati*, „ & perfecti sacrificii sacrique mysterii.

Similiter Zonaras testatur, quod diebus illis, quibus hoc præsanctificatorum ministerium agitur „ neque ullus tunc quidem sacrificii incruenti usus admittitur, „ sed eorum, quæ *jam consecrata semel*, atque altari „ admota sunt, oblatio iteratur.

Fatentur ergo Græci, panem semel oblatum & consecratum, rursus alio die, non quidem denuo consecrari; sed anticonsecratum & præsanctificatum denuo offerri: quemadmodum & in Ecclesia Latina ipso die Parasceves offertur panis consecratus sive præsanctificatus præcedenti Feria V.

Ritus horum præsanctificatorum fere idem est apud Græcos, qui observatur apud nos Latinos in Cœna Domini, præter hostiam eo die a Sacerdote consumendam, consecrant & panem, sive hostiam reservandam in diem sequentem, ut nunc denuo offeratur, & a Sacerdote sumatur; ita apud Græcos diebus Dominicis aut Sabbatis Quadragesimalibus, plures alii panes pro sequentibus diebus consecrantur; qui panes consecrati, post communionem in pyxide ad id destinata asservantur, & in sanctuario reponuntur, quemadmodum apud nos hostia consecrata ad aliud altare in Cœna Domini defertur, ac ibidem in diem sequentem asservatur.

Cum autem Missa præsanctificatorum celebranda est, panis præsanctificatus tunc apud Græcos etiam præscripto ritu ex pyxide acceptus ad sanctam mensam defertur; ritu tamen nonnihil a nostro ritu diverso.

Apud Græcos enim Diaconus supra caput suum discum cum pane consecrato fert: Sacerdos vero in manibus calicem vini aqua mixti non consecrati.

His actis & pane præsanctificato ad sanctam mensam delato „ nulla precatio ex mysticis & sanctificantibus super præsanctificatis dicitur, sed tantummodo Sacer„ dos unam solamque deprecationis formulam, ut di„ gnus propositorum particeps fiat, recitat": uti scribit Michael Patriarcha Constantinopolitanus apud Leonem Allatium.

Hac autem precatione dicta panis præsanctificatus in calicem mittitur; quemadmodum & apud nos particula hostiæ consecratæ in calicem vini aqua mixti non consecrati immittitur.

Vinum mutari in sanguinem Christi ipsa præsanctificatis commixtione, nonnulli Græci autumant.

Itaque nec apud Græcos in hac Missa ulla fit consecratio: quamvis e recentioribus Græcis nonnulli sustinuerint, panis consecratio commixtione vinum non consecratum, absque ullis verbis consecrationis, transmutari in sanguinem; ita enim loquitur citatus Michael Patriarcha Constantinopolitanus apud Leonem Allatium in dissertatione de Missa præsanctificatorum, qui ibidem describens ritum præsanctificatorum ait: „ Præsanctificatus in mysticum calicem injicitur, & sic „ vinum, quod in eo est, in sanctum Domini sangui„ nem immutatur „. Consonat Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis in responsis ad Gabrielem Pentapolitanum scribens: „ non invocatione Spiritus sancti & il„ lius signaculi, quæ in calice sunt, in præsanctifica„ torum Missa sanctificantur, sed participatione & unio„ ne vivifici panis, qui vere corpus Christi est.

Ex hac quorumdam Græcorum persuasione verisimiliter sensim invaluit, ut in Ecclesia Constantinopolitana panis præsanctificatus non tingeretur sacro sanguine, uti memoratus Michael ejusdem Ecclesiæ Patriarcha testatur, dicens. „ Ex panibus hac ratione perfe„ ctis, reponuntur quotquot occasio usufque exigit, „ perfecti, vivifici, & variarum divinarum gratiarum „ pleni: illis licet credantur, & sint ipsissimum vivi„ ficans Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi „ corpus, *nulla gutta divini sanguinis infunditur*; qui „ sic reponuntur absque simili aspersione „. Apud Leonem Allatium in citata *dissertatione num.* 18.

Præsanctificata sacro sanguine olim apud Græcos tingebantur.

At in Græcorum generali Euchologio expresse præscribitur, ut panis præsanctificatus priusquam reponatur, *sacro sanguine* tingi debeat, idque hoc ritu ibidem præscripto: „ Tunc demum accepto sancto cochleari, „ dextera manu intingit illud in sancto sanguine, sini„ stra autem manu accipit singulos panes, & profert „ sanctum cochlear sancto sanguine tinctum, & admo„ vet illud sancto pani in formam crucis ad eam par„ tem, in qua effigiata est crux.

Itaque admodum probabile est, hunc ritum omissum fuisse in Ecclesia Constantinopolitana, postquam ibidem invaluit opinio, quod per immixtionem panis consecrati vinum in calice contentum sine ullis consecrationis verbis in sanguinem mutaretur. Verum hanc Græcorum recentiorum opinionem tamquam commentitiam & noviter inventam, nulloque vel probabili innixam fundamento, multis refutat citatus Leo Allatius in citata *dissertatione de Missa præsanctificatorum nu.* 19.

Missa præsanctificatorum fiebat diebus jejuniorum Quadragesimalium.

Ratio autem, ob quam Græci in diebus præsertim Quadragesimalibus utantur Missa præsanctificatorum communiter assignatur, quod „ Jejuniorum tempora „ mœrori potissimum dicata, expiandisque intimo ani„ mi dolore cujusque criminibus constituta sint. Deo „ porro sacrificare festivæ celebritatis sit, ea vero „ celebritas hilaritatis atque lætitiæ. At quo pacto „ quispiam & mœrere potest, & gaudio simul effundi „ ? Ita Zonaras hic, cui Balsamon, aliique Græci passim consentiunt.

Hinc haud obscurum est, quare in præsenti Canone excipiantur dies *Dominicæ* & *Sabbati*, atque *sanctus Annuntiationis dies* (a); quia illis diebus apud Græcos non jejunatur; ideoque nihil vetat integrum sacrificium cum lætitia iis diebus celebrari.

C A N O N LIII.

Quoniam spiritalis necessitudo seu affinitas, corporum conjunctione major est; in nonnullis autem loci cognovimus quosdam, qui ex sancto & salutari baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus eorum viduis matrimonium contrahere, statuimus, ut in posterum nihil fiat ejusmodi. Si quis autem post præsentem Canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem primo ab hoc illicito matrimonio desistant, deinde & fornicatorum pœnis subiiciantur.

S C H O L I O N.

Impedimentum matrimonii ex cognatione spirituali.

HUic decreto verisimiliter occasionem dedit constitutio Justiniani relata in *Leg.* 26. *Cod. de nuptiis*, qua decernitur, quod ea persona omnimodo ad nuptias venire prohibenda sit, quam aliquis, sive alumna sit, sive a sacrosancto suscepit baptismate, hac subjuncta ratione: „ Cum nihil aliud sic inducere potest pater„ nam affectionem & justam nuptiarum prohibitionem, „ quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante „ animæ eorum copulatæ sunt.

Licet in hac lege duntaxat agatur de nuptiis susceptoris cum suscepta; nihilominus inducta hac prohibitione & affinitate, pronum fuit, ut hæc conjunctio, ex hujusmodi nexu, qui supra carnalem nexum extolli hic videtur, resultans, ad matrem susceptæ prolis extenderetur.

Immo ex ratione in Canone allegata (quæ in substantia convenit cum ratione in citata Lege proposita) haud difficile fuit hujus spiritualis affinitatis impedimentum, ad exemplum consanguinitatis carnalis, in plures personas & gradus protendere, uti latius ostendi in *Jure Eccl. Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 13. *c.* 6. ibi una notavi quomodo hoc impedimentum per Synodum Tridentinam fuerit restrictum.

C A N O N LIV.

Cum divina scriptura nos aperte doceat: non ingredieris ad omnem consanguineam carnis tuæ ad revelandam ejus turpitudinem, *divinus Basilius nonnullas prohibitas nuptias in suis Canonibus enumeravit, multis silentio præteritis, & his utrisque nobis utilitatem attulit. Turpium enim nominum multitudine evitata, ne verbis orationem pollueret, generalibus nominibus impuritates complexus est, per quas legibus vetitas nuptias nobis in summa ostendit. Quoniam autem propter ejusmodi silentium, & quod non discerni posset illicitarum nuptiarum prohibitio, seipsam natura confundit: nobis visum est ea paulo apertius exponere, ab hoc deinceps tempore decernentes, ut qui cum patrui sui filia matrimonii societatem inierit, vel pater & filius, qui cum matre & filia; vel cum duabus puellis sororibus, pater & filius, vel cum duobus fratribus mater & filia, vel fratres duo cum duabus sororibus, in septennii Canonem incidant, iis procul dubio separatis a nefario contubernio.*

S C H O L I O N.

Impedimentum consanguinitatis & affinitatis.

PER Canones S. Basilii, quorum hic meminit Synodus, intelligitur ejusdem Sancti epistola ad Diodorum Tarsensem Episcopum. Interrogaverat quispiam, an fas fit demortuæ ejus uxoris sororem in matrimonium ducere? Quod plane illicitum esse ibidem ostendit Basilius, eaque occasione de illicitis nuptiis inter affines fusius discurrit; atque in ipso epistolæ exordio hoc notandum ponit principium & fundamentum: „ Primum „ ergo quod & in hujusmodi rebus maximi momenti „ est,

(a) Ex eo Canone LII. constat a Græcis sæculo septimo celebratum fuisse festum *Annuntiationis* de antiquitate hujus festi docte disseruit Dominus Van-Espen *Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 3. *de celebratione festorum cap. nu.* 14. hujus editionis.

,, eſt, conſuetudinem apud nos objicere poſſumus legis vires habentem, eo quod a ſanctis viris ritus nobis traditi ſunt. Ea autem eſt ejuſmodi: ſi quis unquam imparitatis affectu ſuperatus, ad inhoneſtam duarum ſororum ſocietatem lapſus ſit, nec hoc matrimonium exiſtimandum, nec eos ad Eccleſiaſticum cœtum prius admittendos, quam a ſe invicem ſeparentur: quare & ſi nihil aliud dici poſſet, ad mali vitationem ſufficeret conſuetudo.

Poſt hæc probat, in lege veteri nihil occurrere, quod hujuſmodi matrimonio favet; immo & in lege veteri hoc matrimonium vetitum fuiſſe contendit: Illud enim (ait) *non ingredieris* ,, *ad quemvis conſanguineum carnis tuæ, ad revelandam eorum turpitudinem*, hoc quoque conſanguinitatis genus comprehendit. Quid enim poteſt homini ſua uxore magis eſſe conſanguineum, vel potius ſua carne (non ſunt enim amplius duo, ſed una caro) quare per uxorem ſoror ejus tranſit ad viri conſanguinitatem.

Hæc epiſtola S. Baſilii, inter Canones ejuſdem Doctoris commentariis Theodori Balſamonis, aliorumque Græcorum illuſtratos, & a Guillelmo Beveregio *tomo* 2. pandectarum Canonum Eccleſiæ Græcæ nuper inſertos, conſtituit *Canonem* 88. ejuſque meminit, ſive ad eam epiſtolam remittit ipſemet Baſilius *Can.* 23. epiſtolæ Canonicæ ad Amphilochum dicens: ,, De his autem, qui duas ſorores uxores ducunt, vel eis, quæ duobus fratribus nubunt, *a nobis edita eſt epiſtola*, cujus exemplum tuæ pietati miſimus. Qui autem ſui fratris uxorem accepit, non prius admittatur, quam ab ea receſſerit.

Synodum Trullanam impedimentum affinitatis longius protendere, quam ipſe Baſilius in hoc Canone aut epiſtola expreſſerat, ex hoc Canonis contextu manifeſtum eſt, & ipſa Synodus non obſcure fatetur, quemadmodum & in Eccleſia Latina late admodum protenſum fuiſſe notavimus in *Jure Eccleſ. Tom. II. part.* 2. *ſect.* 1. *tit.* 13. *cap.* 6. ubi videri poteſt, ad quos terminos hodie apud nos reſtrictum ſit.

Per *Canonem ſeptennii* hic intelligitur Canon 77. S. Baſilii; quo declarat, a Patribus Canonice ſtatutum eſſe, ut iis, qui ſibi legitime copulatam dimittunt, & aliam ducunt ,, Anno defleant, biennio audiant, triennio ſubſternentur, ſeptimo cum fidelibus conſiſtant, & ita oblatione digni habeantur, ſi cum lacrymis pœnitentiam egerint.

Deinde Canone 78. ſubjungit Baſilius: ,, Eadem autem forma obſervetur & in iis, qui *duas ſorores* in matrimonio accipiunt, etſi diverſis temporibus.

Hujus igitur Canonis pœnam ſeu pœnitentiam Patres hujus Synodi extenderunt ad omnes, qui nuptias contra prohibitionem hoc Canone expreſſam contraxerint: quod & Ariſtenus obſervavit.

CANON LV.

Quoniam intelleximus in Romanorum civitate, in ſanctis Quadrageſimæ jejuniis, in ejus Sabbatis jejunare præter Eccleſiaſticam traditam obſervationem: ſanctæ Synodo viſum eſt, ut in Romanorum quoque Eccleſia inconcuſſe viros habeat Canon, qui dicit: Si quis Clericus inventus fuerit in ſancto die Dominico vel Sabbato jejunare, præter unum & ſolum, deponatur: ſin autem Laicus, ſegregetur.

SCHOLION.

Canon ab Eccleſia Romana non receptus circa jejunium diei Sabbati.

CANON, quem hic inculcat Synodus, quemque etiam ab Eccleſia Romana inviolabiliter obſervari præcipit, eſt LXV. inter *Apoſtolicos*, eumque ab ipſis Apoſtolis editum fuiſſe Patres hujus Synodi ſupponunt; ideoque acrius quam oportuit, conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ jejunandi die Sabbati reprobaſſe videntur. Unde & hic unus eſt ex Canonibus, quos Eccleſia Romana numquam recepit. Repete Scholion ad dictum LXV. Canonem Apoſtolorum.

CANON LVI.

Similiter accepimus, & in Armeniorum regione, & in aliis locis, in Sabbatis & Dominicis ſanctæ Quadrageſimæ quoſdam ova & caſeum comedere. Viſum eſt ergo & hoc, ut omnis Dei Eccleſia, quæ eſt in univerſo terrarum orbe, unum ordinem ſequens, jejunium perficiat, & abſtineat ſicut ab omni mactabili, ſic ab ovis & caſeo, quæ quidem ſunt fructus & fœtus eorum, a quibus abſtinemus. Si autem hoc non ſervaverint: ſi ſint quidem Clerici, deponantur: ſin autem Laici, ſegregentur.

SCHOLION.

Quæ ex carne originem trahunt, diebus jejuniorum vetita.

OSTENDIT hic Canon, veteres Græcos, licet Quadrageſimæ diebus Dominicis & Sabbatis non jejunarent, a carnibus tamen abſtinuiſſe; credidiſſeque abſtinentiam a carnibus inferre neceſſario abſtinentiam ab iis omnibus, quæ ſementinam ex carne trahunt originem; quod & Latinos olim in Quadrageſima obſervaſſe, & etiamnum in quibuſdam regionibus in uſu eſſe notum eſt. Vide *Can.* 6. *diſt.* 4. ex reſponſo S. Gregorii Papæ ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum.

Extat ad calcem Balſamonis commentariorum in Canones in editione Pariſienſi, Niconis tractatus de Armeniorum, qui hic memorantur, religione; quem integrum exhibuit Beveregius in notis ad hunc Canonem. In hoc autem tractatu de his Armeniis ſcribitur: ,, Concedunt autem ut in Sabbatis & Dominicis ſanctæ Quadrageſimæ ovum & caſeum & butyrum, & in primis eorum univerſalis Epiſcopus, & eſt apud eos Canon, qui dicit: Si quis butyrum, caſeum, & ovum, vino & oleo non æquivalere exiſtimant, anathema ſit ,,. Plura ibidem videri poſſunt, in quibus tam circa fidei quam diſciplinæ puncta ab Eccleſia recederent hi Armeni, quorum hic Canon meminit.

CANON LVII.

Quod ad altare mel & lac offerre non oportet.

SCHOLION.

Mel aut lac ad altare non offerendum.

PRO elucidatione hujus Canonis, repetenda quæ notata ſunt in Scholiis ad *Canonem* 3. vulgo Apoſtolorum; item ad *Canonem* 37. Codicis Africani; necnon ad *Canonem* 28. præſentis Synodi.

In die Paſchæ fieri permittit Canon XXXVII. Africanus.

Præſens Canon ſimpliciter & abſolute omnem *mellis & lactis* oblationem *ad altare* interdicere videtur; atque ita improbare citatum *Canonem* 37. Codicis Africani, qui permittit *lac & mel uno die ſolemniſſimo in infantium myſterio offerri*; modo tamen ſuam habeat propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominici corporis & ſanguinis diſtinguantur.

Per *unum illum diem ſolemniſſimum* intellexerunt Patres Africani, ſolemnitatem *Paſchalem*, quando Neophytis de fonte baptiſmatis egredientibus, tamquam infantibus in Chriſto renatis, guſtandum dabatur *lac & mel*, de quo ritu apud Latinos ſuo tempore adhuc vigente ſcribit S. Hieronymus in *commentariis Iſaiæ cap.* 55.

,, Mos in Occidentis Eccleſiis hodie uſque ſervatur, ut *vinum lacque* tribuatur ,,. Et in *libro contra Luciferianos*, inter ea quæ per traditionem obſervantur in Eccleſiis, pro exemplo adfert. ,, Velut de ſancto fonte egreſſos *lactis & mellis* prægustare concordiam ad infantiæ ſignificationem.

Plura de hoc ritu, qui multis ſæculis in Eccleſia Latina viguit, notavi in *Jure Eccleſ. Tom II. part.* 2. *ſect.* 1. *tit.* 2. *c.* 4. *nu.* 48. permittunt igitur Patres Africani, ut ob hunc ritum, quem *myſterium infantium* vocant, mel & lac in altari uno die Paſchatis offerantur, & ſpecialem ac propriam benedictionem accipiant.

Canon III. Apoſt. ſimpliciter id vetat.

At Græci preſſius & ad litteram inherentes *Canoni* 3. vulgo Apoſtolorum, vetanti offerri in altari alia quam *Dominus ordinaverit*, mel & lac offerri vetuerunt, Latinorum ritum Canone Carthaginenſi probatum, & ab Eccleſia Latina ubique receptum improbantes, quaſi ab *Apoſtolico Canone* devium, uti notat Lupus.

Nec mirum Græcos tam tenaciter Canoni Apoſtolorum inhærere: nam ut ſupra notatum eſt, Græci, tempore hujus Synodi, Canones vulgo *Apoſtolorum* ab ipſis *Apoſtolis* conditos crediḍiſſe videntur, & conſequenter quidquid iis continebatur, ab Apoſtolis traditum eſſe; ideoque & quidquid his Canonibus contrarium ipſis videbatur, paſſim reprobarunt.

CANON LVIII.

Nemo eorum, qui ſunt in ordine Laicorum, divina ſibi myſteria impertiat præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono. Qui autem tale quid auſus fuerit, ut præter ea quæ ſunt conſtituta faciens, una ſeptimana ſegregetur, & ex eo doceatur non amplius ſapere, quam ſapere oportet.

SCHOLION.

Laici S. communionem, præſente Epiſcopo Presbytero, vel Diacono ſibi non impertiant.

PRIMIS ſæculis uſitatum fuiſſe, ut fideles ſecum domum referret ſacram Euchariſtiam; atque domi propriis manibus eam ſumerent, notum eſt; conſtatque id Anachoretis & Monachis deſerta incolentibus uſitatum fuiſſe, uti videre licet apud Cardinalem Bona *lib.* 2. *Rerum Liturg. cap.* 17.

Porro ex hac domeſtica communione fluxiſſe videtur abuſus, qui hoc Canone notatur, quod ſcilicet quidam in ordinem Laicorum etiam in *publicis conventibus* divina ſibi *myſteria impertirent præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono*; quibus tamquam Præſidentibus in publicis Eccleſiæ conventibus myſteriorum Dei diſpenſatio competit; de quibus jampridem dixit Tertullianus libro *de Corona militis cap.* 3. ,, Euchariſtiæ Sacramentum non de aliorum manu, quam Præſidentium ſumimus.

Non itaque hic Laici culpantur, quia manu *ſua* Euchariſtiam contingerent, & ori ſuo admoverent (quod olim uſitatum fuiſſe monet Cardinalis Bona loco citato) ſed quia ſuperbiendo, ſacris initiatorum Præſiden-

dentium officium sibi arroganter usurparent. Hoc itaque Canone similium superbia retunditur; uti & indicant hæc finalia Canonis verba: *ex quo doceantur non amplius sapere, quam sapere oportet.*

CANON LIX.

In æde oratoria, quæ est intra domum, baptismus nequaquam peragatur: sed qui illuminatione ab omnibus sordibus aliena digni habendi sunt, ad Catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Si quis autem, quæ a nobis constituta sunt, non servare convictus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur: si autem Laicus, segregetur.

SCHOLION.

In privatis oratoriis Baptismus non conferendus.

Baptismum in Catholicis sive communibus Ecclesiis, seu conventibus celebrandum esse variis Canonibus decretum fuit; & præsenti Canone rursus confirmatur: & merito. Scimus enim, quam facile in sacrorum mysteriorum dispensationem abusus irrepant; & inordinata atque a dignitate ac sanctitate horum mysteriorum aliena committantur, dum ea occulte ac privatis in oratoriis & locis a Sacerdotibus dispensantur.

Hinc & disciplina hæc usque ad nostra etiam tempora conservata, & sæpius innovata fuit juxta *Clementinam unicam de Baptismo*, eamque in Synodis, & ritualibus nostris Belgicis sæpius renovatam, annotavi in *Jure Eccles. Tom. II. parte 2. sect. 1. tit. 1. cap. 3.*

Quod autem præsens Synodus, Clericum contravenientem deponi, Laicum vero segregari jubeat, id intelligi debet de iis, qui propria auctoritate & sine necessitate id tentare præsumpserint; uti hic notat Zonaras.

CANON LX.

Cum clamet Apostolus, quod qui Domino adhæret, unus est spiritus; *clarum est quod qui etiam cum contrario init familiaritatem ac consuetudinem, cum illo conjunctione unum sit. Eos ergo, qui se Dæmone correptos esse simulant, & morum improbitate eorum figuram & habitum simulate præ se ferunt, visum & omnimodo puniri, & ejusmodi afflictionibus laboribusque eos subjici oportere, quibus ii, qui vere a Dæmone correpti sunt, ut a Dæmonis operatione liberentur, jure subjiciuntur.*

SCHOLION.

Contra eos qui se a Dæmone obsessos simulant.

Agit præsens Canon de his, *qui se a Dæmone correptos esse simulant, & morum improbitate eorum figuram & habitum simulate præ se ferebant.*

Supponit igitur Canon, quod reipsa nonnulli a Dæmone correpti essent; quique & *figura* & *habitu* se tales ostenderent: quos hi simulatores & illusores imitabantur.

Insuper supponit Canon, quod hi illusores non tantum simulate præ se ferrent figuram & habitum Energumenorum; sed etiam cum Dæmone *inirent familiaritatem & consuetudinem*; atque ita cum *eo unum fierent*: ideoque “& cum mala Satanica conscientia quædam Dæmoniaca instar Vatum Gentilium prædicabant”. Ut monet Balsamon hic.

Deplorat autem ibidem Balsamon, “quod videret ejusmodi complures civitates obeuntes & non puniri, sed ut sanctificatos a quibusdam, obviis ulnis, excipi.

Monet autem Zonaras hic, quod homines quidam se a Dæmone correptos etiam suo tempore simularent, ut hac simulatione *ad quæstum* abuterentur: quod & modo contingere haud dubiæ sæpius deprehenderetur, si serio in eos, qui a Dæmone se possessos asserunt, inquireretur, & prout oportet, examinarentur.

CANON LXI.

Qui vatibus seipsos tradiderunt, vel qui Hecatontarchæ seu Centuriones dicuntur, vel aliis ejusmodi, ut ab iis discant, si quid sibi revelari velint, convenienter iis, quæ de ipsis a Patribus constituta sunt, sexennii Canonis subjiciantur. Ipsi autem eos quoque subjici oportet, qui ursas, vel ejusmodi animalia ad ludum & simpliciorum noxam circumferunt, & fortunam ac fatum, & genealogiam, & quorumdam ejusmodi verborum multitudinem ex fallaciæ imposturæque nugis proferunt: eosque qui nubium expulsores, & incantatores, & amuletorum præbitores, & vates appellantur. Eos autem, qui in iis persistunt, & non ab ejusmodi perniciosis Gentilibusque studiis avertuntur & aufugiunt, Ecclesia omnino exturbandos decernimus, sicut & sacri Canones dicunt. Quæ enim est luci cum tenebris communicatio? *ut ait Apostolus:* vel quæ Templo Dei cum idolis consensio? vel quæ fideli cum infideli pars est? quæ autem Christo est cum Belial concordia ac conventio? *2. Cor. cap. 6.*

SCHOLION.

Contra eos, qui vates, puta palmæ inspectores consulant.

De variis præstigiarum & magicarum artium speciebus agit præsens Canon, eosque, qui iis utuntur, aut se addixerint utentibus, punit.

In primis “qui vatibus seipsos tradiderunt, vel aliis hujusmodi, ut ab illis discant, si quid sibi revelari velint, convenienter iis, quæ de ipsis a Patribus nuper constituta sunt, sexennii Canonis subjiciuntur” id est, sexennali pœnitentiæ subjici debent.

Vates dicuntur, ait hic Balsamon, “palmæ inspectores, iique qui in pelve divinant, & ii qui per sacrificia Patrum suum Satanam de re aliqua interrogant: & omnes, ut semel dicam, qui per quædam signa ex suggestione Dæmoniaca scire futura profitentur, & se Dæmoni addicunt.

„ Centuriones sunt (ait Balsamon) qui a nobis *Primicerii* dicuntur; erant autem antiquitus homines senes, utique prudentiores, & se reliquis consulere præ se ferentes; quidem perexecrabiles hujusmodi operationes simpliciores seducerent, ut pseudothei, colebantur.

Qui igitur similibus se addixerint, *ut ab illis discant; si quid sibi revelari velint*, sexennali pœnitentiæ subjiciuntur.

Si Episcopi & Pastores sedulo invigilarent, experirentur, nec hodie deesse hujusmodi hominum genus; atque hos a simplicioribus futurorum cupidis sæptus consuli, *ut ab illis discant, si quid sibi revelari velint.*

Vidimus hic non ita pridem viros & mulieres, qui se *Ægyptios* dicebant, per Belgium vagantes, profitentes *Chyromantiam*, id est futurorum prædictiones ex inspectione *manuum*; præsertim circa annos vitæ, faustorum aut infaustorum eventus, quos simplex populus futurorum curiositate ductus & nimium credulus & superstitiosus consulebat. De quo vide *Jus Eccles. Tom. IV. part. 3. tit. 4. cap. 5. num.* 48. ubi una notavimus, Carolum V. & Philippum II. suis respective edictis vetuisse, hoc hominum genus in his Provinciis versari; uti & eorum asseclas, vel qui se tales dicerent, eorumve habitu uterentur, sub pœna confiscationis corporis & bonorum.

Contra magicos ferarum circumductores.

Secundo subjicit præsens Canon sexennali pœnitentiæ eos, qui *ursas vel hujusmodi animalia, ad ludum & simpliciorum noxam circumferunt.* “Suspensas enim (ait Zonaras hic) & corporibus ferarum tincturas, detractosque iisdem pilos pro amuletis contra morbos & fascinationes mulierculis tradunt: illæque pretium quasi accepto necessario medicamento, persolvunt, infantesque suos, veluti probato ad calamitates avertendas remedio, feræ tergo imponi rogant”. Simili colore hosce ursarum circumductores depingit Balsamon.

Contra astrologos.

Tertio *nubium persecutores* eidem pœnitentiæ subjicit Canon, hi autem dicuntur “qui, quæ multis ignota sunt, ex *nubibus* prænuntiant”. Ut scribit Balsamon addens: “Nonnulli enim *nubes* aspicientes, & præcipue quando sole occidente sunt maxime cadentes, sex iis scire veritatem nugantur: & ex hac quidem *nube*, quæ columbæ (Græce περιστερ. dictæ) est similis, dicunt πενσαιν, hoc est casum vel eventum interroganti imminere; ex altera, quæ homini ensem intentanti similis est, bellum significant; ex alia, quæ est Leoni similis, Imperatoris mandatorum executionem prædicunt, & alias quasdam alienas nugas.

Contra incantatores.

Denique eidem pœnitentiæ addicit Canon eos, *qui incantatores, & amulatorum præbitores, & vates appellantur.*

De his amuletorum præbitoribus, & incantatoribus agit S. Chrysostomus in homilia *de statuis*; ubi respondet iis, qui has incantationes justificare volebant, quia quæ incantat si *sit mulier Christiana, & nihil aliud quam Dei nomen loquatur*: respondet Chrysostomus: „ propterea ergo eam magis odi & aversor, quæ Dei nomine in eo abusa est, quod cum dicat se Christianam, ea quæ sunt Græcorum ostentet.

Contra amuletorum præbitores.

„ Amuletorum præbitores dicuntur (inquit Balsamon) qui fraude Dæmonis iis, qui a se decipiuntur, sacculos quosdam ex sericis filis contextos, qui & πουγγία dicuntur, præbent, quæ aliquando quidem intus habent scripturas, aliquando vero falsa quædam alia, & quæcumque inciderent. Dicunt autem hæc juvare, si ex collis eorum, qui illa accipiunt, perpetuo pendeant, ad omne malum vitandum.

Levius puniendi, qui peccata ultro confitentur.

Observandum in præsenti Canone monet Balsamon, quod levius puniantur, qui peccata ultro confitentur, & ultro & spontanee convertuntur; quam qui in malo perseverant, & inviti ad id quod est melius traducuntur, graviter puniantur.

Nam qui ad vates similesque accesserit, & peccatum confessus est, per *sexennii* segregationem punitur, vel etiam mitius, si Episcopo videbitur, qui vero in malo persistit, & ab ejusmodi perniciosus gentilibusque studiis non avertitur, & aufugit, *Ecclesia omnino exturbandos*

tur-

turbandum Synodus decernit, *sicut*, ait, *sacri Canones dicunt*.

Porro ex gravitate pœnæ sive pœnitentiæ, quæ hic infligitur, intelligere possumus, Patres non leve hoc peccatum existimasse.

Seduli ac vigilantes Pastores passim deplorant, plurima adhuc hodie superesse similes superstitiones, quibus Diabolus simplici populo imponit. Optandum, ut iis eradicandis, Episcopi & civiles Magistratus Pastoribus sedulo assisterent, opemque ferrent.

Regulas ad dignoscendum num quid sit superstitiosum, ex Synodis Belgicis proposui in *Jure Eccles. Tom. IV. parte 3. tit. 4. cap. 5. num. 40. hujusce editionis.*

CANON LXII.

Kalendas quæ dicuntur, & vota, & brumalia quæ vocantur, & qui in primo Martii mensis die fit, conventum ex fidelium universitate omnino tolli volumus: sed & publicas mulierum saltationes multam noxam exitiumque afferentes; quia etiam eas, quæ nomine eorum, qui falso apud Gentiles Dii nominati sunt, vel nomine virorum ac mulierum fiunt, saltationes ac mysteria more antiquo & a vita Christianorum alieno, amandamus & expellimus: statuentes, ut nullus vir deinceps muliebri veste induatur, vel mulier veste viro conveniente; sed neque comicas, vel satyricas, vel tragicas personas induat; neque execrandi Bacchi nomen, uvam in torcularibus exprimentes, invocent: neque vinum in doliis effundentes, risum moveant, ignorantia vel vanitate ea, quæ ab insaniæ impostura procedunt, exercentes. Eos ergo, qui deinceps aliquid eorum, quæ scripta sunt, aggredientur, ubi ad horum cognitionem pervenerint, si sint quidem Clerici, deponi jubemus: si vero Laici, segregari.

SCHOLION.

Gentilium festivitates cavendæ; in primis Calendarum Januarii.

MULTÆ hoc Canone Gentilium reliquiæ, quæ a Christianis frequentabantur, proscribuntur.

Primo quidem nonnulla festa a Gentilibus constituta, & sensim a fidelibus Christianis recepta, abolentur.

Occurrit primo festum *Kalendarum* hoc est publicæ illius ac superstitiosæ lætitiæ, quas *Kalendis* Januarii, quibus annus aperitur, exhibuere primum Gentiles, usurpavere postmodum Christiani, & quas tam hi quam illi indecoris choreis, mulierumque aut ferarum assumptis formis & vestibus, fœdabant; uti pluribus ostendit Du-Cange in Glossario, verbo *Kalendæ*.

Balsamon quoque scribit, festum hoc *primis Januarii diebus* jampridem apud Romanos fuisse celebratum, & quædam indecora fuisse admixta; " quod etiamnum „ fit (ait) a quibusdam rusticis, eo quod luna tunc „ temporis renovetur, & ejus fundamentum ab hujus „ mensis principio statuatur, & quod existiment, se „ læte ac jucunde totum annum transacturos, si in „ ejus principio festum celebraverint.

Quin & sæculo VIII. a quibusdam festum hoc etiam Romæ celebratum fuisse, habemus ex Epistola Bonifacii Archiepiscopi Moguntini ad Zachariam Papam *c.* 6. scribit enim: " quosdam affirmare se vidisse annis sin„ gulis in Romana urbe, & juxta Ecclesiam S. Petri, „ in die vel nocte quando *Kalendæ Januarii intrant*, „ *Paganorum consuetudine choros ducere per plateas, &* „ *acclamationes ritu Gentilium, & cantationes sacrile„ gas celebrare, & mensas illa die vel nocte dapibus* „ *onerare, & nullum de domo sua vel ignem, vel fer„ ramentum, vel aliquid commodi vicino suo præstare* „ *velle*.

Ut autem Zachariam Papam ad extirpandas gentiles fœditates induceret, ait: " Quia carnales homi„ nes idiotæ, Alemanni, vel Bajoarii, vel Franci, si „ juxta Romam urbem aliquid fieri viderint ex his „ peccatis, quæ nos prohibemus, licitum & conces„ sum a Sacerdotibus esse putant: & dum nobis im„ properium deputant, sibi scandalum vitæ accipiunt.

Zacharias Papa respondens Bonifacio non negat, similia Romæ servari; sed addit: *hoc est nobis & omnibus Christianis detestabile, & perniciosum esse judicamus*.

Asserit insuper, quia hæc rursus suo tempore repullulabant, se a die, qua ad Pontificatum fuit assumptus, *illico omnia illa amputasse*.

Quid Bruma & Brumalia.

Verisimiliter alludit hic Zacharias ad Concilium Romanum anno 743. ipso præsente celebratum, ubi *Can.* 9. statuitur: " Ut nullus *Kallendas* Januarias & Bruma colere præsumpserit, aut mensas cum dapibus in domibus præparare, aut per vicos & plateas cantatio„ nes aut choros ducere, quod maxime iniquitas est „ coram Deo, anathema sit.

Extat apud Gratianum *caus. 26. quæst. 7. Can. 14.* in antiquis nempe editionibus ante Correctionem Romanam; at in correctis nonnihil aliter, quam in Concilio Romano, uti monet Antonius Augustinus *lib. 2. de emend. Grat. dial. 1.* ibidem referens ipsum Concilii Romani decretum, in quo pro voce *Bruma*, legitur *Broma*; quæritque Antonius Augustinus: " quid „ vox *Broma* (a) significet? an pro *Bruma* posita sit? „ respondetque *capite* 26. sextæ Synodi repetita in „ Trullo *Brumalia* prohibentur, quæ videntur esse a „ *Bruma* dicta; incidere autem *Bruma* solebat in Sa„ turnalibus diebus non longe Kalendis Januariis ". „ Hæc ille.

Similiter Du-Cange in suo Glossario, verbo *Bruma* docet, *Brumalia*, de quibus in nostro Canone, derivari a *Bruma*, seu *Hieme*, qua tempestate hoc festum celebratur. Veteres enim uti notat Scaliger *lib. 2. de emendat. temp.* a *Bruma* tempora sua ordiebantur, & hos secuti Romani: quod facilius ex decrementis umbræ horas observarent, Brumæ confecto die, quam ab incrementis.

Observat insuper ibidem Du-Cange, quod ab his „ *Brumalibus*, forte sit Belgis & Picardis frequens, „ qua, qui se mero vel Cervisia ingurgitant, *Bromar„ diers* vocant (nos) hic Brabantini *Brommers* dici„ mus) quod hisce festis agitari solebant crebra con„ vivia, in qubus Baccho indulgebatur.

Bacchanalia.

Notat denique Balsamon, *Brumalia* fuisse festum quod fiebat a Gentilibus pro *Baccho*, vini, ut impie illi dicebant, conservatore; est enim Bromius Bacchi epitheton (*b*).

Quid vota.

Inter Kalendas Januarias & Brumalia interposita leguntur in hoc Canone ex editione Gentiani Herveti hæc verba *& vota*, quæ similiter videntur significare *festum* aliquod, ritum Gentilem redolens.

Et sane in Capitulari Pipini Regis Italiæ anni 793. *cap.* 32. apud Baluzium *tom. 1. Capitularium* legitur. De pravis illis hominibus, qui *Brumaticos* colunt, & „ de hominibus, qui subtus *Maida* cereas incendunt, „ & *votos* vovent " &c. Hic videmus *votos* seu vota cum Brumaticis sive *Brumalibus* poni; quare non sine fundamento opinatur D-Cange in suo Glossario, verbo *votum*: „ nomine *votorum* hic designari diem fe„ stum Romanorum tertio nonas Januarii celebrari so„ litum, qui in Calendario Bucheriano *votorum nun„ cupatio* appellatur, interdictus Canonibus, quod Pa„ ganismum redoleret.

Nequaquam silendum, apud Græcos tam in Canone; quam in eorum commentariis pro voce *vota*, legi *Bota*, qua, teste Balsamone, significatur festum " quod fit pro falso nominato " *Deo Pane*, qui, ut Græci „ nugabantur, pecoribus, scilicet ovibus, & reliquis „ animalibus prospicit, & eorum curam gerit.

Gentilia festivitas mense Martio.

Addit ibidem Balsamon: " mense autem Martii fie„ bat magna Græca concio, sive universalis conven„ tus, propter bona temporum & aeris temperiem; „ quo tempore etiam indecoræ saltationes a quibus„ dam mulierculis & viris fiebant.

Hæc & similia tamquam Gentilismum sapientia, & fœditatibus ac inhonestis impudicisque ritibus plena, hoc Canone, multisque aliorum Conciliorum Canonibus, interdicta sunt, nec sic tamen radicitus extirpari potuerunt.

Festum fatuorum.

Et quidem nominatim de *Kalendis*, quo " licet ab „ Ecclesia non semel proscriptæ fuerint; indictis ad „ hanc diem jejuniis; & Litaniis, de quibus suo loco, „ quibus eæ quodammodo expiarentur, & ut ludicræ „ & impiæ festivitatis loco, vera ac solida succede„ ret; non potuerunt tamen tam alte radicatæ prorsus „ evelli; adeo ut extremis etiam temporibus plus so„ lito vires acceperint, & non a sæcularibus dunta„ xat, sed & ab ipsis Episcopis & Sacerdotibus legan„ tur usurpatæ, unde ejusmodi festivitati festi *Hypo„ diaconorum* nomen inditum; non quod revera soli „ Subdiaconi has scelestas choreas ducerent, se quod „ hac joculari appellatione nostri judicare voluerint, „ festivitatem hanc fuisse ebriorum Clericorum seu „ Diaconorum: id enim evincit vox Soudiacres, id „ est, ad litteram *saturi Diaconi* quasi *Diacres saouls*.

Epistola Facultatis Theol. Paris. contra has fœditates.

Hoc festum, quod & *fatuorum* dictum fuit, perseverasse in Gallia usque ad medium sæculi XV. constat ex epistola Facultatis Theologicæ Parisiensis ad Galliæ Episcopos, qua hoc festum uno consensu condemnant; in quo (ut ipsi scribunt) " divini officii tempore lar„ vati, monstruosi vultibus, aut in vestibus mulierum „ aut leonum, vel histrionum, choreas ducebant, in „ choro cantilenas inhonestas cantabant, offas pingues „ supra cornu altaris juxta celebrantem Missam comedebant, ludum Taxillorum ibidem exarabant, thuri-

(a) Erasmus *Chil. 1. Cent. VI. col.* 478. arbitratur *Bromon* esse quoddam hordei genus. Theophrastus *l. 8. de Plantis Bromon* collocat inter ea, quæ pene sylvestria sunt & immitia. Plinius potissimum usum ejus generis putat, quod illius spuma cutem fœminarum in facie nutrit. Alii existimant *Bromon* fuisse potus quoddam genus ex leguminibus coctum, quod inopia vini repertum fuit in his regionibus, quæ vitem tunc non ferebant; unde illarum regionum populi Bacchum nuncupabant Bromium vel Bromum, ut indicare videtur Epigramma, quod Juliano Imperatori tribui solet. Quapropter verisimile est in istis regionibus dies, in quibus populi *Bromio* plus equo indulgebant, fuisse *Broma*, aut *Bromos* nuncupatos.

(b) Festum Bromæ seu Brumæ XII. sæculo invitis Canonibus celebratum fuisse testatur Gratianus, ut inferius observat D. Van-Espen *Brevi Commentario in 2. partem Gratiani caus. 26. quæst. 7.*

„ rificabant de fumo fœtido ex corio veterum fotula„ rium, & per totam Ecclefiam currebant, falta„ bant " &c.

Hoc feftum tametfi tot fœditatibus & ineptiis refertum a multis fuftinebatur unico hoc fallaci argumento, quo & hodie perniciofiffimi inveterati abufus fuftinentur: *Prædeceffores noftri, qui erant notabiles viri reputati, iftud permiferunt, fufficit nobis vivere ut ipfi: refpondit Facultas: procul dubio iftud argumentum diabolicum eft, & infernalis hæc perfuafio: vos illorum exitum ignoratis, an bonus vel malus fuerit*. Extat hæc epiftola in appendice operum Petri Blefenfis ultimæ editionis. Utinam ipfa ferio legeretur & expenderetur ab iis, qui a praxi prædeceflorum fuorum, quorum exitum ignorant, quidvis, modo invaluerit, & fibi commodum videant, mordicus propugnant, licet in fe aperte injuftum & inhoneftum.

Sane nec defunt hodie in multis regionibus & Ecclefiis horum feftorum fœtidæ reliquiæ, quibus extirpandis merito invigilarent & allaborarent Epifcopi & Paftores; non attendendo ad argumentum ab inveterato ufu, aut prædeceflorum facto vel filentio peti confuetum.

Porro nulla pene apud Gentiles publica lætitiæ & gaudii feftivitas exhibebatur, quin plurima lafciviæ incitamenta intermifcerentur, puta mulierum propudiofæ faltationes, necnon veftium immutationes, ut hoc pacto minore cum dedecore fcelera perpetrari poffent.

Hæ autem Gentilium feftivitates cum fuis etiam ritibus ad Chriftianos derivatæ fuerunt, & ipfa naturæ corruptione juvante, a Chriftianis carnalibus gentiliter viventibus confervatæ.

Publicæ mulierum faltationes.

Unde in præfenti Canone prohibet Synodus, *publicas mulierum faltationes, multam noxam exitiumque afferentes*; " quibus videlicet fpectandis homines ad libidinem incitantur "; inquit Zonaras hic.

Indui vefte alterius fexus.

Statuit deinde Synodus, ut *nullus vir deinceps muliebri vefte induatur, vel mulier vefte viro conveniente*. Hac quippe veftis fimulatione, libertas admodum magna & opportuna flagitia perpetrandi fuppeditatur. Legitur in Concilio Bracarenfi II. jampridem decretum: " fi quis *balationes* ante Ecclefias fanctorum fe„ cerit, feu qui faciem fuam *transformaverit* in ha„ bitu muliebri, & mulier in habitu viri, emendatio„ ne pollicita, *tres annos pœniteat*.

Denique vult Synodus in præfenti Canone, ut Chriftiani abftineant ab iis omnibus, quæ Gentilitatem fapiunt, neque exerceant ea, quæ ab *infaniæ impoftura procedunt*.

Bacchanlia.

Quam multa Gentilium etiam abominanda fpectacula, & ritus apud nos fuperfint, haud facile effet enumerare; multaque enumerat Polydorus Virgilius, in libris de *inventione rerum*, ubi inter alia graphice depingit *lib. 5. cap. 2.* quæ ex Gentilium bacchanalibus nobis fuperfunt, & fortem manum extirpatricem poftulant: " nam ut illi, (Gentiles) in quinquatriis (*a*) „ minoribus & Megalenfibus *perfonati* per urbem lu„ dendo incedebant, ita noftri, inquit, morem indu„ endi perfonas, non uno vel altero die nec facrorum „ caufa, fed turpi infaniendi ftudio duos continuos „ menfes, ante Quadragefimæ initium ftolide fervant, „ fub quibus inveterata jam lafciviendi licentia, fex„ centa flagitia quotidie faciunt, & illud impune, pe„ rinde quafi eo modo cuique liceat effe fceleratum, „ nihilve maleficii credatur committi, fi vera hominis „ facies non videatur, perinde ac non pateamus etiam „ Deo, quem nemo ambigit fandi, atque nefandi ju„ ftum effe judicem, qui & improbos pœna, & pro„ bos præmio femper afficiat. Una omnium Provin„ ciarum Anglia ejufmodi perfonatas belluas hactenus „ non vidit; nec quidem vult videre; quando apud „ Anglos in re hac præ aliis certa fapientiores, deli„ ramentum iftud leges vetitum eft. Et quia fub idem „ tempus illud jejunium quadraginta fex dierum nobis „ anniverfarium indicitur; ideo quotannis cuncti ubi„ que gentium, in noftro Chriftiano orbe, ftudiofius „ folito ganeatis vefcuntur cibis; & non parum mul„ ti, quibus præcipua ventris cura eft, ad vomitum „ faturantur quafi expleturi futuram efuritionem, cum „ tamen eorum etiam gulofa poftmodum futura fit ab„ ftinentia; nam quamvis ab efu panis & carnium „ abftineant, bellariis fe farciunt, & azymum panem „ pro fermentato devorantes, de jejunio gloriantur. „ Sic peccata undique contarcinant, ne adventante Pa„ fcha vacui aut fruftra ad fuos Sacerdotes adeant, „ a quibus per confeffionem maleficiorum, onere le„ vandi funt. Et hæc omnia ex Romanorum Baccha„ nalibus ad nos fluxiffe dixerim.

Quam autem hæc a profeffione Chriftiana aliena exiftimaverint Patres hujus Synodi, colligi poteft ex pœna in contravenientes decreta: *Clericos deponi, Laicos vero fegregari* jubens.

CANON LXIII.

Quæ a veritatis hoftibus falfo confictæ funt martyrum hiftoriæ, ut Dei martyres ignominia afficerent; & qui eas audituri effent, ad infidelitatem deducerent; in Ecclefia non pubblicari jubemus, fed eas igni tradi. Qui eas autem admittunt, vel tamquam veris iis mentem adhibent, anathematizamus.

SCHOLION.

Fabulofa non legenda in Ecclefiis.

IN Ecclefia, five in publico fidelium conventu, nihil legendum, aut populo proponendum effe, nifi quod ad pietatem & ædificationem ejus conducere queat, nemo nifi irreligiofus negabit.

Quapropter merito hujus Synodi Patres vetarunt *in Ecclefia* prælegi *a veritatis hoftibus confictas* martyrum hiftorias, quæ eos, qui audituri effent, nequaquam ad pietatem, fed ad *infidelitatem deducerent*.

Hac de caufa in decreto, quod fub nomine Romani Concilii tempore Gelafii I. extat apud Gratianum *dift. 15. Can. 3.* dicitur, quod quædam Sanctorum acta „ fecundum antiquam confuetudinem, fingulari caute„ la in Romana Ecclefia non legantur; quia & eo„ rum, qui confcripfere, nomina penitus ignorantur, „ & ab infidelibus, aut idiotis fuperflua aut minus „ apta, quam rei ordo fuerit, fcripta effe putantur. „ Sicut cujufdam Quirici & Julittæ, ficut Georgii, „ aliorumque ejufmodi paffiones, quæ ab hæreticis „ perhibentur compofitæ. Propter quod ne vel levis „ fubfannandi oriretur occafio, in fancta Romana Ec„ clefia non leguntur.

Sane in domo veritatis fummopere cavenda eft omnis falfitas; ideoque fumma femper Patrum cura fuit, & hodie effe debet Epifcoporum, aliorumque, quibus incumbit ordinare, aut etiam emendare Ecclefiaca officia, ne quid falfi, aut fabulofi, vel divini officii majeftate indignum, in publicis illis officiis legitur.

Agnofcit id Theodorus Balfamon hic, qui propterea dicit " magnam Beato Metaphraftæ agendam effe gra„ tiam, qui, ait, martyrum pro veritate certantium „ certamina, non fine multis laboribus, & fudoribus „ repurgavit & exornavit ad Dei laudem, & Sancto„ rum martyrum perennem gloriam.

Metaphraften fcripfiffe vitas Sanctorum per fingulos menfes conftat: eafque latinitate donatas habemus in Tomis Aloyfii Lipomani, & ex parte apud Surium de vitis Sanctorum.

Illud tamen circa Metaphraften obfervandum monet Bellarminus *de Scriptoribus Ecclefiafticis*: " a Metra„ phrafte fcriptas fuiffe hiftorias de vitis Sanctorum, „ multis additis ex proprio ingenio, non ut res geftæ „ fuerunt, fed ut geri potuerunt; Addit etiam, ait, „ Metaphraftes multa colloquia, five dialogos marty„ rum cum perfecutoribus: aliquas etiam converfio„ nes adftantium Paganorum in tanto numero, ut in„ credibiles videantur: denique miracula plurima & „ maxima, in everfione Templorum, & idolorum, & „ in occifione perfecutorum, quorum nulla eft men„ tio, apud veteres hiftoricos.

Huic Bellarmini monito fubfcribunt uno confenfu eruditiores hiftorici, & actorum veterum fcrutatores, afferunt enim nullam, aut exiguam in fecernendis actis genuinis a fuppofititiis, aut veris a fabulofis Metaphrafti fuiffe peritiam; immo & ipfum de fuo multa hiftorias finxiffe; quin & vera acta Sanctorum potius confpurcaffe, quam exornaffe. Quin de ipfo afferere non dubitat Tillemontius, *nota 7. in S. Lucam*, quod hic auctor in rebus dubiis, foleat fequi pejorem partem, & opinionem minus probabilem. " Pour le re„ fte, ait, dans les chofes douteufes, il prend d'or„ dinaire le plus mauvais parti, & l' opinion la mo„ ins probable.

Hoc dolendum, quod ex hoc auctore, aliifque ejufdem farinæ fcriptoribus plurima fabulofa in divina noftra officia irrepferint: & adhuc hodie immixta remaneant, præfertim in Breviario Romano, quo pleræque Ecclefiæ Latinæ utuntur, idque etiam poftquam a multis viris eruditis horum actorum falfitas detecta eft, & luce meridiana clarius oftenfa, quæ propterea e Breviario multarum Ecclefiarum auctoritate & folertia Epifcoporum fublata funt.

CANON LXIV.

Quod non oportet Laicum publice difputare vel docere, docendi auctoritatem ex eo fibi vendicantem, fed ordini a Domino tradito cedere; & aurem iis, qui docendi gratiam acceperunt, aperire; & divina ab eis doceri. In una enim Ecclefia diverfa membra fecit Deus, *ut eft vox Apoftoli, Quam aperte interpretans Gregorius Theologus, eum, qui in iis eft, ordinem commendat, dicens: hunc ordinem vereamur fratres, hunc fervemus. Hic quidem fit auris ille vero lingua; hic autem manus, hic vero aliquid aliud*:

(a) Vel *quinquatris* a quinquando, id eft luftrando, quod eo die arma ancilia, fcuta fcilicet quadra vel rotunda luftrari effent folita.

Deinde legitur, *Megalenfibus*, id eft Megalinis pellibus, quæ conficiebat tegumentum nocturnum mirabilis pretii.

aliud: hic quidem doceat, ille vero discat. Et paulo post. Et dicens in docilitatem, & suppeditans in hilaritate, & ministrans in alacritate. Ne simus omnes lingua, quod est promptius: ne omnes Apostoli, ne omnes Prophetæ, ne omnes interpretemur. Et post quædam: cur te Pastorem facis, cum sis ovis? cur caput efficeris, cum sis pes? cur Imperator esse conaris, cum relatus sis in numerum militum? & alibi: jubet sapientia, ne sis velox in sermonibus, ne cum sis pauper, una cum divite extendaris; ne quæras sapientibus esse sapentior. *Si quis autem præsentem Canonem labefactans deprehensus fuerit, quadraginta diebus segregetur.*

SCHOLION.

Laici non disputent aut doceant publice.

HOC Canone nihil aliud intendit Synodus, quam renovare quod dixit Apostolus I. *Corinth.* 12. multa esse in corpore Christi mystico, id est Ecclesia, membra, sed non omnia eumdem habere actum, multosque ac diversos esse ordines; unumquodque membrum suum usum habere, & unumquemque in suo ordine debere manere; neque sibi usurpare, quæ alterius membri aut ordinis sunt.

Cum itaque proprie ad Episcopos, & qui ab ipsis ad hoc ordinati sunt, pertineat publice docere ea, quæ ad religionem pertinent: hinc recte præsenti Canone id Laicis, tamquam ad se non pertinens interdicitur, præcipitur *ordini a Domino tradito cedere, & aurum iis, qui docendi gratiam acceperunt, aperire; & divina ab eis doceri;*

Observat autem hic post Zonoram Balsamon in hoc Canone recte adjectum esse illud *publice*: " nam *privatim* quis interroganti respondere, ac propositæ ab „ eo quæstionis docendo satisfacere non prohibebitur „ ait Zonaras.

Cæterum quod hoc Canone disponitur, pene hodie apud nos ad solam solemnem & publicam concionandi, & annuntiandi verbum Dei auctoritatem est restrictum, quæ ita Episcopis reservata est, ut nec Sacerdotibus inferioribus id liceat, nisi licentia, vel expretia & speciali, aut implicita seu generali in cura animarum comprehensa, ab Episcopo accepta, de quo latius in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 16. cap.* 10. & *cap.* 11. *hujus editionis*.

CANON LXV.

Qui in noviluniis a quibusdam ante suas officinas & domos accendunt rogos, supra quos etiam antiqua quadam consuetudine salire inepte ac delire solent, jubemus deinceps cessare. Quisquis ergo tale quid fecerit, si sit quidem Clericus, deponatur; si autem Laicus, segregetur. In quarto enim libro Regum scriptum est: Et ædificavit Manasses altare universæ militiæ cœli in duobus atriis domus Dei, & filios suos traduxit per ignem, sortibusque & auguriis auspiciisque usus est, & fecit Ventriloquos seu Pythones, & Divinatores multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, ut eum ad iram provocaret.

SCHOLION.

Superstitiones Gentilium vitandæ, nominatim *in noviluniis*.

„ NOVILUNIA dicebantur, inquit Balsamon, dies „ primi mensium. Mos ergo erat, pergit idem, „ apud Judæos & Græcos festum tunc agere, & ge„ nuflectere, ut totum mensem feliciter transigerent. „ Sed & ante suas officinas & ædes, rogos incende„ bant, & super eos saliebant, per id existimantes „ ea, quæ illis prius obtigissent, mala comburi, fore„ que ut in alia bona inciderent.

Cum ergo hunc superstitiosum Gentilium ritum nonnulli Christiani sequerentur; id præsenti Canone stricte censuit prohibendum hæc Synodus: & quidem si Clericus fuerit, sub pœna depositionis; si Laicus, sub pœna segregationis.

Vix dubium est, quin hujus Gentilitii ritus reliquiæ sint, quæ " restant in quibusdam Sanctorum festis pu„ blici ignes, saltus, potationes, adolescentum pugnæ, „ per Episcopos omnino eliminanda ": uti monet Lupus hic.

CANON LXVI.

A sancta Christi Dei nostri Resurrectionis die usque ad novam Dominicam, tota septimana in Ecclesiis vacare fideles jugiter oportet Psalmis, & Hymnis, & Spiritualibus canticis, in Christo gaudentes, festumque celebrantes, & divinarum scripturarum lectioni mentem adhibentes, & sanctis mysteriis jucundæ & laute fruentes. Sic enim cum Christo exaltabimur, & una resurgemus. Nequaquam ergo prædictis diebus equorum cursus, vel aliquod publicum fiat spectaculum.

SCHOLION.

De Paschæ octiduana festivitate olim vigente.

CERTUM est jam pridem totam septimanam Paschalem fuisse tam in Ecclesia Orientali, quam Occidentali festivam; eumque morem non introducens, sed supponens hæc Synodus, declarat, quod hac tota septimana *vacare fideles jugiter oporteat Psalmis, & Hymnis, & Spiritualibus canticis in Christo gaudentes, festumque celebrantes, & divinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, & sanctis mysteriis jucunde & laute fruentes.*

Dies festos transigendi modus.

Hic expressum habemus Christianum dies festos transigendi modum; atque in primis inde habemus, quod fideles, iis diebus oporteat vacare *Psalmis*, & *Hymnis*: & *Spiritualibus canticis*, e quibus divinum officium, quod hodie *Canonicum* vocatur tamquam partibus componitur: atque hinc intelligimus fideles omnes ad officium illud convenisse: quod multis sæculis observatum fuisse ostendi in *Dissertatione de Horis Canonicis Tom. V. cap.* 3. §. 2. atque ob id officium hoc *publicum* fuisse nuncupatum.

Ex hac præterea dies festos transigendi ratione habemus, quod Patres hujus Synodi nullatenus crediderint lectionem & meditationem *divinarum Scripturarum* fore periculosam, eoque prætextu Laicis idiotis earum lectionem inhibendam, cum e contrario declaraverint, quod fideles *oporteat diebus illis festivis divinarum Scripturarum lectioni mentem adhibere*; atque ita *sanctis mysteriis jucunde & laute frui*.

Primus Gebehardus Constantiensis Episcopus sub finem sæculi XI. Paschales festos dies ad tres primos contraxit.

Mos ille celebrandi integram hebdomadam Paschalem ut *festivam in populo*, in Gallia, Germania, aliisque Provinciis perseveravit per decem & amplius sæcula. Primus, qui legitur festos hos dies contraxisse ad tres primos dies, fuit Gebehardus Constantiensis Episcopus, qui in Synodo sua anno 1094. statuit, *ut tam in hebdomada Pentecostes quam in hebdomada Paschali, tres tantum* dies festi celebrarentur; idque contra morem Comprovincialium, qui *integram hebdomadam* in Pascha observabant. Habentur acta hujus Synodi ex Bertholdo apud Labbæum *tom.* 10. *Concil. generalium, col.* 497. Refertur autem in chronico Ecclesiæ Augustanæ, quosdam graviter obmurmurasse Gebehardo ob hoc statutum, tamquam *antiqui* Canonis & moris eversori.

Bertholdus autem, relato hoc Synodali decreto, addit. " *Hæc ipse, Gebehardus*, in proprio Episcopatu, & ex Episcopali auctoritate, & ex Apostolica Legatione Canonice potuit instituere; nam Legatus fuit Sedis Apostolicæ per totam Teutonicam terram usquequaque.

Ratio illius mutationis.

Cum autem auctoritate Legati Sedis Apostolicæ id statutum esset, non mirum si sensim aliæ Ecclesiæ hanc mutationem amplexi fuerint; præsertim cum experientia doceret, arduum esse, ut opifices, qui operibus suis manualibus victum sibi & familiæ lucrari debent, integra hebdomada ab his vacare juberentur.

Accedebat, quod pauci inter communes fideles, integris septem continuis diebus, pietatis, & religionis exercitiis, prout festorum dierum celebratio exigit, rite vacarent.

Denique una ex præcipuis hujus festivitatis rationibus; scilicet Neophytorum octiduana celebritas, jam fere ubique pro maxima parte cessabat.

Denique & hoc constat, sæculo illo, quo hæc reductio facta legitur, plures etiam festivitates Sanctorum anterioribus sæculis incognitas, inductas fuisse.

Itaque hodie plerisque in Ecclesiis *ad tres dies* Paschalis festivitas a populo celebranda restricta est: immo in quibusdam, puta Cameracensi tertia dies tantum dimidiata festivitas est: hoc est post finita & audita Missarum solemnia, operum servilium exercitium permittitur.

Hodiernum vestigium veteris disciplinæ.

Veteris interim disciplinæ vestigium adhuc in hoc superstes manet, quod Paschalis diei officium postpositis omnibus aliis festis, etiam majoribus, interim occurrentibus, per totam habdomadam in Ecclesia recitari, & celebrari jubeatur.

His ergo Paschalibus diebus jubet præsens Canon cessare equorum cursus, publicaque spectacula, quibus fideles a vero ac religioso illorum dierum cultu avocantur: nam etiam de Christianis verum est, quod de Judæis dixit Augustinus: " quanto melius fœminæ „ eorum lanam facerent, quam Sabbato in Neome„ niis saltarent ". *Tract.* 34. *in Joan.*

Quomodo hisce in Provinciis, tum Synodalibus decretis; tum Principum edictis, vetita sit hujusmodi ludorum, aut spectaculorum exhibitio, late ostenditur in *Jure Eccles. Tom. II. part.* 2. *sect.* 2. *tit.* 2. *cap.* 5. alias *tit.* 17.

CANON LXVII.

Divina nobis Scriptura mandavit, e sanguine, & suffocato, & fornicatione abstinere. Eos ergo, qui propter lautum & delicatum ventrem cujuscumque animalis sanguinem arte aliqua esculentum condiunt ac instruunt, atque ita illo vescuntur, convenienter punimus. Si quis deinceps animalis sanguinem quovis modo comedere aggrediatur, si sit quidem Clericus deponatur: si autem Laicus, segregetur.

SCHO-

SCHOLION.

De abstinentia a sanguine & suffocato.

PRÆCEPTUM Apostolicum de abstinentia *a sanguine & suffocato*, nonnullis sæculis, non tantum apud Græcos, sed & apud Latinos in multis Ecclesiis viguisse ostensum est in Scholio ad Canonem II. Synodi Gangrensis; paulatim autem sensim per totam Ecclesiam, saltem Latinam ab aliquot sæculis omnino evanuit; ideoque scribit Balsamon de suo tempore. *Latini vero indiscrimatim suffocata comedunt.*

Latini jam tempore S. Augustini ab iis non abstinebant

Secuta est Ecclesia Latina in hoc S. Augustini sententiam, *lib. 32. cont. Faustum Manichæum, c. 13.* ubi late docet, quod hoc præceptum datum fuerit Christianis, nondum formata Gentilium Ecclesia: ,, Elegisse mihi videntur, ait, pro tempore rem facilem, ,, & nequaquam observantibus onerosam, in qua cum ,, Israelitis etiam Gentes propter angularem illum Lapidem, duos muros in se condentem, aliquid communiter observarent . . . . transacto vero illo ,, tempore, quo illi duo parietes . . . quamvis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam ,, proprietatibus distinctius eminebant; ac ubi Ecclesia ,, gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita ,, carnalis appareat, quis jam hoc Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non ,, edat, si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est, & qui forte pauci adhuc ista tangere formidant, a cæteris irridentur. Ita omnium ,, animos in hac re tenuit illa sententia veritatis, non ,, quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed ,, quod exit, nullam cibi naturam quam societas admittit humana; sed quæ iniquitas committit, peccata condemnans.

Textus hic Augustini probat, etiam eo tempore in Africa hoc Apostolorum præceptum non fuisse servatum.

Aliud fuit in Ecclesia Græca etiam tempore Synodi Trullanæ.

Interim cum tempore hujus Synodi adhuc vigeret in Ecclesia Græca hoc præceptum, merito præsenti Canone Synodus condemnat *eos, qui propter lautum & delicatum ventrem cujuscumque animalis sanguinem arte aliqua esculentum condiunt, ac instruunt, atque ita illo vescuntur.*

Non dubium similes hoc Canone puniri, quod legi fraudem faciant, uti notat hic Balsamon, remittens lectorem ad *Novellam* 58. Leonis Sapientis, *quæ statuit*, inquit, *eos, qui quamcumque sanguinolentam speciem comedunt, publicandos, & corpore puniendos, & impressa cuti tonsura notandos, & perpetuo exilio condemnandos; eos autem, qui hæc non vindicant. Magistratus X. librarum auri multa corrigendos.* Hæc notare poterunt, qui diebus jejuniorum & abstinentiæ ex simili concupiscentia & pari fraude vescuntur cibis ab Ecclesia vetitis.

CANON LXVIII.

Nulli ex omnibus licere Veteris & Novi Testamenti librum, nec sanctorum nostrorum præconum ac doctorum corrumpere vel conscindere, vel librorum cauponatoribus, vel iis qui dicuntur unguentarii, vel alicui alii ex omnibus ad eum delegendum tradere: nisi utique vel a tineis, vel ab aqua, vel ab aliquo alio modo redditus fuerit inutilis. Qui autem tale quid facere deinceps deprehensus fuerit, anno uno segregetur. Similiter & qui libros emit, si eos quidem ipse non ad suam utilitatem retineat, nec alteri ad ejus beneficium, & ut ii permaneant, tradat, sed eos corrumpere aggressus fuerit, segregetur.

SCHOLION.

Libri sacri summa veneratione servandi

QUÆ hoc Canone decernuntur, profluxisse credit Christianus Lupus, *in Scholio ad præsentem Canonem*, ex summa veneratione, quam sacris Codicibus præsertim Evangeliorum exhibendam jam olim censuerunt Christiani.

Et sane libris sacris, præcipue Evangeliorum summam a Christianis jampridem adhibitam venerationem certum est.

Hinc usus antiquus Codicem Evangelicum osculandi & adorandi non secus ac imaginem crucifixi.

In Synodi VII præfatione ad Joannem VIII. Papam Anastasius Bibliothecarius adversus Iconoclastas ita arguit: ,, ajunt, quod non sit quodlibet opus manuum ,, hominum adorandum. Quasi non sit Codex Evangeliorum opus manuum hominum, quem quotidie osculantes adorant

Et adversus Episcopum Taurinensem Iconoclastam scribit Jonas Aurelianus in præfatione libri secundi: ,, Sacræ religionis usus in sancta Ecclesia adhuc servatur, ut perfecta sancti Evangelii lectione, ab Episcopo, vel Presbyteris, cæterisque sacri ordinis ,, religiosis, Codex, in quo Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur, sed hoc ,, cujus causa, nisi illius, cujus esse verba creduntur, agimus?

Denique Canon 3 Synodi VIII. supponens usum adorandi Codicem Evangeliorum, ait: *sacram imaginem Domini nostri Jesu Christi æquo honore, cum libro sanctorum Evangeliorum adorandam decernimus.*

Videtur Canon respicere pretium SS. Codicum, qui tunc erant MSS.

Verum licet hæc a Christiano Lupo ibidem adducta, solide probent, Codicem scripturarum, ac præcipue *Evangeliorum* summo semper fuisse apud Christianos in honore, nihilominus apparet, in condendo præsente Canone, Patres magis præ oculis habuisse horum librorum usum, & quem ex ipsorum lectione haurire fideles possunt, multiplicem fructum, quam eis debitam externam reverentiam, & venerationem.

Cum enim eo tempore ars Typographica nondum nota esset, rarior erat librorum, qui omnes calamo describi debebant, copia.

Proinde merito Patres solliciti fuerunt, ne Codices librorum, e quorum lectione fidelis populus ædificari præcipue & doceri debebat, quæstus alicujus causa corrumperentur, aut ad legendum inutiles redderentur. Hunc Patrum scopum fuisse indicat clausula restrictiva Canoni inserta: *nisi utique vel a tineis, vel ab aqua, vel ab aliquo alio modo redditus fuerit inutilis* (a).

Unde nec mirum est, quod libris sacris seu Canonicis Synodus addat libros *sanctorum Præconum ac Doctorum*. Licet enim hi nequeant pari honore & auctoritate censeri cum libris sacris, seu Canonicis; nihilominus ex eorum lectione multiplicem fructum posse haberi Synodus non dubitavit, ideoque & horum conservationi, in ea Codicum raritate, jure merito consulere voluit.

Ex hac sedula cura & studio conservandi hos libros in usum fidelium, non obscure insinuatur; a Patribus eorum librorum lectionem commendari: cui Patrum monito, si auscultarent multi Theologi, solidiorem, & utiliorem procul dubio sibi & proximo scientiam ex studio Theologico compararent, quam dum sterili studio Scholasticorum & Casuistarum toti insudant.

CANON LXIX.

Nulli omnium liceat, qui quidem sit Laicorum numero, intra septa sacri altaris ingredi; nequaquam tamen ab eo prohibita potestate & auctoritate Imperiali, quandoquidem voluerit creatori dona offerre, ex antiquissima traditione.

SCHOLION.

Laici intra septa altaris non ingrediantur.

TAM in Ecclesia Latina, quam Græca multis retro sæculis, morem fuisse constantem variis Canonibus firmatum, excludendi *Laicos, a sacrario*, seu loco Clericis & Sacerdotibus divina mysteria celebrantibus destinato, notius est, quam ut probari debeat, evincitque præsens Canon apud Græcos, nec *ad offerendum* Laicos in sacrarium fuisse admissos.

Excepto Imperatore

Excipit Synodus solus Imperatorem, quem intra septa sacri altaris ingredi permittit, *quandoquidem voluerit creatori suo dona offere, ex antiquissima traditione.*

Quæ exceptio obtinuit tempore Theodosii Imp.

Hanc exceptionem, *ex antiquissima traditione*, non sine fundamento sustinet Synodus; nam diu ante hanc Synodum obtinuisse patet ex his verbis Imperatoris Theodosii junioribus, in actis Concilii Ephesini, *editionis Pelt.* apud Baronium ad an. 431. ,, nos, qui legitimis Imperii armis semper circumdamur, quosque ,, sine armatis, & stipatoribus esse non convenit; Dei ,, Templum ingressuri, foris arma relinquimus, & ipsum ,, etiam diadema Regiæ majestatis insigne deponimus, ,, & *sacra altaria, munera tantum offerendorum causa,* ,, *accedimus, quibus quoque oblatis, ad extimum, com-* ,, *muneque atrium mox nos recipimus.*

Similiter Theodoretus, *lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 17.* refert; quod Theodosius magnus Imperator, post peractam publicam sibi a S. Ambrosio impositam pœnitentiam, & obtentam reconciliationem: ,, ubi tempus postulavit, *ut dona sacræ mensæ offerret*, surrexit, atque in *sacrarium* ingressus est: cum vero, ,, ait Theodoretus, dona, uti solebat, obtulisset, ,, intus prope Cancellos mansit. At rursus magnus ,, ille Ambrosius, non conticuit quidem, sed locorum ,, differentiam eum docuit; ac primum sciscitatur de ,, qua re egeret, & cum respondisset Imperator, se ,, expectare divinorum mysteriorum perceptionem, significavit illi per primarium Diaconum, qui ei ministrabat, ad loca interiora solis Sacerdotibus aditum patere, eademque aliis omnibus inaccessa esse, ,, nec debere tangi Jubet igitur ut exeat, & cum ,, reliquis Laicis consistat; nam purpura, inquit, Imperatores, non Sacerdotes efficit; quam admonitionem itidem excepit lubens Imperator fidelissimus, ,, respondítque se non animi confidentia inductum, ,, mansisse intra Cancellos: sed hanc consuetudinem ,, Con-

(a) Arbitraret hunc Canonem conditum fuisse adversus quosdam hæreticos tum Nestorianos tum Eutychianos, qui ut suis erroribus patrocinium e sacra auctoritate peterent, nonnulla novi Testamenti loca corrumpere per summum nefas sexto sæculo ausi sunt.

„ Constantinopoli didicisse; quare habeo, inquit, etiam pro hac medicina gratiam.

Post hæc subjungit Theodoretus; „ Imperator autem pietatis præcepta, quæ ab illo illustri Episcopo didicerat, etiam cum revertisset Constantinopolim, observavit. Nam cum divino quodam festo ad Templum denuo veniret, statim ut dona sacræ mensæ obtulerat, exivit. Atque cum Nectarius, qui id temporis illius Ecclesiæ Antistes fuit, rogaret, cur non maneret intus; gemens, inquit, ægre tandem didici, quid inter Imperatorem intersit & Episcopum; ægre tandem reperi veritatis magistrum: nam solum Ambrosium novi Episcopum dignum eo nomine.

Occasione hujus facti & eventus verissime notavit ibidem Theodoretus, ab omnibus Episcopis merito attendendum: *tantum commodi reprehensio a viro virtute præstanti adhibita, secum apportare solet*. Sperandum esset non defuturos Theodosios, si essent Ambrosii.

Interim ex hisce sufficienter probatur, consuetudinem *antiquam* fuisse ante hanc Synodum, quæ imperatorem ad sacrarium sive altare admitteret, quando *dona* mensæ sacræ erant offerenda.

Imperator post oblationem e sacrario iterum egrediebatur.

Habetur quoque, quod Imperatori post donorum oblationem intra sacrarium consistere non permitteretur; adeoque nullus tum haberetur intra sacrarium, sive Cancellos, vel *chorum*, uti hodie loquimur, Imperatori ad sedendum locus, specialiter destinatus.

Constantinopoli intra Cancellos persistebat, secus ac Mediolani.

Ex verbis quidem Theodosii ad Diaconum ab Ambrosium missum, patet consuetudinem tum fuisse in Ecclesia Constantinopolitana, ut Imperator intra Cancellos, etiam post donorum oblationem consisteret; at hanc non probasse Ambrosium in verbis supra relatis testatur Theodoretus; confirmatque Sozomenus *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 25. adjungens, quod Ambrosius consuetudinem illam improbaverit, hoc ipsum vel *ex assentatione, vel ex disciplinæ corruptione profectum esse animadvertens*.

Consuetudo Constantinopolitana per Theodosium Imp. abrogata.

Scribit & Sozomenus post Theodoretum. „ Hanc autem egregiam ordinationem Theodosius Imperator appprobavit, & successores ejus confirmarunt, ac nos eam ex eo tempore in hanc usque diem observari videmus.

Neque huic egregiæ ordinationi contrariatur præsens Canon, permittens duntaxat Imperatori septa sacri altaris ingredi, *quandoquidem voluerit Imperator creatori dona offerre*; sed an ibidem tempore divinorum officiorum consistere queat, nequaquam decernitur.

Consuetudo illa iterum postea in Ecclesia Græca obtinuit.

Agnoscit Theodorus Balsamon: „ Quosdam dicere, verbis Canonis insistentes, quod tunc non prohibebantur Imperatores intra septum altaris ingredi, quando sunt munera oblaturi, non autem si solius orationis gratia ipsum ingredi voluerint. Sed, ait Balsamon, mihi non ita videtur. Orthodoxi enim Imperatores, qui per Sanctæ Trinitatis invocationem Patriarchas provehunt, & sunt uncti Domini, sine ullo impedimento, quando etiam voluerint, ad sacrum altare accedunt, & sufficiunt, & cum triplici cereo signant, sicut & Pontifices.

Haud obscurum est, Balsamonem hic magis reflexisse ad sui temporis disciplinam, quam ad textum & sensum Canonis.

Hoc quippe constat, in Ecclesia Græca jam a pluribus sæculis, *morem* rursum invaluisse, qui ætate S. Ambrosii Constantinopoli erat, *ut Imperatores intra consepta altaris in Ecclesia consisterent, honoris causa a populi multitudine separati*, uti loquitur Sozomenus citato *lib.* 7. *cap.* 25.

Quid censendum de sedilibus, quæ honoratiores quidam Laici in sacrario occupant.

In Ecclesia Latina non tantum Imperatoribus, Regibus, & supremis Principibus, sed & Patronis Ecclesiarum, Toparchis locorum, quin & Magistratibus intra septa altaris sive chorum, sedilia honoris causa plerumque assignari solent, immo & ea tamquam jura honorifica sibi deberi contendunt.

Hæc consuetudo utrum originem ex assentatione Sacerdotum, vel disciplinæ corruptione habuerit, nescio. Hoc scio jam inolitam, a Sacerdotibus vel Pastoribus, non esse præcipiti zelo turbandam, neque hujusmodi honoris prærogativas facile negandas iis, qui in earum pacifica possessione sunt; præsertim dum ipsi Magistratus, aut Patroni, hisce moderate, & sine Ecclesiasticæ disciplinæ, aut sacrorum rituum infractione cum Christiana modestia utuntur.

Quod autem jampridem in Latinis reprehendit Balsamon etiamnum hodie merito reprehenditur & a Pastoribus, aliisque superioribus corrigeretur; quod scilicet, non solum viri laici, sed & mulieres in sanctum tribunal ingrediuntur, & sedent, stantibus sæpe iis qui sacrificant: nisi tamen essent illustrium familiarum, quibus hæc prærogativa juxta hodiernos Ecclesiæ mores deberetur. In quibus similiter cum summa prudentia, & moderatione nocteanter per Parochos & inferiores Ecclesiæ ministros est procedendum. De his latius egimus in *Jure Eccles. Tom. III. par.* 2. *sect.* 3. *tit*, 8, *cap.* 7. alias *tit.* 25.

CANON LXX.

Ne liceat mulieribus in divini sacrificii tempore loqui, sed, ut vox est Apostoli Pauli, sileant: non enim eis loqui permissum est, sed subjici, sicut dicit Lex. Si quid autem volunt discere, domi proprios maritos interrogent.

SCHOLION.

Mulieres in Ecclesia sileant.

Ea est homini innata superbia, ut se difficulter intra officii sibi injuncti terminos continere queat; præsertim dum persuasum habet, se aliquid posse, quod apud homines existimationem famamque sibi conciliet.

Hinc mulieres nonnullæ, sua sorte & vocatione non contentæ, supra mulierum communem conditionem se extollentes, quæ virilis officii sunt, sibi arrogare, præsumpserunt, & quæ tamquam disciplinæ subesse & discere debent, seipsas in Magistras & Doctrices erigere voluerunt, quas ut procaces redarguit Tertullianus *lib. de præscript. cap.* 41.

Verisimile autem est, ut notat Balsamon, quod quædam mulieres etiam tempore hujus Synodi *divinas scripturas legere* præ se ferentes, *concionari aggrederentur, & ad interrogationes & responsiones se compararent*: quod præsenti Canone Synodus prohibendum censuit; interdicens mulieribus, in *divini sacrificii tempore loqui, sed ut vox est Apostoli Pauli* (sive Gr. *secundum Apostoli Pauli præceptum*) *sileant*.

Mulieribus licet privatim instruere.

Porro Synodus restringens suum decretum ad *tempus divini sacrificii*, sufficienter innuit hæc duntaxat concernere instructiones publicas tempore divini sacrificii fieri solitas, sive publicas illas Evangelii, durante divino officio & sacrificio, explanationes, quæ proprie ad Episcopos & Pastores spectant.

Unde & in Synodo vulgo Carthaginensi IV. *Can.* 99. & apud Gratianum *dist.* 23. *Can.* 29. legitur; „ mulier quamvis docta & sancta viros in *conventu* docere non præsumat". Nimirum in conventu *publico*, qualis fieri solet, cum ad celebrandum divinum sacrificium populus cum suo Pastore coit, ut una cum ipso sacrificium offerat, & ab ipso tamquam suo magistro instructionem accipiat, & cœlestis doctrinæ pabulo pascatur.

De hujusmodi quoque instructione intelligendus Innocentius III. in *cap.* 10. :* *de pœnitent. & remiss.* ubi inhiberi mandat Abbatissis quibusdam, *ne legentes Evangelium* præsumant *publice* prædicare: „ quia licet Beata Virgo Maria, inquit, dignior & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves Regni cœlorum commisit.

Hæc subjecta ratio sufficienter ostendit, Pontificem hic loqui voluisse de *actibus Pastoralibus*, qui proprii sunt his, quibus *claves* Regni cœlorum a Domino commissæ sunt.

Et sane quis ambigat, quin Abbatissa, aliæve mulieres, in superioritate constitutæ, possint, immo teneantur Monialibus, aliisve sibi subditis, dare privatim monita salutis, & tamquam spirituales earum matres, spirituale pabulum pro sua capacitate & conditione illis porrigere.

„ Quare ad hunc Canonem recte notat Balsamon, *privatim* autem prudentiores (mulieres) interrogare de aliquibus conducibilibus animæ, novum non est.

Hac nota Balsamonis adducta, subjungit Christianus Lupus, in Scholiis ad *cap.* 41. *Tertulliani de præscript.* „ Quod prudentiores mulieres, viduæ præsertim, *docere* privatim possint suam familiam, frequenter tradit Sanctus Joannes Chrysostomus.

Nec ergo vituperandæ, immo laudandæ mulieres illæ, quæ de consilio Pastorum suorum, *privatim* instruunt pueros pauperes diebus festis & Dominicis, in primis fidei, ac Religionis Christianæ rudimentis.

CANON LXXI.

Eos, qui docentur leges civiles, Gentilium moribus uti non oportere, & neque in theatrum induci, neque eas quæ dicuntur cylistras peragere, vel præter usum communem sibi vestes induere, nec quo tempore disciplinam aggrediuntur, vel ad finem ejus perveniunt, vel, ut in summa dicam, in ejus doctrinæ dimidio. Si quis autem deinceps hoc facere ausus fuerit, segregetur.

SCHOLION.

Prohibetur Gentilis pompa circa eos, qui docentur Leges civiles.

„ Magnus Theologus Gregorius hæc scribit in funebri magni Basilii oratione, ait Balsamon, quod plurimi, iique stultissimi ex adolescentibus, qui erant Athenis, sophistico quodam furore perciti, & non secus ac ii, qui equestris cursus certaminis furioso desiderio tenentur, contra adversarios suos pugnantes, urbes viasque anticipant; & recenter advenientes sophistas excipiunt, & complectuntur, magna splendidaque pompa deducentes, & hospitaliter comitantes, & alia quædam ludibria sophistis familiaria facientes.

Post

Poſt hæc ſubjungit Balſamon : „ ut eſt ergo credi-
„ bile , in hac urbium Regina hæc conſuetudo invaſe-
„ rat , quando legum quoque diſciplina vigebat , qui-
„ dam his Græcis moribus uterentur , & eos , qui le-
„ gum erant diſciplinam aggreſſuri , vel qui per me-
„ diam doctrinam proceſſerant , vel qui jam perfecti
„ erant , cum magna quadam pompa , & ſumptuoſis in-
„ ſuetis veſtibus , in theatrum deducerent , & ideo ſta-
„ tuiſſe Patres ea , quæ ſunt in præſenti Canone.

Perpendant Academiarum moderatores, num modernus ille ſumptuoſus & faſtuoſus apparatus , in Legum Doctoratibus exhiberi ſolitus, Gentiliſmum hoc Canone proſcriptum aliquatenus non ſapiat ,

CANON LXXII.

Non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi , neque vero orthodoxam cum viro hæretico copulari. Sed & ſi quid ejuſmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit , irritas nuptias exiſtimare , & nefarium conjugium diſſolvi . Neque enim ea quæ non ſunt miſcenda miſceri , nec ovem cum lupo , nec peccatorum ſortem cum Chriſti parte conjungi oportet . Si quis autem ea , quæ a nobis decreta ſunt , tranſgreſſus fuerit, ſegregetur. Si autem aliqui , qui adhuc ſunt infideles, & in orthodoxorum gregem nondum relati ſunt , ſunt inter ſe legitimo matrimonio conjuncti : deinde hic quidem eo quod honeſtum eſt electo , ad lucem veritatis accurrerit, ille vero erroris vinculo detentus fuerit , nolens divinos radios fixis oculis intueri , fideli vero homini placeat cum infideli cohabitare , vel e contra , ne a ſe invicem ſeparentur . Ex divini enim Pauli ſententia , ſanctificatus eſt vir infidelis in muliere , & ſanctificata eſt mulier infidelis in viro.

SCHOLION.

Matrimonium Chriſtiani cum hæretica an irritum.

SYNODUS in præſenti Canone *irritas nuptias* eſſe vult *& nefarium conjugium diſſolvi* , ſi orthodoxus contrahat cum muliere hæretica ; aut orthodoxa cum viro hæretico copuletur.

Si hic per hæreticum intelligatur omnis , qui *pertinaciter* quodcumque dogma hæreticum ſuſtinet , & fidei Catholicæ in aliquo articulo adverſatur ; tametſi ſit baptizatus , & in Chriſtum credat , habebitur hic *impedimentum dirimens* hactenus apud nos non receptum : licet enim Eccleſia etiam Latina ſummopere , idque pluribus & arduis ex cauſis improbet matrimonia orthodoxorum cum hæreticis ; non tamen *impedimentum dirimens* hactenus conſtituit , nec matrimonia hujuſmodi irrita exiſtimavit.

Si vero per hæreticum intelligatur infidelis , ſive *non baptizatus* , prout ſecunda pars Canonis inſinuat , & eo ſenſu intelligere videntur commentatores Græci , tunc diſciplina hoc Canone expreſſa , tam quoad primam , quam ſecundam Canonis partem conſonat diſciplinæ Eccleſiæ Latinæ , quæ continetur in *capite Gaudemus* X *de divortiis* , prout latius expoſui *in Jure Eccleſ. Tom. II. part. 2. ſect. 1. tit. 13. cap. 8. hujus edit.*

CANON LXXIII.

Cum crux nobis vivifica ſalutare oſtenderit, nos omnem diligentiam adhibere oportet, ut ei , per quam ab antiquo lapſu ſalvati ſumus, eum quem par eſt honorem habeamus . Quamobrem & mente , & ſermone , & ſenſu adorationem ei tribuentes , crucis figuras , quæ a nonnullis in ſolo ac pavimento fiunt , omnino deleri jubemus , ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur . Eos itaque , qui deinceps crucis ſignum in ſolo conſtruunt , ſegregari decernimus.

SCHOLION.

Crux Chriſti veneranda.

VIVIFICE crucis imagini , ob eum , qui per eam nos redemit *mente & ſermone & ſenſu adorationem* tribuendam ait Canon. „ Ac *mente* quidem illam ve-
„ neramur , ait Zonaras , cum tacita meditatione ,
„ quam ingentia bona per illam ad nos devenerint re-
„ colentes , tantæ Dei in nos beneficentiæ magnitudi-
„ nem obſtupeſcimus: *ſermone* , cum illa eadem ſermo-
„ nibus uſurpantes , quantum proinde noſtro Salvatori
„ debeamus , apud alios profitemur : *ſenſu* vero , cum
„ eam aſpicientes veneramur atque ſalutamus.

Olim vetitum crucis ſignum in pavimento efformare.

Ob debitam cruci venerationem ſtatutum eſt , ne crucis imago pavimento aut ſolo efformetur ; *ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur* : quod & a Theodoſio & Valentiniano ſub gravi pœna ſancitum erat in *L. unica* , *Cod. nemini liceat ſignum Salvatoris*, &c. At hanc legem , ac conſequenter & hunc Canonem , antiquatam eſſe recte monet Tuldenus ad dictum titulum Codicis, addens: „ in
„ reverentia crucis credit , quod omni luce ſive infer-
„ ne ſive ſuperne obſervatur .

CANON LXXIV.

Quod non oportet in Dominicis locis vel Eccleſiis eas quæ dicuntur agapas , id eſt , charitates facere , & intus in æde comedere , & accubitus ſternere . Qui autem hoc auſi fuerint , vel ceſſent , vel ſegregentur .

SCHOLION.

Agapæ Chriſtianorum.

DE his Agapis loquitur Apoſtolus 1. *Corinth.* 11. non quidem ipſum convivandi inſtitutum improbans , ſed conquerens , *quod in melius , ſed in deterius convenirent Corinthii* . Notanſque una abuſus , qui in hæc convivia irrepſerant. Increpationem autem ſuam concludens, hac clauſula, *cætera cum venero diſponam.*

Admodum itaque probabile eſt Apoſtolum circa hæc convivia diſpoſuiſſe , ritumque Chriſtianum , quo peragenda eſſent , ipſius poſtmodum præſcripſiſſe .

Laudatæ a Tertulliano.

Scimus enim etiam poſt deceſſum Apoſtolorum , hæc convivia apud Chriſtianos ſuperfuiſſe , & quidem valde chriſtiane ſummaque moderatione ea peracta fuiſſe ſæculo III. docet nos Tertullianus in *Apologetico cap.* 39. ita hæc deſcribens , „ Cœna noſtra de nomine ratio-
„ nem habet, vocatur enim *Agape* , quod vocatur *di-*
„ *lectio* apud Græcos : quantiſcumque ſumptibus con-
„ ſtet , lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumptum :
„ ſiquidem inopes quoſque iſto refrigerio juvamus „ ,
eorum ordinem , modeſtiam , & ſanctitatem ibidem adverſus Gentiles apologetice deſcribit.

A Minutio Felice.

Laudat quoque hæc convivia Minutius Felix in ſuo dialogo. „ Convivia non tantum pudica colimus , ſed
„ & ſobria ; nec enim indulgemus epulis , aut convi-
„ vium mero ducimus , ſed gravitate hilaritatem tem-
„ peramus.

Eorum quoque meminiſſe videtur Plinius Secundus in litteris ad Trajanum Auguſtum , referens ea , quæ juridice interrogati Chriſtiani , paſſim reſponderent : nimirum „ hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ , vel
„ erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem con-
„ venire , carmenque Chriſto , quaſi Deo dicere ſecum
„ invicem ... quibus peractis , morem ſibi diſcedendi
„ fuiſſe, rurſuſque coeundi ad capiendum cibum , *pro-*
„ *miſcuum* tamen & innoxium.

A S. Chryſoſtomo.

Sæculo IV. priſcas has epulas Chriſtianorum graphice expreſſit S. Chryſoſtomus, in *commentario Epiſtolæ ad Corinthios*. „ Fideles omnes, ait, in conventibus ſuis
„ poſtquam audiſſent doctrinas, poſt preces , poſt my-
„ ſteriorum communionem , ſoluta concione , non mox
„ domum conſcendebant : ſed divites , alimenta &
„ edulia domibus ſuis afferentes , pauperes vocabant ,
„ communeſque faciebant menſas, communia prandia,
„ communia convivia in ipſa Eccleſia : atque ita a
„ communione menſæ & pietate loci undequaque ad
„ pietatem aſcendebantur.

Defenſæ a S. Auguſtino contra Manichæos

Et Manichæis Chriſtianos accuſantibus , quod Gentilium ſacrificia in ſuas Agapes converterent , reſpondit S. Auguſtinus , *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 20.
„ Nec ſacrificia eorum (Paganorum) vertimus in Aga-
„ pes ; ſed ſacrificium illud , quod paulo ante comme-
„ moravi , intelleximus dicente Domino, *miſericordiam*
„ *volo quam ſacrificium* . Agapes enim noſtræ paupe-
„ res paſcunt , ſive frugibus , ſive carnibus.

Et infra: „ quoniam plerumque in Agapibus etiam
„ carnes pauperibus erogantur , miſericordiam Chri-
„ ſtianorum ſimilem dicitis ſacrificiis Paganorum.

Hinc videmus , quare hæc convivia , quibus pauperes paſcebantur , merito *Agapes* , ſive convivia *dilectionis* vel *charitatis* dicta fuerint.

Inſuper hinc intelligitur , nihil inordinati habuiſſe , quod hæc convivia *charitatis* etiam in ipſis Templis Chriſtianorum , poſt ſumptam ſacram Euchariſtiam , & celebrata divina myſteria inſtruerentur , quamdiu ipſa *charitas* , aliæque virtutes chriſtianæ in hoc convivio ſanctificabant .

Propter abuſum abrogatæ, primum in Italia, ac nominatim Mediolani.

Verum non multo tempore hæc moderatio & ſanctitas charitaſque in his conviviis ſervari potuit , ſed ſenſim exceſſus , commeſſationes , ebrietates , aliaque ex his pullulantia vitia etiam in hæc convivia irrepſerunt , quin & Gentilium ſuperſtitio ſe ſubinde immiſcuit . Hæc cum ſancti Epiſcopi & Paſtores adverterunt, cenſuerunt ea ſenſim abroganda.

Ex his , quæ de matre ſua ſcribit Auguſtinus , *lib.* 6. *conf. cap.* 2. conſtat , illa eo jam tempore in Eccleſia Mediolanenſi per S. Ambroſium fuiſſe abrogata.

Narrat enim ibidem Auguſtinus, matrem ſuam ipſum ſecutam Mediolanum : „ cumque , ait , ad memorias
„ Sanctorum , ſicut in Africa ſolebat , *pultes* , & *pa-*
„ *nem* & *merum* attuliſſet , atque ab Oſtiario prohi-
„ beretur , ubi hoc *Epiſcopum* (Ambroſium) *vetuiſſe*
„ cognovit , tam pie atque obedienter amplexa eſt , ut
„ ipſe mirarer , quam facile accuſatrix potius *conſue-*
„ *tudinis ſuæ* , quam diſceptatrix illius *prohibitionis*
„ effecta ſit.

Dixit autem ibidem S. Auguſtinus a S. Ambroſio *præceptum fuiſſe iſta non fieri , nec ab eis , qui ſobrie facerent . Primo ne ulla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis . Secundo , quia illa quaſi parentalia ſuperſtitioni Gentilium eſſent ſimillima.*

In Africa adhuc frequentata fuiſſe prædicta convivia, quando jam relata tentabat S. Monica, indubitatum eſt; ſed & hoc conſtat, quod & ætate S. Auguſtini, in ebrietates & commeſſationes hæc convivia defluxiſſent: quoque S. Auguſtinus ea reſcindere ſtuduerit, ſcripta ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum *Epiſt.* 22. atque inter alia ſcribit: „ commeſſationes „ & ebrietates ita conceſſæ & licitæ putantur, ut in „ honorem etiam Beatiſſimorum martyrum, non ſolum per dies ſolemnes (quod ipſum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis ſuſpiciat) „ ſed etiam quotidie celebrentur.

Deinde ex Apoſtolo aſſerta ebrietatis fœditate & criminis gravitate ſubjungit; „ ſed feramus hæc in luxu „ & labe domeſtica, & eorum conviviorum, quæ privatis parietibus continentur, accipiamuſque cum eis „ corpus Chriſti, cum quibus panem edere prohibemur; ſaltem de ſanctorum corporum ſepulcris, ſaltem de locis ſacramentorum, de domibus orationum „ tantum dedecus arceatur. Quis enim audet vetare „ privatim, quod cum frequentatur in ſanctis locis, „ honor martyrum nominatur.

Poſt hæc Aurelium hortatur, ut exemplo aliorum Epiſcoporum, qui hæc convivia vel nunquam admiſerunt, vel admiſſa abrogarunt, huic malo in Africa remedium adhibere non dubitet. „ Hæc ſi prima Africa tentaret „ auferre, a cæteris terris imitatione digna eſſe deberet; cum vero & per Italiæ maximam partem, & „ in aliis omnibus, aut prope omnibus tranſmarinis Eccleſiis, partim quia nunquam factæ ſunt, partim quia „ vel orta, vel inveterata ſanctorum, & vere de vita „ futura cogitantium Epiſcoporum, diligentia, & animadverſione extincta atque deleta ſint, dubitamus „ quomodo poſſumus tantam morum labem, vel propoſito tam lato exemplo emendare.

Non tamen ſine magna difficultate.

Candide tamen fatetur, quod „ tanta peſtilentia ſit „ hujus mali, ut ſanari prorſus, quantum, aut, mihi „ videtur, niſi Concilii auctoritate non poſſit.

Quomodo Auguſtinus etiam adhuc Presbyter, non obſtante inveterata conſuetudine, etiam pallio religionis velata, necnon multorum auctoritate propugnata, hæc convivia in Eccleſia Hipponenſi abrogaverit, conſtat ex ejus ad Alipium epiſtola, & late oſtendimus in Scholiis ad *Canonem* 42. Codicis Africani.

Agapæ prohibit. Canone 28. Laodiceno.

In Eccleſia Græca etiam ſæculo IX. hæc convivia in Eccleſiis celebrari vetuit Synodus Laodicena *Can.* 28. ſed ea eſt vis conſuetudinis quantumvis peſſimæ, ut difficillime abrogetur, aut abrogata facile reviviſcat, ſi concupiſcentiæ faveat, & una religionis & pietatis velamento, velari queat.

Quapropter prædictum Canonem Laodicenum hic rurſus renovandum duxit Synodus, pœnamque ſegregationis in contradicentes adjecit.

Vetat autem & præſens Canon *& accubitus ſternere in Dominicis locis, vel Eccleſiis.* „ Nonnulli enim, ut „ videtur, ait Balſamon, lectulos in medium templi „ ſubmittentes, hujuſmodi toros, ſeu ſtrata, vel ad „ majores delicias, vel alioquin ad ſuam quietem, faciebant; quod eſt etiam prohibitum.

De præſenti Canone Trullano.

Notandum quod olim moris fuerit, ut cœnantes in lectis accumberent, uti pluribus exponit Roſinus, *lib.* 5. *Antiq. Romanarum cap.* 28. atque ad hunc ritum veriſimiliter reflectit Synodus, vetans *accubitus ſternere.*

CANON LXXV.

Eos, qui in Eccleſiis ad pſallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, & naturam ad clamorem urgere; nec aliquid eorum, quæ Eccleſiæ non conveniunt, & apta non ſunt, adſciſcere; ſed cum magna attentione & compunctione pſalmodias Deo, qui eſt occultorum inſpector, offerre. Pios enim & ſanctos fore filios Iſrael, ſacrum docuit oraculum.

SCHOLION.

Concinne pſallendum.

CIRCA cantum Eccleſiaſticum, tria hoc Canone obſervanda præſcribuntur.

Primum ut qui *in Eccleſiis ad pſallendum accedunt; nec inordinatis vociferationibus utantur, nec naturam ad clamorem urgeant*; ſat manifeſtum eſt, Synodum hic loqui de clamoroſa & vehementi vociferatione, quæ etiam vi quadam exploditur, ideoque vim naturæ infert.

Has in Eccleſia a fidelibus in unum orationis cauſa coeuntibus evitandas, jampridem monuerat S. Cyprianus, in ſermone de *Oratione Dominica.* „ Quando in „ unum cum fratribus convenimus, & ſacrificia divina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiæ & „ diſciplinæ memores eſſe debemus; non paſſim ventilare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem modeſte commendandam Deo tumultuoſa loquacitate jactare: quia Deus non vocis, ſed cordis „ auditor eſt: nec admonendus eſt clamoribus, ſed „ cogitationes hominum videt „. Cæterum aſſertum ſuum multis probat teſtimoniis & exemplis a ſacra „ Scriptura petitis.

Pſallendum eſſe in Eccleſia *ſuaviter* & diſtincte, omnes paſſim Synodi inculcant, ſuadentque ipſa divinæ pſalmodiæ reverentia, & finis, qui eſt, ut per eam fideles ad pietatem & compunctionem cordis, & pium in Deum affectum excitentur. Unde S. Auguſtinus, *lib.* 10. *Confeſſ. c.* 33. diſcutiens, quid melius ſit, an pſalmos in Eccleſia cantare, an ſimpliciter recitare, tandem concludit. „ Cum *liquida* voce, & convenientiſſima modulatione *cantantur* (Pſalmi &c.) magnam „ inſtituti hujus utilitatem . . . agnoſco. Additque ſe „ magis adduci *cantandi* conſuetudinem approbare in „ Eccleſia; *ut per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat.*

Nil levе aut immodeſtum ſit in cantu Eccl.

Secundo ſtatuit præſens Canon, ne qui in Eccleſiis ad pſallendum accedunt, *aliquid eorum, quæ in Eccleſia non conveniunt & apta non ſunt adſciſcant.* „ Quales ſunt, ait Zonaras hic, infracti illi modorum „ ſoni, argutæque cantilationes, atque ad ſcenicos „ meretricioſque ritus, nimis evariata modulatio, quibus, ait, præcipue hoc tempore, in Templis canentium cura impenditur.

Quod de ſuæ ætatis cantoribus dixit Zonaras, hoc ſane in noſtris Templis vel dolenter veriſſimum eſſe; conſpicimus; ac ſæpe nonniſi levem, nequid pejus dicam, muſicam in Templis noſtris audimus; immo non raro theatrales potius quam eccleſiaſticos modulos inferri auribus noſtris dolemus.

Attente & cum compunctione pſallendum.

Tertio ſtatuit Canon, *ut cum magna attentione & compunctione pſalmodias Deo, qui eſt occultorum inſpector, offeramus.* Nimirum juxta illud Apoſtoli *Eph. V. cap.* 5. *verſ.* 19. *cantantes in cordibus veſtris Domino.* Ad quæ verba Theodoretus ait; „ corde canit, qui „ non ſolum linguam movet, ſed etiam mentem excitat ad eorum, quæ dicuntur, intelligentiam.

De his omnibus latius egimus *Tom. V.* in *diſſertatione de Horis Canonicis parte* 1. *cap.* 4. 5. *&* 6.

CANON LXXVI.

Quod non oportet intra ſanctos ambitus cauponariam officinam, vel ciborum ſpecies proponere, vel alias venditiones facere, ſuam venerationem Eccleſiis ſervantes. Salvator enim noſter, & Deus, per ſuam in carne vivendi rationem nos inſtituens, non facere domum Patris ſui domum negotiationis juſſit; qui etiam numulariorum menſas effudit, & eos, qui ſacrum commune faciunt, ejecit. Si quis ergo in prædicto delicto deprehenſus fuerit, ſegregetur.

SCHOLION.

Res venales in Templis non exponantur.

SCOPUS hujus Canonis eſt, ut ab Eccleſia, ejuſque ambitu amoveantur omnia profana, ac præcipue quæ ad quæſtum, ſeu negotiationem pertinet, conformiter ad ea quæ nos docuit Salvator ſcilicet, *non facere domum Patris ſui, domum negotiationis, qui etiam numulariorum menſas effudit, & eos, qui ſacrum commune faciunt, ejecit*, uti loquitur Canon noſter.

Ad notandum, quod non agat Canon contra hæc agentes in Eccleſiis, ſed in eos qui intra ambitum ſacri loci ea faciebant. „ Quod enim in medio Templi, vel „ in ejus *veſtibulo* ſit caupona, vel mercatorum conventus, nulli Chriſtiano ne in mentem quidem venit, ait hic Balſamon „; unde nec de his loquitur Canon, ſed de ſacris *ambitibus* duntaxat. „ Sunt vero, „ inquit Zonaras hic, ſacri ambitus omnia ſanctorum „ Templorum ſepta, ita ut neque in Templorum areis, neque in veſtibulis, aliquid ejuſmodi fieri Canon ſinat.

His itaque ambitibus continentur & *Cœmeteria* noſtris Eccleſiis Parochalibus annexa, a quibus profanas actiones, ac ſignanter mercatus, & quæ ad quæſtum inſtituuntur, etiam Latinæ Eccleſiæ recentiora Conciliorum decreta abeſſe volunt.

Neque in Cœmeteriis. de quibus Concilium Lugdun. ſub Greg. X. Synod. Cameracenſ. 1550.

Concilium Lugdunenſe, ſub Gregorio X. in *cap.* 2. *de immunit. Eccleſ. in VI.* nominatim de his Cœmeteriis loquens, ſtatuit, *ut ceſſent in Eccleſiis, earumque Cœmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum ac fori cujuſcumque tumultus.*

Interim antiqua ſtatuta Diœceſis Cameracenſis, renovata in Synodo Diœceſana anno 1550. *tit.* 13. legitur: „ inhibemus ne in Eccleſiis & *Cœmeteriis* judicia ſæcularia ſerventur, neque ludi hiſtrionum & „ joculatorum exhibeantur, nec forum rerum venalium teneatur, nec banna, ſeu edicta ſæcularium judicum proclamentur.

Audomarenſis 1585.

Synodus Audomarenſis ſub Joanne Six, anno 1585. *tit.* 23. *cap.* 1. ſtatuit; „ loca ſacra, Eccleſias, & *Cœmeteria* Paſtores libera ſervare ſtudeant.

Buſcoducenſis ſub Metſio.

Conſonant & aliæ Belgicæ Synodi, præcipitque Synodus Buſcoducenſis ſub Metſio *tit.* 23. *cap.* 4. „ Cœmeteria per Magiſtros Fabricæ, muris, foſſis, ſepibus vel cancellis ita communiri & obſtrui, ut ad „ ea, vaccis, porcis, aut aliis brutis, nullus pateat „ acceſſus; ne ea hoc modo dehoneſtari aut defœdari „ contingat; inhibens inſuper, ne ad paſtionem animalium immundorum, utpote vacarum & porcorum „ elocentur.

Idipſum

Antuerpiensis sub Miræo.

Idipsum servari mandat Synodus Antuerpiensis sub Miræo *tit.* 22. *cap.* 11. " Addens insuper, ne in eis „ fiant struens lignorum, fœni, aut domus, nisi forte „ pro Schola ædificentur; multoque minus, ait, per- „ mittuntur in eis lusus, aut insolentiæ puerorum, aut „ aliorum quorumcumque.

Namucensis 1539.

Synodus Namurcensis anno 1539. *tit.* 3. *cap.* 67. inhibet: " ne herbæ cœmeteriorum ab ullius, etiam Pa- „ storis, animalibus depascantur; nec eo loci lintea „ dealbentur, neque in Ecclesiarum vestibulis grana „ excutiantur ". Quin & *cap.* 68. addit: " in Cœme- „ teriis arbores frugiferæ deinceps non plantentur ": & *cap.* 70. " pueri non permittantur ludere in Cœmete- „ riis "; tandem *cap.* 71. " in iisdem Cœmeteriis, aut „ locis sacris, nullæ merces venales exponantur.

Horum omnium decretorum idem qui hujus Canonis, scopus est, scilicet rejicere a locis sacris omnes profanas actiones, præsertim autem quæ quæstum & *negotiationem* sapiunt, ut domus Patris cœlestis sit domus orationis, & non negotiationis.

Nequidem ad sacrificium pertinentia hic vendantur.

Porro cum Canon alludat ad factum Christi ejicientis ementes & videntes in Templo; non obscure innuit etiam ad ea, quæ sacrificium aut Ecclesiæ usum spectare possent, hanc prohibitionem extendi: cum teste venerabili Beda, quæ in Templo Hierosolymitano vendebantur, & a Christo ejiciebantur, ad usum sacrificiorum illius temporis pertinerent.

Unde S. Carolus in Synodo sua Provinciali I. *part.* 2. *cap.* 57. statuit: " Ne Clericus, aut alius quivis in „ Ecclesiis, earumve Cœmeterio, atrio, vestibulo, „ aut porticu, foribusve, quidquam venale exponat, „ *ne si ad usum quidem sacrificii vel Ecclesiæ futurum* „ *sit*. Idem iisdem verbis habet Synodus Aquensis anni 1585. pluresque aliæ Synodi.

Quinam mercatores potissimum ex Ecclesiis eliminandi?

Porro nulla negotiatio directius sanctitati locorum sacrorum opponitur, nullaque oculos divinæ majestatis magis offendit, quam sacrilega illa, qua Sacerdotes & Ministri altaris de ipsis Religionis mysteriis & rebus ad cultum Dei spectantibus mercantur, nec Dei gloriam & proximi salutem, sed lucrum & temporalia commoda quærunt. Igitur hujusmodi mercatura & mercatores ex Ecclesiis præcipue essent expellendi: nec dubium, quin Christus in ea de templo ementium & vendentium ejectione, præcipue similes sacrilegos mercatores præ oculis habuerit.

CANON LXXVII.

Quod non oportet sacris initiatos, vel Clericos, vel Ascetas, id est, Exercitatores seu Monachos, lavari cum mulieribus, nec omnem Christianum Laicum Hæc est enim prima condemnatio apud Gentes. Si quis autem hac in re deprehensus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur: sin autem Laicus, segregetur.

SCHOLION.

Balnea cum mulieribus communia vetita.

APUD Orientales, aliosque calidioris climatis incolas, Balneorum, seu Lavacrorum frequentissimus usus fuit, immo tanta pene lavandi; quam edendi & bibendi existimabatur necessitas & voluptas. Hinc & Monachis Balneorum usum Patres permiserunt; quodvis olim Monasterium, ait hic Christianus Lupus, quomodo culinam, ita & balneum habuit; immo inter duriores pœnitentiæ molestias, numerabatur balneis abstinere: hinc diebus quadragesimæ balneis non uti tandem invaluit; quod Græci posteriores extenderunt ad *quartas & sextas ferias*, jejunari solitas, uti liquet ex responsis Nicolai I. ad consulta Bulgarorum *cap.* 6.

Ipsi Ethnici id vetuerunt.

Quamvis balneorum usus, lavandique mos a nemine unquam fuerit improbatus, immo judicatus fuerit corporibus a sordibus purgandis conveniens, quin & quodammodo necessarius, præsertim in regionibus calidioribus, tamen in his honestatem & castimoniam requisierunt etiam Ethnici.

Atque in primis improbarunt promiscua illa balnea; in quibus utriusque sexus personæ simul lavarentur, etenim de Trajano Augusto encomiastice scribit Ælius Spartianus; *Balnea pro sexibus separavit*: & de Alexandro Augusto Lampridius: *Balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit*.

Videbant sane vel ipsi Ethnici solo lumine naturæ, fœdas & inhonestas esse lotiones, ubi ipsa corpora nudantur; hasque sine castitatis læsione, aut saltem ejus periculo fieri non posse.

Idem Justinianus Imperator.

Vidit & illud Justinianus, qui *Novella* 22. *cap.* 16. edixit: " si mulieris tanta sit libido, ut etiam cum viris voluptatis occasione lavetur, licentia datur viro, mittere ei repudia, ut lucrari dotes, & antenuptiales „ habere donationes ". Et *Novella* 118. *cap.* 8. inter legitimas repudii causas reponit: " si mulier cum vi- „ ris extraneis, nolente marito; *lavetur*.

Publica lotio prohibita.

Recte ergo dixit in præsenti Canone Synodus, quod virum Christianum lavari cum mulieribus, *sit prima condemnatio apud Gentes*, utpote quod ipsæ Gentes solo lumine naturæ condemnarunt, tamquam honestati & pudicitiæ adversum.

Quin eumdem in finem legibus Romanis jampridem cautum fuit; ne nudus quidem miles in conspectu exercitus lavaretur, *Lege* 12. *Cod. de re Militari*, *lib.* 12. addita ratione; " ne deproperans publicos oculos nu- „ datus incesset, sed procul a cunctorum obtutibus in „ inferioribus partibus fluviorum hoc ipsum faciat.

Ad hæc verba reflectens Dionysius Gothofredus in notis, ait: " Quod summo sane pudore factum, quodque hodie nobis probro est, in militibus etiam *nudata* „ corpora non tulisse, qui summa inverecundia nudos „ omnimodo in publicis fluviis lavari æstate sinimus „ & spectamus.

Eamdem legem referens Zypæus, in *notitia juris Belgici tit. ad L. Jul. de adult. num.* 5. ait; quod & „ castarum civitatum edictis sæpius proclamatur, sed „ non usquequaque servatur ": negligentia nimirum Magistratuum & Superiorum, qui utinam serio attenderent peccata ex publica illa membrorum nuditate provenientia, & quomodo sua in exequendis edictis negligentia eorum efficiantur participes.

Distinctio sacris initiatorum Clericorum, Ascetarum, & Laicorum.

Notandum hoc Canone, uti & *Canone* 30. Laodiceno, qui hic renovatur, quatuor personarum genera enumerari nimirum sacris initiatos, Clericos, Ascetas, & Laicos, quos ita distinguit Balsamon hic: " Sacris „ initiati sunt, inquit, qui sunt ex sacro tribunali, „ qui etiam ordinantur; Episcopi scilicet, Sacerdotes, „ Diaconi, & Hyppodiaconi, Clerici, omnes qui ex- „ tra *sacrum Tribunal*, in Templis serviunt; ut Le- „ ctores, Ostiarii, & alii ejusmodi. *Ascetæ* autem, „ Monachi, qui Episcopalem characterem non acce- „ pere, sed solam *tonsuram Monachalem*: qui Episco- „ palem tonsuram accepere dicuntur Clerici, Ascetarum autem & Monachorum nulla est differentia.

Hæc Balsamon, e quibus sat patet qui hoc Canone *Laici* dicantur, nimirum communes fideles, qui non sunt de uno prædictorum trium generum personarum.

Hic quoque habemus, Monachos a Laicis distingui, quatenus vitam etiam a communi Laicorum vivendi ratione separatam profitentur; sed & eosdem a Clericis distingui, tamquam nullo Episcopali charactere insignitos, nec Ecclesiæ ministeriis per Episcopos adscriptos.

Unde pœna *segregationis* hoc Canone inflicta, etiam Monachos concernit, uti monet Zonaras hic; quia cum nullum characterem seu tonsuram Clericalem habeant, nequeunt ut Clerici deponi, sed duntaxat ut Laici segregari.

CANON LXXVIII.

Quod oportet eos, qui illuminantur fidem discere, & quinta septimanæ feria Episcopo, seu Presbyteris renunciare.

SCHOLION.

Catechumeni feriis quintis ab Episcopo seu Presbytero instruendi & probandi.

PRÆSENS Canon coincidit cum *Canone* 46. Laodiceno, cujus proinde Scholion videri poterit. Hoc unum hic notandum ad vocem *septimanæ* nullum addi epitheton quo referatur ad unam singularem *septimanam redditio fidei* Episcopo facienda, uti nec additur *Canone* 46. Laodiceno, prout legitur apud Græcos; atque hinc arguitur, Græcam Canonis illius lectionem esse genuinam, in eoque Canone, uti & præsenti, non agi de solemni symboli redditione, a Catechumenis *immediate* ante baptismum fieri solita; sed de privata instructione & probatione, circa fidei & Religionis mysteria, quemadmodum ad dictum Canonem Laodicenum notatum est.

CANON LXXIX.

Absque ullis secundinis ex Virgine partum esse confitentes, ut qui sine semine constitutus sit, idque toti gregi annuntiantes; eos, qui propter ignorantiam aliquid faciunt quod non decet, correctioni subjicimus. Quare quoniam aliqui post sanctæ Christi Dei nostri nativitatis diem similem coquere ostenduntur, & eam sibi invicem impertiri, honoris scilicet prætextu secundinarum impollutæ Virginis matris: statuimus, ut deinceps nihil tale fiat a fidelibus. Neque enim hoc honor est Virginis, quæ supra mentem & sermonem, quod comprehendi non potest verbum peperit carne, ex communibus & ex iis quæ in nobis fiunt, inenarrabilem ejus partum definire, metiri ac describere. Si quis ergo deinceps hoc facere aggressus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur: si vero Laicus, segregetur.

SCHOLION.

Diva Virgo non est passa, vere, partum.

CHRISTIANUS Lupus, in Scholio ad hunc Canonem arguit Synodum ab antiquæ Ecclesiæ dogmate recedere, quod Domino Jesu Christo secundinas deneget in nativitate. *Secundæ* seu *secundinæ* vocantur membranæ, quibus infans in utero matris involvitur, quæque infantem enixum comitantur; Christum more aliorum infantium his membranis in utero virginali jacuisse involutum, atque eis circumdatum ex utero materno prodiisse SS. Patres agnovisse videntur, & ex pro-

fessio docet S. Hieronymus *in libro contra Helvidium*, uti recte notavit Lupus ibidem.

Verum non perinde constat, num Synodus aliter de hoc antiquo dogmate senserit; non enim de his *secundinis* hoc Canon loquitur, si lectionem Græcorum attendamus; sed de *puerperio*. Ita enim Græci legunt; *Absque puerperio*, editum ex Virgine *divinum partum esse confitentes*, &c.

Ita hunc Canonem legisse Balsamonem & Zonaram, ex eorum commentariis patet; definitque Zonaras *puerperium* de quo agit Canon, quod sit emissio fœtus, quam *doloris* sensus, ac *profluvium* sanguinis comitantur. Quibus quidem malis, ait, nullatenus obnoxiam fuisse Deiparam credimus.

Sane credimus & nos, Deiparam sine ullo doloris sensu, divinum suum fructum enixam esse, ideoque nec more aliarum mulierum *puerperium* subiisse.

Noluit igitur Synodus in honorem Deiparæ, immediate post natalem Domini exhiberi, quæ in aliarum mulierum *puerperio* fieri solebant, ne insinuari videretur, Deiparam *puerperio* fuisse obnoxiam. " Quæ enim „ puerperium non agnovit, quid nos ei quæ puerperarum sunt, exhibemus "; ait Zonaras.

Credere videntur & hodie e vulgaribus nonnulli, Deiparam in *puerperio* fuisse a Christi Nativitate usque ad Festum *Purificationis*; atque in ejus memoriam in plerisque Ecclesiis inductam esse in diebus Sabbati per id tempus occurrentibus esum carnium: qua de re, cum occasio fuerit, Pastores populum instruere poterunt.

CANON LXXX.

Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus; vel eorum qui in Clero enumerantur, vel Laicus nullam graviorem habet necessitatem, vel negotium difficile; ut a sua Ecclesia absit diutissime, sed in civitate agens; tribus diebus Dominicis in tribus septimanis una non conveniat, si sit quidem Clericus, deponatur: si vero Laicus, segregetur.

SCHOLION.

Contra eos, qui tribus Dominicis absunt a Parochiali officio.

PRÆSENS Canon coincidit cum Canone XIV. Sardicensi, cujus Scholion videri potest.

Ratio, ob quam hæc negligentia in Clericis puniatur *depositione*, & in Laicis *segregatione*, a Balsamone annotatur: " Ex eo enim duorum alterum apparet, eum „ vel divina præcepta, divinasque psalmodias, & ora- „ tiones non curare, vel non esse fidelem. Cur enim „ 20. diebus cum Christianis versari noluit, unaque „ cum Dei fideli populo communicare?

Hoc eodem fundamento, jampridem Synodi præsumpsere, eos, qui tribus Dominicis a parochiali officio abfuerint, ex contemptu abesse, judicandosque & parochiam contemnere, uti in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 2. *tit.* 3. *cap.* 11. annotatum est.

CANON LXXXI.

Quoniam in nonnullis locis didicimus in Hymno, quo ter sanctus canitur, additamenti loco dici post illud, sanctus immortalis, hoc, qui crucifixus es pro nobis, miserere nostri; *id autem ab antiquis sanctis Patribus, ut a pietate alienum, ex hoc Hymno ejectum est cum scelerato hæretico, qui hanc vocem innovavit; nos quoque, confirmantes ea, quæ a sanctis nostris Patribus prius pie constituta sunt, anathematizamus eos, qui post præsens Decretum ejusmodi vocem admittunt in Ecclesiis, vel aliquo alio modo sanctissimo Hymno adjungunt. Et si est quidem Sacerdotalis Ordinis, qui transgressus est eum, Sacerdotali dignitate privari jubemus: sin autem Laicus vel Monachus, segregari.*

SCHOLION.

De Trisagio, ejusque additamento.

HOC Canone sermonem esse constat de Hymno, qui *Trisagion* sive *ter sanctus* vocatur, quemque puero in aere elevato divinitus fuisse revelatum tempore Procli Archiepiscopi Constantinopolitani, & Theodosii junioris vulgo creditur, historiamque ex Nicephoro, aliisque recitat Baronius in annalibus ad annum 446. vel ad an. 447. sed ante hunc annum a vivis excesserat Proclus (*a*).

Quidam Monachus, dictus Petrus Fullo sive Gnapheus, qui e Monasterio ob hæresim ejectus, Antiochenam Sedem opera Zenonis Prætoris, & Leonis Imperatoris iterato invasit, huic Hymno addidisse scribitur hæc verba: *Qui passus est pro nobis*, quibus adscribere videbatur Passionem sanctissimæ Trinitati.

Extant sub nomine Felicis III. Episcopi Romani duæ epistolæ ad dictum Petrum Fullonem Episcopum Antiochenum, & tertia ad Zenonem.

In priore arguit Petrum Fullonem sive Gnapheum, quod " sicut hi, qui piscationem sectantur, hamum „ esca contegunt, & ex improviso pisces capiunt; sic „ & tu, ait, *Angelicæ* laudationi *additionem* induxi- „ sti, & *Trisagiæ* deprecationum, quasi pietatis ob- „ tentu, diram impietatem excogitasti.

Ulterius addit: " Ex pluribus Orientalibus Provin- „ ciis litteras suscepimus, significantes nobis, quomo- „ do veneratio tua dudum sopitum Valentiniani dog- „ ma resumpsit, & irritatur a vobis Salvatoris Incar- „ natio; quodque in Manichæorum dogma, & Arii „ & Apollinaris, Paulique Samosateni incidistis.

Post hæc refert historiam renuntiati *Trisagii*, & per ejus decantationem, terræ motus sedati, prout hæc a Græcis ex eorum Menologio publice in Ecclesia annuatim legitur, dein addit; „ at quam temere, „ ut Scripturas divinas reliquas, ita & *Angelorum* „ laudem pervertere præsumpsisti.

Secunda epistola, quæ ex Synodo Romana ad eumdem scripta dicitur, continet sententiam condemnationis ejusdem Petri Fullonis. In tertia Zenonem hortatur, ut sua auctoritate intemeratam Ecclesiæ fidem tueri velit.

Præter has Felicis Romani Pontificis litteras, referuntur plures variorum Orientalium Episcoporum ad ipsum Petrum Fullonem, seu Gnapheum epistolæ, quibus illum de variis hæresibus arguunt, & signanter de prædicto ad *Trisagion* additamento. Verum has omnes epistolas Felicis Romani Pontificis, necnon aliorum Episcoporom, una cum Synodo Romana, in qua anno 483. prædictæ Episcoporum litteræ fuissent recitatæ, & e qua suas dedisse fertur Romanus Pontifex suppositītias, & ab aliquo homine Græco confictas, pluribus probat Henricus Valesius, in notis ad fragmenta Theodori Lectoris, eique consentiunt Ludovicus Dupin, in sua Bibliotheca Ecclesiastica, & Natalis Alexander in Synopsi historica sæculi V. *cap.* 3. *art.* 27.

Illud constant a pluribus sæculis, in Oriente hanc additionem in sensum hæreticum acceptam fuisse; quemadmodum & Patres hujus Synodi eam accepisse, ex hoc Canone patescit; ideoque & tam sollicite eamdem rejiciendam decernunt.

Hoc tamen & ex hoc Canone intelligimus, tempore hujus Synodi, id est sub finem sæculi VII. in aliquibus locis additamentum illud fuisse retentum.

Et sane dubitari nequit, quin in sensu Catholico sumi queat, intelligendo scilicet totum *Trisagion* de Christo, qui & *sanctus Deus*, *sanctus fortis*, *sanctus immortalis* vere dici potest, & Orientales quosdam Hymnum hunc in eo sensu accepisse, ipsumque propterea additamentum admisisse testatur Ephremius apud Photium in Bibliotheca *nu.* 228. qui scribit: „ Asserit E- „ phremius eumdem Hymnum Orientales Christo Jesu „ attribuere, ac propterea nihil peccare, tametsi adj- „ iciant, *crucifixus pro nobis*: Constantinopolitanos ve- „ ro atque Occidentales, in supremum sacratissimum- „ que bonorum omnium fontem consubstantialem Tri- „ nitatem, sententia refere; idcirco non sustinere il- „ lud addi, *crucifixus pro nobis*, ne qua passio Trini- „ tati attribuatur. In multis enim Europæ ditionibus, „ pergit, pro illo, *qui crucifixus est pro nobis*, hoc re- „ ponunt: *sancta Ttrinitas miserere nobis*.

Hæc ille, qui & asserit, neutram partem esse arguendam, quando in cæteris piis dogmatibus nihil depravare comperiantur; neque ullam se reperire rationem, cur alterutra pars reprehendatur, vel in disquisitionem revocetur. Quod & pluribus confirmat Lupus ad hunc Canonem; qui ibidem fusius originem hujus Trisagii, ejusque additamenti prosequitur. Addi potest Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii.

Hymnus hic relatus ad *sanctam Trinitatem*, sine additamento frequenter in Officio divino apud Græcos reperitur, apud Latinos autem plublice & solemniter decantatur Græce & Latine feria sexta Parasceves, idque forma Græcorum sine additamento: idque jam tempore Ephremii apud Occidentales, seu Latinos receptum fuisse, ex relatis verbis constat.

CANON LXXXII.

In nonnullis venerabilium imaginum picturis Agnus, qui digito præcursoris monstratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram assumptus est, verum nobis agnum per legem Christum Deum nostrum præmonstrans. Antiquas ergo figuras & umbras, ut veritatis signa & characteres Ecclesiæ traditos, amplectentes, gratiam & veritatem præponimus, eam ut legis implementum suscipientes. Ut ergo quod perfectum est, vel colorum expressionibus omnium oculis subjiciatur, ejus qui tollit peccata mundi, Christi Dei nostri humana forma characterem etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno erigi ac depingi jubemus: ut per ipsum Dei verbi humiliationis celsitudinem mente comprehendentes, ad memoriam quoque ejus in carne conversationis, ejus-

(a) De hoc prodigio nonnulli dubitant; inter varias de suo dubio rationes eam potissimum proponunt; " sufficiebat animus „ sacræ Scripturæ peritus, inquiunt, in qua voces illæ omnes „ divisæ reperiuntur, quibus colligendis pius quivis erat idoneus; „ in iis vero, quæ indubitata sunt, illud invenimus, quod absque „ necessitate non sint admittenda miracola.

ejusque passionis & salutaris mortis deducamur, ejusque quæ ex eo facta est mundo redemptionis.

SCHOLION.

De Agnis Dei. RATIONEM prohibitionis, de qua in Canone, esse quod voluerint *cessare typos præsente veritate*, id est *Agnum* figuram Christi, præsente Christo, recte advertit Caranza, additque, ideo & prohibuisse *Spiritum sanctum sub columba figurari, & Magos sub stella*. His Caranzæ verbis relatis subbit Molanus in oratione de *Agnis Dei*, *c.* 16. *Cæterum Græcos hic, nec accusandos, nec defendendos suscipio.*

Et merito; sciebat quippe vir eruditus, posse uno tempore & certis locis picturas aliquas jure prohiberi ob periculum erroris, in quem rudis populus earum occasione prolapsurus timetur; quæ alio tempore, & alio loco, ubi populus sat instructus fuerit, vel periculum erroris aliunde cessat, permitti, & exponi possunt, uti de imagine sanctissimæ Trinitatis idem Molanus docet *lib.* 2. *hist. SS. imag. cap.* 4.

Nequaquam ergo Canonum contrariatur consuetudini Romanæ Ecclesiæ *Agnus Dei* effigurantis, & per Romanum Pontificem solemniter benedicentis; de qua late agit Molanus in dicta oratione; cum hac in re varia possit esse, salva Fidei integritate, Ecclesiarum disciplina.

Evidens autem est, Patres in hoc ipso Canone dogma Catholicum de cultu imaginum exprimere, ideoque & in Synodo VII. a defensoribus imaginum hic Canon sub nomine *sanctæ & universalis sextæ Synodi* lectus est, atque a Synodo probatus. *Act.* 4. *apud Labbæum column.* 753.

Amuletum Ritum benedictionis & distributionis Amuletorum ex ordine Romano, Alcuino, & Amalario describit Molanus in speciali oratione de Amuleto impressa.

CANON LXXXIII.

Non mortuorum corporibus Eucharistiam communicet; scriptum est enim: accipite: *&* comedite: *mortuorum autem corpora non possunt* accipere, *nec* comedere.

SCHOLION.

Mortuis Eucharistia non communicanda. EXPOSITUS est hic Canon in Scholio ad *Canonem* 18. Codicis Africani, qui iisdem plane verbis conceptus est.

Illud hic ex Balsamone habemus, quod etiam ejus „ ætate „ sanctus panis traderetur Antistitibus post mortem, & sic sepelirentur"; additque, existimo hoc fieri „ ad avertendos dæmones, & ut per ipsum tamquam „ viaticum deducatur ad cœlum, qui magna & Apo„ stolica professione dignus est habitus.

Id non contrariari huic Canoni, intelligi potest ex iis, quæ citatum Canonem Africanum notata sunt.

CANON LXXXIV.

Canonicos Patrum ritus sequentes, de infantibus quoque decernimus, quoties non inveniuntur firmi testes, qui eos absque ulla dubitatione baptizatos esse dicant; nec ipsi propter ætatem de sibi tradito mysterio apte respondere possent, debere absque ulla offensione baptizari; ne forte ejusmodi dubitatio eos ejusmodi purificationis sanctificatione privet.

SCHOLION.

Baptizandi infantes, de quorum Baptismo dubitatur. PER *Canonicos Patrum ritus* (seu Gr. *Canonicas leges*) hic intelliguntur ritus, sive leges, Canonice in Synodo constituti; alluditque Synodus ad *Canonem* 75. Codicis Africani, quo idem decretum est; unde sufficiet hic illius Canonis Scholion.

CANON LXXXV.

In duobus vel tribus testibus confirmari omne verbum, ex scriptura accepimus. Servos ergo, qui a suis Dominis manumittuntur, sub tribus testibus eo frui honore decernimus qui præsentes libertati vires & firmitatem afferent; & ut iis, quæ ipsis testibus facta sunt, fides habeatur efficient.

SCHOLION.

Servorum manumissorum libertas duobus vel tribus testibus probanda. HUNC Canonem in favorem libertatis editum esse commentatores agnoscunt; immo cum pro fundamento Synodus assumat sententiam Evangelicam: *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum*, „ Balsamoni visum est: „ ad ostendendam libertatem, „ duos testes sufficere, eo quod leges & Canones liber„ tati maxime faveant, & quando quidem cujuslibet „ servi pretium unam hyperpyrorum libram non exce„ dit: in una autem hyperpyrorum libra constitutum „ est duos testes sufficere, omnino & ad ostendendam „ libertatem, duo testes sufficient, præsenti Canone „ consequenter, qui est pro libertate editus: & dicit „ ab initio; *in ore duorum vel trium testium stabit omne* „ *verbum*.

Plura ibidem apud Balsamonem & Zonaram videri possunt, quæ hodie præsertim in his Provinciis parum usui sunt; eo quod hinc servitus, quæ homines servos & mancipia efficit, exulet; & omnes pro liberi hominibus habeantur.

CANON LXXXVI.

Eos, qui ad animarum lapsus meretrices cogunt & alunt, si sint quidem Clerici, segregari ac deponi, si vero Laici, segregari.

SCHOLION.

QUI *ad animarum lapsus meretrices cogunt & alunt*, non adsimiles sunt lenonibus, qui nimirum mulieres, & puellas ad actum venereum peliciunt, aut domi alunt; ut ex meretricio quæstum faciant, quos leges civiles, etiam Ethnicorum severissime puniunt: uti notavi in *Jure Eccles. Tom. IV. part.* 3. *tit.* 4. *cap.* 6. Contra Lenones & similes.

Præsens Canon, secundum lectionem Herveti, quam sequimur, Clericum hujusmodi crimen committentem non solum *deponi*, sed & *segregari* jubet; at juxta lectionem, quam cum commentariis Græcorum exhibet Guillelmus Beveregius, Clerico sola *depositionis* pœna irrogatur. Ita enim legitur: *si sint quidem Clerici, deponi definimus; si vero Laici segregari.* Atque ita legisse Balsamonem, ex ejus in hunc Canonem commentario patescit. Clericus hujus criminis reus deponitur & segregatur.

At Zonaram legisse Canonem juxta lectionem Hervetianam, probat ejus commentarius: dicit enim: „ Al„ ere meretrices, est eis ob lucrum ex meretricio quæ„ stu percipiendum, cum animarum pernicie alimenta suppeditare". Post hæc subjungit. „ Quam rem si civiles „ quoque leges prohibeant, multo illam certe magis „ Ecclesiasticæ, ac spirituales debent aversari". Ex his tum concludit; „ Proinde graviores etiam pœnæ „ Clericis in hoc genere delinquentibus irrogatæ: illos „ siquidem, quod non ita crebro reperias, deponi simul, ac segregari jubet. Pro quovis enim alio supplico „ in eos, qui Clero adscripti fuerant, plerumque de„ positio sola sufficere visa fuit.

Nihil evidentius, quam quod Zonaras supposuerit, Clericum hujus criminis reum, vigore hujus Canonis, non tantum *deponi*, sed & *segregari*, idque specialiter ob atrocitatem hujus criminis fuisse statutum.

CANON LXXXVII.

Quæ maritum reliquit, est adultera, si venerit ad alium, ut vult sacer & divinus Basilius, qui ex Jeremia Propheta hoc optime collegit: Quod si alii viro uxor fuerit; ad maritum suum non convertetur, sed polluta polluetur. *Et rursus:* Qui autem detinet adulteram, est insipiens & impius. *Si ergo præter rationem a marito recessisse visa sit, ille quidem venia dignus est, hæc vero pœna. Illi autem venia dabitur, ut Ecclesiæ communicet. Sed is, qui legitimo sibi datam uxorem relinquit, & aliam ducit, e Domini sententia est adulterii judicio obnoxius. A Patribus enim nostris statutum est, ut qui sunt ejusmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio substernantur, & septimo cum fidelibus consistant, & sic oblatione digni habeantur.*

SCHOLION.

UXOREM, quæ sine causa a marito discessit, & alteri carnaliter conjuncta fuit, adulteram esse Canon pronuntiat; similiter & virum, qui sibi datam legitime uxorem relinquit, & aliam ducit, adulterii judicio obnoxium pronuntiat. Adulterii pœnitentia 7. annorum.

Hinc in eos decernit pœnam, seu pœnitentiam, quam adulterii reis imposuit Basilius in sua epistola Canonica ad Amphilochium: nimirum *annum defleant, biennio audiant, triennio substernantur, & septimo cum fidelibus consistant, & sic oblatione digni habeantur.* Quatuor gradus pœnitentiæ.

Hic nominatim habemus expressos quatuor famosos gradus pœnitentiæ, quos etiam sub finem seculi VII. in Ecclesia Græca viguisse præsens Canon ostendit. De his vero gradibus, videri possunt quæ in *Jure Eccles. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *tit.* 6. *cap.* 3. de iis notavi.

In editione Beveregiana, Canon hic concluditur his verbis, quæ in Hervetiana desiderantur: *si cum lacrymis pœnitentiam egerint.* Neque obscurum est ad hanc clausulam reflexisse Balsamonem, in hoc ad lectorem „ monito. „ Animadverte, inquit, quod Patres *ubique* „ *puram* pœnitentiam in animæ delictis exigunt; & „ propterea concesserunt Episcopis, qui sunt in eo loco, „ pœnas augere, vel diminuere, pro ejus, qui punitur, „ compunctione.

Quidquid sit de hujus clausulæ additione, hoc sufficienter insinuant Patres se ante adulteri reconciliationem non nudam peccati confessionem, aut verbis testatam pœnitentiam, sed opera, quibus peccati sui detestationem manifestam faciat, desiderare: quod utinam hodie animarum directores omnes sedulo attenderent!

CA-

CANON LXXXVIII.

Nemo intra ædem sacram quodvis jumentum introducat; nisi forte viator quispiam, maxime urgente necessitate, domunculæ vel diversorii indigens in Templum diverterit. Nisi enim jumentum introductum fuerit, ipsum quidem nonnunquam peribit, hic vero propter jumenti amissionem, & facultatis ad iter peragendum ex eo profectam inopiam, mortis periculo tradetur. Sabbatum enim propter hominem factum esse docemur: quamobrem per omnia præferendum esse existimare hominis salutem & incolumitatem. Quocirca si quis deprehensus fuerit sine necessitate jumentum in Templum introducens, si sit quidem Clericus, deponatur: si vero Laicus, segregetur.

SCHOLION.

Res profanæ, ut jumentum, in Templum non inducendæ sine urgente necessitate.

SCOPUS & spiritus hujus Canonis est præcavere, ne sacra loca profanentur, & ad usus profanos impendantur; ita tamen ne hujus profanationis timore, seu superstitiosa & Pharisaica ipsius loci sacri reverentia, charitas proximo impendenda laudatur; ac moria teneatur ejus, quod adversus Pharisaicos Sabbati Zelatores dixit Christus: *Sabbatum factum esse propter hominem, non autem hominem propter Sabbatum*. Marc. cap. 2. vers. 27.

Consequenter concludunt hic Patres jumentum non sine necessitate in Templum introduci posse, ut reverentiæ Templi consulatur; *sed maxima necessitate urgente*, utpote quod alias jumento, immo & homini periculum immineat, permittit impune in Templum juramentum introduci; ut ita Synodus ostendat se nolle reverentiam Templo materiali debitam Pharisaice saluti hominis præferre, atque hoc pacto probet Templum factum esse *propter hominem*, non autem hominem propter Templum.

Quod dicit Canon de jumento, id etiam circa alia animalia, & cæteras res mere profanas, & usibus sæcularibus & familiaribus destinatas obtinere, ipsa ratio probat, & Synodi nostræ Belgicæ supposuerunt. Ita Synodus Namurcensis anno 1604. *tit.* 11. *cap.* 12. interdixit " tam Ecclesiarum Rectoribus, & aliis Cleri-
" cis, quam locorum incolis, ne illas cum suis peco-
" ribus, & aliis bestiis ac domesticis utensilibus se re-
" cipiant, sed nec in illis dormire, comedere, aut
" bibere præsumant. Quod si absoluta necessitas ob
" vim aut incursus hostium, aliquos ipsorum ad hoc
" compellat, statim illa cessante, non solum pecora,
" sed etiam dicta utensilia, quæ magnum præstant
" divinis Officiis impedimentum, amoveant, Templa-
" que ipsa diligenter mundentur, priusquam in illis
" sacrosanctum Missæ sacrificium celebretur, sub pœ-
" na suspensionis a divinis in Clericos, & excommu-
" nicationis in Laicos decernendæ.

Simile habemus decretum in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. *Can.* 19. prohibens " ne *supellectilia in Ec-
" clesiis admittantur nisi propter hostiles incursus, aut
" incendia repentina, seu alias necessitates urgentes ....
" sic tamen, ut necessitate cessante, res in loca pristina
" reportentur.*

CANON LXXXIX.

Dies salutiferæ passionis in jejunio & oratione & cordis compunctione peragentes fideles usque ad mediam magni Sabbati noctem jejunare oportet; cum divini Evangelistæ Matthæus & Lucas, ille quidem per vespere Sabbati, hic vero per id, valde diluculo, *noctis nobis tarditatem describant.*

SCHOLION.

Quomodo dies passionis Dominicæ transigendi?

DIes *salutiferæ Passionis* hic dicuntur dies hebdomadæ sanctæ, quæ Paschalem celebritatem proxime præcedit, propterea quod Christus in ea passus sit. Unde nonnunquam tota hebdomada *salutiferæ Passionis* dicitur; sed communius apud Græcos, hebdomada *magna*, & apud Latinos *major* appellatur.

Rationem hujus nomenclaturæ late exponit S. Chrysostomus *homilia* 30. *in Gen. XI.* " magnam, ait: vo-
" camus hebdomadam ..... quia magna quædam &
" ineffabilia bona contigerunt nobis in illa .... &
" idcirco multi & jejunium intendunt & vigilias &
" pernoctationes sacras, & eleemosynas faciunt ...
" & reges ipsi declarant quam venerabiles illos dies
" habeant, mandantes ut omnibus sint induciæ & fe-
" riæ .... claudendo fores judiciorum, & auferen-
" do omnes litium & contentionum species ... ha-
" bitantes in carceribus a vinculis solvunt " &c.

Itaque voluit hoc Canone Synodus, *ut dies hujus hebdomadæ magnæ* ob salutiferæ passionis mysterium in ea peractum, *in jejunio & oratione & cordis compunctione peragerent fideles*. Notat hic Zonaras, monuisse Patres, peragendos esse hos dies *cordis compunctione*, ut significarent " compunctionem non fore
" simulatam, externa tantum specie apparentem,
" sed quæ ipsius quoque cordis penetralia contineat.

Et præcipue Sabbatum sanctum.

Inter dies salutiferæ Passionis, quibus specialiter jejunandum & orandum est, exprimitur, *Sabbatum magnum*, sive *Sabbatum sanctum*, quamvis apud Græcos receptum esset auctoritate Canonum, vulgo Apostolorum, in Sabbato non esse jejunandum. Hoc igitur solum Sabbatum ab hac lege erat exceptum, quo non tantum jejunandum, sed & *prolixius*, quam aliis diebus jejunii etiam magnæ hebdomadæ, idque usque ad *mediam* noctem, eo quod usque ad tempus illud Christus in sepulcro jacuisse credatur, & non nisi circa idem tempus mulieres ad sepulcrum accessisse.

Hunc esse sensum Canonis agnoscit quoque Balsamon dicens: " Mihi autem videtur esse eximium magni
" Sabbati jejunium, aliisque Christi Passionis diebus
" præstantius, quoniam tunc in sepulchro jacebat cor-
" pus ejus quod visum erat. Oportet ergo in aliis quo-
" que diebus jejunare cum compunctione, propter
" Passionem Christi & Dei nostri: multo autem magis
" magno Sabbato, quando redemptio nostra e mortis
" vinculis adornabatur: propterea enim, & qui sunt
" religiosiores, toto Sabbato, & usque ad horam sex-
" tam noctis in Ecclesiis assident, & hora sexta divi-
" nis Sacramentis communicantes, panem & aquam
" gustant, fortasse autem & modicum vini. Septima
" autem hora Matutinas Psalmodias audientes, quan-
" do etiam illud *Christus resurrexit* dicitur, domum
" suam revertuntur, magni Dominici sacrorum cele-
" brationem expectantes.

Hæc ille, qui insuper testatur eam suo tempore fuisse piorum hominum hoc Sabbatum celebrandi consuetudinem: " Propterea enim, ait, & qui sunt reli-
" giosiores " &c.

CANON XC.

Dominicis genu non flectere, a divinis nostris Patribus, Christi Resurrectionem honorantibus, canonice accepimus. Ne ergo hujus observationis evidentiam ignoremus, fidelibus manifestum facimus, quod post Vespertinum Sacerdotum ad altare Sabbato ingressum, ex consuetudine, quæ servatur, nemo genuflectat, usque ad sequentem Vesperam in die Dominico; in qua post ingressum in completorio, genua rursus flectentes, Domino preces sic offerimus. Salvatoris enim nostri Resurrectionis Præcursorem noctem, quæ fuit post Sabbatum, accipientes, Hymnos ab ea spiritaliter incipimus, festum ex tenebris in lucem finientes; ut in perfecto & integro die ac nocte nos Resurrectionem celebremus.

SCHOLION.

diebus Dominicis a primis Vesperis non genua flectendam.

SYNODUS dicens in præsenti Canone *a divinis* suis *Patribus Resurrectionem Christi honorantibus, accepisse, Dominicis diebus genu non flectere*, alludit hic indubie ad *Canonem* 20. Nicænum, quo statuitur, ut die Dominico, & ipsis diebus Pentecostes, fideles *stantes* Deo orationes effundant. Item ad Canonem 15. Petri Alexandrini, qui dicit: " diem enim Dominicum
" *Lætitiæ* diem agimus, quod in eo resurrexerit, in
" quo nec *genua* quidem *flectere* accepimus.

Hunc ritum die Dominico servandum esse, præsenti Canone decernitur; & ut exactius hic ritus servetur, una *manifestum* facit, *diem Dominicum incipere post Vespertinum Sacerdotum ad altare Sabbato ingressum, usque ad sequentem Vesperam in die Dominico.*

Hæc diei determinatio respondet consuetudini, quæ a multis sæculis, etiam in Ecclesia Latina religiose servata fuit. Immo festos & cunctos generaliter dies, a Vespera in Vesperam computare, traditio creditur Apostolica, ab Hebræis accepta. Sub finem sæculi VIII. Synodus Francofordiensis *Can.* 21. ait, *ut dies Dominica in Vespera usque ad Vesperam servetur.* Quod & recentioribus quoque decretis non semel innovatum fuit. Quin & illius disciplinæ evidens etiamnum superest vestigium, cum nimirum die[illegible] Festorum Officium a Vespera præcedentis diei inchoatur. Officium enim, quod *Vesperarum* dicimus ex prima Ecclesiæ institutione ad tenebras sive Vespera domum inchoandum esset. Hinc olim Officium Vesperarum dictum fuit *Lucernarium*; quia lucernæ in Ecclesia accendebantur. Vide Durantum *de Rit. Eccl. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. & plures citatos apud *Du Fresne* in Glossario verbo *Lucernarium*.

Hinc & juxta modernas regulas ritus Romani genua non flectuntur a primis Vesperis diei Dominicæ, quæ die Sabbato cantantur, eo quod dies Dominica inchoata censeatur; qui ritus vestigium est illius pristinæ disciplinæ, & consuetudinis.

CANON XCI.

Eas quæ dant abortionem cientia medicamenta; & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis subjicimus.

SCHO-

S C H O L I O N.

Con ra [illegible]

GRAVITATEM hujus criminis Patres uno consensu exhorruerunt; ac pœnis Canonicis subjecerunt; uti videre est in Scholio ad *Canonem* 21. Ancyranum, quibus addi potest Canon 2. epistolæ Canonicæ S. Basilii, quo decernitur: „ ut ea, quæ de industria fœtum „ corrupit, cædis pœnas luat: formati autem, ait, „ vel informis subtilitas a nobis non attenditur.

Hoc autem dictum est propter eos, inquit Balsamon, in commentario ad hunc Basilii Canonem *qui dicunt, quod quoniam semen in matricem dejectum non statim formatur in hominem, sed prius quidem fit sanguis deinde in carnem humanam concrescit, & formatur in membra & partes: non fit cædes, quando abortio facta fuerit fœtus, qui nondum est formatus.*

Quidquid ergo sit de tempore, quo fit animatio fœtus, de quo multum inter se disputant Medici, illud constat, omnem abortionem fœtus sive animati, sive inanimati, pro homicidio a Patribus reputari, & homicidii pœnis subjici.

Mulierem hujus criminis ream, post decem annorum pœnitentiam admittendam censet S. Basilius; una tamen addens, *definiendum non tempore, sed modo pœnitentiæ, medicinam.* „ Scilicet, si quæ peccavit qui- „ dem, pœnitentiam aspernari videatur, non solum „ decennium finietur, sed etiam augebitur, sed si se- „ rio agat pœnitentiam, decennium quoque minue- „ tur, ait Balsamon.

Præsens Canon homicidæ pœnæ subjicit eas, quæ dant *medicamenta abortionem cientia*, seu provocantia, aut ea accipiunt etiamsi fœtum non peremerint; ut observat Balsamon ad citatum Canonem S. Basilii.

Auctoritate præsentis Canonis sub nomine sextæ Synodi usus est Sixtus V. in Const. adversus procurantes abortus; *non immerito*, ait, *in sexta Synodo Constantinopolitana sancitum, ut personæ, quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis subjiciantur.* Const. 87. in Bull. Rom.

C A N O N XCII.

Eos qui nomine matrimonii mulieres rapiunt; quique opera opeque sua raptores adjuvant, statuit sancta Synodus, si sint quidem Clerici, proprio gradu excidere: si vero Laici, anathemate percuti.

S C H O L I O N.

Contra raptores, eorumque adjuratores.

HOc Canone simpliciter innovatur & confirmatur Canon 27. Chalcedonensis, cujus Scholion consule.

C A N O N XCIII.

Uxor viri, qui secessit & non apparet, antequam de ejus morte certior facta sit, alteri cohabitans adulteratur. Similiter & militum uxores, quæ non apparentibus maritis nupserunt, in eadem rationem incidunt; quemadmodum & quæ propter mariti peregrinationem, reditum non expectant. Sed res hic quidem aliquam veniam habet, quod sit major ejus mortis suspicio. Ea autem, quæ illi, qui ad tempus erat ab uxore relictus, nupsit per ignorantiam, deinde dimissa est quod prior ad ipsum redierit, est quidem fornicata, sed per ignorantiam: a matrimonio ergo non arcebitur: rectius autem, si sic manserit. Sin autem miles aliquanto post tempore redierit, cujus uxor propter longam illius absentiam alteri viro conjuncta est; is si velit, propriam uxorem recipiat, ipsi venia propter ignorantiam data, eique qui illam in secundis nuptiis domum duxit.

S C H O L I O N.

Uxor de mariti absentis morte incerta [illegible] ne [illegible]bat.

HOc Canone agitur de mulieribus, quarum viri vel peregrinationis, vel militiæ causa absentes fuerunt, & de quibus incertum est an vivant.

Constitutio Constantini M.

De his mulieribus quæsitum fuit jampridem, utrum ad alias nuptias convolare queant, ob absentiam maritorum? Extat Constitutio Constantini M. in *L.* 7. *Cod. de Repudiis*, qua declarat, *quod uxor, quæ, in militiam profecto marito, post interventum* quatuor annorum, *nullum sospitatis ejus potuit habere indicium, atque ideo de nuptiis aliis cogitavit, nec tamen ante nupsit, quam libello ducem super hoc suo voto convenit, non videatur nuptias iniisse furtivas; nec dotis amissionem sustinere, nec capitali pœnæ esse obnoxia, quæ post tam magni temporis jugitatem, non temere nec clanculo, sed* publice *contestatione deposita nupsisse firmatur.*

Hujus Constitutionis meminit Justinianus in *Novella* 22. *cap.* 14. dicitque sibi videri tempus a Constantino præstitutum esse minus breve: *Actibus enim bellicis occupato marito*, ait, *uxoris privationem inferre non minor est pœna, quam ab hostibus capi.* Igitur *decennii* tempus constituit, quo mulier maritum militiæ causa absentem expectare jubetur; priusquam, juxta normam a Constantino præstitutam, alias nuptias inire queat.

Justiniani.

Quin & postmodum Justinianus, in *Novella* 117. *cap.* 11. „ jubemus, inquit, quantoscumque annos, „ in expeditione manserit (mariti) sustinere eorum „ uxores, licet nec litteras, nec responsum aliquod „ a suis maritis susceperint.

Itaque juxta hanc constitutionem Justiniani absentia mariti in expeditione militari existentis, quantumvis diuturna, etiam plusquam *decem* annorum, non est sufficiens, ut uxor, quæ aliunde de morte mariti nuntium non accepit, ad alias nuptias transire queat atque eatenus priorem suam Novellam correxit.

Dein pergit hic Justinianus. *Si qua vero ex hujusmodi mulieribus, suum maritum audierit esse mortuum, neque tunc ad alias eam venire nuptias sinimus, nisi prius accesserit mulier, aut per se, aut per suos parentes, aut per aliam quamcumque personam, ad priores numeri Chartularios, in quo hujusmodi maritus militabat: & eos seu Tribunum, si tamen adest, interrogaverit, si pro veritate mortuus est ejus conjux: ut illi sacris Evangeliis propositis sub gestis monumentorum deponant, si pro veritate vir mortuus, & postquam hæc gesta monumentorum confecta, mulier pro suo testimonio perceperit, etiam post hoc jubemus manere eam per unius anni spatium, ut etiam post hunc decursum, liceat legitimas contrahere nuptias.*

Sane ubi hæc a Justiniano præscripta forma fuerit observata, videtur quædam moralis de morte mariti certitudo haberi.

At illud notandum, hanc Justiniani Constitutionem, uti & priorem de *decennii* termino, tantum spectare maritos, qui ob militiam absentes sunt: nam circa eos qui captivitatis causa sunt absentes, extat ejusdem Imperatoris declaratio, in citata *Novella* 22. *cap.* 7. his verbis. „ Si vero incertum sit utrum su- „ perest, an non, quæ ad hostes persona devenit, „ tunc *quinquennium* expectandum est, sive a viro, „ sive a muliere; post quod, sive manifestum fiat de „ morte, sive incertum maneat, nubere licebit sine „ periculo.

Evidens est Justinianum hic non requirere certitudinem de morte illius, qui in captivitate ab hoste detinetur, ut pars illa, quæ in libertate posita est, sine periculo nubere queat, sed ei efficere, quod quinquennium expectaverit, licet incertum maneat, an in captivitate mortuus sit.

Constitutio Leonis Imperatoris.

Hujus Constitutionis meminit Leo Imperator in *Novella* 33. eamque improbans vult, ut non minor in casu captivitatis, quam militiæ, de morte absentis certitudo habeatur, priusquam ad alias nuptias procedere par altera possit.

Hæc Leonis sapientis reformatio indissolubilitati matrimonii (cujus vinculum nulla etiam diuturna absentia, sed sola mors naturalis alterius conjugis dissolvit) omnino conformis est; eamque præsens Canon ex Canonibus S. Basilii conflatus, confirmat.

Primo enim generaliter declarat, quod *uxor viri, qui secessit, & non apparet, antequam de ejus morte certior facta sit, alteri cohabitans adulteretur.* Est Canon 31. S. Basilii in Epist. Can. *ad Amphilochium.* Quem Canonem Augustinus ita in compendio exhibet: *Quæ priusquam certior facta sit virum suum mortem obiisse, alii nupserit, mœchatur.*

Post hæc subjungitur ex Can. 36. ejusdem S. Doctoris, quod *similiter & militum uxores, quæ non apparentibus maritis nupserunt, in eamdem rationem incidant, quemadmodum & quæ, propter mariti peregrinationem, reditum non expectant*, sive ut habet S. Basilius, *reditu non expectato nupserint:* si nimirum ante reditum de morte certiores factæ non sint.

Igitur Synodus conformiter ad S. Basilium censet; ob absentiam conjugis ad alias nuptias non esse prosiliendum alteri conjugi, priusquam de morte absentes certitudo habeatur, idque tam in absentia militiæ causa, quam in alia quacumque pari ratione servandum: nisi quod, si uxor militis absentis alteri nupserit, *aliquam veniam habeat*, uti loquitur Canon Trullanus, vel juxta Basilium *res nonnullam veniam admittat*, ratione addita, *quod major sit* ejus *mortis suspicio*; utpote qui inter bella, cædes ac pericula vitam agit, quemadmodum notat Zonaras ad citatum Can. 36. Basilii; vel uti ibidem observat Aristenus: „ præsens Canon „ *Militum* uxores aliqua indulgentia dignatur, si ad „ secundas nuptias venerint, viris non apparentibus; „ quoniam isti potius *prope mortem* sunt; & eorum „ absentia *magnam* dat *suspicionem*, quod vel mortui „ sint vel interfecti. Venia porro illa fuerit (inquit „ ibidem Zonaras) ut de tempore pœnæ persolvendæ „ constituto aliquid ipsis detrahatur.

Prosequitur Synodus, atque ex *Can.* 46. S. Basilii declarat, quod si aliqua *illi, qui ad tempus erat ab uxore relictus, nupsit per ignorantiam*; puta si maritus hic esset

peregrinus, & huic mulieri plane ignota esset hæc ejus uxoris ad tempus secessio, *deinde dimissa sit*, *quod prior* uxor *ad ipsum redierit*: vel uti habet Basilius, *ut prior ad ipsum redeat*: id est postquam ipsi mulieri, quæ per ignorantiam huic viro, cujus uxor adhuc vivit, conjuncta erat, innotuit priorem uxorem supervivere, dimissa sive separata est a viro, ut prior quæ *vera* uxor ejus mansit, ad ipsum redeat. Hæc, inquam, mulier dimissa, est *quidem fornicata* (ut ait Canon) sed per ignorantiam;

Hinc ulterius concludit Canon: *a matrimonio ergo non arcebitur*, scilicet quæ per ignorantiam sic fornicata est; *rectius* (seu Gr. *melius*) *autem*, *si sic manserit*, hoc est innupta. Licet enim ob viventem priorem uxorem, verum matrimonium non fuerit, nec consequenter fuerit hic verus istius mulieris vir; tamen quia creditus fuit legitimus ejus maritus, honestum non fuerit eo adhuc superstite, illam cum altero vitam agere. „In nuptiis siquidem (ait Zonaras) lex quo„que civilis testatur, quod nos non tam quod permis„sum sit, quam quod honestati conveniat, considera„mus.

Denique declarat Synodus in præsenti Canone, quod si uxor *militis propter longam ipsius absentiam*, quæ moralem mortis ipsius *certitudinem* fecerit, *alteri viro conjuncta sit*, & tamen postmodum reperiatur vir adhuc vivere, isque redierit; poterit hic non obstante longa sua absentia, & bona fide uxoris, quæ ad alias nuptias transierat, *suam uxorem* recipere, eo quod nec absentia matrimonium dissolvere potuerit, aut secundum matrimonium validum facere. Propter bonam tamen fidem de morte mariti absentis, tam uxori, quam secundo marito venia datur.

His conformiter responderat S. Leo interpellatus a Niceta Episcopo, *Epist.* 129. *Edit. Quenell.* de fœminis, quæ occasione captivitatis virorum aliis nupserant. Extat responsum Leonis apud Grat. *caus.* 34. *quæst.* 2. *cap.* 1.

Pontifices posteriores in suis Decretalibus conformiter ad hunc Canonem respondisse, videri potest ex iis quæ dixi in *Jure Ecclesiast. Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 15. *cap.* 3. *num.* 6. *hujus editionis*.

CANON XCIV.

Eos, qui Gentilium Sacramenta jurant, Canon pœnis subjicit, & nos iis quoque segregationem decernimus.

SCHOLION.

Contra jurantes per falsos Deos. CANON, cujus hic fit mentio, est Canon 81. S. Basilii, pœnis subjiciens eos, qui vel voluntarii, vel vi adacti Gentilium sacramenta jurarunt. „Qui „enim ait, gravem necessitatem ex tormentis sustinue„runt, & non ferentes labores, ad negationem tra„cti sunt, tribus annis sint non recipiendi, & in duo„bus audiant, & cum tribus annis substrati fuerint, „sic ad communionem admittantur. Qui autem sine „magna necessitate fidem in Deum prodiderunt, & „dæmoniorum mensam attigerunt, & Græca sacra„menta jurarunt; tribus quidem annis ejiciantur, „duobus audiant, postquam autem in substratione „tribus annis oraverint; & in aliis tribus cum fide„libus ad orationem constiterint, sic admittantur ad „boni communionem.

His pœnis subjectos declarat præsens Canon eos, qui *sacramentum Gentilium jurant*, ac insuper iis *segregationem decernit* eatenus pœnam augens.

Sunt autem *sacramenta Gentilium*, quæ jurantur a Gentilibus. Porro varia erant apud Gentes juramenta, uti videre est apud Alexandrum ab Alexandro Dierum genialium, *lib.* 5. *cap.* 10. cujus hic est titulus: *Quam varium & multiplex jusjurandum apud diversas Gentes fuerit, & per quos Deos jurare consueverint.*

Gentes autem sive per idola, seu per res alias jurantes quamdam *divinitatis* speciem, in rebus, per quas jurabant, testabantur. Quare Christiani eadem juramenta præstantes, suo facto eis rebus divinitatem aliquam inesse profiteri videbantur, quod speciem idololatriæ præ se ferebat.

Hinc Tertullianus de idololatria *cap.* 20. monet *esse in verbis quoque idololatriæ incursum præcavendum, aut de consuetudinis vitio, aut timiditatis*. Dein subjungit: „consuetudinis vitium est, *me Hercule dicere*; „*medius fidius*, accedente ignorantia quorumdam, qui „ignorant jusjurandum esse per *Herculem*. Porro quid „erit dejeratio per eos, quos dejerasti, quam præva„ricatio fidei cum idololatria? quis enim per quos „dejerat, non honorat?

Itaque hic evidenter supponit Tertullianus, jurare per falsos deos more Gentilium, continere quamdam idololatriam, quod & supposuit S. Basilius in allegato Canone, conferens hujusmodi jurantes cum iis, qui Christum prodiderunt, & dæmoniorum mensam attigerunt (a).

Ulterius hinc manifestum est, nec in præsenti Canone, neque in Canone S. Basilii reflecti, „an verum an falsum juratum sit, sed duntaxat, an juratum fuerit *per falsos deos, more Gentilium*; quamvis & illud indubitatum sit jurare *falsum* per falsos deos, duplicem malitiam continere, nimirum sacrilegii, sive idololatriæ, & perjurii, uti docet S. Augustinus *epistola* 47. *ad Publicolam*, ubi & addit: quod „*sine ulla dubitatione* mi„nus malum est, per falsum deum jurare veraciter, „quam per verum fallaciter: quanto enim per quod „juratur est magis sanctum, tanto magis & pœnale perjurium.

Si ergo Canones iis pœnis subjiciant jurantem per *falsos deos*, etiam *veraciter*; expendant Confessarii, quam sit a mente Patrum alienum leviusculas pœnitentias injungere falsum jurantibus per *verum* Deum.

Monet idem S. Doctor, *sermone* 28. *cap.* 11. *de verbis Apostoli*; quod suo tempore multi putarent, quia idolum, per quod jurant, nihil est; non se crimine teneri perjurii, si per falsos deos fallaciter jurent. Respondet autem Augustinus, *prorsus perjurus es, quia per illud, quod sanctum putas, falsum juras*.

Replicabit forsan jurans: *sed ego illud sanctum non puto*. Respondit rursus Augustinus: *non enim quando juras, tibi juras, aut lapidi juras, sed proximo juras; homini juras ante lapidem: sed numquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem*. Extat apud Gratianum, *caus.* 22. *quæst.* 5. *Can.* 10.

Hic per transennam observet lector, ab Augustino jampridem fuisse probatum, quod sub nomine Isidori refertur ibidem *Can.* 9. a Gratiano, & quo illa omnis fidei & totius societatis humanæ plane eversiva, artificiosa mentalis restrictio subvertitur: „quacumque „arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui „conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, „cui juratur, intelligit.

CANON XCV.

Eos, qui ex hæreticis ad rectam fidem accedunt & parti eorum qui salvantur, subjecta consequentia & consuetudine recipientes, Arianos quidem, & Macedonianos, & Novatianos, qui se puros appellant, & Aristeros, & Tessareskaidecatitas seu Tetraditas, & Apollinaristas recipimus dantes libellos, & omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit, ut sentit sancta Dei universalis & Apostolica Ecclesia: sancto primum Chrismate inungentes & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures; consignantes autem dicimus: Signaculum doni Spiritus sancti. *De Paulianis autem a Catholica Ecclesia statutum est, ut ii omnino rebaptizentur. Eunomianos quoque, qui in unam demersionem baptizant, & Montanistas, qui hic dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui Filium eumdem esse cum Patre existimant, & alia quædam gravia faciunt, & omnes alias hæreses; quoniam multi hic sunt, & maxime qui ex Galatarum regione profecti sunt, omnes ex iis, qui ad rectam de fide sententiam volunt accedere, ut Gentiles recipimus: Et primo quidem die eos Christianos facimus, secundo autem Catechumenos: deinde tertio adjuramus, simul etiam ter in faciem & aures inspirantes, & sic initiamus, & diu in Ecclesia versari & scripturas audire facimus, & tunc ipsos baptizamus. Quin etiam Manichæos, & Valentinianos, & Marcionitas, & similes hæreticos oporteat libellos facere, & hæresim suam anathematizare, & Nestorium, & Eutychen, & Dioscorum, & Severum, & reliquos talium hæreseon principes, & qui eadem, quæ illi sentiunt, & omnes prædictas hæreses: & sic fieri sanctæ communionis participes.*

SCHOLION.

HIc Canon, excepta finali periodo, exhibetur verbis sub nomine Canonis VII. Synodi Constantinopolitanæ I. apud Balsamonem, Zonaram, Photium, aliosque Græcos: uti in Scholio ad Canonem VII. hujus Synodi Constantinopolitanæ notavimus, ubi una ostensum est, admodum verisimile esse, hunc Canonem dictæ Synodo falso adscribi; nec a Latinis Canonum collectoribus, inter Canones hujus Synodi Constantinopolitanæ fuisse recensitum, immo nec apud Græcos, ante hanc Synodum in Trullo Canonibus annumeratum; quapropter nec in præsenti Canone ulla fit Canonis antiquioris mentio, uti contingere solet, ubi antiqui Canonis confirmatio vel innovatio contingit. Plura in hanc rem videri possunt in citato Scholio ad hunc Canonem. De recipiendis hæreticis.

In-

(a) Observant Canonistæ licitum esse juramentum ab infideli exigere, quem novimus juraturum per falsos Deos; in suæ sententiæ patronum adducunt Sanctum Augustinum *epist. ad publicolam*: En Sancti Doctoris verba. „Qui utitur fide illius, quem „constat jurasse per Deos falsos, & utitur non ad malum, sed „ad licitum & ad bonum, non peccato ejus se sociat, quo per „dæmonia juravit, sed bono pacto ejus, quo fidem servavit.

Interim hoc Canone præſcribitur ritus in recipiendis ad Eccleſiam hæreticis obſervandus, cujus triplex forma hic exhibetur (*a*).

[*Ariani, Macedoniani, Novatiani, Ariſteri, Tetraditæ, Apollinariſtæ facta abjuratione, Chriſmate ungantur.*] Primo, nonnullos recipiendos cenſet, Arianos nos mirum, & Macedonianos, & alios qui ſequuntur, *modo dent libellos*, hoc eſt, ait Zonaras „ ſcriptos a „ ſe codicillos, quibus opiniones ſuas damnent, & „ errorem ſuum infamia notent “. *Dein omnem hæreſim anathematizent, quæ non ſentit, ut ſentit ſancta Dei univerſalis & Apoſtolica Eccleſia.*

Hac facta abjuratione & profeſſione, recipiendos cenſet illos Synodus, non iterantes eorum Baptiſmum, ſed *ſancto primum Chriſmate inungentes, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures; conſignantes autem dicimus inquit: Signaculum doni Spiritus ſancti.*

Hujus ritus ſuſcipiendi hæreticos ab hæreſi ad Eccleſiam venientes, meminit quoque Synodus Laodicena *Can.* 7. uti ibidem notatum eſt.

Similiter & meminit S. Baſilius *Can.* 1. epiſtolæ ſuæ Canonicæ ad Amphilochium, ubi ſcribit: ab antiquis fuiſſe dubitatum, an generaliter Baptiſmus ab hæreticis collatus, & in hæreſi ſuſceptus, non eſſet iterandus, dum ad Eccleſiam accedunt; videturque ipſe Baſilius SS. Cypriano, & Firmiliano contendentibus Baptiſmum iterandum admodum favere; nihilominus tamen ſententiæ Stephani Papæ, ſentientis Baptiſmum hæreticorum in nomine *SS. Trinitatis* baptizantium non iterandum acquieſcit. Dicit enim: „ ſed quoniam „ nonnullis Aſiaticis omnino viſum eſt propter mul„ torum œconomiam & diſpenſationem eorum Baptiſ„ ma ſuſcipi, ſuſcipiatur.

Verum ſi probatus fuerit hujuſmodi hæreticorum Baptiſmus, jubet omnino ut ii, cum hoc Baptiſmo ſuſcipiendi ſunt, ungantur, antequam myſteriorum participes fiant: „ omni autem ratione, ait, ſtatua„ tur, ut qui ex illorum Baptiſmo accedunt, *ungan„ tur* a fidelibus, & ſic ad myſteria accedant.

Baſilium hic loqui de iis, qui in ipſa hæreſi ab hæreticis fuerant baptizati, manifeſtum eſt, atque de his ſolis præſentem Canonem agere, veriſimilius eſt.

Qui enim credebant validum Baptiſmum ab hæreticis in nomine *SS. Trinitatis* collatum, vim tamen & gratiam, qua caruit, Unctionis Sacramento ſuſcitandum putabant. Interrogatus enim Juſtinus Martyr, aut alius, ſed antiquus auctor, in reſponſionibus ad orthodoxos, *quæſt.* 14. Quare ab hæreticis baptizatus, cum ad Eccleſiam accedit, alio baptiſmo non imbuitur? Reſpondit: „ hæretici ad orthodoxiam tranſeun„ tis lapſus corripitur, pravæ quidem opinionis mu„ tatione, *Baptiſmi* autem unguenti ſancti Unctione.

[*Pauliani, Eunomiani, Montaniſtæ, & Sabelliani rebaptizantur.*] Et hæc quidem in receptione hæreticorum, quorum Baptiſmum validum exiſtimabat, ſervanda exiſtimavit Synodus; at circa Paulianos, alioſque in ſecunda claſſe enumeratos hæreticos, quorum Baptiſmum non admittendum credebant, ſtatuit eos eſſe *rebaptizandos*, & ut *Gentiles* eſſe recipiendos.

Ritum hoſce recipiendi ſubjicit in hæc verba: *& primo quidem die, eos Chriſtianos facimus; ſecundo autem Catechumenos, deinde tertio adjuramus, ſimul etiam ter in faciem & aures inſpirantes, & ſic initiamus, & diu in Eccleſia verſari, & ſcripturas audire facimus, & tunc ipſos baptizamus.*

[*Exorciſmi ante Baptiſmum.*] Hic videmus hujuſmodi hæreticos in hæreſi baptizatos, tractari ac ſi baptizati non fuiſſent, & ex ipſo Gentiliſmo ad Chriſtianiſmum primum converſi eſſent.

Hic notari poterit, etiam ab Eccleſia Orientali, eo tempore ritus adjurandi & inſufflandi in adminiſtratione Baptiſmi fuiſſe uſitatos.

Inſuper notare poterunt Sacerdotes, adultos ad Eccleſiam accedentes, nonniſi prævia inquiſitione, & ſedula inſtructione ad Baptiſmum recipiendos eſſe, uti ſupra ad Canonem 8. Laodicenum monui, & latius in *Jure Eccleſ. Tom. III. part.* 2. *ſect.* 1. *tit.* 2. *cap.* 4.

[*Manichæi, Valentiniani, & Marcionitæ abjurata hæreſi recipiantur.*] Duos hoſce ritus ſuſcipiendi ab hæreſi ad Eccleſiam venientes, exprimit quoque ſupradictus Canon vulgo Conſtantinopolitanus, & ut hujus Synodi a Græcis relatus, uti in Scholio notavi, quibus tertium hæc Synodus adjungit, recipiendi nimirum Manichæos, & Valentinianos, & Marcionitas, & ſimiles hæreticos, per ſolam hæreſeon abjurationem.

[*Varius ritus recipiendi hæreticos in Eccl. Latina ex S. Gregorio.*] Duplicem ritum recipiendi redeuntes ad Eccleſiam, qui apud hæreticos in nomine *SS. Trinitatis* rite baptizati ſunt, expoſuerunt ante habitam hanc Synodum S. Gregorius *cap.* 9. *epiſt.* 61. ad Quirinum Epiſcopum qui a Gregorio quæſiverat: „ cum ad matrem Electo„ rum omnium Catholicam Eccleſiam revertuntur “ utrum debeant baptizari, an certe ſolius veræ fidei confeſſione, ejuſdem matris Eccleſiæ viſceribus adjungi? Reſpondet S. Gregorius. „ Et quidem ab antiqua „ Patrum inſtitutione didicimus, ut qui apud *hæreti„ cos in Trinitatis nomine baptizantur*, cum ad ſan„ ctam Eccleſiam redeunt, *aut unctione Chriſmatis*, „ aut *impoſitione manus*, aut *ſola profeſſione fidei*, ad „ ſinum matris Eccleſiæ revocentur.

Non tantum hic agnoſcit Gregorius duplicem ritum recipiendi hæreticos per unctionem Chriſmatis, & *ſolam fidei profeſſionem*, ſed & utrumque ab antiqua Patrum inſtitutione deſcendere aſſerit. Tertius autem ritus a Gregorio additus, ſcilicet *impoſitionis manus*, non ad Orientalem, ſed Occidentalem Eccleſiam pertinet, quam pro *unctione, impoſitione manus* uti aſſerit idem Gregorius, dicens. „ Unde Arianus per *impoſi„ tionem manus*. Occidens, per unctionem vero *ſancti „ Chriſmatis*, ad ingreſſum ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ „ Oriens reformat.

Deinde adjungit: „ Monophyſitas vero, & alios ex „ ſola vera confeſſione recipit; quia ſanctum Baptiſ„ ma, quod ſunt apud hæreticos conſecuti, tunc in „ eis vires emundationis recipit, cum vel ipſi per „ impoſitionem manus Spiritum ſanctum acceperint, „ vel iſti, propter profeſſionem veræ fidei, ſanctæ & „ univerſalis Eccleſiæ viſceribus fuerint uniti.

Itaque, teſte S. Gregorio, hæretici in hæreſi in nomine Trinitatis baptizati, alii unctione, in Orientali; vel impoſitione manus, in Occidentali Eccleſia; alii in utraque Eccleſia *ſola* profeſſione fidei, quemadmodum in hoc Canone ſtatuitur, recipiebantur.

Inſuper indicat S. Gregorius, quod ſupra notatum eſt, Baptiſmum apud hæreticos ſuſceptum vires *emundationis* recipere, per hanc manus impoſitionem, ſacram unctionem, vel fidei profeſſionem.

[*Ex Ruperto.*] Unde poſtmodum tradidere Theologi, quod baptizati in *nomine Trinitatis* ab hæreticis, non quidem ſint rebaptizandi, ſed per impoſitionem manuum eis dandum Spiritum ſanctum, uti expreſſit Rupertus Abbas *de divinis officiis lib.* 10. *cap.* 25. ubi de ſimilibus hæreticis ad Eccleſiam accedentibus, ait: „ Quapro„ pter cum baptizati a talibus ad Catholicam rever„ tuntur Eccleſiam, non quidem repetitur in illis la„ vacrum carnis, ſiquidem baptizati ſunt, *in nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*; multæ quippe „ hæreſes ſic baptizant; ſed per impoſitionem manuum „ accipiunt Spiritum ſanctum, quem foris accipere „ non poterant.

Porro notandum, quod aſſertum S. Gregorii, de differentia Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ, in recipiendis hæreticis per unctionem, vel impoſitionem manus, non poſſit generaliter de omnibus Eccleſiis Occidentis intelligi: quia conſtat plures Eccleſias, puta Gallicanam, & Hiſpanicam, etiam unctione uſas fuiſſe, uti notatur ad citatam epiſtolam Gregorii, nota 4. & latius oſtendit Morinus. *lib.* 9. *de adminiſtr. Pœnit. cap.* 10. ubi per plura capita de ritu recipiendi hæreticos olim uſitato tractat (*a*).

CANON XCVI.

Qui Chriſtum per baptiſmum induerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari profeſſi ſunt. Eos ergo, qui capillos ad videntium detrimentum, ſcite excogitatis nexibus adornant & componunt, & infirmis animis eſcam ea ratione objiciunt, convenienti ſupplicio paterne curamus; ipſos inſtituentes & temperanter vivere docentes, ut relicta fraude & vanitate, quæ ea materia oritur, ad exitio carentem beatamque vitam, mentem aſſidue traducant; & in timore puram & ſanctam converſationem habeant, & Deo, quoad ejus fieri poteſt, appropinquent per vitæ puritatem; & internum magis quam externum hominem virtutibus & bonis inculpatiſque moribus exornent; ut nullas in ſe ferant reliquias diabolicæ perverſitatis. Si quis autem præter hunc Canonem verſatus fuerit, excommunicetur.

SCHOLION.

[*Vita Baptizatorum.*] Monitum omni Chriſtiano ſæpius recogitandum, & cordi alte imprimendum hic Canon proponit initialibus verbis, quod qui *Chriſtum per baptiſmum induerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari profeſſi ſint.*

Ex quo ſanctiſſimo atque indubitato Chriſtianæ Religionis principio concludit Synodus, ut in externo ornatu Chriſtianorum nihil niſi modeſtum & ſanctum appareat, *& internum magis quam externum hominem virtutibus, & bonis inculpatiſque moribus exornent, ut nullas in ſe ferant reliquias diabolicæ fraudis* (ſeu Gr. *perverſitatis uſque adeo repugnantis*).

[*Contra capillorum artificioſum ornatum.*] His reliquiis diabolicæ fraudis, ſive perverſitatis accenſet Synodus capillorum exquiſitum ornatum. *Eos*, ait, *qui capillos ad videntium detrimentum, ſcite excogitatis nexibus adornant & componunt, & infirmis animis eſcam ea ratione objiciunt, convenienti ſupplicio paterne curamus; ipſos inſtituentes, & temperanter vivere*

(*a*) Nonnulli tamen ut Sirmondus in *Antirretico* ſecundo cap. 5. attendentes ad omnia, quæ in receptione hæreticorum leguntur, contenderunt hæreticos per Confirmationem recipi; ſed hanc opinionem erudite confutarunt Petrus Aurelius & Sambovius, quos conſuluiſſe non pigebit.

(a) Obſervandum eſt, quod ſaltem in Occidente ea fuerat Eccleſiarum conſuetudo, ut hæretici ab Epiſcopis ſolis extra caſum neceſſitatis reciperentur. Ita Conc. Arauſ. I. Can. 10.

vere docentes; ut relicta fraude & vanitate; quæ ex materia oritur, ad exitio carentem beatamque vitam, mentem assidue traducant, & in timore puram & sanctam conversationem habeant, & Deo, quoad ejus fieri potest, appropinquent per vitæ puritatem.

Hæc notanda monet Balsamon propter eos, qui capillos nectunt, vel implicant, vel tingunt, vel cum aqua madefaciunt, vel aliquo alio modo capillos suos pleniores, elegantioresque faciunt, vel iis alienos connectunt.

Deplorat quoque Zonaras, circa hunc ornatum sua ætate fuisse summum abusum: additque, quod „ omnia comæ nutriendæ aut augendæ medicamenta, studiose nimis, atque accurate conquirerent: jungunt sibi, inquit, exinde crines calamistro, quo crispi fiant, intorquentes; tingunt quoque ut flavescant, & auri speciem referant; alii aqua madefactos in sole explicant, ejusque radiis torreri patiuntur, ut sater inde capillorum color immutetur.

Contra abusum fictitiæ Cæsarici.

Summus viguit & apud nos ab annis aliquot in curandis ornandisque Capillis abusus, & vanitas abominanda: at modo omnis pene in capillis propriis nutriendis & curandis cura evanuit; successitque alius, quem & Zonaras commemorat dicens: „ sunt etiam, qui mentitiam cæsariem nativo & ingenito crine abraso, induunt.

Præsertim in Clericis.

Quam hic abusus hodie sit communis & excessivus, non tantum in Laicis, sed & in Ecclesiasticis, qui ipsa tonsuræ susceptione huic vano ornatui capillorum specialiter solemni professione renuntiarunt, quique non ob necessitatem, aut defectum propriis ac nativi capillitii, sed ad fastum & vanitatem, mentitiam cæsariem multa arte compositam, & concinnis variis implicatam assumunt, cuilibet notorium est. Utinam attenta haberetur ab his hujus Canonis meditatio, considerarentque, quam parum conveniat hic ornatus illis, qui in baptismo Christum induerunt, ejusque in carne vitæ agendæ rationem imitari professi sunt. Insuper quod hoc vanitatis ornamento imbecilliores in fide animos, quique propterea ad intemperantiam facilius elabuntur, velut quidam esca deceptos in fraudem alliciunt; sive *infirmis animis escam ea ratione objiciant.*

CANON XCVII.

Eos, qui vel cum uxore cohabitant, vel alioqui indiscriminatim sacra loca communia faciunt; & contemptim in eis afficiuntur, & sic in eis permanent; etiam ex iis, quæ sunt in venerabilibus Templis, Catechumenorum mansionibus extrudi jubemus. Si quis autem hæc non servaverit, si sit quidem Clericus, deponatur: si vero Laicus, segregetur.

SCHOLION.

In Locis sacris vir cum uxore non cohabitet.

LOCA sacra hic dicuntur, ait Balsamon, quæ sunt Deo dedicata, ædes scilicet divinæ, & divinarum ædium porticus seu vestibula, & Catechumena, & quæ circa ea sunt.

Cum autem Canon speciatim vetat, ne vir cum uxore sacra illa loca inhabitet, & tamquam in locis profanis maneat, admodum verisimile est, Patres hoc loco præcipue spectasse ipsum actum *conjugalem*, qui indecentiam quamdam cum loco sacro habere, in comperto est: adeo ut & moris aliquando fuerit, conjugatos, post actum conjugalem antequam abluerentur, ab ingressu Ecclesiæ exclusos fuisse, uti manifestum est ex responso S. Gregorii ad *quæst.* 10. Augustini Anglorum Apostoli.

Quid S. Gregorius suo tempore requisierit in conjugatis, ut Ecclesiam ingrederentur.

Quæsivit Augustinus: „ an vir suæ conjugi *permixtus, antequam lavetur* aqua, Ecclesiam intrare possit"? Respondet Gregorius. „ Vir cum *propria* uxore dormiens, nisi lotus aqua, Ecclesiam intrare non debet; sed neque lotus, intrare debet. Lex autem veteri populo præcepit, ut mixtus vir mulieri, & lavari aqua debeat, & ante solis occasum Ecclesiam non intrare. Quod spiritualiter intelligi potest, *& spiritali animo servari a Christianis*. Quamvis enim hac re diversæ hominum nationes diversa sentiant, atque alii alia custodire videatur; Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ conjugis, & lavacrum purificationis quærere, & ab ingressu Ecclesiæ paulum abstinere.

Itaque judicatum fuit, actum *conjugalem* quamdam habere indecentiam cum loco sacro, ut proinde merito hoc Canone prohibeatur vir cum uxore iis in locis manere.

Hunc Canonem & nos omnino probamus; ait Lupus hic, additque, quin immo etiam *in nostris Cœmeteriis nulla possit esse habitatio; nam*, ait, *per omnem voluntarium etiam conjugalem effluxum Ecclesia atque Cœmeterium profanantur.*

Cæterum, quod de præmittenda lotione post actum conjugalem ante ingressum Ecclesiæ apud aliquas Gentes obtinuisse scribitur; an unquam apud nos obtinuerit, nescio.

CANON XCVIII.

Qui alteri desponsam mulierem, eo adhuc vivo, cui desponsa est, in nuptiarum ducit societatem, adulterii crimini subjiciatur.

SCHOLION.

Alteri desponsatam ducens, adulterii, pœnis subjiciendus.

SPONSALIA, etiam *de futuro*, quæ promissionem futuri matrimonii continent, esse summæ obligationis, præcipue si publice coram Sacerdote, ejusque benedictione interposita inita sint, expeditum est: eorum tamen prævaricationem esse plenum adulterium, sive habere omnimodam adulterii malitiam, non creditur.

Unde hoc Canone non dicitur, eum, qui *alteri desponsam mulierem, adhuc vivo, cui desponsata est, in nuptiarum ducit societatem*, adulterium committere, sed *adulterii crimini subjici*, id est pœna adulterii puniri, quæ pœna infligi potuit, licet verum, & stricte dictum non esset adulterium.

Adhæc non satis liquet, num Canon loquatur ad sponsa de *futuro*, an vero de sponsa de *præsenti*, quæ subinde sponsa dicitur, ad distinctionem uxoris, actum conjugalem consummavit; asseritque Christianus Lupus hic, quod in *Capitulari Aquisgranensi*, *cap.* 51. Carolus Magnus pro *nupturæ*, legat *nuptæ*, atque ita non de sponsalibus, sed agi existimet de matrimonio rato.

Neque ab hac interpretatione abhorrere videntur Balsamon & Zonaras, qui divam Virginem fuisse sponsam S. Josephi ad mentem Canonis asserunt, quæ tamen S. Josepho per sponsalia de præsenti juncta fuit.

CANON XCIX.

Porro hoc quoque in Armeniorum regione fieri didicimus, quod quidam intus in sacris altaribus carnium membra coquentes frusta offerunt Sacerdotibus Judaice distribuentes. Quocirca Ecclesiam immaculatam servantes, statuimus, nulli licere Sacerdoti separata carnium membra ab offerentibus accipere; sed iis sint contenti, quæ offerenti visa fuerint, ejusmodi oblatione facta extra Ecclesiam. Si quis autem hoc non fecerit, segregetur.

SCHOLION.

Contra ritus Judaicos, in altari carnes coquendo & Sacerdotibus offerendo.

SENSUM Canonis his verbis expressit Balsamon: „ Quoniam didicere SS. Patres, quod in Armeniorum regione per animalia quidem non fiunt sacrificia, sed carnium partes intra altare coquuntur, & ex iis frustra quædam, scilicet membra separata; pedes forte & caput, vel aliquid ejusmodi Sacerdotibus more Judæorum offerunt, statuerunt nec in altari carnium membra coquere, nec extra ipsum tales separatas partes Sacerdotibus offerre ex antiqua consuetudine oportere, sed ejusmodi cessare, & Sacerdotes a Laicis oblationem suscipere debere, in quibuscumque rebus & generibus ipsi voluerint.

VValafridus Strabo sæculo IX. scribens, similem errorem notat in Ecclesia Latina *c.* 18. „ Quorumdam simplicium error, de Judaicarum superstitionum seminario natus, & ad nostra usque tempora quædam vetustatis extendens vestigia, jam ex magna parte sapientium studio compressus est, & sicubi adhuc perniciosum hujus pestis germen revirescere fuerit comprobatum, mucrone spiritali radicitus est amputandum; illum dico errorem, quo quidam *Agni* carnes in Pascha, juxta vel sub altari eas ponentes, benedictione propria consecrabant, & in ipsa Resurrectionis die, ante cæteros corporales cibos, de ipsis carnibus percipiebant: cujus benedictionis series adhuc a multis habetur.

Usitata quidem fuit, & etiamnum hodie probata ejus formula, in *Ordine Romano* servatur Agni Paschalis benedictio; sed ritum hoc Canone expressum Judaismum redolentem, nunquam agnovit Ecclesia: quamvis non diffiteamur, in hunc, aliosque Ecclesiasticos ritus nonnullas Judaicas aut Gentiles superstitiones ex Pastorum desidia, atque exinde provenienti imperiti vulgi ignorantia irrepere & immisceri: at eas Ecclesiæ adscribere, propria sectariis nostris calumnia est.

CANON C.

Oculi tui recta aspiciant, & omni custodia serva cor tuum, *jubet Sapientia. Corporis enim sensus sua facile in animam effundunt. Picturas ergo, quæ oculos præstringunt sive in tabulis, sive quovis alio modo fiant, & mentem corrumpunt, & ad turpium voluptatum movent incendia, nullo modo deinceps exprimi jubemus. Si quis autem hoc facere aggressus fuerit, deponatur.*

SCHOLION.

Contra picturas lascivas.

QUAM salutare sit hoc præsentis Canonis decretum frustra ostendero. Hoc unum optandum, ut frequentissime licet renovatum, executioni mandaretur; atque Episcopi, reliquique tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ moderatores in perniciosas has picturas „ quæ, ut recte notat Balsamon, sensum *præstringunt* seu fallunt, & *in animam infundunt* seu immittunt omne malum; turpibusque & inhonestis inceptis, quæque Dei imaginem corrumpunt, causam præbent „ sua auctoritate animadverterent.

CA-

CANON CI.

Corpus Chriſti & Templum, hominem ad imaginem Dei creatum, divinus magna voce appellat Apoſtolus. Omnem ergo ſenſibilem creaturam ſuperans is, qui ſalutari paſſione cœleſtem dignitatem eſt aſſecutus, Chriſtum bibens vel comedens æternæ vitæ adaptatur, animam & corpus divinæ gratiæ participatione ſanctificans. Quare ſi quis immaculati corporis in ſynaxis tempore eſſe particeps voluerit, & offerre ſe ad communionem, manus in crucis formam figurans ſic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Eos enim, qui ex auro, vel ex alia materia quædam loco manus receptacula efficiunt, ad divini muneris ſuſceptionem, & per ipſa immaculatam communionem recipiunt, minime admittimus, ut qui inanimatam ſubjectamque materiam Dei imagini præferant. Si quis autem deprehenſus fuerit immaculatam communionem iis impertiens; qui ejuſmodi receptacula afferunt, & ipſe ſegregetur, & is qui affert.

SCHOLION.

S. Euchariſtia manu excipienda.

EX hoc Canone habemus, quod in quibuſdam Eccleſiis mos invaluiſſet, ut communicantes quibuſdam inſtrumentis ſeu *receptaculis, ex auro, vel alia materia, immaculatam communionem reciperent*: „ & ab initio „ quidem, ait Balſamon, hoc fortaſſe a quibuſdam pro„ pter pietatem excogitatum eſt, fortaſſis exiſtimanti„ bus manum non eſſe dignam Dominicum Corpus ſu„ ſcipere, quæ turpia quædam & indigna tangit.

Verum, uti notat idem Balſamon, „ procedente „ tempore ad animæ perniciem converſa eſt, pietas, „ utpote iis qui illa faciunt pauperibus præferri quæ„ rentibus, & ſe alioquin arroganter & inſolenter ja„ ctantibus.

Morem ergo hunc Synodus improbans voluit unum eumdemque ritum ab omnibus in ſuſcipienda ſacra Communione ſervari, quem his verbis expreſſit: *Si quis immaculati corporis in ſynaxis tempore, eſſe particeps voluerit, etiam antequam ejus fiat communio, manus in crucis formam figurans ſic accedat, & gratiæ communionem accipiat.*

Eumdem ritum memorat S. Cyrillus Hieroſolymitanus.

Eumdem ritum non obſcure commemorat S. Cyrillus Hieroſolymitanus, *Catecheſ. 5. Myſtagog.* ſcribens. „ Accedens ad communionem, non expanſis manuum „ velis accede, neque cum disjunctis digitis, ſed ſini„ ſtram velut ſedem quamquam ſubjiciens dexteræ, „ quæ tantum Regem ſuſceptura eſt, & *concava* manu „ ſuſcipe corpus Chriſti, dicens amen.

Item Damaſcenus.

Et clarioribus terminis ſæculo VIII. hujus ritus meminit Damaſcenus, *lib. 4. orthod. fidei, cap. 14.* „ Ar„ denti cupiditate ad eum adeamus, manibuſque in cru„ cis formam compoſitis, crucifixi corpus ſuſpiciamus.

Cardinalis Bona,

Plurima tum Orientalium, tum Latinorum Patrum teſtimonia profert Cardinalis Bona, *lib. 2. Rerum Liturg. cap. 17. nu* 3. quibus oſtendit, quod, „ ipſa ſa„ cra Communio, antiquo ritu, non ore excipi ſoleret, „ uti hodie fit, ſed *manu*, quam qui ſuſceperat, ori „ reverenter admoveret.

Monet ibidem eruditus Cardinalis dicens: ex hujus „ ritus ignorantia quidam apud Galanum in conciliatione Eccleſiæ Armenæ cum Romana, *parte 1. pag.* „ 132. inter errores Iberorum, quos nunc Georgianos „ vocamus, hunc enumerat: *aliquibus diebus feſtivis*, „ multi Sacerdotes Miſſæ ſacrificio adſtantes commu„ nicant, ſed Euchariſtiam ab Epiſcopo celebrante re„ cipiunt in *propriis manibus*, quam ipſimet proprio „ apponunt ori.

Mos iſte ſenſim & variè mutatus.

Quam multi hodie ſimili ignorantia laborantes non reperiuntur; qui quidquid a Scholaſticis, aut modernis Ritualibus, quibus unice incumbunt, diſſonum ſibi apparet, pro noxia novitate, aut periculoſo errore reputant, immo tamquam naſcentem pene hæreſim proclamant.

Porro teſtatur Balſamon hic, ſuo tempore, in quibuſdam Eccleſiis, **Laicis datam communionem**, nec eis in manus traditam. „ Ne mireris, ait, nec cauſam „ rogaveris, propter quam in quibuſdam Eccleſiis da„ tur Laicis ſanctum Chriſti corpus, nec in manu tra„ ditur, ut hoc Canone continetur: recta enim fides „ & Dei timor, & ab omni ſuſpicione aliena pietas, „ hoc tradidit, non Laicorum indignitas.

Cum de ſolis Laicis loquatur Balſamon, veriſimiliter Sacerdotes, Diaconi, aliique Clerici adhuc manu ſua Euchariſtiam excipiebant. Ritum enim hunc non fuiſſe quoad Laicos & Clericos uno eodemque tempore mutatum, evincit antiquus Codex Ritualis ad uſum Eccleſiæ Latinæ a Morino in *opere de Sacris Ordinationibus parte 2.* laudatus, & annorum 700. ætatem, ut putat, ſuperans, in quo de Clericorum Communione hæc præſcribuntur: „ Presbyteri & Diaconi oſcu„ lando Epiſcopum corpus Chriſti ab eo *manibus* acci„ piant... Subdiaconi autem oſculando manum Epi„ ſcopi *ore* accipiant corpus Chriſti ab eo.

Hac itaque a Balſamone indicata ratione, veriſimiliter ſenſim inductus eſt mos, ut corpus Chriſti communicantibus in os detur, nec manu recipiatur.

CANON CII.

Oportet autem eos, qui ſolvendi & ligandi poteſtatem a Deo accepere, peccati qualitatem conſiderare, & ejus qui peccavit ad converſionem promptum ſtudium, & ſic morbo convenientem afferre medicinam: ne ſi in utroque immoderatione utatur, ab eius, qui laborat, ſalute excidat. Non enim ſimplex eſt morbus peccati, ſed varius & multiformis, & multas incommodi propagines germinans: ex quibus malum multum diffunditur, & ulterius progreditur, donec viribus medentis conſtat. Quare qui medicinæ ſcientiam in ſpiritu profitetur, oportet primum eius, qui peccavit, affectionem conſiderare, & ſive vergit ad ſanitatem, ſive contra, propriis moribus provacat in ſe morbum, aſpicere; quomodo eius quæ intercedit vitæ rationis converſioniſque curam gerat, & ſi artifici non reluctatur, & ulcus animæ auget per impoſitorum medicamentorum adiectionem, & ſic miſericordiam, prout dignus eſt, impertiri. Omnem enim rationem init Deus, iſque cui Paſtoralis traditus eſt Principatus, ut errantem ovem reducat, & ei, quod eſt a ſerpente vulneratum, medeatur; & neque per deſperationis præcipitia impellat; nec ad vitæ diſſolutionem, & contemptum frena relaxet: ſed una quidem omnino ratione, ſive per acriora & adſtringentia, ſive per molliora & leniora medicamenta affectioni reſiſtat, & ad ulceris obductionem annitatur, fructus pœnitentiæ examinans, & ſapienter diſpenſans & gubernans hominem, qui ad ſuperiorem illuminationem vocatur. Nos enim utraque ſcire oportet, & quæ ſunt ſummi juris, & quæ ſunt conſuetudinis: in iis autem, qui extrema non admittant, ſequi formam traditam, quemadmodum ſanctus nos docet Baſilius.

SCHOLION.

QUod præſens Canon pluribus exponit, hoc paucis comprehendit Concilium Lateranenſe IV. *omnis utriuſque ſexus* ✠ de pœnit. & remiſſ. „ Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti „ Medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus „ ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circum„ ſtantias, & peccati: quibus prudenter intelligat, „ quale debeat ei præbere conſilium, & cujuſmodi re„ medium adhibere, diverſis experimentis utendo ad „ ſalvandum ægrotum. Pœnitentis & peccati qualitates ſollicite attendendæ

Hi, aliique his conformes Canones clamant, quanta prudentia, ac ſcientia non humana, ſed divina potius requiratur in animarum directore; quodque non tantum de Officio Paſtorum, ſed & Confeſſariorum dici queat cum S. Gregorio: *Ars artium cura animarum Angelicis humeris formidanda.* Paſt. cur. part. 1. c. 1.

DISSERTATIO

In Synodum Œcumenicam ſeptimam ſive Nicænam ſecundam, ejuſque Canones.

§. I.

De Actis in cauſa Iconoclaſtarum ab initio ſæculi octavi regnante Imperatore Leone Iſauro uſque ad Synodum Nicænam ſecundam.

Hæreſis Iconoclaſtarum initio ſæculi VIII. ſub Leone Iſauro perſecutore.

ICONOCLASTARUM hæreſim Synodo ſeptimæ Œcumenicæ occaſionem dediſſe notorium eſt.

Hæreſis hæc ortum ſuum habuit ſub initium ſæculi octavi regnante Imperatore Leone Iſauro.

Hic enim Judæorum quorumdam præſtigiis in certam ſpem adductus imperii: ubi compos eſt factus, ut ſe gratum illis exhiberet, primo quidem Chriſti effigiem, quæ ſupra portam æneam Urbis Conſtantinopolitanæ in excelſo illuſtrique loco ſteterat, & a populo, frendentibus Judæis, honorifice multo tempore culta fuerat, deturbari juſſit anno imperii ſui decimo. Hinc populus Regiæ Urbis dolore vehementi ac ira percitus, primum ipſum Leonem invadere cœpit, tum plures ipſius miniſtros trucidavit, atque inter alios a mulieribus ſatelles, cui dejiciendi imaginem cura mandata erat, e ſcala dejectus occubuit: quo factum eſt, ut & ipſæ gladio necarentur, alii vero inter viros pro ſacro imaginum cultu pugnantes, exilio, proſcriptio-

ne

ne bonorum, aliiſque ſuppliciis afficerentur, uti latius hæc recitantur a Cedreno, & in actis S. Stephani junioris apud Surium ad diem 28. Novembris.

Cum hæc adverſus ſacras imagines moliretur Leo, Sedi Conſtantinopolitanæ præerat S. Germanus, qui non tantum hiſce Imperatoris auſibus fortiter reſtitit, ſed inſuper de omnibus certiorem reddidit Gregorium II, Romanum Pontificem.

Actis Epiſtola Gregorii II. ad Leonem.

De his certior factus Gregorius, duas epiſtolas dedit ad Leonem, quarum prima eaque prolixiori ipſi in primis ſignificat, quod plures ipſius majeſtatis litteras plane orthodoxas acceperit. " Cumque iſthæc accepiſſemus (ait) gratiarum actionis Hymnos Deo offerebamus, quod a Deo tibi plane donatum eſſet imperium. Et cum recte curreres, quis auribus tuis inſonuit, & cor pervertit, ut arcum pravum, & in ea, quæ a tergo ſunt, reſpexiſti? Decem annos Dei benignitate recte ambulaſti, neque *ſacrarum imaginum* mentionem feciſti; nunc autem dicis, eas *idolorum* locum implere; atque illos, qui eas venerantur *idololatras* eſſe, teque ad eas evertendas penituſque delendas convertiſti.

Acri admodum ſtylo poſt hæc perſtringit Imperatorem, atque inter cætera ait: " neceſſe habemus craſſa tibi & indocta ſcribere, ut indoctus es, & craſſus, ſed revera tamen virtutem ac veritatem Dei in ſe continent. Per Deum te obteſtamur, ut arrogantiam deponas; ac ſuperbiam qua circumfluis, multaque cum humilitate ſincere nobis aures accommodes.

Gregorius probare contendit legitimum uſum imaginum.

Deinde multa adducit, quibus probare contendit, uſum imaginum ab ipſis exordiis Eccleſiæ fuiſſe; & primos Chriſtianos habuiſſe imagines Chriſti, SS. Jacobi, Stephani, aliorumque martyrum, quorum facies *cum vidiſſent* (ait) *depinxerint;* " & his conſpectis deinceps in toto terrarum orbe homines, derelictis diaboli adorationibus, has exhibuerunt, *non latria, ſed habitudine*. " Adducit quoque in argumentum hujus cultus, imaginem, quæ a Chriſto dicitur miſſa ad Abgarum Regem Edeſſæ, atque, Chriſtum Regis iſtius epiſtolæ *manu ſua reſponſum, & ſacram glorioſiſſimamque faciem ad eum miſiſſe*.

Præterea dicit, Filium Dei poſtquam carnem propter nos aſſumere dignatus eſt, & viſibilis in terra apparuit, potuiſſe depingi, immo ait, quod homines, qui Hieroſolymam ex variis regionibus accurrerant " cum Dominum vidiſſent, prout viderant, ſpectandum ipſum proponentes depinxerant.

Imagines SS. Trinitatis.

Tum ſibi objiciendo quærit: " cur tandem Patrem Domini Jeſu Chriſti non oculis ſubjicimus ac pingimus "? Reſpondet: " quoniam quis ſit, non novimus, Deique natura ſpectando proponi non poteſt ac pingi. Quod ſi eum intuiti fuiſſemus ac noviſſemus, prout *filium* ejus, illum quoque ſpectandum proponere potuiſſemus ac pingere.

Ex his evidens eſt, eo tempore nondum admiſſas fuiſſe imagines ſanctiſſimæ Trinitatis, nec Patris aut Spiritus ſancti (*a*), quod & vidit Card. Baronius, monens propterea in nota marginali ad citata Gregorii verba: " Poſtea uſu venit, ut pingatur in Eccleſia Deus Pater & Spiritus ſanctus; non quod ſub aſpectu cadant, ſed uti apparuiſſe in Divinis ſcripturis leguntur ſub forma ſenioris, & ſub imagine columbæ: quod enim deſcribitur, idem & pingitur, cum ſit eadem ratio utriuſque, ſtyli nimirum & penicilli.

Quando autem uſus imaginum ſanctiſſimæ Trinitatis admiſſus ſit, incertum eſt, fateturque ingenue Chriſtianus Lupus ſe ignorare, quando hic uſus inceperit, aſſeritque tempore Nicolai I, id eſt, ſub medium ſæculi noni, nondum fuiſſe illum uſum. Videri poſſunt quæ dixi in *Jure Eccleſiaſt. Tom. II. part. 2. ſect. 2. tit. 1. cap. 1. nu.* 23. & *cap. 2. n.* 41. *& ſeq. hujus edit.* alias 16. *cap.* 1. ibi quoque notavi, qua cautione hodie imagines illæ ſint proponendæ.

Quis ſit legitimus cultus Imaginum?

Ad epiſtolam Gregorii revertamur. Scribit Gregorius, quod Imperator in juſtificationem deſtructionis imaginum diceret, Catholicos *lapides*, & *parietes*, ac *tabellas adorare*: reſpondet Gregorius: " non ita eſt, ut dicis, Imperator, ſed ut memoria noſtra excitatur, & ut ſtolida & imperita craſſaque mens noſtra erigatur, & in altum provehatur per eos, quorum hæc nomina, & quorum appellationes, & quorum hæ ſunt imagines.

Aſſeritque præterea, quod fideles imagines non colant tamquam *Deos; non enim* (ait) *ſpem in illis habemus*. " Ac ſi quidem imago ſit Domini, dicimus: Domine Jeſu Chriſte fili Dei ſuccurre & ſalva nos. Sin autem ſanctæ Matris ejus, dicimus: ſancta Dei genitrix Domini mater intercede apud Filium tuum verum Deum noſtrum, ut ſalvas faciat animas noſtras. Si ſit Martyris, dicimus, *intercede pro nobis*.

Utriuſque poteſtatis diſcreti termini.

Monet ipſum Leonem; *Scis Imperator ſanctæ Eccleſiæ dogmata non Imperatorum eſſe, ſed Pontificum, quæ tuto debent dogmatizari. Idcirco Eccleſiis præpoſiti ſunt Pontifices a Reipublicæ negotiis abſtinentes; & Imperatores ergo ſimiliter ab Eccleſiaſticis abſtineant, & quæ ſibi commiſſa ſunt capeſſant*.

Gregorius judicat inutile fore pro hac cauſa Concilium generale,

Poſtulaverat Leo congregari Concilium: reſpondit Papa; Et nobis inutilis ea res viſa eſt: *Tu perſecutor es imaginum, & hoſtis contumelioſus & everſor. Ceſſa, nobis largire hoc ut taceas; tum Mundus pace perfruetur, & ſcandala ceſſabunt*.

Leo fit inſolentior ad quem Gregorius ſcribit ſecundam Epiſt, laudatque ejus prædeceſſores,

His litteris minacibus receptis, Leo ſententiam non mutavit, ſed inſolentior factus, reſcribit Pontifici, *Imperator ſum & Sacerdos*, Gregorius ipſi reſpondens per ſecundam epiſtolam, agnoſcit, Imperatores ejus prædeceſſores opere & ſermone demonſtraſſe, ſe eſſe *Imperatores & Sacerdotes: qui condiderunt & coram geſſerunt Eccleſiarum* una cum Pontificibus *cupiditate zeloque incenſi*, rectæque fidei *veritatem perveſtigantes ..... & cum Pontificibus uno concilio ac ſententia Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, ſanctas Eccleſias conſtituerunt & ornarunt. Hi ſunt Sacerdotes & Imperatores, qui id opere demonſtrarunt*.

Poſt hæc dicit, quod ipſe Leo eam ſibi dignitatem arrogare non poſſit, utpote, qui definitiones Patrum non cuſtodiſſet, & Eccleſias ſuis ornamentis ſpoliet, & imagines, quibus homines ædificantur, menteſque ſuas & corda ad Deum erigunt, deſtruat.

Imperatores, non habent Eccleſiaſticam poteſtatem.

Rurſus eum monet, ut ceſſaret, & ſanctam Eccleſiam ſequeretur, prout invenerat, atque acceperat. *Non ſunt, ait*, Imperatorum dogmata, *ſed* Pontificum; *quoniam Chriſti ſenſum nos habemus. Alia eſt Eccleſiaſticarum Conſtitutio, & alius ſenſus ſecularium... nam quemadmodum Pontifex introſpiciendi in Palatium poteſtatem non habet, ac poteſtates Regias deferendi, ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi: neque conſecrandi, vel ſymbola ſanctorum Sacramentorum adminiſtrandi; ſed neque participandi abſque opera Sacerdotis, ſed unuſquiſque noſtrum, in qua vocatione vocatus eſt a Deo, in ea maneat:*

Dein ipſi exponit terminis vehementioribus ſuam duritiam & perſecutiones, & tyrannidem; rurſuſque hortatur, ut ſe ſubmittat. *Ecce nunc quoque te hortamur* (*inquit*) *pœnitentiam age, & convertere, atque ad veritatem regredere; ſicut inveniſti & accepiſti, cuſtodi*.

Scripſerat quoque Imperator; *qui fit ut in ſex Conciliis de Imaginibus nihil ſit dictum?* Reſpondet, eas adeo fuiſſe vulgatas & uſitatas, ut de iis loqui neceſſe non fuerit. *Ipſi Pontifices imagines ad Concilia deferebant* (*ait*) *nec ullus ex Chriſti amantibus ac Religioſis hominibus iter peragens, abſque imaginibus peregrinationes obibat, utpote qui virtute præditi, atque apud Deum probi eſſent*.

Denique hortatur Leonem, ut ſe ſuo & Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani judicio ſubmittat. *Utpote* (*ait*) *qui poteſtatem a Domino accepimus & auctoritatem terrena cœleſtiaque ſolvendi ac ligandi, teque ab hac cura quietum præſtabimus*. Utraque habetur *tomo* 7. Conciliorum apud Labb. *colum.* 7. *& ſeqq.*

Leo promulgat edictum adverſus imagines.

His nihilo mitior factus Leo, die ſeptima Januarii anni 730. convocatis in aulam ſuam quibuſdam Epiſcopis, accerſito quoque S. Germano Epiſcopo Conſtantinopolitano edictum promulgavit, *ut nulla imago* cujuslibet Sancti aut Angeli ubicumque haberetur, ſed omnia juſſerat deponi & incendi.

S. Germanus dimittit Epiſcopatum Conſtantinop.

Hujus autem edicti ſubſcriptionem cum nullatenus a ſancto Germano impetrare poſſet, ipſum e throno Conſtantinopolitano dejecit. Is vero cedens violentiæ & perſecutioni, pallium in ſacra menſa depoſuit, dicens: *Si ego ſum Joannes, projicite me in mare. Nam extra univerſalem Synodum novi aliquid de fide ſtatuere nequeo, o Imperator*.

S. Germano ſufficitur Anaſtaſius.

Sancto Germano in Sede Conſtantinopolitana ſuffectus fuit opera Leonis, Anaſtaſius Syncellus, Imperatori in cauſa abolitioni imaginum conſentiens.

Concilium Romanum.

De his certior factus Gregorius Papa, videnſque Imperatorem in ſua ſemper pertinacia perſiſtere, atque orthodoxæ fidei defenſores crudeliter perſequi, habuit Synodum Romæ convocatis quoque vicinis Epiſcopis, in qua fides Catholica de cultu imaginum confirmatur. Et ne quis (ait) aliter propter *adorationem*, quæ a Prædeceſſoribus noſtris Præſulibus promulgata eſt, oblatrare præſumat; ſciat, ipſos *adorationem docuiſſe, qualem Prædeceſſor noſter S. Gregorius in epiſtola ſua docuit*. Extat ibidem *tom.* 6. *Concil col.* 1460. De doctrina S Gregorii circa cultum imaginum infra erit locus differendi.

Verbum adorationis fuit offendiculum Iconoclaſtarum.

Interim ex relatis verbis intelligitur, quod & infra amplius pateſcet, præcipuum Iconoclaſtarum offenſionis lapidem fuiſſe, verbum *adorationis*, quo Catholici in ſuis de cultu imaginum expreſſionibus ſubinde utebantur.

(a) Quarto tamen ſæculo teſtabatur S. Amphilochius, quod S Baſilius apud Græcos columbas Spiritum Sanctum repræſentantes ſuſpenſas habuerit: legitur V. ſæculo, quod S. Paulinus apud Latinos in Baſilica S. Felicis ſanctiſſimæ Trinitatis imaginem depingi permiſerit. At diffiteri non poſſumus, quin eas imagines a plurimis Patribus fuerint improbatæ; quia ipſis periculum videbatur, nec eis latriæ cultus impenderetur.

Præ-

Synodus Romana Leonem excommunicat cum suis, eique vectigalia negavit Gregorius.

Præterea in hac Synodo; *Gregorius qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat (ait Zonaras) repudiata societate Præsidis novæ Romæ Leonis scilicet Imperatoris, nec non eorum qui illum sequerentur, illos una cum Imperatore Synodico anathemate obstrinxit, & vectigalia, quæ ad id usque tempus Imperio impendebantur, inhibuit, icto cum Francis fœdere.*

Gregorius III. mittit Commonitorias ad Leonem.

Anno sequenti defuncto Gregorio II. suffectus est ipsi in Sede Romana Gregorius III. Hic mox a suscepto Pontificatu, Commonitorias litteras per Georgium Presbyterum scripsit ad Leonem Imperatorem, quibus eum ab hæresi avocare conabatur.

Lator Epistolæ in exilium relegatur.

Verum minis ferocia Leonis perterritus hic Presbyter, re infecta Romam rediit, ac demum timiditatis suæ pœnitentia peracta, rursus anno sequenti scilicet 732. cum eisdem litteris ad Imperatorem ire voluit. At Imperator, cum de ejus reditu Constantinopolim certior esset factus, ipsum in Sicilia detineri jussit, ablatisque scriptis, in exilium relegavit, ut scribit Anastasius Bibliothecarius in vita Gregorii III.

Concilium Romanum an. 532. pro veneratione imaginum.

His intellectis, Gregorius Papa eodem anno, coacta Romæ Synodo 93. circiter Episcoporum; Clero, Senatu, populoque Romano præsentibus, Synodicum promulgavit Decretum: " Ut si quis deinceps antiquæ consuetudinis, & Apostolicæ Ecclesiæ tenentes fidelem usum, contemnens adversus eamdem venerationem sacrarum imaginum, videlicet Dei & Domini Jesu Christi, & genetricis ejus semper Virginis immaculatæ, atque gloriosæ Mariæ, beatorum Apostolorum & omnium Sanctorum depositor, atque destructor, & profanator vel blasphemator extiterit, sit extorris a corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, vel totius Ecclesiæ unitate atque compage, quod & subscriptione sua solemniter universis firmaverunt.

Leo pergit in cruentia sua persecutione usque ad ann. 741.

Sed neque hoc Synodali Decreto, neque iteratis ad Imperatorem Legionibus, quidquam profectum est, uti scribit Anastasius in vita Gregorii III. quin & crudelius in sacrarum imaginum cultores exarsit; pluresque eorum diris suppliciis vexavit, ac morti addixit, perseveravitque in hac persecutione usque ad obitum suum, qui contigit anno 741.

Leoni successit filius ejus Constantinus, vulgo Copronymus dictus, quem impietatis suæ in sacras imagines non minus, quam Imperii hæredem reliquit.

Constantinus Copronymus persecutor imaginum, &c.

Præcipue autem furorem suum contra cultores imaginum ostendere cœpit circa annum 744. quando prostrato exercitu Artabaldi, eoque cum filiis suis trucidato, Imperio pacifice sine æmulo potiri incepit.

Zacharias Papa Rom.

Præerat tum Ecclesiæ Romanæ Zacharias Pontifex. Hic iteratis ad Imperatorem missis Legationibus, eum demulcere, & ad officium revocare tentavit, sed frustra.

Licet enim aliquando videretur remissius agere velle, animo tamen nihilo mitior factus, tandem bello contra Saracenos prospere confecto, bellum contra imagines, earumque cultores instauravit ardentius.

Conciliabulum 338. Episcoporum anno 754.

Anno itaque 754. Concilium Episcoporum Constantinopolim convocavit; conveneruntque ad diem statutum treceni triginta octo Episcopi: quorum primi erant Ephesinus filius Abfimari & Pastillus Pergenses Episcopi, ut refert Theophanes.

Legitur in actis Stephani junioris, quod cum ad Blachernensem Deiparæ Basilicam Iconomachi convenissent Antistites, ambonem conscendisse Imperatorem Copronymum, & Constantinum Monachum Silæi in Pamphylia Episcopum, Patriarcham Constantinopolitanum proclamasse, his verbis: *Constantino Patriarchæ Œcomenico, multi anni.* Dein uti legitur in actis, Imperator cum novo hoc Patriarcha in forum est progressus: & coram universo populo sententiam in hoc Concilio stabilitam promulgarunt, anathema dicentes imaginum cultoribus, ac defensoribus, notanter Germano Constantinopolitano antea Patriarchæ, Georgio Cyprio Episcopo, & Joanni Damasceno, quem per contumeliam *Mauzur* appellarunt.

Acta hujus Concilii una cum eorum refutatione inserta sunt actioni sextæ Synodi VII. unde infra de his disserendi occasio dabitur, dum de illa actione sexta agetur.

Leo IV. Imp. anno 775. imaginibus quoque aversatur.

Bellum in sacras imagines, earumque cultores & defensores continuavit Copronymus usque ad annum 775. quo anno defunctus est. Ipsi successit filius Leo IV. eodem impietatis morbo laborans; etsi principio ut subditos demulceret a Catholicorum persecutione abstinuerit, nullas interim imagines in Ecclesiis permittens introduci.

At circa annum Imperii sui quintum *cum Leo Proceres quosdam Aulicos divinas imagines adorantes deprehendisset, exuta pelle vulpina (ait Joannes Zonaras in Annalibus) latitans sub ea Leo in apertum se protulit, eosque crudelissime excruciatos, ignominiosoque spectaculo per forum circumductos, cum prius pilis nudasset, in prætorium inclusit, ubi eorum quidam animas suas in manus Domini deposuerunt.* Idipsum compendio refert Paulus Diaconus; subdens, quod eodem anno mortuus sit Leo hoc modo: *Cum insaniret circa lapides, nimis adamavit coronam magnæ Ecclesiæ, & accipiens portavit eam, & exierunt Carbonculi in capite ejus, & captus a valida febre, mortuus est, cum regnasset annis quinque, diebus sex.*

Irene & ejus filius Constantinus cultores imaginum.

Leone mortuo, Irene Augusta & filius ejus Constantinus, decimum ætatis annum agens, Imperium suscepere, qui cum essent sacrarum imaginum cultores, eorum cultum paulatim restituere studuerunt, primum quidem permittentes omnibus libertatem amplectendi eam, quam vellent, opinionem de licito aut illicito imaginum cultu, neque eas hactenus restitui mandantes, abolentes duntaxat edicta Copronymi contra Catholicos imaginum cultores.

Quibus occasionibus restitutus cultus imaginum.

Ad excitandam populi devotionem erga imagines non parum profuit, quod circa illud tempus accidisse & divulgatum esse narrant Zonaras, Cedrenus, & Paulus Diaconus; quorum postremus, seu potius *Londulphus* cognomento *sagax* Pauli Diaconi historiarum libro 23. ad annum 774 qui est primus Irenes & Constantini ejus filii hæc scribit: " hoc etiam anno in longis Tracæ muris, quidam homo fodiens invenit arcam lapideam, quam cum purgasset, & revelasset, reperit virum jacentem & conglutinatas arcæ litteras continentes hæc: *Christus nascetur ex Virgine Maria, & credo in eum sub Constantino & Irene Imperatoribus, o sol, iterum me videbis.* Extat tomo 13. Biblioth. Patrum maximæ pag. 318.

Paulus Episcopus Constantinopolitanus.

At anno quarto Imperii opportuna admodum oblata fuit occasio, cultum imaginum generali Decreto restituendi. Paulus enim, qui post Nicetas obitum inauguratus fuerat Patriarcha Constantinopolitanus *in firmatus Thronum reliquit (inquit Paulus Diaconus) & descendens ad Monasterium Flori, Monasticum suscepit habitum, Imperio ignorante.*

Cum autem Imperatrix didicisset, venit cum filio tristis & clamans: cur (inquit) hoc fecisti. At ille (Paulus Patriarcha) cum lamentis ait ad illam: utinam ne unquam in Sacerdotii throno sedissem, Ecclesia Dei tyrannidem patiente, præsertim cum scissa sit a reliquis universalibus sedibus & anathematizata.

Mox Imperatrix adscivit Patricios & Senatus primores, quos sciebat in cultu imaginum non ita ac communem populum inclinatos, eosque misit ad Patriarcham audituros, quæ ab ipso dicebantur " Qui dixit ad illos: nisi Synodus universalis fiat, & error, qui est in medio vestri, corrigatur, salutem non habetis ". At illi dixerunt ei: " Cur ergo Patriarcha designatus, inter ordinationis solemnia, imagines te nunquam adoraturum subscripsisti "? tunc ille: " idcirco lamentis afficior & ad pœnitentiam curro, deprecaturus Deum, ne me sicut Sacerdotem judicet & cruciet, qui tacuerim usque nunc, & præ timore furoris vestri non prædicaverim veritatem.

Vix hæc dixerat & publice professus erat, cum spiritum emisit, & in pace obdormivit.

Edictum Irene.

Hic eventus, & publica hæc veritatis professio, & erroris retractatio facta a Patriarcha jamjam coram divino tribunali deducendo, mirum in modum omnes adstantes perstrinxit, animosque addidit Imperatrici, ulterius se circa cultum imaginum declarandi: Quapropter jam edicto publico declaravit, liber esse Catholicis Catholicam veritatem de *cultu imaginum publice prædicare*, & in publicis disputationibus & collationibus errorem Iconoclastarum refutare.

Post hæc, Imperatrix, fœmina non parum astuta in prævidendis mediis opportunis ad finem sibi propositum pertingendi, vidit nihil fore opportunius ad restituendum sacrarum imaginum cultum, quam Sedi Constantinopolitanæ præponere Patriarcham, qui cultui huic promovendo & restaurando esset zelosus.

Tarasius Patriarchas Constantinopolitanus.

Porro neminem ad id operis perficiendum capaciorem invenit, quam *Tarasium*, qui tum ipsis Imperatoribus erat a Secretioribus.

Hic itaque in conventu Senatorum, Nobilium, totiusque populi præsentibus Imperatoribus, ac Irene perorante, communi acclamatione in Patriarcham fuit postulatus.

Hic cum adhuc esset Laicus, munus illud, cui se imparem dicebat, diu ac pertinaciter recusabat, donec tandem Imperatrice instante, illud suscepit ea conditione, ut Synodus *generalis* indiceretur, ut ita in unum omnes convenientes, una ubique fides circa cultum imaginum prædicaretur. Cui conditioni Imperatores totusque conventus assenserunt, consentientes, ut Synodus universalis haberetur.

Primum ut Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus inauguratus est (*a*), de congreganda Synodo serio allaborari cœptum est: de cujus indictione & congregatione nunc paucis agendum.

§. II.

(a) Anno 748. ipso die natali Christi Domini, Episcopatum iniit Tarasius, cum ad Hadrianum Papam jam directæ essent litteræ de Œcumenica Synodo congreganda.

§. II.

De Indictione & Congregatione Concilii VII.

Indictio Concilii a.ctoritate Imperatoris in ann. 786.

TARASIUS in Patriarcham ordinatus institit, ut secundum promissa, indiceretur Synodos, quæ & anno 785. indicta fuit auctoritate Imperatorum Constantini & Irenes Constantinopolim in annum sequentem, scilicet 786. missique sunt ad Hadrianum I. tunc Romanum Pontificem, & cæteros Orientis Patriarchas, ut vel per se, vel per Legatos suos Synodo interessent.

Legati Pontificis Romani, ac trium Patriarcharum, & ultra 300. Episcopi conveniunt Constantinop.

Itaque ad tempus præfixum convenere & Legati Adriani Papæ, & trium Patriarcharum Orientalium scilicet Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani, & ultra ter centum Episcopi, cum pluribus Abbatibus.

Intendebant Imperatores, ut Synodus in Urbe Regia Constantinopolitana haberetur; at difficultates supervenientes celebrationem eo in loco haberi impedierunt.

Concilium impeditum ab Iconoclastis.

Plures enim etiam Episcopi, qui in Concilio habito an. 754. sub Copronymo, decreto *destructionis & abolitionis imaginum* subscripserant, fortiter se celebrationi Concilii opponebant, dicentes ulterius super hoc articulo *non admittendum ad efficiendam Synodum, sed consentiendum depositioni & injuriæ venerabilium imaginum*; utpote jam judicatæ in dicto Concilio.

Hi & factiones non paucas, & susurrationes contra Patriarcham commoverunt; ita ut conventicula fecerent.

His non obstantibus mandato Imperatorum resolutum fuit, Synodum die statuto fieri debere in venerabili Templo sanctorum Apostolorum.

Episcopi autem, qui contra cultum imaginum subscripserant in Concilio sub Copronymo anno 754. suscitaverant interea milites (qui pene omnes a Præcedentibus Imperatoribus assumpti; Iconoclastis favebant) ut Synodum indictam turbarent.

Unde & *pridie, quam statutus dies habendæ Synodi advenisset, per meridiem commoti sunt milites furore ferventes, insaniamque spirantes: & venientes ad Luterem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ aliud atque aliud clamabant. Sed vox omnium in unum terminabatur, quia videlicet non esset permissum fieri Synodum.*

Relatione horum tumultum per Patriarcham facta Imperatoribus; *nequaquam Patriarcha prohibitus est quominus fieret Episcoporum conventus in prædicto venerabili Templo: sed postridie facta est congregatio Episcoporum in ipso, factisque quibusdam allocutionibus tam a sanctissimo Patriarcha, quam a Deo amabilibus Antistitibus, & lectis quibusdam Synodicis conscriptis, quæ perhibent, non oportere aliquando Synodum universalem fieri præter consensum cæterorum sanctissimorum Patriarcharum.*

Vix hæc dicta & lecta erant, quin *facta sit turba militum, & ante januas venerandi simultatem & clamorem faciebant, qui ex summissione quorumdam Episcoporum, qui in Synodo male sentiebant, ad hoc moti, reperti sunt esse.*

Hæc cum Imperatoribus renuntiata essent: "Imperium per cubicularium omni Synodo jussit dicere: „ *interim abscedite*, ut populi inordinatum impetum „ evadamus; & posthac voluntas Domini fiet". Hæc omnia latius describuntur apud Labb. *tom. 7. Concil. general. col.* 38.

Hoc itaque modo dissoluta fuit Synodus; ac anno integro suspensa, atque interea omnia per Imperatricem prudenter disposita fuere pro habenda tempore opportuniore & pacatiore generali Synodo.

Concilium Nicææ celebrari jussum ab Imperatoribus.

Unde militibus alio quæsito prætextu dimissis, aliisque obstaculis remotis, denuo præceperunt piissimi Imperatores, ut fieret Synodus in Nicænorum Metropoli, eumque in finem evulgatum est præceptum Imperatorum.

Igitur ad jussionem Imperatorum Episcopi in unum congregati sunt Nicææ; ubi prima generalis sub Constantino Magno celebrata fuerat. "Similiter & Patriarcha Constantinopolitanus cum Vicariis Orientis, & Occidentis ad eamdem pervenit urbem; & „ facta est Synodus beneplacito Dei.

Celebrata ergo fuit hæc Synodus in civitate Nicæa, inde & vulgo dicitur Nicæna II. sed quia primum Constantinopolim convocata fuit; quin & ibidem cœpta est; idcirco subinde & Constantinopolitana appellata fuit, puta *in Canone 2. Concilii Francofordiensis*, uti contra Surium recte notavit Christianus Lupus in dissertatione de hac Synodo *cap. 2.* (*a*).

(a) Reverend. Pater Daniel Jesuita in sua Franciæ Historia fecerit Concilium Constantinopolitanum a Concilio Nicæno, supponit primum fuisse particulare, alterum vero OEcumenicum; sed hujus auctoris error facti est; constat enim ex dictis Concilium congregatum primo fuisse Constantinopoli, deinde Nicæam translatum: Constantinopoli inchoatum est, deinde Nicææ continuatum & absolutum; unum igitur idemque est Concilium OEcumenicum.

§. III.

De actione prima hujus Synodi.

Actio prima 24. Septemb.

PRIMA actio sive sessio habita fuit 24. Septembris anni 787. apertaque Synodus sub hoc titulo: *Conveniente sancta & universali Synodo, quæ per divinam gratiam & piam sanctionem eorum Deo confirmatorum Imperatorum congregata est in Nicæensium clara Metropoli Bithyniensium Provinciæ: id est, Petro Reverendissimo Archipresbytero sanctissimæ Romæ Ecclesiæ scilicet Apostoli Petri, & Petro Reverendissimo Presbytero Monacho & Abbate venerabilis Monasterii S. Sabbæ Romæ siti; retinentibus locum Apostolicæ almi & sanctissimi Archiepiscopi & senioris Romæ Hadriani: Tarasio almo & sanctissimo Archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, Joanne & Thoma Reverendissimis Presbyteris & Vicariis Apostolicarum Sedium Orientalis Diœceseos*: dein sequuntur nomina omnium aliorum Episcoporum.

Hic per transennam notet lector, non tantum Sedem Romanam dici Apostolicam, sed etiam alias Sedes Patriarchales, scilicet Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam, quarum hi Presbyteri, Joannis & Thomas erant Vicarii.

Consederunt autem Episcopi ante ambonem magnæ Ecclesiæ, quæ cognominatur *Sophia*: " præsentibus & „ audientibus gloriosissimis & magnificentissimis Prin„ cipibus, id est, Petrona laudatissimo Exconsule, „ Patricio & Comite Deo conservandi Imperialis of„ ficii, & Joanne Imperiali Ostiario, & Logotheta „ Imperialis Logothesii, & Reverendissimis Archiman„ dritis, Hegumenis & Monachis, propositis sanctis & „ immaculatis Dei Evangeliis.

His præmissis, Episcopi Siciliæ insulæ dixerunt: „ justum esse ac huic Synodo conveniens, ut ad ex„ quirendum inchoationem Capitulorum, Tarasius Re„ giæ Constantinopoleos novæ Romæ procemium fa„ ciat, & ostium verbo aperiat, & quæ congrua sunt, „ vociferando pronuntiet". Cui suggestioni tamquam justæ annuit Synodus (*a*).

Tarasius itaque Synodo exposuit, quomodo anno elapso fuissent congregati Constantinopoli in Templo SS. Apostolorum, sed quod ob irruentem furentium turbam discedere coacti fuerint, re intecta; quod Imperatores rursus in idipsum congregaverint Synodum. Deinde Patres exhortatur, ut strenue ac constanter veritatem tueantur " & omnem vocum novitatem, „ ambitum, atque superfluitatem tamquam puro triti„ co superseminata zizania, sine omni dilatione radi„ citus evellant, utpote veritati obviantia & Eccle„ siæ repugnantia": uti latius hæc enarrantur ibidem *Tom. 7. Concil. general. col.* 46. & 47.

Lecta Epistola Imperatorum.

Post hæc instantibus gloriosissimis judicibus, lecta est Epistola Imperatorum inscripta *Sanctissimis Episcopis, qui in voluntate & gratia Dei, & jussione pii Imperii nostri convenerunt in Nicæna Synodo.* Hic primum ostendunt Imperatores necessitatem congregandæ Synodi; & qualiter ad eam congregandam excitati fuerint publica pœnitentia & retractatione Pauli Patriarchæ Constantinopolitani, & instantia Tarasii, qui Patriarchatum suscipere noluit, nisi prius congregatio Synodi ei promissa fuisset. Dein Episcopos exortantur, ut „ propositis sanctis Evangeliis, & intelligibiliter cla„ mantibus, *juste judicate*, stent stabiles pietatis pro„ pugnatores, & omnem novitatem vocum, & novi„ ter apparentem seditionem recidere procurarent ..... „ ut integrum Ecclesiæ corpus compactum & conve„ niens, atque paterna traditiore corroboratum pax „ spiritus custodiat, & totius Romanæ reipublicæ no„ stræ constitutio simul tranquilla cum fidei tranquil„ litate consistat.

Lectæ Epistolæ Adriani Papæ, & Patriarcharum Orientalium.

Significant præterea, se accepisse litteras ab Hadriano Papa senioris Romæ per Vicarios ipsius, quas & Synodo præelegi jubent, *secundum jus Synodicum*. Similiter & litteras Episcoporum Orientalis Diœcesis cum annexis monumentis. *Per ipsos cognoscetis* (inquiunt) *qualis sit Ecclesiæ Catholicæ sensus.*

Ex his manifestum est, Episcopos hic consedisse & agnitos fuisse tamquam legitimos judices, qui super quæstione circa cultum & adorationem imaginum judicarent; ipsas Epistolas Hadriani Papæ, tum aliorum Patriarcharum Orientalium cum monumentis illis annexis examinarent, atque iis examinatis declararent, quid de cultu imaginum esset sentiendum.

Basilii, Theodori, & Theodosii fidei professiones.

Lectis Imperialibus litteris, Basilius Ancyræ, Theodorus Myrorum, & Theodosius Ammorii respective Episcopi, prolixas coram Synodo fidei Catholicæ confessiones recitarunt, quibus non tantum suam circa dogmata prioribus sex Synodis universalibus contenta, professi sunt; sed & in specie declararunt, se recipere & probare *venerabiles imagines*, non tantum

(a) Episcopi Siciliæ eo loci in Græco nuncuparunt Tarasium Præsidem Προκαθεζόμενον, qui quidem titulus in versione Latino Tarasio non tribuitur.

tum Domini nostri Jesu Christi, sed & aliorum sanctorum, eisque *adorationem, quæ pertinet ad honorem, impendere*, ait Basilius Ansyræ Episcopus; & Theodosius Episcopus dixit: „ pingi autem consentio in Ecclesiis sanctorum principaliter Iconam Domini nostri „ Iesu Christi, & sanctæ Dei genitricis, ex varia materia auri & argenti, & omni colore, ut carneæ dispensatio ipsius omnibus innotescat. Similiter pingi conversationes sanctorum & famosissimorum Apostolorum „ Prophetarum, ac Martyrum, quo innotescant certamina & agones eorum in brevi scriptura, ad excitationem & magisterium populorum, maximeque simplicium.

Lectis hisce fidei professionibus, & contrariorum dogmatum facta abjuratione, hi tres a Synodo suscepti fuerunt, & *ussi sunt sedere in gradibus ac sedibus suis*.

Professiones fidei Episcoporum, qui contra Synodum Constantinop. fuerant tumultuati.

Post hos autem adducti & sunt Hypatius Episcopus Nicææ, aliique Episcopi, qui anno præcedenti contra Synodum Constantinopoli congregatam tumultuati fuerant, & milites excitarant, conventiculaque inter se contra orthodoxos Episcopos habuerant.

Hi similiter emissa anteactorum retractatione, & fidei orthodoxæ de cultu imaginum professione, postularunt a Synodo suscipi. Verum causa difficilior visa fuit, eo quod viderentur fuisse quasi duces & motores Iconomachorum, mora in hæresi diuturnior, quorum occasione dixit Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus: *diuturniores passiones difficiliores sunt ad curandum: sic & anima, quæ in obscuro est hæreseos, lumen orthodoxiæ difficile recognoscit.*

De modo recipiendi hæreticos.

Hac occasione facta quoque disquisitio diligentior de modo, quo recipiendi hæretici, ac potissimum, utrum ab hæresi redeuntes, ad sacrorum Ordinum ministeria & dignitates Ecclesiasticas essent admittendi: eumque in finem, instante Joanne Monacho, Patriarcharum Orientalium Vicario, prolatus fuit ex Bibliotheca Patriarchali Constantinopolitana liber Canonum, e quo primum lectus est *Canon* 53 Apostolorum, qui de Laicis loquens ad rem præsentem non faciebat, uti & adverterunt Sabbas & qui cum eo erat.

Græcorum Codex plusquam 50. Canones Apost. constituit.

Interim ex his habemus Græcos seu Orientales plures quam quinquaginta Canones Apostolorum recognovisse, & in suo Codice habuisse.

Canon VIII. Nicænus de recipiendis Novatianis

Dein lectus est ex eodem Codice *Can.* 8. Nicænus de recipiendis Novatianorum Episcopis & Clericis, de quo dixit Theodorus Catanensis in Sicilia Episcopus: *ad hæresim hanc nihil habet Canon, qui lectus est*. Et quoniam Tarasio reponenti, *sed & de omni hæresi est*, nonnulli contradixere, tandem orta fuit quæstio de hisce Canonis istius verbis: *impositionem manus accipientes sic in Clero permaneat*: cumque Tarasius dixisset, *fieri potest, ut manus impositio pro benedictione accipiatur, non pro consecratione*, dixerunt gloriosissimi judices: *si aliud non est, quod prohibeat, propter hanc pœnitentiam* (vel ut alia lectio habet: *ob eorum istam resipiscentiam*) suscipientur *secundum Canones*.

Lecta Epistola S. Athanasii ad Ruffianum.

Sed quia difficultas nondum plane soluta apparebat, lecti sunt alii Canones, & ex Patribus ac historiis Ecclesiasticis petita testimonia; atque inter alia lecta est Epistola S. Athanasii ad Ruffianum Episcopum, in qua scribitur: „ ut his, qui cadunt & præsunt impietati, „ ignoscatur quidem cum pœnitentiam gesserint, non „ autem ulterius locis ei detur *in Clero*. His autem, „ qui auctores non fuerint impietatis, sed per necessitatem & vim abstrahuntur, placuit, ut venia detur, & habeant Cleri locum; maxime cum excusationem persuasoriam dederint.

Dum ergo juxta hoc Athanasii testimonium recipiendi sint, quæsitum fuit a supplicantibus Episcopis Iconomachis: *Dicant ergo, si tracti fuerint, & vim perpessi, & ideo recesserint a veritate?* respondit nomine omnium Hypatius Episcopus Nicææ: *quia nos neque vim sustinuimus, neque abstracti sumus, sed in hac nostra hæresi nati & educati sumus, & crevimus.*

Hoc responso quæstio soluta videbatur; quia inde apparebat, ipsos non fuisse auctores hæresis, immo nec proprie a fide Catholica Apostatas. Quare post aliquam de gravitate hujus hæresis respective ad alias disceptationem, tandem Tarasius sanctissimus Patriarcha dixit; *docet nos dictum Patriarchæ nostri Athanasii, ut Reverendissimi Episcopi recipiantur, nisi alia quælibet eorum culpa facta sit.*

Quomodo recipiendi qui ab hæreticis fuere ordinati.

Cum sic difficultas absoluta videretur, novam movit difficultatem Sabbas Monachus, Studiani in Regia urbe Monasterii Abbas Iconoclastarum acerbus persecutor: *si placet sanctæ Synodo, videamus si ordinationes eorum, qui recepti sunt, ab hæreticis fuerunt, vel non* vel ut alia versio sanat: *si visum est sanctæ Synodo, videamus ordinationem eorum, quos recipimus, num sint ab hæreticis, an minus*. Hæc posterior lectio apparet verior. Prætendebat enim Sabbas cum suis, Canones hactenus lectos loqui de solis Episcopis & Clericis in Ecclesia Catholica ordinatis; & consequenter locum non habere in hisce Iconoclastis, qui in hæresi ordinatos se fatebantur. Et hinc Synodus edixit: „ quærite „ deinceps etiam de ordinatione". Plura eam in rem acta Ecclesiastica recitata fuere; interlocutusque Petrus Romanæ Ecclesiæ Archipresbyter & Legatus dixit. *Sanctus Meletius* Patriarcha Antiochenus *ab Arianis est ordinatus, & ascendit super ambonem, & prædicavit Homousion*, ordinatio autem ejus non est repudiata. Et per Theodorum Catanensem omnes Siculi Episcopi dixerunt. *Verum dicit Archipresbyter Apostolicæ Cathedræ*. Et Tarasius; *quid dicitis de Anatolio? nonne Primas sanctæ Synodi fuit? & ecce a Dioscoro impio ordinatus est: ergo & nos suscipiamus eos, qui ab hæreticis ordinati sunt, quemadmodum & Anatolius receptus est. Quia ex Deo consecratio est.*

Immo in sexta Synodo receptos ad suffragium ordinatos ab hæreticis tam clare ostendit Tarasius, ut applaudens Synodus dixerit: *clarum est*.

Qui studio da hæreticos accesserunt, ut ab iis ordinarentur.

Hic rursus remoram injecit Constantinus Episcopus Cypri dicens: sufficienter ostensum esse, quod *qui ab hæreticis accedunt, suscipiendi sunt. Si quis autem*, aiebat, *studio ad hæreticum ierit, & suscepit ordinationem, sine receptione sit.*

Indicare voluit, supplicantes Iconoclastas, non simpliciter aut ignoranter sed *studio* ordinatos ab hæreticis, ideoque in gradu suo non esse recipiendos, atque in eam rem adduxit testimonium S. Basilii, eique suffragati sunt Monachi Patriarcharum Orientalium Vicarii, nodum solvit Tarasius: „ & ego execror eos, „ qui ob hujusmodi causam & fidei destructionem sunt „ ordinati, & maxime si Episcopi orthodoxi præsentes fuerunt, a quibus poterant ordinari. Sic enim „ est paternus sensus „. Et infra: „ egregius Pater „ Basilius per illud tempus cum essent orthodoxi Episcopi plurimi, interdicebant alumnis Ecclesiæ uti „ ordinatione Arianorum". Reverendissimi Monachi dixerunt: *congrue quæque dissoluta sunt.*

Episcopos qui fuerant Iconoclastæ, recipiendos decernitur.

Post hæc præcepit Synodus, ut Episcopi ab hæresi redeuntes proprios libellos confessionum legant: quibus lectis dixit Tarasius, *professionibus notis per lectionem libellorum, in alio conventu receptio fiet, si non inest in illis aliud quod impediat.*

Itaque resolutum fuit, redeuntes Iconoclastas in suo gradu recipiendos, etiam qui ab hæreticis fuerant ordinati, quamvis receptio in aliam actionem sive consessum fuerit rejecta.

§. IV.

Gesta actionis secundæ.

Actio II. 26. Sept. professio fid. Greg. Neocæsariensis.

ACTIO hæc celebrata fuit sexto Kalendas Octobris, sive 26. Septembris. In hac actione primum introductus fuit Gregorius Episcopus Neocæsariensis Iconoclasta, qui veniam petiit male actorum, & fidei orthodoxæ professionum coram Synodo publice fecit, sed ejus renuntiatio & receptio in sequentem actionem dilata est.

Lecta Epistola Hadriani I. Impp.

Post hæc lecta fuit coram Synodo Epistola Adriani I. Papæ ad Imperatores, quibus respondet sacræ jussioni ipsorum super indictione Concilii.

In principio litterarum narrat Hadrianus, se magnopere gavisum fuisse, adeo ut lingua humana nullus sufficiat explicare sermo: „ quia nimium major (ait) lætitia de *jussionibus* Imperatorum nunc orta sit, quam „ dudum pro schismat eorum hæresi mœror affecerit.

Multum extollit zelum Imperatorum in restituendo cultu imaginum, hortaturque eos, ut in zelo hoc sint constantes & perseverent; asseritque, quod si per ipsos in illis partibus Orientis in pristino statu erectæ fuerint *sacræ* ac *venerandæ imagines*, adinstar *Constantini Magni & Helenæ*, ipsorum in toto orbe terrarum Imperialis fama divulgabitur.

Deinde stabilire conatur cultum imaginum, prætenditque, quod Ecclesia Romana eum per traditionem a sancto Petro acceperit, adducta eam in rem relatione historiæ de Baptismo Constantini per Silvestrum, in qua inter cætera continetur, quod S. Silvester Constantino exhibuerit imaginem Apostolorum Petri, & Pauli in Ecclesia extantem: sed hodie historia hæc ab eruditis ut fabulosa uno consensu rejicitur.

Exponit, quanto zelo se opposuerint Pontifices prædecessores sui destructioni imaginum, hortaturque Imperatores, ut *usum imaginum* restituant in Græcia sive Oriente, prout est receptus in Occidente, ut sicut scriptum est, *fiat unus grex, & unum ovile*. Joan. cap. 10. vers. 16. (*a*).

Dicit dein falsum esse, quod Catholici imagines ut Deos venerentur: „ nam absit a nobis (aut) ut ipsas „ imagines (sicut quidam garriunt) *Deificemus*; sed „ affectum & dilectionem nostram, quam in Dei amorem, & Sanctorum ejus habemus, omni modo proferimus, & sicut divinæ Scripturæ libros, ipsas „ imagines ob memoriam venerationis habemus,

Multis quoque e sacris libris tum veteris tum novi Testamenti, & sanctorum Patrum petitis testimoniis, sed nonnullis suppositititiis, & inadæquate applicatis intermixtis stabilire conatur usum & cultum sacrarum imaginum; tandemque concludens Imperatores alloquitur: „ Deprecans (ait) cum magna cordis dilectione mansuetissimam vestram Clementiam, & tamquam præsentialiter humo prostratus, & vestris Deo directis „ vestigiis provolutus quæso, & coram Deo deposco & adju-

(*a*) In Vulgata editione legitur *Unum ovile & unus Pastor.*

,, adjuro, ut easdem sacratissimas imagines in ipsa a ,, Deo conservata Regia urbe, & cæteris Græcis partibus in pristinum statum restituere & confirmare ,, jubeatis, observantes traditionem hujus sacrosanctæ ,, nostræ Romanæ Ecclesiæ, abjicientes ac respuentes ,, iniquorum atque hæreticorum calliditates; ut in ,, hujus nostræ sanctæ Catholicæ & Apostolicæ, ,, ac irreprehensibilis Romanæ Ecclesiæ ulnis suscipiamini.

Additamentum illius Epistolæ apud Anastasium Bibliothecarium.

Hæc verborum expressio haud obscure innuit, hic finem fuisse Epistolæ, prout & in actis *Græcis* hujus Synodi ea verba Epistolam claudunt. Additamentum enim in editione Latina Anastasii Bibliothecarii huic Epistolæ post relata verba additum minime reperitur in actis *Græcis*, Uti *tomo 7. Concil. col. 115.* notatur; crediturque eam Epistolæ partem coram Synodo nec lectam, nec exhibitam, eo quod in ea ordinatio Tarasii, qui Synodo præerat, reprehenderetur tamquam qui adhuc *Laicus* ad Episcopatum fuerat assumptus: ac insuper quod Hadrianus in hac Epistolæ parte improbaret, quod in litteris Imperatorum ad Tarasium, ipse Tarasius vocaretur *universalis*.

Epistola Hadriani ad Tarasium.

Lectæ deinde fuerunt litteræ Hadriani Papæ ad Tarasium, quibus suum de ejus ordinatione dolorem ostendit, eo quod ex litteris Tarasii cognovisset, *ipsam ex Laico ordine & Imperatoria administratione ad sacrati gradus sublimatum esse fastigium*; protestaturque, quod nisi ex professione fidei, quam litteris suis adjunxerat, novisset eum, fidem orthodoxam in Symbolo, & in sex generalibus Synodis contentam amplecti, nec non recipere sacras imagines, nullatenus ausus fuisset ejus communicatorias suscipere. Hinc apparet, nequaquam verisimilem esse rationem non lectorum verborum Epistolæ Hadriani ad Imperatores: quia in his redargueretur ordinatio. Tarasii tamquam *Laici*; quia eadem ratione & hujus Epistolæ lectio coram Synodo fuisset omittenda. Verisimilior manet altera ratio de titulo universalis Patriarchæ dato Tarasio, & ab Hadriano improbato: eo quod hæc reprehensio in Imperatores, & Græcos Patres, qui hunc titulum Patriarchæ suo tribuebant, cadere videretur.

Hortatur eum, ut zelum suum pro restituendo cultu imaginum continuet; atque Imperatoribus suggerat, ut pseudo-Synodus sub Copronymo ad sacras imagines abolendas celebrata anathematizetur, præsentibus Apocrisiariis Sedis Apostolicæ, ipsosque Imperatores nomine Papæ *obsecrat, & ut in conspectu Dei per terribile illos adjuret judicium, ut sacras imagines in ipsa Deo conservanda & Regia urbe, & in omni loco in antiquum statum restituere & stabilire jubeant, conservantes traditionem hujus sacræ ac sanctissimæ nostræ Romanæ Ecclesiæ*: Additque; *si autem sacras ac venerabiles imagines illis in partibus non restituerint, consecrationem vestram recipere non audemus*.

Tarasius consentit litteris Hadriani.

His lectis interrogarunt Legati Hadriani Papæ Tarasium, si consentiat litteris sanctissimi Papæ senioris Romæ Hadriani, an non? respondit Tarasius *se iis consentire*; *declarabatque, imaginales descriptiones suscipere secundum antiquam Patrum nostrorum traditionem, & has* affectuoso amore adoramus (*ait*) *tamquam ad nomen Christi Dei, & intemeratæ Dominæ sanctæ Dei genitricis, sanctorumque Angelorum, & omnium sanctorum factas, manifestissime* in unum solum verum Deum *servitutem, & fidem nostram ponentes*.

Declarationem hanc probarunt Episcopi & Abbates, totaque Synodus.

§. V.

Gesta actionis tertiæ.

Actio III. 28. aut 29. Septembris recipiuntur Episcopi Iconoclastæ abjurata hæresi.

TERTIA actio celebrata fuit 28. aut 29. Septembris, & in ea post nonnullas altercationes suscepti fuerunt Gregorius Neocæsariensis, aliique Episcopi Iconoclastæ etiam in hæresi ordinati, qui in præcedentibus congressibus libellos retractationis suorum errorum & professionis orthodoxæ fidei Synodo obtulerant: quousque admittendos resolverat Synodus, nisi alia causa, quam hæresis, quam abjurarant, eos a Sacerdotali ejiciat ordine. Postquam igitur receptionem ipsorum Synodus hac actione probaverat, isti Episcopi *ascenderunt in competentes sibi cathedras*.

Leguntur litteræ Tarasii post ejus ordinationem directæ ad Patriarchas Orientales.

Lectæ sunt dein litteræ Tarasii ad Patriarchas Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum, post ipsius ordinationem directas: quæ & professionem fidei continebant, & preces, quibus rogabantur, ut Synodo per Legatos suos interessent. Lecta quoque sunt responsa istorum trium Patriarcharum ad Tarasium, quibus suam a Synodo absentiam excusabant, scribebantque, se mittere Joannem & Thomam Syncellos, qui suum locum tenerent: ,, qui sanctas & universales sex ,, Synodos voce consona prædicant (inquiunt) aliam ,, ad has, quam & septimam quidam susurrando nuncupant, nullatenus admittentes, immo modis omnibus respuentes, nimirum ut dudum in Apostolicarum & Magistralium traditionum depositionem, atque sacrarum & venerabilium imaginum interemptionem, & abolitionem, collectam.

Litteræ responsoriæ Patriarcharum Orientalium ad Tarasium.

Ad hæc scribunt absentiam suam, quæ justa erat ob prementem Barbarorum tyrannidem, nequaquam obfuturam, ne Synodus hæc esset Œcumenica, cum & in sexta universali Synodo nullus Episcopus eorum, qui tunc in his partibus erant, convenisse repertus sit. ,, Sed nullum ex hoc (inquiunt) sanctæ adhæsit Synodo ,, præjudicium, neque vires habuit prohibitio aliqua ,, statuendi, & manifesta faciendi recta dogmata pietatis, præsertim cum Sanctissimus & Apostolicus Papa Romanus concordaverit.

Ut autem amplius eorum fides esset nota, suis litteris adjunxerunt Synodicum Theodori Hierosolymorum quondam Patriarchæ ad Cosmam Alexandriæ, & Theodorum Antiochiæ Patriarchas decretum, quo ampla fidei professio continetur, atque inter cætera profitentur se recipere ,, Apostolicas traditiones Ecclesiæ, ,, per quas honorare & *adorare sanctos*, & salutare ,, docemur venerantes eos *ut famulos & amicos*, atque ,, *filios Dei*.

Similiter profitentur, se Sanctorum reliquias, uti eorum imagines venerari & honorare: ,, non in materia, ,, aut coloribus (ajunt) honorem constituentes, sed ,, per hoc officium nostrum, quod ipsis adeo, quarum ,, *typum imagines* gestant, debemus, impartientes; cum ,, sciamus juxta Basilii Magni sententiam, quod imagini honor adhibitus ad ipsum *prototypum* referatur.

Consentiunt Legati Hadriani.

His recitatis Vicarii Hadriani Papæ professioni Orientalium acquieverunt; dixeruntque: ,, Benedictus Deus, ,, quia Orientis sanctissimi summi Sacerdotes concordes ,, in orthodoxa fide, & adoratione venerabilium imaginum sanctissimo Hadriano Papæ Romano, & Tarasio Patriarchæ novæ Romæ inventi sunt, & qui ,, ita non confitentur, anathema sint a sanctis trecentis ,, decem & octo Patribus, qui hic ante collecti sunt.

Applausit Synodus dicens: *fiat, fiat, fiat*.

Conclusio orthodoxa Concilii.

Et postquam omnes Episcopi singillatim lectas professiones ut orthodoxas probassent, tandem Tarasius conclusit dicens: *contentio quievit, & medius paries sublatus est inimicitiæ. Oriens, Occidens, & Mesembria* (seu ut alia lectio habet, *Meridies*) *sub jugo uno & una consonantia facti sumus*. Sancta Synodus dixit: *Gloria tibi Domine, qui unisti nos*.

§. VI.

De gestis actionis quartæ.

Actio IV. 1. Octobris legguntur testimonia S. Scripturæ.

ACTIO hæc celebrata fuit prima Octobris; in hac actione Tarasius jussit proferri & recitari testimonia e libris sacris & sanctis Patribus, quibus probetur usus & cultus sacrarum imaginum, ut ita ostenderetur, quod stabiliendo hunc usum & cultum *non transferrent terminos, quos posuerunt Patres eorum, sed Apostolice docti tenerent traditiones, quas acceperunt*.

Et libris sacris lecta sunt aliqua *ex capite 25. Exodi capite 7. Numeri, capite 41. Ezechielis, & capite 9. Epistolæ* S. Pauli ad Hebræos, in quibus sermo est de *Cherubim*, qui erant supra propitiatorium. His lectis dixit Tarasius: ,, si vetus habebat Cherubim obumbrantia propitiatorium, & nos Iconas Domini nostri Jesu Christi, & sanctæ Dei Genitricis, sanctorumque ,, ipsius habeamus, obumbrantes Altare.

Item SS. Patrum.

Post hoc hæc varia testimonia, tum e libris sanctorum Patrum, tum historia prolata fuerunt, quæ omnia simul evincebant, jampridem usum imaginum fuisse usitatum, quamvis fatendum sit, quod nonnulla eorum nequaquam per se sufficienter adstruere videantur publicum cultum imaginum, & quædam sub nomine sanctorum Patrum fuisse allegata, quæ hodie, ab eruditis agnoscuntur esse supposititia, necnon historias aliquas, quarum veritas hactenus non sat est adstructa, uti in sua Historia Ecclesiastica idipsum notavit Claudius Fleury.

Legitur Epistola Gregorii II. ad S. Germanum Constantinop.

Hisce testimoniis recitatis, lecta quoque fuit Epistola Gregorii II. Papæ ad S. Germanum Constantinopolitanum Patriarcham, qua usum & cultum imaginum probat; lectæ dein sunt & tres Epistolæ S. Germani, quibus & ipse *cultum imaginum* adstruit; ita tamen ut & moneat, cultum imaginibus exhibitum duntaxat esse exteriorem, quo venerationem interiorem debitam iis, quæ per imagines repræsentantur, manifestemus. Dicitque inter alia Epistola tertia: ,, Porro quæ apud ,, Christianos sunt imagines sanctorum virorum .... ,, nihil aliud sunt, quam fortitudinis exemplum, conversationisque venerandæ ac virtutum norma, atque ,, ad glorificandum Deum, cui in præsenti vita bene ,, placuerunt, excitamentum & excitatio ... quæ enim ,, sermo historiæ per auditum commendat, hæc pictura ,, tacens per imitationem ostendit.

Refutantur objecta ab Iconoclastis ex Scriptura.

Post hæc adduxerant Iconomachi testimonia sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum contra usum & cultum sacrarum imaginum.

Primo allegant ex Evangelio S. Joannis *c. 4. vers. 24. Spiritus est Deus, & qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*. Joan. c. 1. vers. 18. *nemo vidit Deum unquam*, & Joan. c. 5. vers. 37. *neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis*. Respondet hæc Synodus, manifestissimum esse, omnia illa intelligi de *ipsa divinitate*; eaque erronee & spiritu hære-

hæretico applicari *humanitati* Christi Domini, asseruntque esse meram Iconomachorum calumniam & stoliditatem dicere: " quia *decentem Deum adorationem & servitutem imaginibus offerunt Christiani*, & quia incomprehensibilem *divinam* naturam *circumscribunt* ... ,, Christiani quippe (ait hæc Synodus) *adorationem*, ,, quæ in spiritu & veritate est, *neque imaginibus*, ,, neque *divinæ figuræ* Crucis compartiti sunt, sed neque *invisibilis & incomprehensibilis naturæ imaginem* ,, unquam fecerunt, sed secundum quod caro factum ,, est, & habitavit in nobis, ea, quæ humanæ dispen- ,, sationis ejus sunt, pingunt, & imaginibus exprimunt ". *Tomo 7. Concil. col.* 466.

Manifestum hinc est, nec tempore hujus Synodi notas aut admissas fuisse imagines sanctissimæ *Trinitatis*. Opposuerunt Iconomachi & vulgatum illum Deuteronomii textum: *non facies tibimet idolum, neque omnem similitudinem* (a). Respondit Synodus, illud præceptum datum fuisse populo Judaico ituro in terram promissionis; eo quod in ea habitarent gentes colentes idola, & adorentes dæmonia, & non Deum vivum & verum: unde & subinfert sacer Textus, *non adorabis ea, neque servies illis*.

Quod autem non vetuerit omnem imaginem absolute formari, ostendunt ex facto Moysis qui cum tabernacu- ,, lum testimonii secundum Domini dispositionem face- ,, ret, universa ostendens servire illi, sensibiles Che- ,, rubim humanæ formæ instar intelligentium ex auro ,, patravit obumbrantes propitiatorium, Christum præ- ,, figurans: *col.* 467.

Item objecta ex SS. Patribus.

Plura e Patribus petita testimonia adversus sacrarum imaginum cultum produxit Synodus Iconomachorum, atque in primis verba *S. Epiphanii* ad populum: " & ,, in hoc memoriam habete, filii dilecti, ne inducatis ,, imagines in Eclesias, neque in Cœmeteria sanctorum: ,, sed per memoriam habete Deum in cordibus vestris: ,, sed neque in domum communem. Non enim expedit ,, Christiano per oculos & vagationes mentis efferri". Responderunt Patres hujus Synodi, verba illa non esse S. Epiphanii; idque probarunt argumentis sequentibus. Primo quia hic Sanctus librum edidit quo cunctas ,, hæreses publicavit, Paganas scilicet & Judaicas, & ,, quotquot post Christianismum factæ sunt, nullam di- ,, mittens: & si imaginum factionem alienam a Chri- ,, sto nosset, hanc utique in numerum hæreseon sta- ,, tuisset.

Ex S. Epiphanio.

Secundo temporibus Epiphanii floruere Basilius Magnus, Gregorius Theologus, Gregorius Nyssenus, Joannes Chrysostomus, qui omnes & usum sacrum imaginum probarunt. His autem contradixisse Epiphanium verisimile non est.

Tertio, libri S. Epiphanii, sive qui dicitur " Ancyra- ,, tos, sive reliqui, omnem terrarum orbem diffaman- ,, tur (inquit hæc Synodus) & sonus eorum vulga- ,, tus, & propemodum per universam Ecclesiam sparsi ,, sunt": quæ autem hic contra sacras imagines ex Epiphanio proferuntur, hactenus ignota fuerunt.

Quarto " discipuli Sancti Epiphanii Templum dedica- ,, runt, nominantes illud ejusdem vocabulo Patris, & ,, cum multis aliis titularibus picturis;, imaginem ejus ,, in ipso Templo locarunt. Et si iste taliter venerabi- ,, lium adominaretur vultum imaginum, quomodo disci- ,, puli ejus imaginabiliter hunc depingerent?

Quinti argumenti loco esse posset dissonantia styli hujus contextus a stylo Epiphanii.

Hic tamen non obstantibus, sunt & hodie inter Catholicos, qui sustinent, veram esse Epiphanii Epistolam, e qua hæc verba attulere Iconomachi agnoscentes, S. Epiphanium credidisse, *usum imaginum* esse contrarium praxi Ecclesiæ: eo quod forsan in Palæstina aut Cypro moris notandum erat, imagines in Templi collocandi (b).

Ex S. Gregorio Nazianzeno.

Protulerunt dein Iconomachi textum *Gregorii Nazianzeni* ex ejus carminibus, ubi dicit: ,, injuria est, ,, fidem habere in coloribus, & non in corde, quæ ,, enim in coloribus est, facile diluitur; quæ vero in ,, profundo mentis, illa est mihi amabili". Respondet ,, hæc Synodus, quod textus hic nullatenus spectet ad imagines, sed quod Gregorius protulerit quemdam moralem sermonem: ,, informans (ait) vitam nostram, ,, ut recedamus a temporalibus, & mundanis negotiis, ,, & carnalibus voluptatibus, atque sectemur vitam ,, spiritualem, quæ ad Cœlestia ducit, & non creda- ,, mus huic mundo & temporalibus, quæ non per- ,, manent, nec perdurant, quæ & colores nominavit; ,, sed hæreamus potius spiritalibus & veris, quæ in ,, corde firmitatem habent, permanent in æternum.

Ex S. Chrysostomo.

Quæ ex *Chrysostomo* & Basilio attulerunt Iconomachi, præterquam quod testimonium Chrysostomi sit apocriphum, non improbant usum imaginum; sed unice lectionem Scripturarum, & actorum sanctorum commendant, quam & Catholici commendant, at eorum lectionem nequaquam impediri per usum imaginum una sustinent. ,, Quæ enim sermo per auditionem repræsen- ,, tat, hæc pictura tacens per imitationem ostendit, ,, sicuti ait magnus Basilius". Ibid. *col.* 482.

Ex S. Atanasio.

Quod ex *S. Athanasio* ab Iconomachis adductum est, concernit sola idola, sive dicit Athanasius *creaturas non esse colendas*: quod & Synodus hæc agnoscit; aitque colentes imagines, nequaquam cultum Deo debitum transferre ad creaturas; sed quod imagines duntaxat ha- ,, beamus " in commemorationem omnis sensus nostri, ,, & in gloriam Dei ut sublevemur ad magnitudinem ,, ejus". *Col* 483.

Ex S. Amphilochio.

Ex sancto *Amphilochio* Iconiensi Episcopo hæc profe- ,, runt Iconomachi. ,, Non enim in tabulis carneas per- ,, sonas sanctorum per colores cura nobis est figurare: ,, quoniam non his opus habemus; sed conversationem ,, eorum virtutibus imitari". Respondit hæc Synodus, ex integro Amphilochii contextu patere, verba ipsius *non absolute*, sed *comparative* esse accipienda, quasi dicat, satius esse, virtutes sanctorum imitari, quam illorum imagines coloribus exprimere, quod verum esse ,, ait Synodus; ,, non enim (inquit) ad carnalem amo- ,, rem illos laudamus, aut depingimus, sed ad imita- ,, tionem volentes habere virtutem eorum, & in li- ,, bris vitas ipsorum describimus, & in imaginali scri- ,, ptura illos depingimus. Unum Emmanuel scientes ,, Christum Dominum ipsum depingunt secundum quod ,, verbum caro factum est, & multiplices garrulitates a ,, se procul repellunt, simplici corde omnia, quæ sunt ,, in Ecclesia suscipientes: & intuentes picturas nihil ,, aliud intelligunt, nisi quæ signantur in ipsis.

Refutantur Iconomachi, contendentes Christi imaginem esse Eucharistiam.

Aliud argumentum de Eucharistia desumpserant Iconomachi. Prætendebant enim, nullam posse fieri imaginem Christi, sed veram *ejus imaginem* esse *Eucharistiam*.

Huic argumento respondent Patres hujus Synodi, quod " nullus Apostolorum aut illustrium Patrum, in- ,, cruentum sacrificium nostrum, quod in commemo- ,, rationem Christi Dei nostri, ac omnis dispensationis ,, ejus efficitur, dixerit imaginem corporis ejus". Tum prolatis verbis Evangelistarum & Apostoli Pauli de institutione Eucharistiæ & incruenti sacrificii concludunt, " ergo liquido demonstratum est, quod nusquam ,, Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixe- ,, runt sacrificium sine sanguine, sed ipsum corpus, & ipsum sanguinem ".

Fatentur, quod hæc dona quidem ante sanctificationis consummationem dicta fuerint *typi* a quibusdam Patribus, puta Eustachio Antiocheno, & sancto Basilio; ,, post sanctificationem autem *corpus proprie* ac *sanguis* ,, Christi dicuntur, sunt, & creduntur.

Addunt insuper, quod nec Iconomachi potuerint non agnoscere veritatem; agnoscentes eodem illo loco, quod Eucharistia per consecrationem fiat corpus Christi. ,, Deinde dimisso mendacio tangunt pauxillum quid ,, veritatem, *divinum corpus dicentes fieri* ": ait hæc Synodus de Iconomachis *col.* 450.

E quibus evincitur, utramque Synodum asseruisse realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia, & duntaxat discrepasse circa expressionem & nomenclaturam, Synodo Iconomachorum nimirum sustinente, Eucharistiam etiam post consecrationem posse appellari & considerari ut *imaginem* seu *typum* Christi: hac Synodo ex adverso negante, a Patribus unquam Eucharistiam post consecrationem fuisse vocatam *imaginem* aut *typum*: quod licet non sit absolute & in rigore verum, verissimum tamen est, Eucharistiam non posse vocari imaginem seu typum, quemadmodum aliæ *pictæ* aut *factæ* imagines; quodque argumentum ab Eucharistia contra usum & cultum imaginum desumptum nullius sit roboris. Videri poterit dissertatio 4. R. P. Natalis Alexandri in historia sæculi octavi, qua late ostendit, Iconomachos non negasse realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia; ostenditque, qua ratione dicerent esse *typum*, & quomodo inde contra usum aliarum imaginum Christi concludere vellent.

Objectio ex traditione desumpta, refutata.

Dixerant in sua Synodo Iconomachi, usum imaginum neque ex traditione Christi, vel Apostolorum, aut Patrum esse. Respondet hæc Synodus, eum esse ex traditione Christi non scripta. " Cum multis (ait) ,, quæ nobis sine scripto tradita sunt, etiam *imagi-* ,, *num factio* in Ecclesia ab Apostolorum prædicatione ,, dilatata est.

In probationem hujus traditionis adducitur historia statuæ, quam in onorem Christi erexisse scribitur mulier illa Hæmorrhoissa, quæ tangendo fimbriam vestimenti Christi a proflvio sanguinis liberata fuerit. Optandum esset, ut solidiore aliquo fundamento hæc traditio fuisset asserta (a).

Reliqua, quæ adducuntur, ostendunt quidem sæculo quarto, aut quinto *usum imaginum* usitatum fuisse in Templis; at nullum authenticum & indubitatum inter omnia, quæ adducuntur, occurrit monumentum, quod Christi aut Apostolorum tempora attingat.

Obji-

(a) Desumptum illud videtur ex *cap.* 26. *vers.* 1. Levitici, ubi legitur; *Non facietis vobis idolum*, & *cap.* 20. Exodi, *vers.* 4. ubi dicitur: *neque omnem similitudinem*.

(b) Ea fuit sententia Natalis Alexandri Dominicani *sæculo* 6. *dissert. de imanibus*.

(a) Eusebius tamen, qui anno 300. vivebat, historiamque nascentis Ecclesiæ scripsit, lib. 7. hist. cap. 18. quod propriis oculis inspexerit statuam, quam mulier a Christo sanata in honorem ejus Paneade erexerat.

Objectio ex eo, quod imagines nulla oratione sanctificentur, refutata.

Objiciebant prioris Synodi Antistites: „ nullam orationem sacram esse sanctificantem imaginem, ut ex „ hoc, sive mediante oratione, ad sanctificationem ab „ eo quod commune est, transferatur: sed manet com„ mune, quemadmodum hoc pictor efficit. „ Respondent hujus Synodi Patres, quod multa, quæ in Ecclesia sacrata sunt, orationem sacram non recipiant, cum inde & ex ipso nomine plena sint sanctitudine simul & gratia. Inter hoc numerant *typum* vivificæ crucis, & vasa sacra, quæ licet nulla oratione sanctificarentur, tamen ob eorum nomen & usum salutantur & complectuntur: „ & sanctitatem quamdam (inquiunt) perci„ pere speramus. Similiter & in imagine per nominis „ annotationem ad primitivi honorem reducimur, & „ salutantes ac honorabiliter adorantes, percipimus sanctificationem.

Tempore Synodi VII. vasa sacra non benedicebantur.

Hic obiter notandum, tempore hujus Synodi, nondum fuisse morem, ut vasa sacra *speciali* oratione per Episcopum aut per Sacerdotes ex speciali ejusdem commissione benedicerentur, seu sanctificarentur.

Objectio, quod cultores imaginum sint idololatræ, refutata.

Accusabant prioris Synodi Episcopi cultores & propugnatores imaginum, quod in Paganismum inciderent, utpote idola adorantes. Huic accusationi tamquam Iconomachorum præcipuo prætextui, multi respondet Synodi Œcumenicæ, atque inter cætera, quod imagini non deferant cultum ut divinitati; sed eas honorent & venerentur propter eos, quos *repræsentant: quia (ait) imaginis honor ad principale transit, & quia qui intuetur imaginem Regis, intuetur in ea Regem. Qui ergo adorat imaginem, adorat Regem; illius enim forma & species est in imagine, & sicut, qui injuriam infert Regis imagini, pœnam jure perpetitur, tamquam qui ipsi causæ, videlicet Regi, inhonorificentiam intulit; quamquam imago nihil aliud sit, quam lignum, & colores ceræ immixti & temperati, ita & hoc modo qui figuram alicujus inhonorat, in idipsum cujus & imago injuriam refert. Sed & ipsa natura rerum docet, quia dum imago inhonoratur, ipsum principale inhonoratur* (a).

Præterea asserit hæc Synodus, imagines esse quasi libros, quibus acta sanctorum per picturæ narrationem in Ecclesia Catholica traduntur, maxime in memoriam nostræ mentis, & ad erectionem conversationis eorum, id est, ut acta eorum in pictura expressa, memoriam nostram resuscitent, & ad eorum imitationem excitent.

Anathemata in Iconomachos.

Omnibus hisce absolutis, Synodus hunc imaginum cultum probavit, *anathema dicens his, qui non salutant sanctas ac venerabiles Iconas: his qui appellant sacras imagines idola: his qui dicunt; quod veluti ad Deos Christiani, ita ad Iconas accedant.*

Professio fidei hujus Synodi.

Post pronuntiata anathemata lecta fuit jubente Sinodo per Euthymium Episcopum Sardorum professio fidei, qua profitentur, se recipere sex universales Synodos, adduntque, se honorare, & magnificare eam, *quæ proprie ac veraciter est Dei genitrix & superior Cœlestibus cunctis virtutibus*, necnon sanctos Angelos, Apostolos, reliquosque sanctos & *horum expetere intercessiones, ut valentes nos familiares reddere Regi omnium Deo, custodientes videlicet mandata ejus, in virtutibus vivere procurantes.*

Profitentur insuper se *salutare & figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, & sancta Lipsana sanctorum.*

Denique *& sanctas ac venerabiles* Iconas *se recipere & salutare, atque amplecti secundum antiquam traditionem sanctæ Catholicæ Dei Ecclesiæ . . . . utpote per picturam suam in recordationem & memoriam adducere nos valentes, & ad principale attrahere, atque participes facere alicujus sanctificationis.*

§. VII.

Actio quinta.

Actio V. ubi proferuntur varia monumenta ad ostendendum errorem Iconoclastarum, sed quæ non in omnibus probantur.

HAc actione jubente Tarasio proferunt plura monumenta, quibus ostendatur, Iconoclastas in destructione imaginum imitatos esse Judæos, Paganos, Samaritas, Manichæos, similesque hæreticos, interque monumenta occurrunt nonnulla, quæ hodie apud eruditos nullam aut exiguam fidem haberent. Item nonnulla, quorum doctrina nec a Synodo creditur probata, nec hodie a Catholicis recipitur, puta extractum ex sermone Joannis Episcopi Thessalonicæ, in quo evidenter docet, Angelos esse *corporeos*.

Sermo Joannis Thessalonicensis episcopi

Objicienti enim Gentili, quod *Christiani Angelos depingerent ut homines, & adorarent, quamquam homines non sint, sed intelligibiles & incorporales & dicti & existentes. Respondit Joannes de Angelis & Archangelis, & sanctis Virtutibus, quæ supra istos sunt, addam autem etiam nostras hominum animas, intelligibiles quidem vos Catholica & Apostolica novit Ecclesia, non tamen incorporales omnino & invisibiles, sicuti vos Pagani fatemini: subtiles autem corpore & aerios, & igneos secundum id quod scriptum est: qui* facit Angelos suos spiritus, & ministros ignem urentem, *& hoc multos sanctorum Patrum nostrorum sensisse invenimus: quorum est Basilius ille Magnus, & sanctæ memoriæ Athanasius, atque Methodius, & qui circa ipsos sunt. Sola enim, ut veraciter fateamur; divinitas est incorporalis & incircumscripta: porro intelligibiles creaturæ non omnino incorporales & invisibiles, ut divinitas, sunt: propter quod in loco sunt, & circumscriptæ consistunt.*

Licet Synodus hoc extractum protulerit, ut probaret, Gentiles usum imaginum improbasse, quem Catholici sustinebant, nequaquam in cæteris doctrinam hujus Episcopi probare intendit, quandoquidem supra *actione* 4. dixisset, Angelos esse *incorporeos*.

Neque sane Concilia censentur probare ea, quæ nonnunquam incidenter aut historice referuntur in monumentis seu scriptis, quæ ad stabiliendum dogma aliquod fidei, aut punctum disciplinæ adducuntur, sed id duntaxat quod directe ac primario pro dogmate fidei, aut puncto disciplinæ asserendo in illo scripto asseritur: quemadmodum in præsenti casu, sufficiebat Synodo, quod per extractum prolatum adstrueretur usus imaginum; parum attendens, quid de natura Angelorum auctor sentiret.

Post recitata plura monumenta dixit Tarasius; *jam satiati sumus ex paternis testimoniis, & cognovimus, quia prisca traditio est venerabilium imaginum erectio. Sectatores igitur sumus sanctorum Patrum. Sancta Synodus dixit, sectatores & concordes.*

Ex his evidens est, Synodum præter Epistolam Hadriani Papæ, necnon Epistolas Patriarcharium Orientalium, serio examinasse scripta SS. Patrum, aliaque Ecclesiastica monumenta, ut ex iis perspiceret, quod circa usum & cultum imaginum Ecclesiæ traditio haberet; atque iis perlectis & examinatis Patribus visum fuisse, ex traditione Apostolica usum & cultum imaginum sufficienter esse probatum.

§. VIII.

De actione sexta.

Actio VI. 5. aut 6. Octobris, leguntur acta pseudo-Synodi Constantinop. anno 753. & refutantur.

IN hac actione, quæ habita est quinta aut sexta Octobris, lecta fuere per Gregorium Neocæsariensem Episcopum acta pseudo-Synodi celebratæ anno 754. sub Copronymo *contra usum & cultum imaginum*; quibus subjuncta fuit actorum illorum confutatio, cujus lectionem incepit Joannes Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus, at perfecit Epiphanius Ecclesiæ Catanensis Diaconus, ac Thomæ Archiepiscopi Calaritani Vicarius & Legatus.

Lectio actorum pseudo Synodi merito imposita fuit Gregorio, eo quod ipse conventui isti interfuisset, actaque ejus compilasset ac digessisset.

Præcipua ac notabiliora puncta, super quibus inter utramque hanc Synodum dissensio fuit, breviter referenda putavi, ut ex iis patescat status quæstionis super cultu & usu *sacrarum imaginum*.

Pseudo-Synodi usurpatio tituli sanctæ & universalis Synodi.

Prior Synodus Iconoclastica assumpserat sibi hunc titulum *sancta magna & universalis septima Synodus*.

Patres hujus Synodi sustinuerunt, hunc titulum nullatenus illi Synodo posse tribui.

In primis non posse vocari *sanctam*, cum sit *polluta, profana & execranda*; quia scilicet „ illi, qui in ea „ congregati fuere, inter sanctum & pollutum non di„ stinxerunt, *Iconam incarnati Dei verbi*, Domini vi„ delicet Jesu Christi, similiter ut *Iconam satanæ* ido„ lum nuncupantes.

Neque *universalem* dici posse, utpote quam non receperunt reliquarum Ecclesiarum Præsules, sed e contrario a pluribus rejecta fuerit. *In primis non habuit* (*inquiunt*) *adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos qui circa ipsum sunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus, neque per encyclicam Epistolam, quemadmodum Lex dictat Conciliorum.*

Præterea inquiunt; *sed nec habuit consentientes sibi Patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ, ac sanctæ civitatis, vel comministros & summo Sacerdotes, qui cum ipsis existunt.*

Interim & hoc notandum, quod hæc Synodus non contestetur numerum Episcoporum prioris Synodi, quos acta istius Synodi ascendere faciebant *ad trecentos & triginta octo*, sed simpliciter Patres hujus Synodi asserunt, quod frustra de multitudine glorientur. „ Turbis quippe (inquiunt) contra Ecclesiam congre„ gantes garrientes, os non habens ostium aperien„ tes, quod licitum non est, *iniquitatem in excelso locuti sunt.*

Silentio transeo præfationem prioris Synodi Constantinopolitanæ, ejusque refutationem, quippe quæ unice pene continet professionem fidei circa mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis, & professionem eorum, quæ in sex Conciliis universalibus definita erant, super quibus utriusque Synodi Patres conveniebant.

Honorius inter Monothelitas condemnatus.

Quin & quod hic notat D. Fleury *lib.* 44. *cap.* 36. quod utraque Synodus, id est Constantinopolitana sub Copronymo, & hæc Nicæna, loquentes de sexta Sy-

nodo

(a) Itaque honor, qui defertur imaginibus, absolutus non est relativus; qui ad exemplar refertur & terminatur.

nodo nominent inter Monothelitas ibidem condemnatos Honorium Papam Romanum, idque præsentibus Legatis Hadriani Papæ, nec reclamantibus (a).

Verum Patres prioris Synodi, prætendebant, quod *cultus imaginum* everteret primas illas *sex* Synodos universales; e contrario hujus Synodi Patres sustinebant, quod qui improbant usum & cultum imaginum, agerent contra mentem earum Synodorum, necnon contra praxim Episcoporum, qui illis Synodis interfuerunt.

Pseudo-Synodus contendit per cultum imaginum everti sex priores generales Synodos.

Et sane nihil infirmius, quam quod ex prioribus illis *sex* generalibus Synodis contra cultum & usum imaginum profertur. Quidquid enim allegabatur, vel petebat principium, vel æquivocum erat, aut sophisticum: volebant enim Eutychianismi, Arianismi, Nestorianismi, & aliarum hæresum: arguere admittentes *imaginem Christi*; quasi ejus efformatione *divinitatem* Christi negarent, aut cum *humanitatem confunderent*, & ita duas *separatas* in Christo naturas negarent. His respondebant Patres hujus Synodi: *Christianos habere virtutem eorum, & in libris vitas ipsorum describimus, & in imaginali scriptura illos depingimus .... non enim tantum passiones sanctorum nos ad salutem nostram erudiunt, sed ipsa conscriptio passionum ipsorum etiam per imaginalem picturam ostensa ...... præterea Templa istis jugiter dedicare aut in imagine istos erigere illos, qui virtutem ipsorum contemnunt, non est laudabile. Nemo plane laudaverit, si viderit hominem virtutes sanctorum parvipendentem, de die in diem eorum imagines commendantem; vel Templa multa erigentem, aut vasa pretia patrantem, & suum ipsius Templum Deificis virtutibus non adornantem.*

Respondetur ad allegata sub nomine Theodoti Ancyrani.

Allegantur etiam quædam contra usum imaginum sub nomine Theodoti Ancyrani: „ Sanctorum vultus „ non in imaginibus ex materialibus coloribus factis „ formandos accepimus, sed horum virtutes per ea, „ quæ de illis in scriptis indicantur, quasi quasdam „ animatas imagines imitari dicimus, & ex hoc ad similem illis zelum erigimur; nam dicant hi, qui „ tales erigunt formas, quali putas ex his perfruantur utilitate, vel in quam spiritalem contemplatio- „ nem ducantur per harum commemorationem) sed „ manifestum est, quod vana sit hujusmodi excogitatio „ & diabolicæ argumentationis inventio ". Respondit hæc Synodus, testimonium illud huic auctori esse sup- „ positum, quod probarunt perlectis ejus sermonibus, operibusque ab eo editis, in quibus nihil simile reperitur; cum tamen Iconomachi assererent, ea ex ipsius scriptis esse desumpta, sed nullo indicato loco. Addidit præterea, verba illa non ex Codice Theodoti, sex ex charta volatica in Synodo Iconomachorum esse prælecta.

Item ad testimonium Eusebii in Epistola ad Constantiam Augustam.

Ultimo loco ab Iconomachis allatum testimonium Eusebii ex Epistola ad Constantiam Augustam, præterquam quod incertum sit, num sit revera hujus auctoris, nihil videtur continere contra sacras imagines, tantum enim videtur indicare, quod divina essentia coloribus exprimi nequeat; at Synodi hujus Patres non negant esse Eusebii; quin & usui sacrarum imaginum esse contrarium fatentur: sed auctoritatem ejus rejiciunt, eique tamquam adversario sacrarum imaginum anathema dicunt, eumque Theopaschitis (qui passionem divinitati adscribunt: unamque naturam duntaxat in Christo agnoscunt) annumerant.

Pseudo-Synodi anathema in cultores imaginum.

His testimoniis reproductis tandem pseudo-Synodus Iconomachorum definivit & decrevit: „ abjectam fore & alienam atque abominabilem ex Christianorum „ Ecclesia omnem imaginem ex diversa materia & co- „ loribus per malam pictorum artem effectam. Qui „ vero ausus fuerit amodo construere imaginem, vel „ adorare, aut statuere in Ecclesia, vel in privata „ domo, seu occultare; si quidem Episcopus, aut „ Presbyter, aut Diaconus fuerit, deponatur; si vero „ Monachus aut Laicus anathematizetur, & Impe- „ rialium legum obnoxius sit, tamquam contrarius „ præceptorum Dei & inimicus dogmatum Paternorum.

Item in eos, qui non recipiunt sex generalia Concilia.

Post hæc anathema dicunt Episcopi istius Synodi, in eos, qui prima sex generalia Concilia non recipiunt.

Improbat pseudo-Synodus Christi imagines.

Multis quoque improbant *imagines Christi Domini*, quasi per earum efformationem, vel negaretur Christi divina essentia, quæ incomprehensibilis & incircumscriptibilis depingi nequit, vel certe Christus in duas personas divideretur, sive quod efformans Christi imaginem, *divideret Christum in subsistentias duas, separatim ponens Dei filium, & separatim Virginis Mariæ, & hinc eum in imagine quasi privatæ subsistentiæ sit ex Virgine pingens.*

Anathema dicit in eos qui non invocant B. Virginem, aliosque Sanctos.

Anathema dein & pronuntiant in eum, qui *non confitetur, sanctam semper Virginem Mariam proprie ac vere Dei genitricem, sublimiorem esse omni visibili & invisibili creatura, & cum sincera fide ipsius non expetit intercessiones tamquam fiduciam habentis ad Deum nostrum, qui ex illa genitus est. Item in eum, qui aliorum Sanctorum non postulat orationes tamquam fiduciam habentium pro mundo intercedere, secundum Ecclesiasticam traditionem: col. 523. & 527*

Hinc patet Iconoclastas probasse invocationem Sanctorum, ac specialiter Deiparæ Virginis; quamvis eorum imagines admittere noluerint.

Ultima anathemata pseudo-Synodi.

Anathema tandem fulminant, si quis non recipit hanc Synodum, quam *universalem septimam Synodum* vocant, ac nominatim anathematizantur Germanus, Georgius, & Joannes Damascenus, qui destructioni imaginum præ cæteris se opposuerant.

Acclamationes Imperatoribus Iconoclastis.

Ubi Imperatoribus Leoni Isauro & Constantino Copronymo acclamarunt, inter alia eos laudant tamquam qui *inconfusam in Christo dispensationem bene discreverint. Inseparabilitatem duarum in Christo naturarum firmius prædicaverint.* Ut enim supra monui, hæc per imaginis Christi efformationem clamabant.

Synodus VII. ad præcedentia respondet.

Præsens Synodus ad omnia articulatim respondens, probat quæ Catholice ab ipsis pronuntiata sunt, & improbat quæ contra usum & cultum imaginum in ea professione continentur, ac speciatim ostendit, quod efformando imaginem Christi secundum formam, qua similis nobis totis apparuit, nullatenus ipsas Christi naturas dividat. *Sicut enim (ait) quis hominem depingens sine anima, non facit hominem, sed ille cum anima permanet, & imago ejus dicitur, eo quod similis ei appareat: ita & nos imaginem Domini facientes, deificatam carnem Domini confitemur, & nihil imaginem aliud scimus, quam imaginem indicantem principalis imitationem, col. 870.*

§. IX.

De actione septima.

Actio VII. 13. Octobris, Recitatur definitio Synodi.

ACTIO hæc celebrata est 13. Octobris, in qua recitata fuit definitio Synodi super cultu & veneratione imaginum sub hoc titulo: *sancta magna & universalis Synodus, quæ gratia Dei, & juxta pium Christi amantium Imperatorum nostrorum Constantini & Irenes illius matris decretum, secundo in splendida Nicææ Metropoli, quæ est Bithyniæ, in sacra Dei Ecclesia Sophia congregata, traditionem Catholicæ Ecclesiæ secuta, hæc definivit subjecta.*

Renovantur definitiones fidei sex priorum Conciliorum.

In primis renovat Synodus definitiones fidei sex anteriorum generalium Synodorum, & anathema dicit illis; quorum dogmata in his generalibus Synodis damnata fuere; atque generatim omnes Ecclesiasticas sive scripto, sive sine scripto sancitas traditiones illibate servare profitetur: ac rursus de sexta Synodo disserens expresse asserit: *sexta Synodus exclamavit abjiciens Sergium, Honorium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium, & eos, qui sine voluntate sunt pietatis, atque istis similia sentientes,*

Articuli definitiones circa cultum imaginum.

His præmissis definit Synodus, circa cultum & venerationem sacrarum imaginum hæc sequentia.

Primo, proponi posse, *venerandas & sanctas imagines ad modum & formam venerandæ & vivificantis crucis e coloribus & tessellis, aut alia quavis materia commode paratas.*

Secundo, eas in *Templis sanctis Dei collocandas habendasque: tum in sacris vasis & vestibus, tum in parietibus, & tabulis, in ædibus privatis, in viis publicis.*

Tertio, posse proponi *maxime imaginem Domini & Dei salvatoris nostri Jesu Christi, dei de intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium deinde sanctorum virorum.*

Quarto addit finem seu scopum expositionis imaginum; *quo scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem omnes, qui contemplantur, ad Prototyporum memoriam & recordationem & desiderium veniant.*

Quinto, posse illis *salutationem* (sive Gr. *osculum*) & *honorariam adorationem exhiberi.*

Sexto monet, hanc quidem honorariam adorationem posse imaginibus exhiberi, *non secundum fidem nostram, veram latriam, quæ solum divinæ naturæ competit; sed quemadmodum typo venerandæ & vivificantis crucis, & sanctis Evangeliis, & reliquis sacris oblationibus suffitorum & luminarium reverenter accedimus, quemadmodum veteribus pie in consuetudinem hoc adductum est.*

Rationem permissæ hujus honorariæ adorationis & cultus subjicit: *imaginis enim honor in Prototypum resultat, & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum* (sive Gr. *adorat in ea depicti subsistentiam*).

Denique decernit hæc ab omnibus esse recipienda, & eos, qui aliter audent sapere aut docere, si quidem Episcopi aut Clerici fuerint, deponi præcipit, Monachos autem vel Laicos a communione segregari.

Hæc igitur Synodus declarat & definit, imagines Christi, divæ Virginis, Angelorum, & aliorum Sanctorum non tantum esse in Templis retinendas ad memoriam eorum, quæ in iis repræsentantur, sed etiam externo cultu coli & adorari posse; nimirum adoratione relativa ad ipsum Prototypon; ait enim: *imaginis*

(a) Id confirmare videtur sententiam Theologorum, qui contendunt a sexta & septima Synodo Honorium Papam damnatum fuisse eodem modo ac Pyrrhum Sergium, cæterosque Monothelismi auctores.

nis honor ad primitivum tranfit : & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti fubfiftentiam.

Vetat Synodus imagines coli cultu latriæ.

Vetat nihilominus Synodus cultum feu adorationem Latriæ, quæ folam divinam naturam decet, imaginibus impartiri.

Hinc monet Bellarminus *de imaginibus fanct. lib. 2, cap. 22.* retinendam effe a concionatoribus & inftructoribus populi formulam loquendi, quam tum hæc, tum fubfequentes plures Synodi & Patres tenuerunt, ut nimirum dicatur, imagines non *effe adorandas* cultu Latriæ, feu iis Latriam non effe exhibendam : quamvis fateatur, modo improprio poffe dici, imagines Chrifti adorari cultu *Latriæ* : fed nequaquam eum modum loquendi effe affumendum: fed infiftendum modo a Synodis & a Patribus præfcripto; additque, " effe valde „ credibile, S. Thomam, Alexandrum Alenfem, & „ alios Doctores fcholafticos illius temporis, non vi„ diffe Nicænam Synodum fecundam, neque octavam „ Synodum generalem, neque Epiftolam Hadriani Pa„ pæ primi pro defenfione Synodi Nicænæ.

Nulla in decreto Synodi mentio de imaginibus SS. Trinitatis.

Nulla ex hoc Synodi decreto mentio occurrit imaginum fanctiffimæ Trinitatis, neque fuper his controverfia fuiffe legitur, utpote *quas nedum etiam admittebat ætas illa* (*a*) uti notat eruditus Mabillonius in præfatione ad partem 1. fæculi 4. Benedictinorum §. 3. *nu.* 19. quin & has imagines ævo Nicolai I. id eft fub medium fæculi 9. ignoraffe Ecclefiam Romanam monet Chriftianus Lupus *tom. 2. Schol. in Canones pag.* 1175.

Nulla quoque mentio de ftatuariis.

Monet quoque citatus Mabillonius, in decreto hujus Synodi nullam fieri mentionem ftatuarum : " quas „ (ait) nondum ufus ferebat, immo neque ad hunc „ ufque diem fert apud Græcos (*b*), fed planarum feu „ pictarum teffellatarumque imaginum.

§. X.

Decreta hujus Synodi miffa ad Hadrianum Papam.

ABSOLUTA Synodo, Patres miferunt Decreta hujus Synodi, præfertim circa cultum imaginum ad Hadrianum Papam I. qui & per Legatos fuos Synodo præfederat.

Hadrianus Decreta Synodi probavit, mifitque exemplaria actorum ad Carolum Magnum, aliofque Principes Latinæ communionis, ut conformiter ad Decretum Synodi, ufum facrarum imaginum, earumque cultum in fuis refpective ditionibus reciperent.

Summa difficultas circa ea decreta in Galliis, Germania, &c.

Cæterum Decreta hujus Synodi quantum ad cultum & venerationem facrarum imaginum fummam tum in Gallia, tum in Germania, aliifque regnis & Provinciis Carolo Magno tunc temporis fubiectis, difficultatem repererunt, nec earum partium Epifcopi ipfam Synodum pro legitima & OEcumenica agnofcere voluerunt, immo non minus reprobarunt quam Synodum Iconoclaftarum, quæ habita fuerat fub Imperatore Copronymo : uti hæc omnia late deducta funt in *Jure Ecclef. Tom. II. part. 2. fect. 2. tit. 1. de ædificandis & reparandis Ecclefiis, cap. 2.* (*c*) ibi una oftenfum eft, ob hanc Gallorum, aliorumque Epifcoporum refiftentiam nolentium cultum & adorationem imaginum, non obftante Decreto hujus Synodi, nec non epiftola Hadriani I., nullum propterea fchifma factum fuiffe. Quomodo autem fæculo IX. fenfim etiam Gallicana, aliæque Ecclefiæ Latinæ communionis exteriorem cultum & adorationem imaginum receperint ibidem deduximus.

(a) De antiquitate imaginum SS. Trinitatis confule Primam notam §. 1. ifti differtationi appofitam. Vide etiam quæ dicta funt in *Jure Ecclefiaft. Tom II. part. 2. fect. 2. tit. 1. cap. 1. nu.* 23. & *cap. 2. n. 1.* hujus editionis.

(b) In libello tamen fupplici Clericorum Antiochenfium adverfus Severum Acephalorum ducem, qui libellus extat *act.* 5. *Synodi feptimæ*, hæc leguntur. " Nec ipfis fanctis altaribus vel „ facratis vafis pepercit (Severus) illa quidem eradens ut fcele„ fta, hæc autem conflans & erogans his, qui fimilis moris funt. „ Porro præfumptum eft ab eo etiam hoc, o Beatiffimi; eas enim „ quæ in typum fancti Spiritus funt aureæ & argenteæ columbæ „ fufpenfæ fupra divina Sacramenta, & altaria (*facros fontes & „ lavacra*) cum aliis defraudabat, dicens non oportere columbas „ nominari Spiritum Sanctum. Tarafius fanctiffimus Patriarcha di„ xit: fi in nomine fancti Spiritus fuperpofitas columbas recepe„ runt Patres, quanto magis incarnati Verbi Iconas, quod appa„ ruit fuper terram in carne ". En *columbæ argenteæ & aureæ fufpenfæ fupra facros fontes & lavacra*; quæ columbæ dicuntur typi Spiritus fancti, & nominantur Spiritus fanctus a Tarafio, qui fupponit ab antiquis Patribus eas fuiffe fancti Spiritus nomine donatas; quid inde concludendum eft? columbas illas fufpenfas non fuiffe figuras planas & pictas, fed ftatuas, ac proinde in Concilio feptimo factam fuiffe ftatuarum mentionem.

(c) Alias in fupplemento ad Jus Ecclef. parte 2. tit. 1. de ædific. & reparand. Ecclefiis cap. 1.

§. XI.

De Actione octava, & promulgatione Canonum.

Actio VIII. relata apud Græcos coram, quæ poft abfolutam Synodum gefta fuere Conftantinop. coram Imperatoribus.

ANASTASIUS Bibliothecarius, qui hanc Synodum e Græco Latinam reddidit, numerat duntaxat feptem actiones, at in Græcis Codicibus adjungitur actio octava; habita decimo calendas Novembris, in qua referuntur, quæ poft abfolutam Nicææ Synodum acta & gefta fuere coram Auguftis Irene, & ejus filio Conftantino (*a*).

Juxta litteras enim Imperiales Tarafius Patriarcha cum cæteris Synodi Patribus, abfoluta Synodo, fe Conftantinopolim tranftulit, qui ibi benigne ab Auguftis recepti fuere.

Poft hæc Imperatrix diem dixit, quo Synodice cum Epifcopis præfideret, quod & factum in Palatio, quod *Magnaura* vocatur (*b*). Itaque propofitis fanctis Dei Evangeliis, Præfidente Irene cum fimul regnante filio, & univerfa Synodo, juffus eft Patriacha nomine Auguftorum alloqui Synodum, ac dein & ipfi Augufti fermonem habuere, quem acclamationes Epifcoporum in laudem Auguftorum fubfequebantur.

Dein juffu Auguftorum lecta fuit definitio Synodi fuper ufu & cultu imaginum, qua recitata interrogaverunt Imperatores, num lecta definitio omnium confenfu edita effet: mox per plures & communes Epifcoporum acclamationes probata fuit.

„ Poft has acclamationes Patriarcha offert Impera„ toribus lectum definitionis tomum, poftulavitque „ cum univerfa Synodo, ut confignaretur, & commu„ niretur piis eorum fubfcriptionibus. Et accipiens „ faufte præfulgens religiofiffima Imperatrix fubfcrip„ fit, dabatque fimul regnanti filio, ut & ipfe fub„ fcriberet. Quod ubi factum, reddita eft Patriarchæ „ definitio per Stauracium celeberrimum Patricium & „ Logothetam Dromi.

Tum ab Epifcopis rurfus multi anni Imperatoribus acclamati fuerunt, & Imperatori ut *novo Conftantino*, & Imperatrici ut novæ Helenæ æterna memoria acclamata.

His expletis coram Imperatoribus & populo, quædam e præcipuis Patrum teftimoniis in Synodo, pro afferendo cultu imaginum adductis, recitata fuere; atque illis prælectis, iterum Epifcoporum, ac Procerum & populi, qui in magna multitudine aderant, acclama„ runt : " qui etiam Deo gloriam dederunt, & gauden„ tes, ei gratias egerunt, cui fic placitum eft ". Atque ita Synodus finem accepit.

Incertum qua actione editi XXII. Canones hujus Synodi.

Qua actione Canones XXII. qui huic Synodo in omnibus editionibus affignantur, editi fint, incertum eft. Neque enim in actis Concilii ulla de his Canonibus mentio occurrit, fed fimpliciter ab Anaftafio Bibliothecario actioni VII. (quæ fecundum ipfum eft ultima) fine ulla præfatione fubjiciuntur.

At apud Græcos actioni VIII. fubnectuntur, quafi hac actione demum editi effent: atque ita conditi forent Conftantinopoli præfentibus Auguftis: quandoquidem ea, quæ hac actione referuntur, Conftantinopoli poft abfolutam Nicææ Synodum gefta dicantur.

Interim five Græcos, five Anaftafium fequamur, Canones demum poft definitionem fidei editi apparent.

MONITUM AD LECTOREM.

CANONES hic exhibentur ex verfione Gentiani Herveti, prout habentur *tom.* 7. Concil. general. ex editione *Philippi Labbæi col.* 903. *& feqq.* in Scholiis autem horum Canonum fubinde ad faciliorem Canonum intellectum, inter duas anfulas ( ) quædam adduntur ex verfione Anaftafii Bibliothecarii, notanturque per litteram *A*; vel interdum ex verfione Græca, prout habetur in pandectis Canonum Græcorum ex editione Guillelmi Beveregii, fignanturque per litteram *G*.

(a) Verfio Latina octavæ actionis tribui folet vel Agellio, vel uni ex collectoribus, qui Conciliorum editioni, quæ Romæ facta eft, allaborarunt.

(b) Septem primæ actiones Concilii feptimi habitæ funt in Ecclefia, quæ Nicææ dicebatur S. Sophia; octava autem actio celebrata eft Conftantinop. in Palatio, quod Magnaura vocabatur, ut dictum eft. Hæc actio octava non reperitur in Concilii editione, quæ mere Latina eft, at legitur in editione, quæ fimul Græca eft & Latina.

S C H O L I A

In Canones Synodi Nicænæ II.

CANON PRIMUS.

Iis, qui Sacerdotalem dignitatem sortiti sunt ; testimonia & ad recte se gerendum instituta sunt Canonicarum constitutionum descriptiones. Quas cum divinitoquo David lubenter recipientes ad Dominum cantamus dicentes, in via mandatorum tuorum lætatus sum, tamquam in omnibus divitiis. *Et* , mandasti justitiam testimonia tua in sæculum: intellectum da mihi & vivam. *Et si in sæculum nos jubet vox Prophetica testimonia Dei servare , & in eis vivere , liquet ea nequaquam concutienda , nullaque ratione labefactanda permanere; nam & venerandus Moyses sic ait*, eis non licet addere, nec eis licet detrahere, *& divinus Apostolus Petrus in iis glorians exclamat* : ad quæ Angeli declinare desierant . *Atque etiam dicit Paulus* ; etiamsi vel Angelus annuntiet vobis aliud quam vobis annuntiavimus , sit anathema; *Cum ergo ita se habeant, & sint nobis testata , iis exultantes , ut si quis multa spolia invenerit , divinos Canones libenter amplectimur , eorumque constitutionem integram & illabefactabilem confirmamus , quæ edita fuerunt a sancti Spiritus tubis , omni ex parte celebrandis Apostolis , & sex sanctis universalibus Synodis , iisque quæ ad ejusmodi decretorum traditionem provinciatim coactæ fuerunt , & nostris sanctis Patribus . Ex uno enim omnes eodemque spiritu illuminati , quæ erant utilia decreverunt : & quos anathemati quidem transmittunt , nos quoque anathematizamus: quos vero depositioni , nos quoque deponimus: quos autem segregationi, nos itidem segregamus: quos autem pœnæ tradunt , nos quoque similiter subjicimus, Ab avaritia enim alieni mores sint , præsentibus contenti , is , qui tertium cœlum conscendit , & arcana verba audivit , Paulus divinus Apostolus aperte vociferatur*.

S C H O L I O N.

Quare SS. Eloquiorum & Canonum notitia Episcopis summopere sit necessaria.

„ TESTIMONIA dicuntur (ait hic Balsamon) divinarum Scripturarum præcepta , ut quæ testificantur & describant, quomodo fideles vitam instituere oportear.

Idipsum hic monet Zonaras subinferens : " sunt ergo „ testimonii Domini Constitutiones , quæ nobis , & quo „ pacto vita instituenda , & quibus suppliciis puniendi „ sint , quicumque divina imperia contempsere , testan„ tur atque ob oculos ponunt.

„ Qui ergo (pergit Zonaras) sacri ordinis dignita„ te honestati sunt , iis divinos Canones , quæque il„ lorum auctoritate descripta & constituta sunt, testimo„ nii loco esse debere, hujus Synodi Patres affirmant... „ sunt vero iisdem Canones etiam recte vivendi præ„ cepta : vitæ siquidem illorum honestatem tuentur apteque siquidem illorum honestatem tuentur apteque „ componunt.

Itaque scopus hujus Canonis est , Episcopis , & Ecclesiæ Ministris divinorum Eloquiorum , & sacrorum Canonum scientiam & observantiam commendare: utpote e quibus cognoscere queant , quomodo vitam suam instituere, & populum sibi commissum regere , & gubernare debeant.

Synodus Canones, qui observari deberent, expressit.

Utque Canones , quorum præcepta amplecti oporteat; iis facilius innotescant , eos Synodi hujus Patres non tantum simpliciter designarunt, sed insuper declararunt, se eos amplecti , *eorumque Constitutionem integram & illabefactabilem* (G. *illabefactam*) *confirmare*.

Canones vulgo Apostolorum ipsis Apostolis non obscure adscipsit.

Primo loco confirmant , quæ *edita fuerunt a sancti Spiritus tubis , omni ex parte celebrandis Apostolis* .

His verbis intelligi Canones vulgo *Apostolorum* , nemo ambigit : eosque a Patribus hujus Synodi tribui *Apostolis* tamquam *veris* eorum auctoribus , conformiter ad Synodum Trullanam , & opinionem , quæ tum temporis de auctoribus horum Canonum apud Græcos invaluerat.

Cum enim Patres crederent passim disciplinam & doctrinam Canonibus hisce comprehensam ; posse suscipi & confirmari , parum solliciti fuere anxie inquirere , qui essent veri Canonum illorum auctores, contenti in hac facti quæstione sequi & amplecti communem ac tunc receptam opinionem , & Canones eis adscribere , quibus tunc vulgo adscribebantur: quemadmodum & novissima Synodus Tridentina *sess. 25. cap. 1. de Reformat.* hos Canones vocat simpliciter *Apostolorum*; quia tunc temporis prout & hodie passim eo nomine appellabantur.

Concilia enim in his, quæ facti sunt , non consueverunt criticum instituere examen ; id maxime præcaventia , ne quid a vera fide, aut rectis moribus abhorrens suis decisionibus aut Decretis approbent.

Secundo confirmantur hoc Canone Canones, qui editi fuerunt *a sex sanctis & universalibus Synodis* .

Confirmat Canones sex Synodorum generalium atque ita Canones Trullanos suppositos a quinta & sexta Synodo editos.

Ut hic numerus generalium Synodorum ante hanc nodum celebratarum habeatur , necessario his Synodis generalibus annumerandæ sunt *quinta* sub Justiniano Imperatore habita in causa *trium Capitulorum*, & *sexta* sub Justiniano juniore contra Monothelitas.

Verum cum constet , neutram earum Synodorum Canones edidisse, solet quæri , qua ratione probari dicantur Canones in Synodis editi ? Communis opinio est , quod Synodus hæc Canones Trullanos , sive in Synodo Trullana editos , habuerit pro Canonibus ad *quintam & sextam* Synodum pertinentibus.

Et quidem in hac ipsa Synodo cum *actione IV.* prolatus *Can.* 82. Trullanus , tamquam Canon *sanctæ & universalis sextæ Synodi* : atque nonnulli huic titulo obloquerentur, interloquutus Tarasius Patriarcha dixit: „ quæ est hæc ignorantia , qua plerique laborant circa hos Canones? *scandalum* enim est *dubitare* , num sint „ *sextæ* Synod'.

Ut autem id persuadeat , subjungit , " cognoscant „ igitur tales *sextam* Synodum temporibus Constanti„ ni fuisse congregatam , nimirum contra eos , qui „ tantummodo unam actionem & voluntatem in Chri„ sto collocant. Illi igitur hæreticos anathemate ver„ berantes , othodoxamque fidem confirmantes , sub „ annum decimumquartum Imperii Constantini domum „ redierunt . Post annos igitur quatuor aut quinque „ iidem illi Patres sub Justiniano Constantini filio con„ gregati , prædictos Canones ediderunt: neque hac de „ re quisquam dubitet. Nam qui temporibus Constan„ tini subscripserunt , iidem illi sub Justiniano quoque „ præsentem hanc chartam subsignarunt, quæ res satis „ clara est ex eorumdem propriarum manuum immu„ tabili similitudine, necessum autem erat, ut post Sy„ nodum universalem definitam , Canones quoque Ec„ clesiasticos ederent.

Evidens est, ideo a Tarasio hos Canones *sextæ* Synodo adscribi , quod quasi in supplementum istius editi fuerint; qua ratione & *quintæ* Synodo adscripti fuerunt, quemadmodum Patres Synodi Trullanæ in allocutione ad Imperatores dixerunt . Hinc & Canones hi vulgo nuncupantur Canones Synodi *quini-sextæ* , uti notatum est dissertatione in Canones Trullanos.

Itaque sub Canonibus a *sex sanctis universalibus Synodis* editis comprehensi censentur Canones 102. in Synodo Trullana , seu *Quini-sexta* promulgati , qui & eatenus hic confirmantur : de qua confirmatione actum est in citata dissertatione.

Etiam confirmantur Canones Synodorum Provincialium qui ab Ecclesia jam recepti erant.

Tertio suscipiuntur & confirmantur Canones editi in iis Synodis, *quæ ad ejusmodi Decretorum traditionem Provinciatim* (G. *localiter*) *coactæ fuerunt* .

Synodi *Provinciatim* seu *localiter* coactæ , quarum Canones hic confirmantur , sunt Synodi *Ancyrana* , *Neocæsariensis*, aliæque particulares Græcorum Synodi , quas Dionysius Exiguus e Græco in Latinum vertit , & nominatim enumerantur & confirmantur in *Canone* 2. Trullano: atque hac rursus Synodali approbatione non mediocris Canonibus harum Synodorum accedit auctoritas.

Recipiuntur & Canones a S. Basilio , aliisque nonnullis Patribus editi.

Quarto probantur Canones , qui editi fuere a nostris sanctis Patribus , nimirum SS. Basilio , Athanasio , aliisque expressis in citato Can. 2. Trullano.

Omnes hi Canones quasi paris essent auctoritatis, confirmantur.

Et quod notandum , omnes hos Canones sub una verborum formula ita confirmant & recipiunt , quasi omnes essent paris auctoritatis . Rationem addunt : *ex uno enim omnes eodemque spiritu illuminati , quæ erant utilia, decreverunt*.

CANON II.

Quoniam psallentes Deo spondemus in justificationibus tuis meditabor , non obliviscar sermones tuos; *omnes quidem Christianos salutare est hoc servare , eos autem præcipue , qui Sacerdotalem dignitatem obtinent, Quamobrem decernimus quemlibet , qui ad Episcopalem gradum est provehendus , Psalterium omnino nosse , ut ex eo omnem quoque suum Clericum ita institui moneat. A Metropolitano autem bene examinari, an ad sacros Canones diligenter , ac cum perscrutatione , non autem obiter cursimque legendos , & prompto paratoque sit animo , & sacrum etiam Evangelium , & librum divini Apostoli , omnemque divinam scripturam , & in divinis præceptis versari , & populum suum docere. Nostræ enim Hierarchiæ substantia sunt eloquia divinitus tradita , divinarum scilicet Scripturarum vera scientia, sicut Magnus ait Dionysius. Si quis autem dubius animi fuerit , & non lubenter hæc facere & docere voluerit, non ordinetur. Prophetice enim dicit Deus*: tu repulisti scientiam , & ego te repellam, ne sis mihi Sacerdos.

SCHO-

SCHOLION.

Omnes Chriſtiani hortandi, ut ſcripturam ſacram meditentur.

DOCET hoc Canone Synodus, *omnes quidem Chriſtianos* in juſtificationibus Dei meditari, nec illius ſermonem oblivisci ſaluberrimum eſſe, ſed *eos* tamen *præcipue, qui Sacerdotalem dignitatem obtinent*, ſive qui Epiſcopi ordinati ſunt.

In Epiſcopum ordinandus omnino noverit Pſalterium.

Hinc in primis decernit, *quemlibet, qui ad Epiſcopalem gradum eſt provehendus, Pſalterium omnibus modis noſſe, ut ex eo omnem quoque ſuum Clericum ita inſtrui moneat*. Hoc eſt, „ jubet in pſalterii cognitione verſatum eſſe, ut hoc pacto ab illo populus quoque initiari, hoc eſt, eadem cognitione „ imbui diſcat " ait Zonaras.

Jam olim moris fuit, ut ipſi fideles integrum Pſalterium memoriter tenerent.

Pro quo notandum, jam olim moris fuiſſe, ut non tantum Clerici, ſed etiam Laici Pſalmos, ſive integrum Pſalterium memoriter diſcerent, atque eos inter communia opera, tamquam in omni labore dulciſſimum, & fidelibus uſitatum Celeuma aſſumerent (a).

Hinc S. Hieronymus epiſt. 12. nobili viro Gaudentio tradens regulam pro Pacatula infantula, ex utero per parentes Deo oblata, ait: „ Cum Virgunculam „ ſeptimus ætatis annus acceperit ... *diſcat memoriter* „ *Pſalterium*.

Et idem Doctor de Barbaris Hunnis, fidem Catholicam amplecti incipientibus, ſcribit epiſt. 7. ad Lætam Matronam: *Hunni diſcunt Pſalterium*. Id pluribus adductis oſtendit Chriſtianus Lupus in Scholio ad hunc Canonem.

Verum labentibus ſæculis, ſenſim hæc pietas recitandi Pſalterium, atque ejus recitationi & meditationi per temporum intervalla incumbendi, ad ſolos Clericos, Monachos, & Moniales, tamquam Dei ſervitio, & meditandis divinis eloquiis ſpecialiter conſecratos dilapſa eſt, ut & ibidem monet Lupus. Ex hac diſciplina & praxi profluit & hodie ſupereſt Officii Eccleſiaſtici ſive Canonicalis ordinatio, & quotidie per temporum quædam intervalla impoſita recitandi neceſſitas.

Scimus enim, officium iſtud, ſi Lectores matutinales, aliaque pauca exceperis, integrum ex Pſalmis eſſe concinnatum, idque eo ordine, ut niſi Officium Feriale per feſtorum interventum interrumperetur, totum Pſalterium 150. Pſalmorum hebdomadatim recitaretur, uti pluribus oſtendi *Tom. V.* in diſſertatione *de Horis Canonicis parte 2. cap.* 1. §. 7. monuitque jampridem pius Tungrenſium Decanus Radulphus de Canonum obſervantia *propoſit.* 17. quod ſicut ſunt pauci dies Dominici, & multæ feriæ, ita paucæ debeant eſſe Feſtivitates, & multæ feriæ, ſeu dies Sanctorum trium Lectionum, rationem addit: ut *Pſalterium continuetur, in quo principaliter officium conſiſtit*.

At illud pro intellectu præſentis Canonis obſervandum, etiam præceptum, ut Clerici Pſalmos *memoriter* tenerent, tum ut eos omni loco & tempore recitare, & ſecum ruminare poſſent, tum etiam, quia mos Pſalmos *memoriter* & ſine libro cantandi diu in Eccleſia viguit, & etiamnum ejus moris veſtigia quibuſdam in locis remanſerunt, ut in Eccleſia Lugdunenſi, Rothomagenſi, &c. uti notat vir eruditus Petrus Guſtanvillæus ad *epiſt.* 45. *lib.* 4. ſancti Gregorii. Addens: „ Taceo Carthuſianos, & alios antiquiores Aſcetas, „ apud quos novitii primo converſionis anno *Pſalterium memoriter* addiſcere tenentur, quia eoſdem „ *memoriter* in Eccleſia cantare conſueverunt.

Ad Andream Scholaſticum ſcribit S. Gregorius *lib.* 4. *epiſt.* 45. „ Sed nec Joannem Presbyterum *Pſalmorum neſcium* præſumpſimus ordinare, quia hæc eum „ res minus ſui profecto habere ſtudium demonſtrabat ". Et Synodus Toletana VIII. *Can.* 8. ut „ nullus cujuſcumque dignitatis Eccleſiaſticæ deinceps „ percipiat gradum, qui non totum *Pſalterium*, vel „ Canticorum uſualium, & Hymnorum perfecta noverit ſupplementum.

Et ſub finem ſæculi noni Riculfus Sueſſionenſis Epiſcopus in ſuis Conſtitutionibus *cap.* 5. monet Presbyteros, ut unuſquiſque ipſorum *Pſalmos memoriter* & veraciter, ac correcte tenere ſtudeat.

Etiam apud Gratianum *diſt.* 38. *Can.* 5. extat Decretum ex variis Conciliis collectum, uti monent Correctores Romani, quo exprimuntur, quæ ipſis Sacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum, atque inter alia *Pſalterium*.

Ex his omnibus patet, hoc Canone piam & priſtinam fidelium pietatem, ac præſertim Clericorum meditandi in juſtificationibus Domini dumtaxat eſſe renovatam: ipſamque hodierni Officii Eccleſiaſtici recitationem ob hoc unice impoſitam eſſe Clericis, aliiſque divino ſervitio ſpecialiter mancipatis, ut quotidie per temporum intervalla Pſalmos canentes aut recitantes *in juſtificationibus Domini meditarentur*. Nam ut apud Gratianum *diſt.* 92. *Can.* 1. ſanctus Hieronymus ait: *Deo non voce, ſed corde cantandum*.

Ordinandus in Epiſcopum examinandus circa ſtudium ſacrarum Scripturarum, & Canonum.

Secundo requirit præſens Canon, ordinandum Epiſcopum *a Metropolitano bene examinari, an ad ſacros Canones diligenter, ac cum perſcrutatione* (A. *ſcrutabiliter*) *non autem obiter curſimque* (A. *tranſitorie*) *legendos, prompto paratoque ſit animo* (A. *in promptu habeat*).

Scitur, jam pridem Patres judicaſſe, Canonum notitiam Sacerdotibus ſive Epiſcopis neceſſariam eſſe. Ad Maximum & Severum Brutiorum (b) Epiſcopos ſcribit Innocentius I. *epiſt.* 5. „ Eccleſiaſticorum *Ca-* „ *nonum* norma nulli debet eſſe *incognita Sacerdoti*, „ quia neſciri hæc a Pontifice ſatis eſt indecorum ". Plura vide apud Gratianum *diſt.* 38.

Tertio præcipit Canon, ut in ordinatione Epiſcopi inquiratur *diligenter a Metropolitano, an ad legendum diligenter, ac cum perſcrutatione, non autem obiter curſimque, prompto paratoque ſit animo, ſacrum Evangelium, & librum divini Apoſtoli, omnemque divinam Scripturam*.

Hoc ſtudium eſſe Epiſcopis, & Paſtoribus ſummopere neceſſarium afferunt SS. Patres.

Scripturarum notitiam Epiſcopis, qui verbi Domini pabulo populum ſibi commiſſum paſcere jubentur, eſſe plane neceſſariam uno ore clamant Patrum Decreta, quorum plura recitat Gratianus citata *diſt.* 38.

Cumque hæc Scripturarum ſcientia ſit profundiſſima, atque fecundiſſima, merito Synodus in Epiſcopo ordinando requirit *promptum paratumque animum* ad legendum ſacrum Codicem. Et ſi Hieronymus in commentariis Prophetæ Aggiæ *cap.* 2. monet Epiſcopos, qui nondum plene Scripturas edocti ordinati ſunt, ſaltem illud habeant, ut poſtquam Sacerdotes ordinati fuerunt, ſaltem diſcant legem Dei, ut poſſint „ docere quod didicerint, & augeant ſcientiam „ magis, quam opes, magiſque noctes & dies Sciptu- „ rarum tractatu, quam in ratiociniis & ſupputatio- „ ne conſumant.

Merito Metropolitanus ſumma diligentia ſuper hac notitia Scripturarum, & Canonum ordinandum in Epiſcopum examinare jubetur, & quare?

Notandum, quod Synodus exigat, ut ſuper his ordinandus a Metropolitano *bene* ſive *diligenter* examinetur, hoc eſt ea diligentia atque ſedulitate, qua in tanti momenti negotio procedendum eſt, ne cum ſummo animarum periculo erretur, ſi populo præficiatur in Paſtorem, qui ob defectum ſcientiæ verbi divini pabulo eum paſcere idoneus non ſit.

Præterea obſervandum, quod examinari oporteat ordinandum, non tantum, an *ſimpliciter* ſacros Canones, & Scripturas ſacras pervolvere velit, ſed an *prompto paratoque animo ſit* ad ea *diligenter, ac cum perſcrutatione, non autem obiter curſimque legenda*: hoc eſt *ita perlegere, ut reconditas abditaſque illorum ſententias ſcrutetur, proindeque & uniuſcujuſque rei rationem intelligat .... non autem perfunctorie, hoc eſt, alias res agens, & verbis ſolum recitandis occupatus, ſubjectas vero ſententias cognitione nequaquam attingens* „: ut recte hic exponit Zonaras.

Verbo requirit Synodus hoc diligens Scripturarum & Canonum ſtudium in Epiſcopo, ut & ſecundum Dei mandata converſari, & docere populum ſibi commiſſum prompto paratoque ſit animo. *Nec ſolum* (*ait Zonaras*) *ab eo ſacrarum litterarum ſtudium, ut diximus, poſtulari, ſed ut vitam præterea ac mores ad Legis divinæ præſcriptum normamque componat, exigi placet: neque id tantum, ſed ut in erudiendo præterea credito ſibi populo elaboret*.

Jubetur & hodie ex præſcripto Pontificalis Romani Metropolitanus ordinans ab ordinando petere: *Vis eas, quæ ex divinis Scripturis intelligis, plebem, cui ordinandus es, & verbis docere & exemplis?* Reſpondet Ordinandus: *Volo:*

Supereſt & hodie veſtigium examinis in ordinatione Epiſcopi, ſed multum a priſtino examine diſſimile.

Eſt quidem hoc examen veſtigium aliquod examinis, quod ſancti Patres ante ordinationem inſtitui volebant de doctrina & vita ordinandi, at illud dolendum, quod examen illud a Patribus jampridem præſcriptum, quodque ſerio ac ſumma diligentia inſtitui volebant, tandem in nudam cæremoniam, & externum ritum tranſierit.

Verum quidem eſt, alíud quoddam examen circa ordinandos Epiſcopos præmitti, quod informatio dicitur, ſed quam perfunctorie ſæpius & hoc examen inſtituatur, ut formalitas quædam potius, quam ſerium examen videatur, notavi in *Jure Eccleſiaſt. Tom. I. parte* 1. *tit.* 14. *cap.* 2.

Cur ſtudium Scripturarum ita neceſſarium judicet Synodus, rationem ſubjicit; *noſtræ enim Hierarchiæ* (A. *ſum-*

(a) *Seleuma* vel *Celeuſma* a verbo Græco Κέλευσμα ſignificat clamorem aut cantum plurium perſonarum. Vulgo dicitur de clamore Nautarum, improprie vero aliorum hominum; cum uno aliquid jubente, omnes uniformiter reſpondent, quaſi ſibi invicem jubentes; vel ſe invicem hortantes. Unde *Celeuſtes* dicitur, qui remiges hortatur, vel eis imperat.

(b) Brutiorum Regio, nunc Calabria dicitur, Regni Neapolitani Provincia.

(A. *summi Sacerdotii nostri*) *substantia sunt eloquia divinitus tradita, divinarum scilicet Scripturarum vera scientia* (A. *disciplina*) *sicut magnus ait Dionysius*.

Dicunt Patres *Hierarchiæ* seu *summi Sacerdotii nostri*, hoc est, Episcopatus, *substantiam esse eloquia divinitus tradita*, seu *Scripturarum veram scientiam* & disciplinam, eo quod Episcopi sit, præcepta in iis tradita, verbo & exemplo gregi sibi commisso continuo prædicare & inculcare.

Dionysius, qui hic cum laude citatur, indubie intelligitur Dionysius, qui vulgo sed falso Areopagita dicitur, sub cujus nomine extant plures libri, atque inter alios de divinis nominibus.

Cum tempore hujus Synodi nullum præsertim apud Græcos dubitaret, quin Dionysius hic esse verus horum librorum auctor; dubitavit Synodus receptæ tunc opinioni adhærens, hanc sententiam per se verissimam, sub ejus nomine proferre, nullatenus inquirens, num libri hi revera huic Dionysio adscribi deberent. Unde hæc Synodalis enuntiatio nullatenus præjudicat eruditorum virorum etiam Catholicorum opinioni, qui multis iisque admodum plausibilibus argumentis sustinent, hos libros non posse adscribi Dionysio *Areopagitæ*, cujus meminit Scriptura sacra.

Tandem concludit Canon: *Si autem dubius animi fuerit & non lubenter hoc facere & docere voluerit*. (A. *quod si disceptaverit*) *nullatenus ordinetur*: notat autem Labbæus ad marginem *tomo 7. Concil. col.* 597. in Codice quodam legi: *& ita libenter facere & docere minime spoponderit*.

Quidquid sit de hac varietate lectionis, scopus Synodi apparet, ut, si diligenti examine præmisso, Metropolitano videatur, ordinandum non esse *prompto paratoque animo, sacros Canones, omnemque divinam Scripturam diligenter & cum perscrutatione*, & non perfunctorie legere, nullatenus ordinetur: eo quod sat appareat illum nolle Canonum & Scripturarum scientia se instruere; ac proinde in ipsum congruere hanc divinam sententiam Prophetice ab Osee IV. scriptam: *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*.

Extat hic Canon apud Gratianum *dist.* 33. *Can.* 6. ex versione Anastasii Bibliothecarii.

CANON III.

Omnem electionem, quæ fit a Magistratibus, Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam manere; ex Canone dicente: si quis Episcopus sæcularibus Magistratibus usus, per eos Ecclesiam obtinuerit, deponatur & segregetur, & omnes qui cum eo communicant. Oportet enim eum qui est promovendus ad Episcopatum ab Episcopis eligi, quemadmodum a sanctis Patribus Nicææ decretum est in Canone, qui dicit: Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, constitui: si autem hoc difficile fuerit, vel propter urgentem necessitatem, vel propter viæ longitudinem, tres omnino eodem convenientes, iis quoque qui absunt simul suffragium ferentibus & assentientibus per litteras, tunc facere electionem: eorum autem quæ a se fiunt, confirmationem dari in unaquaque Provincia Metropolitano.

SCHOLION.

Electio Episcoporum penes Episcopos Comprovinciales.

INNOVANTUR præsenti Canone *Canon* 29. vulgo Apostolorum, & *Canon* 4. Nicænus, qui electionem & ordinationem Episcoporum Episcopis Provinciæ committunt, quorum Scholia videri possunt.

Hoc ex verbis hujus Canonis sat perspicuum est, Synodum hoc Canone agere de electione & intrusione, quam Magistratus & Principes sibi arrogabant *Dominationis* titulo: nequaquam vero de electione seu potius nominatione, qua Principes & Reges Catholici passim ubique utuntur; idque cum subjectione ad Judicium Episcoporum Provinciæ, vel Romani Pontificis super dotibus & qualitatibus nominandi, aut nominati: de quo Principum jure, & forma, qua utuntur, egi in *Jure Ecclesiastico Tom. I. parte* 1. *tit.* 13. *cap.* 4.

Quæ electio per laicos hic reprobetur?

Unde & hic monet Balsamon: „ De electionibus, „ quæ a Magistratibus vel Principibus fiunt, non decernit hic Canon: sed de electionibus Episcoporum, „ quæ Principum, aut Magistratuum potestate procedunt, & de electionibus Presbyterorum, vel diaconorum, quæ simili jussu procedunt. Dicit ergo, „ quod etiamsi opinione ac specie ab Antistitibus, „ penes quos est eligendi potestas, fiant, quoniam „ tamen potentia ac vi procedant, infirmari debent „ ac resolvi.

Extat Canon apud Gratianum *dist.* 93. *Can.* 7.

CANON IV.

Præco veritatis Paulus divinus Apostolus quemdam veluti Canonem Ephesiorum Presbyteris imponens, vel universæ potius Sacerdotali multitudini sic libere dixit: argentum, vel aurum, vel vestem nullius concupivi, omnia vobis ostendi, quod oportet sic laborantes infirmos suscipere; dare beatum existimans. *Quocirca ab eo edocti statuimus, ne turpis lucri gratia Episcopo in mentem veniat, quærenti excusationes in peccatis, aurum vel argentum, vel ullam aliam speciem ab iis, qui sibi subjunt Episcopis, vel Clericis, vel Monachis exigere. Dicit enim Apostolus*: injusti regnum Dei non possidebunt: *nec debent liberi parentibus thesaurum parare, sed parentes liberis. Si quis ergo per auri exactionem, vel alicujus alterius speciei, vel propter aliquam propriam affectionem a ministerio arcere inventus fuerit, vel segregare suorum Clericorum aliquem, vel venerandum Templum claudere, ne in eo divina fiant ministeria, ad id quod non est sensu præditum suam infamiam immittens, est revera sine sensu, & talionis erit legi obnoxius, & labor ipsius in caput ejus redibit, ut qui sit mandati Dei & Apostolicarum traditionum transgressor. Præcepit enim & Petrus suprema Apostolorum summitas*: pascite gregem Domini, Episcopatum gerentes, non per vim, sed sponte, ac voluntarie, secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed prompte & alacriter, nec ut dominantes in Clerum obtinentes, sed gregis exemplaria existentes: & cum summus Pastor apparuerit, quæ nec corrumpi, nec marcescere potest, gloriæ coronam referetis.

SCHOLION.

Arguitur avaritia Episcoporum in extorquendis quibusdam juribus a Clericis & Monachis sub variis prætextibus.

AVARITIAM Episcoporum, qui variis artibus; & sub diversis prætextibus a subjectis sibi Clericis & Monachis temporalia lucra extorquebant, redarguit præsens Canon.

Itaque præfationis instar præmittunt verba Pauli Apostoli, ad Presbyteros Ephesiorum, dicta & relata *Act. cap.* 20. *vers* 33. & 35. *argentum, vel aurum, vel vestem nullius concupivi* . . . . *omnia vobis ostendi, quod oportet sic laborantes infirmos suscipere: dare beatum* (A. *beatius*) *existimans* (Gr. *dare beatius quam accipere existimantes*): quæ propius respondent sententiæ, quam tamquam verbum Domini Jesu protulit: *Beatius est magis dare, quam accipere*.

Apud Gratianum *caus.* 16. *quæst.* 1. *Can.* 64. post verbum *concupivi* ante Romanam Correctionem hæc addebantur. *Ipsi scitis, quoniam ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministravit manus ista*: quæ & a Paulo verbis relatis adjuncta fuere *vers.* 34. attamen a Correctoribus Romanis sublata sunt.

Hoc igitur Apostoli dicto, & exemplo edocti Patres statuunt, *ne turpis lucri gratia Episcopo in mentem veniat, quærenti excusationes in peccatis* (G. *Episcopus excusationes in peccatis excogitans*). (A. *Nullatenus turpis lucri gratia excogitare ad excusandas excusationes in peccatis*).

Quidquid sit de hac varietate lectionis, hoc unum intendit Synodus, ne Episcopus lucri gratia pallia suæ avaritiæ, sive accusationes in peccatis quærat, atque ei ita in mentem veniat, *aurum, vel argentum, vel ullam aliam speciem ab iis, qui sibi subsunt, Episcopis, vel Clericis, vel Monachis exigere*.

Contra has Episcoporum injustas extorsiones urgent Patres sententiam Pauli: *injusti regnum Dei non possidebunt*. Idem & hanc: *non debent liberi parentibus thesaurum parare* (A. *thesaurizare*) *sed parentes liberis*.

Hinc itaque concludentes, statuunt: *Si quis per auri exactionem, vel alicujus alterius speciei, vel propter aliquam propriam affectionem* (A. *proprium vitium a Ministerio arcere inventus fuerit, vel segregare* (A. *sequestrans*) *suorum Clericorum aliquem* (A. qui sub se degunt) *vel venerandum Templum claudere, ne in eo divina fiant* (A. *celebrentur*) *Ministeria ad id quod non est sensu præditum* (A. *ad insensata*) *suam infamiam immittens, est revera sine sensu, & talionis erit legi subjectus* (A. *ac per hoc, simili pœnæ eo subjecto*) *& labor ipsius in caput ejus redibit* (A. *convertatur dolor ejus in caput ejus*) *ut qui sit mandati Dei & Apostolicarum traditionum* (G. *Constitutionum*) (A. *mandatorum Apostolorum* (*transgressor*.

Conclusio hujus Canonis omissa a Gratiano, merito tamen legenda, & attendenda.

Hæc conclusio Synodi apud Gratianum tota omittitur, neque eam suppleverunt Correctores Romani, sed per particulas *& infra* simpliciter insinuarunt aliqua deesse: cum tamen hinc habeatur, quibus prætextibus res temporales a Clericis extorquerent Episcopi.

Intelligimus enim nonnullos fuisse Episcopos; qui Clericos aut Monachos sibi subjectos ex cupiditate auri alteriusve rei temporalis, aut vitiosa aliqua affectione sive passione excommunicarent, aut a divinis ministeriis, sive functionibus Ecclesiasticis suspenderent; potestate sua & auctoritate divinitus sibi data abutentes, & in pallium suæ avaritiæ, aut inordinatæ passionis eam assumentes contra monitum Apostoli Petri, cujus monitu Patres Canonem ita concludunt: *Pascite* (A. *qui in ve-*

in vobis eſt) gregem Domini , Epiſcopatum gerentes , non per vim (*A. coacte* ; id eſt preſſi rerum temporalium , aut vitioſæ paſſionis cupiditate , *ſed ſponte* (*A. ſpontanee*) *ac voluntarie ſecundum Deum* , hoc eſt ex dilectione & amore Dei , quæ libere & volutarie agere facit, uti explicat verbis ſequentibus , *neque turpis lucri gratia , ſed prompte & alacriter , nec ut dominatum in Clerum obtinentes* (*A. dominantes in Clero*) *ſed gregis exemplaria* (*A. forma*) *exiſtentes , & cum ſummus Paſtor* (*A. Princeps Paſtorum*) *apparuerit , quæ nec corrumpi nec marceſcere* (*A. immarceſcibilem*) *gloriæ coronam referetis* .

Abuſus pretio redimendi interdicta, aliaſque pœnas Eccleſiaſticas.

Abuſus & extorſiones hic reprobatas in Eccleſia Latina aliquando viguiſſe conſtat . Etiam ſæculo XI. de his ſcribit B. Petrus Damiani ad Albertum Epiſcopum *lib. 4. epiſt.* 1. „ Cave ne more quorumdam non dicam „ Paſtorum , ſed Fabrorum , cuiquam Sacerdotum ſub „ pecuniæ *ſpe* (*a*) titulum cujuslibet reatus opponas: „ cumque ab adminiſtratione ſuſpendens , poſtmodum „ per terreni lucri commodum in ſui gradus jura re„ ſtituas. Giezi nempe meretur lepram , qui ſuam mu„ tat pro pecuniæ cupiditate ſententiam . Qui com„ modum tollit , & miniſterium reddit , ex ore vibra„ tum in Simonem ſpiculum non evadit.

In Synodo Romana V. Decreto 9. ſub Gregorio VII. legimus : „ Nullus Epiſcopus . . . interdictum Sacer„ dotale officium pretio interveniente reſtituat . Quod „ ſi fecerit, officii ſui periculum ſubeat ": apud Labbæum *tom.* 10. *Concil. col.* 373.

Similem abuſum reconciliandi notorios ac magnos peccatores , aut eos ob ſcelera excommunicatos ad ſepulturam ſacram admittendi ſpe lucri , graviſſime in Archidiaconis Leodienſibus reprehendit Gerardus Epiſcopus Cameracenſis apud Baldericum in Chronico *lib.* 3. *c.* 28. prævenitque prætextum , quo nonnemo hunc abuſum palliabat : nimirum *abſolutionis mercedem , & ſepulturæ quærendam arbitratur , aſſerens ex hujuſmodi rebus Palatia ſtare , Eccleſias inſtaurari* . Hanc ſententiam refellit Gerardus verbis Ambroſii Autberti (ſive Ausberti , qui floruiſſe ſcribitur anno 89). uti hæc latius videri poſſunt in prædicto Chronico Balderici .

Pœna Talionis hoc Canone decreta.

Epiſcopum , qui ſpe lucri , aliave vitioſa paſſione contra ſibi ſubditos proceſſiſſe convincitur , *pœna Talionis* punit præſens Canon , ſive *ſimili pœna* , quam ipſe aliis injuſte inflixit : „ hoc eſt (ait Zonaras) ſe„ gregatione damnabitur , quodque ipſe fecit , Epiſco„ pus quidem a ſuo Metropolitano , Metropolitanus „ autem a Patriarcha , quibus ſubjiciuntur , patietur , „ *& revertetur labor ipſius in caput ejus* .

Qui ſimili affectu ſive paſſione , *venerandum Templum* clauſerit , ne in eo divina myſteria fiant , *eſſe ſine ſenſu* , ſive *inſenſatus* judicatur : creditque Balſamon „ quod Epiſcopus , qui ex quacumque ſive *juſta* ſive *injuſta* cauſa Templum clauſerit, punietur.

Ratio apparet in Canone expreſſa , quia *ad id quod non eſt ſenſu præditum , ſuam inſaniam immiſerit* : quod facere hominis *inſani* & *paſſione excæcati* credit Synodus .

Interdictum locale apud Græcos multis ſæculis ignotum fuiſſe apparet.

Hinc colligi videtur , eo tempore apud Græcos notum haud fuiſſe uſum interdicti *localis* (*b*) : quo Eccleſia in punitionem hominum interdicto ſubjicitur : cujus uſum ſerius , & in *Jure Eccleſ. Tom. IV. part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 10. Salias *cap.* 9.

CANON V.

Eſt peccatum ad mortem , quando peccantes aliqui manent incorrigibiles . Hoc autem eſt deterius , quando & erecta cervice adverſus pietatem & veritatem inſurgunt , mammona Dei obedientiæ præferentes , & ejus Canonicas conſtitutiones non ferentes . In iis ergo non eſt Dominus Deus , niſi forte humiliati a ſuo delicto reſipuerint . Oportet enim eos magis Deo ſupplicare , & cum corde contrito hujus peccati remiſſionem & condonationem petere , & non de illicita donatione ſe jactare : Deus enim prope eſt iis, qui ſunt contrito corde . *Eos ergo , qui per auri donationem , ſe fuiſſe in Eccleſia conſtitutos gloriantur , & in ea improba conſuetudine ſpem habent , quæ a Deo , & ab omni Sacerdotio alienat , & ideo impudente vultu & ore aperto , probroſis & contumelioſis verbis eos , qui propter actam ex virtute vitam a ſancto Spiritu ſelecti ordinatique ſunt præter auri dationem , vilipendunt & negligunt , primum quidem eos , qui hoc faciunt ultimum proprii ordinis gradum ſumere : ſin autem perſeveraverint , inflicta quoque pœna corrigi decernimus . Si quis autem in ordinatione hoc quandoque feciſſe viſus fuerit , fiat ut vult Canon Apoſtolicus , qui dicit , ſi quis Epiſcopus per pecunias hanc ſi dignitatem aſſecutus , vel Presbyter , vel Diaconus , deponatur & ipſe , & qui ordinavit , & exſcindatur omnino a communione , ut Simon Magus a Petro . Et ſecundus Canon ſanctorum Patrum , qui Chalcedone convenerunt , qui dicit : ſi quis Epiſcopus pecuniis ordinationem fecerit , & non venalem gratiam in emptionem deduxerit , & pecuniis ordinaverit Epiſcopum , vel Chorepiſcopum , vel Presbyterum , vel Diaconum , vel aliquem eorum , qui Clero enumerantur , vel pecuniis promoverit œconomum , vel defenſorem , vel Paramonarium , vel omnino aliquem ex Canone , turpis lucri gratia , qui hoc aggreſſus eſſe convictus fuerit , proprii gradus id faciat periculo , & qui ordinatur ex ea ordinatione vel promotione , quæ pretio dato inſtar mercaturæ facta eſt , nihil juvetur , ſed ſit alienus a dignitate vel munere , ſeu curatione , quam pecuniis aſſecutus eſt . Si quis autem rebus adeo turpibus & lucris illicitis interceſſor ſeu ſequeſter apparuerit , hic quoque ſi ſit quidem Clericus , a proprio gradu excidat : ſin autem Laicus , vel Monachus , ſegregetur .*

SCHOLION.

Quid peccatum ad mortem ?

PRIMO docent Patres hoc Canone , *peccatum ad mortem* (de quo Joannes Apoſtolus in prima ſua Epiſtola) eſſe : *quando peccantes aliqui manent incorrigibiles* (ſive *A. incorrepti*) (*Gr. incorrigendi*) *perſiſtunt* .

Hujus peccati rei a[...] guuntur, q[...] erecta fro[...] te contra [...] veritatem [...] ſe erigun[...]

Secundo docent *deterius eſſe , quando & erecta cervice* (*A. arroganter elati*) *adverſus pietatem & veritatem* (*Gr. Religionem*) *inſurgunt , & mamona Dei obedientiæ præferentes , & ejus Canonicas conſtitutiones non ferentes* .

Tertio exponunt Patres , illos cenſendos eſſe mammonam Dei obedientiæ præferre , & *erecta cervice* , *ſeu arroganter elatos adverſus pietatem & veritatem vel Religionem inſurgere , qui per auri dationem ſe fuiſſe in Eccleſia conſtitutos* (*A. ordinatos*) *gloriantur , & in ea improba conſuetudine ſpem habent , quæ a Deo omni Sacerdotio , & ideo impudenti vultu , & ore aperto , probroſis & contumelioſis verbis eos , qui propter actam ex virtute vitam a ſancto Spiritu ſelecti ordinatique ſunt præter auri dationem* (*A. ſine datione auri*) *vilipendunt ac negligunt* .

Aliqui ex[...] ſtimant hoc Can[...] ne agi co[...] tra eos o[...] dinatos q[...] quod dota[...] ſent Eccl[...] ſiam aliis ſe præfer[...] bant.

Si tenor horum verborum tantum attendantur , apparet hac Canonis parte agi adverſus illos , qui per auri dationem in Eccleſia fuerunt conſtituti ſive ordinati , hoc eſt mediante illa donatione ordinari meruerunt .

Verum altera Canonis pars nonnullis Canonum commentatoribus perſuaſit , hic ſermonem non eſſe de his , qui *per auri dationem* locum in Eccleſia obtinuerunt , ſed de his „ qui primum quidem *ſponte & pia mente* „ pecunias , vel aliqua alia in Eccleſias afferunt , po„ ſtea autem propter donationem ſe jactant , & pri„ mas Sedes ; prioreſque honores quærunt , in eos pro„ bra ingerentes , qui propter virtutem vel actionem „ in Clerum divinitus recepti ſunt " : uti hic notat „ Balſamon .

Idem monet Zonaras , qui & una cum Balſamone notat : „ non quod ſeipſa ſit talis , idcirco hæc iniqua „ dicta donatio eſt ; ſed quod ejus vitio , qui ſe ob il„ lam jactat , & æqualibus anteponat , ut proinde non „ illum demereri numen , ſed auram inanem , popula„ reſque ramuſculos captare ea donatione voluiſſe ſu„ ſpicari liceat , ſpeciem hominum exiſtimatione induit „ pravitatis .

His Græcis commentatoribus aſſentit hac in parte Chriſtianus Lupus in Scholio ad præſentem Canonem monens : „ Canonem nequaquam de *ſimoniacis* ſacro„ rum Ordinum emptoribus agere , ſed de illis , qui „ optima ſua patrimonia titulari ſuæ Eccleſiæ dabant, „ eoque fuco *pauperibus* ob virtutum merita ad eum„ dem gradum promotis inſultabant , ac priorem lo„ cum impudenter prætendebant .

Adverſus ſimiles glorioſos Religioſos in Regula ſua ita loquitur S. Auguſtinus : „ Qui aliquid videbantur „ eſſe in ſæculo , non habeant faſtidio fratres ſuos , „ qui ad illam ſanctam ſocietatem ex paupertate ve„ nerant . Magis autem ſtudeant , non de parentum „ divitum dignitate , ſed de pauperum fratrum ſocieta„ te gloriari . Nec extollantur , ſi communi vitæ ali„ quid de ſuis facultatibus contulerunt , nec de ſuis „ divitiis magis ſuperbiant , quia eas Monaſterio par„ tiuntur , quam ſi eis in ſæculo fruerentur iniquitas „ in malis operibus exercetur , ut fiant : ſuperbia vero „ etiam operibus inſidiatur , ut pereant . Et quid prod„ eſt diſpergere dando pauperibus , & pauperem fieri , „ cum anima miſera ſuperbior efficitur divitias contemnendo , quam fuerat poſſidendo .

Vult autem Canon , ut ſimiles contra pauperes ſe extollentes ultimum proprii Ordinis gradum ſumere , id eſt , ad ultimum ſui gradus locum dimitti , ut humilientur , ait Balſamon .

Clerici[...] Epiſco[...] lucem [...] præeni[...] ſentiaa[...]

Pro quo notandum , Clericis , quomodo & Epiſcopis , juxta ordinationis ſuæ tempus deſignari locum , eſſe morem perpetuum omnium Eccleſiarum , uti monet hic Lupus .

Unde

(a) Deeſt vocula ſpe, ſed ſupplendam exigit contextus.

(b) Volunt tamen complures Theologi veſtigium interdicti localis apud Græcos deprehendi 4. ſæculo in Epiſtola 270. alias 244. S. Baſilii , ubi decernit ſanctus Doctor Virginis Raptorem , & ſceleris conſcios excommunicatione eſſe percutiendos , pagum vero ſeu ejus incolas , in quem Raptor confugerit & tutus ſervatur, a precibus eſſe arcendos.

figrari secundum tempus ordinationis antiqui moris est,

Unde in Litteris ad Lucaniæ Episcopos vetat Gelasius I. *epist.* 9. „ cujuslibet utilitatis causa seu Presbyterum seu Diaconum his præferri, qui ante ipsos „ fuerint ordinati.

Et de S. Gregorio scribit Joannes Diaconus : antiquissimum Ecclesiasticæ consuetudinis ordinem, ab Apostolis traditum, & ad sua usque tempora solemniter consecratum, Gregorius adeo studiosissime retinebat, ut nullum, quantalibet sanctitate, sapientia, nobilitateve polleret, anterioribus Clericis in conventu, consessu, statione, sive subscriptione præponeret.

His relatis reflectit Lupus : „ In Decreto Gelasiano „ vox *utilitatis*, & apud Joannem Diaconum vox *nobilitatis*, palam demonstrat ambitum a nostra Synodo damnatum istis quoque temporibus non defuisse. „ Vox *sapientiæ* ostendit, Fratrum in sacra Theologia „ præcedentiam, in quibusdam mendicantium Ordini„ bus usitatam, adversari antiquæ disciplinæ.

Si autem hæc *ad ultimum ordinis gradum dimissio*, hos gloriosos divites non humiliet, sed in sua arrogantia *perseveraverint, inflicta quoque pœna corrigi decernit* (A. *per epitimum corrigantur*) id est, ut Episcopo omnino visum fuerit, ait Balsamon.

Pœna depositionis contra Simoniace ordinatos & ordinatores

Post hæc pergit Canon, & decernit : *Si quis autem in ordinatione hoc quandoque fecisse visus fuerit* (A. *si vero claruerit super consecratione hoc aliquando faciens*) *fiat, ut vult Canon Apostolorum*, scilicet 30. & Chalcedonensis *Canon* 2. qui uterque hic innovatur.

Hac parte indubitanter agitur de eo, qui non liberaliter & voluntarie aliquid obtulit Ecclesiæ, sed qui ut ordinaretur, pecuniam dedit, in quem uti & in ejus ordinatorem, tamquam sacrarum Ordinationum nundinatores jubet servari Canonem Apostolorum, & Chalcedonensem, qui & taliter ordinatum & ordinatorem, a communione excidi volunt, uti in Scholiis notavi.

Cum autem hæc pœna non decernatur in eos, de quibus in priore Canonis parte, concludunt prædicti Canonum interpretes in priore Canonis parte non agi de iniqua hac donatione vel oblatione munerum, quæ fit pro ordinatione impetranda.

Etiam in priori parte Canonis de Simoniaca datione agi verisimilius est.

Verum fatendum est, dictam Græcorum expositionem prioris partis Canonis, ægre cum ipso textu consistere. Quandoquidem in ea parte agatur, *de his, qui de illicita donatione gloriantur; immo qui per auri dationem se fuisse in Ecclesia constitutos gloriantur, & in ea improba consuetudine spem habent.*

Accedit, quod hi dicantur vilipendere ac negligere eos, *qui propter actam ex virtute vitam a Spiritu sancto selecti ordinatique sunt præter auri dationem* (Gr. *sine auri largitione*): quod haud obscure probat, hos sine auri datione in Ecclesia constitutos irrideri & vilipendi per eos, qui *mediante* auri largitione in Ecclesia constituti sunt.

Deinde si sine vitiosa donatione in Ecclesia fuerint constituti, omnisque criminis expers fuerit donatio, non facile ostenditur, in quo consistat *peccatum ad mortem*, hoc est, quomodo hi, de quibus agit Canon, sint in suo peccato pertinaces, & *gloriantes*.

Denique Synodus in secunda parte de ejusdem generis donatione auri agit, quam in priore descripserat; simpliciter decernens, *si quis in ordinatione hoc* (scilicet de quo jam actum erat) *quandoque fecisse, visus fuerit, fiat*, &c.

Quare non omnino absona apparet Aristeni reflexio interpretantis priorem Canonis partem de his, qui per quamcumque largitionem in Ecclesia constituuntur citra sacram Ordinationem : posteriorem vero de his, qui per pecuniam *Ordinationem* aliquam consequuntur, & de eo gloriantur. Hi tamquam enormius, quam priores peccantes; etiam graviore pœna depositionis puniuntur.

Hoc equidem negare nolim, eos merito redargui, qui ob suas ad Ecclesias aut Monasteria allata temporalia supra pauperes sæculi, qui nihil præter vitæ meritum attulerunt, se extollunt, eosque vilipendunt & negligunt.

Notandum, Canonem Apostolorum hic citari cum particula *a me*, quam manu recentiore alicujus Græci, hos Canones Apostolis adscribere volentis Canoni insertam fuisse notavimus in Scholio ad hunc Apostolorum Canonem 30.

CANON VI.

Quoniam Canon est, qui dicit bis in anno in unaquaque Provincia per congregationes Episcoporum fieri oportere quæstiones Canonicas; propter vexationem, & quod itineri perficiendo minus sufficerent, qui cogebantur, statuerunt sancti sextæ Synodi Patres, ea omnino & quacumque postposita causa semel in anno fieri & delicta corrigi. Hunc ergo Canonem nos quoque renovamus, & si quis Magistratus hoc prohibere inventus fuerit, segregetur. Si quis autem Metropolitanus hoc fieri non curaverit, præterquam vi vel necessitate, & justa aliqua de causa, Canonicis pœnis subjiciatur. Cum autem de Canonicis & Evangelicis rebus fiat Synodus, opus est, ut congregati Episcopi magnam curam & diligentiam gerant, ut divina & vivifica mandata serventur. In iis enim servandis est retributio multa : *quoniam lucerna est mandatum, lex vero lux, & via vitæ probatio & disciplina, &* præceptum Domini lucidum illuminans oculos; *ne liceat autem Metropolitano ex iis, quæ secum affert Episcopus, vel jumentum, vel aliquam rem aliam petere; si enim hoc fecisse deprehensus fuerit, reddet quadruplum.*

SCHOLION.

Synodi Provinciales saltem semel in anno convocandæ.

AGITUR hoc Canone de Synodis Provincialibus per Metropolitanos cum suis respective Episcopis Suffraganeis celebrandis.

Canone quinto Nicæni Concilii decretum fuerat, bis in anno has Synodos habendas, at ob itineris molestias, & ne Episcopi sæpius in Ecclesiarum suarum regimine vexarentur, & absentes esse deberent, *Canone VIII.* Trullano cautum fuit, ut *saltem semel* per annum hæ Synodi habeantur : quem Canonem tamquam *sextæ Synodi* renovat præsens Canon.

Itaque volunt hujus Synodi Patres semel ut minus in anno Synodum Provincialem haberi; additque : *& si quis Magistratus* (A. *Princeps*) *hoc prohiberi inventus fuerit, segregetur* (A. *communione privetur*).

Magistratus civiles Episcopos in celebrandis hisce Conciliis impedire vetantur; his intendere non prohibentur.

Noluit Synodus, ut Magistratus civiles prohiberent, aut impedimento essent Episcopis, ne pro bono & necessitate suarum Ecclesiarum in unum consiliorum & rerum majoris momenti tractandarum causa convenirent, nequaquam tamen adimere voluit Magistratibus civilibus auctoritatem intendendi & prospiciendi, ut omnia recto ordine, & sine Reipublicæ turbatione in publicis hisce conventibus agantur : immo ut nonnunquam eorum celebratio differatur, si status Regni aut Reipublicæ eos haberi non patiatur. Hinc & videmus jampridem Episcopos in majoribus Synodis vix convenisse, nisi annuente Principe : neque in hisce vicinisque Europæ regnis Episcopi in Synodos Provinciales coire absque prævio Principis assensu consueverunt (a).

De quibus in his Synodis præcipue tractandum?

Deinde additur in Canone, Synodos has Provinciales *fieri de Canonicis & Evangelicis rebus* (A. *negotiis*). Per *Canonica negotia* intelliguntur, quæ disciplinam & judicia spectant; puta administratio rerum Ecclesiæ, excommunicatio & segregatio fidelium a communione, aliaque similia, utpote quæ Canonibus præcipue reguntur. *Evangelica* autem *negotia* sunt *fidei* dogmata ac religionis mysteria, quæ ex Evangelio præcipue petenda sunt.

Cum autem de Canonicis & Evangelicis rebus fiat Synodus, *opus est* (pergit præsens Canon) *ut congregati Episcopi magnam curam & diligentiam gerant, ut divina & vivifica mandata serventur.*

Hic exprimitur præcipuus harum Synodorum Episcopus, nimirum ut curent Episcopi, *ut divina & vivifica mandata serventur.*

Unde notat Zonaras, quod jampridem „ hæc omnia „ an in subjectis cuique regionibus ita fierent, Episco„ pi convenientes inquirebant, & an juxta divina „ mandata homines vitam instituerent.

Attamen lectio Anastasii Bibliothecarii videtur, hæc verba ad Episcopos referre, atque significare, ipsos Episcopos congregatos debere esse sollicitos servare Dei mandata.

Episcopi in Synodis congregati qualiter conversari debeant.

Ita enim legit : *Dum autem Synodus agitur super Canonicis & Evangelicis negotiis, oportet congregatos Episcopos in meditatione & sollicitudine fieri custodiendorum divinorum & vivificorum Domini mandatorum.*

Et hic sensus apparet naturalior; & contextu congruentior, rationique subjectæ conformior. Dicit enim vel ideo custodienda mandata, quod *lex sit lux, lucerna sit mandatum; lex vero & mandatum Domini lucidum, illuminans oculos.* Quibus indicare voluere Patres, Episcopos, quid in Synodis de *Canonicis & Evangelicis rebus* judicare tenentur, etiam sollitos esse debere, Dei mandata meditari, & opere complere, ut ita, quæ agenda sunt, videant.

Contra extorsiones Metropolitanorum ab Episcopis Comprovincialibus

Metropolitani, qui his Synodis intendebant, & Episcopis suarum respective Provinciarum præsidebant, variis prætextibus temporalia ab Episcopis ad Synodum convenientibus extorquebant; atque propterea vetatur hoc Canone, *ne liceat Metropolitano, ex iis, quæ secum affert Episcopus, vel jumentum, vel aliquam rem aliam petere.* Ut autem ostendatur, has extorsiones esse speciem furti, addit, quod qui *hoc fecisse convictus fuerit*, reddet *quadruplum*; qua pœna & fur *manifestus* ex juris civilis dispositione ponitur.

Subsidium Synodicum.

Nequaquam igitur hoc Canone damnatur *Synodicum*, seu subsidium moderatum, quod jampridem Metropoli-

tæ

(a) Id enim a Gallis diligenter observatur. In Arresto Consilii 10. Novembris 1640. hoc statutum legitur. *Fait Sa Majesté deffenses très expresses . . . . de faire aucune Assemblée generale ou particuliere du Clergé, sans permission expresse de Sa Majesté, conformément à ses Ordonances.*

tæ ab Episcopis; & Episcopi a subjectis sibi Presbyteris ad Synodorum expensas sublevandas, solvi consuevit. De quo in *cap. 16. titul. de offic. Ordinarii*, & *cap. 20. titul. de censibus*.

CANON VII.

Ait Paulus divinus Apostolus: quorumdam hominum peccata sunt manifesta, nonnullos autem consequentur (*a*). *Præcedentibus autem peccatis, alia quoque ea sequuntur. Impiam ergo hæresim eorum, qui Christianos accusant, alia quoque impia consecuta sunt. Quemadmodum enim venerabilium imaginum aspectum ex Ecclesia sustulerunt, alios quoque mores reliquerunt, quos quidem oportet renovari, & tam ex jure scripto quam non scripto sic observari. Quocumque ergo Templa consecrata sunt absque sacris reliquiis martyrum, in iis fieri statuimus reliquiarum depositionem cum consuetis precibus. Episcopus autem posthac Templum consecrans sine sanctis reliquiis, deponatur, ut qui Ecclesiasticas traditiones transgressus sit.*

SCHOLION.

Crimina semel commissa ad alia subsequentia facile inducunt.

PRIMIS hujus Canonis verbis id duntaxat significare voluere Patres, quod ex quibusdam peccatis, sive facinoribus alia subsequantur. *Præcedentibus autem peccatis* (ait Canon) *alia quoque ea sequuntur* (A. *peccatis ergo prævenientibus & alia peccata his accedunt*).

„ Hi ergo Patres (ait Zonaras) verbum istud *consequuntur* paulo simplicius accipere, ut ad priora scilicet facinora alia quoque solere sequi intelligendum sit.

Id in Iconoclastis contigisse supponit Synodus.

Id autem in Iconoclastis, sive fractoribus & eversoribus imaginum contigisse dicit Synodus: *Impiam ergo hæresim* (A. *sectam*) *eorum, qui Christianos accusant, alia quoque impia consecuta sunt.*

Hic significari hæresim *Iconoclastarum* ex contextu Canonis evidens est. Hi enim accusabant Catholicos *idololatriæ* ob cultum imaginum, uti latius in dissertatione dictum fuit.

Itaque Iconoclastæ sive eversores imaginum, *quemadmodum venerabilium imaginum aspectum ex Ecclesia sustulerunt, alios quoque mores reliquerunt*, sic uni peccato alia accumulantes.

Hoc autem mores renovandos decernit Synodus, *& tam ex jure scripto, quam non scripto* (A. *secundum scriptam & non scriptam legislationem*) *sic observari*.

Usus reliquiarum in consecratione Ecclesiarum ab Iconoclasti sublatus hic restituitur.

Inter alia ab Iconoclastis rejecta, erat usus reliquiarum in consecratione Templorum. Unde decernunt Patres, *ut quacumque Templa consecrata sunt absque sacris reliquiis martyrum, in iis fieri statuit reliquiarum depositionem cum consuetis precibus.*

Interdicitur dein Episcopo sub pœna depositionis posthac Templa consecrare *sine sanctis reliquiis* (A. *Lypsanis*); *ut qui sic consecrando, Ecclesiasticas traditiones transgressus sit.*

Hic ritus jampridem in Ecclesia usitatus.

De hoc ritu, ejusque origine late agit Cardinalis Bona *lib. 1. rerum Liturgic. cap. 19.* variis Patrum testimoniis in eam rem citatis.

CANON VIII.

Quoniam Hebræorum religionis quidam errantes Christum Deum nostrum subsannare visi sunt, se se Christianos esse fingentes, ipsum autem clanculum & occulte negant, Sabbata observantes, & alia Judaica facientes, statuimus, ut neque ad communionem, neque ad orationem, neque ad Ecclesiam admittuntur, sed aperte sint secundum suam religionem Hebræi, & neque filios eorum baptizari, neque servum ab iis emi vel possideri. Sin autem ex pura & sincera fide quis eorum agens, conversus, & ex toto corde confessus fuerit, eorum moribus & rebus insultans, veluti triumphum, agens, ut & alii refellantur & corrigantur eum recipi & baptizari & ejus liberos, & cautos reddi, ut se ab Hebræorum studiis & institutis abstineant. Si autem non ita se gerant, eos nullo modo admitti.

Judæi arguuntur Christianismum simulantes.

HOc Canone primum conqueruntur Patres, quod quidam *Hebræorum religionis* (A. *qui ex Hebræorum superstitione consistunt*) *errantes Christum Deum nostrum subsannare visi essent* (A. *existiment*) *se se Christianos esse fingentes* (A. *simulantes Christianizare*) *ipsum autem clanculum & occulte negantes. Sabbata observantes, & alia Judaica* (A. *more Judæorum*) *facientes*.

De his decernit Synodus, ut *neque ad communionem neque ad orationem, neque ad Ecclesiam admittantur, sed manifeste sint secundum suam religionem Hebræi:* hoc est, publice & palam profiteantur religionem, quam in corde tenent, neque simulate ac ficte religionem Christianam profiteantur.

Utrum hoc Canone filium Judæorum filii aut servi baptizari vetentur.

Ulterius decernit Canon, *& neque filius eorum baptizari, neque servum ab eis emi vel possideri* (A. *acquiri*): uti & post Anastasium Bibliothecarium vertit Gentianus Hervetus.

Hæc lectio haud obscure indicat, nec filios eorum, qui a Judaica religione *sincere* non sunt conversi, esse baptizandos, nec servum ab eis emendum aut acquirendum.

Quod contrariari videtur sancto Gregorio scribenti ad Cyprianum Rectorem Patrimonii Siciliæ *lib. 4. Epist. 6.* ut colonos Judæos ad Christum converti volentes magnæ consuetæ pensionis pendendæ onere levaret, ut hoc pacto eos ad Christi fidem alliceret. " Nec hoc „ (ait) inutiliter facimus, si pro levandis pensionum „ oneribus, eos ad Christi gratiam perducamus, quia „ etsi ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen, qui de „ ipsis nati fuerint, jam fidelibus baptizantur, aut „ ipsos ergo, aut eorum filios lucramur.

Apud Græcos prædicta Canonis verba ita leguntur. *Et ne filios suos baptizent, neque servum emant vel possideant*; quæ lectio insinuat verba illa ad ipsos Judæos referri, quasi his interdicatur baptizare suos filios, aut servum emere, vel possidere.

Hunc esse Canonis sensum Zonaram credidisse ex ejus ad hunc Canonem commentario liquet. Ait enim: „ ejusmodi igitur homines nec ad communionem reci„ pi . . . . nec liberos suos baptizare, nec ipsis man„ cipium emendi facultatem esse, Synodus jubet.

Cum enim fingerent se duntaxat Christianos, merito Synodus ipsis inhibuit liberos suos baptizare, utpote qui *ficte* ac *simulate* eos ad Baptismum adducere credebant, meritoque metuebatur, ne & ipsi liberi exemplo parentum *simulare* duntaxat Christianam religionem essent professuri, & ficte ad Baptismum accederent; præsertim quia juxta ætatis illius disciplinam præcipue de *adulterum* Baptismo agebatur.

Quod ipsis interdiceretur mancipium seu servum, scilicet *Christianum* (uti notat Balsamon) emere, mirum non est, cum enim essent viri Judæi, & tantum simulati Christiani, merito ob periculum perversionis eis emendi aut possidendi mancipium Christianum facultas adimitur.

Admodum igitur verisimilis est hæc Græcorum lectio, præcavens ne per fictos & larvatos Christianos Baptisma & religio Christiana contaminetur, & Christiana mancipia ad Judaicam perfidiam traducantur.

Occasio, qua plurimi Judæorum simulate ad Baptismum accedebant, & Christianismum exterius profitebantur.

Occasionem ficti hujus ad religionem accessus dedisse videtur Leo Isaurus, de quo Theophanes scribit: Leo Imperator *coegit* Judæos baptizari; " at vero baptiza„ ti contra propositum suum diluerunt Batisma.

Metu igitur adacti, plurimi Baptismum susceperant, & Religionem Christianam exterius professi fuerant. Nec enim terroribus & coactionibus fides infundi, aut corda converti consueverunt.

Judæi ad Baptismum suscipiendum non cogendi.

Hinc ad Virgilium Arelatensem Archiepiscopum scribit S. Gregorius *lib. 1. Epist. 45.* alias 47. " plurimi Judaicæ religionis viri ad nostram perduxere notitiam, „ multos consistentium illis partibus Judæorum vi ma„ gis ad fontem Baptismatis, quam prædicatione per„ ductos ". Lucrandarum animarum zelum laudat quidem sanctus Pontifex, at modum penitus improbat. „ Dum enim quisquam (ait) ad Baptismatis fontem „ non prædicationis suavitate, sed necessitate perve„ nerit, ad pristinam superstitionem remeans; inde de„ terius moritur, unde renatus videbatur. Fraternitas „ ergo vestra (concludit) hujusmodi homines frequen„ ti prædicatione provocet; quatenus mutare veterem „ vitam magis de Doctoris suavitate desiderent: sic „ enim intentio nostra recte perficitur, & conversi „ animus ad priorem denuo vomitum non mutatur.

Et ante Gregorium Magnum eleganter & præclare admodum dixit in hanc rem S. Gregorius Nazianz. *Orat. 8.* " non tamen (ait) conducibilius est, nec tutius, quam „ ut volentes volentibus præsint: quandoquidem ne„ minem vi duci vult Lex nostra coacteque, at spon„ te gubernari; hoc enim modo ne alia quidem Im„ peria contineri & conservari possunt, (quod ita „ natura comparatum sit, ut quidquid vi tenetur ar„ repta occasione statim se in libertatem asserat) ne„ dum nostrum non dicam Imperium, sed Magiste„ rium, quod nulla re æque ac voluntatis libertate „ conservatur.

Hinc illud S. Augustini *lib. 2. contra Epist. Petil. cap. 83. ad fidem nullus est cogendus invitus*, & speciatim de Judæis statuit Clemens III. in *c. 9. ✠ de Judæis*: ut nullus " *invitos* vel *nolentes* Judæos ad Ba„ ptismum venire compellat ": rationem subdens: „ quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad „ Christianorum Baptismum non spontaneus, sed invi„ tus cogitur pervenire.

Veri conversi suscipiendi sunt, & unde hæc conversio cognosci debeat.

Hactenus de Judæis simulate ad ficte duntaxat ad Christianam religionem conversis. Nunc de *vere* ac *sincere* conversis agit, hosque suscipi, eorumque liberos baptizari vult Canon.

„ Ad quod primo requirit, ut vere ac sincere conversus sit: *si ex pura & sincera fide quis conversus* sit.

Ut autem de hac sincera conversione constet, requirit, *ut & ex toto corde confessus sit*: " hoc est ait Zo„ naras)

(a) Textus citatus ex Apostolo legitur 1. ad Tim. *cap. 5. vers. 24.* his verbis: *quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium; quosdam autem & subsequuntur.*

„ naras) nobiſcum in omnibus plane conſentiat “. *Eorum moribus & rebus inſultant*, pergit Canon, (A. *divulgans mores eorum & res*) *ac veluti triumphum agens*. “ Hoc eſt (inquit Zonaras) ſe nihil ſimile „ facturum aperte profiteatur ac ſpondeat “: vel (uti notat Balſamon) “ Judaicis moribus vale dixerit, & „ toto animo triumphum egerit “ tamquam de iis valedictis: *ut* nimirum (ſicuti ſubdit Canon) *& alii refellantur* (A. *arguantur*) *& corrigantur*: id eſt interprete Zonara “ ut ex eo alii quoque errores ſocii re- „ futentur & reſipiſcant.

Hic notari meretur, Patres non ex ſolis verbis converſionem *ſinceram cordis* judicari velle, ſed ex *factis*, atque ex his de converſione ſtatuendum eſſe.

Et jampridem S. Baſilius ad Amphilochium *Can.* 5. ait: “ hæreticos, qui in exceſſu e vita pœnitentiam „ agunt, recipere oportet; recipere autem, non ſine „ judicio, ſed examinantes, an veram pœnitentiam „ oſtendant, & ſi fructus habeant, qui ſalutis ſtudium „ teſtificentur.

Qua cautione *infideles* ad Baptiſmum recipiendi ſint, tractat S. Auguſtinus toto libro *de fide & operibus*, ac notanter *cap.* 6. “ ad percipiendum Baptiſmum (ait) „ non ſic admittendi homines, ut nulla ibi vigilet diligentia: *ne ſanctum canibus detur* “. Tum meminit abſtinentiæ, jejuniorum, exorciſmorum. “ Exorcizan- „ tur, (inquit) ſcrutantur quanta vigilantia conve- „ niant, quo ſtudio ferveant, qua cura pendeant? &c.

His adde locum Tertulliani *lib. de pœnit. cap.* 61. ſcribentis: “ peccator ante veniam deflere ſe debet, „ quia tempus pœnitentiæ idem quod periculi & ti- „ moris: neque ego renuo divinum beneficium, id eſt „ abolitionem delictorum inituris aquam ſalvum eſſe, „ ſed ut eo pervenire contingat, elaborandum eſt &c.

Hæc ut, & alia, quæ protuli in *Jure Eccleſ. Tom. II. parte 2. ſect. 1. tit. 2. cap.* 3. utinam conſulant Presbyteri in abſolutionibus impartiendis nimium faciles!

CANON IX.

Puerilia omnia ludibria, furioſaque ac inſana dicta & ſcripta, quæ adverſus ſanctas imagines edita ſunt, oportet dari Epiſcopo Conſtantinopolitano, ut cum reliquis libris hæreticis reponantur, Si quis autem hæc celare inventus fuerit, ſi ſit quidem Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, deponatur, ſin autem Laicus, vel Monachus, ſegregetur.

SCHOLION.

Scripta adverſus cultum ſacrarum imaginum, cum ſcriptis aliorum hæreticorum recondenda apud Epiſcopum Conſtant.

CUm Iconoclaſtæ, ſive ſacrarum imaginum confractores & hoſtes, multa ſcripta contra Catholicum eorum cultum evulgaſſent, volunt hic Patres, ea omnia *Epiſcopo Conſtantinopolitano dari* (A. *dari oportet in Epiſcopio Conſtantinopoleos*) *ut cum reliquis hæreticis libris reponantur* (A. *recondantur*).

Quod per *Epiſcopium* hic intelligatur?

Quod hic *Epiſcopium* dicitur, Palatium erat Patriarchæ. In hoc autem Palatio erat Archivum, quod *Chartophylacium* dictum fuit, quo Chartæ & jura erant Epiſcopalia recondita.

Deſcribitur dignitas Chartophylacis, & quod ejus erat officium?

Huic erat præfectus magnus Chartophylax, unus ex præcipuis, primæque dignitatis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ officialibus, cujus officium ita deſcribit Codinus. “ Chartophylax tabulas habet chartaceas ad jura „ Eccleſiaſtica pertinentes (hoc eſt litteras, quibus „ privilegia, & alia jura Eccleſiæ continentur) & eſt „ Judex omnium cauſarum Eccleſiaſticarum, & con- „ troverſiis matrimonialibus cognoſcendis ac dirimen- „ dis præſidet, quin & in cæteris Clericorum litibus „ Judex eſt, tamquam dextera Patriarchæ manus.

In hoc ergo *Chartophylacio*, ſeu Archivo, ſub fidelis cuſtodia Chartophylacis, ſcripta Iconoclaſtarum recondi voluere Patres, ne ea eorum lectione ſimpliciores Catholici in errorem inducerentur.

Ex pœna contra occultantes ſimilia ſcripta, inflicta, oſtenditur eo tempore Monachos paſſim Laicos fuiſſe.

Ex pœna, quæ decernitur contra eum, qui ſcripta hæc *celare inventus fuerit*, intelligimus, Monachos tunc temporis Laicos fuiſſe reputatos, nam *ſi Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus ſit, qui ea celaſſe invenitur, deponitur. Si vero Laicus* (ait) *vel Monachus ſegregetur* (A. *anathematizetur*); ita ut Monachus tamquam Laicus pœnæ laicali ſubjiciatur.

CANON X.

Quoniam nonnulli Clerici Canonicam Conſtitutionem circumſcribentes, ſua relicta parœcia, in alias parœcias excurrunt, ut plurimum autem in hanc a Deo cuſtoditam & Imperatoriam urbem, & apud Principes aſſident, & in eorum oratoriis divina miniſteria faciunt: eos ſine proprio Epiſcopo & Conſtantinopolitano non licet in quavis æde, vel Eccleſia recipi, ſi quis autem hoc fecerit, ſi perſeveret, deponatur. Quicumque autem cum prædictorum Sacerdotum conſenſu hoc faciunt, non licet eis curas ſæculares & mundanas ſuſcipere, ut qui ſint a Canonibus prohibiti hoc facere. Si quis autem eorum, qui Majores, id eſt Curatores, appellantur, curationem obtinere deprehenſus fuerit, vel ceſſet, vel deponatur: potius autem offerat ſe docendos filiis & ſervos, legens ei divinas Scripturas: ad hoc enim etiam Sacerdotium ſortitus eſt.

SCHOLION.

Diſcurſiones Clericorum a ſuis propriis Eccleſiis reprobatur.

HOc Canone primum deplorant Patres, *quod nonnulli Clerici Canonicam Conſtitutionem circumſcribentes* (A. *parvipendentes*) *ſua relicta parœcia* (id eſt Diœceſi) *in alias parœcias* (id eſt Diœceſes) *excurrerent*. Notum eſt multis Canonibus jampridem ante hanc Synodum, has Clericorum excurſiones, & tranſmigrationes reprobatas fuiſſe.

Conqueruntur autem Patres, quod ſimiles inquieti & diſcurrentes Clerici excurrant, ut plurimum *in hanc a Deo cuſtoditam & Imperatoriam urbem* (Conſtantinopolitanam) *& apud Principes aſſideant* (A. *ſe ſe locent*) *& in eorum Oratoriis divina miniſteria* (G. *ſacra*) (A. *miſſas*) *faciant*.

Clerici ſine licentia Epiſcopi, ad cujus Diœceſim tranſeunt, nullas ibid. functiones exercere poſſunt.

Renovans igitur Synodus priſtinos Canones decernit, eos *ſine proprio Epiſcopo*, a quo diſcedunt, & *Conſtantinopolitano*, ad cujus parochiam ſeu Diœceſim accedunt, non licere *quavis æde, vel Eccleſia recipi*: *ſi quis autem hoc fecerit, ſi perſeveret*, id eſt “ in pro- „ prium Clerum non redierit poſt denuntiationem “ uti notat Balſamon, *deponatur*.

Qui permittuntur ab Epiſcopis in Oratoriis Principum, aut Magiſtratuum ſacra obire, curas ſæculares ſuſcipere vetantur.

Ulterius præcipit Synodus, ut *quicumque* Clerici cum *prædictorum Sacerdotum* ſive Epiſcoporum *conſenſu* hoc faciunt; hoc eſt, in Oratoriis Principum vel Magiſtratuum divina officia peragunt, *non liceat eis curas ſæculares & mundanas* (G. *ad victum pertinentes*) *ſuſcipere, ut qui* (ait Synodus) *ſint a Canonibus prohibiti hoc facere*. Canones hos retuli in *Jure Eccleſ. Tom. I. parte 1. tit. 2. cap.* 6.

Specialiter autem Synodus decernit, *quod ſi quis eorum, qui Majores*, id eſt *Curatores, appellantur, curationem*, (A. *curam*) *obtinere deprehenſus fuerit, vel ceſſet, vel deponatur*.

Qui per Majores intelligantur, & qua pœna puniantur Clerici qui officium illud ſuſcipiunt?

Notandum, tam apud Græcos, quam apud Anaſtaſium Bibliothecarium, deeſſe hæc verba, *id eſt Curatores*, ſed verbum *appellantur*, ſeu *dicuntur*, jungi voci *Majores*, ita ut ſic legatur, *qui dicuntur Majores*; dicebantur autem Majores (ait hic Zonaras) „ quorum munus erat, ut in agris Magiſtratuum cu- „ rationem, quæ dicitur, exercerent “. De hujuſmodi Magiſtratuum curationibus in ſuburbiis conſtitutis agit *Canon XI.* Synodi, quæ vocatur *prima & ſecunda* ſub Photio, apud Beveregium *tom.* 1. *Pandect. Can. pag.* 351. veriſimileque illis curationibus plures ſervos & operarios fuiſſe impenſos, ac deſtinatos, iiſque omnibus Clericos præpoſitos, principales Curatores, & inde *Majores* dictos eſſe. Quare monet hic Balſamon, hunc Canonem eſſe contra Clericos, *qui ſæculares curas ſuſceperunt, contra ac Canonibus continetur, vel Majores facti fuerunt*.

Vult autem Synodus, ut Clericus, qui ejuſmodi *curationem obtinere deprehenſus fuerit, vel ceſſet* (A. *deſinat*) *vel deponatur*.

Quodnam ſit proprium officium horum Clericorum?

Cum enim Clerici in militiam Chriſti ſpecialiter ſint vocati, merito eis curam temporalium, quæ eos a functionibus hujus militiæ avocat, interdicit, conſulitque, *potius offerat ſe* (G. *accedat*) (A. *maneat*) *ad docendos filios* (G. *pueros*) *& ſervos* (A. *ad Magiſterium puerorum & famulorum*) *legens eis divinas Scripturas: ad hoc enim etiam Sacerdotium ſortitus eſt*.

Utinam hoc Synodale decretum expenderent hodierni Principum & Magiſtratuum Cappellani, attenderentque ſe Sacerdotium non eſſe ſortitos, ut temporalibus ſe ſe curis implicent, ſed e contrario, ut his expediti, Dei & Eccleſiæ ſervitio, in his, quæ ad Deum ſunt, pro ſuo quiſque talento ſe impendant.

Attendant quoque, quibus puerorum & domeſticorum inſtructio commiſſa eſt, juxta præſentem Canonem; atque ex eo diſcant, eos in lege Dei ſedulo exercere limpidos fontes divini eloquii eis propinantes, id eſt, *divinas Scripturas ei legentes*.

Adde, quæ de lectione ſacræ Scripturæ omnibus fidelibus indifferentur a SS. Patribus jampridem commendata notavimus ad *Canonem 66. Trullanum*.

CANON XI.

Cum omnes divinos Canones ſervare teneamur, eum quoque, qui jubet œconomos eſſe in ſingulis Eccleſiis, illæſum omnino ſervare debemus. Et ſi quidem unuſque Metropolitanus in ſua Eccleſia œconomum conſtituat, bene habet: ſin minus, Conſtantinopolitano Epiſcopo ſpeciali auctoritate licebit œconomum in ejus Eccleſia præficere. Similiter & Metropolitanis, ſi, qui eis ſubſunt, Epiſcopi nolint in ſuis Eccleſiis œconomos conſtituere. Hoc ipſum autem ſervari etiam in Monaſteriis oportet.

SCHO-

SCHOLION.

Episcopi conformiter ad Canonem Chalcedonensem in suis respectiveEcclesiis constituere debent œconomum. Etiam Metropolitani, & quis eorum defectum supplere debeat?

EPiscopi in sua ordinatione inter cætera promittunt, se Canones servaturos, ac propterea dicunt hujus Synodi Antistites: *cum omnes Canones servare teneamur* (A. *cum simus debitores omnes sacras regulas custodire*) *eum quoque, qui jubet œconomum esse in singulis Ecclesiis, illæsum omnino servare debemus.*

Canon hic indigitatus, est *Canon* 26. *Chalcedonensis*, in singulis Ecclesiis Episcopalibus *œconomum* de proprio Clero Ecclesiæ constitui volens, cujus Scholion consule.

Hic additur, quod si Metropolitanus in Ecclesia œconomum non constituerit, *Constantinopolitano Episcopo speciali* (A. *propria*) *auctoritate licebit œconomum in ejus Ecclesia constituere.* Metropolitanus autem constituet in Ecclesiis Episcopalibus sibi subditis, *si Episcopi nolint* (A. *non satagerunt*) *in suis Ecclesiis œconomos constituere.*

Idipsum & in Monasteriis hocCanone servari jubetur.

Idem & in Monasteriis servari mandat Synodus. Atque eatenus Canonem Chalcedonensem qui de Ecclesiis *Episcopalibus* loquitur, extendit hæc Synodus.

Vult Synodus Tridentina, ut id fiat per officiales ad nutum amovibiles.

Synodus Tridentina *sess.* 15. *cap. de Regularib.* mandat bona Monasterii gubernari per officiales ad *nutum* Superiorum *amovibiles*. Verum circa Monachos officiales & hoc sollicite curandum, ut eligantur, qui per exercitia Monastica ad eum virtutis & perfectionis gradum pertigerunt, ut merito confidatur, quod interiorum curam per exteriorem rerum temporalium non negligant, neque rebus temporalibus se ita immergant, ut charitatis & fervoris ignem extinguant: quique, ut de fratre suo Gerardo loquitur Bernardus *serm.* 26. *nu.* 6. *in Cantica edit. Paris. an.* 1690. non petulanti aliquo (ut assolet) in eo officii detineantur affectu, sed solo intuitu charitatis, qui quantum in ipsis est, semper obtent quietem, sibi intendere, Deo vacare, nec implicitos tenent nisi timor Dei, voluntas fratrum, & studium obediendi.

Quinam in Officiales sint eligendi?

Nisi enim solitudini, quisque Religionis exercitiis multum delectentur, magnopere sane verendum, ne sensim illis neglectis, rerum temporalium curis ita implicentur, ut gestu rerum spiritualium paulatim extincto, tandem sub veste religiosa cor plane sæculare inveniant, idque vel eo magis in officialibus metuendum quod ipsis, ob varia incurrentia negotia, major esse soleat exercitia Monastica omittendi libertas.

Hinc Canonici Præmonstratenses in Constitutionibus *dist.* 2. *cap.* 16. §. 3. statuerunt, ne juniores temporalibus præficiantur: *quia in ruinam agitur, qui nondum in virtute roboratus suæ libertati committitur.*

OEconomus Ecclesiæ Constantinopolitanæ inter primos Officiales numeratur.

Inter Officiales Ecclesiæ Constantinopolitanæ primum nominat Cordinus magnum OEconomum: "qui (ut ait) sua in potestate omnes Ecclesiæ facultates, omnesque in illis reditus tenet: & tam Patriarchæ, quam Ecclesiæ hac in re dispensator est.

Extat præsens Canon ex versione Anastasii apud Gratianum *causa* 9. *quæst.* 3. *Can.* 3.

CANON XII.

Si quis Episcopus, vel Monasterii Præfectus inventus fuerit ex Episcopatus vel Monasterii agris, in Principis alicujus manus alienare, vel alteri personæ tradere, nullius sit momenti traditio, ut sanctorum Apostolorum vult Canon, qui dicit: Omnium rerum Ecclesiasticarum Episcopus curam gerat, & ea administret tamquam Deo intuente. Ne liceat autem quidquam ex eis sibi vendicare, vel propriis cognatis, quæ Dei sunt, elargiri, Si sint autem pauperes, ut pauperibus suppeditet; sed non eorum prætextu res Ecclesiæ venumdet. Sin autem detrimentum afferre causetur, nec quidquam ex agro emolumenti percipi, ne sic quidem Principibus, qui sunt in eo loco, alienet prædium, sed Clericis, vel Agricolis. Sin autem aliqua improba calliditatem utentur, & ab Agricola vel Clerico agrum Princeps emerit, si quoque nullius sit momenti venditio, & Episcopatui, vel Monasterio restituatur. Porro Episcopus, vel Monasterii Præfectus, qui hoc fecerit, exturbetur, quidem Episcopus ab Episcopatu, Monasterii vero Præfectus a Monasterio; ut qui male dissipent, quæ non congregavere.

SCHOLION.

Indebita bonorum Ecclesiasticorum in Principes vel Magistratus translatio irrita.

AGIT præsens Canon contra Episcopo & Abbates, seu Monasteriorum Præfectos, res suarum Ecclesiarum aut Monasteriorum indebite alienantes, innovato *Canone* 39. (*a*) *Apostolorum*, cujus Scholion consuli poterit.

Hic præcipue agitur contra illos, *qui ex Episcopatus, vel Monasterii agris* (A. *de salariis*) *in Principis alicujus manus alienare, vel alteri personæ tradere inventi sunt*, declaraturque, quod *nullius sit momenti traditio* (A. *irritum sit, quod datum esse constiterit.*)

Cum tempore hujus Synodi Regum ac Principum favore ad dignitates Ecclesiasticas aditus frequenter pateret, Clerici ambitionis æstu incitati facile Principibus aliqua e rebus Ecclesiæ addicebant, si modo ad dignitates eorum intercedente patrocinio pervenirent: huic vero simoniacæ pollicitationi satisfacere cupientes, variis prætextibus res Ecclesiæ in suos Patronos transferre studebant: quibus occurrere per præsens Decretum Synodus voluit.

Occasio harum indebitarum alienationum; & quomodo Clerici eas palliare conarentur?

Sed quia humana ambitio sagax sit, quæratque sollicite modum, quo ad finem suum pertingat, Clerici ambitiosi variis coloribus has rerum in Principes & Magistratus translationes colorare & palliare conabantur, ut nimirum Principum & Magistratuum favore possent pertingere ad id quod ambiunt.

Binos prætextus hic detegit, & reprobat Synodus.

Duos prætextus præsenti Canone detexit, & rejecit Synodus. Primo quidem Episcopus, vel Monasterii Præfectus, Principi aut Magistratui gratificare volens rem Episcopatus, aut Monasterii, *detrimentum afferre* (A. *damnum facere*) *causabatur, nec quidquam ex agro emolumenti percipi.*

Quamvis Synodus non inficietur, agrum, aliamve rem Ecclesiæ *inutilem* merito alienari, ne tamen prætextus palliandæ prohibitæ alienationi subserviat *ne sic* (sive hoc casu) *quidem Principibus, qui sunt in eo loco, alienet* (G. *det*) *prædium* (A. *tribuatur ager vel locus*) *sed Clericis, vel Agricolis*". Clericis quidem (ait Zonaras) quia inferiores sunt, & subjecti sunt; Agricolis vero, utpote qui ruri degentes in humiliore atque subjectiore fortuna versantur.

Hac de causa in Gallia decretum fuit, ut prædia, aliave ad Ecclesias, aut pia loca spectantia, elocentur duntaxat communibus Civibus aut Agricolis (*a*).

Aliud pallium, quo improba hæc rerum alienatio palliabatur, erat, quod *aliqua improba calliditate uteretur, & ab Agricola, vel Clerico Princeps agrum emeret*: hoc est "si versute ac dolose Clerico quidem Agricolæ ager dedatur, sed ab eo postea cuiquam e Magistratu mancipetur": ait Zonaras.

Hoc modo adornata *venditio nullius sit momenti*, ait Canon, *& Episcopatui, aut Monasterio restituatur.*

Pœna in similes bonorum Ecclesiasticorum dissipatores decreta.

Episcopus autem, vel Monasterii Præfectus, qui hoc fecerit, *exturbetur* (A. *abjiciatur*) *ab Episcopatu, vel Monasterio tamquam qui male dissipent, quæ non congregavere*; hoc est, dissipavit ea, quæ ipse suo labore aut industria non congregavit, seu acquisivit, sed a fidelibus Deo in alimoniam Clericorum aut Monachorum, & pauperum oblata & donata sunt, quorum duntaxat fidelis administratio ad Episcopos, & Monasteriorum Præfectos pertinet.

CANON XIII.

Quoniam per eam, qua fuit propter peccata nostra, in Ecclesiis calamitatem sacrosanctæ quædam ædes a quibusdam viris arreptæ sunt, & Episcopatus, & Monasteria, & facta sunt communia diversoria: si qui ea quidem tenent, volunt reddere, ut id pristinum statum restituantur, bene & pulchre habet: sin minus, si sint quidem Sacerdotalis catalogi, eos deponi jubemus. Sin autem Monachi, vel Laici segregari, ut qui sunt condemnati a Patre, & Filio, & Spiritu sancto: & ponantur ubi vermis non moritur; nec ignis extinguitur: *quia voci Domini adversantur, quæ dicit*: ne facite domum Patris mei, domum negotiationis.

SCHOLION.

Qua occasione Monasteria, & ædes Episcopales fuerint in diversoria commutatæ?

NARRAT hic Synodus, quod *per eam, quæ fuit* (A. *facta*) *propter peccata nostra, in Ecclesiis calamitatem, sacrosanctæ quædam ædes a quibusdam viris arreptæ* (A. *subreptæ*) *sunt* (A. *tum videlicet*) *Episcopatus* (A. *Episcopia quam*) *Monasteria, & facta sunt communia diversoria.*

Non dubium per calamitatem hic notatam, indicari calamitatem exortam occasione *Iconoclastarum*, quorum tempore nefaria multa contra orthodoxos perpetrata fuere, acerbissimaque persecutio præsertim in Monachos, ac Sacerdotes a Leone Isauro, ejusque successore & filio Constantino Copronymo Iconoclastarum fautoribus excitata fuit; uti scribit Theophanes, & in Dissertatione notavimus.

Hac

(a) A quibusdam Canonum collectoribus, numeratus 38. Canon.

(a) Observandum enim est, quod in Regno Galliarum prohibitum sit viris nobilibus, & iis, qui judiciario munere funguntur, ne prædia, aliaque bona Ecclesiastica conducant, id enim eis vetitum fuit Edicto Melodunensi an. 1579 art. 31. Huic legi addere solent Jurisconsulti art. 48. Edicti Blesensis, & art. 38. Edicti quod an. 1606. Henricus IV. emisit. En hujus oraculum: *Ajoutant au 48. article de nos Ordonnances de Blo[illegible] vous voulons que les Gentilshommes qui par eux, ou par personnes [illegible] prennent ou font prendre à titre de ferme les revenus des[illegible] Ecclesiastiques soient condamnès en amende pecuniaire a l'arbitrage aux Juges, aplicable moitiè à Nous, & moitiè aux reparations des Benefices, & contraints au payement d'icelle, comme pour nos propres deniers.*

Pœnas graviores viris nobilibus & officiariis, qui decimas, aliaque Ecclesiastica bona ruralia elocant vel per se, vel per alios, imponit ordinatio Blesensis *art.* 48.

Hac igitur persecutione, & nefariis Iconoclastarum vexationibus contigit, ut multi Monachi, & Clerici fugientes Monasteria, & *Episcopia*, sive sacrosanctas ædes deseruerint, factaque sit facultas Monasteria, & Religiosas ædes vacantes occupandi, & in communia diversoria seu habitacula convertendi, accedente præsertim Imperatorum, & Iconoclastarum in Monachos ac Episcopos, & Sacerdotes imaginum cultores odio.

Et de prædicto Costantino Copronymo opportune in hanc rem scribit Theophanes ad annum 767. „ *Monasteria*, quæ in gloriam Dei, & in salvandorum refugium facta sunt, *domos* fore *communes* suis militibus sanciebat, effectis jam illis prætoriis castri.

Has sacras ædes injuste, & sine titulo occupatas & possessas restitui vult Synodus, & pœnas in non restituentes decernit.

Hæc ergo sacra ædificia, a quibusdam sine ullo titulo injuste occupata, & in communia diversoria commutata, restitui volunt Patres hujus Synodi ab occupatoribus, ut in *pristinum statum* (seu A. *secundum antiquitatem*) *restituantur* (A. *instaurentur*).

Si hoc renuant, si sunt quidem *Sacerdotalis catalogi* (A. *de sacrato catalogo*) *eos deponi jubet : sin autem Monachi, vel Laici ; segregari* (A. *excommunicari*). *Ut qui sint condemnati a Patre, & Filio, & Spiritu sancto* (A. *quos constat condemnatos esse a Patre, &c.*) *& ponantur* (A. *deputentur*) *ubi vermis non moritur, nec ignis extinguitur ; quia voci Domini adversantur, quæ dicit : Ne facite domum Patris mei, domum negotiationis.*

Hic videmus excommunicationis sententiam pluribus verbis expositam ad majorem indubie terrorem, ut quantopere homini Christiano timenda sit, persuaderetur.

Hunc in finem, eam cum externis quibusdam cæremoniis ad terrorem hominibus incutiendum compositis, effectumque ejus terribiliore modo exprimendum, proferri cœpisse, notavi in *Jure Eccles. Tom. IV. parte 3. tit.* 11. *cap.* 5. alias *cap.* 8.

Canon hic extat apud Gratianum *caus.* 19. *quæst.* 3. *Can.* 5. ex versione Anastasii, sed omissis prioribus verbis, quæ supplent Correctores Romani.

CANON XIV.

Quod ordo in Sacerdotio versetur, est omnibus manifestum : & Sacerdotii munera exacte servare Deo gratum est. Quoniam ergo videmus nonnullos a pueris Cleri tonsuram accipientes, nondum vero accepta Episcopi manuum impositione, in congregatione in suggestu legentes, & id non Canonice facientes, hoc a præsenti Canone fieri non permittimus : hoc ipsum autem etiam in Monacho servari. Lectoris autem manuum impositionem licet in proprio Monasterio unicuique Monasterii Præfecto facere, si ipsi Præfecto scilicet ab Episcopo manus est imposita ad præfecturam Hegumeni ; dum sit & ipse Presbyter. Similiter & ex antiqua consuetudine Chorepiscopos Episcopi permissu oportet Lectores ordinare.

SCHOLION.

Promotio ad Sacerdotium servato ordine præscripto fieri debet.

PRimo dicunt hoc Canone Patres, omnibus manifestum est, *quod in ordo in Sacerdote versetur* (A. *quia debet ordo in sacratione custodiri*) : *& Sacerdotii munera* (A. *Sacerdotii promotiones*) *exacte servare Deo* (A. *prorsus*) *gratum esse*. Id est, Deo gratum esse, ut regularis ordo & gradus prescripti in Sacerdotio exacte serventur, omnisque juxta ordinem præscriptum promotio fiat.

Secundo referunt abusum huic præscripto ordini contrarium, nimirum videbant *nonnullos a pueris* (A. *a parvula ætate*) *Cleri tonsuram ac accipientes, nondum vero accepta Episcopi manuum impositione, in congregatione* (A. *collecta*) *in suggestu* (A. *super ambonem legentes, & id non canonice* (A. *irregulariter*) *facientes.*

Pro quo notandum *tonsura Cleri* hic accipi pro certa Capillorum incisione, & vestium gestatione, quæ Clericis erat propria.

Tonsura Clericalis jam pridem, citra Episcopi auctoritatem accipiebatur.

Hæc tonsura Clericalis etiam sine ulla Episcopi interventione aut consensu conferebatur pueris, immo & propria manu sibi capillos attendebant, & in Clericos faciebant ; quod in Ecclesia Latina factum esse evincit quod de S. Clodoaldo narrat Gregorius Turonensis *lib.* 3. *Hist. Franc. cap.* 18. „ sibi propria manu „ capillos incidens, Clericus factus est “ : & Liber de gestis Regum Francorum : „ Relicto terreno Regno, „ ipse propria manu se totondit, & Clericus factus est.

In Ecclesia Græca eum morem viguisse tempore hujus Synodi luculenter ostendit hic Canon : neque Patres improbant, quod pueri accepissent *tonsuram Cleri sine impositione manuum Episcopi*, sed quod nondum hac accepta manuum impositione, publice in Ecclesia legerent, sive Lectoris officium agerent.

Lectoratus sine impositione manuum Episcopi non conferebatur.

Ad hæc notandum, apud Græcos moris fuisse, & etiamnum esse, ut probat Morinus *de Sacris Ordinat. parte* 3. *Exercitat.* 15. *cap.* 4. *num.* 1. quod „ tonsuram Clericalem cum Lectoractu conjungant, primo invocata sancta Trinitate (ait Morinus) & sigillo crucis interim peracto, tondetur in formam crucis Lectora tui inaugurandus. Deinde manus illi ab „ Episcopo in Lectoratum imponitur, ut videri potest „ in variis Lectoris ordinationibus. . . Lectoratus ordo „ non datur nisi præcedat tonsura, nec tonsura, nisi „ statim subsequatur Lectoratus ; ita ut tonsura apud „ eos sit velut cæremonia ad Lectoratus collationem „ pertinens “. Et *num.* 4. adeo vulgatum erat, inquit, „ tonsuram Clericalem & Lectoratum idem esse, ut „ tum nonnulli Sacerdotes permitterent puellos tonsura nigrisque vestibus a parentibus indutos, *publice* in Ecclesia sacras Scripturas legere ; quod Concilium prohibet, donec ab Episcopo tonsuram Clericalem cum manuum impositione susceperint.

Inordinatum quippe apparebat, quemquam ad functionem aliquam publicam in Ecclesia admitti, nisi ab Episcopo ad eam vocatus & applicatus.

Itaque agitur dumtaxat contra eos, qui accepta tonsura sine impositione manuum Episcopi, Lectoris munus vi similis tonsuræ obire audebant, hoc est, statuunt Patres : „ ne quis divinas Scripturas aliter in „ suggestu legat, quam si tonsuræ characterem acceperint per Episcopalem manuum impositionem “ : ait hic Balsamon.

Volunt autem Patres, *hoc ipsum etiam in Monachis servari* : nimirum quod licet tonsuram habeant, Lectoris tamen officio fungi nequeant, nisi accepta manuum impositione. Verum Lectoris manuum impositionem permittit *unicuique Monasterii* præfecto (A. *Abbati*).

Hæc manus impositio permittitur Monasterii Præfecto.

Potestatem tamen hanc restringit Canon ad proprium singulorum Monasterium, *in proprio* (ait) *Monasterio tantum*, id est Monachis sibi subjectis, & ad suum Monasterium spectantibus.

Secundo licentia hæc datur Monasterii Præfecto, sub conditione, *si ipsi Præfecto scilicet ab Episcopo manus est imposita ad Præfecturam Hegumeni* (G. *ad ejus Præfecturam*) *dum sit & ipse Presbyter* (G. *qui scilicet & ipse sit Presbyter*) (A. *dum constat illum esse Presbyterum.*

Num hic requirat Synodus aliam impositionem manuum, quam quæ facta est in Presbyteratu, quem Synodus in Præfecto Monasterii requirit, obscurum apparet.

Balsamon de hac facultate Præfectis Monasteriorum indulta loquens, aliquam quam Sacerdotalem, seu in ordinatione Presbyteratus acceptam requirere non videtur, ita scribens : „ Concessum est eorum Præfectis „ qui ab Episcopis characterem accepere, Presbyteris „ quidem necessario existentibus . . . . Hic non videtur alium quam Presbyteralem characterem requirere.

At Zonaras ait Præfectum Monasterii Lectorem creare posse „ si modo ab Episcopo Præfecturæ characte„ rem accepit, & Sacerdotio initiatus fuerit. “ Et Aristenus notat, Præfectis Monasteriorum datam facultatem manus in Lectorem imponendi „ si Presbyteri „ sint, & ab Episcopo per manus ejus impositionem man„ sionis curam acceperunt “ : videntur hi præter impositionem manuum Episcopi in Presbyteratu, insuper requirere similem *impositionem in Præfecturam*.

Quidquid sit, hoc sufficienter constat, per impositionem manuum Episcopi in Præfecturam, non aliud indicari, quam simplicem admissionem seu institutionem Præfecti auctoritate Episcopi, quodque hæc facultas omnium Monasteriorum Præfectis ab Episcopo constitutis, modo Presbyteris, esset communis.

Gratianus refert hunc Canonem *dist.* 69. *Can.* 1. ex versione Anastasii Bibliothecarii cum hac clausula : *si dumtaxat Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundum morem præficiendorum Abbatum*. Quæ finalia verba tandem occasionem dedere, hanc licentiam restringendi ad Abbates solemniter benedictos, ut ostendi in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 31. *cap.* 6. ibi una ostendi, quid de hac Abbatum facultate statuerit Synodus Tridentina.

Quid requiritur, ut Chorepiscopi Lectorem ordinare queant?

Tandem vult Nicæna Synodus, ex antiqua consuetudine (A. secundum *antiquam consuetudinem*) *Chorepiscopos permissu* (A. *præceptione*) *Episcopi*, cui scilicet subjicitur, *oportere per manuum impositionem Lectores creare* : ut ita nullus ad publicum Ecclesiæ ministerium admittatur, nisi Episcopalis manuum impositio saltem mediate accesserit.

CANON XV.

Clericus ab hoc deinceps tempore in duabus Ecclesiis non collocetur. Hoc enim est negotiationis & turpis lucri proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine alienum ab ipsa enim Domini voce audivimus, non posse quempiam duobus Dominis servire. Vel enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Unusquisque *ergo, ut vox est Apostolica*, in eo, in quo vocatus est, debet manere, & in una Ecclesia assidere. *Quæ enim propter turpe lucrum fiunt in Ecclesiasticis negotiis, ea a Deo sunt aliena. Ad hujus autem vitæ usum sunt diversa studia : ex iis ergo, si quis velit, ea, quæ sunt corpori ad usum necessaria, comparet. Dixit enim Apostolus* : usui meo, & iis, qui mecum sunt, subministraverunt manus meæ. *Et hoc quidem in hac a Deo custodita civitate. In iis autem quæ extra sunt locis, propter hominum inopiam permittatur.*

SCHO-

S C H O L I O N.

Beneficiatus in duabus Ecclesiis.

VETAT præsens Canon, ne *Clericus in duabus Ecclesiis collocetur* (A. *connumeretur*): hoc est, Minister, sive phrasi hodierna Beneficiatus, fiat.

Dicit Synodus, *hoc esse negotiationis & turpis lucri proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine alienum*. Hoc est: „ eumdem duabus Ecclesiis Clericum adscri„ bi Canon vetat, turpis lucri aviditatem & nego„ tiationem id appellans “ : ait Zonaras.

Synodus nulla beneficia recognoscit non requirentia residentiam.

In confirmationem sui Decreti adducit Synodus textum Evangelii Matth. cap. 6. vers. 24. dicens: *ab ipsa enim Domini voce audivimus, non posse quempiam duobus Dominis servire: vel alterum unum odio habebit, & alterum diliget, &c.*

Dein tamquam subsequens subjungit ex Apostol. 1. Cor. cap. 7. vers. 24. *unusquisque* ergo, *ut vox est Apostolica, in eo in quo vocatus est, debet manere, & in una Ecclesia assidere* (A. *locari*,)

Concludens erat hoc argumentum, omnemque Beneficiorum pluralitatem exclusit, quamdiu persuasum fuit nullum esse Beneficium, quod non requireret personale officium per ipsos Beneficiorum possessores personaliter præstandum in ea Ecclesia, cui per Beneficii institutionem erat adscriptus.

Verum postquam invaluit distinctio inter Beneficia requirentia residentiam, & eam non requirentia, nullo negotio ipsa plurium Beneficiorum compatibilitas hactenus ignota quasi naturaliter sequuta est (*a*).

Cum enim crederent Beneficiati, se non tantum ab officio præstando immunes, sed etiam a residentia *personali* in Ecclesia, cui servire deberent, absolutos, nihil obstare videbatur, quare cum Beneficio, nec *personale* officium nec *personalem* residentiam requirente, aliud, cujus officium præstare possent, obtinere haud valerent.

Porro prædicta Beneficiorum distinctio non a Canone, sed a consuetudine, sive potius inolito abusu originem duxit. Cum enim circa seculum X. & XI. omnes passim Dignitates, ac Beneficia, etiam curam animarum habentes residentiam negligerent, functionesque sacras Vicariis delegarent; Pontifices huic abusui occurrere volentes, edixerunt, ut obtinentes Dignitates, Beneficia cum cura animarum, aut etiam Canonicatus, residere tenerentur, nulla reliquorum inferiorum Beneficiorum facta mentione; hinc creditum fuit ea pristinæ consuetudini, sive potius abusui esse relicta: ideoque & Canonistæ unanimiter fatentur, omnia Beneficia de *Jure communi* requirere residentiam: aliqua vero de consuetudine ab ea dumtaxat esse exempta: qua distinctione stabilita compatibilitas Beneficiorum sua sponte quoque invaluit.

Prætextu insufficientiæ pluralitatem beneficiorum Canon non permittit.

Et quia omnia indistincte Beneficia, sive Ecclesiastica ministeria, ratione quorum Clerici jus aliquod ad proventus Ecclesiasticos accipiebant, exigebant personalem residentiam & personale servitium, ideo nec prætextu insufficientis sustentationis ex uno Beneficio, permittitur adjunctio secundi: *Quæ enim* (ait Canon) *propter* (vel A. *per*) *turpe lucrum fiunt in Ecclesiasticis negotiis, ea Deo sunt aliena*.

„ Abducunt siquidem (ait Zonaras) prorsus a Deo „ quæcumque in Ecclesiasticis rebus sordidæ utilitatis „ cupiditate geruntur. Quod vero duabus Ecclesiis „ cuipiam adscribatur, prorsus ex eo fit, ut ex utra„ que videlicet demensum accipiat, quo in lucello „ turpitudo inest.

Quid Clerico non sufficienter ex proventibus Ecclesiæ proviso sit agendum?

Objicienti cuipiam, qua ratione igitur vitam Clerici honeste agent, si minus, quam ipsis necessarium est, ab una Ecclesia suppeditetur? Respondit Synodus: *Ad hujus vitæ usum* (A. *necessitatem*) *sunt diversa studia, ex iis ergo, si quis velit, ea quæ sunt corpori ad usum necessaria* (A. *opportuna*) *comparet. Dixit enim Apostolus: usui meo* (A. *ad ea quæ mihi opus*) *& his, qui mecum sunt, subministraverunt manus meæ*.

Hic notetur; quod Synodus *turpe lucrum*, & *a Deo alienum* reputet, si etiam *ad vitæ necessaria* destinentur ministeria Ecclesiastica, potiusque debeant Clerici ex honesto opificio vel artificio exemplo Pauli, quærere suam sustentationem, quam Ecclesiastica Ministeria ad comparandum temporalia ordinare, atque his tamquam arte de pane lucrando uti: præsertim dum & contra sacros Canones, & Ecclesiæ utilitatem, ministeria Ecclesiastica eum in finem assumerentur, uti in hac Beneficiorum conjunctione contigeret.

Clericus in villis constituendus excipitur propter inopiam hominum.

Hæc autem, quæ contra Clericorum *in pluribus Ecclesiis* collocationem, sive contra *pluralitatem Beneficiorum* (ut phrasi moderna loquar) decreta sunt, declarat Synodus locum habere *in hac a Deo custodita* (A. *conservanda*) *Civitate*, scilicet Constantinopolitana: in his autem, quæ *extra sunt locis* (seu A. *in villis*) *propter inopiam hominum permittatur*. Hoc est; in his duarum Ecclesiarum ministerio addici permittitur.

Nequaquam id hic permittitur eum in finem, ut hac ratione Clericus e duabus Ecclesiis queat *suæ necessitati* providere; sed id dumtaxat permittitur, ut unus duabus Ecclesiis vicinis deserviat *ob hominum inopiam*: id est, in villis sive ubi tanta est hominum inopia, ut unaquæque Parochia Presbyterum habere nequiret, permittit, unum Presbyterum duabus Ecclesijs servire, non ut ejus inopiæ succurratur, uti hodie per Beneficii simplicis combinationem permittitur, sed ut hominum seu incolarum necessitati provideatur.

Deplorat Balsamon, quod sua ætate Canon hic neglectui esset habitus, & quod non puniantur ejus contemptores. Quis autem satis deploret, quam hic & cæteri Canones contra pluralitatem Beneficiorum neglectui habeantur hodie in Ecclesia Latina! quando non tantum non puniuntur contemptores, sed passim & sine ulla plerumque causa dantur licentiæ sive dispensationes Canones hos transgrediendi.

Extat Canon apud Gratianum *causa* 21. *quæst.* 1. *Can.* 1. ibi Glossa inter alia dicit, extra civitatem permitti Clericum conscribi in duabus Ecclesiis, quia ibi sunt pauci Clerici.

C A N O N XVI.

Omnis luxus & ornatus corporeus est a Sacerdotali statu alienus. Episcopus ergo vel Clericus qui se splendidis & insignibus vestibus exornant, se corrigere oportet: sin autem permaneant; supplicio tradi; similiter & eos, qui sunt unguentis delibuti. Quoniam autem radix acerbitatis sursum pullulans, fuit nostræ Ecclesiæ inquinamentum, Christianos scilicet accusantium hæresis, & qui eam susceperunt, non solum imaginum picturas aversati sunt, sed omnem etiam pietatem ac religionem extruserunt, in eos, qui pie & honeste vivunt, invehentes, & in eis impletum fuit, quod scriptum est, execratio peccatori Dei cultura. *Si inventi itaque fuerint nonnulli irridentes, qui velim & modestum amictum induti sunt, pœna corrigantur. A superioribus enim usque temporibus omnis vir Sacerdotalis cum moderato & honesto indumento versabatur. Quidquid enim non propter usum sed ostentatorium ornamentum assumitur*, in nequitiæ reprehensionem incurrit, *ut ait Magnus Basilius Sed nec ex sericeis texturis variatum quis vestimentum habebat, neque in extremis vestimentis adjecta erant alieni coloris additamenta, ex divina enim lingua audierunt, quod* qui mollia fuerunt, sunt in ædibus Regum.

S C H O L I O N.

Vanus ornatus a veste Clericali abesse præcipitur.

HOc Canone agit Synodus contra luxum & ornatum mundanum, quem nonnulli Episcopi & Clerici in vestibus suis ostentabant.

Primo itaque generaliter declarant Patres, quod *omnis luxus & ornatus corporeus* (A. *jactantia & ornatura corporalis*) *est a Sacerdotali statu* (A. *ordine*) *alienus*.

Hinc concludit, *Episcopos vel Clericos, qui se splendidis & insignibus* (A. *claris*) *vestibus exornant, se corrigere* (A. *emendari*) *oportere: sin autem permaneant supplicio* (A. *epitimio*) *tradi*. Similiter & eos, *qui sunt unguentis delibuti*. Hoc est, hi puniendi sunt, si post factam monitionem non corrigantur, sed persistant.

Luxus hic in Episcopis & Clericis per Iconoclastas inductus creditur.

Notant Balsamon & Zonaras, hunc in Episcopis & Clericis abusum per Iconoclastas fuisse inductum: „ Cum enim Iconomachi (ait Balsamon) omnem Ec„ clesiasticam Constitutionem & pietatem in confusio„ nem & impietatem mutassent, utpote Clericis & „ Episcopis, qui ad eos accedebant, impie & temere „ vitam instituere permissis, ut eorum voluntati obse„ querentur; & ideo Sacerdotale quoque indumentum „ ad id quod plus habet luxus & ornatus mu„ tatum est.

Non obscure ipsa Synodus abusus hujus propaginem in Iconoclastas rejicit: *Quoniam autem* (ait) *radix acerbitatis sursum pullulans* (A. *radice amaritudinis exorta*) *fuit nostræ Ecclesiæ inquinamentum* (A. *contaminatio facta est in Catholica Ecclesia*) *Christianos scilicet accusantium* (A. *calumniantium*) *hæresis, & qui eam susceperunt, non solum imaginum* (A. *imaginarias picturas aversati sunt, sed omnem etiam pietatem ac religionem* (A. *reverentiam*) *extruserunt* (A. *repulerunt in eos qui pie & honeste* (A. *religiose*) *vivunt invehentes* (A. *offendentes*) *& in eis impletum fuit* (A. *per hoc impletur in eis*) *quod scriptum est, execratio peccatori Dei cultura*. Ecclesiastici *cap.* 1. *vers.* 32.

Irrisores simplicitatis vestium Clericalium.

Vult itaque Synodus, ut si inventi fuerint nonnulli irridentes eos, *qui vilem & molestum amictum induti sunt, pœna* (A. *per epitimium*) *corrigantur*.

Nam, ut ait Synodus, *a superioribus* (A. *priscis*) *usque temporibus omnis vir Sacerdotalis* (G. *sacratus*) *cum moderato & honesto* (A. *mediocri & vili*) *indumento versabatur*.

(*a*) Nullus in Jure Canonico extat contextus sæculo 13. antiquior, qui clare indigitet beneficiorum divisionem in illa, quæ residentiam exigunt, & illa, quæ non exigunt residentiam; primum autem, in quo ea divisio reperitur, volunt esse *cap.* 7. *de Clericis non residentibus*, e Gregorii IX. Epist. an 1731. desumptum,

Quis autem ſit veſtitus moderatus & honeſtus, & quis ſuperfluus & vitioſus explica teſtimonio S. Baſilii dicentis: *quidquid non propter uſum* (A. *neceſſitatem ſuam*) *ſed oſtentatorium ornatum*, (ſeu A. *vetuſtatem*) *aſſumitur*, *nequitiæ reprehenſionem incurrit* (A. *elationis habet calumniam*)(

Vult igitur Synodus, ut modeſto atque honeſto, qui ad uſum ſive neceſſitatem corporis ſerviat, veſtitu utantur homines Deo ſacrati; eum qui ad luxum & oſtentationem eſt, rejiciant, tamquam ſtatui ſuo, & Patrum praxi contrarium.

Quid præcipue in veſtitu Clericorum reprehendatur?

Quis autem eſſet veſtitus, quo uterentur nonnulli ad luxum & oſtentationem, inſinuat Synodus finalibus verbis, carpens illorum Clericorum vanitatem per Patrum venerandam ſimplicitatem.

Sed nec (ait Synodus) *ex ſericeis texturis variatum quis veſtimentum habebat*, *neque in extremis veſtimentis* (A. *in ſummitatibus veſtimentum*) *adjecta erant alieni coloris* (A. *variorum*) *colorum additamenta* (A. *ornamenta*).

Dixit denique Synodus, ſanctos jampridem mollitiem & luxum in veſtibus fugiſſe, quia *ex divina lingua audierunt*, *quod qui mollia ferunt* (A. *mollibus veſtiuntur*) *ſint in ædibus Regum* (*a*).

Quid Taraſius Patriarcha conformiter ad hunc Canonem præceperit obſervari.

Qua ratione hunc Canonem executus ſit, & ad praxim deduxerit S. Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui & hanc Synodum procuraverat, narrat auctor vitæ ejus apud Surium ad 25. Februarii ſcribens; „ multis ex iis, qui erant relati in numerum Clericorum, qui ſuos lumbos zonis cingebant aureis, & ornati erant variis, & pretioſis veſtibus ſericeis, aurum quidem ademit; fecit autem ſuccingere lumbos cingulis contextis ex pilis caprarum. Eis vero, qui toti corporis ex iiſdem filiis purpureas veſtes habebant contextas, excogitat tunicas remotas a curioſitate nimia & deliciis, ut quæ eſſent veſtitus honeſtus, & convenirent iis, qui Deo ſervire ſtatuerunt, & profitentur humilitatem. Ex quo quid evenit? ut tolleretur quidem quidquid damni ex eo naſcebatur, honoraretur autem frugalitas, ut theſaurus quiſquiam pretioſiſſimus,

Cæterum de honeſtate ac moderatione in veſtitu ſervandis à Clericis egi in *Jure Eccleſ. Tom. I. parte 1. tit. 2. cap. 2.* & in *Scholio ad Canonem XII. Gangrenſem*: ubi actum eſt de iis, qui contra intentionem Eccleſiæ & Patrum alicui veſtimentorum externo cultui quamdam ſanctitatem ineſſe credunt, eique nimium ſuperſtitioſe adhærent, ſingularitatemque quamdam affectant.

CANON XVII.

Quidam Monachi ſuis Monaſteriis relictis, ut qui imperare deſiderent, & parere recuſent, Oratoria ædificare aggrediuntur, cum ea non habeant, quæ ad perfectionem pertinent; ſi quis ergo hoc facere aggreſſus fuerit, probibeatur ab ejus loci Epiſcopo, ſi quis autem ea habet, quæ ad perfectionem ſufficiunt, quæ ab ipſo deliberata ſunt, ad finem deducantur. Idem autem ſervetur in Laicis & Clericis.

SCHOLION.

De Monachis ex ambitu Prelaturæ nova Monaſteria exſtruentibus.

PRÆSENTI Canone obviam ire voluit Synodus Monachorum quorumdam inſolentiæ, *qui ſuis Monaſteriis relictis*, *ut qui imperare deſiderent*, *& parere* (A. *obedire*) *recuſent*, *oratoria ædificare aggrediuntur* (A. *inchoant conſtruere oratorias domos*) *cum ea non habeant*, *quæ ad perfectionem pertinent* (A. *neceſſaria ſunt*).

Statuit igitur *Synodus*, *ſi quis hoc facere aggreſſus fuerit*, *probibeatur ab ejus loci Epiſcopo*.

Addit deinde; *ſi quis autem ea habet*, *quæ ad perfectionem ſufficiunt*, *quæ ab ipſo deliberata ſunt*, *ad finem* (A. *terminos*) *deducantur*.

Voluerunt itaque Patres, ad obviandum Monachorum illorum ambitioni, & excutiendi jugum obedientiæ deſideriis, ut nemo aggrederetur ædificare oratoria ſive domos oratorias (quæ hic pro *exiguis Monaſteriis* accipiuntur) niſi habeat & ſuppeditet ſumptus ad perficiendam fabricam, aliaque ad uſum Oratorii ſive Monaſterii, & Monachorum neceſſaria; quemadmodum ſapienter a Patribus jampridem decretum fuerat, uti videri poteſt apud Gratianum *diſt. 1. de Conſecr. Can. 9. & ſeq.*

Sine ſufficienti dote nova Monaſteria non admittenda.

Et ſane, qui attenderit incommoda, quæ in Monaſteriis præſertim Monialium oriuntur ex defectu neceſſariorum mediorum temporalium, fatebitur hoc Decretum merito a recentioribus etiam Synodis renovatum, ſapienterque decretum fuiſſe in noviſſima generali Synodo Tridentina *ſeſſ. 25. c. 3. de Regularib.* „ ut in Monaſteriis & Domibus tam virorum quam mulierum, bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſervetur, qui vel ex reditibus, vel conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari.

(a) In eo Canone laudatur verſus 25. *cap.* 7. Evang. ſecundum Lucam. Sic autem legitur. *Ecce qui in veſte pretioſa ſunt & deliciis, in domibus Regum ſunt.*

Dotium exactiones in Monaſteriis.

Et quidem neglectui horum ſaluberrimorum Decretorum adſcribere non veretur Chriſtianus Lupus ſordidas illas ac ſimoniacas, & Monaſteriis plane exitioſas exactiones in Monaſteriis Belgicis, notanter Monialium adeo uſitatas.

Quamvis enim Doctor hic hodiernas ſtipulationes Dotium fucato titulo *tranſactionis ſuper hæreditate* Monachi juſtificare contenderit, ſed ſine fundamento, ut oſtendi in diſſertatione *de ſimonia circa ingreſſum Religionis* (*a*): nihilominus poſtquam pro animi ſui candore reſpondit „ pacta illa eſſe de fœdo iſto ulcere ſimoniæ graviter ſuſpecta, frequenterque infecta, ſemper ſordida, ſtatui Monaſtico dedecoroſa, immo & graviter pernicioſa, ideoque eliminanda, nihilque poſſe eſſe fœdius aut pernicioſius, quam ſtipulata pecunia ſolos opulentos ad Monaſteria admittere. Ideoque inopiam patientibus (ait) neceſſarium fratrum & ſororum numerum alere non valentibus Monaſteriis, ſervanda eſt antiqua, quam Regulæ ſuæ S. Benedictus inſeruit, Patrum lex, ut ſponte oblatum accepterur, & nihil penitus exigatur. Quam legem diverſæ generales Synodi innovarunt, & uſque ad paucos abhinc annos Belgium noſtrum obſervavit ſanctiſſime". His, inquam, præmiſſis ſubjungit; „ reducenda omnino eſt illa animæ caſtitas, rogant Epiſcopi noſtri, ne novis & inſuperfluis, quibus oriuntur nobis tantæ ſordes, præſertim Monialium Monaſteriis, ſinant ſuas Eccleſias gravari.

Hæc ille in reſolutione ad quæſtionem; *num licita ſint pacta de dote dandæ ab ingredientibus Monaſterium*: cujus autographum habetur in Monaſterio Monialium S. Tereſiæ Aloſti.

Quæ ratio moverit Monachos ad extructionem novorum Monaſteriorum proſilire?

Porro cum Monachi hi Monaſteria ſeu oratoria extruere aggrederentur, ut ſuis propriis Monaſteriis relictis præeſſent potius quam ſubeſſent, ſatis eis erat eatenus oratoria inchoare, ut ſaltem vita ipſorum durante in iis verſari poſſent, parum ſolliciti, num ad perfectionem deducerentur, quapropter Synodus decernit, ut qui oratorii conſtructionem inchoavit, illud ad perfectionem perducat, ſi habet quæ ad perfectionem ſufficiunt.

Et quia Clerici & laici nonnunquam præcipitanter ac ambitioſe ad extruenda oratoria, aut Mnnaſteria feruntur, Synodus, decernit, *ut idem ſervetur in Laicis & Clericis* (A. *id ipſum ſervandum eſſe ſuper Laicis & Clericis*).

Etiam Laici & Clerici ad extructionem Monaſteriorum non admittendi, niſi ſufficientem dotem conferant. Et quid de hoc conſtituerit Leo Imperator.

Ad hunc Canonem reflexiſſe apparet Leo Imperator vulgo Sapiens *Novella* 14. decernens, neminem ad conſtruendum Monaſterium admittendum, niſi prius deprehenſum ſit, eum ad *perficiendum* ſufficientem eſſe, & ſi admiſſus fuerit, atque inter ædificandum ante operis perfectionem morte præventus ſit, voluit „ ut *ſi teſtamentum conditum ſit*, quæ in illo Eccleſiæ aſſignata ſunt, ea illi cedant. Si vero (ut identidem ex mortis incertitudine contingit) antequam de rebus ſuis ſtatuerit, evectus fuerit, tum ſi ad tres numero liberi ſuperſint, quadrantem bonorum involabit Monaſterium: ſin ultra ternarium numerum ſobolis multitudo procedet, liberis connumerabitur Monaſterium, & deducto ære alieno, & univerſa ſubſtantia quantum ipſorum quiſque, capiet. Quod ſi defunctus ſine liberis deceſſerit, parentes autem ſuperſtites habeat, rebus bifariam diviſis, una pars parentibus, altera Monaſterio applicabitur. At ſi neque parentes, neque liberos hæredes habeat, & cognati ad hæreditatem prodeant, ipſi quidem quotcumque fuerint, trientem inter ſe diſtribuent, bes vero Eccleſiæ accedet. Verum enim vero ſi aut per oblivionem, aut aliam quampiam cauſam, in contrariam laudabili legitimoque propoſito teſtamentum ſententiam conceptum ſit, ut ejus loci Antiſtes Dei amantiſſimus, quantum ad Eccleſiæ, eorumque, qui in illa aſſeſſuri ſunt, ſuſtentationem ſuffecerit, vendicet; de reliquis legum præſcriptis & teſtamentum dijudicent,

CANON XVIII.

Sine offenſione eſſe etiam iis qui extra ſunt, inquit divinus Apoſtolus. Mulieres autem in Epiſcopiis vel Monaſteriis verſari, eſt omnis offenſionis cauſa. Si quis ergo ancillam vel liberam in Epiſcopio poſſidere deprehenſus fuerit, vel in Monaſterio ad miniſterium aliquod obeundum, puniatur. Sin autem perſeveret, deponatur. Si vero etiam in ſuburbanis mulieres eſſe contigerit, & voluerit Epiſcopus, vel Monaſterii Præfectus illuc iter facere, præſente Epiſcopo, vel Monaſterii præfecto mulier eo tempore nullo modo miniſterium obeat, ſed alio in loco ſeorſum verſetur, donec receſſerit Epiſcopus aut Hegumenus, ut omnis reprehenſionis locus vitetur.

SCHO-

(a) Extat hæc Diſſertatio *De Simonia &c. Tom. V. & ſeq.* hujuſce editionis, quam conſulere non pigebit.

SCHOLION.

In Episcopiis, vel Monasteriis mulieres non versentur.

EX vita S. Stephani Auxentiani Episcopi habetur, quod Iconoclastæ Episcopos orthodoxos, Clericos & Monachos incontinentiæ arguerent.

Voluit ergo Synodus, ut Episcopi & Monachi *sine offensione essent etiam iis:qui extra* (A. *foris*) *sunt* : id est, etiam *infidelibus* & hæreticis, quamvis sint extra Ecclesiam Catholicam.

Dein notat, *mulieres in Episcopiis, vel Monasteriis versari, esse omnis offensionis causam.*

Notum est, nihil esse quod amplius inhonestet Episcopos, Monachos, aliosque viros Deo sacratos, quam vitium incontinentiæ, cujus suspicionem familiaris cum mulieribus conversatio facile parit.

Recte proinde Patres, ut huic suspicioni omnem causam vel materiam substrahant, decreverunt primo, *ut si quis ancillam vel liberam in Episcopo possidere deprehensus fuerit, vel in Monasterio ad ministerium aliquod obeundum, reprehendatur, sin autem perseveret, deponatur.*

Canon hic conformis est Novellæ Justiniani quoad Episcopos & Monachos.

Omnem quamcumque mulierem ab Episcopio, seu domo Episcopali arcet præsens Canon, conformiter ad Novellam Justiniani Imperatoris 123. *c.* 29. quæ licet juxta Canonem Nicænum e numero mulierum, quarum cohabitatio Clericis interdicitur, excipiat *matrem*, *sororem*, aut *filiam*, & alias personas, quæ omnem suspicionem effugiunt, in *Episcopo* tamen nullam exceptionum admittit; ait enim: „ Episcopum vero *nullam* penitus *mu-* „ *lierem* habere, aut cum ea habitare permittimus.

Cum enim Episcopi in eminentiori gradu supra reliquum Clerum sint constituti, omnibusque tamquam luminaria supra candelabrum posita lucere debeant, merito quoque præ reliquis magis sollicite omnem mali speciem, & suspicionis materiam a se amovere jubentur.

Monachis quoque, qui singularem ab omni mundana conversatione secessum profitentur, omnis mulierum conversatio seu cohabitatio in Monasterio interdicitur, idque etiam conformiter ad Novellam Justiniani 133. *cap.* 3. qua generaliter decernitur, ut non ingrediantur *neque mulieres in virile Monasterium, neque viri in fœmineum.* Adeoque (uti hic notat Balsamon) multo magis prohibet, mulierem habitare in virorum Monasterio, si nec illud ingredi permittat.

Quin & in suburbanis Episcopis mulieres ministrare prohibentur.

Præterea ad amputandam omnem penitus suspicionis materiam progreditur Synodus, & statuit, *quod si etiam in suburbanis mulieres esse contigerit, & voluerit Episcopus, vel Monasterii Præfectus* (A. *Abbas*) *illuc iter facere: præsente Episcopo, vel Monasterii Præfecto* (A. *Abbate*) *mulier eo tempore nullo modo ministerium obeat, sed alio in loco seorsum degat, donec recesserit Episcopus, aut Hegumenus* (A. *Abbas*) *ut omnis reprehensionis occasio vitetur.*

Quid per suburbana intelligatur?

Recte hic monet Balsamon: „ quæ de mulieribus, „ quæ sunt in *suburbanis*, dicta sunt, citra ullam cu- „ riosiorem investigationem assumentur de suburbanis, „ quæ ad Episcopium vel Monasterium jure dominii „ pertinent: si enim (ait) in publicis hospitiis, vel „ etiam in alienis suburbanis diverterint, difficile est, „ ut existimo, ea, quæ in Canone continentur, ob- „ servari.

Interim hic notent Episcopi & Monachi, sollicite admodum omnem cum mulieribus esse conversationem evitandam, quæ qualemcumque suspicioni materiam suppeditare posset.

CANON XIX.

Tanta execrabilis avaritiæ labes Ecclesiarum præfectos invasit; ut nonnulli eorum virorum ac mulierum, qui pii ac religiosi dicuntur, Domini mandati obliti fallantur, & eos qui ad Sacerdotalem ordinem, & vitam Monasticam accedunt, pecuniis admittant, & quorum reprobum est principium, universim quoque rejiciendum efficitur, ut ait Magnus Basilius, nec enim Deo licet & Mammonæ servire. Si quis ergo inventus fuerit hoc facere, qui hoc facit, si quidem Episcopus, vel Monasterii Præfectus, vel ex Sacerdotali ordine, vel deponatur, ut vult Secundus Canon Chalcedonensis Synodi. Sin autem Monasterii Præfecta e Monasterio extrudatur, & alii Monasterio tradatur ad subjectionem; similiter & Monasterii Præfectus, qui Presbyterii ordinationem habet. De iis autem, quæ dantur liberis a parentibus instar dotis; vel rebus suis propriis oblatis, profitentibus iis, qui ea offerunt, esse Deo consecrata, statuimus ut sive maneant, sive exeant, ea in Monasterio maneant, ut fuit ipsorum professio, nisi is, qui præest, in culpa fuerit.

SCHOLION.

Reprobatur pari modo accessus ad Sacerdotium, & introitus ad vitam Monasticam, mediante temporali pecuniæ datione.

IN præsenti Canone Patres *execrabilem avaritiæ labem* (A. *facinus*) esse pronuntiant, eorum qui *mandati Domini obliti, eos qui ad Sacerdotalem ordinem, & vitam Monasticam accedunt, pecuniis admittunt* (A. *per aurum introitus accedentium tam ad sacratum ordinem, quam ad Monasticam efficiunt*).

Præterea testantur Patres, quod tempore hujus Synodi labes hæc *execrabilis* (A. *in tantum*) *Ecclesiarum Rectores invasisset* (A. *inolevisset*) *ut nonnulli eorum virorum ac mulierum, qui pii ac religiosi dicantur,* illud admitterent.

Unde & hoc notat Zonaras, quod „ Canon id eo „ tempore usitatum fuisse, atque adeo a quibusdam „ moderationis fama commendatis viris pariter ac mu- „ lieribus, non nisi soluta pecunia quemquam aut sa- „ cris Ordinibus annumeratum, aut in Monasteria ad- „ missum fuisse, affirmat.

Utinam hæc attenderentur ab his Monasteriorum moderatoribus & moderatricibus, qui non nisi præviis contractibus ad professionem monasticam quemquam admittere volunt; unico pene infirmo & hic confutato argumento, ab *inolita* praxi petito, contra tot expressos Canones, nescio quam sibi securitatem promittentes.

Hæc simoniaca labes a communi praxi nullatenus justificari indicat hæc Synodus.

Hanc enim inolitam praxim, ut insufficientem ad abstergendam tam execrabilem avaritiæ labem reprobantes decernunt Patres, *quod si Episcopus quidem, vel Monasterii Præfectus* (A. *Abbas*) *vel ex Sacerdotali ordine* (A. *de sacrato Collegio*) *inventus fuerit hoc facere, cesset, vel deponatur:* id est, si post denuntiationem in malo perstiterit. *Ut vult* (ait Synodus) *Canon Secundus Chalcedonensis*; qui duntaxat agit de simonia in admissione ad ministeria Ecclesiastica, & quem hæc Synodus extendit ad eos, qui ad Monasterium mediante pecunia quempiam admittunt, quasi similis cum prioribus criminis reos.

Pœna in prævaricatores.

Monasterii autem *Præfectam* (A. *Abbatissam*) *a Monasterio* extrudendam, & *alii Monasterio* tradendam *ad subjectionem* decernit Synodus: similiter & *Monasterii Præfectum* (A. *Abbatem*) *qui Presbyterii ordinationem* (A. *manus impositionem*) habet.

Hic per transennam notetur cum Balsamone: „ Quo- „ niam, ut ex præsenti Canone apparet, Monasterio- „ rum Præfecti in duo dividuntur, Sacerdotes, & eos „ qui non sunt sacris initiati, & illi quidem deponun- „ tur, hi vero e Monasterio extruduntur, dicimus re- „ cte aliquos ad Monasteriorum Præfecturas provehi, „ etiam sacros Ordines non susceperint". Non dubi- „ um quin olim sacer Ordo nec in Abbate requisitus fuerit: sed hodie alia disciplina invaluit, uti notavi in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 31. *cap.* 1. & *cap.* 10. alias *cap.* 9.

Concilium Lateranense sub Innocentio III. eamdem simoniam acrius perstringit.

Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. in *c.* 40. *tit. de Simonia* deplorans „ quoniam, ait, simo- „ niaca labes adeo pleraque Moniales infecisset, ut „ vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, pauper- „ tatis prætextu volentes hujusmodi vitium paliare, „ ne id de cætero fiat, penitus prohibemus, statuen- „ tes, ut quæcumque de cætero talem commiserint „ pravitatem, tam recipiens, quam recepta, sive sit „ subdita, sive Prælata sine spe restitutionis de suo „ Monasterio expellatur, in locum arctioris Regulæ ad „ agendum perpetuam pœnitentiam retrudenda.

Patet, quod Concilium Lateranense IV. pœnam præsenti Canone decretam ad plures extenderit, & nonnihil intenderit; quia verisimiliter malum amplius invaluerat, ut efficaciore remedio cohiberi deberet. Utinam qui hodie Monialium directioni sunt præpositi, ex gravitate pœnæ, gravitatem criminis serio expenderent, atque sibi subditas ab eo pernicioso & regularis disciplinæ exitioso vitio præservare serio allaborarent.

Admittitur voluntaria oblatio.

Quamvis autem Ecclesia nunquam non improbaverit ingressum Monasticum annuere propter aurum, nequaquam tamen improbaverit recipere ea, quæ *gratanter*, & plane voluntarie, ab ingredientibus, eorumque parentibus Monasterio offeruntur, quod nec præsens Canon improbat, immo probat.

Ait enim: *De iis autem, quæ dantur liberis a parentibus instar dotis; vel rebus suis propriis oblatis* (A. *si quæ ex propriis rebus acquisita offeruntur*) *profitentibus iis, qui ea offerunt* (A. *Deo dicanda*) *esse Deo consecrata, statuit Synodus, ut sive maneant, sive exeant, ea in Monasterio maneant, uti fuit ipsorum professio* (A. *secundum repromissionem ipsorum*) *nisi is, qui præest, in culpa fuerit*, scilicet quod discesserit.

Certum est hic agi de sponte & gratanter oblatis, ideoque sive offerens maneat in Monasterio, sive exeat, equidem hæc manent affixa Monasterio: eo quod fuerint absoluta & *gratanter*, & non *ob causam* oblata.

Quia tamen parentes, vel ipsi ingredientes, ad eam voluntariam oblationem permoti sunt, quia spe ducti quod ingrediens in Monasterio vitam suam esse exacturus, ideo Patres volunt, hæc oblata esse restituenda, si *is, qui* Monasterio *præest, in culpa fuerit*, quod ingrediens discesserit.

Quæ circa ea, quæ voluntarie dicuntur offerri, observanda sunt, ne sub specie voluntariæ oblationis delitescat fœda labes simoniæ, & quæ pallia hodie adhibeantur, ut hæc simoniaca labes tegatur, late discussimus in *Dissertatione de Simonia circa ingressum Religionis*, nec non aliis nonnullis scriptis in defensionem istius Dissertationis evulgatis, ac simul cum aliis opusculis in quinto tomo hujusce editionis reimpressis.

CANON XX.

A præſenti ſtatuimus non fieri duplex Monaſterium, quoniam hoc fit multis ſcandalum & offenſio. Si qui autem volunt cum cognatis mundo renuntiare, & vitam ſequi Monaſticam, viros quidem oportet in virorum Monaſteria diſcedere: fœminas autem ingredi in mulierum Monaſteria: hoc enim eſt Deo acceptum. Quæ autem hucuſque duplicia fuerunt, ſerventur ſecundum Canonem ſancti Patris noſtri Baſilii, & ſecundum ejus conſtitutionem ita regantur. In uno autem Monaſterio ne verſentur Monachi & Monachæ; adulterium enim ineſt media converſatione, nec Monachus libere cum Monacha, vel Monacha cum Monacho ſeorſim confabuletur, nec cubet Monachus in fœminarum Monaſterio, nec cum Monacha ſeorſum comedat. Et quando quæ ſunt vitæ neceſſaria a parte virorum ad regulares fœminas deferuntur, extra portam hæc accipiat Monaſterii muliebris Præfecta cum aliqua anu Monacha. Si autem eveniat, ut aliquam velit cognatam Monachus aſpicerre, præſente Præfecta cum ea colloquatur exiguo & brevi ſermone, & mox ab ea recedat.

S C H O L I O N.

Juſtinianus duplicia Monaſteria vetuiſſe videtur.

JAMPRIDEM Juſtinianus Imperator in *L.* 44. *Cod. de Epiſcopis & Clericis*, ſanctiſſimarum Eccleſiarum, & piiſſimorum Monaſteriorum decori conſulens, voluit Monachos & Moniales „ ita ſegregatos eſſe, ut „ nullum participationem ad invicem ob quamcumque „ cauſam habeant ipſi, neque excogitari aliquam occa„ ſionem vel illis vel his mutuæ inter ſe commoratio„ nis, ſed ſoli per ſe homines in quolibet Monaſterio „ degant, a vicinis ſibi per quamcumque cauſam Mo„ naſteriis ſegregati, ſolæ item per ſe mulieres non „ commixtæ viris, ut omnis (ait) ſuſpicio indecoræ „ converſationis penitus tollatur.

Dein quemmodum in transferendis virorum vel mulierum Monaſteriis, quæ ſibi mutuo erant vicina, Epiſcopi ſervare debeant, deſcribit.

Quid obſervandum circa eos qui in Monaſteriis mulierum ſacra peragere debent

Et quia mulieres ſibi non ſufficiunt *ad divinas peragendas Liturgias*, ideo ad eas agendas, *& ſancta communione participandas*, vult ab Epiſcopo ipſi *unum Presbyterum & unum Diaconum honeſtæ vitæ dari, qui hæc ſola ſuperdicta agere debeant, non etiam conveſci & converſari, aut cohabitare cum ipſis.*

Denique concludit: „ his enim ſervatis, & ipſis felix „ vita erit, qui ſolitariam vitam elegerint, & commu„ nis noſtræ Reipublicæ res paratiorem conſequentur a „ Deo clementiſſimo opem „. Idipſum cavetur *Novella* 123. *cap.* 36. quem textum ex verſione Juliani Anteceſſoris refert Gratianus *cauſa* 18. *quæſt.* 2. *Can.* 22. uti ibidem notant Correctores Romani.

Conformiter ad has Imperatorias Conſtitutiones Synodus, ſtatuit, *a præſenti non fieri duplex Monaſterium, quoniam* (ait) *hoc fit multis ſcandalum & offenſio.*

Quænam hic Monaſteria duplicia intelligantur.

Recte notat hic Zonaras, quod duplicia Monaſteria, quæ hic fieri vetat Synodus, non ſint ea, in quibus Moniales cum viris ſimul in eodem loco degebant: „ ſed ita propinquo, ut voces audire, reddereque invi„ cem utrique poſſent. Id ergo quia offenſionem mul„ tis afferret illa vicinitas, quæ ſpeciem in eodem quaſi „ domicilio commorantium virorum & mulierum ex„ hiberet, nullo modo Synodus licere decernit.

Nec prætextu cognationis ſimilia Monaſteria Synodus permittit.

Sed nec prætextu cognationis Synodus ſimilia Monaſteria fieri permittit, ſed *ſi quis volunt cum cognatis mundo renuntiare, & vitam amplecti Monaſticam, viros quidem* (ait Synodus) *oportet in virorum Monaſteria diſcedere, fœminas autem ingredi in mulierum Monaſteria: hoc enim eſt Deo acceptum.* Hoc eſt (monente Zonara) „ Deo ſic accepti ſervient, ſi ſejuncti invicem „ ac diviſi vitam agant, nec alter alteri incitamentum „ ad libidinem, neque aliis offenſionem præbeant.

Quæ circa ſimilia Monaſteria jam erecta hæc Synodus ſervari voluit ad cavendam omnem ſuſpicionem mali.

Et hæc quidem de hujuſmodi Monaſteriis poſthac non ædificandis: at Monaſteria, *quæ hucuſque duplicia fuerunt, ſervari* vult Synodus *ſecundum Canonem* (ait) *ſancti Patris noſtri Baſilii, & ſecundum ejus Conſtitutionem ita regantur.*

Hic Regulæ & Conſtitutionum S. Baſilii fit ſpecialis mentio: eo quod unica pene hæc Regula apud Monachos Orientales nota eſſet.

Volunt itaque Patres conformiter ad Regulam & Conſtitutionem hujus S. Patri ſervari ſequentia.

Primo, *in uno Monaſterio ne verſentur* (A. *habitent*) *Monachi & Monachæ: adulterium enim ineſt media converſatione* (ſive A. *intercipit cohabitationem*): „ hoc „ eſt, ait Balſamon, quoniam adulterii ſuſpicio oritur „ ex cohabitatione.

Evidens hinc eſt, quod ſupra notavimus ex Zonara, duplicia Monaſteria non dici, in quibus viri & mulieres *ſimul in uno* Monaſterio vivunt, quod hic nullatenus toleratur, ſed quæ ſibi ita vicina ſunt, ut facile de uno ad aliud aditus pateat, quæ hic ſub certis cautionibus tolerantur.

Secundo vult Synodus, *ut Monachus cum Monacha libere non loquatur* (A. *non habeat aditum ad Monacham*) *vel Monacha cum Monacho ſeorſum confabuletur* (A. *non habeat aditum ſecreto ad collocutionem*).

Tertio decernit Synodus, *ut nec cubet Monachus in fœminarum Monaſterio, nec cum Monacha ſeorſum comedat.*

Quod & de his, qui divinas Liturgias Monialibus exhibere debent, intelligendum docet citata Lex Juſtiniani Imperatores.

Et quia juxta inſtitutum & formam iſtorum duplicium Monaſteriorum debebant ipſæ Moniales ſubinde aliqua ſibi neceſſaria ex virorum Monaſteriis accipere, ne ea occaſione aliquid inhoneſtis, aut ſuſpicionem nimiæ familiaritatis ingerentis contingat, ſtatuit Synodus, *ut quando quæ ſunt vitæ neceſſaria a parte virorum ad Regulares fœminas deferuntur, extra portam hæc accipiat Monaſterii muliebris Præfecta* (A. *Abbatiſſa*) *cum aliqua anu* (A. *vetula*) *Monacha*: id eſt, nec hoc caſu „ Monachi nequaquam intra ſepta Mona„ ſterii muliebris ingrediantur; ſed ubi ad portam per„ venerint, extra fores conſiſtant: Præfecta vero ea„ rum, & quæ ætate provectiores ſunt, Monialium „ comitatu ſepta, portæ appropinquans, quæ afferun„ tur, accipiat". Ut ait Zonaras.

Denique *ſi eveniat, ut aliquam velit cognatam* (A. *propinquam*) *Monachus aſpicere* (A. *videre*) vult Synodus, ut *præſente Præfecta* (*in præſentia Abbatiſſæ*) *cum ea colloquatur, exiguo & brevi ſermone* (A. *per modica & compendioſa verba*) *& mox ab ea recedat.*

Huic Canoni conformes ſunt Pontificum Conſtitutiones.

His, quæ Canon de cavenda Monachorum cum Monialibus converſatione, atque in ea ſervanda cautione ſtatuit, conformes ſunt etiam recentiores Pontificum Conſtitutiones, uti videre eſt apud Fagnanum *ad cap. Quanto* 24 *de Privilegiis*, qui & ibidem multis probat, Regulares ſine licentia accedentes ad Monaſteria Monialium, Regularibus etiam ſubjectarum, ibique in loco colloquiis deſtinato cum Monialibus colloquentes, a Diœceſano Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato poſſe puniri & coerceri; immo ſi Epiſcopus ſub pœna excommunicationis inhibuiſſet acceſſum ac Monaſteria Monialium ſine legitima licentia, reſolviſſe S. Congregationem Regulares quantumvis exemptos huic Decreto Epiſcopi eſſe ſubjectos: eo quod hæc omnia ad cuſtodiam clauſuræ, Epiſcopis Synodum Tridentinam tam ſollicite commendatam, pertineant.

Hæc duplicia Monaſteria tandemubique abrogata.

Cæterum non tantum Græci, ſed & Latini duplicia hæc Monaſteria ſæpius improbarunt. Extat eam in rem Decretum ſub nomine Synodi Agathenſis apud Gratianum *cauſ.* 18. *qu.* 2. *Con* 23. & ad Didacum Compoſtellæ Archiepiſcopum ſcribit Paſchalis II. Papa *epiſt.* 10 „ Illud omnino congruum eſt, quod per religionem „ veſtram Monachos cum Sanctimonialibus habitare „ didicimus, ad quod reſecandum experientia veſtra „ immineat, ut qui impræſentiarum ſimul ſunt, divi„ ſis *longe* habitaculis ſeparentur, neque in poſterum „ conſuetudo hujuſmodi præſumatur.

Nihilominus circa initium ſæculi XV. rurſus duplicia Monaſteria inſtituit B. Brigitta, de quorum originali inſtituto inter alia ſcribit ad annum 1414. Thoma VValſingham Monachus S. Albani in Anglia, quod eo anno Rex Henricus fundavit tria Monaſteria, quorum tertium erat (inquit) Brigittinorum, qui S. Auguſtini Regulam profitentur, quæ cum aliis adjectis cæremoniis vocatur ab iis Regula Salvatoris; „ In hoc Mo„ naſterio juxta Regulam debent eſſe Sorores ſexa„ ginta, Sacerdotes tredecim, Diaconi quatuor, Laici „ fratres octo, quibus omnibus computatis, tantus „ erat numerus perſonarum, quantus erat tredecim „ Apoſtolorum, & ſeptuaginta duorum Diſcipulorum „ Chriſti .... Qui duo Conventus habebant *unam* „ Eccleſiam *in communi*, Moniales habebant ſuperius „ ſub tecto, fratres inferius ad terram, & ſunt uter„ que Conventus *ſeparatim* incluſi, quibus poſt pro„ feſſionem non licebat egredi, niſi de Domini Papæ „ licentia ſpeciali.

Hæc duplicia S. Brigittæ Monaſteria a quibuſdam fuiſſe improbata etiam in Regno Sueciæ, in quo primum exorta fuere, probat epiſtola Epiſcoporum hujus „ Regni ad Synodum Baſileenſem anno 1434. miſſa, in qua hæc de Monaſteriis his ſcribunt; „ De modo „ cohabitationis ſororum & fratrum in Monaſteriis „ ordinis prædicti, quæ ſinuata ſunt in Regnis iſtis, „ quam alii quidam pacis æmuli & tranquillitatis ca„ lumniari conantur, nulla data hic cuiquam Chriſti „ fidelium ſuſpicionis occaſio, quod eorum habitacula „ adeo firmis altiſque muris & ædificiis diſtincta ac „ diviſa ſunt, prout fere nos omnes, præcipue autem „ qui Monaſteriorum & locorum eorumdem viſitato„ res ſumus, vidimus. Quod ſecure & abſque con„ ſcientiarum ſcrupulo juxta primariam ordinis inſti„ tutionem, quam adeo pie credimus factam eſſe, ſo„ rores licite poterunt commorari.

Verum quæcumque cautio primitus adhibita ſit, nihilominus experientia docuit, nec hæc ſic inſtituta Monaſteria ſine periculo & offenſione facile perſiſtere poſſe qua propter etiam hujus inſtituti Monaſteria, præſertim in Belgio, ad ſimplices Conventus reducta ſunt ſub alterutro tantum ſexu, qualia novi plura in hiſce Provinciis extare Monialium, & unum virorum non procul ab Antuerpia in pago vulgo Hobooken.

CANON XXI.

Non oportet Monachum vel Monacham proprium relinquere Monasterium, & ad aliud se conferre. Si hoc autem contigerit; ipsum ut hospitem accipi est necessarium: sed eum recipi sine mente Monasterii ejus Præfecti non convenit.

SCHOLION.

Monachi transmigratio ad aliud Monasterium vetita.

POSTQUAM Monachi & Moniales certam Regulam, & stabilitatem in determinato Monasterio profiteri cœperunt, rarior fuit & difficilior Monachorum & Monialium de uno ad aliud Monasterium transmigratio & translatio: atque de his intelligere oportet, quod ad hunc Canonem scribit Christianus Lupus; „ Quomodo „ Clerici ad certam Ecclesiam ordinati; ita olim omnes „ Monachi ad certum Monasterium fuere professi, & „ professione, quasi spirituali matrimonio, adfixi.

Itaque præsens Canon conformiter ad hanc disciplinam statuit, quod *non oportet Monachum vel Monacham proprium relinquere Monasterium, & ad aliud se conferre.*

Si autem non obstante hoc Decreto contigerit, Monachum vel Monacham ad aliud Monasterium se conferre, vult Synodus, ipsum ut *hospitem* (A, *hospitio*) *accipi*: hoc est, ut ei tamquam extraneo, & ad hoc Monasterium non pertinenti hospitalitas exhibeatur: de quo vide quæ ex Regula S. Benedicti notavi in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 27. cap. 5.*

Ut vero absolute recipiatur, sive incorporetur Monasterio, quod accessit, requirit Synodus licentiam superioris Monasterii, a quo discessit: *sed eum recipi sine mente* (Gr. *notitia*) (A. *voluntate*) *Monasterii ejus Præfecti* (*Abbatis ejus non convenit.*

Ita hæc finalia verba intellexit Aristenus scribens, quod Canon quidem permittat, Monacham ad aliud Monasterium divertentem hospitio excipere: „ at eam „ admittere, ac præterea accipere, & inter sorores „ sine Præfectæ voluntate collocare non permittit.

CANON XXII.

Deo quidem universum dedicare, & non propriis voluntatibus servire, res magna est. Sive enim comeditis, sive bibitis, *inquit divinus Apostolus*, omnia in Dei gloriam facite. *Christus autem Deus noster in suis Evangeliis jussit peccatorum principia resecare, non enim adulterium solum apud ipsum punitur, sed etiam cogitationis motus, ad aggrediendum adulterium condemnatur, ipso dicente*: Qui aspexerit mulierem ad concupiscendam ipsam, eam jam in corde suo adulteravit, *unde nos quoque edocti, debemus cogitationes purgare*; etsi enim omnia liceat non tamen omnia expediunt, *ut a voce Apostolica docemur. Cuivis ergo homini necesse est comedere, ut vivat, & quibus est vita quidem Matrimonii, & liberorum & Laicæ constitutionis, permixtim comedere viros & mulieres, est ab omni reprehensione alienum, si modo ei, qui dat nutrimentum, gratias agant, non cum scenicis quibusdam studiis, sive satanicis canticis, & Citharædicis, ac meretriciis inflexionibus, quos Prophetica execratio persequitur, sic dicens*: Væ qui cum Cithara & Psalterio vinum bibunt, Domini autem opera non respiciunt, & opera manuum ejus non considerant, *& sicubi tales fuerint inter Christianos, corrigentur: sin minus, adversus eos robur suum obtineant, quæ ab iis, qui nos præcesserant, Canonice tradita sunt. Cui autem quieta est vita & solitaria, ut qui Domino Deo jugum Monasticum tollere statuerit, in solitudine & silentio sedebit. Atqui nec iis etiam, qui vitam Sacerdotalem elegerint, licet omnino seorsum cum mulieribus comedere, nisi utique cum divinis religiosis & viris ac mulieribus: ut ipsum etiam convivium ad spiritalem correctionem adducat. Porro id ipsum etiam in cognatis faciat: si autem rursus contingat, ut quæ sunt ad usum necessaria non afferat Monachus vel Sacerdos, & propter necessitatem velit sive in publico diversorio, sive in alicujus domo divertere, ei liceat hoc facere, utpote urgente necessitate.*

SCHOLION.

Quænam cautelæ adhibendæ circa accubitum, id est etiam cum mulieribus.

IN exordio hujus Canonis duo docent Patres hujus Synodi.

Primum, *Deo quidem universum dedicare* (A. *totum committere*) *& non propriis voluntatibus servire, rem magnam esse.*

Hoc autem fieri debere adstruunt verbis Apostoli dicentis, *1. Cor. cap. 10. vers. 31. sive comeditis sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Id est, omnia ad Deum referenda esse demonstrat Synodus, ait Zonaras, quod præceptum quomodo intelligendum & implendum latius explanant Theologi.

Secundo docet Canon, quod *Christus Deus noster in suis Evangeliis jusserit peccatorum principia resecare.*

Probat id, quia *non adulterium* (A. *mæchia*) *solum apud ipsum punitur* (A. *ab eo inhibetur*); *sed etiam cogitationis motus ad aggrediendum adulterium condemnatur.* Nempe verbis Christi dicentis, *Matth. cap. 5. vers. 28. qui mulierem aspexerit* (A. *viderit*) *ad concupiscendam ipsam, eam jam in corde suo adulteravit.*

Hinc inferunt Patres, quod etiam *debeamus cogitationes purgare*, id est, cogitationes exurgentes interimere debemus, priusquam se se altius extollere, ac nobiscum colluctari possint, ac demum in delectationem & consensum impellere.

Ut autem hæ cogitationes purgentur, sive quis eas a se procul amoveat, etiam aliqua sollicite sunt cavenda, quæ alias ex se illicita non sunt, unde hic applicant Patres illud Apostoli 1. *Cor. cap. 6. vers. 12. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* (*a*).

Mulierum familiaritas illic vitanda est, præsertim a Deo sacratis hominibus.

Cum autem impuras ac periculosas cogitationes parere soleat familiarior virorum cum altero sexu, præcipue inter convivandum conversatio, Patres primum, ut huic periculo occurrant, decernunt sequentia.

In primis agnoscunt, *cuivis homini necesse esse comedere ut vivat*; sed ut in hoc necessitatis actu evitentur cogitiones malæ, & malæ suspiciones, declarat Canon.

Epulæ Christianorum sint modestæ.

Primo, quod *quibus est vita quidem Matrimonii & liberorum & Laicæ Constitutionis* (A. *Laicalis affectus*) *permixtim comedere viros & mulieres esse ab omni reprehensione alienum* (A. *nulli detractioni patere*): modo ab ipsis hoc observetur, *ut ei, qui dat nutrimentum, gratias agant, non cum scenicis quibusdam studiis, sive satanicis canticis & citharædicis, meretriciis inflexionibus* (A. *& non ab eis per thymelicas voluptates satanæ imago cantantibus, citharisque, atque meretriciis contorsionibus coli videatur*).

Quantopere similes cantiones, instrumentorumque impudici aut leves moduli, nec non corporis gesticulationes ab libidinem, præsertim inter epulas, & utriusque sexus personarum liberiores confabulationes, incitent immo impellant, notius est, quam ut probari debeat; ut merito eas *satanicas* dicat Synodus, tamquam a *satana*, seu humani generis mentatore suggestas, meritoque pronuntiet, quod ipsis superveniet *Prophetica* hæc maledictio: *Væ qui cum cithara & psalterio vinum bibunt, Domini autem opera non respiciunt, & opera manuum ejus non considerant* (A. *non intelligant*).

Ab hoc pernicioso ac periculoso convivandi modo Christianos omnes retrahare volens Synodus decernit, ut sicubi tales fuerint inter Christianos, *corrigantur*, & si moniti non corrigantur, *adversus eos robur suum obtineant, quæ ab iis, qui nos* (ajunt) *præcesserunt, canonice tradita sunt.* Videntur Patres hic indicare ea, quæ in Canone 62. Trullano statuta sunt, quæ tum in textu Canonis, tum in Scholio ejus supra exhibitis videri possunt.

Monachus caveat conversationem.

Hactenus de Laicis, & qui Laicæ institutionis sunt, nunc quid Monachis & Clericis observandum sit, declarat Synodus, & quidem primum de Monachis dicit; *Cui autem quieta est vita & solitaria, ut qui Domino Deo jugum Monasticum tollere statuerit* (A. *spoponderit*) *in solitudine & silentio sedebit* (A. *sedere & tacere convenit*); id est, solitarie & quiete in suis Monasteriis sedeant, nec Laicorum multo minus mulierum conviviis intererunt; quod non tantum antiquioribus, sed & recentioribus Monachorum Regulis & Constitutionibus provide cautum: optandum tantum, ut exactius observarentur. Videri possunt, quæ eam in rem dicta sunt in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 27. cap. 4.*

Qua cautela Clericis quando, que permittatur edere cum mulieribus

Quantumvis Clerici a Deo in ministerium Ecclesiæ sacrati homines, non profiteantur Monachalem solitudinem & silentium, nihilominus, quia ob instituti sui sanctitatem tenentur quæ Laicis omnem plane vel mali speciem, præsertim in materia incontinentiæ a se amoliri, declarant Patres, *quod nec iis etiam, qui vitam sacerdotalem* (A. *sacratam*) *elegerint, liceat omnino seorsum cum mulieribus comedere, nisi utique* (A. *forte*) *cum divinis & Religiosis* (A. *Deum timentibus, & reverendis*) *viris ac mulieribus: ut ipsum etiam convivium ad spiritalem correctionem adducat* (A. *proficiat*).

Quin & idipsum observari vult Synodus inter cognatos, hoc est, non solum quando cum alienis, sed etiam quando cum consanguinitate junctis mulieribus sacrati homines convivantur, adesse vult modestia spectatos viros. Uti notat Zonaras.

Tametsi non ubique locorum conversatio cum mulieribus eamdem imprimat ideam, aut mali suspicionem pariat; certum nihilominus est admodum sollicite familiariorem cum altero sexu conversationem, ac potissimum secretas confabulationes & convivationes Clericis esse cavendas, ac vix nimiam hic posse adhiberi cautelam, de qua & Synodi nostræ Belgicæ multa statuerunt. Uti in *Jure Eccles. Tom. I. parte 1. tit. 2. cap. 3.* annotavi.

Si

(a) Canonistæ docent gravis peccati reos esse, qui quamvis corpore non abutantur, mente tamen illicite concupiscant; ea fuit Gratiani mens causa 32. quæst. 7. can. 15. *non solum init.* vide quoque dist. 49. can. 1. *Hinc §. Ponderosus.* Ea est spiritalis fornicatio, de qua Dominus ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Ibid. Gratianus & Matth. *cap. 5. vers. 28.*

Non nisi necessitate cogente Monachus, aut Clericus in diversorio moretur.

Si contingat Monachum, vel Sacerdotem esse in itinere, & *non attulerint sibi necessaria* (A. *non circumtulerint, quæ victui opportuna sunt*) *& propter necessitatem velit sive in publico diversorio* (A. *in xenodochium*) *sive in alterius domo divertere, ei liceat* (ait Synodus) *hoc facere, utpote urgente necessitate*.

Per publicum diversorium intelligit hic Balsamon, *publicum hospitium*, & Zonaras *cauponam*, qui & addit: " sed in eis quoque locis Religionis nihilominus „ ac temperantiæ rationem ab illis Canon haberi „ jubet.

Decretum S. Caroli

Verum quia admodum difficile est, ut sacrati homines in publicis illis hospitiis vel diversoriis, quæ omnis generis & sexus hominibus patent, Religionis ac temperantiæ rationem teneant, quæ statui ipsorum congruat, merito statuit S. Carolus, exemplo aliis Episcopis imitando: " ut in singulis civitatibus curent Epi„ scopi parandum unum, aut alterum publicum & ho„ nestum diversorium, quo suarum Diœcesium Clericis „ Rusticanis necessitatis causa convenire liceat, nec in „ eo hospitio improbis aut nequaquam hominibus locus „ sit, neve fœminis ullo modo, sed tantum Clerici & „ Religiosi viri, si fieri possit, in eo recipiantur ". In *Concilio Provinc. 1. part. 2. tit. 25.*

Borromæi de hospitio ad recipiendos Clericos Rusticanos.

DISSERTATIO

In Schisma Photii, & conventus tunc habitos.

§. *Unicus*.

IGNATIUS ex Imperatorum stirpe oriundus, sed pietate longe clarior Methodio Patriarchæ Constantinopolitano successit, cum Michael hoc nomine III. in Oriente imperaret an. 847.

Tum certa & constans erat fama Bardam Patricium fratrem Theodoræ Augustæ, quæ erat mater Imperatoris, incestus consuetudinem cum propria nuru habere: qua de causa Ignatius multoties Bardam privatim monuerat, ut a tam nefario scelere abstineret: idque nisi faceret, tandem se illum anathemate percussurum minitatum.

Quibus de causis Bardas Ignatio infensus, Michaeli Imperatori nepoti suo ex Theodora sorore persuadet, Ignatium Theodoræ matri (quæ consors regiminis Imperii in florenti ætate erat) consuluisse, ut ad secundas nuptias convolaret: porro nullum huic malo præsentius remedium occurrere, quam si Imperator Ignatio præciperet, ut Theodoram matrem cum Thecla filia sorore ipsius Imperatoris tonderet, & in Monasterium detruderet.

Hoc autem Michael Imperator admodum juvenis cum imperasset Ignatio, hicque id facere detrectaret, quod apprime sciret Theodoram & Theclam ejus filiam hoc genus vitæ non delegisse; Imperator dolis Bardæ vehementius contra Ignatium exacerbatus, illum confestim in insulam deportari, & propriam matrem cum Thecla sorore tonsam Monasterio includi jubet.

Photius hanc occasionem nactus, Barda juvante, auctor fuit Imperatori cogendi Synodum, ut aliquo justitiæ prætextu Ignatius abdicaretur: quem ad Conventum soli Episcopi metu aut adulationibus corrupti, vel Ignatio infesti convolarunt, ac deposito Ignatio Photium in ejus sedem suffecerunt. Qui quidem cum de more solito litteras Synodicas de sua ordinatione Romam, & veritatem actorum, quam Nicolaus Papa aliunde hauserat, celavisset, id occasionem præbuit Nicolao ea de re conquerendi, & duos Legatos mittendi Constantinop. ad celebrandam Synodum, cui Ignatius interesset, ac pro se ipse diceret.

Sed cum Legati, quos Papa Nicolaus miserat, Photii largitionibus corrupti fuissent, atque Ignatius Patriarcha absque ulla eorum oppositione damnatus fuisset; hoc resciens Nicolaus non modo Photium, verum etiam proprios nuncios male multavit; præsertim quod litteras Apostolicas legi in Synodo minime curavissent, ac insontem Ignatium abdicari passi essent.

Sed postquam Ignatius hac pseudo-Synodo damnatus est, Clerusque, & populus Constantinop. magis in dies a Photii communione abhorreret: Photius Bardæ, atque Imperatoris gratia fultus, gravissime in populum & Clericum desæviebat; adeo ut plurimi Episcopi fuga vitæ propriæ consulere, & deserta quærere cogerentur. Interea Photius, ut sese contra adversos motus instrueret, pseudo-Synodum Imperatore præsidente habuit, & Nicolaum Pontificem sibi resistentem anathemate ferit; multis Episcopis qui Synodo aderant reclamantibus.

Cæterum ingravescente in dies populi odio adversus Photium, contigit ut interimeretur Bardas, & Basilius in societatem Imperii ascisceretur: non multo post Michael ipse vino temulentus trucidatur. Potitur Imperio solus Basilius, pius quidem Princeps, qui tot scelerum atque etiam erroris Iconoclastarum pertæsus, tot malis ope generalis Concilii medicinam facere constituit. Quamobrem Synodum VIII. omnibus Patriarchis indixit.

Hadrianus Papa II. qui Nicolao successerat ad Synodum Legatos suos direxit: jam Photium Imperator de Throno Patriarchali in Monasterium depulerat: cum magnifico & splendido apparatu reductus fuerat Ignatius, reducem Patriarcham ordo Patricius, & lætitia gestiens populus exceperat.

Synodo universali interfuerunt, ut scribit Nicetas, Episcopi duo supra centum. Antistites vero & Sacerdotes, qui a Methodio & Ignatio consecrati, postmodum ad Photii communionem abrepti sunt, libellis pœnitentiæ porrectis ad Synodi pedes procubuere, lacrymis effusis veniam supplicantes. Mitius cum his actum est, impositaque pœnitentia ad consessum tandem Synodi, & pristinum ministerium admissi sunt. Photius citatus ad Synodum adducitur; de propriis sceleribus interrogatus, adduci non potuit, ut aliud responderet quam illud Davidicum, *posui ori meo custodiam*. Instant Legati dicentes per obstinatum hoc silentium non evasurum damnationem, quibus ille *neque Jesu tacendo evasit damnationem*.

Blande rogatur, ut se justificet circa sibi objecta. Respondit hypocrita: *justificationes meæ non sunt de hoc mundo*: suadetur ut pœnitentiam agat, qua solvatur anathemate, at ille pertinaciter tacet, & sic a conspectu se subducit. Quibus confectis Synodus anathematis telum in Photium contorsit.

Narrat Nicetas in vita S. Ignatii damnationi Photii subscriptum fuisse a Synodi Patribus cum calamis non solum atramento, sed etiam tremendo Christi sanguine tinctis. Octava hæc Synodus Œcumenica aliquot edidit Canones, qui recensentur in Græcis exemplaribus numero quatuordecim, at vero in Anastasii Latina editione 27. enumerantur.

Canon IV. Photium declarat nec esse, nec fuisse unquam Episcopum, eo quod prohibeat Apostolus ad Timotheum scribens, *fieri quemquam ex Neophyto Episcopum*: quam rem sequens Canon V. exponit tam de Neophyto in ordine Clericorum, quam de Neophyto in Christi fide, Idem declarat de Episcopatu & Sacerdotio eorum, quos Photius ordinarat. Idem Canon IV. in Anastasii editione addit, Ecclesias iterum dedicari aut consecrari debere, quas vel Photius ipse, vel alii ab eo ordinati dedicaverant, vel consecraverant.

Gravis eo loci oritur difficultas de sensu, quo Synodus ordinationes Photii irritas dixerit. Sed hanc difficultatem Witassius de charactere Sacramenti ordinis *tractatu de ordine part. 1. pag. 195.* ita dissolvit; has ordinationes declarari irritas quoad usum & exercitium legitimæ potestatis, non vero quoad characterem. Quod enim Photius, & qui ab eo fuerunt ordinati Episcopi, veri essent Episcopi, plura Witassius argumenta, quæ illud evincunt, affert: consule *pag. 195.* 196. &c.

In octavo Concilio Œcumenico fidei definitiones, quæ a septem Conciliis Œcumenicis præcedentibus confectæ sunt, iterum renovatæ & confirmatæ fuerunt.

In Sessione X. lecti Canones, quibus perlectis, dictum est anathema omnibus Monothelitis, quos inter Honorius recensetur. Lecta sunt deinde acta Concilii, quibus recitatis Basilius Imperator ad hunc modum Patres affatus est: *Dicat nunc sancta & universalis Synodus, si omnibus sanctissimis Episcopis concordantibus, atque consentientibus præsens terminus sit depromptus*: Sancta Synodus exclamavit: *omnes ita sapimus, omnes ita prædicamus, omnes consentientes prompte subscribimus*.

Qui ad hæc animum adjunxerit, facile cognoscet Synodum hanc sicut & septem præcedentes suum robur habuisse a communi consensu & subscriptionibus Patrum, qui Ecclesiam repræsentabant (*a*).

Mortuo circa annum 878. Ignatio, Photius, qui interim

(a) Eo loci non erit superfluum observare, quod Doctissimus quidam Canonista notavit in suo opere Gallico adhuc manuscripto, cui hunc fecit titulum: *Maximes & usages de France sur les Conciles & les Assemblées du Clergé*, &c. Vir autem eruditus sic loquitur: *Quoique la definition faite par le huitieme Concile general ne regarde que les mœurs, on ne laisse pas d'y rapporter en abiegé ce qui a eté defini par les Conciles generaux qui ont precédes & pour trouver quelque liaison entre les definitions dont il a parle & celle qu'il va faire, il fait observer que le violement des preceptes divins ne cause pas moins de trouble, & de division, que* les

terim Bafilii Imperatoris benevolentiam variis artibus captaverat, conabatur Principis opera ac favore priftinam dignitatem recuperare. Nec fuerunt ejus conatus inutiles: res enim ipfi ex fententia fucceffit.

Joannes VIII. ob preces Imperatoris Photium in Sedem Conftantinop. reftituit.

Anno 879. Bafilius Auguftus Legationem mifit ad Joannem VIII. qua Photium, in Sedem Patriarchalem Conftantinopolitanam, contra iterata Decreta Nicolai I. & Hadriani II. intrufum, in Sedis Apoftolicæ communionem fufcipi, & in Patriarchali Sede confirmari, ardentibus votis poftulabat.

Imperatoris precibus permotus, ac tandem victus Joannes VIII. ejus votis annuit, & Photius in communionem & Sedem reftituit.

Fabula de Joanne Papiffa.

Hoc fuo facto *magnam exiftimationi fuæ, & Cathedræ Pontificiæ notam inuffit*, ait Baronius, qui fubdit: „ Hinc factum puto, quod ob nimiam Joannis animi „ facilitatem & mollitudinem, abjecta penitus omni „ virilitate, fractus animo, Sacerdotalis conftantiæ „ expers, atque robore enervatus, non Papa ut Ni- „ colaus & Hadrianus, fed Papiffa fuerit contumeliæ „ loco dictus: utpote quod qui nec refiftere fciret Eu- „ nucho, quique vinceretur a femiviro, non vir, fed „ effet fœmina potius nuncupandus, & fic nomen „ contumeliæ tranfierit pofteris rerum infciis in veri- „ tatis opinionem, atque ita a compluribus decanta- „ tum fuerit, Joannem VIII. Papam fuiffe fœminam, „ ficque jactata vulgo invenerit eo modo locum fabula.

Legatus cum litteris & Commonitorio Joannis VIII. Conftantinop. miffus. Præ... litteras Joannis VIII. corrupiffe dicitur.

Igitur cum Oratoribus Imperatoris Joannes VIII. novum Legatum Petrum Tituli S. Chryfogoni Presbyterum Cardinalem Conftantinopolim direxit, qui duobus aliis Legatis jam in Oriente degentibus adjunctus, Ecclefiæ Conftantinopolitanæ ftatum fecundum mandata Sedis Apoftolicæ in commonitorio contenta, quod ex Synodi fententia ipfi datum erat, componeret.

Petrus Conftantinopolim advenit in Novembri 779. itaque Photio fummi Pontificis Epiftolas & commonitorium tradidit, & credit fore ut in Græcum verfæ in Synodo mox celebranda recitarentur: eas vero Photium in multis truncaffe, interpolaffe ac immutaffe oftendere conatur Baronius loco citato, illas, ut in Synodo a Photio lectæ funt, conferendo cum ipfis eifdem litteris, prout in Regefto Epiftolarum Joannis VIII. confervatas & repertas fuiffe teftatur idem Baronius.

Synodus Conftantinopol. 380. Epifcoporum fub Photio.

Synodus itaque celebrata fuit in ipfa urbis Regiæ primaria Ecclefia *fanctæ Sophiæ*. Adfuere 380. Epifcopi, cum Patriarcharum Orientalium Vicariis, & Legatis Apoftolicis. Imperator quoque cum filiis fuis & Imperii collegiis eam fua præfentia decoravit.

Ab Ecclefia Romana non recepta.

In hac Synodo inter cetera abrogata & annullata fuit Synodus habita fub Hadriano II. quæ communiter dicitur VIII. *OEcumenica*, in qua contra Photium fententia dicta fuerat; ac omnia, quæ contra Photium acta fuerunt fub Pontificatu Nicolai I. & Hadrian. II. in irritum miffa & annullata; multaque injuriofa in dictos Pontifices declamata fuere; ut idcirco nec Ecclefia Romana eam ut legitimam ac OEcumenicam Synodum receperit: ac propterea etiam ab ejufdem Canonibus referendis abftinuiffem, nifi Gratianus, aliique nonnulli recentiores Canonum Collectores, hanc Synodum agnoviffent; & unum e 3. Canonibus eidem a Græcis adfcriptis, fub nomine Synodi Conftantinopolitanæ retuliffent; atque ita quodammodo eos Canones probaffent, ut mox videbimus (*a*).

Quare illius Canones hic exhibeantur?

les conteftations touchant la foi; Appliquant enfuite cette reflexion au fujet il s'agit, il infinue que les preceptes qui ont eté violès, font ceux qui defendent l'ambition, laquelle depofe l'innocent pour elever le coupable, comme elle avoit fait en depoffant le Saint Patriarche Ignace, pour mettre à fa place l'injufte, le mèchant & l'impie Photius.

(a) Obfervandum a Græcis non admitti Synodum octavam OEcumenicam, in qua Photius damnatus eft, fed in hujus locum fupponunt pfeudo-Synodum, cujus Canones inferius exponuntur; iftius pfeudo-Synodi conventum habuit Photius ut memoria Concilii VIII. in quo damnatus fuerat, deleretur. Caufæ Photii adblandiuntur fchifmatici Græci, & pfeudo-Synodi Canones in fua collectione admiferunt Balfamon, & Zonaras.

S C H O L I A

In Canones Pfeudo-Synodi Conftantinopolitanæ fub Photio 879.

CANON PRIMUS.

Statuit fancta & univerfalis Synodus, ut fi qui ex Italiæ Clericis vel Laicis, vel Epifcopis in Afia, vel Europa, vel Libya verfantes fub ligatione, vel depofitione, vel anathematizatione apud fanctiffimum Papam Joannem fuerunt, ut ii quoque fint apud Photium fanctiffimum Patriarcham Conftantinopolit. in eadem pœnæ definitione, id eft, vel depofiti, vel anathematizati, vel fegregati: & quod Photius quidem fanctiff. nofter Patriarcha Clericos vel Laicos, vel Epifcopalis, vel Sacerdotalis Ordinis in quacumque Parœcia, fegregationi, vel depofitioni, vel anathematizationi fubjecerit, fanctiffimus quoque Papa Joannes, & fancta Dei Romanorum Ecclefia, eofdem in eadem pœnæ judicio habeat; privilegiis, quæ fanctiffimæ Romanorum Ecclefiæ Sedi, & ejus Antiftiti adfunt, nihil penitus innovatis, nec nunc, nec in pofterum.

SCHOLION.

Excommunicatus ab uno Epifcopo, non recipiendus ab aliis.

SEVERINUS Binius in notis ad hanc Synodum fecutus more fuo Cardinalem Baronium, relato hoc Canone, ait: " ficque confectus de his eft primus Canon; „ quo quis non viduas fumma Photii calliditate inter- „ ceptas effe appellationes ad Apoftolicam Sedem & „ recurfum ad eam? fiquidem ablata fuit per Cano- „ nem iftum auctoritas Romani Pontificis, ut judicare „ non poffet, quos Photius condemnaffet. Quis ani- „ mo concipere poteft, Legatos Apoftolicæ Sedis adeo „ ofcitantes & prodigentes jura Apoftolicæ Sedis, ut „ & adverfus contra ea obnitentes, non tantum non „ reftiterint, fed ut ifthæc fancirentur, ipfi fuggeffe- „ rint? an non manu palpantur commenta Photii?

Verum cum jampridem Canone V. Nicæno, aliifque quamplurimis decretum effet, excommunicatum ab uno Epifcopo, ab aliis non effe recipiendum; atque per claufulam finalem hujus Photiani Canonis follicite cautum effet, nihil per hoc decretum derogatum iri *Privilegiis fanctiffimæ Romanorum Ecclefiæ*, non video cur Vicarii Sedis Apoftolicæ tantæ ofcitantiæ aut prodigalitatis jurium Sedis Apoftolicæ effent arguendi; tametfi ipfis præfentibus & non contradicentibus hic Canon editus effet.

CANON II.

Etiamfi hucufque nonnulli Antiftites, qui ad Monachorum habitum defcenderant, ut in Epifcopali faftigio manerent, viam adhibuerunt: & cum hoc facerent, neglecti funt; fancta tamen & univerfalis hæc Synodus hanc negligentiam quoque corrigens, & ad ritus Ecclefiafticos hanc inordinatam actionem redigens, ftatuit, ut fi quis Epifcopus, vel aliquis alius ex Pontificali dignitate voluerit ad vitam Monafticam defcendere, & pœnitentiæ locum implere, ne amplius Antiftitis dignitatem ufurpet. Monachorum enim profeffiones fubjectionis & difcendi cupiditatis rationem habent, non autem doctrinæ vel primatus; nec alios pafcere, fed ipfos pafci profitentur: & ideo quemadmodum prædictum eft, decernimus, ut nemo eorum, qui in Epifcopalem Paftorumque catalogum relatus eft, ad eorum, qui pafcuntur & agunt pænitentiam, locum fe dimittat: fi quis autem hoc facere aufus fuerit, poft denuntiationem & declarationem hujus editæ fententiæ, ipfe qui feipfum Epifcopali gradu privavit, non amplius ad priorem, quam factis defpicatui habuit, dignitatem revertetur.

SCHOLION.

Quod Epifcopus tranfiens ad vitam Monafticam, ad Epifcopatum redire nequeat. Canon contra S. Ignatium conditus.

HUNC Canonem a Photio, ejufque fautoribus editum fuiffe creditur, ut S. Ignatium, qui a folio Patriarchali Conftantinopolitano pulfus, in Monafterium fecefferat, a Sede Apoftolica & VIII. Synodo illegitime reftitutum fuiffe imperitis perfuaderet.

Refertur nihilominus ab Ivone.

Nihilominus Ivo Carnutenfis in fuo Decreto *p. 7. c.* 149. Canonem ita expreffit; *Apocryfiarii Papæ dixerunt: hoc nequaquam apud nos habetur, ut quicumque de Pontificali ordine ad Monachorum, id eft pœnitentium defcenderit vitam, ulterius poffit ad Pontificatum reverti* Item. *Præcepit fancta* Synodus, *ut quicumque de Pontificali dignitate ad Monachorum vitam, & pœnitentiæ defcenderit locum, nequaquam jam ad Pontificatum refurgat: Monachorum enim vita fubjectionis verbum habet & difcipulatus, non docendi, vel præfidendi, vel pafcendi alios.*

A Gratiano. Item

Ivonem fecutus Gratianus eumdem Canonem iifdem verbis retulit *7. quæft. 1. Can.* 45. tamquam *ex 5. actione Conftantinopolitanæ Synodi* 383. *Patrum fub Joanne VIII. cui præfuit Petrus Presbyter Cardinalis, & Paulus Anconitanus Epifcopus, & Eugenius Oftienfis Epifcopus.*

Monent hic Correctores Romani; *hæc Synodus fub Joanne*

***Joanne VIII. extat in Vaticana Bibliotheca, cujus Synodi tres tantum Canones cum explanatione Balsamonis editi sunt Lutetiæ, & apud ipsum inscribitur: Synodus in Templo sapientiæ habita sub Photio Patriarcha. In Secundo autem trium illorum Capitulo habetur hujus capitis Sententia*. Hæc illi; qui ad clariorem hujus Canonis, prout a Gratiano refertur, explanationem, eum integrum, ut apud Balsamonem extat, Græce & Latine subjiciunt.

a S. Thoma. Hujus quoque Canonis auctoritate, Gratianum secutus, utitur S. Thomas 2, 2. *qu.* 185. *art.* 4. *ad* 2.

Quia & Innocentius III. in *cap. XI.* ✠ *de renuntiatione*, rogatus ut postulatum in Ravenatem Archiepiscopum confirmare dignaretur, respondit: *verum postulationi hujusmodi videbatur Concilii Constantinopolitani Capitulum obviare, in quo statutum, ut quicumque de Pontificali dignitate ad Monachorum vitam, & pœnitentiæ locum descenderit, nequaquam ulterius ad Pontificatum ascendat: unde contra dictum Concilium (cum sit unum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur) nullatenus videbatur eorum postulatio admittenda.*

Innocentius III. eum tribuit Concilio Constantinop. Primo. Quin hic citet Innocentius Canonem præsentem, prout in Gratiano extabat, nemo ambigit. Quod autem Concilium Constantinopolitanum, cui Canonem attribuit, dicat esse unum e quatuor Conciliis, *quæ sicut quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur*, evidenter ostendit, Innocentium hunc Canonem tribuisse Concilio Constantinopolitano I. in quo *doctissimi Pontificis Scriniarium memoria fuisse lapsum*, monet Lupus *tomo 2. Schol. pag.* 1560.

SensusCanonis ex mente Innocentii III. Ceterum Canonem illum intelligendum esse docet Innocentius, ut ad Episcopalem dignitatem resurgere non valeat, qui ob crimen Episcopatum deserens, vitam Monasticam agendæ pœnitentiæ causa amplexus est: plures autem casus esse, in quibus, hoc Canone non obstante, rursus queat a vita Monastica ad Episcopatum ascendere.

Institutum Episcopale & Monasticum in hoc Canone recte discerni; vitamque Monasticam vitam *pœnitentiæ* dici, ex Scholiis ad Canonem IV. Chalcedonensem, & XLIII. Trullanum intelligi potest.

Id autem bene advertit Balsamon; quod Præsules prohibentes, Episcopos ad vitam Monasticam tamquam statum pœnitentiæ transire " non prohibeant pœni-
" tentiam ut rem odiosam & avertendam (ea enim
" magna quoque laude digna est) sed significent tales
" esse Antistites, & ita vivere, ut propemodum pœ-
" nitentia non indigeant, sed & suis intercessionibus
" Deum aliis placent.

CANON III.

Si quis Laicus auctoritate usus, divinis quidem & regiis jussis contemptis, reverendisque Ecclesiæ ritibus & legibus irrisis, aliquem Episcopum verberare ausus fuerit, vel in custodiam tradere, vel sine causa, vel aliqua conficta causa, is sit anathema.

SCHOLION.

" CUM audis, inquit hic Balsamon, Canonem di- Contra Magistratus, verberantes aut incarcerantes Episcopos.
" centem, quod ille Laicus anathematizatur,
" qui sine causa vel cum ficta causa, hoc est præter
" rationem sola auctoritate usus Episcopum vel ver-
" beraverit, vel custodiæ tradiderit, ne dicas, argu-
" mento a contrario sumpto, licere Laicis Magistra-
" tibus Episcopos ex justa & probabili causa verbe-
" rare & custodiæ tradere. A diversis enim Canoni-
" bus, & Novellis Constitutionibus didicisti, quod
" Laici Magistratus nullam habent in Episcopos juris-
" dictionem; unde etiam Laicus, qui quemvis Antisti-
" tem vel verberat, vel conjicit in carcerem, etiamsi
" ex causa longe justissima, & majorem Magistratum
" gerat, punietur, & causæ bonitas ac probabilitas ei
" non proderit. Audiet enim, quod Synodis, iisque
" solis, Antistites punire permissum est; & debebat de
" Antistite cognitionem ad convenientem Synodum re-
" mittere, & se ab Episcopalis causæ disceptatione
" integrum intactumque conservare. Adjectum est au-
" tem Canoni istud *sine causa*, & reliqua, propter
" anathematizationem. Neque enim æquum erat, ut
" Magistratus, qui justæ causæ prætextu tale quid
" fecerat contumeliosius in Episcopum, anathematiza-
" retur, sed aliquo alio modo puniretur.



COM-



COMMENTARIUS IN JUS NOVUM CANONICUM.

PARS SECUNDA.

De primis Decretalium Collectionibus.

DISSERTATIO PRIMA.

De Collectionibus Isidori vulgo Mercatoris.

§ I.

Quando, & a quo hæc Collectio facta?

Quo præcise tempore confecta, incertum est.



UO præcise tempore hæc Canonum collectio confecta sit, incertum est.

Eminentissimus Cardinalis de Aguirre dissertatione 1. *num.* 10. *tom.* 1. collectionis maximæ Conciliorum omnium Hispaniæ præfixa, ait, *certum apud omnes exploratumque* esse, collectionem Isidorianam intra spatium duorum sæculorum, id est, ab initio sæculi septimi, usque ad finem sæculi noni factam fuisse, non vero antea, aut postea. Sed quo præcise tempore intra duo sæcula illa facta sit, nescitur.

Sub finem sæculi octavi in Germaniam allata.

Scribit Hincmarus Rhemensis in opusculo adversus Hincmarum Laudunensem Nepotem suum *cap.* 24. De libro " collectarum Epistolarum ab Isidoro, quam de „ Hispania allatum Riculphus Episcopus Moguntinus, „ in hujusmodi sicut & in Capitulis Regiis studiosus, „ obtinuit, & istas regiones ex illo repleri fecit (*a*),

Hincmarum hoc loco indicare collectionem vulgo Isidori Mercatoris, quæ veterum Pontificum Romanorum Decretales Epistolas continet, nemo dubitat. Quare nec illud ambiguum, hanc collectionem primum a Riculpho Moguntino Episcopo Moguntiam allatam, & in alias Regiones divulgaram: idque, ut apparet, circa finem sæculi octavi, nam ut constat ex Annalibus incerti auctoris a Pithæo levulgatis, *anno* 786. *Lullo Moguntiacensi Episcopo defuncto Richolf successit*.

Præferebat nomen Isidori; eumque *Hispalensem* credidit Hincmarus.

Ex relatis Hincmari Rhemensis verbis constat, collectionem hanc a Riculpho in Germaniam allatam prætulisse nomen *Isidori*. Cum autem ex Hispania asportaretur, facile creditum fuit, per Isidorum significari Isidorum *Hispalensem*, virum non tantum apud Hispanos, sed & exteros tunc temporis nominatissimum: atque in eam opinionem transiisse Hincmarum patet ex ejusdem *Epistola* 7. *cap.* 12. ubi scribit: "Scriptum „ namque est in quodam sermone sine exceptoris no„ mine de gestis Sylvestri excepto, quem *Isidorus His„ palensis* Episcopus collegit cum Epistolis Romanæ Se„ dis a S. Clemente usque ad Beatum Gregorium.

Nonnulli præeunte Hincmaro idipsum crediderunt; atque in citata Dissertatione pluribus adstruere conatur Cardinalis de Aguirre.

(a) Ab Hincmarus Rhemensi complures saltem ex his Epistolis rejectas fuisse, inter viros criticos confessa res est.

Et quidam alii.

Illud constat ex Redempto Diacono aliisque vitæ S. Isidori Hispalensis scriptoribus, hunc Isidorum finem vivendi fecisse anno 636.

Constat integram collectionem ei non posse adscribi.

Hinc evidenter concluditur, collectionem Canonum, prout hodie extat sub nomine Isidori, nequaquam posse adscribi S. Isidoro Hispalensi, quandoquidem plura „ in ea referantur Concilia, quæ pluribus annis post designatum annum mortis ejus celebrata fuere, quemadmodum notavit Antonius Augustinus de Collectionibus Canonum *c.* 18. ubi de hac Collectione agitur.

Neque id negat Aguirrius, qui & propterea candide fatetur, hanc collectionem integram, ut nunc extat, huic sancto Episcopo Hispalensi tribui non posse: "id„ que (ait *num.* 21.) patet ex ipsa præfatione, in „ qua allegatur Concilium Constantinopolitanum cele„ bratum sub Agathone Papa anno 680. id est quadra„ ginta quatuor annis post obitum ejusdem Isidori. Pa„ tet similiter ex Epistolis in collectione contentis, „ Gregorii III. & Zachariæ Pontificum Romanorum, „ quorum prior pervenit usque ad annum 741. poste„ rior usque ad 751. Quod argumento ineluctabili est, „ alium quempiam Isidoro Hispalensi longe posterio„ rem, immo & fortasse nonnullos alios, post obitum „ curasse, ut collectioni jam editæ recentiora Conci„ lia, & Epistolæ posteriores Romanorum Præsulum „ adjicerentur in aliquibus exemplaribus.

Nec Integram Præfationem.

Similiter nec totam præfationem Isidorianæ collectioni præfixum S. Isidoro Hispallensi tribui posse, ingenue fatetur, eo quod & in hac istius Concilii Constantinopolitani sub Agathone mentio occurrat,

Præcipuam partem ei adscribit Card. De Aguirre. Cujus sententiæ plura obstare videretur.

Prætendit tamen Aguirrius " priorem & præcipuam, „ tam collectionis, quam præfationis partem, nimi„ rum usque ad annum 619. ab eodem S. Doctore „ elaboratam fuisse.

Verum si Sanctus hic Doctor tum doctrina, tum sanctitate apud Hispanos adeo celebris, hanc collectionem usque ad eum annum elaborasset, totque consequenter primorum Pontificum Romanorum, qui ipsis etiam Apostolis aut Apostolicis temporibus pene coævi fuerant, & fidem Christianam profuso sanguine confirmarunt, litteras Decretales e tenebris eruisset; quis credat, opus tale omitti potuisse ab iis, qui hujus sancti Doctoris opera diligenti cura annotarunt? Maxime cum initio præfationis auctor collectionis dicat; " compul„ sum a multis tam Episcopis, quam reliquis Servis „ Christi, Canonum sententias colligere, & in unum „ volumen redigere, & de multis unum facere.

Quin §. 13. scribit: " Scire autem vos *octoginta* „ Episcopos, qui hoc opus me incipere & perficere „ coegistis, & reliquos Domini Sacerdotes oportet, „ quod plura quam illa viginti Capitula &c.

Hæc esse S. Isidori Hispalensis, credibile admodum esse putat Auguirrius. Nam (ait) quis " alius, rogo, „ in Hispania Isidorus fuit, præter Hispalensem, tan„ tæ auctoritatis & opinionis adeo celebris, ut octo-

ginta

„ ginta Hispaniæ Episcopi illum iteratis precibus compellerent ad eam collectionem elaborandum ? Nemo certo fuit ; nec invenietur, aut conjici prudenter poterit.

Sane si nemo Isidorus in Hispania esset *tantæ auctoritatis, & opinionis tam celebris*, præter Hispalensem, qui ad hoc opus elaborandum ab 80. Episcopis rogaretur, an etiam credibile, ut opus rogatu tot Episcoporum, a tanto viro elaboratum, totque pretiosa venerandæ antiquitatis monumenta complectens, adeo fuisset obscurum, ac ita neglectum, ut nemo id inter ejus opera recensere voluisset?

In nullo exemplari nomen Hispalensis exprimitur.

Quin, quod amplius est, ullum hactenus repertum esset exemplar, quod hujus sancti Episcopi nomen præferret.

Asserit quidem Aguirrius, a se visum antiquum MS. in Bibliotheca Vaticana scriptum ab octingentis trigenta circiter retro annis, tempore Nicolai I. in quo definit, in quo habetur initio litteris grandioribus: *Incipit præfatio Isidori Episcopi*; sed cum non dicatur, Episcopi *Hispalensis*, nihil ex hoc titulo per Hispalensi efficaciter concludi potest.

Et licet exprimeretur non sequeretur, quod esset auctor.

Deinde licet etiam in titulo nomen *Isidori Hispalensis* esset expressum, an hinc concludendum esset, hoc esse hujus Isidori genuinum opus? Si enim collectionis auctor tot Decretales Epistolas primis Romanis Pontificibus affingere & supponere ausus sit, quidni, ut operi suo fidem & auctoritatem conciliaret, illud tantæ auctoritatis, & opinionis adeo celebris, viro adscribere; & sub ejus nomine evulgare potuit?

Nec id evincit congruentia Præfationis cum verbis Isidori.

Similiter, quod „ multa verba, quæ in præfatione hujus collectionis leguntur, sint in libro quinto Ethymologiarum Isidori Hispalensis „: uti natant Correctores Romani, argumentone est, præfationem esse ipsius, uti contendit Aguirrius? Nequaquam; cum eadem opera collectionis auctor, laciniam hanc e libro Isidori suæ præfationi assuere potuerit, qua Decretales Epistolas, aliaque plura suæ collectionis monumenta e variis Patrum laciniis conflavit, uti infra notabimus.

Quis igitur fuerit hujus collectionis auctor, admodum incertum apparet.

Manet incertum quis sit auctor; sed vulgo dicitur Isidorus Mercator.

Testantur Correctores Romani Decreti Gratiani in præfatione ad Lectorem: „ In Codice Dominicanæ Bibliothecæ initio præfationis ita legitur: *Isidorus Mercator servus Christi, lectori conservo suo*, &c. nec multo secus in Vaticanis: quo loco in impressis est, *Isidorus servus Christi* &c.

Plures credunt cum Petro de Marca *lib. 3. de Concordia Sacerdotii & Imp. cap. 5.* primitus scriptum fuisse, *Isidorus Peccator*; quod olim solemnis mos fuerit, ut Episcopi humilitatis gratia, se *peccatores* scriberent; pro *peccatore*, autem Scribarum oscitantia positum fuisse, *Mercatore*.

Certum est, jampridem collectionem hanc vulgo dictam esse, & hodie dici *Isidori Mercatoris*.

Observat Antonius Augustinus *lib. 1. de emendat. Gratiani dial. 6.* „ Apud Ivonem in veteri Panormitæ libro dicitur *Isidorus Mercator*, & in excerptionibus sic est: *Ex præfatione Isidori in Opus Canonum. Isidorus Mercator servus Christi*, &c. Idem nomen scio in quibusdam veteribus libris Conciliorum Romæ inveniri.

Quidquid sit de auctore hujus collectionis, vulgo quidem creditum fuit, eam, notanter quoad Epistolas Decretales primis Pontificibus adscriptas, in Hispania confectam, atque ibidem tandem repertam per Riculphum Moguntinum Archiepiscopum in Germaniam fuisse allatam, ac proinde a plerisque creditum fuit, auctorem hujus collectionis indubitanter fuisse Hispanum:

Opinio Davidis Blondelli.

verum David Blondellus, qui præ cæteris hanc collectionem, summo labore & industria discussit, atque Decretalium illarum falsitatem detexit in opere, cui titulus: *Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes*, &c. ostendit in Prolegomenis *cap. 5.* auctorem seu collectorem harum Decretalium nequaquam fuisse Hispanum, nec hanc collectionem in Hispania fuisse confectam, sed ejus auctorem fuisse Germano-Francum, vel Gallo-Francum verisimile esse, contenditque admodum probabile esse, Moguntinenses, ac notanter Benedictum Levitam seu Diaconum ejusdem Ecclesiæ ad hanc collectionem non parum contulisse.

Utrum argumenta illic producta id sufficienter evincant, lectoris judicio suspensus relinquo. Illud interim recte reflectit auctor quidam non ineruditus, quod „ audacissimi consilii videatur, inceptum esse, ut privatus aliquis Episcopus, aut Levita, tam numerosam Epistolarum, velut a primis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus profectarum congeriem, sine altioris auctoritatis fulcro sustineat comminisci, & pro sinceris mercibus tam spuria scrupta coram tota Ecclesia in vulgus spargere. Nam pro talibus ausis sponte susceptis, frequenter hujuscemodi interpolator aut veterator vice præmii non aliud referret, nisi quoad animam, Ecclesiasticis diris percelli, & quod corpus, in pane doloris & aqua tristitiæ ergastulo perpetuo mancipari.

Illud præterea indubitatum est, Curiam Romanam hanc falsarum Decretalium collectionem non omni studio sustinuisse, atque allaborasse, ut Epistolæ hæ Decretales ut authenticæ, & tamquam a primis illis & sanctissimis Pontificibus emanatæ ubique reciperentur, ipsa auctoritas Pontificibus Romanis in illis asserta ab omnibus agnosceretur.

§. II.

De Materia hujus Collectionis.

Primo expressit ordinem celebrandi Concilia.

Illa, quæ Auctor hujus Collectionis in unum collegit, ipse in præfatione operi præfixa attingit.

„ In principio, ait, voluminis hujus, qualiter Concilium apud nos celebretur, posuimus „. Ordinem nimirum de celebrando Concilio ex Concilio Toletano IV. desumptum. Integer ex Collectione Isidori habetur apud Labbæum *tom. 1. Concil.*

Deinde Canones Apostolorum legendi.

Sequitur in præfatione; „ Propter eorum auctoritatem cæteris Conciliis præposuimus Canones, qui dicuntur Apostolorum (licet a quibusdam Apocryphi dicantur) quoniam plures, qui eos recipiunt, & Sancti Patres eorum sententias Synodali auctoritate roboraverunt, & inter Canonicas posuerunt constitutiones.

Sed tantum 50. priores.

Solos priores 50. Canones Apostolorum retulit; atque hic patet, nequidem horum auctoritatem, etiam sæculo VIII. ab omnibus agnitam fuisse.

Hanc præfationis partem sub nomine Isidori refert Gratianus *dist. 16. Can. 4.* cum immediate ante *Can. 1.* etiam sub nomine Isidori retulisset plane contrarium his verbis; „ Canones, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec Sedes Apostolica recipit, nec Sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur. Quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab auctoritate Canonica atque Apostolica, eorum gesta constat esse remota, atque inter apocrypha deputata.

Antonius Augustinus *lib. 1. Dial. 6. de Emend. Gratiani* ait: hæc verba (scilicet postrema) „ in omnibus veteribus libris Hispaniæ Conciliorum inveniuntur, non illa, quæ Isidorus Mercator in præfatione Conciliorum scripsit; quæ etiam Gratianus in *capite* 4. ejusdem distinctionis posuit; neque distinxit varietatem horum scriptorum, ut debuit, cum contraria dicerent (hic enim Mercator hos Canones probat, quos ille rejecerat) sed utrumque Isidorum vocat „. Hæc ille.

Argumentum sane non exiguum, collectionis hujus auctorem haud fuisse S. Isidorum Hispalensem, apud Hispanos tam a doctrina, quam vitæ Sanctitate nimium celebratum, quam ut ejus scriptorum memoria in Hispaniarum Conciliis ita periisset.

Hinc quoque collige, quam parum exactus in sua compilatione fuerit Gratianus.

Post hæc exhibet Epistolas Decretales primorum Pontificum

Prosequitur præfatio: „ Deinde quarumdam Epistolarum Decreta Virorum Apostolicorum inseruimus, id est, Clementis, Anacleti, Evaristi, & cæterorum Apostolicorum, quas potuimus hactenus reperire Epistolas usque ad Sylvestrum Papam.

Hæ sunt fere famosæ veterum Pontificum Decretales, de quibus inter Eruditos, præsertim circa initia proxime elapsi sæculi, non exigua contentio fuit.

Ne quis vero eas cum veris & genuinis nonnullis horum Pontificum Epistolis aut scriptis a fide dignis Historicis, aliisque auctoribus, tamquam probatis antiquitatis monumentis, posteritati conservatis, confundat, nominatim infra recensebimus illas, quas Isidorus primus prodidisse legitur; quodque sit singularum præcipuum argumentum, breviter annotabimus, & quæ falsitatis seu suppositionis indicia singulæ præferant, indicabimus.

Et decreta Synodorum, & recentiorum Pontificum

Prosequitur præfatio: „ Postmodum vero Nicænam Synodum constituimus, propter auctoritatem ejusdem magni Concilii, deinceps diversa Concilia Græcorum & Latinorum, sive quæ ante, sive quæ postmodum facta sunt, sub ordine numerorum ac temporum capitulis suis distincta, sub hujus voluminis aspectu locavimus, subjicientes etiam reliqua Decreta Præsulum Romanorum usque ad Sanctum Gregorium, & quasdam Epistolas ipsius, in quibus pro culmine Sedis Apostolicæ non impar Conciliorum extat auctoritas.

Quæ his verbis ab Isidoro insinuantur, sunt hæc; „ Fides Gregorii majoris; Concilium Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Sardicense, Antiochenum, Laodicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense; Edictum Martiani Imperatoris, Sacra Valentiniani & Martiani Augustorum, Edictum Martiani Imperatoris contra hæreticos, Epistola formata qualiter debet fieri: Concilium Carthaginense 1. 2. 3. 4. 5. 6. Milevitanum, Arelatense 1. 2. 3. Valentinum, Taurinatense, Regiense, Auraicense seu Arausicum, Valense, Agathense, Aurelianense; Elibertinum, Tarracononse, Gerundense, Cæsar-Augustanum, Ilerdense, Valentinum, Toletanum 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Bracarense 1. 2. Liber Capitulorum ex diversis Conciliis colle-

,, ctorum a B. Martino Bracarensi Episcopo, Concilium Bracarense 3. Hispalense 1. 2. Excerptiones ex ,, Decretis Sylvestri Papæ, Decreta Marcii Papæ, Julii, Liberii, Felicis, Damasi, Siricii, Anastasii, ,, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cœlestini, Sixti Papæ III. Decreta Epistolica Leonis Papæ I. Decreta ,, Hilarii, Simplicii, Felicis, Gelasii, Anastasii Symmachi; Liber Ennodii, Decreta Hormisdæ Papæ: ,, Libellus fidei Joannis Constantinopolitani, Decreta ,, Joannis Papæ, Felicis, Bonifacii, Joannis, Agapiti, Sylverii, Vigilii, Pelagii, Joannis, Benedicti, Pelagii, ,, Gregorii.

Post hæc Jacobus Merlinus Doctor Parisiensis edita integra hac Isidori collectione tom. 1. suæ collectionis subdidit tamquam ex ipsa Isidoriana collectione, Decreta Gregorii II. Vitaliani, Martini, Gregorii III. & Zachariæ Romanorum Pontificum; quæ Isidori esse non possunt: ,, cum in Gregorio Magno dedisse Isidorum ex ejus præfatione compertum est ,, : ait Labbæus in observatione ad Merlini præfationem; quam ipse Labbæus eum aliorum præfationibus tomo 16. suæ compilationis vice apparatus Conciliorum inseruit.

Quædam recentiore manu adjecta.

Ipsi quoque Gratiani Correctores Romani in citata admonitione Decreto præfixa, Isidorianæ collectioni recentiore manu quædam adjecta esse monent: ,, Cæterum, ,, inquiunt, inter privatos Collectores, qui multo plura congerere studuerunt, perantiquus est Isidorus, ,, cujus collectio protenditur a Canonibus Apostolorum ,, usque ad Concilium Hispalense 2. habeturque in duobus Codicibus Vaticanæ Bibliothecæ, & uno Monasterii Dominicanorum S. Mariæ super Minervam: ,, extat autem impressa in editionibus Conciliorum, in ,, antiquioribus quidem purior, in recentioribus autem ,, multis aliis Conciliis, scriptisque *admixta*.

Quare versio Isidoriana dicatur vetus. Et quo ordine in collectione Conciliorum exhibeatur.

Porro quidquid hac collectione continetur, sive verum & genuinum, sive falsum & apocryphum, in Labbæana Conciliorum compilatione est insertum. Et quidem Canones Græci sub hoc titulo; *Ex interpretatione Isidori Mercatoris*; vel hoc modo, interposita nota marginali, quam ubique adjicit Labbæus: *Ex interpretatione veteri, quæ reperitur in collectione, quam vulgo dicunt Isidori Mercatoris*.

Creditur enim, Isidorum veterem Canonum Græcorum versionem sive interpretationem nobis conservasse; quæ licet nonnunquam minus, quam aliæ versiones, congruat textui originali; uti ex relatione & Scholiis Canonum supra tomo VI. exhibitis colligi potest; nihilominus vel ad disciplinam illius temporis cognoscendam, vel etiam ad sensum Canonis percipiendum, nonnunquam conducere, ex Scholiis nostris quoque disci potest.

Reliqua Conciliorum Decreta, aliaque monumenta ordine temporum servato referuntur. Decreta sive Decretales Pontificum singulis eorum vitis subjiciuntur.

Eaus Gratianus, alii que Canonum Collectores.

Gratianus quoque, aliique Canonum compilatores magna ex parte Isidorianam collectionem in suas compilationes retulerunt; ut vel inde intelligi possit, quam necessarium sit, discernere quæ vera & genuina, quæ falsa & apocrypha in hac collectione contineantur.

§. III.

Isidoriana collectio, & in ea contenta, multis sæculis communi applausu recepta.

Receptionem promovit nomen auctoris præfixum.

Nova hæc Canonum ac Decretalium Isidoriana collectio, mox ut apparuit, vel ob solius nominis splendorem, quo insignita apparebat, plerosque in sui comprobationem intraxit.

Cum enim Isidori nomine esset larvata, vix dubitabatur, quin S. Isidori Hispalensis sanctitate & doctrina nominatissimi opus esset, ut ex Hincmaro Rhemensi supra diximus, & ita nemo non illius desiderio trahebatur.

Item Decretales primorum Pontificum huic collectioni insertæ.

Ad hæc Decretales illæ Epistolæ, quæ sub gloriosissimis illis nominibus Pontificum Romanorum, qui immediate post Apostolos non tantum doctrina, sed & martyrio Ecclesiam illustrarunt, & firmarunt, hactenus ignotæ, in hac collectione apparebant; mirum! quam venerationem apud multos conciliaverint, præsertim eum viderent, & Ecclesiæ disciplinam, ac doctrinam in illis tam vivaciter expressam, & tamquam Apostolicam comprobatam.

Præcipue quia hæ Decretales in multis astruebant auctoritatem Sedis Apostolicæ.

Accedebat, quod Decretales hac collectione contentæ, & quæ præcipuam ejus partem conficiebant, ad asserendam Sedis Apostolicæ auctoritatem, ipsamque Ecclesiasticam jurisdictionem extollendam & fulciendam essent totæ compositæ, uti recte advertit Christianus Lupus *tomo* 4. Scholiorum in notis ad *Canonem* 3. Dictatus vulgo Gregorii VII.

Postquam enim ex præcedentibus conclusit: ,, Suffraganeos igitur Episcopos judicare ac degradare Provinciales Synodi usque ad octavum Domini sæculum omnino potuerunt ,, ; deinde immediate subjungit; ,, In Gallia tunc ac Germania per Francos, in Hispania per Saracenos, in Italia ac Illyrico per Longobardos & Græcos admodum vexata ac depressa erat ,, Apostolicæ Sedis Majestas, & omnis Ecclesiastica jurisdictio; ideoque ad ipsam sublevandas nescio quis ,, pius fidelis *finxit* sub antiquorum Romanorum Pontificum nomine Decretales istas Epistolas, quas passim vocamus collectionem Isidori Mercatoris.

Quam perniciosæ sint hæ spuriæ Decretales.

Sed ad hæc verba Christiani Lupi reflectens, idem eruditus Auctor, de quo supra §. 1. id ferre non potest quod harum Epistolarum Decretalium confictor *pius fidelis* vocetur; unde dicere non veretur, quod hujus viri (Christiani Lupi) servilitas (in Curiam Romanam) vel ,, etiamnum luceat in hoc præbito in gratiis testimonio, dum audacissimum illum ludificatorem Ecclesiæ Dei, adhuc *pii fidelis* titulo insignire non reformidat. Nimirum egregia est plane pietas & fidelitas sanctissimis Romanæ Apostolicæ Sedis Episcopis, & generosissimis Christianæ Religionis Martyribus ,, spurios Litterarum ad totius Ecclesiæ regimen spectantium fœtus supponere; primorum & præstantissimorum Conciliorum generalium statuta convellere; ,, juri veteri Ecclesiastico abolendo, ac Dominatui ,, Monarchico in Christianam Rempublicam invehendo, certissima fundamenta ponere; Evangelicam a ,, Christo institutam, & ab Apostolis observatam disciplinam eradicare; ima summis permiscere, & omnia susdeque vertere. Quamtumvis enim spuriarum Decretalium fabula viris eruditis omnibus jam ,, explorato detecta sit, non tamen propterea abolitæ ,, novæ sunt Decretales Pontificum, quæ ex veteribus illis adulterinis traxere originem, & quæ in jure ,, dicendo, Sacerdotalis distribuendis, dispensationibus ,, elargiendis, indulgentiis concedendis, demum in tota ,, fere Gubernatione Ecclesiæ, putridis illis Pseudo-Isidorianis tibicinibus, velut sua basi præcipua innituntur ,, . Quod latius hic Auctor exponit.

Et revera his confictis Decretalibus primitivam Ecclesiæ disciplinam per VIII. ut minus sæcula in Ecclesia conservatam, auctoritate earumdem collapsam quin & abolitam fuisse a pluribus jam notatum fuit, atque recenter pluribus ostendit Claudius Fleury *Discursu* 3. *Historico num.* 2. *& seqq.* in Ecclesia Græca sive Orientali etiamnum hodie disciplinam avitam magis quam in Ecclesia Latina conservatam; eo quod Ecclesia Orientalis has Decretales, sive Isidorianam collectionem hactenus non receperit.

Cum vero harum Epistolarum fragmenta sparsim Gratiani Decreto sint inserta in *Commentario* ad hoc Decretum singulatim notavimus, qualiter per hanc Decretalium confictionem & receptionem Patrum disciplina fuerit confracta; & quod insuper Romani Pontifices nova hæc in his Decretalibus asserta principia quasi Apostolica Traditione ad nos transmissa suis Decretalibus inseruerint, & pro jure haberi voluerint.

Id probatur ipsius pseudo-Epistolis, eas fuisse compositas ad Apost. Sedis Majestatem augendam.

Interim ex his, quæ in litteris occurrunt, & infra summatim referentur, evincitur, verissimam esse eam Lupi animadversionem; cum vix una sit, quæ non vel ex ipsius summariis ad Sedis Apostolicæ, & Episcoporum auctoritatem composita appareat.

Præcipue autem urgetur in his Decretalibus auctoritas Sedis Apostolicæ in Episcoporum, aliisque majoribus causis dijudicandis & determinandis, quæ in hisce Epistolis privative dictæ Sedi reservatæ asseruntur.

Inter cætera in Epistola 3. Anacleto attributa dicitur, ab hoc sanctissimo Pontifice & Martyre scriptum omnibus Episcopis, ac reliquis Christi Sacerdotibus: ,, Si quæ causæ *difficiliores* inter vos ortæ fuerint, ad ,, hujus Sanctæ Sedis apicem eas quasi in Caput, referte, ut Apostolico terminentur judicio; quia sic ,, Dominum velle, ab eoque ita constitutum esse, antedictis testimoniis declaratur. Hæc vero Apostolica ,, Sedes cardo & caput (ut prætactum est) omnium Ecclesiarum, a ,, Domino & non ab alio est constituta. Et sicut cardine ostium regitur, sic hujus Sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur.

Eleutherius vero ad Episcopos Galliæ scribit: ,, De accusationibus ergo Clericorum, super quibus consulti ,, sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ,, ad Sedem Apost. deferre, finitiva Episcoporum tantum judicia huc deferantur, ut hujus Sanctæ Sedis ,, auctoritate finiantur, sicut ab Apostolis, eorumque ,, Successoribus multorum consensu Episcoporum jam ,, definitum est.

Quin & in prima Epistola Julio I. adscripta dicitur: ,, Ipsi vero primæ Sedis Ecclesiæ convocandarum generalium Synodorum jura & judicia Episcoporum singulari privilegio Evangelicis & Apostolicis, atque ,, Canonicis concessa sunt institutis, quia semper majores causæ ad Apostolicam Sedem multis auctoritatibus referri præceptæ sunt. Nec ullo modo potest ,, major a minori judicari ,, . *Cap.* 1. *& cap.* 2. ,, Porro dudum a sanctis Apostolis, Successoribusque eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, ,, quæ hactenus sancta & universalis Apostolica tenet ,, Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani ,, Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, quoniam sanctam Romanam Ecclesiam Primatem ,, omnium esse voluerunt.

Cum ergo necdum harum Decretalium fictio & sup-

Earum propterea auctoritatem tuebantur Pontifices, ac præcipue Nicolaus I.

positio esset detecta ; immo nec suspicio hujusmodi fraudis incideret, eas in defensionem & assertionem auctoritatis Sedis Apostolicæ assumere non dubitarunt Romani Pontifices, præsertim ut auctoritatem in judicandis & deponendis Episcopis Sedi Apostolicæ privative vendicarent. „ Easdem (ait Lupus) acerrime „ defendit, ac in praxim redegit Nicolaus I. sine præ„ vio suo consensu nullum, licet Sedem Romanam „ non appellaret, deponi deinceps permittens Episco„ pum, ideoque graviter in Hincmarum Metropolitam „ Rhemensem, qui ex vetusta Synodorum auctoritate „ degradarat Rothaldum Episcopum Suessionensem. „ Episcoporum degradationem asseruit esse de majori„ bus Ecclesiæ causis, ideoque juxta vetustam Ecclesiæ „ legem non posse sine prævia ad Sedem Romanam re„ latione attentari.

Hinc illud Nicolai I. *Epist.* 47. ad Galliæ Episcopos de causa dicti Rothaldi: „ Etsi Sedem Apostolicam nul„ latenus appellasset, contra tot tamen & *tanta* vos „ *Decretalium* efferre *statuta*, & Episcopum inconsulti „ nobis deponere nullo modo debuistis.

Et in eadem Epistola generaliter de his Decretalibus ait: „ Absit, ut scripta eorum quoquo modo parvipen„ denda ducamus, quorum videmus Deo Auctore san„ ctam Ecclesiam, aut roseo cruore floridam, aut rori„ fluis sudoribus & salutaribus eloquiis adornatam.

Neque earum auctoritatem negabant Episcopi Galliæ.

Quamvis Hincmarus Rhemensis, & cum ipso plurimi Galliæ Episcopi, acriter sibi causas Episcoporum vendicarent, nequaquam tamen harum Decretalium auctoritatem aut sinceritatem negabant ; vel de fictione eas insimulabant; sed cum in Codice Canonum non extarent, sustinebant, earum auctoritate non posse disciplinam stabilitam tot Canonibus & Decretis Pontificum postmodum editis, & in Codice Canonum relatis, per has Decretales everti : cum si quid hisce contrarium contineatur, censeri debeat per *posteriora* Decreta in Codice Canonum relata illi disciplinæ derogatum, uti advertit Petrus de Marca *lib.* 3. *de Concordia Sacerd. & Imp. cap.* 5. *num.* 3. & post ipsum Emmanuel A Schelstrate in Antiquitate illustrata *Differt.* 3. *cap.* 5. *num.* 303. „ Nam totum (ait) quod ex Hincmaro po„ test colligi, est, eum non admisisse Decreta Epistola„ rum *antiquata* per Canones.

Immo teste Flodoardo, cum Hincmarus apud Joannem VIII. accusaretur, quod Decretales Romanorum Pontificum non reciperet, apologeticum scripsit, quo idipsum falso de se dici ostendit. Sic enim hic in historia Ecclesiæ Rhemensis habet *lib.* 3. *cap.* 21. ex editione Sirmondi : „ Scripsit & Hincmarus Rhemensis) apo„ logeticum contra obtrectatores suos, qui calumnia„ bantur eum diversis detrectationum appetitionibus, „ scilicet apud Papam Joannem, quod nollent in aucto„ ritatem recipere Decreto Pontificum Sedis Romanæ, „ atque & tunc in Synodo Tricassina, & postea hoc „ in apologetico refellens hos convitiatores suos, & se „ Decretalia Pontificum Romanorum a sanctis Canoni„ bus recepta & approbata recipere & sequi discrete, „ prout sunt sequenda, depromens (*a*).

Immo iisdem sæpius utebantur.

Quin & Hincmarum, aliosque Episcopos sæpius usos fuisse hisce Decretalibus, notat ex Hincmari Epistolis de Marca loco citato; convinciturque ipsius Nicolai I. testimonio Galliæ Episcopis exprobrantis citata Epistola, quod earum auctoritate pro causæ suæ commoditate uterentur. „ Quamquam quidam vestram (ait) „ scripserint, haud illa Decretalia priscorum Pontifi„ cum in toto Codicis Canonum corpore contineri de„ scripta : cum ipsi, ubi suæ intentioni hæc suffragari „ conspiciunt, illis indifferenter utantur, & solum nunc „ ad imminutionem potestatis Sedis Apostolicæ, & ad „ suorum argumentum privilegiorum minus accepta es„ se præbeant.

Sensim communi consensu probatæ.

Dum igitur nemo harum Decretalium sinceritatem & veritatem in dubium vocaret, ac præterea Romani Pontifices accerrime earumdem auctoritatem urgerent ; quin & Episcopi iis frequenter uterentur tamquam sinceris & pretiosis Antiquitatis monumentis, easque libenter amplecterentur quoad ea, quæ posterioribus Canonibus non erant contraria ; eandem effectum, ut uno quasi consensu, tantis nominibus pristinorum Pontificum & Martyrum cedentes Episcopi, earum auctoritatem & disciplinam iis contentam receperint.

Et in Synodis allegatæ.

Ita in Concilio Rhemensi anno 992. Episcopi Galliæ „ Anacleti, Julii, Damasi, & aliorum Pontificum Epi„ stola expendunt in causa Arnulphi, inquit de Mar„ ca *l.* 2. *cap.* 6. §. 2. *de Concord. Sacerd. & Imp.* ac „ si in Canonum census receptæ essent.

A Gratiano, aliisque Canonum Collectoribus receptæ.

Quinimmo quotquot hoc, & sequentibus sæculis celebrata fuere Concilia, Epistolis his, aliisque in hac collectione exhibitis testimoniis usa fuere.

Sequuti sunt ipsorum Canonum Collectores, Burchardus Wormatiensis, Ivo Carnutensis, ipseque Gratianus ; cujus Decretum fragmentis Epistolarum Decretalium, aliorumque ex hac collectione desumptis plenum est.

Quod Decretum cum cœpit publice in Scholis prælegi, & Commentariis Doctorum illustrari, omnes passim Theologi Polemici & Scholastici, omnesque Juris Canonici interpretes plusquam a 400. annis ad nostra fere tempora, horum omnium testimonia pro confirmatione Dogmatum Catholicorum, & stabilienda Ecclesiæ disciplina uno quasi consensu laudarunt, & iis libros suos impleverunt ; quod manifestius est, quam ut nostra expositione indigeat (*a*).

§. IV.

Probatur falsitas Decretalium, quæ in Collectione Isidoriana adscribuntur primis Pontificibus Romanis.

Primum falsitatis argumentum.

PRIMUM argumentum desumitur ex silentio omnium Antiquorum per sex ut minus sæcula de his Epistolis. Omnes enim hæc famosæ Decretales, quas Isidoriana collectio adscribit pristinis Pontificibus Romanis a Clemente usque ad Siricium, si primam Clementis, quam saltem pro parte e Græco in Latinum vertit Ruffinus, exceperis ; pristinis Patribus & auctoribus, quin & Romanis Pontificibus usque ad VII. ut minus sæculum ignotæ fuerunt ; nec in ullo ætatis illius Concilio auctoritas illarum adducta fuit ; uti etiam ipse Antonius Augustinus (qui pene solus ex Eruditis pro earum auctoritate adduci solet) jam pridem non obscure fassus. „ Illud (ait) verum est, Nicolaum I. referre non „ uno loco verba earum Epistolarum : quod a tempo„ ribus Hadriani Pontificis, & Caroli Magni Imperatoris „ fieri cœptum est. Prioribus Scriptoribus ignotæ fuis„ se videntur „: *Lib.* 2. *de Emend. Grat. dial.* 14.

Quis vero credat, tot Epistolas a sanctissimis illis atque Apostolicis viris conscriptas, totque momentosa disciplinæ puncta, & dogmatum articulos continentes, fuisse Eusebio, Hieronymo, aliisque Ecclesiasticas Scriptoribus, qui tam sollicite Romanorum Pontificum litteras conservarunt, adeo ignotas, ut ne vel unius apud ipsos vestigium extet?

Quis credat fieri potuisse, ut tam momentosa antiquitatis instrumenta per tot sæcula ita fuissent ne lecta, ita occultata, ut nullus earum auctoritate usus esset : præsertim cum notorium sit, plurimas fuisse toto illo sex septemve sæculorum curriculo controversias, easque magna utrimque animorum contentione agitatas super punctis, quæ harum Decretalium auctoritate facile decisæ fuissent?

An credibile est, quod nullus Romanorum Pontificum usque ad sæculum IX. quo sedit Nicolaus I. iis usus fuisset pro asserenda auctoritate Sedis Apostolicæ, quæ tam claris & urgentibus terminis, etiam in punctis, super quibus accerrime aliquando decertatum fuit, in iis Epistolis asseritur?

Verisimilene est, quod si hæ Epistolæ a pristinis illis sanctissimis Pontificibus, & gloriosis Martyribus quaquaversum, ad omnes etiam remotiores Provincias & Regiones missæ fuissent (quemadmodum inscriptiones earum passim præferunt) sic oblitterari potuissent, ut nulla earum exemplaria ante sæculum VII. vel VIII. innotuissent? aut earum memoria ita periisset, ut pro stabiliendis fidei Catholicæ dogmatibus, aut firmanda Ecclesiastica disciplina, a nullo unquam ante sæculum VIII. vel IX. mentio illarum facta esset? licet frequenter de iis dogmatibus & disciplina Ecclesiæ asserendis ante hoc sæculum actum sit, quæ in his Decretalibus fortiter & dilucide asseruntur & determinantur : atque ita auctoritate harum Decretalium plurimum ponderis accepissent ; quin & decisæ fuissent acerrimæ super his contentiones & divisiones.

Quam opportunæ, quantique ponderis fuissent hæ Decretales ad asserendam & stabiliendam Canonicam quamcumque disciplinam, probant universa Concilia, Pontificum Decretales, Episcoporum Decreta, nec non Canonum collectiones, quæ sæculo IX. & sequentibus disciplinam Ecclesiasticam promovere sategerunt : utpore quæ ubique pene harum Decretalium (quæ tum invaluerunt) auctoritate utuntur, iisque disciplinam stabilire conantur ; idem facturi indubie horum Prædecessores, si Decretales hæ ipsis cognitæ fuissent.

Argumentum ex silentio Dionysii Exigui.

Secundum argumentum suppeditat Dionysius Exiguus. Hic enim in Epistola Juliano Presbytero inscripta, & parti posteriori sui Codicis vice præfationis præfixa, ait :

(a) Verba hæc ultima præsertim notanda sunt : quasdam Decretales admittebat Hincmarus Rhemensis, has scilicet, quas vetustis Canonibus conformes ipse arbitrabatur : cæteras vero ut fœtus spurios rejiciebat; quia, ipso teste, adversabantur antiquis Canonibus, *quorum Gelasius accuratam observationem præceperat.*

(a) Decimo sexto sæculo omnium Decretalium, quas architectatus est Isidorus, fidem illibatam in litem vocaverunt Centuriatores Magdeburgenses, ac plures Catholici, præ cæteris autem Contius Bituricensis Academiæ Antecessor in suo corpore Juris, quod Antuerpiæ anno 1577. editum est, earum suppositionem probaverat; ejusque rationes extabant in operis Præfatione consignatæ, sed a Censoribus, Decretalium Patronis, suppressa aut mutilata fuit Præfatio. Opinio tamen Contii adhuc manifesta supererat in notis, quæ passim in opere legebantur ; at illæ ex editione, quæ subsecuta est, rejectæ fuerunt Censorum injuriam conquestus est, & exposuit Contius in *lib.* 1. *Lect. subseciv. cap.* 10. *sub finem*. Suam opinionem rationibus tuetur, quæ cum fructu & voluptate legi possunt.

ait : „ Præteritorum Sedis Apostolicæ Præsulum constitu-„ ta , *quæ valui cura & diligentia* collegi , & in quem-„ dam redigens ordinem , titulis distinxi compositis .

Si igitur Dionysius vir summæ eruditionis Romæ existens *qua valuit cura & diligentia* collegerit præteritorum Sedis Apostolicæ Præsulum Constituta , an non merito de falsitate suspectæ sunt Decretales illæ , quæ omnem plane Dionysii notitiam fugerunt ; quarumque ne vel verbo meminit (*a*) ?

Accedit , quod nullæ Epistolæ instituto & proposito Dionysii potuissent esse opportuniores , Cum enim Dionysius totus esset in asserenda Canonica disciplina auctoritate Canonum & Decretalium Romanorum Pontificum , quid solidius & accommodatius adferri potuisset a Dionysio , quam hæ Decretales ; quæ a sanctitate & veneranda antiquitate suorum auctorum maximæ apud omnes esse debebant auctoritatis ; & in omni pene materia disciplinam Ecclesiastiam dilucide proponebant.

Ad hæc , qua specie Dionysius has Pontificum Decretales neglexisset , in quibus tam perspicue valideque Sedis Apostolicæ auctoritas asseritur ? cum ipse natione Schyta , & Romæ opus suum conficiens, nihil prætermissurus fuisset , quod illud Romanis gratum reddere poterat.

Solvitur objectio contra hoc argumentum.

Verum quidem est , in Dionysii collectione quasdam veterum Pontificum Epistolas non reperiri , quarum antiqui Scriptores meminere , & quas genuinos eorum fœtus esse Eruditi omnes agnoscunt : sed sciendum plerasque spectare ad particularem aliquam quæstionem aut controversiam eo tempore exortam , quæ minus instituto & scopo Dionysii congruebant . At Decretales Isidorianæ , tamquam ad disciplinam præcipue pertinentes , etiam scopo Dionysii erant perquam opportunæ .

Argumentum ex fragmentis recentiorum auctorum his Epistolis immixtis.

Deinde nec illud mirum , si inter plures Pontificum Decretales Epistolas , una alterave hinc inde *curam & diligentiam* Dionysii effugisset ; at tot tantique momenti Decretales omnes Dionysii curam & studium effugisse , incredibile est .

Tertium argumentum suppositionis suppeditant recentiorum Pontificum , Conciliorum , Patrum , & auctorum fragmenta,e quibus hæ Epistolæ consarcinatæ reperiuntur.

Et quidem David Blondellus unus e Calvinistarum secta , qui singulari studio , & exactiori criterio has Decretales aggressus est , magno labore & industria in singulis Epistolis notavit sententias ex scriptis posteriorum auctorum delibatas , & ad verbum descriptas , e quibus singulæ Epistolæ fabricatæ fuere ; easque indicatis Patrum , Conciliorum , & auctorum locis in notis marginalibus ad singulas Epistolas indicat P. Labbæus ; notatque hunc insignem novarum mercium *Mercatorem*, non tantum ex recentioribus scriptis has Decretales consarcinasse , sed insuper mutilasse , & truncasse Patrum sententias , ut vel sic incautos falleret .

Exempli gratia , in nota marginali ad Epistolam 3. Anacleti *col.* 530. indicans sententiam esse desumptam ex S. Hieronymo Epist. 2. ad Nepotianum addit : *Cujus verba mire deformata mangonio nostri Mercatoris* .

Rursus ad Epistolam 1. Alexandri , notata sententia Idacii duobus ut minus sæculis Alexandro posterioris , monet *col.* 548. *Arianorum expunxit nomen , ut melius falleret incautos* .

Objectio hinc argumento opposita rejecta.

Neque robur argumenti infringi potest , quod dicantur Scriptores , quorum sententiæ his Epistolis insertæ sunt , eas ex hisce Epistolis desumpsisse . Quis enim credat , infinitos pene auctores loca ex his Epistolis tantis nominibus inscriptis desumpsisse , & numquam eas aut earum auctores citasse ; cum nihil esset , quod eorum dictis majorem conciliasset auctoritatem ?

Deinde hæc fragmenta horum auctorum stylo scripta sunt . At quis credat veteres illos Pontifices tot variis stylis scripsisse . Denique hæc loca in his Epistolis ita sunt posita , ut facile animadvertatur , ea esse adjecta, & reliquo sermoni adtexta : cum contra in libris Patrum , ex quibus deprompta sunt , naturali ordine sint collocata ?

Argumentum de usu Scripturæ sacræ ex interpretatione S. Hieronymi.

Argumentum quartum pro falsitate harum Decretalium suppeditat citatio sacræ Scripturæ ex versione vulgata ; nec non ex interpretatione S. Hieronymi : quæ cum sint integris sæculis posteriores Pontificibus Romanis , quibus hæ Decretales tribuuntur , manifestam earum suppositionem produnt. Sed de his latius §. sequenti.

Argumentum ex Stylo.

Quintum argumentum desumitur ex stylo harum Epistolarum , qui totus est barbarus , solœcismis refertus, atque in omnibus idem & plane uniformis : indicium non obscurum , una eademque manu omnes esse exaratas .

Argumentum ex silentio de iis , quæ primis seculis præcipue viguerunt .

Pro sexto falsitatis argumento adducitur , quod in his Epistolis nullibi impugnentur hæretici trium primorum sæculorum ; immo ne nominentur quidem . Similiter altum est in illis silentium de persecutionibus tyrannorum Gentilium ; uti & de Confessorum consolatione atque ad Martyrium subeundum pia exhortatione ; de lapsis in persecutione eorumque pœnitentiis , aliisque, quibus sæculorum illorum sincera scripta redundant . Argumentum admodum probabile , Epistolas has esse fabricatas postquam hæc omnia , data Ecclesiæ pace , nec non extinctis antiquis illis hæresibus , & mutata in multis Ecclesiæ disciplina , erant obliterata .

Denique cum hæ Decretales asserantur scriptæ a Romanis Pontificibus , an ulla verisimilitudine credi potest , earum exemplaria nulla fuisse in archivis & registris Romanis conservata ; ut eas primum ex Hispania in Galliam , & ita in reliquas orbis partes deferri oportuerit , uti ex Hincmaro Rhemensi constat ?

Hæc sunt præcipua argumenta , quibus Eruditis passim persuasa est Decretalium illarum suppositio ; quibus & accedunt nonnulla singularia argumenta , quæ singulæ fere abunde suppeditant ; quæ §. sequenti breviter annotabimus ; ac una summarie referemus , quid potissimum singulæ Decretales tractent ; easque segregabimus a nonnullis eorumdem veterum Pontificum Epistolis & Scriptis , quorum apud antiquos & probatos Scriptores mentio occurrit ; & quæ etiamnum Eruditi pro genuinis eorum scriptis agnoscunt .

§. V.

Referunt summarie contenta dictarum Decretalium ; & argumenta quæ singulæ pro sua falsitate suppeditant .

Nullæ S. Lino, aut Cleto adscriptæ Decretales : sed S. Clementi quinque.

QUISQUIS is fuerit , qui sub nomine veterum Pontificum ante Siricium , Epistolas Decretales fabricavit , nullas sancto Lino , qui primus post S. Petrum sedit , affingere ausus est , veritus ne forte Linus ante S. Petrum obiisset ; sicuti nec postea Cleto ullas adscripsit , utpote eumdem ab Anacleto non distinguens , ait Daniel Papebrochius in *Conatu Chronico-historico* in S. Clemente *num.* 4. Itaque loco apud Isidorum occurrunt quinque Decretales S. *Clementi* Pontifici Romano adscriptæ .

Inscriptio primæ probat ejus suppositionem.

Prima earum inscribitur *Jacobo , fratri Domini , & Episcopo Episcoporum regenti Hebræorum sanctam Ecclesiam Hierosolymis , sed & omnes Ecclesias , quæ ubique Dei providentia fundatæ sunt cum Presbyteris & Diaconis , & cæteris omnibus fratribus .*

Hæc vel sola inscriptio suppositionem arguit . Quid enim ab ætatis illius phrasi & simplicitate magis alienum , quam Jacobum dici *Episcopum Episcoporum* ? titulus sane antiquatus , multisque sæculis plane incognitus.

Narrat pseudo-Clemens , quod S. Petrus , ubi finem vitæ sibi imminere præsensit , in Conventu Fratrum positus , apprehensa manu ipsius Clementis , repente consurgens , in auribus totius Ecclesiæ hæc protulerit verba : „ Audite me Fratres & Conservi mei ; quo-„ niam ut edoctus sum ab eo , qui misit me , Domino „ & Magistro meo Jesu Christo , dies mortis meæ in-„ stat . Clementem hunc Episcopum vobis ordino , cui „ soli meæ prædicationis & doctrinæ *cathedram* tra-„ do ". Post hæc , enarratis multis quæ Clementem „ commendabant , atque præ ceteris constituendum Episcopum probabant , additur : „ Hæc eo di-„ cente , ego Clemens , procidens ad pedes ejus , roga-„ bam , excusans me , & declinans honorem *cathedræ* „ vel potestatem . At ille (Sanctus Petrus) respondens : „ pro hoc , inquit , ne me rogaveris . Hoc enim fieri sta-„ tutum est mihi , & eo magis quod excusas : quia hæc „ cathedra eum , qui cupit eam , & audacter *expetit* , „ non requirit , sed ornatum moribus & in verbis e-„ ruditum .

Quam parum hæc de *honore cathedræ* , & potestate, nec non de cupientibus & expetentibus eam , consonant temporibus Apostolorum ! Nonne potius redolent posteriora sæcula , quibus , data pace Ecclesiæ , Episcopatus ob honores & divitias ambiri & expeti cœperunt ?

Præter hæc in hac Epistola occurrunt plurimi textus Scripturæ sacræ ex versione vulgata multo recentiore ipso Clemente . Reperiuntur plura fragmenta desumpta ex sancto Cyrillo Alexandrino , Regula S. Benedicti , expositione Symboli per Venantium Fortunatum , S. Gregorio , & Isidoro Hispalensi . Denique loquitur Epistola de Primatibus , & Archipresbyteris tempore Clementis nondum cognitis .

Secunda quoque plura falsitatis præfert indicia.

Secunda similiter inscribitur *Jacobo Fratri Domini* , nec minora prodit suppositionis argumenta quam præcedens . Loquitur in primis de vestibus , quibus Sacerdotes sacra peragere oporteat : de palla , vasis sacris , calicibus , aliisque similibus , quæ omnia tempore S. Clementis nondum erant in usu . Loquitur pariter de Ostiariis , Archidiaconis , aliisque Ecclesiæ ministris , qui demum post tempora Sancti Clementis instituti fuere . Insuper Epistola hæc repleta est ordinationibus , quæ nullatenus cum ætate disciplina nascentes Ecclesiæ conveniunt ; sed recentioris ætatis disciplinam manifeste exprimunt . Plena quoque est fragmentis & textibus recentiorum auctorum , & versionis vulgatæ sacræ Scripturæ.

Indicia falsitatis in tertia Epistola occurrentia.

Tertia inscribitur : *Clemens Urbis Romæ Episcopus omnibus Episcopis , Presbyteris , Diaconis , ac reliquis Clericis , & cunctis Principibus , majoribus , minoresque , omnibusque generaliter fidelibus .*

Verum vel sola hæc inscriptio suppositionem ejus manifestat . Tempore quippe S. Clementis , nec *majores* , nec *minores Principes* inter fideles & Ecclesiæ filios erant .

Adhæc mentionem facit Ordinis Subdiaconatus , qui tum temporis necdum notus erat . Præterea tota pe-

ne

(a) Hæc erat una e rationibus , quibus Hincmarus Rhemensis complures ex his Epistolis explodebat.

ne hæc Epiſtola contexta eſt ex libris *Recognitionum*, quod ſuppoſititios, & recentiore ævo collectos eſſe nemo Eruditus diffitetur.

Probatur ſuppoſitio quartæ.

Quarta inſcripta: *Chariſſimis fratribus Julio & Juliano, ac reliquis conſodalibus noſtris, gentibuſque, quæ circa vos ſunt*, ſimiliter ex libris Recognitionum conflata eſt; multaſque habet expreſſiones, quæ ejus ſuppoſitionem & falſitatem produnt.

Similiter & quintæ.

Epiſtola quinta hunc refert titulum: *Dilectiſſimis fratribus & condiſcipulis Hieroſolymis cum chariſſimo fratre Jacobo Epiſcopo habitantibus Clemens Epiſcopus*, Titulus huic ætati parum conformis.

Auctor hujus Epiſtolæ, prout legitur in editione Jacobi Merlini, & Crabbe, non obſcure probat errorem quorumdam veterum hæreticorum de communione uxorum; quod fragmentum deſumptum eſt ex libris *Recognitionum*, ibi aliquis Philoſophus Platonicus introducitur differens de communione bonorum.

Retulit hoc fragmentum Gratianus *cauſ.* 12. *quæſt.* 1. *Can.* 2. notantque ibidem Correctores Romani, quod verba, quæ probare videntur communionem uxorum „ abſint ab originali in recentioribus Conciliorum edi- „ tionibus impreſſo, & in duobus ipſius manuſcriptis „ Codicibus, uno Vaticano, altero Bibliothecæ ſancti „ Marci Florentiæ, & ab Anſelmo.

Interim quod occurrat textus deſumptus ex libris *Recognitionum*, argumentum eſt ſuppoſitionis. Cui & hoc accedit, quod auctor dicat, ſe præſentem fuiſſe morti Ananiæ & Saphiræ: cum certum ſit, Clementem Romanum nondum fuiſſe converſum, dum ad Petri vocem hæc mors contigit.

Argumentum ſuppoſitionis omnibus quinque commune.

Denique commune his quinque Epiſtolis falſitatis argumentum deſumitur ex ſtylo, qui idem eſt, & plane difformis a ſtylo Epiſtolæ Clementis ad Corinthios, quam genuinum ejus fœtum eſſe uno conſenſu agnoſcunt Eruditi, uti notavimus ad Canonem ultimum vulgo *Apoſtolorum*; ubi & de alia ejuſdem ad Corinthios non æque indubitata egimus.

Omnes quinque Eruditis ſuſpectæ.

Merito igitur hæ Decretales Clementi I. adſcriptæ, & e quibus plura deſumpta a Gratiano, viris Catholicis ſunt ſuſpectæ, uti notat Labbæus in nota marginali ad priorem harum Epiſtolarum in ultima Conciliorum collectione, *col.* 82. " Hæc, & ſequentes qua- „ tuor Epiſtolæ, Baronio, Bellarmino, Petronio, Pe- „ tavio, aliiſque eruditis Catholicis multis nominibus „ ſuſpectæ ſunt.

Poſt has quinque Clementis Epiſtolas ſequuntur apud Iſidorum tres ſub nomine *Anacleti* Papæ.

Suppoſitionis indicia ex capite 1. Epiſtolæ 1. Anacleti.

Prima conſtat quatuor capitibus, quorum primo agitur de iis, qui Sacerdotes accuſant: ubi multis agit contra accuſatores Sacerdotum; atque inter alia producit teſtimonium S. Clementis ex ſupra citata Epiſtola 1. ad Jacobum Fratrem Domini; vocatque hunc Clementem, ſuum *beatum Prædeceſſorem*. Haud obſcurum ſuppoſitionis indicium: cum juxta Irenæi, Euſebii, & Hieronymi RR. Pontificum catalogos, Anacletus non S. Clementi, ſed ſancto Petro ſucceſſerit. Producit inſuper ibidem centones Ennodii auctoris multo Anacleto recentioris, *fraudis atque impoſturæ manifeſtiſſimi indices*, ait Labbæus in nota marginali *col.* 514. & 515. additque: " Atque hæc vel ſola ex Ennodio „ furta impoſturam cuivis cordato detegunt ". Occurrunt præterea verba Interpretis Ruffini, qui trecentis annis poſt Anacletum vixit, uti ibidem Labbæus monet *col.* 513. Item verba ſacræ Scripturæ ex verſione Sancti Hieronymi, qui eſt poſterior Anacleto trecentis annis.

Ex capite 2. deſumpta.

Secundo capite inculcat, ut Epiſcopus Deo ſacrificans teſtes ſecum habeat. Inter alia dicit: " Epiſco- „ pus Deo ſacrificans teſtes (ut præfixum eſt) ſecum „ habeat, & plures quam alius Sacerdos. Sicut enim „ majoris honoris gradu fruitur, ſic majoris teſtimo- „ nii incremento indiget. In ſolemnioribus quippe die- „ bus, aut ſeptem, aut quinque, aut tres Diaconos, „ qui ejus oculi dicuntur, & Subdiaconos, atque re- „ liquos miniſtros ſecum habeat, qui ſacris induti ve- „ ſtimentis, in fronte & a tergo, & Presbyteri e re- „ gione dextra levaque, contrito corde & humiliato „ ſpiritu, ac prono ſtent vultu, cuſtodientes eum a „ malevolis hominibus, & conſenſum ejus præbeant „ ſacrificio.

Quam ſunt hæc ab ætate Anacleti remota! quando nec Subdiaconi inſtituti, nec tanta miniſtrorum copia, aut ſacræ veſtes reperiebantur.

Allegantur præterea fragmenta ex S. Ambroſio, & textus ſacræ Scripturæ ex verſione Sancti Hieronymi, quæ falſitatem Epiſtolæ evincunt.

Quæ indicia ſuppeditet caput tertium?

Tertio capite agitur de peregrinis & Provincialibus judiciis; ordinemque judiciorum conſtituit alienum omnino a temporibus Apoſtolorum; quando nec Primates, nec Metropolitani, quorum hic fit mentio, noti erant; multoque minus receptum, ut ſæcularia judicia judicio Epiſcoporum terminari deberent, ut vult hic prætenſus Anacletus.

Quæ quartum?

Capite quarto decernitur, ut oppreſſus judicio ſæcularium, appellet judicium Sacerdotum; & de majoribus cauſis ad Sedem Apoſtolicam referendis. Qui non videt, hæc ab ævo Anacleti eſſe quam remotiſſima, omnis antiquæ & priſtinæ diſciplinæ & hiſtoriæ plane expers ſit oportet.

Intermiſcentur huic Epiſtolæ & longiores e ſacro Textu laciniæ, quæ longe abſunt a ſtylo Anacleti, alteriuſve Romani Pontificis, ait Labbæum, *col.* 519.

Secunda Epiſtola Anacleto adſcripta rurſus in quatuor capita diſtribuitur.

Quæ indicia ſuppeditet Epiſt. 2. cap. 1.

Priore capite tractatur de Ordinationibus Epiſcoporum, & omnium Clericorum; formaque ordinationis deſcribitur, idque eo modo, ut manifeſtum ſit, auctorem Epiſtolæ præ oculis habuiſſe formam recentioribus Eccleſiæ ſæculis uſitatam, ſed primis omnino ignotam; puta de impoſitione Evangeliorum, de unctione, chriſmatione, aliiſque ſimilibus, quæ ordinationi poſterior ætas adjecit, uti multis oſtendit Morinus *de Sacris Ordinat.* Occurrit & inferiorum graduum poſt Diaconatum diſtributio, ætate Anacleti nondum nata.

Capite 2.

Capite ſecundo agitur de accuſationibus Epiſcoporum, ſive Epiſcopos temere & a vilibus perſonis non eſſe accuſandos; nec accuſationes adverſus ipſos facile recipiendas, adductis textibus deſumptis ex S. Gregorio, Iſidoro, aliiſque, qui multis ſæculis Anacleto ſunt recentiores.

Capite 3.

Caput tertium exhibet textum Iſidori, quo probetur, Epiſcopum non minus quam a tribus Epiſcopis poſſe ordinari.

Capite 4.

Quarto capite oſtenditur, in quibus civitatibus Primates, in quibus Metropolitani eſſe debeant. Sed quam hæc quæſtio a tempore Apoſtolorum & Anacleti eſt aliena! Hic poſtquam multa de Metropolitanis & de Primatibus inſtituendis dixit, ſubjungit: " Hæc ab an- „ tiquis, hæc a ſanctis Patribus accepimus, vobiſque „ (ut poſtulatis) rimanda, & futuris tenenda tem- „ poribus mittimus ". Quam hæc parum quadrant Anacleto! Qui hæc ſcripſiſſe fingitur, dum a martyrio ſancti Petri nondum 60. anni fluxerant.

Immiſcentur & hic verba Ithacii multo Anacleto recentioris, *quæ impoſturam arguunt Mercatoris*, ait Labbæus *col.* 526.

Epiſtola 3. cap. 1. & 2.

Tertia Anacleto adſcripta Epiſtola continet quinque capita, quorum primo agitur de bipartito ordine Sacerdotum; ſecundo de ordinatione & conſtitutione Epiſcoporum, ac Presbyterorum; idque verbis Canonum Concilii Sardicenſis & Laodiceni, tribus circiter ſæculis poſt tempora Anacleti habitorum.

Capite 3.

Tertio capite late tractat de diſcretione Epiſcoporum in Metropolitanos, Primates, & Patriarchas, idque juxta normam ævo recentiore inſtitutam, & verbis ex recentioribus actoribus depromptis, quos in notis marginalibus expreſit Labbæus.

Capite 4.

Caput quartum conflatur ex verbis S. Leonis, & Vigilii Papæ, quibus prætendit, difficiliores cauſas ad ſedem Apoſtolicam eſſe referendas.

Quid capite 5.

Denique capite quinto docet, qui ab accuſatione Epiſcopi ſint repellendi, congeſtis textibus auctorum recentiorum; quin & ſubinde truncatis, uti de verbis S. Hieronymi ex *Epiſtola 2. ad Nepotianum* monet Labbæus dicens: *Cujus verba mire deformata Mangonio noſtri Mercatoris*.

Sive igitur materiam harum Epiſtolarum, ſive verba & textus, quibus refertæ ſunt, ſpectemus, merito dixit Labbæus *column.* 512. has Epiſtolas eruditis Catholicis videri ſuſpectas (*a*).

Sequuntur in collectione Iſidoriana bonæ Epiſtolæ Decretales ſub nomine *Evariſti* Papæ.

Epiſtolæ 1. Evariſti P. p. cap. 1.

Prima dirigitur *ad omnes Epiſcopos Africanos*, in quorum Conciliis aut ſcriptis nullibi occurrit. Non exiguum falſitatis argumentum.

Capite primo determinatur ſeptenarius numerus Diaconorum in unaquaque civitate juxta Apoſtolorum conſtituta; quod deſumptum eſſe ex Can. XIV. Neocæſarienſi, qui ducentis ut minus annis poſt mortem Evariſti editus eſt, haud obſcurum eſt.

Caput 2. ejuſdem.

Secundo capite agit de iis, quæ requiruntur ad legitimum conjugium; atque ritus illos deſcribit, eoſque requirit, quos conſtat antiquitus fuiſſe ignotos, & recentiore ævo ſenſim introductos: puta " ut uxor ſuo „ tempore ſacerdotaliter cum precibus & oblationi- „ bus a Sacerdote benedicatur; & a paranymphis (ut „ conſuetudo docet) cuſtodita & conſociata a proxi- „ mis, tempore congruo petita, legibus dotetur, & „ ſolemniter accipiatur ". Et quidem ſi *aliter*; quam ſecundum hæc, aliaque ibidem præſcripta " præſum- „ pta ſint, non conjugia, ſed aut adulteria, aut con- „ tubernia, aut ſtupra, vel fornicationes " eſſe, ſcribit: idque ſe a Patribus accepiſſe, & a Sanctis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus traditum eveniſſe teſtatur. Sed quam hæc temporibus Evariſti, qui ſub initium ſæculi II. ſedit, parum conveniant, nemo non videt. Addit & nonnulla ex Epiſtola 12. Innocentii I. ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum, uti notat Lab-

(a) Decimo quinto ſæculo Nicolaus Cuſanus in ſua *concordia l.* 2. *cap.* 37. & *l.* 3. *cap.* 2. dubitabat de veritate Epiſtolarum, quas Iſidorus Clementi & Anacleto adſcripſit.

Labbæus *col.* 534. additque, *unde plagii merito arguas Mercatorem, eumve a quo deluſus eſt.*

Denique laciniam annectit de non injuriandis Epiſcopis, deſumptam ex Itacio adverſus Warimadum Arianum.

Datam ſignat Epiſtolam Conſulibus Valente & Vetere qui Conſules fuerunt anno 96. quo nondum obierat S. Clemens, ait Labbæus *colum.* 536.

Epiſtola altera Evariſti Papæ.

Secunda Epiſtola Evariſto attributa dirigitur *omnibus per Ægyptum domino conglutinatis fratribus*: contenditque oſtendere, quod Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, & nos membra ejus. Item ipſe Sponſus, & Eccleſia Sponſa: & Sacerdotes, qui ejus vice legatione funguntur, ſimiliter ſint Eccleſiis ſuis ſponſi: ſive *quod ſicut Chriſto conjuncta eſt Sponſa, id eſt Eccleſia, ſic Epiſcopis junguntur Eccleſiæ, unicuique pro portione ſua.* Hinc ulterius infert, quod ſicut vir debet diligere, & ſollicite regere & cuſtodire uxorem ſuam, & uxor diligere virum ſuum, eique obedire, ita quoque Epiſcopus & Eccleſia debeant ſe diligere, & officia hæc ſedulo exhibere. Et ſicuti vir non poteſt dimittere uxorem, ita citra ſpirituale adulterium Epiſcopus non dimittat Eccleſiam.

In hanc rem plura ex recentioribus Patribus, nec non ſacro Textu ex verſione Sancti Hieronymi adducuntur, quæ ſuppoſitionem hujus Epiſtolæ manifeſtant; ut & Conſules *Gallus* & *Bradua*, qui conſulatum geſſerunt adhuc ſedente Anacleto anno 108. quemadmodum monet Labbæus *col.* 540. Unde idem auctor *col.* 533. monuerat de his duabus Epiſtolis: *Suppoſititiæ Contio, ulliſque eruditis Catholicis.*

Epiſtolæ 1. Alexandri cap. 1.

Sequuntur tres præferentes nomen *Alexandri I.* quarum prima dirigitur *ad omnes Orthodoxos*, continetque ſex capita, quorum primo agitur de iis, qui Sacerdotes accuſant, vel perſequuntur, ubi multis oſtendit, quam grave ſit perſequi Domini Sacerdotes, de quibus dixit Dominus: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Multa ſuffuratus eſt ex Epiſtola S. Clementis I. ad Jacobum juxta interpretationem Rufini, qui ut minus 200. annis Alexandro recentior eſt. Item ex Epiſtola Procli ad Domnum Epiſcopum Antiochenum: non exiguum ſuppoſitionis indicium.

Caput 2. ejuſdem.

Secundo capite declarat, ſcripturam, aut confeſſionem metu gravi extortam non debere Epiſcopis nocere.

Caput 3.

Statuitur capite tertio, ut ſi quis adverſus Epiſcopum, vel actores Eccleſiæ querelam habeat, prius pacem quærat, & negotium componere, quam eos ad judicem vocare. *Boni namque & vere Chriſtiani hominis eſt* (*ait*) *rem ipſam omnibus amicitiæ ac pacis legibus prius tentare, quam in judicio* (*ubi frequenter amariſſimus animæ rancor innaſcitur*) *ſuum jus pertinaciter experiri.*

Caput 4.

Quarto capite decernitur, ut *panis tantum & vinum aqua permixtum in ſacrificio offerantur. Non debet enim* (*ut a Patribus accepimus, & ipſa ratio docet*) *in calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in paſſione ſua profluxiſſe legitur.*

Quod hic mentio fiat traditionis *a Patribus* acceptæ, arguit, Epiſtolam S. Alexandro tribui non poſſe, utpote qui ſub initium ſæculi II. ſedit, quando nondum hæc *Patrum* traditio habebatur.

Additur eodem capite, quod *crimina atque peccata oblatis his Domino ſacrificiis deleantur; idcirco & paſſionem ejus in his commemorandam, qua redempti ſumus, & ſæpius recitandam, atque hæc Domino offerenda.* Quæ deſumpta ſunt ex Concilio Bracarenſi III. *Can.* 1. pluribus ſæculis Alexandro recentiore.

Quid capite 5.

Caput quintum totum eſt de benedictione aquæ cum mixtione ſalis. *Aquam* (*ait*) *ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, ac purificentur: quod & omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus.* Ritum hunc eſſe poſt Alexandri tempora primum in Eccleſia inſtitutum ſcitur, unde & quæ hic præterea adducuntur, ex recentioribus libris ritualibus deſumpta ſunt.

Et capite 6.

Sexto capite adeo dilucide & accurate refellit errores Arianorum & Sabellianorum, ut evidens ſit, Epiſtolam ſcriptam ab aliquo, qui poſt exortas has hæreſes vixit; præterquam quod totum pene caput ſit unicus contextus Ithacii ſive Idacii Clari: *qui* (*uti notat Labbæus* col. 547.) *vixit exeunte ſæculo Chriſti quarto vel potius quinto, aut ſexto, ſi idem eſt cum Vigilio Tapſenſi.*

Summarium Epiſtolæ 2. ejuſdem.

Epiſtola ſecunda oſtendit, quod boni a malis ſemper perſecutionem patiantur; quodque diabolus circumeat tamquam Leo rugiens quærens quos devoret, & maxime illos, quos ardentiores in ſervitio Salvatoris, eique familiariores invenerit. *Familiariores dico* (*inquit*), *eos, quos ſibi ſacrari & in ordine Apoſtolatus conſtitui voluit.* Hinc multis agit adverſus eos, qui Sacerdotes, ſive Epiſcopos in ſuis functionibus perturbant, iiſque detrahunt; adductis auctoritate ſacræ Scripturæ ex verſione Hieronymi, & textu Concilii Lateranenſis ſub Martino I. quæ recentiorem hujus Epiſtolæ auctorem prodant.

Item Epiſtolæ 3.

Epiſtola tertia agit de vitio detractionis, allatis textibus Scripturæ ex interpretatione Hieronymi, & a verbis Sixti Philoſophi, Iſidori Hiſpalenſis aliorumque recentiorum, quæ probant, eam Alexandro I. adſcribi non poſſe; atque propterea uti duæ præcedentes *viris apprime Catholicis* νόθαι *ſuſpectæ ſunt*, uti monet Labbæus, *col.* 542.

Epiſtola prima Sixti Primi.

Sancto Alexandro ſucceſſit in Sede Romana *Sixtus I.* cui adſcribuntur Epiſtolæ duæ, in quarum prima, directa *ad omnes Chriſti fideles*, nominat ſe Sixtus Romanæ Eccleſiæ *Archiepiſcopum*, nomen ætate Sixti necdum natum.

Propugnat Divinitatem Filii ac ſi impietatem & hæreſim Arii præ oculis habuiſſet: ac dein dicit, quod qui veram fidem non habeant, ad accuſationem Epiſcoporum orthodoxorum haud ſint admittendi: & hæc quidem verbis Ithacii, ſive Idacii Clari, & Sixti Philoſophi ex interpretatione Rufini, qui duobus & amplius ſæculis fuere Sixto Papa poſteriores.

Ejuſdem Epiſtolæ 2. inſcriptio.

Altera hujus Pontificis Epiſtola hunc habet titulum: *Sixtus univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus, omnibus Epiſcopi in Domino ſalutem.* Hæc autem inſcriptio tam eſt ab ætate & ſtylo primorum ſæculorum aliena, ut vel ſola hujus Epiſtolæ ſuppoſitionem evincat.

Caput 1. hujus Epiſtolæ.

Dividitur in tria capita: quorum priore agit de vaſis ſacris; intimatque Epiſcopis: *Qui in hac ſancta Sede Apoſtolica a nobis, & reliquis Epiſcopis, ceteriſque Domini Sacerdotibus ſtatutum eſt, ut vaſa ſacra non ab aliis, quam a ſacratis, Dominoque dicatis, contrectentur hominibus.* Et quidem monet; ut hæc attendant, nec deinceps aliter fieri permittant: *ne grex pretioſo Chriſti ſanguine redemptus in præcipitium* (*quod abſit*) *ruat.* Hæc recentioris diſciplinæ eſſe nemo eruditus ignorat.

Caput 2.

Secundo capite tractatur de Appellationibus ad Sedem Apoſtolicam, additurque, quod ſi appellare auſus non fuerit *& vocatus tamen ab hac Sancta Sede fuerit, venire non renuat .... ad Eccleſiam ſuam non prius revertatur, quam Litteris Apoſtolicis vel formatis pleniter inſtructus, atque purgatus ſit, ſi fuerit unde.* Aſſeritque ulterius, Apoſtolos cauſas & judicia Epiſcoporum hujus ſanctæ Sedis diſpoſitioni ſervaſſe. Quam hæc ab ætate Sixti ſint remota, norunt Eruditi.

Caput 3.

Caput tertium eſt conflatum ex verbis Hiſtoriæ tripartitæ, & Synodi Lateranenſis ſub Martino I. ſæculis aliquot Sixto junioribus, quibus oſtendit, Epiſcopos expoliatos aut e Sede ſua pulſos ab aliis Epiſcopis non eſſe excommunicandos aut judicandos.

Hæc rurſus ſufficiunt, ut merito hæ duæ Epiſtolæ habeantur ſuppoſititiæ, ut monet Labbæus *col.* 554.

Epiſtola Teleſphori & quid c. 1. contineatur?

Sequitur Epiſtola *Teleſphori* Papæ conſtans capitulis quatuor, quorum primo ſcribit: *A nobis & a cunctis Epiſcopis in hac ſancta & Apoſtolica Sede congregatis ſtatutum eſſe, ut ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha omnes Clerici in ſortem Domini vocati, & a carne jejunent: quia ſicut diſcreta eſſe debet vita Clericorum a Laicorum converſatione, ita & in jejunio debet fieri diſcretio. Eodem capite dicitur; & ſicut Laici & Sæculares homines nolunt eos recipere in accuſationibus & infamationibus ſuis, ita nec Clerici debent eos recipere in impulſationibus ſuis; quoniam in omnibus diſcreta ſemper debet eſſe, & ſegregata vita & converſatio Clericorum, ac ſæcularium Laicorum.*

Hæc nullo modo conveniunt ætati hujus Pontificis, ſed recentioris plane diſciplinæ ſunt: unde & ex recentioribus auctoribus deſumpta eſſe notat Labbæus.

Quid cap. 2.

Capite ſecundo decernitur, in nocte Nativitas Domini eſſe celebrandas tres Miſſas, & Hymnum Angelicum in eis eſſe ſolemniter decantandum: reliquis autem temporibus, Miſſarum celebrationes ante horam diei tertiam minime eſſe agendas. Quæ rurſus ſunt diſciplinæ recentioris.

Capite 3.

Capite tertio ſcribit, quod Sacerdotes ſive Epiſcopi non ſint arguendi a populo, nec ſit in eorum accuſatione ſuſcipiendus. *Populus enim* (*ait*) *ab* eis docendus eſt & corripiendus: non ipſi ab eo, quia *non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum.* Totum deſumptum eſt ex Epiſtola Damaſi ad Illyricos, & Iſidoro Hiſpalenſi, Teleſphoro multo recentioribus.

Capite 4.

Quartum caput eſt de iis, qui ad accuſandum idonei non ſunt, prolatis teſtibus ſacræ Scripturæ ex verſione Sancti Hieronymi, & citata Epiſtola Damaſi, & S. Leonis, & Flaviani ad Leonem; quæ Epiſtolæ recentiorem auctorem evincunt.

Epiſtola 1. Hygini, c. 1.

Subjunguntur duæ ſub nomine *Hygini* Papæ, quarum prima conſtans quatuor capitibus dirigitur *ad omnes Chriſti fideles*; & capite primo agit de miſſione Filii a a Patre, verbis Ithacii contra Warimadum *cap.* 3. *Unde fraus pateſcit Mercatoris*, ait Labbæus *col.* 566.

Caput 2. ejuſdem.

Cauſas Epiſcoporum a Metropolitanis non eſſe audiendas abſque ceterorum omnium comprovincialium Epiſcoporum inſtantia ſcribit *cap.* 2. addita hac clauſula recentiorem manum prodente; *Salvo in omnibus Romanæ Eccleſiæ privilegio.*

Caput 3.

De criminationibus majorum natu tractatur *cap.* 3. determinaturque per quos faciendæ, verbis ex Aniani interpretatione, Hygino multo juniore, deſumptis.

Caput 4.

Quarto capite prohibet, Epiſcopos trahi ad judicia peregrina, id eſt, ſæcularia; *quia indignum eſt, ut ab externis judicentur, qui Provinciales & a ſe electos debent habere judices.* Occurrunt hic fragmen-

ta ex

ta ex Hadriano I. & Ennodio, qui hoc Pontifice sunt posteriores; ipsamque suppositionem probant, prout & falsa Consulum nota, quod Labbæus monet.

Epistola 2. ejusdem.

Altera sub nomine Hygini Epistola directa *ad Athenienses* continet exhortationem, ne vitam cum infidelibus ducant, ex textibus sacræ Scripturæ juxta versionem vulgatam Hygino posteriorem; quæ & hujus Epistolæ falsitatem ostendit; uti *falsa itidem temporis adnotatio*, quemadmodum notat Labbæus.

De his itaque Decretalibus ait Labbæus in nota marginali ad earum priorem *col. 566. Suspecta quoque cum sequenti dicitur viris eruditis*.

Epistola 1. Pii Papæ quid cap. 1. contineat?

Post hæc sequuntur duæ Pio I. Papæ adscriptæ; quarum prima capite 1. dicit, Pascha celebrandum esse die Dominico; asseritque, Hermæ (qui vulgo *Pastor* dicitur) apparuisse Angelum Domini in habitu Pastoris, & præcepisse ei, ut Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur.

Ut nihil de hac visione dicatur, quis credat, hanc Epistolam a Pio Pontifice & Martyre scriptam; & tamen nunquam in summa contentione de die celebrandi Pascha reproductam?

Caput 2.

Capite secundo scribitur, accusationes hominum pravæ vitæ non esse recipiendas. " Fides autem (ait) ,, & conversatio primum scrutanda est, & denuo, qui ,, irreprehensibiles apparuerint, sunt recipiendi, & non ,, prius ": scilicet ad accusandum. Quæ eam in rem adducuntur, desumpta sunt ex Isidoro Hispalensi, Hadriano I. aliisque auctoribus hoc Pontifice recentioribus.

Epistola 2. ejusdem.

In secunda Epistola huic Pontifici adscripta, & *Italicis fratribus directa*, dicitur in titulo Episcopi: *Pius Romanæ Urbis Archiepiscopus*; nomen ætate illa necdum natum.

Invehitur auctor Epistolæ in eos, qui *prædia* usibus Ecclesiasticis dicata in usus profanos transferebant; quod sapit potius tempora, quibus Ecclesia liberalitate Imperatorum Christianorum præsidiis locupleta fuit, quam tempora, quibus sub persecutione Imperatorum Gentilium afflicta & pauper gemebat.

Adhæc, in hac Epistola mandatur, ut quæcumque sunt ad Religionis observantiam pertinentia, locis suis, & in suæ Diœceseos Synodis audiantur; quæ e Codice Theodosiano deprompta recentiorem manum produnt, uti & clausula hæc ab auctore Epistolæ apposita: *Salva in omnibus Apostolica auctoritate*.

Denique præcipitur, ut Clericus suo inobediens & rebellis Episcopo *mox Curiæ tradatur*, id est, brachio sæculari: quod plane a disciplina sæculi secundi, quo sedit Pius I. est alienum.

Ob hæc, & falsam temporis notam utrique adscriptam, utraque ab Eruditis tamquam supposititia rejicitur.

Tertia ejusdem ab Isidoro omissa.

Præter has duas ab Isidoro Pio I. suppositas, extant sub nomine ejusdem binæ Epistolæ directæ *Justo* Episcopo Viennensi, ex Archivio Viennensi productæ, quas Baronius suis Annalibus ad annum 166. inseruit: ,, Hasce germanas atque legitimas esse, cum rerum ,, argumentum, & admirabilis quædam cum aliis horum temporum gestis contestatio, tum simplicissimus ille antiquitatis candor facile persuadent: " ait Baronius.

Verum istarum Epistolarum auctor narrat in priore, quod quædam Eurepia, quam sororem suam appellat, titulum domus suæ pauperibus assignaverit: " ubi nunc (ait) cum pauperibus nostris commorantes *Missas* agimus ". Vox autem *Missa* recentior est, quam ut ætati Pii I. consonet, atque hinc Eruditis nonnullis suspecta redditur Epistola: præsertim quia & alii nonnulli inusitati & antiquitati incogniti termini in eadem occurrunt, puta *superbeate*, *Senatoriam urbem*, *cubilibus æternis*.

Secunda etiam ab Isidoro omissa.

In secunda dat monita salutaria Episcopo, hortando; ut ministerium, quod accepit, in Domino impleat. In ea urbem Viennensem vocat *Senatoriam*; & specialis habitus Episcoporum, quod *colobium* vocat, meminit: quæ cum ætate Pii I. non convenire credunt Eruditi; ideoque & hanc suspectam habent; accedente barbaro utriusque stylo, & omnimodo apud antiquos de utraque silentio.

Unica a pseudo-Isidoro attribuitur *Aniceto* Epistola *ad Galliæ Episcopos* in quatuor capita divisa.

Aniceti Epistolæ cap. 1.

Primo ordinationem Episcopi & Archiepiscopi ita describit, ut perquam manifestum sit, ea partim ex S. Leone, partim ex Canonibus Nicænis & Antiochenis esse desumpta.

Ejusdem cap. 2.

Secundo capite agit de Primatibus, & Patriarchis: ut " nulli Archiepiscopi *Primates* vocentur, nisi illi ,, qui primas tenent civitates, quarum Episcopos Apo,, stoli & successores Apostolorum regulariter Patriar,, chas & Primates esse constituerunt; nisi aliqua gens ,, deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit, pro,, pter multitudinem eorum: Primatem constitui ". Quam hæc a primis hisce sæculis sunt aliena.

Caput 3.

Capite tertio decernit: si Metropolitanus causas ad suam propriam Diœcesim non pertinentes, sine Comprovincialium Episcoporum præsentia & consilio agere voluerit, ab omnibus directe corrigatur. Quod ex Concilio Antiocheno desumptum est.

Addit autem Auctor Epistolæ: " si vero incorrigi,, bilis eisque inobediens apparuit, ad hanc Apostoli,, cam Sedem (cui omnia Episcoporum judicia termi,, nare præcepta sunt) ejus contumacia referatur, ut ,, vindicta de eo fiat, & cæteri timorem habeant.

Si autem molestum & grave esset ob distantiam locorum aut temporis incommoditatem ad Sedem Apostolicam causam referre, permittit, ut ad Primatem ejus causa deferatur, addita clausula pluribus sæculis incognita: *Et penes ipsum hujus sanctæ Sedis auctoritate judicetur*.

Caput 4.

Capite quarto præscribendum censet Clericis ut jux,, ta Apostolum *comam non nutriant*, sed desuper ca,, put in modum *sphæræ* radant: quia sicut discreti ,, debent esse in conversatione, ita & in *Tonsura*, & omni *habitu* discreti debent apparere ". Quam hæc male quadrent temporibus persecutionum, nemo non intelligit.

Ob hæc, necnon versionem vulgatam sacræ Scripturæ, qua utitur, atque mendacem Consulum notam ei adscriptam, merito viri Eruditi hanc Epistolam censent supposititiam, uti monet Labbæus *col. 580.*

Epistolæ 1. Soteris.

Sequuntur duæ Decretales *Soteris* Papæ, quarum prima suppositionis argumentum ostentat in ipsa inscriptione, in qua Soter dicitur *Apostolicæ Sedis Archiepiscopus*: quod nomen ignotum erat tempore illo.

Tota est de Incarnatione Domini ex verbis Ithacii & S. Leonis; necnon textibus Scripturæ secundum vulgatam versionem conflata: notanturque Consules, qui functi erant Consulatu ante tempora Soteris, ut monet Labbæus *col. 585.*

Altera ejusdem.

Secunda *ad Episcopos Italiæ*, redarguit tamquam maximum abusum, & *pestem* funditus evellendam, quod sacratæ Deo fœminæ & Monachæ, sacra vasa, vel sacratas pallas contingere, & incensum circa altaria deferre dicerentur; quam in rem plura sacræ Scripturæ testimonia ex versione vulgata parum apposite adducit, atque aliqua ex Gelasio, S. Leone, & Synodo Lateranensi sub Martino I. admodum inconcinne, & sine ulla connexione conglomerat; falsamque notam Consulum adjicit.

Hinc monet Labbæus in nota marginali ad priorem Epistolam *col. 584. Hæc & sequens ejusdem cum aliis commati; apud eruditos Catholicos*.

Eleutherii Epistolæ cap. 1.

Subjuncta Epistola *Eleutherii* Papæ *ad Galliæ Provincias* in tria capita distributa. Primo capite tractat de escis *irrationabiliter* non vitandis, adductus variis locis Scripturæ sacræ ex versione vulgata.

Caput 2. ejusdem.

Secundo capite congessit nonnulla ex Concilio Sardicensi, ex Codice Theodosiano, interpretatione Aniani, Felice III. S. Leone, aliisque auctoribus recentioribus Eleutherio, ut adstruat, " finitiva Episcoporum ,, judicia huc (id est, ad Sedem Apostolicam) esse ,, deferenda, ut hujus sanctæ Sedis Auctoritate finian,, tur, sicut ab Apostolis, eorumque successoribus; ,, multorum consensu jam definitum est... Quoniam ,, quamvis liceat apud Provinciales & Metropolita,, nos, atque Primates eorum ventilare accusationes, ,, vel criminationes, non licet tamen definire secus ,, quam prædictam ". Hæc a praxi & disciplina primorum sæculorum sunt remotissima.

Docet quoque modum, quo, judex in causæ instructione, & partium interrogatione procedere debeat, nec sententiam ante conclusionem dicere in causa: ,, nihilque absque legitimo & idoneo accusatore fiat. ,, Nam si leges sæculi accusatores requirunt, quanto ,, magis Ecclesiasticæ regulæ? Docent enim terrestria ,, & humana, quæ sint Ecclesiastica atque cœlestia ". Hæc omnia rursus recentiorem manum indicant. Notatque vir eruditus Antonius Contius ad *Canonem 11. caus. 30. quæst. 5.* ubi refertur fragmentum hujus capitis: " Adulterinam esse hanc Eleutherii Epistolam ,, vel ex hoc fragmento liquet. Hæc enim sunt ver,, ba Constantini Imperatoris in *l. 1. Cod. Theod. de Judiciis*, quæ plusquam centum post " Eleutherium an,, nis sunt a Constantino rescripta, quæ illius Episto,, læ fabricator, suppresso nomine Constantini compi,, lavit, putans furtum semper celari posse; sed & tam ,, infeliciter compilavit, ut verba textus cum verbis ,, subjectæ illi præposteræ interpretationis in Alarico ,, breviario temere miscuerit.

Caput 3.

Tertio capite cavetur, ut Clerici accusationes in Provincia, in qua is, qui pulsatur, consistit, instituantur: " nec æstimet accusator eum alibi, aut lon,, gius ad judicium protrahendum. Illi vero, qui pul,, satus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat ,, appellare ". Hæc ex Aniani interpretatione, & Codice Theodosiano deprompsit; uti reliqua sine ulla connexione & ordine recentiorum sunt congesta fragmenta.

Jure merito ergo hæc Epistola *Contio*, *Antonio Augustino*, *Baronio*, *aliisque viris Eruditis adulterina est*, uti monet Labbæus *col. 588.*

Victoris Epistolæ 1. cap. 1.

Eleutherio successit *Victor*, cui Isidoriana collectio binas litteras tribuit, quarum prior inscribitur: *Victor Romanæ ac universalis Ecclesiæ Archiepiscopus Theophilo Episcopo, & cunctis Fratribus in Alexandria Domino famulantibus in Dono salutem*. Hæc inscriptio toti antiquitati contraria vel sola Epistolæ suppositionem evincit.

Capite primo dicit, Pascha die Dominico esse celebran-

brandum, eo denique die Baptismum Catholicum, nisi aliud necessitas exigat, celebrandum: ipsumque caput concludit verbis S. Leonis plusquam duobus sæculis Victore junioris: " Hæc vero statuta nulla debent improbitate convelli, nulla novitate mutari, quia alia ratio est causarum sæcularium, alia divinarum.

Ejusdem c. 2. & 3. Capite secundo agit contra judicia incerta & temeraria verbis Isidori Hispalensis.

Tertium caput est de causis Episcoporum; scribitque ad Apostolicam Sedem delatum, quod ea judicare præsumant *quæ (ait) præter nostram vobis definire non licet auctoritatem, id est, Episcoporum causa*. In hujus probationem adducit tamquam constitutum *a temporibus Apostolorum, Canonem IV.* Sardicensem, suppresso nomine, & nonnihil immutatum. Addit quoque *Canonem XVII.* Chalcedonensem; at rursus non parum suo scopo accommodatum; atque ex eis concludit; *Nihil aliud est, fratres, talis præsumptio, nisi Apostolorum, suorumque successorum terminos transgredi, eorumque Decreta violare. Culpantur enim (ut scriptum est) fratres, qui aliter circa Episcopos judicare præsumant, quam Apostolicæ Sedis Papæ fieri placuerit. Et quis est qui judicat eum, quem Dominus sibi & huic sanctæ Sedi reservari voluit judicandum?*

Tum inserit textum ex Isaia *cap.* 50. ex interpretatione Hieronymi, sed impertinentissime: ut vel hinc inscitia & imprudentia hujus fabricatoris ad oculum patescat.

Altera Victoris Epistola. Altera Epistola ab Isidoro Mercatore Victori adscripta similiter in ipsa inscriptione suam prodit suppositionem. Dicit enim similiter se Ecclesiæ Romanæ & urbis *Archiepiscopum*, contra morem illius sæculi, quo nomen *Archiepiscopi* nondum in Ecclesia invaluerat.

In hac Epistola exhortatur Episcopos Africanos ad concordiam, præcipue in Sacramentis divinis; idque verbis a S. Leone mutuatis.

Itaque recta utraque Epistola eruditis est suspecta, uti monet Labbæus *col.* 292.

Item duæ ab Isidoro omissæ. Præter has Isidorianas extant & aliæ duæ sub nomine Victoris Papæ, quas ex Bibliotheca Floriacensi primus edidit Joannes a Bosco, quarum prior inscribitur *Desiderio Viennensi Episcopo*; agitque de celebritione Paschæ die Dominica facienda. Sed cum nullus reperiatur inter Episcopos Viennenses illius nominis ante tempora S. Gregorii, redditur hæc Epistola eruditis admodum suspecta; uti & altera, quæ etiam de celebratione Paschæ tractat; eo quod utriusque stylus sit multum barbarus & inconcinnus, & Scriptura sacra citetur ex versione vulgata.

Zephyrini Epistola 1. Victori successit *Zephyrinus*, cui binas Decretales Epistolas Isidorus adscribit. Prima *ad Episcopos omnes Sicilienses* directa tractat de judiciis Episcoporum; atque inter alia decernitur, ut " Patriarchæ vel Primates accusatum discutientes Episcopum, non ante sententiam proferant finitivam, quam Apostolica fulti auctoritate ... Duodecim enim judices quilibet Episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat, a quibus ejus causa juste judicetur. Nec prius audiatur, aut excommunicetur, vel judicetur, quam ipsi per se eligantur, & regulariter vocato ad suorum primo conventum Episcoporum, per eos ejus causa juste audiatur, & rationabiliter discernatur. Finis vero ejus causæ ad Sedem Apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur. Nec antea finiatur, sicut ab Apostolis, vel successoribus eorum olim statutum est, quam ejus auctoritate fulciatur.

Ulterius addit: " Ad eam quoque ab omnibus, maxime tamen ab oppressis, appellandum est, & concurendum quasi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & a suis oppressionibus releventur, quia non potest, nec debet mater oblivisci filium suum.

" Judicia enim Episcoporum, majoresque Ecclesiæ causæ a Sede Apostolica, & non ab alia, sicut Apostoli, & sancti successores eorum statuerunt; cum aliis Episcopis sunt terminandæ, quia licet in alios transferatur Episcopos, beatissimo tamen Apostolo Petro dictum est: *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis*.

Hæc a modo loquendi, & disciplina pristinorum sæculorum sunt plane aliena, unde & Recentiorum verbis sunt expressa; uti ad marginem notavit Labbæus *col.* 604.

Zephyrini Epistolæ 2. cap. 1. Altera Zephyrino adscripta Epistola *ad Ægypti Provinciæ Episcopos* in ipso titulo suam prodit suppositionem: dum Zephyrinus vocatur Romanæ urbis *Archiepiscopus*: nomen ætate illa incognitum.

Primo capite hortatur Episcopos rebus suis spoliatos, vel a Sede sua pulsos ad pietatem. *Nec mirum (ait) fratres, si vos persequuntur, cum Caput vestrum Christum Dominum nostrum usque ad mortem sint persecuti. Ipsæ tamen persecutiones patienter portandæ sunt, ut discipuli ejus esse cognoscamini, pro quo & patimini*. Sed hæc, aliaque e quibus conflatur Epistola ex recentioribus auctoribus & monumentis deprompta sunt, & sine ordine conglomerata, in quibus etiam *Apocrysiariorum* Sedis Apostolicæ meminit, qui multo post Zephyrinum tempore exorti sunt.

Caput 2. ejusdem. Capite secundo, Ordinationes Presbyterorum & Levitarum tempore congruo, & multis coram adstantibus solemniter agi vult: quod parum temporibus persecutionum congruit: assuitque fragmentum Gelasii I. præcedentibus nullatenus connexum.

Unde hæc & præcedens, Antonio Augustino, aliisque viris eruditis supposititia habetur, teste Labbæo *col.* 603.

Callisti Epistola 1. *Callisto* Papæ, qui successit Zephyrino, duæ attribuuntur. Prima *ad Benedictum Episcopum*, primo agit de jejunio quatuor temporum; asseritque quod jejunium *ter* in anno Romæ hactenus celebraretur: sed (ait) *convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus, ut sicut annus per quatuor volvitur tempora, sic & nos quaternum solemne agamus jejunium, per anni quatuor tempora*. Hæc recentiorem rursus auctorem produnt: cum constet, hujus jejunii institutionem esse recentioris ætatis.

Deinde nulla cum prioribus connexione discurrit contra falsas criminationes, quæ fiunt adversus Doctores sive veritatis Magistros; multaque ex SS. Augustino, Ambrosio, Prospero, Leone, Synodo Nicæna, aliisque ipso Callisto sæculis duobus & amplius junioris, sine ullo ordine congerit: ipsorum etiam verbis interpolatis, uti notat Labbæus: quibus manifestam prodit suppositionem.

Ejusdem Epistolæ 2. cap. 1. Secunda *ad omnes Galliarum Episcopos* in sex capita divisa, primo capite agit contra conspirantes in Episcopos, adductis verbis Concilii Chalcedonensis, & S. Gregorii.

Caput 2. Capite secundo proibet communicari cum excommunicatis, aut cum infidelibus; præcipiens, cum eis nullam participationem haberi. Quod nullatenus congruit tempori Callisti I. quo summa rerum adhuc penes Gentiles residebat, & si fideles cum eis nullam potuissent participationem habere, oportuisset eos *de mundo exire*, ut ait Apostolus 1. *Cor. cap.* 5. *vers.* 10.

Caput 3. Tertio capite multis laciniis decerpit ex Codice Theodosiano, Hadriano I. ostendere intendit, quod nullus Episcopus in alterius Diœcesi aliquid agere queat sine ipsius Episcopi licentia, mentionemque etiam injicit *Primatis*, tempore Callisti necdum noti.

Agit & ibidem contra transmigrationes Episcoporum, aitque, quod " si utilitatis causa fuerit mutandus, non per se hoc agat, sed fratribus invitantibus, & auctoritate hujus sanctæ Sedis faciat, non ambitus causa, sed utilitatis ". Quod requirat *auctoritatem sanctæ Sedis*, recentioris esse instituti notorium est.

Caput 4. Tractat capite quarto de conjunctionibus consanguineorum, & sub quibus pœnis eas tum leges divinæ, tum leges sæculi prohibeant, summa confusione exponit, additque. " Eos autem consanguineos dicimus, quos divinæ & Imperatorum ac Romanorum atque Græcorum leges consanguineos appellant, & in hæreditatem suscipiunt, nec repellere possunt. Talium enim conjunctiones nec legitimæ sunt, nec manere possunt, sed sunt repellendæ ". Quis unquam quid simile apud primorum sæculorum auctores legit?

Caput 5. Capite quinto dicit, quod illegitime conjunctus, vel absque dotali titulo ac benedictione Sacerdotis copulatus, Sacerdotes vel legitime conjunctos criminari, vel in eos testificari minime possit; quoniam qui est incestus macula pollutus, infamis est. Multa deinde ex diversis recentioribus auctoribus de accusatoribus & forma accusationis sine ullo ordine, & cohærentia in unum conglomerat; ut vel sola confusio inscitiam auctoris prodat.

Caput 6. Denique capite sexto prætendit " errare eos, qui putant Domini Sacerdotes post lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare non posse, & suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint, & suum Sacerdotium condigne custodierint ". Quod imprudenter Callisto attribui fatebuntur, qui sciunt per septem ut minus sæcula totius Ecclesiæ fuisse constantem eam praxim & doctrinam, quæ erroris hic insimulatur, uti ostendi *Tom. V.* in *Dissert. de Instituto Canonicorum part.* 2. (*a*).

Qui hæc in hisce Epistolis occurrentia manifesta suppositionis argumenta attenderit, non mirabitur, has Epistolas rejectas fuisse a selectis viris, qui Romæ operam navarunt in Gratiano corrigendo, uti testatur Antonius Augustinus *lib.* 2. *de Emendat Grat. dial.* 4. *Idem sentiunt viri eruditi, & res ipsa clamat*, ait Labbæus in nota ad priorem Epistolam *col.* 609.

Epistolæ Urbani I. cap. 1. *Urbano*, qui Callisto successit unica attribuitur Epistola constans capitibus septem, quorum primo extollit vitam communem; narratque, quod Sacerdotes convenientius esse judicarint, si hæreditates & agros, quos in sumptus pauperum vendere solebant fideles, Ecclesia servaret: " eo quod ex sumptibus eorum tam præsen-

(a) Qui sub Callisti persona SS. Patres, Sacerdotibus lapsis ad honorem pristinum redeundi omnem spem adimentes, tam impudenter *erroris* accusare ausus fuit, idem S. Gregorio simile commentum affingere non dubitavit. Certe adeo similis uterque fœtus, ut ab eodem parente prodiisse dubitandum non sit; ut erudite probavit D. Van-Espen *Tom. V.* in *dissert. de Instit. Canon.*

,, sentibus, quam futuris temporibus, plurima & elegantiora possent ministrare fidelibus communem fidem docentibus, quam ex pretio eorum; cœperunt prædia & agros, quos vendere solebant, *Matricibus* Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum vivere ". Hæc parum sapiunt tempora Urbani I. dum Ecclesia adhuc sub Imperatorum Gentilium persecutione premebatur: nec *Matricis* Ecclesiæ nomen cognitum erat.

Ejusdem cap. 2. Capite secundo de dispensatione rerum Ecclesiæ agit verbis potissimum Juliani Pomerii, cujus hanc vulgatissimam sententiam exscribit, res Ecclesiæ *vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonium pauperum.*

Caput 3. Dein capite tertio scribit, quod memoratis augmentationibus in tantum Ecclesiæ, quibus Episcopi præsident, Domino adminiculante creverint, & tantis maxima pars earum abundent rebus, ut nullus sit in eis, vitam eligens communem, egens.

Caput 4. Capite quarto docet: ,, quod *Sedes* in Episcoporum Ecclesiis *excelsæ* constitutæ & præparatæ inveniuntur, ut *thronus* speculationem & potestatem judicandi & solvendi atque ligandi, a Domino sibi datam materiam docent ". Sed quam hæc ætati Urbani parum consonant!

Capur 3. Monet dein capite quinto, præcedentia de Episcopis dicta esse, ut intelligant potestatem Episcoporum suorum, in iisque Deum venerentur, & eos ut animas suas diligant; nec communicent iis, quibus ipsi non communicant, & quos ejecerint, non recipiant; ac tum subdit sententiam vulgatissimam a Sancto Gregorio tribus ut minus sæculis post obitum Urbani I. prolatam: ,, Valde timenda est sententia Episcopi, licet injuste liget aliquem, quod tamen summopere prævidere debet ". Vide quæ de hac sententia notavi in *Jure Eccles. Tom. IV. part. 3. tit. 11. cap. 5.*

Caput 6. Sexto capite hortatur, ut Christiani sponsionem, quam in Baptismo fecerunt, fideliter servent; idque verbis ex Isidoro Hispalensi mutuatis; ac dein ex abrupto agit de iis, qui voverint nihil proprium habere, monetque, ut quod voverunt, Domino reddant: quoniam satius est non vovere, quam votum, prout melius potest, non perficere. Post hæc assuit sententiam Eucherii, sive alterius auctoris Homiliæ in die Pentecostes, qua ostenditur, quod sapientia hujus sæculi suadeat terrena quærere, & cupiditatem omnium malorum radicem commendet, & in deliciis & peccatis vivere.

Caput 7. Ejusdem Eucherii verbis agit capite septimo de Sacramento Confirmationis; asseritque, quod ,, omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debeant, ut plene Christiani inveniantur ". Deinde quid Christiani per Spiritum sanctum accipiant, exponit.

Data legitur Epistola *Antonio & Alexandro* Consulibus; qui, ut notat Labbæus *col.* 621. anno 122. vivente adhuc Callisto, cui Urbanus successit, Consulatum gesserunt.

De hac itaque Epistola pronuntiat, Labbæus *col.* 618. *Ejusdem ponderis apud eruditos ac præcedentes.*

Pontiani Epistolæ 2. Post Urbanum sequitur in ordine Pontificum Romanorum *Pontianus*, cui duæ adscribuntur Epistolæ. Prima agit de honore exhibendo Sacerdotibus; deque accusationibus contra ipsos non facile recipiendis, stylo plane confuso. Tum interserit consolatoriam super obitu fratris illius, cui Epistola dirigitur, idque verbis S. Gregorii, sed *pro more suisque deque versis*, ait Labbæus *col.* 624.

Altera ejusdem. Altera Epistola præfert inscriptionem hanc: *Pontianus sanctæ & universalis Ecclesiæ Episcopus, omnibus recte Dominum colentibus, & divinum cultum amantibus salutem*, Stylus priscis sæculis haud notus.

Agit hic de fraterna dilectione, concluditur: ,, Et ideo unusquisque prævideat, ne hoc machinetur, aut agat in fratrem, quod ipse pati noluerit. Et nec in suspicionem veniat homo fidelis, ut dicat, aut faciat ea, quæ pati non vult.

Tractat & de malis hominibus vitandis, & de non admittendis in testes, vel accusatores, iis, qui non sunt bonæ conversationis, aut quorum vita est accusabilis, & qui rectam non tenent & docent fidem. Quæ sententia in plerisque hisce Decretalibus occurrit, seu potius intruditur.

Contexta est hæc Decretalis, uti & præcedens, ex verbis S. Gregorii, & Sixti Philosophi, ut propterea teste Labbæo *col.* 623. *Fictæ ac supposititiæ doctis viris habeantur, ex Gregorii, & Sixti præsertim laciniis consutæ.*

Epistola Anteri Papæ. Sequitur Epistola *Anteri* Papæ de mutatione Episcoporum *ad Episcopos Provinciarum Bœticæ & Toletanæ*. Multis contendit ,, eam mutationom communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cujusquam aut dominatione.

Ut hanc resolutionem probet, exempla multorum Episcoporum, quos de una civitate ad aliam translatos fuisse dicit, atque inter alios adducit exemplum cujusdam ,, *Eusebii*, qui de quadam parva civitate Apostolica auctoritate mutatus est *Alexandriam* ". Item ,, *Felicis*, qui de civitate, qua ordinatus erat electione civium, propter doctrinam & bonam vitam quam habebat, communi Episcoporum & reliquorum Sacerdotum ac populorum consilio translatus est *Ephesum* ". Sed tam Eusebius inter Alexandrinos, quam ,, Felix inter Ephesinos Episcopos *ignotus viris doctis*, uti monet Labbæus *col.* 630. Adulterinam quoque manum sapit, quod Eusebium *auctoritate Apostolica* translatum dicat: cum pristina ætas eam Synodis Provincialibus deferret; de quo vide *Jus Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 15. cap. 5.* alias *cap. 5.*

Conflata est tota hæc Decretalis stylo plane barbaro & confuso ex recentioris sæculi segmentis, ac præsertim Sancti Hieronymi. *Unde arguitur Mercatoris Mangonium putidissimum*, ait Labbæus *col.* 632. Et *col.* 629. ait: *Suspecta pariter viris doctis vel ex unius Hieronymi segmentis.*

Epistola 1. Fabiano adscripta. Huic Epistolæ Anteri subjiciuntur tres *Fabiano* Papæ adscriptæ; in quarum prima *dilectissimis ubique Catholicæ Ecclesiæ comministris* inscripta inter alia dicit: ,, Septem Diaconos in urbe Roma per septem regiones civitatis, sicut a Patribus accepimus, habemus: qui per singulas hebdomadas, & Dominicos dies, atque festivitatem solemnia cum Subdiaconibus & Acolythis, ac sequentium ordinum ministris, injuncta sibi observant ministeria, & parati omni hora sunt ad divinum officium, & quicquid eis injungitur, peragendum.

Deinde scribit; ,, Similiter & vobis, prout opportunum fuerit, per singulas civitates est faciendum, ut divinum absque ulla mora & negligentia studiose ac solemniter agatur officium ". Sed quam parum hæc Fabiani temporibus, quando adhuc Concil·um Imperatorum persecutio divinum officium in locis a·ditis persolvi cogebat, congruunt!

Adhæc in eadem Epistola scribit: ,, Insuper & illud vos scire desideramus, quia nostris temporibus, præpedientibus quidem nostris peccatis, suadente antiquo hoste, qui semper *ut leo rugiens circuit, quærens quem devoret*, supervenit Novatus ex Africa, & separavit de Ecclesia Christi Confessores, & convertit in pravam doctrinam.

At hoc sub Cornelio tantum contigisse, defuncto jam Fabiano, testimonio Cypriani, Eusebii, aliorumque probat Baronius ad annum 238. *num.* 9.

Conflata est & hæc Epistola; uti passim præcedentes, ex variis inter se haud cohærentibus recentiorum laciniis non parum interpolatis, quæ ejus suppositionem probant.

Ejusdem Epistolæ 2. cap. 1. Secunda Fabiano attributa *ad omnes Orientales Episcopos, capite* 1. docet, per singulos annos in Cœna Domini Chrisma esse renovandum, & vetus in sanctis Ecclesiis cremandum; addens: ,, Hæc sancta Romana Ecclesia, & Antiochena a tempore Apostolorum custodit: hæc Hierosolymorum & Ephesinorum tenet: In quibus Apostoli præsidentes, hæc docuerunt, & vetus Chrisma incendi, & non amplius quam uno anno uti permiserunt, atque deinceps novo frui, & non veteri, jubentes docuerunt.

Cum nihil de hoc ritu in authenticis veterum scriptis occurrat, merito hæc a recentiore huic Pontifici supposita creduntur: quam suspicionem augent laciniæ ex Siricii, Innocentii, Augustini, & Hieronymi scriptis consutæ, ut ostendat, quod merito indulgentiæ aditus obseratur ei, qui huic ritui obviare tentaverit; ,, quia (ait) pravissimarum mentium perversa doctrina, dum indulgentius frænis utitur, in prævaricationem præsumptionis delabitur.

Caput 2. hujus Epistolæ. Capite secundo, rursus more auctori harum Epistolorum admodum familiari, agitur contra temerarias Episcoporum accusationes, & qui ab horum accusatione repellendi, late deducitur. ,, Similiter auctoritate Apostolica jubens, ne Pastorem suum oves, quæ ei commissæ fuerant, nisi in fide erraverit, reprehendere audeant, quia facta Præpositorum oris gladio ferienda non sunt, neque potest esse discipulus supra Magistrum ". Ut vel hinc pateat, huic Mercatori propositum fuisse, merces suas Episcopis gratas reddere.

Quin & ibidem statuit: ,, ut si aliquis Clericorum suis Episcopis infestus aut insidiator fuerit, eosque criminari voluerit, aut conspirator fuerit, ut mox ante examinatum judicium submotus a Clero, curiæ tradatur, cui diebus vitæ suæ deserviat, & infamis absque ulla restitutionis spe permaneat.

Hæc verba Antonio Augustino suspecta sunt. *Quid enim* (ait) *Fabiani tempore (qui Maximini & Gordiani tempore vixit) Curia ad Pontifices pertinet?* In notis ad caput 38. coll. Hadriani *tom. 6. Concil. col.* 1853.

Tertia Fabiani Epistolæ cap. 1. Tertia Fabiano adscripta quinque capite distinguitur; eamdem, more sibi usitato, inchoans capite primo per exclusionem ab accusatione Episcoporum illorum ,, qui non sunt bonæ conversationis, aut quorum vita est accusabilis, aut quorum fides, vita, & libertas nescitur ". Quæ habentur in collectione Hadriani: notatque ibique Antonius Augustinus, hoc Decretum in pluribus Pontificum Epistolis extare: quia, ut supra monui, hæc ad favendum Episcopis, ubique pene suis mercibus immiscuit falsus Mercator.

Ejusdem cap. 2. Capite secundo generali sanctione prohibet peregrina judicia: ,, Quia indignum est (ait) ab externis, ut judicetur, qui Provinciales, & a se electos debet habere judices, nisi fuerit appellatum ". Sed, ut non tan-

tantum Episcopis, verum & Sedi Apostolicæ bene saperent hæ merces, hanc more suo interserit clausulam: *Salva in omnibus Apostolica auctoritate*. Quæ & a Collectione Hadriani ubi *cap.* 16. idem statutum refertur, abest.

Caput 3. Tertio capite decernitur: „ Pulsatus ante suum judicem, causam dicat, & ante non suum judicem „ pulsatus, si voluerit, taceat: & ut pulsatis, quoties appellaverint, induciæ dentur „. Similia ex jure civili desumpta, tempore Fabiani nondum forum Ecclesiæ intraverant.

Caput 4. Quarto capite inter alia decernitur, ut „ omnis qui „ crimen objicit, scribat se probaturum. Revera semper „ ibi causa agatur, ubi crimen admittitur. Et qui „ non probaverit, quod objecit, pœnam intulerit; „ ipse patiatur „. Nec hæc in foro Ecclesiæ ea ætate usitata reperio.

Caput 5. Denique capite quinto agit rursus de appellationibus Episcoporum ad Apostolicam Sedem, scribitque, ut „ si Episcopus accusatus appellaverit ad Apostolicam „ Sedem, id statuendum, quod ejusdem Sedis Pontifex „ censuerit „. Quod recentiorem sapere disciplinam sæpius monui, ideoque & hæc & præcedentes Fabiano adscriptæ Epistolæ ex variis interpolatis, & sibi non cohærentibus fragmentis recentiorum conflatæ, *pariter suppositæ ac spuriæ viris doctis habentur, & merito*, ait Labbæus *col.* 636.

Prima S. Cornelio adscripta. Fabiano successit *S. Cornelius*, cui in Isidoriane collectione assignantur duæ Epistolæ Decretales, in quarum prima agit de translatione corporum SS. Petri & Pauli: scribitque „ rogatu cujusdam devotæ fœminæ „ ac nobilissimæ matronæ Lucinæ levata esse corpora „ illa de catacumbis. Et primo quidem Beati Pauli „ corpus, levatum silentio, positum est in prædio „ prædictæ matronæ, via Ostiensi ad latus ubi decol„ latus est. Postea vero Beati Apostolorum Principis „ Petri accepimus corpus, & condecenter posuimus „ illud juxta locum, ubi crucifixus est, inter corpora „ Sanctorum Episcoporum in templo Apollinis, in „ monte aureo in Vaticano palatii Neroniani, tertio „ Kalendarum Juliarum die.

Hæc historia Veteribus incognita; ipsique præterea S. Gregorio *lib.* 3. *Epist.* 30. aperte contraria, etiam ab ipso Baronio tamquam fabulosa rejicitur; fateturque hanc Epistolam esse suspectæ fidei: ad annum 221.

Post hæc in eadem Epistola subjungitur longa exhortatio ad constantiam in fide retinendam, allatis multis sacræ Scripturæ textibus; quam in pluribus Pontificum Epistolis repetit Mercator, uti notat Labbæus *col.* 669.

Secunda ei adscripta. Altera Cornelio Papæ ab Isidoro adscripta Epistola *ad Rufum* vel *Rusticum Coepiscopum* in duo capita divisa, priore contendit: „ Sacramentum a summis Sa„ cerdotibus, vel Dei Ministris exigi, nisi pro fide re„ cta, minime cognovimus, nec spontaneos jurasse re„ perimus „. Tum prolato textu Epistolæ S. Jacobi, & Evangelii contra juramenta facile præstanda, subjungit: „ Hæc Apostoli maxime omnes, hæc sancti viri Præ„ decessores nostri, qui huic sanctæ universali Aposto„ licæ Ecclesiæ præfuerunt ante nos, hæc Prophetæ, „ & reliqui sancti Doctores, per universum mundum „ dispersi ad prædicandum, juramenta fieri vetant.

Ubi quæso simile quid apud primorum sæculorum auctores reperitur? Quis ejus ætatis Pontifex unquam Ecclesiam Romanam appellavit, *universalem Apostolicam Ecclesiam?*

Multa hic admodum impertinentia ex recentioribus scriptis & actis interserit; ac notanter „ summopere „ prævidendum esse, ne Pastorem suum oves, quæ ei „ commissæ fuerant, reprehendere (nisi a fide exorbi„ taverit) neque accusare præsumant: quoniam tales „ accusationes vim non habent, neque eis nocere pos„ sunt „. Quæ sententia tamen in substantia in plerasque hasce Decretales intrusa reperitur; uti & hæc præcedenti subjecta: „ Nullus Sacerdotum causam su„ am alieno committat judicio, nisi ad Sedem Aposto„ licam fuerit appellatum.

Ejus caput 2. Capite secundo scribit, quod „ quæ adversus absentes „ in omni negotio aut loco aguntur aut judicantur, „ omnino vacuentur, quoniam absentem nullus addi„ cit, nec ulla lex damnat „. Hæc & recentiorem sty„ lum sapiunt; & recentiora sunt, quæ hic adducuntur, letur ob illa apud eruditos hæc non majoris est fidei quam præcedens, uti monet Labbæus *col.* 668.

Epistola 3. ab Isidoro omissa [illegible]. Præter has Isidorianas est & tertia, quam ex Bibliotheca Floriacensi descripsit Baronius, directa ad Lupicinum Episcopum Viennensem; in qua ipsi nuntiat: „ aream Dominicam vento persecutionis acerrime com„ moveri, & Edictis Imperatorum Christianos ubique „ tormentis variis affici: Nam (ait) in Urbe Roma „ Imperator ad hoc constitutus est, unde publice nec „ in cryptis notioribus *Missa* agere Christianis licet „. Deinde monet Lupicinum: „ ut exhortetur omnes cre„ dentes in Christum, *ne timeant eos, qui occidunt,* „ *sed potius eum, qui habet corpus & animam potesta*„ *tem perdendi* „. Additque: „ Jam plures Fratrum „ martyrio coronati sunt.

At cum nullus Veterum hujus Epistolæ meminerit, cumque vox *Missas* ea ætate incognita: atque stylus multum dissimilis sit a stylo Litterarum Cornelii, quarum Eusebius & Cyprianus, aliique Veteres meminere, & quas pro genuinis Eruditi communi consensu recipiunt, admodum suspectæ fidei redditur hæc Epistola.

Binæ Epistolæ Cornelii Papæ ad S. Cyprianum extant inter Epistolas Cypriani, quarum fides a nemine in dubium vocatur.

Prima est de Confessoribus ad unitatem conversis; e qua discimus, quanta prudentia ac circumspectione procederent Episcopi priusquam lapsos reciperent: ipsumque Concilium noluisse hac in re suo fidere judicio; „ sed „ placuit (ait) contrahi Presbyterium. Adfuerunt e„ tiam Episcopi quinque, qui & hodie præsentes fue„ runt; ut firmato consilio, quid circa personas eorum „ observari deberet, consensu omnium statueretur. Binæ genuinæ S. Cornelii Epistolæ ad S. Cyprianum.

Altera ad S. Cyprianum agit breviter de factione Novatiani cum suis; describit nefanda scelera aliquorum, ut „ sciret Cyprianus, quales duces & protecto„ res iste schismaticus & hæreticus, lateri suo semper „ junctos habeat.

Extat & longum fragmentum Epistolæ Cornelii ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ Episcopum apud Eusebium *l.* 6. *Hist. Eccles. cap.* 43. in qua describit, cujusmodi ingenio & moribus fuerit Novatianus, & qua ratione in Episcopum Romanum se fecerit contra Canones & Ecclesiasticam disciplinam ordinari (*a*). Plura admodum notanda disciplinæ puncta in ea occurrunt. Item fragmentum alterius etiam genuinæ.

Qui tres has genuinas Cornelii Litteras legerit, stylumque ac materiam attenderit, facile agnoscet, recte notatum esse a Labbæo ad eorum primam *col.* 683. *Hæc & sequens Epistola cum iis, quas Clerus Romanus scripsit docent, quid distent æra lupinis, & subæratæ merces aureis veterum scriptis.*

Binis Litteris Cornelio adscriptis subjungit, Isidorus Epistolam sub nomine *Lucii* Papæ I. *ad Galliæ*, *atque Hispaniæ Episcopos*, quæ constat sex capitibus, quorum primo hortatur Episcopos, ut propter impios, qui ipsis insidiantur, semper testes secum Sacerdotes & Diaconos habeant. „ Et licet (ait) conscientia sufficere „ possit propria, tamen propter malevolos, juxta „ Apostolum, etiam *testimonium vos oportet habere* „ *bonum ab his, qui foris sunt* „. Deinde addit: „ Quoniam & in hac sancta Sede constitutum habe„ mus, ut duo Presbyteri, vel tres Diaconi in omni „ loco Episcopum non deserant, propter testimonium „ Ecclesiasticum. Epistolæ Lucii Papæ cap. 1.

Tametsi hæc praxis vituperanda non sit, nullum tamen constitutum simile ante tempora Lucii I. reperitur ab hac Sede emanatum.

Capite secundo rursus more suo agit de non leviter accusandis Episcopis: „ Quia injuria eorum ad Chri„ stum pertinet, cujus vice & legatione funguntur in Ecclesia „. Clausula harum Decretalium fabricatori familiaris; uti & illa, quam subjicit, sententia, de non admittendis ad accusationem Episcopi, nisi qui docuerint, *se irreprensibilem fidem ac conversationem ducere*. Ejusdem caput 2.

Capite tertio repetit, quod in aliis sæpe occurrit, ut nullus Metropolitanus sine consilio Episcoporum comprovincialium aliquid agat sub gradus sui periculo, nec hi sine Metropolitano quidquam faciant, nisi quantum ad proprias pertinet Parochias sive Diœceses. Hæc desumpta esse ex Concilio III. Carthaginensi *Can.* 10. notat Labbæus; ipsiusque Epistolæ suppositionem insinuant. Caput 3.

Quarto capite præcipit „ *auctoritate fultus Apostoli*„ *ca*, ut nullus Metropolitanus Episcopus, absque „ cæterorum omnium comprovincialium Episcoporum „ instantia; aliquorum audiat causas eorum; quia ir„ rita erunt, & ipse causam pro facto dabit „. Stylus obscurus, & phrasis loquendi veteribus Pontificibus haud usitata. Caput 4.

Quinto capite mandat; „ ne posteriores Episcopi se „ prioribus suis præferant: nec iis inconsultis, nisi „ quantum ad propriam pertinet Parochiam, aliquid „ agant „. Quæ sunt decerpta ex Concilio Milevitano *Can.* 13. duobus circiter sæculis ab obitu Lucii Papæ celebrato. Caput 5.

Addit dein sine ulla connexione, quod bonum esset, si intra Catholicam Ecclesiam nullius mali aut infestationis alicujus, erga Domini Sacerdotes, aut juste & pie volentes vivere, germen exurgeret. Atque ad illud abscindendum longum textum adducit ex libro Ecclesiastici parum convenientem, & more priscis auctoribus inusitatos, præcipue in litteris.

Contra rerum Ecclesiasticarum, & oblationum raptores late agit *capite* 6. allatis testimoniis ex SS. Augustino, Gregorio, aliisque recentioribus; nec non textu sacræ Scripturæ ex versione Hieronymi, quem inepte admodum suo applicat proposito. Deinde assuit longum discursum de servanda constantia in fide; idque præcipue verbis Agathonis adversus Monothelitas: nec non S. Leonis: eaque omnia summa confusione inter se commiscet. Caput 6.

Hæc, una cum falsa nota Consulari, abunde sufficiunt, ut

(*a*) Novatianus iste, primus Antipapa censetur.

ut habeatur *ſuſpecta eodem jure cum aliis Iſidori mercibus.*, uti loquitur Labbæus *colum.* 721.

Stephani Epiſtolæ prioris cap. 1. — *Stephano* Papæ, qui Lucio ſucceſſit, duas Decretales aſſignat Iſidoriana collectio, quarum prior *capite* 1. rurſus exponit, qui cenſendi ſint infames; pluresque deſignat, ſed, uti ſatis pateſcit, verbis e Codice Theodoſiano, aut Aniani interpretatione acceptis: quos nec ad ſacros Ordines promovendos cenſet, adjecta ſolita ſua clauſula: „ Nec rectam fidem, vel dignam converſationem non habentes, ſummos Sacerdotes poſſunt accuſare.

Item cap. 2. & 3. — Qualis obedientia & reverentia Præpoſitis debita ſit, docet *cap.* 2. verbis S. Gregorii: ſed ſtylo confuſo & inconcinno.

Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, ſacrata eſſe debere, & honeſta ſcribit *cap.* 3. iiſque nec in aliis uſibus frui quemquam poſſe, quam Eccleſiaſticis & Deo dignis officiis. „ Quæ nec ab aliis debent contingi (ait) aut ferri niſi a ſacratis hominibus, ne ultio, quæ Balthaſar Regem percuſſit, ſuper hæc tranſgredientes, & talia præſumentes, veniat divina, & corruere eos faciat divinæ ultionis juſtum flagellum ad ima „. Quam ſint hæc a priſtinis hiſce ſæculis remota, monui ad Epiſtolam Sixti I. & Hygini, in quibus ſacrarum veſtium mentio quoque occurrit.

Poſterioris Epiſtolæ cap. 1. — Altera Stephano adſcripta Epiſtola ſuam in ipſa inſcriptione ſuppoſitionem prodit, ubi Stephanus *Sanctæ Apoſtolicæ & univerſalis Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus* dicitur; titulus Veteribus ignotus.

Diſtribuitur Epiſtola in 12. capita, repetitis fere iis, quæ in anterioribus ſæpius fuere dicta, puta *c.* 1. de accuſationibus Epiſcoporum, quod claudit hac ſententia: „ Nam quidquid in ſacratis Deo rebus & Epiſcopis injuſte agitur, pro ſacrilegio reputabitur, quia ſacra ſunt, & violari a quoquam non debent.

Ejuſdem caput 2. — Agit *cap.* 2. iterum de Epiſcopis expulſis e ſuis Sedibus, aut rebus ſuis ſpoliatis; decernitque nullum ſic expulſum aut ſpoliatum, poſſe accuſari priuſquam integerrime reſtauretur; eique „ cuncta injuſte ablata, atque fructus omnes, ante cœptam accuſationem, *Primates* & Synodus Epiſcopo, de quo agitur, funditus reſtituant „. Quæ eſſe recentiore manu appoſita, & vox *Primates*, & materia conſtituti evincunt.

Caput 3. — Capite tertio iterum decernitur, nullum Eccleſiarum actorem vel defenſorem apud aliquos accuſandum, niſi prius charitative bis aut ter monitum, ut ab iis aut familiarem emendationem, aut juſtam percipiant excuſationem; quod ex Concilio Aurelianenſi V. deſumptum monet Labbæus.

Caput 4. — De accuſatoribus & accuſationibus Epiſcoporum, & qui ad eas non recipiendi, more ſuo replet caput 4. hujus Epiſtolæ: omneſque Laicos ab accuſatione repellit.

Caput 5. — Proſequitur materiam accuſationis *cap.* 5. prohibetque accuſationem *per ſcripta* ſuſcipi, ſed *propria voce* „ præſente videlicet eo, quem accuſare deſiderat; quia nullus abſens aut accuſari poteſt, aut accuſare „. Quin & addit: „ nullus præfati ordinis (Epiſcopalis) vir accuſari poteſt, aut reſpondere ſuis accuſatoribus debet, priuſquam regulariter a ſuo *Primate* vocatus ſit „. Putridæ Mercatoris merces.

Caput 6. — Et capite ſexto „ ut nulli Metropolitani, aut alii Epiſcopi appellentur Primates, niſi hi qui primas Sedes tenent, & quorum civitates antiqui Primates eſſe cenſuerunt . . . . Urbes enim & loca, quibus Primates præſidere debent, non modernis, ſed etiam multis ante adventum Chriſti ſunt ſtatutæ temporibus, quorum Primates etiam Gentiles pro majoribus etiam negotiis appellabant. In ipſis vero urbibus poſt Chriſti adventum Apoſtoli & ſucceſſores eorum Patriarchas vel Primates poſuerunt, ad quos Epiſcoporum negotia ſalva in omnibus Apoſtolica auctoritate, & majores cauſæ, poſt Apoſtolicam Sedem ſunt referendæ.

Quæ omnia eſſe a primis ſæculis omnino aliena jam ſupra ſæpius notavimus, & in *Scholiis ad veteres Canones* amplius oſtenſum eſt.

Caput 7. — Proſequitur de judiciis Epiſcoporum; atque *capite* 7. „ Epiſcoporum non aliter debere audiri, aut judicari, niſi in præſentia omnium Comprovincialium, & ab omnibus Comprovincialibus Epiſcopis: quia ipſis abſentibus, nec debet, nec poteſt.

Caput 8. — Pergit *capite* 8. ſcribitque, ut ultra Provinciæ terminos accuſandi licentia non progrediatur, ſed omnis accuſatio intra Provinciam terminetur: *niſi ad Apoſtolicam Sedem fuerit tantum appellatum*. Clauſula Iſidoro Fabricatori familiaris. Qui nec hic rurſus omittere potuit agere de his, qui ad accuſandum non ſint admittendi; idque ſine ulla cum prioribus connexione, aut materiæ affinitate.

Caput 9. — Et quidem tribus ſequentibus capitibus hanc accuſationis materiam iiſdem pene verbis, quibus in præcedentibus Decretalibus expoſita legitur, repetit, atque *capite* 9. ex præcedentibus infert, nulla ſpecie conſequentiæ; „ Clericus *ergo*, qui Epiſcopum ſuum accuſaverit, aut ei inſidiator extiterit, non eſt recipiendus: quia infamis effectus eſt, & a gradu debet recedere, aut *Curiæ tradi ſerviturus* „.

Quæ poſtrema clauſula recentiorem manum prodit; Clericum enim Curiæ ſeu brachio ſæculari tradi Veteribus fuit ignotum.

Caput 10. — „ Apoſtolos, ac ſucceſſores eorum, ac reliquos ſanctos Patres noluiſſe fieri facilem Epiſcoporum accuſationem, ait *cap.* 10. “ Quoniam ſi *facilis* eſſet, aut nullus, aut vix aliquis modo inveniretur. Adjungitque: Throni enim Dei vocantur: ideo non debent moveri, aut affligi, vel perturbari “. Quæ poſtrema ex Concilio Toletano XI. *Can.* 5. excerpſit.

Caput 11. — Toties hiſce Epiſtolis repetitum, rurſus ad nauſeam hic *capite* 11. repetitur, quod “ hi qui non ſunt bonæ converſationis, & quorum vita eſt accuſabilis, aut quorum fides, vita, & libertas neſcitur, non poſſint Epiſcopos accuſare.

Caput 12. — Idem argumentum proſequitur *capite* 12. multis parergis, nec ſibi cohærentibus ſumma confuſione intermixtis ex recentiorum fragmentis, & textibus Scripturæ ſatis prolixis, ex Hieronymiana & vulgata verſionibus.

Plurima itaque ſunt, ſive ſtylum ſive materiam ſpectemus, ob quæ *hæc* & prior Epiſtola, *non ſecus ac præcedentes, adulterinæ viris eruditis cenſentur*, ut notat Labbæus *col.* 722.

Sixti II. Epiſtola 1. — Stephano in Sede Romana ſucceſſit *Sixtus II.* cui in collectione Iſidoriana binæ dantur Epiſtolæ. Harum prima ipſam Arii hæreſim, nondum tempore hujus Papæ exortam, expugnat, idque prolixo Ithacii adverſus Varimadum diſcurſu; ad cujus finalia verba notam hanc marginalem apponit Labbæus *col.* 821. *Hactenus Ithacii verba; unde fraus mangonis detegitur evidentiſſime*.

Poſt hæc more ſuo de appellationibus ad ſanctam Sedem ſermonem interſerit; aſſeritque: “ in hac ſancta Sede (Romana) dudum a multis Epiſcopis conſtitutum fuiſſe, & modo (ait) ad veſtrum & ceterorum fratrum auxilium eſt denuo roboratum, ut omnes Epiſcopi, qui in quibuſdam gravioribus pulſantur vel criminantur cauſis, quoties neceſſe fuerit, libere Apoſtolicam appellant Sedem; atque ad eam quaſi ad matrem confugiant, ut ab ea (ſicut ſemper fuit) pie fulciantur, defendantur, & liberentur.

Poſt hæc tamquam *antiquam* Apoſtolorum, & eorum ſucceſſorum auctoritatem adducit Canones Synodi Sardicenſis, verbis non parum interpolatis, ac tum demum ſubjungit: “ Et ſi quis putaverit, ſe proprio Metropolitano gravari, apud Primatem Diœceſeos, aut penes univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Papam judicetur “. Attende hujus compilatoris ſubjunctam inſignem probationem: Ait enim, inquit, Jacobus Apoſtolus: *Judicium ſine miſericordia illi fiet, qui non fecit miſericordiam. Superextollit autem miſericordiam judicio*. Jacobi *Epiſt. cap.* 2. *verſ.* 13.

Similiter ſacri textus applicationes frequentes in hiſce Decretalibus occurrentes, probant earum compilatorem exigui admodum judicii fuiſſe.

Ejuſdem Epiſtola 2. — Epiſtola 2. huic Pontifici adſcripta & inſcripta, *dilectiſſimis fratribus per Hiſpaniarum Provincias conſtitutis*, conſtans quinque capitibus, nihil habet ſingulare, & repetit quæ ſæpius de Epiſcopis, eorumque judiciis in præcedentibus dicta fuere: ut operæ pretium non ſit, ſingula repetere; ſed dicere ſufficit: utraſque non minus ac præcedentes eruditis *ſpurias* cenſeri.

Dionyſii papæ Epiſtola 1. — *Dionyſio* Papæ, qui Sixto II. ſucceſſit, binæ attribuuntur Decretales, quarum prima dirigitur *Urbano Præfecto*: eique gratias agit, quod fideles S. Petri bene ſuſcipiat & adjuvet: hortaturque ut in bono perſeveret: *Quia non laudatur initium, ſed finis*. Hortatur quoque, ut ſapientiam diligat & ſcrutetur: “ Ut rationabiliter (ait) & ſapienter diſponas & judices, quæ tibi commiſſa ſunt “. Tum prolixos adfert textus Sacræ Scripturæ, quid haud obſcure imperiti Mercatoris ingenium produnt: concluditque Epiſtolam hoc epilogo: “ Unde optamus, ut vos beatus Petrus Apoſtolorum Princeps ad *ſua lumina* feliciter perducat, quatenus in omnipotentis gratia, perfrui veſtra præſentia mereamur “. Quæ non obſcure, novitium calamum præferunt.

Ejuſdem altera. — Altera *ad Severum Epiſcopum*, initio adſtruit, quod Divina diſpenſatio ſapienter & utiliter diverſos Ordines ſuperiores & inferiores in Eccleſia ordinarit, ad exemplar cœleſtium militiarum: idque verbis S. Gregorii, *quibuſdam leviter duntaxat commutatis*, uti notat Lab. *c.* 829.

Poſt hæc agit de inſtitutione Eccleſiarum Parochialium: aſſeritque “ ſe ſingulas ſingulis Presbyteris dediſſe Parochias, & cœmeteria eis diviſiſſe, & unicuique jus proprium habere ſtatuiſſe, ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terras, terminos, aut jus invadat, ſed unuſquiſque ſuis terminis ſit contentus, & taliter Eccleſiam & plebem ſibi commiſſam cuſtodiat, ut ante tribunal æterni Judicis, ex omnibus ſibi commiſſis rationem reddat, & non judicium, ſed gloriam pro ſuis actibus accipiat.

Hæc noſtri Mercatoris manum indicant; eo quod Parochiarum inſtitutio & diviſio, præſertim tam exacta, ut hic deſcribitur, ſit recentioris ætatis fœtus.

Sed & illud mire prodit noſtri fabricatoris ingenium, quod hic rurſus per ſummam violentiam interſerat ſuam ſolitam laciniam de his, qui ad accuſandum Epiſcopos admitti non debent; quaſi hoc unum præ oculis habuiſ-

habuisset, Episcopos contra omnem accusationem immunes reddere. Proinde merito utraque ab eruditis inter putridas Mercatoris merces reponitur.

Felicis Papæ I. Decretalis 1.

Sequuntur tres Epistolæ Decretales *Felici* Papæ adscriptæ: quarum prior, *ad Paternum Episcopum* constans sex capitibus, repetit rursus, quæ aliis passim Epistolis more suo Mercator inseruit, de accusationibus & judiciis Episcoporum; unde & eadem, quæ præcedentes, indicia suppositionis præfert; monetque Labbæus *col. 906. falsam esse Consulum notam quamcumque te vertas in partem*.

Ejusdem Epistola 2.

Epistola 2. inscripta *universis Episcopis per Galliæ Provincias constitutis*, rursus de judiciis & accusatione Episcoporum multa intermiscet; asseritque insuper, se ad supplementum ipsorum vocasse amplius quam septuaginta Coepiscopos suos: „ cum quibus hæc, quæ subter „ habentur inserta (ait) regulariter tractanda decrevi„ mus „ : Subduntur autem ea, quæ de accusatione Episcoporum sæpius repetita fuere, ex recentioribus fragmentis congesta & interpolata; atque hic inter alia decernitur, quod, Primates in congruo loco intra ipsam „ Provinciam, tempore congruo, id est, autumnali „ vel æstivo, Concilium regulariter convocare de„ beant, ita ut ab omnibus ejusdem Provinciæ Episcopis „ inibi audiatur " Episcopus accusatus. Hæc manifeste respiciunt Canonem V. Nicænum medio & amplius sæculo post Felicem editum. Unde in collectione Hadriani I. *cap.* 5. ubi fragmentum hujus Epistolæ refertur, pro *tempore congruo*, legitur, *tempore a Canonibus præfixo Nicænis*, quod & Labbæus notavit *col.* 907. addens; *Inde arguitur fraus interpolatoris*.

Tertia eidem assignata.

Tertia Epistola *ad Benignum Episcopum* in duo capita distributa, primo demonstrat: errare, qui Filium non videre Patrem contendunt, eo quod *Deum nemo vidit unquam*; idque verbis Ithacii adversus Varimadum Harianum, cujus si videas *c.* 18. 19. *&* 20. eorumque titulos, *fraudem agnosces*, ut monet Labbæus *col.* 910. Dein *cap.* 2. rursus verbis Ithacii ostendit, errare, affirmantes Filium minorem Patre, quia est invisibilis, Filius vero visibilis. Tandem adjungit nonnulla, quæ & Epistolæ Lucii inseruerat, ex Agathone, Epistola ad Imperatores relata Actione 4. *Conc. VI.* Œcumenici tomo 6. Concil. *col.* 636. adjunctis in nonnullis S. Leonis adversus Manichæos.

Denique concludit verbis S. Leonis: quæ omnia manifeste probant, *suppostitias* has esse Mercatoris merces, quales & a viris *doctis* censeri monet Labbæus *col.* 903.

Prima Eutychiano Papæ adscripta.

Subjicit Isidoriana collectio duas Epistolas Decretales *Eutychiani* Papæ: quarum priore, directa *ad Joannem, & ad omnes Episcopos Bœticæ Provinciæ*, adstruitur fides Incarnationis Dominicæ, verbis ex S. Leone, & Hilario suffuratis, *ex quibus perpendat Lector* (ait Labbæus *col.* 916.) *quam hæc distet purpura a vilibus ac quotidianis Mercatoris panniculis*.

Altera eidem supposita.

Altera Eutychiano adscripta Epistola genium quoque sapit Mercatoris; unice quippe tractans de modo recipiendi accusationem adversus Clericos; item qui non admittantur ad eorum accusationem, & de modo procedendi in negotiis Ecclesiasticis, fragmentis deceptis ex Codice Theodosiano & Aniani interpretatione; nec non pro more suo insertis prolixis laciniis sacræ Scripturæ ex versione Italica & Hieronymiana mixta: ut proinde jure merito, *utraque spuria doctis videatur*, uti monet Labbæus *col.* 914.

Caji Papæ Decretalis.

Sequitur Epistola Decretalis *Caji* Papæ, quæ rursus vel hinc Mercatorem prodit, quod prioribus tribus capitibus iterum agat de accusationibus & judiciis; atque *capite* 1. scribit: „ Paganos & hæreticos non pos„ se Christianos accusare, aut vocem eis infamationis „ inferre. " Porro manifestum est, vocem *Paganos* hic sumi pro *Gentilibus*: in qua significatione, si Baronio credimus in *Notis ad Martyrologium Romanum* ad diem 31. Januarii, ante tempora Imperatorum Christianorum usurpata non fuit; primumque sic sumptam circa annum 350. ab Optato Milevitano, se reperisse dicit. Atque hinc hujus Epistolæ suppositionis haud obscurum indicium.

Quod *capite* 2. scribitur, quod nemo unquam „ Episco„ pum apud judices sæculares, aut alios Clericos, accusare „ præsumat „ non obscurius manum prodit recentionem.

De Episcopo, Presbytero, Diacono, & reliquis Clericis apud Episcopos accusandis, ex Codice Theodosiano, & Ariani interpretatione tractat *capite* 3. faceturque insignis fabricator, de iisdem sufficienter a Prædecessoribus esse statutum; ut tamen sui ingenii & hic specimen det, addit hoc insigne monitum; „ Si eorum „ autem statuta non habueritis, mittite fidelissimos „ scriptores, qui hæc coram fidelibus testibus excipe„ re, vobisque reportare sub stipulatione valeant.

Ejusdem caput 4. & 5.

Contra negantes Verbi Dei incarnationem agit *cap.* 4. Et dein *cap.* 5. ostendit, quod ad spem vitæ æternæ perveniri non possit, nisi per Mediatorem Dei & hominum Christum Jesum; idque verbis S. Leonis, ad quorum calcem hanc notam apposuit Labbæus *col.* 929. *Huc usque verba S. Leonis, ex quibus viduas aliter alere catulos*.

Caput 6.

De Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & sequentium Clericorum ordinatione tractat *capite* 6. remittens ad spuriam Epistolam 2. Anacleti supra cum suis suppositionis argumentis repræsentatam; statuens insuper ipse, & mandans omnibus, ut „ ad Ordines „ Ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia, qui ordinari „ merentur, id est, si quis Episcopus esse meretur, sit „ primo Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, „ inde sacretur Acolythus, demum vero Subdiaconus, „ deinde Diaconus, & postea Presbyter, & exinde, si „ meretur, Episcopus ordinetur. Et regiones, sicut in „ hac urbe fecimus, per singulas urbes, quæ populosæ „ fuerint, Diaconibus dividantur.

Expers sit omnis historiæ, & veteris disciplinæ, qui hic non agnoscat recentiorem auctorem; quem & prodit assuta clausula Isidoro familiaris; *Et quæcumque difficiles quæstiones per singulas Provincias exortæ fuerint, semper ad Sedem Apostolicam referantur*.

Non sine fundamento igitur, hæc Epistola, ut ceteræ, ab Isidoro supposita habetur.

Marcellini Epistola 1.

Huic subjiciuntur ab Isidoro duæ Epistolæ *Marcellini* Papæ; prior *ad Salomonem Episcopum*, in qua confutatur error dicentium, Patrem esse Filio majorem; idque fragmentis ex Ithacio adversus Varimadum præcipue decerptis; intermixtis hinc inde laciniis ex variis Epistolis Hormisdæ Papæ, qui demum sedit sub initium sæculi sexti.

Altera eidem adscripta.

Altera *ad Orientales Episcopos*, incipit per longum fragmentum desumptum ex *Epistola* 65. Hormisdæ Papæ: occasione cujus monet Labbæus *col.* 934. *Quæ vel unica omnes pseudo-Isidori merces evertit proscribitque eruditorum virorum judicio*. Ipsa autem Hormisdæ Epistola dirigebatur ad Episcopos Hispaniæ, congratulatoria de pace Orientalis Ecclesiæ, ubi intera alia significaverat Hormisda: *Mox post nostrum reditum ab Orientalibus missa legatio est*; quæ Mercator noster sic interpolavit: *Mox pro nostro Edicto ab Orientalibus missa legatio est*: quasi mox ad Papæ *Edictum* ab Orientalibus missa esset legatio; de quo nihil apud Hormisdam, apud quem alias totus contextus extat. Unde circa hanc interpolationem notat Labbæus: *Hinc videas fraudem mali artificis sole meridiano clarius emicare*.

Mercator hic semper idem, non potuit non adjicere licet valde impertinenter, de solitis sibi mercibus; quod a persecutione fratrum, & omni litigio abstinendum sit: quare etiam ad hanc adjectam Isidorianam laciniam admonuit Labbæus ibidem: *His initium capiunt solitæ Mercatoris cantiones*.

Post hæc rursus more solito revertitur ad judicia, quæ Clerici subire debeant: atque de accusationibus & detractionibus inter Christianos vitandis, adductis, ut solet, prolixis ac parum accommodis sacræ Scripturæ contextibus ex recentiore versione; necnon recentiorum monumentorum segmentis, puta hac Nicæni Canonis IX. sententia: „ Omne enim quod ir„ reprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia ". Quæ sententia etiam in Concilio Romano VI. sub Symmacho anno 504. recitata fuit, adjunctis verbis, quæ & hic pseudo-Isidorus adjunxit: ut nequaquam obscurum sit, hæc ex Concilio illo esse subrepta; uti & verba, quæ hujus Epistolæ *capite* 4. abducuntur, quibus evincatur: „ quod injustum judicium, & injusta defi„ nitio, Regis metu vel jussu a judicibus ordinata non „ valeat.

Quæ omnia evincunt, quam æquum sit Labbæi de his Epistolis judicium *col.* 932. *Utraque suppostitia*.

Marcelli Epistola 1.

Subjiciuntur binæ Decretales *Marcelli* Papæ; quarum prior *ad Episcopus Provinciæ Antiochenæ* tractat de Romanæ Ecclesiæ primatu & auctoritate: inchoaturque verbis desumptis ex Epistola 3. Hilarii Papæ, sed parum mutatis, hortaturque Antiochenos: „ nec a Sedis „ Romanæ dispositione ipsos deviare oportere, ad quam „ (ait) cuncta majora Ecclesiastica negotia (divina di„ sponente gratia) jussa sunt referri, ut ab ea regu„ lariter disponantur, a qua sumpsere principia ". Addit præterea, quod „ juxta Apostolorum, eorum„ que successorum sanctiones, Episcopi, qui voluerint, „ vel quibus necesse fuerit, suffugere, eamque appel„ lare debeant, ut inde accipiant tuitionem & libera„ tionem, unde acceperunt informationem atque con„ secrationem . . . Simulque (pergit) iidem (inspiran„ te Domino) constituerunt, ut nulla Synodus fieret „ præter ejusdem Sedis auctoritatem, nec ullus Epi„ scopus, nisi in legitima Synodo suo tempore Apo„ stolica auctoritate convocata, super quibuslibet cri„ minibus pulsatus audiatur vel judicetur; quia „ (ut paulo superius prælibatum est) Episcoporum „ judicia, & summarum causarum negotia, sive cun„ cta dubia, Apostolicæ Sedis auctoritate sunt agenda „ & finienda. Et omnia comprovincialia negotia, hu„ jus sancto universalis & Apostolicæ Ecclesiæ sunt „ retractanda judicio, si hujus Ecclesiæ Pontifex præ„ ceperit.

Hæc & similia in hisce pseudo-Isidorianis Epistolis multum frequentia, non esse consona ætati & disciplinæ, aut phrasi primorum Pontificum, quibus Epistolæ hæ affinguntur, supra notavi, & eruditis sat notum est.

Tandem concludit auctor Epistolæ, „ sæpe dicen„ dum & agendum esse, quia mala pullulantia frater„ na charitate opporteat resecare "; adductis eam in rem, tum Novi tum Veteris Testamenti prolixis fragmen-

tis,

tis, ad materiam propositam parum aut nihil attinentibus.

Secunda ejusdem.

Altera Marcello adscripta Epistola est *ad Maxentium Tyrannum*: eumque monet, ut desinat sævire in Christianos: concinnata stylo pseudo-Isidoriano, id est, omnino confuso & inconcinno ex pluribus recentiorum auctorum laciniis, ac notanter S. Gregorii, & textibus S. Scripturæ ex versione S. Hieronymi contexta: ut jure merito tam de hac quam de præcedenti dicat Labbæus: *Supposita utraque*.

Epistola I. Eusebii Papæ.

Marcello succedit *Eusebius* Papa; cui tres Decretales apud Isidorum Mercatorem assignantur: quarum prima *ad omnes Galliæ Episcopos*, prolixe, sed admodum confuse, variis intermixtis parergis, proponit auctor sibi propriam & familiarem materiam de accusatoribus & accusationibus Episcoporum, idque eodem sensu, ac iisdem pene verbis, & fragmentis in quibus præcedentibus eamdem sæpius tractavit.

Ejusdem secunda.

In secunda huic Papæ assignata, similiter eodem sensu, atque iisdem pene verbis, ac ex iisdem fragmentis recentioribus agit de Episcopis rebus suis spoliatis; aut Sede sua pulsis, quibus in anterioribus passim eamdem materiam proposuit.

Et tertia.

Similiter & in tertia reperit, quod in omnibus pene præcedentibus Epistolis immiscuit, de infamibus ad testimonium non admittendis; & qui dicantur infames: ac præterea post multa ex abrupto mandat *Episcopis Tusciæ & Campaniæ* (quibus Epistola inscribitur) „ Crucis Domini nostri Jesu Christi, quæ nuper (ait) „ nobis gustans gubernacula sanctæ Romanæ Ecclesiæ „ tenentibus, quinto nonas Maji inventa est, in prædicto Kalendarum die inventionis festum solemniter celebrare (*a*).

Id contra omnium Historicorum fidem huic Epistolæ assutum esse, & tempori Eusebii Papæ haud convenire, omnibus sat persuasum est, ut & Binius ex Baronio hic observat.

Sive igitur materiam, sive stylum attendamus, evidenter apparebit, omnes tres has Epistolas esse ejusdem cum præcedentibus fabricaturæ; meritoque notasse Labbæum: *Confictæ ac spuriæ omnes*.

Epistola Melchiadis Papæ.

Melchiadi Papæ, qui Eusebio successit, unica tribuitur Epistola *ad omnes Hispaniæ Episcopos*; in qua noster Mercator solitas suas merces de judiciis Episcoporum, & majoribus causis ad Sedem Apostolicam deferendis, atque de appellationibus ad eamdem, venditat: eadem plane confusione, & fragmentorum conglomeratione, qua in præcedentibus, usus est.

Addit *cap.* 2. longum discursum de effectu Sacramenti Confirmationis; ostenditque Confirmationem ad Baptismi pertinere perfectionem, verbis *Eucherii Homilia de Pentecoste Eusebio Emisseno passim, sed falso tributæ: cujus auctor quibusdam perhibetur Faustus*, uti notat Labbæus *col.* 1397. addens: *Hinc vero discat lector aurum latere plurimum in sarcinis nostri Mercatoris*. Et ad calcem hujus prolixi discursus ait: *Hucusque Orator quisquis fuit Gallicana facundia præstans*.

Capite 3.

Denique *capite* 3. scribit, quod jejunium Dominici diei, & quintæ feriæ nemo celebrare debet, ut inter jejunium Christianorum & Gentilium, veraciter credentium, atque infidelium & hæreticorum, vera & non falsa discretio habeatur. Tum adducit, more suo; prolixum admodum ex pluribus locis sacræ Scripturæ concinnatum, inconcinnum discursum: ut palam innotescat, quod & hanc Epistolam merito *docti viri confictam arbitrentur*, uti notat Labbæus *col.* 1395.

Altera eidem adscripta.

Extat & apud Isidorum Epistola de primitiva Ecclesia, quam nonnulli Melchiadi tribuerunt: sed manifesto errore: quandoquidem disertis verbis citetur Synodus Nicæna, quæ omnium consensu sub Silvestro, successore Melchiadis demum indicta fuit: quin & refertur Canon Concilii Chalcedonensis sæculo V. celebrati: unde & ipse Severinus Binius sequutus Baronium, verius credit, " ipsum Isidorum compilatorem potius „ quam collectorem, auctorem esse hujus Epistolæ: „ quam (ait) ex *Canone* 3. Concilii Chalcedonensis, „ & fragmento quodam S. Gregorii *Epist.* 24. *lib.* 1. „ & Nicæni Concilii historia compilatam esse constat.

Eruditorum de omnibus his Decretalibus judicium.

Hactenus Epistolæ Decretales in Isidoriana collectione primis Pontificibus & Martyribus adscriptæ: quæ pluribus sæculis magno ubique consensu receptæ: sæculo XVI. examinari, & ad incudem redigi cœptæ, tandem ab omnibus eruditis jure merito, tum ob argumenta generalia §. præcedenti proposita, tum specialia, quæ singulas suppeditare hoc §. demonstratum, uno quasi consensu tamquam spuriæ, & confictæ a pseudo-Isidoro Mercatore, sive quocumque alio inepto & subdolo, sed parum ingenioso artifice, rejiciuntur. Nec immerito prævie ad S. Clementis Decretales notavit Labbæus tomo 1. Concil. general, *col.* 78. " Mirum est „ viris doctissimis Turriano, Binio, & quibusdam aliis „ in tanta eruditionis Ecclesiasticæ luce probari potuisse Decretales illas Epistolas, a quocumque, seu Mercatore seu Peccatore fabricatas, & antiquis Romanæ Urbis Pontificibus circiter annum Christianæ „ epochæ octingentesimum suppositas: adeo enim perspicacibus viris deformes videntur hoc saltem tempore, ut nulla arte, nulla cerussa, aut purpurisso „ fucari possint. Eas omnes, saltem plerasque earum „ repudiarunt eruditissimi quinque tractatores Catholici, *Baronius*, *Bellarminus*, *Petronius*, *Contius*, „ *Antonius Augustinus*, *Lorinus*, *Sirmondus*, *Ducæus*, „ *Petavius*, *Marca*, *Boquetus*, ut alios modo sive antiquiores sive recentiores silentio obvolvam.

Cur de his fusius actum.

De his nihilominus Decretalibus Epistolis communi consensu ut putridis Mercatoris mercibus rejectis, nonnihil fusius differere volui, eo quod pleræque earum per fragmenta concisæ extent apud Canonum Collectores, ac notanter Gratianum; & ex hoc libros passim Canonistarum & Theologorum Scholasticorum impleverint; & quasi genuina antiquitatis monumenta allegentur.

Poterunt autem tam Canonum, quam Theologiæ studiosi judicare ex his, quæ sit citatis ex fragmentis Gratiano, aliisve Canonum Collectoribus sub nomine Canonum, tribuenda auctoritas: spuriaque a legitimi Veterum scriptis secernere.

§. VI.

Nonnulli alia ab Isidoro supposita.

Plura supposititia in Isidori collectione præter relatas Decretales.

Isidorus relatis primorum Pontificum usque ad Silvestrum exclusive Decretalibus Epistolis, quæ vulgo vocantur pseudo-Isidori merces, & de quibus præcipue aliquando controversia extitit, refert varia alia Ecclesiastica monumenta, ac præsertim Synodorum, tum generalium, tum particularium sive Latinarum sive Græcarum Decreta; adjunctis dein nonnullorum Pontificum, qui Silvestrum sequuti sunt, Decretalibus Epistolis, inter quæ & nonnulla miscentur, quæ non secus ac præcedentes Epistolæ hodie ab Eruditis, uno quasi consensu pseudo-Isidori confictis mercibus addicuntur; licet tamquam genuina eorum scripta a multis, ac notanter Gratiano, & hunc sequutis Canonistis & Theologis, proferantur.

Hæc igitur & hic breviter annotare, ne falsa pro veris assumantur, non inutile visum fuit.

Occurrit primo loco Edictum, sive *Donatio Constantini*, cujus meminit Gratianus *dist.* 96. *Can.* 13. & 14. cum hoc procemio: " Constantinus Imperator coro- „ nam & omnem Regiam dignitatem in Urbe Roma- „ na, & in Italia, & in partibus Occidentalibus A- „ postolico concessit.

Quæ communiter ut supposititia rejicitur.

Integra extat in collectione Isidori: creduntque non pauci, nec sine fundamento, eumdem esse hujus instrumenti fabricatorem, qui prædictarum Epistolarum Decretalium: Neque pauciora aut obscuriora præfert suppositionis argumenta: unde & Eruditorum consensu ut supposititium repudiatur. Vide Cardinalem Cusanum *lib.* 3. *concord. Cathol. cap.* 2. Antoninum *part.* 1. *hist tit.* 8. *c.* 2. Baronium ad annum 1191. atque inter recentissimos, Christianum Lupum *tomo* 4. *Scholiorum ad Canonem* 8. *Dictatus Gregorii VII.* ubi asserit, Gregorium in condendo hoc Canone, *Quod solus Papa possit uti Imperialibus insigniis*, respexisse ad hoc Constantini Edictum, atque ex hoc fonte processisse, quod referente Conrado Abbate Urspergensi, Bonifacius VIII. *penes se utriusque gladii potestatem esse affirmavit*. " Plurium Jurisconsultorum, qui non solam Ro- „ manam urbem, sed omnecum spectantibus ad ipsum „ Regnis Occidentale Imperium fuisse a Constantino „ datum Silvestro tunc docebant, sententiam Bonifa- „ cius sequebatur. Et quidem istud donationis instru- „ mentum a cunctis tunc adeo credebatur authenti- „ cum: ut ipsum admiserit etiam Henrici Regis Ad- „ vocatus ", Hæc Lupus, qui subdit: *Esse spurium & fictitium nemo eruditus hodie dubitat*.

Non dissentit a Lupo Papebrochius, qui in citato *Propilæo part.* 1. *pag.* 123. non dubitat hanc donationem vocare *fictitiam*, *pudendam*, *supposititiam*, *commentum confictum*, &c. Et in Paralipomenis ad hoc Propilæum *pag.* 43. advertens, Paulum II. anno 1469. hoc instrumento usum fuisse, ait: " Sed hæc utcum- „ que a Paulo dicta, & plenius apud Mabilionem sua „ originali actorum ipsorum lingua legenda *l.* 5. *de re* „ *diplom. nu.* 20. nunquam efficere poterunt, ut viri „ eruditi desinant de rei veritate dubitare: optentque „ videre certiora Constantinianæ donationis, etiam „ quoad solam substantiam, documenta.

Synodus Romana sub Silvestro.

Sancto Silvestro litteræ Decretales in Collectione Isidoriana non adscribuntur; sed exhibetur Synodus Romana sub Silvestro Papa constans 20. capitibus: cui epilogus brevis præmittitur sub hoc titulo: *Incipiunt excerpta quædam ex Synodalibus gestis S. Silvestri Papæ*.

Qua discus Leo IV.

Quod Leo IV. sub medium IX. sæculi scribit ad Episcopos Britanniæ: nullam esse unquam damnationem „ Episcoporum, nisi aut ante legitimum numerum E- „ piscoporum, qui fit per 12. Episcopos, aut probata „ sententia per 72. idoneos testes, qui tales sint, qui „ & accusare possint, & prius ad sacra Christi quatuor „ Evan-

(a) Eusebii Papæ tempore nondum festum inventionis Crucis institutum, cum Christi crux non esset tunc inventa, nec etiam fuisset quæsita.

„ Evangelia præstent, quod nil falsum depromant ". ad hanc Silvestri Synodum respexit, quod haud obscurum est.

In hac enim legitur *cap. Non damnabitur Præsul nisi in septuaginta duobus*. Unde & in plerisque hujus Leoninæ editionibus additur verbis superius descriptis: *sicut nobis beatus Silvester tradidit*: eamque lectionem secuti quoque sunt Ivo Carnutensis, & post ipsum Gratianus *causa* 2. *quæst.* 4 *Can.* 3. quamvis hæc verba deesse in editione Romana, & MS. Codice Vaticano dictæ Epistolæ, observaverit Lucas Holstenius: & notarint Correctores Romani ad citatum locum Gratiani.

Eadem usi Canonum collectores, ac signanter Gratianus.

Hac Synodo sæpius recentiores Canonum collectores, ac signanter Gratianus usi sunt; atque hic quidem *caus.* 2. *quæst.* 4. *Can.* 2. sub nomine *Silvestri Papæ in generali Synodo residentis* refert hæc ex *Canone* 3. „ Præsul non damnabitur nisi cum 72. testibus: nec Præsul summus a quoquam judicabitur, quoniam scriptum est: *non est discipulus supera magistrum*. Presbyter autem Cardinalis nisi cum 44. testibus non damnabitur: Diaconus vero Cardinalis urbis Romæ, nisi cum 27. testibus non condemnabitur. Subdiaconus, Acolythus, Exorcista, Lector, Ostiarius non nisi septem testibus condemnabitur. Testes autem & accusatores sine aliqua sint infamia.

Et *causa* 2. *quæst.* 7. *Can.* 10. ex eodem Canone 3. refert: „ Clericus adversus Exorcistam, Exorcista adversus Acolythum, Acolythus adversus Subdiaconum, Diaconus adversus Presbyterum, Presbyter adversus Episcopum accusationem dare, aut testimonium ferre non valet.

Ac *Canone* 2. ibidem sub nomine ejusdem Synodi; „ Nullus Laicus audeat Clerico crimen inferre.

Rursus *causa* 11. *quæst.* 1. *Can.* 9. nomine *Silvestri in Synodo Romana cap.* 14. hæc profert: „ Testimonium Clerici adversus Laicum nemo recipiat: nemo enim Clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Eclesia ". Et *Can.* 10. „ Si quis Clericus accusans Clericum in curiam introierit, anathema sit.

Sed quam hæc parum consona sint ætati S. Silvestri, quando Ecclesia a Gentilium Imperatorum persecutione vix respirare cœperat, cuivis facile est judicare. Nec magis sæculo illi congruunt, quæ sæculo IX. ex eadem Synodo recitavit Nicolaus I. *Epistola* 8. ad Michaelem Imperatorem sub nomine S. Silvestri. „ Neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque a Regibus, neque a populo, judex judicabitur ". Quæ sunt ipsissima verba *cap.* 20. dictæ Synodi; sed quam absona a tempore Silvestri! quo nullos *Reges* in Imperio Romano extitisse compertum est.

Ab Eruditis ut suppostitia rejicitur.

Ob hæc, aliaque plurima disciplinæ & historiæ illius ætatis difformia; necnon barbarum plane stylum. Synodus una cum Decretis illi adscriptis, a viris eruditis hodie tamquam spuria ejicitur. Petrus de Marca *lib.* 1. *de Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 11. *n.* 4. citata hac Synodo ait: „ Sed viri emunctioris judicii hunc fœtum ut adulterinum damnant, & inter ceteras Isidori Mercatoris quisquilias reponunt.

Similiter Christianus Lupus *tom.* 4. *Schol. in Canones* hanc Synodum esse *fictam & spuriam* dicere non dubitavit. Et Labbæus ad viginti hujus Synodi capita *tom.* 1. *Concil. col.* 1544. apposuit hanc notam marginalem: „ *Supposita* videntur Hincmaro, ac plerisque viris Eruditis XX. ista capita quæ Isidorus collectioni suæ intexuit.

Uti & Epistola Ægyptiorum ad Marcum Papam, & hujus responsoria.

Occurrit post hæc apud Isidorum Epistola Sancti Athanasii, & Ægyptiorum Episcoporum ad Marcum Papam successorem Silvestri, qua petebant exemplar Nicæni Concilii, quia Ariani exemplaria incenderant. Item Rescriptum Marci ad hanc Epistolam. Verum præterquam, quod in his palam eluceat barbarus & inconcinnus stylus ex variis Recentiorum fragmentis more ipsi pseudo-Isidoro familiari conflatus, multa insuper occurrunt, quæ cum veritate historiæ & factorum non conveniunt: ut propterea viris Eruditis conficta videantur, uti monuit Labbæus *t.* 1. *Concil. col.* 469. „ Hæ Mercatoris merces Baronio, Bellarmino, aliisque peritis Catholicis merito suspectæ & suppositæ visæ sunt. Nec Binius ipse diffitetur, Baronianis rationibus oppressus ". Eas quoque ut supposititias recenter rejecit Papebrochius in *vita S. Athanasii ad* 2. *Maji n.* 138.

Quibus & Gratianus usus.

Fragmentum fictitiæ Epistolæ S. Athanasii retulit Gratianus *dist.* 16. *Can.* 12. atque inde credidit, in Nicæna Synodo edita fuisse 70. Capitula sive Canones: ipsique Correctores Romani hujus Epistolæ auctoritate delusi, ibidem annotarunt; „ Ex his Athanasii verbis constat, non omnes Nicænæ Synodi Canones aut Græce aut Latine nunc haberi ". Omnes autem hujus Synodi Canones hodie haberi; nec plures quam 20. editos esse concludentibus rationibus ostenderunt viri eruditi, & *in Dissert. ad Concilium Nicænum, ejusque Canones* §. 12. demonstratum est (*a*).

Sub nomine *Julii I.* qui Marco successit, duæ Epistolæ Decretales extant apud Isidorum, utraque *ad Orientales*; in quibus palam ipse pseudo-Isidori stylus elucet; & repetuntur antiquæ & familiares Isidorianæ cantiones, de appellationibus ad Sedem Apostolicam, de Episcoporum judiciis, & majoribus causis ad eam referendis; de forma in judicandis Episcopis servanda; de accusatoribus & accusationibus Episcoporum, aliisque similibus, quibus merces Isidorianæ (de quibus §. præcedenti) redundant: idque iisdem ex laciniis, eademque confusione contextis; uti etiam advertit post alios Labbæus, qui *col.* 475. hanc notam apposuit. *Hæc cum sequenti supposita Baronio, aliisque eruditis merito videtur, nec secus atque aliæ Isidori merces, ex Hispania primum, ut volunt, profectæ.*

Epistolæ Julii I, similiter rejectæ.

Epistola Orientalium ad Julium apocrypha.

Inter has binas Julii Decretales interposuit Isidorus Epistolam Orientalium ad Julium; in qua causantur, quod in communionem receperit Athanasium, & ceteros, quos ipsi damnaverant. Sed sive stylum, sive materiam, & fragmenta, e quibus conflata est, attendamus, apparebit justam esse Labbæi notam marginalem: *Baronio, aliisque eruditis commentitia ex variis aliorum fragmentis Latine scriptis consuta.*

Duæ Epistolæ Julii non suspectæ.

Præter has merces Isidorianas, extant duæ Epistolæ Julii in causa S. Athanasii, una ad Orientales, & altera ad Alexandrinos in defensionem ejusdem sancti; quas sinceras, nulloque Mercatoris mangonio fucatas, agnoscunt eruditi; earumque meminit Athanasius, aliique Veteres, & a stylo & materia pseudo-Isidori multum distant.

Has germanas Julii litteras, *nullo Consule* signatas esse notavit Papebrochius in suo conatu Chronico historico in *S. Julio* Papa: *Quia*, ait, *id forte Romanis Pontificibus nondum in usu erat.*

Epistola Athanasii ad Liberium Papam; & hujus responsoria. Utraque supposititia.

Sequitur apud Isidorum Epistola *S. Athanasii*, & Ægyptiorum Episcoporum *ad Papam Liberium*, de oppressionibus, quas patiebantur ab Arianis; & *Liberii* Epistola ab eodem responsoria. Utraque autem adeo manifeste prodit Mercatoris phrasim & stylum, aliaque fictionis indicia, ut eas *falsatis annumerandas censeant non eruditi modo, sed etiam proletarii quique scriptores*, uti notat Labbæus *col.* 763. Quod & Papebrochius loco citato in *Liberio* monuit; id unum observans cum Cantelio: „ antiquiori in usu Episcoporum, etiam Romanorum fuisse; ut alios *Episcopos* non minori titulo, quam *Coepiscopi*, aut *fratris* appellarent. Primus Gregorius II. invenitur sæculo VIII. ineunte scripsisse, ut *Dilectis filiis*, Donato *Patriarchæ & Episcopis, atque Marcello Duci & plebi Venetiæ & Istriæ*. Hoc exemplum secutus est nemo ante finem sæculi X. *quando Silvester scripsit Dilecto in Christo filio Arnulfo sanctæ Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscopo*: neque ulteriorem progressum id scitur habuisse, mansitque prior & antiquior usus.

Cum igitur in hac Epistola Liberius, contra morem tunc receptum, S. Athanasium Episcopum Alexandrinum vocet *Dilectum filium*, redditur vel hoc titulo suspecta.

Plures ejusdem Papæ Epistolæ non suspectæ.

Plures extant Liberii Epistolæ apud Hilarium in fragmentis, item S. Athanasium, aliosque fide dignos auctores, quarum apud eruditos integra est auctoritas; & quarum stylus & materia facile ipsas a mercibus pseudo-Isidorianis distinguunt.

S. Athanasii Epistola ad Felicem II. e mercibus pseudo-Isidori.

Sequitur in collectione Isidori Epistola *S. Athanasii*, & Ægyptiorum Episcoporum *ad Felicem II.* Papam; qui in Sedem Romanam, Liberio in exilium misso, intrusus fuerat; & de quo inter eruditos controvertitur, num inter legitimos Romanos Episcopos referendus sit.

Hæc interim Epistola, sive materiam, sive stylum, sive fragmenta spectes, e quibus sine ullo ordine contexta est, evidenter & palam exhibet manum Mercatoris nostri, ideoque, uti notat Labbæus *tom.* 2. *Concil. col.* 844. *ad malas merces Mercatoris has ineptæ farraginis quisquilias Baronius, aliique eruditi viri ablegant.*

Similiter ejusdem Felicis ad eos binæ Epistolæ.

Similiter Epistola huic *Felici* assignata apud Isidorum, & directa *ad Episcopos in Alexandrina Synodo congregatos*, solitas pseudo-Isidori cantilenas, de judiciis Episcoporum, eorum accusatoribus, & accusationibus barbaro & confuso stylo recantans, non minora aut obscuriora exhibet suppositionis & fictionis indicia; uti & altera, *ad eosdem & reliquos Domini Sacerdotes*; ut propterea jure meritissimo tamquam falsæ & fictitiæ uno quasi consensu rejiciantur.

Epistola sincera Damasi ad Paulinum Antiochenum.

Post hæc refertur apud Isidorum Epistola sub nomine *Damasi* Papæ *ad Paulinum Antiochenum Episcopum*; cujus capite primo docet, quod integrum hominem susceperit Christus sine peccato. Secundo autem capite docet, quod unus sit Christus, ante sæcula ex Patre natus, & in tempore ex Virgine editus: una exhibens in hac Epistola, professionem ab Hæreticis ad Ecclesiam revertentibus exigendam. Apud Theod. *lib.* 5. *cap.* 11.

Supposititia Damasi ad Hieronymum.

Sequitur ejusdem Epistola *ad Hieronymum Presbyterum*, qua petit, ut *Græcorum psallentiam* ad ipsum dirigat: „ quia (ait) tantæ apud nos simplicitatis indago est, ut tantum in die Dominica Apostoli Epistola una recitetur, & Evangelii Capitulum unum dicatur, & nec psallentium mos tenetur, nec hymni decus in ore nostro cognoscitur.

Et Hieronymi ad Damasum.

Subjicitur huic Epistolæ rescriptum *Hieronymi* respon-

(a) Extat hæc citata Dissertatio ad Concil. Nicænum, ejusque Canones, *Tom. VI. part.* 2. *Dissert.* 2. §. 12. hujusce editionis.

ponſorium ad dictam Epiſtolam, quo ſuggerit de *Gloria Patri* & *Alleluja* in fine Pſalmorum in Eccleſia Romana concinendo. Sed tam hoc reſcriptum, quam præcedens Epiſtola, tot evidentia ſuppoſitionis argumenta ſuppeditant, ut etiam ipſi Baronio commentitia appareant; dicatque Labbæus in nota marginali ad Damaſi Epiſtolam *tom. 2. col. 867. Hæc & ſequens ſuppoſititiæ, apocryphæ, & ineptiſſimæ viris doctis habentur; tantumque a ſtylo Damaſi & Hieronymi diſtant: quantum cœlum a terra, & potius antarcticus ab arctico.*

Epiſtola Africanorum ad Damaſum conficta.

Epiſtola *Stephani Archiepiſcopi*, & trium Conciliorum Africæ *ad Damaſum Papam* de privilegio Romanæ Sedis, quam ſubjungit Iſidorus, haud obſcuriora præfert pſeudo Iſidorianæ fictionis indicia, phraſibus & ſtylo Mercatoris contexta: ac inter alia, notum faciunt Damaſo: *quod quidam fratres in confinio nobis* (*inquiunt*) *poſiti, quoſdam fratres noſtros, venerabiles videlicet Epiſcopos, vobis inconſultis, a proprio dejiciunt gradu; vel dejicere moluntur, cum veſtræ Sedi,* Epiſcoporum judicia *& ſummorum finem Eccleſiaſticorum negotiorum, in honore Beatiſſimi Petri, Patrum* Decreta *omnium, cunctam reſervare ſententiam, inquirendi reverentia de Dei rebus, quas omni cura & ſollicitudine obſervare debemus. Maxime vero juſte ab ipſo debent Præſulum examinari vertice Apoſtolico, cujus hæc vetuſta ſollicitudo, tam mala damnare, quam revelare laudanda.* Hæc e recentioribus ſcriptis contexta nullo modo cum diſciplina & genio Africanorum conſentiunt; immo quaſi directe opponuntur, ut ſupra in Scholiis ad Canones Africanos vidimus.

Uti & ejuſdem reſponſoria.

Epiſtola *Damaſi* reſponſoria ad præcedentem, ex ipſa materia Mercatoris prodit auctoritatem; agit enim de Primatu Apoſtolicæ Sedis: de cauſis Epiſcoporum, eorumque damnatione, non finiendis ſeu decidendis abſque *hujus Sedis auctoritate*; ratione hac ſubjuncta: „ Nam (ut noſtris) Synodum ſine auctoritate fieri, „ non eſt Catholicum: Nec Epiſcopus, niſi in legitima „ Synodo & ſuo tempore Apoſtolica vocatione con„ gregata definite damnari poteſt; neque ulla unquam „ Concilia rata leguntur, quæ non ſunt fulta Apoſto„ lica auctoritate.

Hæc eſſe ordinarias pſeudo-Iſidori merces, uti quæ ſequuntur in hac Epiſtola, de accuſatoribus & accuſationibus Epiſcoporum, ſæpius oſtenſum & notatum fuit §. præcedenti. Accedit & falſa nota Conſularis. Data enim dicitur, *Flavio & Stilicone viris clariſſimis Conſulibus:* cum conſtet Conſulatum Stiliconis demum ſedecim annis poſt obitum Damaſi incidiſſe, ut proinde merito, tam hæc, quam præcedens, viris eruditis *falſæ atque adulterinæ* videantur, ut monet Labbæus *tom. 2. Concil. col. 869.*

Similiter Epiſtola ejus de Chorepiſcopis.

Eidem Pontifici adſcripta Epiſtola in collectione Iſidori *de Chorepiſcopis, & qui iidem ſint, aut ſi aliquid ſint, aut nihil, & de vana ſuperſtitione eorum vitanda*, ſtylum Iſidorianum plane barbarum, & confuſum, ex recentioribus ſibi haud cohærentibus ſegmentis conflatum præfert: citatis etiam Canonibus ex verſionibus Dionyſii Exigui, necnon *Canone* Concilii Calcedonenſis Damaſo multo recentioribus: unde merito & hæc ad ſuppoſititias Iſidori merces communi conſenſu rejicitur.

Item Epiſtola illius ad Epiſcopos Italiæ.

Damaſi Epiſtola *ad Epiſcopos Italiæ* apud Iſidorum, ſive materiam, ſive ſtylum ſpectes, prodit manum pſeudo-Iſidori. Agit quippe ſurſus in hac Epiſtola, de accuſationibus Epiſcoporum: quas pene omnibus ſuis mercibus intermiſcet, idque eodem inconcinno ex recentioribus laciniis conflato ſtylo, ut propterea non dubitent eruditi, eam eſſe *commentum Mercatoris*, teſte Labbæo *tomo 2. col. 883.*

Nonnullæ non ſuſpectæ.

Præter has ſpurias & adulterinas merces habentur nonnullæ huic ſancto Pontifici adſcriptæ Epiſtolæ, quæ majorem apud Eruditos fidem merentur: puta duæ Epiſtolæ Damaſi ad S. Hieronymum, quæ inter opera Hieronymi proſtant, ab eruditis ut genuinæ recipiuntur: nec ſtylum aut materiam pſeudo-Iſidori præſeferunt. In priore excitat Hieronymum, ut ei ſcribere velit; eique nonnullas ex Scriptura ſacra difficultates proponit, ut ipſum ſic ad ſcribendum permoveat. In poſteriore poſtulat ab Hieronymo explicari illud, *Oſanna filio David*: de quo, ut ait *commentaria Græco latinoque ſermone, in Evangeliorum interpretatione ab orthodoxis viris olim ac nuper ſcripta, non ſolum diverſa, ſed etiam contraria ſibimet proferunt.*

Poſt hæc concludit: *Dilectionis tuæ eſt, ut ardenti illo ſtrenuitatis ingenio, abſciſſis opinionibus, ambiguitatibuſque ſcrupuloſis, quid ſe habeat apud Hæbræos vivo ſenſu ſcribas: ut de hoc, ſicut & de multis, tibi curæ noſtræ in Chriſto Jeſu gratias referant.*

Hic per tranſennam notet Theologus, judicio hujus ſancti Pontificis, utile eſſe, pro intellectu ſacræ Scripturæ inquirere, quis ſit ejus apud Hebræos verus ſenſus.

Similiter Epiſtola *Damaſi, & Epiſcoporum, qui ad eum in Romanam urbem ex Italia & Gallia convenerant numero* XC. ad *Epiſcopos in Illyrico*, relata apud Theodorum *lib. 2. cap. 22.* & Sozomenum *lib. 6. cap. 23.* merces Iſidorianas non redolet, tametſi & eam ſuis mercibus interſeruerit: ſed ſtylo & materia multum diſtinguibili.

Hortantur Epiſcopos in Illyrico, ut fidem Nicænam contra naſcentes hæreſes, ac notanter Auxentium Mediolanenſem jam de hæræſi damnatum, conſtanter tueantur; ſcribuntque, quod definitioni Nicæni Concii „ præ„ judicium aliquod fieri non potuerunt per numerum „ Arimino, congregatum quando conſtat, neque Ro„ manum Epiſcopum, cujus ante omnia decebat eos „ ſpectare decretum, neque Vincentium, qui tantis an„ nis Epiſcopatum inviolabiliter cuſtodivit, neque alios „ talibus præbuiſſe conſenſum, maxime dum (ſicuti „ prædiximus) iſti ipſi, qui per circumventionem de„ clinaſſe videbantur, ipſi denuo utentes meliori con„ ſilio hæc ſibi diſplicere teſtati ſunt.

Hæc ex editione Lucæ Holſtenii, quam ſequutus eſt Labbæus *tomo 2. Conciliorum*, conſentitque in ſubſtantia Theodoretus: at apud Sozomenum, ratio petita ex abſentia Epiſcopi Romani, & aliorum non occurrit.

Germanæ nonnullæ ab Iſidoro relatæ Pontificum Epiſtolæ ſed & falſis intermixtis.

Poſt hactenus relatas Pontificum Romanorum Epiſtolas, ſequuntur in Iſidoriana collectione Epiſtolæ Pontificum Siricii, qui Damaſo ſucceſſit, & aliquot ſubſequentium; quæ & a Dionyſio Exiguo inter Decreta Romanorum Pontificum relatæ; & ut genuinæ ab eruditis receptæ; ſtyloque omnino a ſtylo pſeudo-Iſidori diſtincto conſcriptæ ſunt: quapropter has hic referre animus non eſt; ſed tantum nonnulla, quæ collectionis auctor de ſuis ſuppoſititiis & putridis mercibus intermiſcuit, a ſinceris ſecernere; ut de iis præmonitus Canonum ſtudioſus, ſpuria pro ſinceris non æquali facilitate auctoritatem admittat.

Falſa una Siricio adſcripta.

Siricio Papæ quatuor Decretales aſſignat Iſidorus, quarum tres priores nullus in dubium revocat; at de quarta, quæ dirigitur *ad Epiſcopos Africanos*, dubitare cœpit XVII. ſæculo David Blondellus, nihil tamen de ea definire auſus. At Paſchaſius Quenellus, eadem proprius diſcuſſa, oſtendit argumentis, ut apparet, concludentibus, eam eſſe plane ſuppoſititiam & confictam; uti & Concilium Thelenſe, quod huic Epiſtolæ apud Iſidorum præmittitur, & in quo hæc Epiſtola dicitur probata. *Diſſertat.* 15. operibus S. Leonis ſubjuncta; quæ eruditione multa referta non ſine fructu legetur.

Pariter duæ Anaſtaſio ſuppoſitæ.

Anaſtaſio I. Papæ, qui Siricio ſucceſſit, nullas Decretales aſſignat Dionyſius Exiguus; at noſter Iſidorus duos tribuit, quarum prima inſcribitur *cunctis Germanicis, & Burgundicæ regionis Epiſcopis*; quæ vel ſola inſcriptio nota evidens eſt ſuppoſitionis: nam Ethnici adhuc erant Burgundiones Anaſtaſii temporibus, primum ſub Valentiniano *III.* ad fidem converſi: quin, uti notat Papebrochius in Conatu Chronico-hiſtorico *in Anaſtaſio*, nondum *Burgundia* tempore hujus Pontificis nomen habebat a *Burgundionibus*.

Præterea Epiſtola hæc pene tota contexta eſt ex Epiſtola S. Leonis adverſus Manichæos; intermixtis & additis nonnullis aliorum laciniis, quæ confuſum ac inconcinnum contextum conficiunt; & ſtylum pſeudo-Iſidorianum palam oſtentant. Fragmenta hujus Epiſtolæ extant apud Gratianum *diſt. 98. Can. 2. & diſt. 1, de Conſecrat. Can. 68.*

Altera Epiſtola, quam Anaſtaſio aſſignat Iſidoriana collectio, dirigitur *Neriano nobiliſſimo viro*: æque ac præcedens ex S. Leonis, Gregorii, aliorumque ſegmentis more conſueto noſtri Mercatoris fabricata; appoſita nota Conſulari, quæ nequaquam cum ætate hujus Pontificis convenit; nimirum *ſeptimo Idus Junii, Theodoſio Auguſto VII. & Palladio Viris Clariſſimis Conſulibus*; qui Conſulatus incidit in annum 416. mortuo a pluribus annis Anaſtaſio, uti monet Labbæus *tomo 2. Concil. col.* 1194. qui & in nota marginali ad priorem *col.* 1191. ait: *Hæc & proxime ſequens adulterinæ ſunt*. Citat tamen & hujus fragmentum ſub nomine Anaſtaſii Gratianus *cauſa* 13. *quæſtione 2. Can.* 27.

Tertia genuina ab Iſidoro omiſſa.

Eſt & tertia Epiſtola ſub nomine Anaſtaſii Papæ ad Joannem Hieroſolymorum Epiſcopum ab Iſidoro omiſſa, ſed quæ extat apud S. Hieronymum tomo 9. Operum ipſius, & cujus meminit in *Apologia* 3. *adverſus Rufinum*: in qua Anaſtaſius verſionem librorum Origenis per Rufinum factam improbat: de qua Anaſtaſium conſulerat Joannes Hieroſolymorum Epiſcopus. Epiſtola hæc ſtylum ab Iſidoriano habet omnino diſſimilem, nequaquam confuſum, vel ex aliorum laciniis conſutum, ſed uniformem: unde & hujus genuinæ Epiſtolæ ſtylus evincit, duas præcedentes eſſe ſpurias: quare & huic appendit hanc notam Labbæus *col.* 1194. *Compone cum duabus præcedentibus, ſentieſque aliter olere catulos.*

Sixto III. adſcripta judicatur ſuppoſititia.

Sixto III. unicam adſcribit Iſidorus inſcriptam *omnibus Orientalibus Epiſcopis*: quæ tam quoad materiam de detractionibus & iniquis accuſationibus adverſus Epiſcopos, quam quoad ſtylum olet putridas merces noſtri Mercatoris: eſtque, ipſo Binio fatente, magna pars hujus Epiſtolæ recitata hic verbo tenus ex Epiſtola tertia Fabiani ſuppoſititia: addita ad finem Epiſtolæ, temporis & Conſulum nota plane ſubreptitia: quare eruditi uno conſenſu ut *fidei admodum ſuſpectæ, immo nullius*, rejiciunt, inquit Labbæus *tom. 3. col.* 1263.

Uti & Epiſtola S. Leonis de Chorepiſcopis.

Sancto *Leoni*, qui Sixto ſucceſſit, inter varias Epiſtolas aſſignavit unam de privilegio Chorepiſcoporum *ad univerſos Germaniæ & Galliæ Epiſcopos*, quam eſſe *ſuppoſitam multa arguunt.*, ait Labbæus *tomo 3. Concil. col.*

cil. col.

cil. col. 1394. clariſque argumentis evincit Paſchaſius Quenellus in ſpeciali diſſertatione undecima operibus S. Leonis ſubjecta.

Citatur hæc Epiſtola in Decreto Gratiani ſub nomine Leonis I, errore Correctorum Romanorum.

Cumque vir hic eruditus ſibi objiceret auctoritatem Gratiani, in cujus Decreto hodie extat fragmentum hujus Epiſtolæ ſub nomine Leonis I. *diſt.* 68. *Can.* 4. reſpondet; " Notarunt omnes quam craſſi naris jure merito habeatur Gratianus in diſcernendis legitimis ſcriptis auctorum a ſpuriis. Attamen Gratiano imputanda non eſt Leonis *primi* inſerta Decretis mentio; ſed novellis correctoribus, qui errorem hunc cum aliis innumeris ex Epiſtolarum Pontificiarum interpolatis editionibus hauſerunt. Antiquiores enim Decreti editiones, Pariſienſis an. 1531. Lugdunenſis Hugonis a Porta 1548. & aliquot aliæ, hæc tantummodo habent; *De his ita ſcribit Leo Epiſcopus omnibus Epiſcopis.*

Duæ Epiſtolæ Joanni I. adſcriptæ præferunt characteres Iſidorianæ ſuppoſitionis.

Joanni I. Papæ adſcribuntur ab Iſidoro duæ Epiſtolæ, quarum prior dirigitur *ad Zachariam Archiepiſcopum*, ſapitque merces Iſidorianas tam in materia de non accuſandis Epiſcopis, quam in ſtylo ex laciniis diverſorum more Iſidoriano conflato.

Secunda eumdem Iſidorianæ ſuppoſitionis characterem refert in ſtylo, & citatione ſive potius conglomeratione textuum ſacræ Scripturæ; quibus & nonnulla fabuloſa admiſcet, uti oſtendit Papebrochius in Conatu Chronico-hiſtorico *diſſertatione* 12. quare & utramque *ſuppoſititiam* repetant Eruditi. *Labb. t.* 4. *col.* 1603.

Similiter Epiſtola Bonifacii II. ad Alexandrinum Epiſcopum; & quam perniciosa hujus Epiſtolæ ſuppoſitio.

Bonifacio Papæ II. adſcribitur in hac Iſidoriana collectione Epiſtola unica *ad Eulalium Alexandrinum Epiſcopum*, ex S. Leonis, Gregorii, & Hormiſdæ Epiſtolis ſtylo Iſidoriano conſarcinata; qua ſcribitur, Aurelium Epiſcopum Cartaginenſem & collegas ejus Epiſcopo Africanos temporibus Bonifacii I. & Cœleſtini ab Eccleſiæ Romanæ communione ſegregatos; ac nunc tandem eorum nomine Eulalium quedam culpam ſuam agnoſcendo pacem & communionem petiiſſe. Ex quo conſequens eſſet, ſanctiſſimos Epiſcopos & Martyres, atque ipſum Eccleſiæ lumen S. Auguſtinum extra communionem Eccleſiæ Romanæ mortuos fuiſſe; eoſque nedum e Martyrologio, ſed & a Kalendario Romano delendos, uti recte notat Baronius in notis ad Martyrologium Romanum ad diem 16. Octobris qui tum ſubjungit: " Ecce in quod diſcrimen unus Iſidorus Mercator illarum Epiſtolarum collector, res noſtras adduxit: ut ea ex parte periclitari videatur Eccleſia, ſi quæ ipſe collegit, vel potius effinxit, firma certaque eſſe dixerimus. Teſtimonium illi perhibeo (utar verbis Apoſtoli) quod zelum habuit, ſed non ſecundum ſcientiam, ut quia ſibi viſa eſt paulo ardentior altercatio Aurelii Epiſcopi Carthaginenſis, Auguſtini, & aliorum Africanorum Epiſcoporum cum Bonifacio & Cœleſtino Romanis Pontificibus in cauſa Apiarii Preſbyteri; ea Epiſtola nomine Bonifacii conficta ſarciendum, quod ſciſſum putabat, exiſtimavit. Paceſſant hæc: non innititur vel fulcitur paleis Dei Eccleſia, quæ eſt columna & firmamentum veritatis.

Poſt hæc multis concludentibus argumentis evincit ibidem Baronius, communionem Eccleſiæ Africanæ cum Romana nunquam fuiſſe interruptam; ſed ſemper integram perſeveraſſe.

Ejuſdem farinæ eſt exemplar Precum ſubjectum ipſi Epiſtolæ.

Exemplar *precum eius* (id eſt Eulalii) *& Juſtiniani Principis*, quod prædictæ Epiſtolæ Bonifacianæ apud Iſidorum ſubjicitur, ejuſdem dum Epiſtola eſt ponderis; atque ab Eruditis hæ tamquam *a callido Veteratore confictæ* rejiciuntur, uti monet Labbæus *tomo* 4. *Concil. col.* 1676. Sopponunt enim, non ſecus ac Epiſtola, Eccleſiam Africanam a communione Eccleſiæ Romanæ fuiſſe ſeparatam, & Africanos ſui errati veniam poſtulaſſe, & prædeceſſorum ſuorum errores agnoviſſe: ſed & anathematizant omnes, qui contra ſanctam Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam ſuperbiendo ſuas erigunt cervices.

Deinde facta profeſſione de amplectendis per omnia Conſtitutis Sedis Apoſtolicæ, ejuſque communioni firmiter adhærendo, tandem concludit pſeudo-Eulalius: Hanc autem profeſſionem meam manu mea ſubſcripſi, & Bonifacio ſancto & venerabili Papæ urbis Romæ direxi damnans & Anteceſſores & Succeſſores meos, qui Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ privilegia caſſare nituntur.

Hæc aliaque in hiſce precibus contenta, evidenter oſtendunt, eumdem confictæ Epiſtolæ, & hujus exemplaris artificem; eumdemque confictioni, ſcopum fuiſſe.

Non majoris ponderis eſt Epiſtola Silverii Papæ ad Vigilium.

Silverio Papæ binæ aſſignantur Epiſtolæ ab Iſidoro: una *ad Vigilium* pſeudo-Papam, qua ei ambitionem Sedis Apoſtolicæ, & Simoniæ crimen exprobrat, eumque ſententia anathematis percellit. Sed ea eſt ſtyli barbaries, & laciniarum contuſio, ut omnibus Eruditis ſuſpectæ fidei ſit, & e mercibus Iſidori eſſe credatur; accedente nota " *Principe Baſilio* præter ſtylum notandum tunc annorum, quod ineptus ſarcinator ſumpſit ex ſubſcriptionibus annum 540 ſecutis, cum cœpit ſcribi, P. C. *Baſilii* V. C. " uti monet Papebrochius in citato Conatu *diſſert.* 13. *n.* 10. Vide etiam de falſa nota Conſulari huic Epiſtolæ adjecta obſervationem Labbæi *tomo* 5. *Concil. col.* 291.

Uti nec Silverii ad Amatorem Auguſtodunenſem Epiſcopum.

Altera Epiſtola Silverio aſſignata dirigitur *ad Amatorem Auguſtodunenſem Epiſcopum*: qua ejus charitatem laudat: ſed rurſus ſtylo Iſidoriano ex verbis S. Gregorii, aliorumque conflato atque intermixto ordinaria Iſidori toties revocata crambe de non admittendis quibuſcumque teſtibus in accuſatione Epiſcoporum, ad quam ſententiam merito notat Labbæus *t.* 5. *col.* 293. *Hæc jam ſæpe ſæpius ab Iſidoro in fictis Epiſtolis decantata*. Notatur *data IX. Kalendas Decembris Juſtiniano quintum, & Beliſario viris Clariſſimis Conſulibus*: quæ data dies cum veritate hiſtorica conſiſtere nequit: quia Juſtinianus poſt IV. Conſulatum anno 524. nullum amplius geſſit; & Beliſarius ſemel duntaxat Conſul fuit, ſcilicet anno 535. cum tamen Agapetus, cui Silverius ſucceſſit, demum anno ſequenti mortuus ſit. Unde & Binius fatetur, Epiſtolam hanc *nota mendaci* inſignitam: ac propterea *indignam judicatam, quæ ſub ipſius Silverii nomine edatur*.

Epiſtola Amatoris ad Silverium ſimiliter ſuppoſititia.

Refertur & ab Iſidoro Epiſtola *Amatoris ad Silverium*, qua ei ad levandam inopiam exilii mittit munuſcula, petens de ſtatu ejus certior fieri: cui prællegata Silverii tamquam reſponſoria ſubjicitur. Sed *hanc quoque* (ait Labbæus *col.* 292.) *ſuſpectæ fidei cenſent viri docti, nec immerito cum iiſdem atque ſequens* (quæ hic præmiſſa eſt) *vitiis labores*.

Joannis III. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ Epiſtola multa quoque præ ſe fert ſuppoſitionis argumenta.

Joanni Papæ III. ſupponitur Epiſtola unica *ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ*, in tria capita diviſa: quorum primo arguit quoſdam Chorepiſcopos temerario olim jam damnatos, quod auctoritatem imponendi manus, ſive conferendi Sacramentum Confirmationis ſibi arrogarent; citatis pſeudo-Epiſtolis Damaſi & Leonis de Chorepiſcopis.

Secundo capite prætendit monſtrare, Clementem I. poſt beatum Petrum Sedem Apoſtolicam rexiſſe: Linum vero & Cletum tantummodo Chorepiſcopos fuiſſe: eoſque Petrum ſibi adjutores adſciviſſe: non tamen poteſtatem Pontificiam: aut ligandi aut ſolvendi eis normam tradidiſſe, ſed ſucceſſori ſuo Sancto Clementi, qui Sedem Apoſtolicam poſt eum, & poteſtatem Pontificalem, tradente ſibi B. Petro promeruiſſet.

Quis hic non videat commenta Mercatoris: qualia & hæc: " Linus vero & Cletus miniſtrabant exteriora, Princeps autem Apoſtolorum Petrus verbo & orationi inſiſtebat: quæ non incongrue ad traditionem Spiritus Sancti per manus impoſitionem pertinent.

Capite tertio hortatur Epiſcopos ad curam & ſollicitudinem paſtoralem ſtylo admodum barbaro, ex laciniis Epiſtolæ etiam ſuppoſititiæ Damaſi de Chorepiſcopis; addita ad calcem falſa nota Conſulari.

Ob hæc aliaque, hanc Epiſtolam *adulterinam omnes docti cenſent, nec, ipſo Baronio præeunte, auſus eſt refragari Binius*, ait Labbæus *t.* 5. *Concil. col.* 823.

Falſa etiam Benedicti I. ad David Epiſcopum.

Benedicto I. unam adſcripſit Epiſtolam directam *ad David Epiſcopum*, qua contendit probare ex ſacris litteris ſummam Trinitatem eſſe unitatem: idque prolixo centone ex Ithacio adverſus Varimadum, adjunctis nonnullis laciniis Sancti Gregorii: nec non textibus ſacræ Scripturæ parum ſibi cohærentibus, nec ad propoſitum pertinentibus: ita ut manifeſtam prodat Mercatoris noſtri manum: quæ & falſam notam Conſularem addit; ut merito a Labbæo *tom.* 5. *col.* 915. vocetur, *Falſa & commentitia ab eodem Mercatore ſuppoſita farrago*.

Epiſtola S. Gregorii ad Secundinum corrupta; & ratione hujus corruptionis mutata diſciplina circa Sacerdotes lapſos.

Inter Epiſtolas *S. Gregorii* ab Iſidoro in ſuam collectionem relatas occurrit una directa *ad Secundinum incluſum*, referturque *lib.* 7. *indict.* 1. *Epiſt.* 54. De hac Epiſtola in ſuis ad eam notis ait vir eruditus Petrus Guſſanvillæus: " Hæc Epiſtola facilius expungeretur quam ſanaretur. Eam variis aſſumentis auctam fuiſſe probant MSS. Codices, conſentiunt eruditi, quibus palatum ſapit. Diſciplinam circa lapſos (Sacerdotes) ſancti Gregorii placitis ex adverſo repugnantem ingeſſit homo, quiſquis eſt audaciſſimus (*a*) ". Circa hoc ultimum conſule diſſertationem noſtram de Inſtituto Canonicorum *Tom. V. part.* 2. *cap.* 2. §. ubi dein §. 6. oſtenditur, quod occaſione iſtius fragmenti huic Epiſtolæ aſſuti, necnon aliarum Iſidori falſarum mercium, cœperit circa ſæculum IX. aut X. relaxari diſciplina multis ſæculis conſtantiſſime conſervata de non reſtituendis Sacerdotibus lapſis, præſertim in crimen carnis, etiam poſt actam pœnitentiam.

Monitum inſuper voluit eruditus Notator, ſe pluſquam *ducentas* in hac Epiſtola *variantes lectiones* deprehendiſſe, *ne dicam* (ait) *depravationes, quibus tota ſcatet*. Præcipuas exhibet, ac inter alias jam citatum ſat prolixum fragmentum *de Sacerdotibus lapſis*, incipiens ab his verbis Epiſtolæ: *Et quia tua Sanctitas*; & finiens ad hæc: *qui peccatores ſanguine ſuo redimere venit*: quod fragmentum (inquit) in maxime parte MSS. Codicum non reperitur, & quantum a vera & conſtanti ſancti Gregorii circa lapſos Clericos doctrina

---

(a) Quod Epiſtola ad Secundinum ſit ſaltem depravata, fidem faciunt octo antiqua manuſcripta Anglica a Jameſio memorata, & vetuſtiſſimus Codex Regiſtri Gregoriani in Clarovallenſi cœnobio aſſervatus, ab his omnibus abeſt lacinia de Sacerdotibus lapſis,

„ ctrina deviet, manifestum est ex *l.* 1. *Epist.* 18. *lib.* 3. „ *Epist.* 26. *l.* 4. *Epist.* 15. 16. 17. *lib.* 6. *Epist.* 39. *lib.* „ 7. *indict.* 10. *Epist.* 25. & aliis. Sed & vox *Sancti-* „ *tas* omnimodo insolita est, & sancto Gregorio inusi- „ tata, quam vix Episcopis tribuit, nunquam vero „ Monachis, erga quos solummodo utitur voce *cha-* „ *ritatis* aut *dilectionis*, ut in aliis locis hujus Epi- „ stolæ.

Supposititiæ merces Isidorianæ, multis seculis pro sinceris receptæ.

Hæc præcipua sunt quæ tamquam a Mercatore nostro supposita & conficta hodie agnoscunt unanimi pene consensu, non Acatholici modo, sed & Catholici viri eruditiores: quibus tamen præteritis aliquot sæculis, ut sinceris antiquitatis monumentis usi sunt Collectores Canonum, ipseque Gratianus, qui e plerisque tam hoc, quam præcedenti §. indicatis pseudo-Isidori mercibus plures Canones suo Decreto inseruit; seu potius a præcedentibus Canonum compilatoribus, puta Reginone, Burchardo VVormatiensi, & Ivone Carnutensi assumpta in suum Codicem sive Decretum derivavit.

Porro Decreti Grationi auctoritate illecti Theologi & Canonistæ, fragmenta fictarum Decretalium in probationem dogmatum & disciplinæ passim assumpserunt authentica; quin & Concilia & Pontifices iis non raro ad stabilenda sua Decreta usi sunt, uti recte notavit Papebrochius in citato Conatu in *Nicolao I.* addens: „ Nihil quidem approbantes a fide aut moribus „ Ecclesiæ abhorrens, in eo tamen quod facti erat & „ historiæ omnino errantes; sed citra culpam. Quis „ enim a Romani Pontificibus, in quanticumque mo- „ menti negotio, majorem exigat distinctioremque re- „ rum præteritarum scientiam, quam sua cujusque fe- „ rebant tempora? Aut cur debuerunt illi dubitare de „ quibus tunc nemo dubitabat.

Haud merito eorum auctoritatem urgebat Nicolaus I.

Utrum Nicolaus I. suo tempore tanta animositate, quæ in ejus litteris visitur, potuerit harum Decretalium auctoritatem pro asserendis Sedi Apostolicæ Episcoporum judiciis, urgere contra Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, aliosque Episcopos Gallicanos, prout prætendit Papebrochius, merito ambigitur. Certum quippe est, eo tempore, nullam harum Decretalium relatam adhuc extitisse in Codice Canonum, quo tunc utebatur Ecclesia Gallicana.

Præterea indubitatum est, Ecclesiam Gallicanam non agnovisse auctoritatem Decretalium Romanorum Pontificum, nisi earum quæ Codici Canonum reperiebantur insertæ; præsertim ubi reperiebantur contrariæ Canonibus eidem Codicis insertis: uti contrariebantur pseudo-Decretales istæ Canonibus Nicænis, Antiochenis, aliisque Codici Canonum insertis, qui judicia Episcoporum Synodis Provinciarum evidenter committunt.

Hæc nec Nicolaum Papam negasse, constat ex ejus Epistola ad Episcopos Gallicanos data, & illius fragmento per Gratianum relato *dist.* 19. *Can.* 1.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Capitulis vulgo Hadriani Papæ.

§. I.

Quis horum Capitulorum auctor? & unde desumpta?

Hadriano I. vulgo adscripta hæc Capitula.

SUb finem sæculi VIII. nova prodiit Collectio ex Synodis Romanis, & Decretis Pontificum conflata: quam ab Hadriano I. anno 785. oblatam fuisse Ingilramno Metensi Episcopo supposuit Hincmarus Rhemensis in Opusculo adversus Hincmarum Laudunensem *cap.* 24, eamque pleræque editiones repræsentant sub hoc titulo; „ *Hadriani Papæ* Capitula, quæ ex Græcis & La- „ tinis Canonibus, & Synodis Romanis, atque Decre- „ tis Præsulum, ac Principum Romanorum sparsim „ collecta sunt, & Ingilramno Mediomatricæ urbis Epi- „ scopo Romæ a Beato Hadriano Papa tradita, sub „ die 13. Kalendas Octobris, indictione nona, quando „ pro sui negotii causa agebatur.

Sed illi adscribenda non esse indicat Antonius Augustinus.

Verum de hoc titulo se dubitasse in procemio notarum suarum ad hæc Capitula sat innuit Antonius Augustinus, dum ait: „ De Hadriani Papæ Decretis sum- „ ptis, *ut ajunt*, ex Græcis & Latinis Canonibus, & „ Synodis Romanis, atque Decretis Præsulum, ac Prin- „ cipum Romanorum, & traditis Ingilramno Medio- „ matricis urbis Episcopo 13. Kalendas Octobris, in- „ dictione nona, anno Christi 785. ut suspicor.

Quid quæso indicant hæc verba, *ut ajunt*, nisi viri illius vacillationem de tituli veritate.

Quid vero in titulo falsi suspicatus fuerit, aperuit in *Dialogo* 15. *lib.* 1. *de Emendat. Grat.* ubi cum ostendisset a Gratiano Canones Trullanos falso adscribi Synodo sextæ, subjungit: „ Conjungi his possunt illa Hadriani „ nomine Capita ad Ingilramnum, quæ *cum Hadriani* „ *nihil habeant*, ejus nomine feruntur.

Hinc non obscurum est, Antonium Augustinum scivisse, hæc Capitula quidem habita fuisse Hadriani; ideoque eis & titulum vulgarem præposuisse; sed tamen credidisse, ea ab Hadriano non fuisse ex Synodis & Decretis Pontificum collecta.

Nec hæc opinio caret fundamentum.

Nec id sane sine fundamento credit. Collectio enim plena est falsis illi pseudo-Isidorianis Decretalibus, quemadmodum in notis suis ad singula pene Capita ostendit Antonius Augustinus,

Verisimile autem non est, Hadriano notas fuisse dictas Decretales; quandoquidem anno 774. offerens Canonum Codicem Carolo Magno, solas Decretales a Dionysio Exiguo relatas eidem inseruerit: nulla harum Decretalium facta mentione, aut ullo ex illis relato Decreto.

Plures credunt esse collecta ab Ingilramno Metensi Episcopo.

Quare plures hodie credunt cum Antonio Augustino, hæc Capitula non ab Hadriano esse collecta, sed esse Ingilramni, qui ea ex novitiis veterum Pontificum Epistolis ut plurimum collegerint, & Hadriano obtulerit, & ita suspicatur Stephanus Baluzius in præfatione ad Dialogos Antonii Augustini de Emendatione Gratiani; qui & addit „: Hanc conjecturam multa adjuvant, „ sed in primis vetus Codex MS. Bibliothecæ S. Vi- „ ctoris Parisiensis, in quo sic habetur: *Incipiunt* Ca- „ pitula collecta ex diversis Conciliis sive Decretis Pon- „ tificum Romanorum ab Ingilramno Metensi Episco- „ po, & Hadriano Papæ oblata.

Eumdem titulum præferre & aliud manuscriptum optimæ fidei & venerandæ antiquitatis Monasterii Lætiensis, testatur Natales Alexander *tom.* 13. *Hist. Eccles. pag.* 54. *ed.* 1.

Quis fuisse credatur Ingilramni in his colligendis scopus?

Credit autem Baluzius, Ingilramnum hanc collectionem e novitiis hisce Decretalibus confecisse, *quando pro sui causa agebatur*, id est, ut ego arbitror (inquit) subtrahere se voluit cognitioni suorum judicium.

Non sine fundamento creditur hæc collectio esse e putridis mercibus Mercatoris.

Verum cum hæc Capitula apparuerunt sub idem tempus, quo pseudo-Isidorianæ merces prodierunt, eademque materia, nec dissimili stylo, in his Capitulis tractetur, quæ pseudo-Isidoro propria est, puta de judiciis Episcoporum & majoribus causis ad Sedem Apostolicam deferendis; de appellationibus ad eamdem; de accusatoribus & accusationibus, aliisque similibus, non sine fundamento a nonnullis viris eruditis creditur, hanc Capitulorum collectionem, æque ac Epistolas primis Pontificibus adscriptas (de quibus *Dissertatione* præcedenti) esse e putridis mercibus, & audacissimis commentis ejusdem Mercatoris. Accedit, quod hæc Capitula ex illis pseudo-Isidorianis litteris desumpta, & contexta, vel hoc titulo præferant hujus impostoris genium: utpote, cui familiare admodum fuit, eadem sæpius in diversis Scriptis repetere, uti in relatione pseudo-Epistolarum non semel notavimus.

Accedit, quod si quæ his Capitulis addita sint, quæ in prioribus suis confictis Epistolis non continebantur, ea ad sublevandam aut stabiliendam Sedis Romanæ auctoritatem & prærogativam unica pene spectent: quod hunc Mercatorem præcipue præ oculis habuisse *ibidem* §. 3. observatum, & ex omnibus ejus mercibus manifestum est.

Tandem tamen credita Hadriani I. auctoritate,

Quidquid sit de hac Eruditorum quorumdam non improbabili conjectura; hoc equidem constat, successu temporis, creditum fuisse; hæc Capitula auctoritate Hadriani I. collecta esse; atque tandem vulgo dicta esse *capitula Hadriani* (*a*): vel quia titulus eis appensus sic ferebat; vel quia saltem in titulo asserebatur, ea ab Ingilramno Metensi Episcopo collecta, *& Hadriano Papæ oblata*, ex qua oblatione non rejecta, tacitam saltem approbationem inferre fuit proclive; ac tum alterius ei collectionem, ut major auctoritas conciliaretur, simpliciter adscribere.

Cæterum præcipuum argumentum Eruditorum, qui sustinent hæc Capitula nequaquam ab Hadriano Papa collecta & Ingilramno rata, hoc est, quod Codex ab hoc Pontifice missus ad Carolum Magnum, nullas, uti §. *superiori* notavimus, ex falsis Decretalibus pseudo-Isidorianis, quibus hæc Capitula abundant, contineret.

Verum hoc argumentum non videtur evincere, Hadriano non esse hæc Capitula adscribenda, aut saltem ipsum postea non concurrisse ad confectionem horum Capitulorum cum adjunctis & intermixtis fragmentis ad asserendas Pontificias prærogativas, quibus falsæ hæ Decretales abundant.

§. II.

(a) Quod si ea collectio tribuatur Hadriano, ea secernenda est ab altera, quam idem summus Pontifex Romæ an. 774. Carolo Magno dedit: hæc nihil aliud est quam Epitome Canonum vulgo Apostolorum & Conciliorum Orientalium a Dionysio Exiguo Latinæ fidei creditorum, item Canonum Concilii Sardicensis, & Conciliorum Africanorum, quos Dionysius suæ collectioni adjecit.

§. II.

De Auctoritate horum Capitulorum.

Hæc Capitula una cum pseudo-Decretalibus primorum Pontificum publicata eosdem patronos habuere.

CAPITULA hæc sub idem tempus cum pseudo-Epistolis Decretalibus primorum Pontificum in lucem producta, parem quoque pene sortem subierunt.

Sicuti enim Decretales illæ Romanos Pontifices, ac signanter Nicolaum I. Patronos nactæ sunt; item Episcopos, qui a suis Metropolitanis & Primatibus se eximi, & Sedi Apostolicæ subjici avebant; ita & hæc Capitula iisdem ex motivis eosdem Patronos habuere.

Ea allegasse Hincmarum Laudunensem [1], dum a suo Metropolita & Avunculo Hincmaro Rhemensi impeteretur, constat ex hujus opusculo adversus Laudunensem c. 24. Quin eumdem Laudunensem solemni professione hæc Decreta suscepisse, & alios ad id coegisse, qui secum in vinculo pacis vivere vellent, testatur Hincmarus Rhemensis in citato Opusculo c. 36. formulam referens hujus tenoris: *Hincmarus Deo miserante Ecclesiæ Laudunensis Episcopus, his Sanctorum Apostolicæ Sedis Patrum Decretis obtemperandum subscripsi. Qui quoque mihi eodem auctore commissi sunt, & in his similiter sentiunt, soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, hac mecum pace potiantur. Si vero aliqui secus nolentes fieri socii hujus disciplinæ, nec habeantur participes communionis nostræ. Actum Lauduni VIII. Idus Julias.*

Quamvis hic specifice non exprimantur *Sedis Apostolicæ Decreta*, tamen nequaquam obscurum est ex totius opusculi contextu, sub his & Capitula hæc comprehendi, quorum auctoritas urgebatur, testaturque Sirmondus in nota his Capitulis subjecta apud Labbæum *tom.* 6. *Concil. general. col.* 1839. quod in Codice sanctæ Mariæ Virdunensis, post hæc Hadriani Capitula extet Hincmari Laudunensis Episcopi prædicta professio.

Qui illorum Decretalium auctoribus refragabantur, etiam his Capitulis repugnabant.

Sicuti autem nonnulli Episcopi, præsertim Metropolitani, ac præ cæteris Hicmarus Rhemensis, ægre admittebant auctoritatem Decretalium Mercatoris, eo quod Metropolitica auctoritas iis labefactari videretur, ita & hæc Capitula eidem auctoritati non magis faventia, ipsis haud placebant.

Itaque Hincmarus Rhemensis citato *cap.* 24. ait: „ De sententiis vero, quæ dicuntur ex Græcis & Latinis „ Canonibus, & Synodis Romanis, atque Decretis Præ„ sulum, ac dudum Romanorum collectæ ab Hadriano „ Papa, & Ingilramno Metensium Episcopo datæ, quan„ do pro sui negotii causa agebatur, ex quibus quæ„ dam tuis commentis interposuisti, quam dissonæ in„ ter se habeantur, qui legit satis intelligit, & quam „ diversæ a sacris Canonibus, & quam discrepantes in „ quibusdam ab Ecclesiasticis judiciis habeantur (ut hic „ quædam de plurimis ponam) evidenter manifestatur. „ *Delator*, inquiunt, *aut lingua capuletur, aut convi„ cto caput amputetur. Judex criminosum discutiens, „ non ante sententiam proferat capitalem, quam aut „ reus ipse confiteatur, aut per innocentes testes convin„ catur. Testes autem sine aliqua sint infamia, uxores „ & filios habentes, & omnino Christum prædicantes. „ Testimonium Clerici adversus Laicum nemo suscipiat.* „ Quæ quantum aliena sint a sacris Canonibus, & „ quantum inimica sint Ecclesiasticis judicii, nemo est „ qui ignoret.

Contraria igitur sacris Canonibus, & disciplinæ Ecclesiasticæ esse hæc Capitula sustinebat Hincmarus: qui & propterea in dictam professionem seu subscriptionem sui nepotis Hincmari Laudinensis multum invehitur c. 36. quod subscripsisset, aliosque ad subscribendum induceret Decretis, quæ Nicæno Concilio, & aliis generalibus Catholicis Synodis, eorumque fixis & immobilibus decretis contraria sunt.

Nemo tamen ut supposititia rejiciebat.

Verum licet Capitula hæc contraria aliis Canonibus, & disciplinæ iis stabilitæ dicerentur, tamen nemo ea ut supposititia & conficta arguebat aut rejiciebat; quemadmodum *Dissert.* præcedenti §. 3. circa supposititias Decretales accidisse notavimus. Quapropter, sicuti hæ promoventibus Pontificibus, & Episcopis suorum Metropolitanorum judicia fugientibus, tandem in auctoritatem receptæ fuere; ita quoque & his Capitulis accidit: ut communi quasi consensu eorum auctoritas ubique sine ullius contradictione admissa sit.

Sed a collectoribus Canonum ut sincera passim recepta.

Præcipue autem invaluerunt, dum ipsa Regum Francorum Capitularia eorum auctoritate redundare cœperunt: post quæ omnes passim Canonum Compilatores ea tamquam sincera Decreta citarunt, ac notanter Gratianus, cujus Canones sæpius ex lectione horum Capitulorum lucem accipere possunt; atque hinc eorum notitiam utiles esse apparebit, ut sequenti §. ostendetur.

§. III.

Quomodo Gratianus hac collectione usus sit? & quid hic observandum?

Gratianus non easumpsit ex hodierna Capitulorum collectione

PLURIMA ex his, quæ in his Capitulis occurrunt, Decreto Gratiani inserta sunt. At e multis colligitur, Gratianum illa non ex hac Capitulorum collectione sumpsisse, sed ex variis Canonum collectoribus.

Non citat sub nomine *Capitularum*.

Primo, quia nunc sub uno, nunc sub alio titulo proponuntur: quin & monet Baluzius in notis ad Gratianum, quod referendo hæc *Capitula*, illa in titulo nunquam nominaverit; advertitque titulum Canonis 40. *caus.* 2. *quæst.* qui in editione Romana correcta ita legitur: *Hadrianus Papa ait in Capitulis a se collectis cap.* 44 per Correctores esse extensum, cum antea simpliciter legeretur: *Unde Hadrianus Papa ait*. Et hoc quidem titulo in relatione Capitulorum ordinarie usum fuisse Gratianum exemplaribus antiquioribus Romana Correctione intelligitur.

Sed citat sub diversis titulis.

Sic *causa* 5. *quæst.* 3. *Can.* 1. referens fragmentum capituli 5. citat illud sub nomine *Synodi Romanæ, quæ tempore Hadriani Papæ celebrata est*. Et *caus.* 3. *quæst.* 7. *Can.* 1. proferens aliud ejusdem capituli 5. fragmentum, hunc titulum ei præfigit: *Dicit enim Sancta Romana Synodus*. Ac rursus ex capite 5. referens laciniam *caus.* 3. *quæst.* 6 *Can.* 18. utitur hoc titulo: *Ex Decreto Hadriani Papæ*.

Prout ea apud alios citata repetit.

Quæ diversitas citationis non obscure significat, Gratianum hæc Capitulorum fragmenta in suum Decretum contulisse, prout ea apud præcedentes Canonum collectores reperiebat.

Hinc mutilata refert.

Idipsum evincit, quod Gratianus valde mutile ac confuse Capitulorum illorum segmenta referat.

Exempli gratia *caus.* 3. *quæst.* 6. *Can.* 18. hæc habet sub nomine Decreti Hadriani Papæ: „ Qui crimen ob„ jicit, sciat se probaturum. Revera ibi causa aga„ tur, ubi crimen admittitur ”; cum in capitulo 52. Hadriani ita legatur: „ Qui crimen objicit, scribat se „ probaturum revera, & ibi causa agatur, ubi crimen „ admittitur, ut qui non probaverit, quod objicit, „ pœnam, quam intulerit, ipse patiatur ”. Quæ alium ac planiorem sensum facere, nemo non videt.

Et plura fragmenta in unum conflata.

Interdum vero plura fragmenta ex variis his Capitulis desumpta in unum conflat; eaque conflatione & sensum obscuriorem, & a textu originali plane dissonum efformat. Exemplum pete ex Canone 16. *caus.* 3. *quæst.* 6. Hic plura fragmenta ex capitulo 5. 8. 9. & 10. in unum conflantur, ac una nonnulla adduntur, quæ nec in Capitulis occurrunt, ut notant Correctores Romani.

Idemque Decretum bis refert sub diversis nominibus.

Ad hæc nescivit, aut certe non advertit Gratianus, hæc Capitula esse desumpta ex Epistolis Decretalibus veterum Pontificum. Hinc cum *caus.* 4. *quæst.* 6. *Can.* 3. retulisset ex Epistola Felicis Papæ hanc laciniam: „ Si accusatorum personæ in judicio Episcoporum cul„ pabiles apparuerint. ad arguendum non admittan„ tur, nisi proprias causas asserere, non tamen crimi„ nales, vel Ecclesiasticas voluerint ”; eadem omnino verba sub Hadriani Papæ retulit *Canone* 3. immediate sequenti.

Hinc notitia Capitulorum utilis pro intellectu Decreti Gratiani.

Hinc quisque facile colliget, quam utilis sit ad intellectum Canonum in Decreto Gratiani hæc Capitulorum notitia, ac insuper scire, quæ horum sit auctoritas; ut & sensus Canonum Gratini haberi possit, & statui quæ horum auctoritas: cum hæc major esse nequeat, quam sit eorum, unde desumpti sunt a Gratiano.

DISSERTATIO TERTIA

De Capitularibus Regum Francorum.

§. I.

De Nomine Capitularium.

Capitularia a legibus solebant distingui.

QUAMQUAM Canonum Ecclesiasticorum & Legum Regiarum Codices *Capitula & Capitularia* dicti interdum fuerint, eo quod per *Capitula* seu sectiones digesti distinctique essent, ut ostendit Du-Cange Glossario Verb. *Capitularia*, & latius Stephanus Baluzius in doctissima ac disertissima præfatione Capitularibus Regum Francorum præfixa, ea tamen potissimum *Capitularium* nomine donata sunt, quæ in publicis Comitiis, vel Synodis, Episcoporum & populi consensu, ab ipsis Principibus edebantur; in iis præsertim casibus, qui in Legibus deerant. Unde *Capitula* a Legibus distinguuntur apud Hincmarum Rhemensem *Opusc.* 14. *cap.* 8. „ Habent enim Reges & Reipublicæ Ministri *Leges*, „ quibus in quacumque Provincia degentes regere debent; habent *Capitula* Christianorum Regum ac Pro„ genitorum suorum, quæ generali consensu Fidelium „ suorum tenere legaliter promulgaverunt ". Et *cap.* 11. „ Et Christianorum Regum Constitutionibus per „ *Capitula* breviter ac salubriter, si teneantur & exe„ quantur, collecta continentur ". Denique *Opusc.* 15. *cap.* 15. „ Quando sperant aliquid lucrari, ad *legem* „ se convertunt; quando vero per legem non æstimant „ acquirere, ad *Capitula* confugiunt ". In Synodo Suessionensi *anno* 853. *cap.* 44. Capitula Synodalia Caroli Magni, &c.

Et habebantur pro appendicibus legum.

Erant igitur (inquit Du-Cange in Glossario loco citato) *Capitula* legum appendices & additamenta, eaque in Synodis sancita. Eginhardus anno 819. „ legi„ bus etiam Capitula quædam necessaria, quia deerant, „ conscripta atque addita sunt ". Capitulare *an.* 821. *cap. ult.* „ Capitula, quæ præterito anno legi Salicæ „ per omnium consensum *addenda* esse censuimus, jam „ non ulterius Capitula, sed tantum lex dicantur, & „ pro lege teneantur."

Quamvis & vim legis obtinerent.

Attamen quia Principum Decreta in communem regni utilitatem edebantur, vimque subditos ligandi habebant, nihil eis deerat de vigore & essentia legis; ideoque & interdum legis nomine donata fuerunt: communiter tamen *Capitularia* aut *Capitula* appellata sunt, atque sub hoc nomine apud Gratianum, aliosque Canonum collectores recitantur.

§. II.

Quomodo Capitularia ederentur?

Edebantur in conventibus publicis Procerum.

REGUM Francorum Capitularia in generali Procerum conventu primitus edita fuisse, expresse ostenditur *lib.* 6. *Capitular. cap.* 371. editionis Baluzianæ (qua sola in hoc opere utemur). „ Et quando, vita „ comite, Deo auxiliante; ad generale placitum venerimus, contuitu omnium fidelium nostrorum Scriptis „ firmare, nostris nostrorumque atque futuris tempori„ bus irrefragabiliter manenda firmissime Domino ad„ miniculante cupimus. Modo, ea, quæ generalia sunt „ & omnibus convenium Ordinibus, statuere, ac cun„ ctis sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque fidelibus ob Dei „ omnipotentis amorem & recordationem tradere pa„ rati sumus, & ad proximum Synodale nostrorum „ conventum, ac generale placitum, ubi plures Epi„ scopi & Comites conveniunt, ista, sicut postulatis, „ firmabimus

Et Carolus Calvus in Capitulari apud Carisiacum anno 873. *cap.* 8. „ Capitula avi & patris nostri, quæ „ Franci pro lege tenenda judicaverunt, & fideles no„ stri in *generali placito* nostro conservanda decreverunt. Idipsum clarius & latius exprimitur in ejusdem Caroli altero Capitulari anni 877. etiam apud Carisiacum *cap.* 2. „ Capitula, quæ noster avus & pater pro sta„ tu & munimine sanctæ Dei Ecclesiæ, & Ministro„ rum ejus, & pro pace & justitia populi ac quiete „ regni constituerunt, & quæ nos cum fratribus no„ stris Regibus & nostris & eorum fidelibus communi„ ter constituimus, sed & quæ nos consilio & *consen„ su Episcoporum & cæterorum Dei* & nostrorum pro „ supra scriptis causis in diversis *placitis nostris* conser„ vanda statuimus, & manere inconvulsa decernimus, „ similiter & a filio nostro inconvulsa conservari vo„ lumus & mandamus.

Hinc docemur, in his Conventibus adfuisse cum ipso Principe Episcopos, & cæteros fideles, id est Abbates, Duces, Comites, aliosque Proceres: ut legitur in præfatione Capitularis secundi anni 813. „ Carolus „ Serenissimus Imperator Augustus, a Deo coronatus, „ magnus, & pacificus, cum Episcopis, Abbatibus, „ Comitibus, Ducibus, omnibus fidelibus Christianæ „ Ecclesiæ cum consensu consilioque Gundobada Capi„ tula ista in Palatio Aquis, ut unusquisque fidelis ju„ stitias ita faceret, quæ & ipse manu propria firma„ vit Capitula ista, ut omnes fideles manu roborare „ studuissent.

Idem occurrit in præfatione Capitularis anni 779. aliisque multis locis: ut proinde recte observatum sit a viro doctissimo Francisco Floreme in Dissert. *de Origine juris Can.* „ adhibitos fuisse in consilium Episco„ pos una cum Regni Proceribus in Conventibus pu„ blicis, quia Regibus indicebantur, in quibus Capi„ tularia confirmabantur; res ad Ecclesiasticam politi„ am spectantes ordinabantur, & ad omnium utilita„ tem capitula seu leges promulgabantur omnium Or„ dinum consensu.

Qui subscribebant, & ipsa Capitula confirmabant.

Postquam omnes Capitulis a Principe propositis consenserant, novis illis Capitulis omnes subscribebant. Capitulare III. anni 803. cap. 19. „ Ut populus inter„ rogetur de Capitulis, quæ in lege noviter addita sunt. „ Et postquam omnes consenserint, *subscriptiones*, & „ *manufirmationes* suas in ipsis Capitulis faciant.

Et Capitulari secundo ejusdem anni, quod Jacobus Sirmondus ex veteri Codice descripserat, præfixa hæc epigraphe legebatur: „ Anno tertio clementissimi Do„ mini nostri Caroli Augusti, sub ipso anno, hæc fa„ cta Capitula sunt, & consignata Stephano Comiti, „ ut hæc manifesta faceret in civitate Parisius Mallo pu„ blico, & illa legere faceret coram Scabineis. Quod „ ita & fecit. Et omnes in uno consenserunt, quod „ ipsi voluissent omni tempore observare usque in po„ sterum. Etiam omnes Scabinei, Episcopi, Abbates, „ Comites, manu propria subter signaverunt.

Ut majori pollerent auctoritate.

Ex hac epigraphe non obscurum quoque est, hanc subscriptionem adhiberi solitam fuisse, ne lex, quam populus acceperat, perrumpi posset, ut res omnium consensu laudata, singulorum manibus roborata, nullam in posterum contradictionem pateretur, nullisque repugnantium querelis obnoxia esset; uti etiam monuit Stephanus Baluzius in citata præfat.one *num.* 8.

Subinde e Synodis sumpta a Regibus probabantur.

Verum licet ex his perquam manifestum sit, Capitularia in publico Episcoporum & Procerum conventu edita fuisse, constat tamen, plura eorum, quæ inter Capitularia Regum Francorum numerantur, atque pro talibus a Regibus probata, e Synodis & Conciliis Episcoporum sumpta esse; ut proinde non male suspicatus sit Antonius Augustinus: „ fontem hunc Capitularium „ fuisse ipsa Concilia, atque conventus, in quibus Im„ perator cum Episcopis, & aliis Consiliariis de rebus „ tam Ecclesiasticis, quam profanis agebat „. Hæc ille *lib.* 2. *dial.* 10. *de Emendat. Grat.* additque. „ Sic in „ Concilio Troslejano appellantur Conciliorum *pedisse„ qua* hæc Capitularia Principum.

Observationem hanc probat quoque Stephanus Baluzius in dicta præfatione *num.* 9. & pluribus adstruit Petrus de Marca *lib.* 6. *de Concordia Sacerdotii & Imperii cap.* 25.

Idque auctoritate Principis interdum in privatis virorum cœtibus.

Non tamen excerpta hæc Synodorum semper fiebant in Synodis aut Conventibus publicis; sed ex delegatione Principis subinde in privatis Episcoporum, virorumque Ecclesiasticorum cœtibus, qui tum apud Principem in comitatu essent, ut indicat titulus Capitularis tertii ad annum 814. apud Baluzium: *Capitula a Domino Carolo & filio ejus Ludovico, ac sapientissimis ipsorum Episcopis excerpta.*

Scribit quoque *Benedictus Levita* in præfatione ad libros Capitularium: „ Tertio si quidem in libello post „ ejusdem libelli Capitulorum numerum, quædam ex „ Capitulis a Paulino Episcopo & Albino Magistro, „ reliquisque *jussione* Caroli invictissimi Principis Magi„ stris sparsim collecta, sunt inserta Capitularia

Unde nonnumquam a privatis excerpta publica Principis auctoritate muniebantur.

Hinc colligitur, principis auctoritatem nonnunquam aliqua a quibusdam Episcopis, aut aliis viris sapientibus ex Placitis antiquorum Patrum, & Canonibus, ad restaurandam, aut stabiliendam Canonicam disciplinam excerpta fuisse: quæ postmodum Principis auctoritate muniebantur, ut publicæ legis vim obtinerent: quod sat aperte docet præfatiuncula Additioni quartæ ad Capitularia præfixa: „ Sequentia quædam Capitula ex „ Sanctorum Patrum Decretis, & Imperatorum Edictis „ colligere curavimus, & quæ inter nostra Capitula lege „ *firmissima* tenenda generali consultu Erchembaldo „ Cancellario nostro inferere jussimus.

Quæ tamen aliquando in publicis conventibus relegebantur.

Verum nec illud negari potest, quin illa, quæ extra publicos conventus & Synodos Princeps promulgari fecerat, ea nonnunquam postmodum jussu Principis in publicis Conventibus aut Synodis regulariter, & publico omnium consensu relegerentur.

Promulgatio, & executio eorum Episcopis, vel missis Dominicis committebantur.

Quemadmodum autem antiquitus Imperatores Romani Rescripta sive Constitutiones suas mittebat ad Præfectos Prætorio, ut eorum cura proponerentur populis & executioni mandarentur, ita Carolus Magnus, Ludovicus Pius, aliique Reges Galliæ, Capitularium suorum promulgationem, & executionem committebant Episcopis, & Comitibus, ac *Missis Dominicis*.

De forma promulgationis & intimationis extat Edictum Ludovici Pii in Capitulari anni 823. *c.* 24. „ Volumus etiam ut Capitula, quæ nunc & alio tem„ pore consultu nostrorum fidelium a nobis constituta

sunt,

„ funt, a Cancellario noftro Archiepifcopi, & Comites eorum de propriis civitatibus modo aut per fe, aut per fuos Miffos accipiant, & unufquifque per fuam Diœcefim cæteris Epifcopis, Abbatibus, Comitibus, & aliis fidelibus noftris ea tranfcribi faciant, & in fuis Comitatibus coram omnibus relegant, ut cunctis noftra ordinatio & voluntas nota fieri poffit. Cancellarius tamen nofter nomina Epifcoporum, & Comitum, qui ea accipere curaverint, notet, & ea ad noftram notitiam perferat, ut nullus hoc prætermittere præfumat.

Sed præcipue Miffis Dominicis.

Hanc Ludovici Conftitutionem renovavit & confirmavit an. 853 Carolus Calvus apud Silvacum *tit.* 14. *cap. XI.* his verbis: „ Capitula autem avi & patris noftri, quæ in præfcriptis commemoravimus, qui *ex* Miffis noftris non habuerint, & eis indiguerint, ut commiffa per illa corrigere poffint, ficut in eifdem Capitulis jubetur, de fcrinio noftro, vel a Cancellario noftro accipiant, ut rationabiliter & legaliter cuncta corrigant, & difponant.

Hinc patet, non tantum executionem & curam Capitularium creditam fuiffe Epifcopis, & Comitibus; fed & *Miffis Dominicis*, immo & præcipue his; quia ad horum officium pertinebat fupplere negligentiam Epifcoporum & Comitum, eaque emendare, quæ perperam ab illis acta effent in Provinciis adverfus leges publicas; ut probat inftructio data *Miffis* in Capitulari Ludovici Pii anno 823. *cap.* 27. & alia Caroli, aut Ludovici *lib.* 3. *Capitul. cap.* 260. & *lib.* 6. *cap.* 290

Ob fpecialem horum officium.

Miffi Dominici enim dicebantur, qui e Palatio in civitates, & Provincias extra ordinem mittebantur cum ampliffima poteftate; „ ut de omnibus caufis, quæ ad correctionem pertinere videntur, quanto poffent ftudio, per femetipfos Regia auctoritate corrigerent, & fi aliqua difficultas in qualibet re eis obfifteret, ad Regis feu Imperatoris notitiam deferre curarent ". Deinde ut inquirerent: „ quomodo hi, qui populum regere deberent, unufquifque in fuo minifterio fe cuftoditum haberet, quique gratiarum actione, & qui correctione & increpatione digni haberentur ": ut eft in Capitulari 3. Ludovici Pii *cap.* 3. 4. & 5.

Qui plura de eorum inquirendi facultate fcire defiderat, confulat Du-Cange in Gloffario Verbo, *Miffi*.

Ne vero Epifcopi, aliive, quibus Capitularium executio incumbebat, tergiverfandi occafionem haberent, cautum erat; ut Archiepifcopi, & Comites majores a Cancellario Palatii feu Archicancellario Capitularia acciperent, & ipfi eorum poftea copiam facerent minoribus Comitibus, & aliis Magiftratibus, illaque relegi ac tranfcribi facerent in fuis Comitatibus & Provinciis, ut videre eft in Capitulari Ludovicii Pii an. 823. *cap.* 24. & Caroli Calvi an. 853. apud Sylvacum *tit.* 14. *cap.* 11. item in inftructione Miffis Dominicis data an. 824. *cap.* 27.

§. III.

De Auctoritate Capitularium.

Capitularia præcipua auctoritas in caufis Ecclefiafticis.

QUAMQUAM Capitularia debite promulgata omnes indifferenter in refpective materiis obligarent, præcipuam tamen eximiam obtinuiffe auctoritatem in caufis Ecclefiafticis videntur; adeo ut pari reverentia hæc ab Epifcopis fufcepta videantur, atque facri Conciliorum Canones.

Epifcopi enim anno 881. apud Martyrium five Ecclefiam fanctæ Macræ convenientes, ita de his Capitularibus loquuntur: „ Ab omnibus, qui jufte & pie in communione Catholicæ Ecclefiæ, quæ Chrifti corpus eft, vivere volunt, ea quæ fequuntur, Domino mediante, obfervari decernimus, non nova condentes, fed quæ a Majoribus noftris fecundum tramitem SS. Scripturarum ftatuta, & a Chriftianis Imperatoribus ac Regibus promulgata, & ufque ad hæc periculofa noftræ infelicitatis tempore fuere fervata, quafi lumina in malignorum hominum tenebris, quæ excæcant diffidentiæ filios, devocamus.

Concilium quoque Trosleianum an. 909. ab Archiepifcopo Rhemenfi, ejufque Suffraganeis celebratum, *Capitularium* indifferenter & facrorum Canonum auctoritate in ftabilienda Regulari difciplina utitur; dicitque ea effe Canonum *pediffequa*; id eft, quafi ad Canonum fupplementum edita: „ Itemque & Canonum, inquit, præcipiunt inftituta, fimulque eorum *pediffequa Regum Capitularia*, ficut in libro primo Capitulorum Imperialium continentur Capitulo 28. ut Clerici & Monachi, fi inter fe negotium aliquod habuerint, a fuo Epifcopo judicentur, & non a fæcularibus.

His adinftar facrorum Canonum utebantur Epifcopi.

Verbo, Epifcopi Capitularia adinftar facrorum Canonum fufcipiebant. Sic Herardi Turonenfis Archiepifcopi Capitula, quæ conftat effe e libris Capitularium accepta, dicuntur effe *excerpta ex corpore facrorum Canonum* Habentur *tom.* 8. *Concil. pag.* 627.

Capitula quoque Ifaac Epifcopi Lingonenfis, quæ ex libris tribus poftremis Capitularium defumpta funt, ut ipfa præfatio declarat, in Chronico S. Benigni Divionenfis, tefte Sirmondo in nota his Capitulis præfixa, *Canones Ifaac* vocantur, & Capitularia, *Libri Canonum*. „ *Compofuit*, inquit auctor, & *librum*, qui dicitur *Canones Ifaac*, eo quod ex libris Canonum utiliora quæque eligendo in unum volumen coarctaverit.

Extant hæc Capitula lectu digna, una cum nota Sirmondi *tom.* 8. *Concil. pag.* 598.

Etiam Pontifices eorum auctoritatem agnofcebant.

Sed nihil eft, quod Capitularium auctoritatem amplius commendare poffit, quam illud quod ex Epiftola Leonis IV. poft Ivonem refert Gratianus *dift.* 10. *Can.* 9. „ De Capitulis vel præceptis Imperialibus veftris, veftrorumque Pontificum prædeceflorum irrefragabiliter cuftodiendis, & confervandis, quantum valuimus & valemus, Chrifto propitio, & nunc & in ævum nos confervaturos omnibus modis profitemur. Et fi fortaffe quilibet vobis aliter dixerit, vel dicturus fuerit, fciatis eum pro certo mendacem.

Hæc auctoritas etiam Romæ, & per totam Italiam duravit ufque ad tempora Gratiani Monachi.

Monent ad hunc Canonem Correctores Romani ante dictionem *Prædeceflorum* addendam effe conjunctionem &, quemadmodum eft in Panormia Ivonis. „ Nam hoc fignificabitur (inquiunt) „ Imperatores illos folitos fuiffe edere *Capitula*, adhitis in confilium Pontificibus Regni, quod veriffimum eft. Omnino hæc, quæ a Leone fcribunt, fpectare videntur ad Capitula Caroli & Ludovici, quæ Lotharius in univerfa Italia fervari mandaverat, Nam in legibus Longobardicis *lib.* 3. *tit.* 15. Lotharius ita conftituiffe traditur; *Placuit nobis, ut Capitula, quæ excerpfimus de Capitulari Bon. mem. gloriofiffimi Domini noftri Caroli, & genitoris noftri Ludovici Imp. inviƈtiffimi, his omnibus, & fidelibus noftris, & fanctæ Ecclefiæ in regno Italiæ confiftentibus per legem teneantur & ferventur: & quicumque horum Capitulorum contemptor extiterit* 60. *folidis componatur*. Id populo Romano, qui jure antiquo Romanorum uti prohiberetur, valde difplicuit: ficut ex *Canone finali infra eadem dift.* colligi poteft, diffeminatufque etiam rumor fuit eamdem effe Pontificis & populi fententiam. De qua re Leo hac fe Epiftola videtur purgare voluiffe, & tamen poftea pro confervando jure civili Romanorum cum eodem Lothario iterum diligentius egit; quod apparet ex dicto Canone finali.

Non tantum igitur per Galliam aut Germaniam; fed & per Italiam, quin & Romæ Capitularia auctoritatem obtinuiffe, hactenus dicta evincunt, multifque adftruit Baluzius in præfatione ad Capitularia; contenditque, eorum auctoritatem ufque ad tempora Gratiani, qui fæculo XII. Decretum fuum compilavit, in Italia perfeveraffe; ipfumque Gratianum in fua Collectione Capitularibus ufum fuiffe, eorumque auctoritatem agnoviffe; idque probari ex *Can. Volumus* 37. *cauf.* 11. *qu.* 1. ubi refert Conftitutionem Caroli M. qua renovavit legem Conftantini de Epifcopali judicio; quam ex Ivone accipere non potuit Gratianus, utpote apud quem non extat, fed ex Capitularibus accepit; quemadmodum ipfe Gratianus non obfcure innuit, dicens: „ Hæc fi quis antiquata contenderit, quia in Juftiniani Codice non inveniuntur, ita inferta, per *Carolum* renovata cognofcat, qui in fuis *Capitularibus* ait inter cætera: *Volumus atque præcipimus, ut omnes*", &c.

§. IV.

De varia Capitularium collectione.

Capitularia primum fæculo IX. ab Anfegifo in unum collecta, & in 4. libros diftributa.

QUÆ hodie proftrant in unum collecta Regum Francorum Capitularia, fub variis Regibus, ac variis temporibus edita fuiffe conftat; neque ante annum 827. in unum volumen relata fuiffe, fed feparatim fcripta in fcedulis & membranulis.

Circa verum dictum tempus, *Anfegifus* Abbas vulgo Lobbienfis, collegit aliquot Caroli Magni, & Ludovici Pii Capitula, ne oblivioni traderentur, ut ipfe in præfatione monet; eaque in 4. libros digeffit. Duobus libris comprehendit ad Ecclefiafticam legem pertinentia, & duobus ad legem mundanam fpectantia.

Collectionem probavit Ludovicus Pius.

Collectio illa Capitularium ab Anfegifo Abbate confecta ftatim auctoritatem non exiguam obtinuit, quod eam Ludovicus Pius Imperator fuam fecerit.

Etenim in Conftitutionibus editis poft annum 827. referens verba vel fenfum legum a Patre fuo Carolo aut a fe ante editarum, reperiri illa fcribit in *Capitulari*: quo nomine intelligit collectionem Anfegifi.

Sic in Capitulari VVormatienfi anni 829. *tit.* 1. *c.* 5. „ Ita enim continetur in *Capitulari* bonæ mem. genitoris noftri *in libro primo c.* 157. Ut qui Ecclefiarum beneficia " &c. Et paulo poft; „ *Item in Capitulari noftro in lib.* 1. *cap.* 21. *de eadem re*.

Similia paffim in Ludovici Capitularibus occurrunt; quæ evidenter oftendunt, ipfum hanc collectionem pro Codice Capitularium habuiffe.

Eam quoque Carolus Calvus laudavit.

Carolum Calvum eamdem quoque collectionem fæpius laudaffe, tamquam publicum legum Francicarum Codicem, ex ejus Capitularibus probari poteft.

Exemplum illius fit Capitularium ejus tituli 36. caput 1. „ Comites Epifcopis & Miniftris Ecclefiæ in eorum minifteriis adjutores in omnibus fiant, ficut in *Capitulari* Prædeceflorum ac Progenitorum noftrorum continetur *in* 2. *lib. capitul.* 23. &c. "

Ibid.

Ibid. *cap.* 4. „ Volumus & expreffe mandamus Comitibus noftris, ut ficut in 24. capitulo *libri fecundi Capitulorum* Prædeceſſorum noftrorum continetur " &c.

Si quis capite reliqua ejuſdem percurrat; videbit, Carolum ad hanc collectionem, tamquam ad publicum legum Codicem continuo remifiſſe.

Quem in fua collectione fibi ordinem propofuerit?

Collectionis fuæ ordinem ipfe Anfegifus in præfatione expreffit: „ Hoc notum fit lectori (inquit) quia prædicta Capitula, quæ per intervalla temporum a præfatis funt Principibus edita, in quatuor diftinxi libellis. Illa fcilicet, quæ Dominus Carolus Imperator fecit ad ordinem pertinentia Ecclefiafticum, in primo adunavi libello. Ea vero Ecclefiaftica, quæ Dominus ac piiffimus Ludovicus Imperator edidit, in fecundo defcripfi. Illa autem, quæ Dominus Carolus in diverfis fecit temporibus ad mundanam pertinentia legem, in tertio adunavi. Ipfa vero, quæ Dominus Ludovicus præclarus Imperator fecit ad augmentum mundanæ pertinentia legis, in quarto congeffi.

Et quare adjunxerit appendices

Voluit itaque Anfegifus in fecundum & quartum librum colligere fola Capitularia Ludovici Pii, non autem Caroli M. additis tamen ad calcem libri quarti duabus appendicibus, quæ fumptæ funt ex Capitulis Caroli Magni, quæ in prioribus ab Anfegifo omiffa fuerant, uti titulus prioris appendicis indicat; „ Capitula Domini Caroli Imperatoris Ecclefiaftica, quæ ideo fupra fcriptis non conjunxi Capitulis, quia alia ex iftis quafi caufa memoriæ fcripta fuerant, & non videntur plenum explere fenfum, alia funt geminata cum aliis videlicet mixta Capitulis, alia penitus finita, atque ad perfectionem perducta.

Ad eumdem titulum alludit alter pofteriori appendici præpofitus: „ Incipiunt iterum Capitula Domini Caroli Imperatoris mundana, quæ *fuprafcriptam* videntur habere caufam.

Ad ordine fibi propofito fubinde deflexit.

Cæterum tametfi inftitutum Anfegifi fuerit in primo libro tantum Capitula Caroli ponere, certum tamen effe monet Baluzius in fæpius laudata præfatione, permixta per errorem ab illo fuiffe quædam Capitula Ludovici Pii; caput nimirum 79. fequentia ufque 104. quæ fumpta funt ex Capitulis, quæ anno 816. a Ludovico fancita funt. Hæc Baluzius, qui ibidem caufam erroris affignat.

Ab Anfegifo omiffa fupplevit Benedictus Levita.

Quoniam vero Anfegifus plurima Caroli Magni, ac Ludovici Pii Capitula prætermiferat, abftinueratque præterea a ferendis Pippini & Carlomanni Conftitutionibus, quarum tamen frequens ufus erat, *Benedictus Levita* Moguntinenfis hanc in fe curam fufcepit circa annum 845. ut hæc Capitularia in unum colligeret, & in tres libros diftribueret.

Ea in tres libros diftribuit.

Materiam ordinemque librorum fuorum nobis ipfe Benedictus in præfatione aperuit.

Primum monet, ab Anfegifo collectos libros nonnulla quidem Caroli Magni, & Ludovici Pii Capitula continere, fed plura fupereffe, quæ vel ab ipfo non funt inventa vel non collecta: „ quapropter (ait Benedictus) ea, quæ ille aut invenire nequivit, aut inferere fortaffe noluit, & illa, quæ poftmodum a fidelibus fanctæ Dei Ecclefiæ & Pippini ac Caroli atque Ludovici didicimus in jam dictis libellis minime effe inferta, pro Dei omnipotentis amore, & fanctæ Dei Ecclefiæ ac fervorum ejus, atque totius populi utilitate fideliter inveftigare curavimus, & in tribus fubfequentibus libellis diftincte cum titulis fuis coadunare .... non diftulimus.

Materiam & ordinem ipfe expofuit.

Primo igitur in loco dicit fe pofuiffe nonnullos verficulos in laudem Principum, quibus libros fuos obtulit. „ Deinde fequuntur Capitula primi libelli, fubjectis numeris fuis, ut facilius inveniri poffit fententia, quæ quæritur. His ita peractis, eft in fronte primi libelli pofita Zachariæ Papæ Epiftola omnibus Epifcopis, ac reliquis Ecclefiaftici ordinis gradibus, & cunctis Ducibus atque Comitibus, omnibufque Deum timentibus per Gallias & Francorum Provincias conftitutis directa, ficut in ea continetur. Quam fequuntur duo Synodales conventus, quos S. Rom. & Apoftol. Ecclefiæ Legatus Bonifacius memoratæ Moguntiacenfis Ecclefiæ Archiepifcopus vice fupradicti Zachariæ Papæ, una cum Carlomanno Francorum Principe Canonice tenuit. Ut agnofcant omnes hæc prædictorum Principum Capitula maxime Apoftolica auctoritate fore firmata. Poft ifta quoque quæ fequuntur, eadem auctoritate, maxima, ut diximus, ex parte, & omnium Francorum utriufque ordinis virorum affenfu funt roborata.

Hæc non obfcure innuunt, Benedictum in primum fuum librum collegiffe Capitula, quæ citra controverfiam edita effent a Regibus Francorum in publicis Conventibus.

Deinde profequitur præfatio: „ Secundo vero in libello, poft Capitulorum numerum, prima fronte pofita funt quædam ex lege divina excerpta Capitula, ficut ea fparfim in eorum mixta Capitulis reperimus (ut omnes hæc Capitula legibus divinis, regulifque Canonicis concordare non ignorent. Tertio fiquidem in libello, poft ejufdem libelli Capitulorum numerum, quædam ex Canonibus a Paulino Epifcopo, & Albino Magiftro, reliquifque juffione Caroli inviſtiffimi Principis Magiftris fparfim collecta, funt inferta Capitula, & quibufdam interpofitis, fequuntur alia regulæ Monafticæ congruentia, & demum ea, quæ fequuntur ad Sanctæ Dei Ecclefiæ, fervorumque ejus, atque totius Chriftiani populi utilitatem funt confcripta Capitula, ficut in eodem continentur libello.

His igitur duobus ultimis libris ea pofuit, quæ Principum juffu ab Epifcopis, aut Viris doctis excerpta erant ex libris Divinæ Scripturæ, ficut ea fparfim in eorum mixta Capitulis invenit, & quæ excerpta ob iifdem fuerunt ex Canonibus Conciliorum, Decretis Pontificum, ex dictis SS. PP. Conftitutionibus Synodalibus, ac Codice Theodofiano, feu Aniani Interpretationibus, Pauli Sententiis, Juliani Anteceſſoris Novellis, Codice Legum VVifigothorum, ex Lege Salica, ex Lege Ripuariorum, & ex Lege Bajuvariorum.

Et unde contigerit, eam confufione laborare?

Ex his enim Benedicti collectio conflata eft; confufe fane facta, nullo fervato temporum ordine; mutatis etiam fæpius verbis Capitulorum, quæ illic referuntur; ut omni legenti obvium eft advertere. Illud tamen Benedicto imputandum non videtur; cum ipfe in præfatione præmonuerit, fe Capitula illa fic indigefta & confufa in diverfis fchedulis inveniffe, & ob id tam „ cito hæc emendare nequivimus (ait) fed cunctis fcientiæ repletis lectoribus hæc corrigenda dimifimus. Invenimus infuper (pergit Benedictus) quædam ex his paria initia habentia & imparem finem; quædam vero pares fines, fed non paria initia: in quibufdam autem minus, & in quibufdam plus. Et propterea illa fic dimifimus ficut invenimus.

Non ergo culpandus Benedictus, cujus labore & induftria nobis confervata funt temporum illorum pulcherrima & utiliffima monumenta, prout ea invenire potuit.

Fuit nihilominus ut quidam Canonum Codex recepta

Hanc collectionem mox receptam fuiffe ceu quemdam Canonum & Legum publicum Codicem, conftat ex Decretis Epifcopalibus & Synodalibus, nec non Canonum Collectoribus, qui paffi ex hac collectione expreffo nomine, Canones defumpferunt.

Et una cum Collectione Anfegifi conftituit hodiernum corpus Capitularium in 7. libros diftinctum.

Hæc duæ collectiones hodie conftituunt feptem libros Capitularium Regum Francorum; quamquam Benedicti collectionem non femper conftituiffe unum cum Anfegifi collectione corpus, certum fit.

Atque ideo quæ hodie extant in libro quinto Capitularium, qui eft primus in collectione Benedicti, aliquando citata reperiuntur apud veteres ex libro primo Capitularium; nimirum Benedicti Levitæ. Vide loca citata apud Baluzium in præfatione *num.* 48.

Objectio Papebrochii contra hæc acta Capitularia,

In hoc libro *cap.* 2. exhibetur integrum Capitulare editum anno 742. cujus initium ita legitur: „ In Nomine Domini Noftri Jefu Chrifti. Carlomannus Dux & Princeps Francorum anno ab Incarnatione Chrifti DCCXLII. XI. videlicet Kalendas Majas, cum Concilio fervorum Dei, & optimatum meorum Epifcopos, qui in regno meo funt cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Chrifti congregati, id eft Bonifacium Archiepifcopum, & Burchardum, & Regenfridum, & Vuintanum, & Vuitbaldum, & Dadanum, & Eddanum, ac reliquos Epifcopos, cum Presbyteris eorum, ut mihi confilium dediffent, quomodo lex Dei & Ecclefiaftica Religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum diffipata corruit, & qualiter populus Chriftianus ad falutem animæ pervenire poffit, & per falfos Sacerdotes deceptus non pereat.

Et revera plura in hoc Capitulari occurrunt, quæ ad Ecclefiafticam difciplinam, & rectum Ecclefiæ regimen conducunt.

Baluzius refutat Papebrochium.

Verum hoc Capitulare hic fub nomine Collectoris Benedicti Levitæ relatum, nequaquam arrifit viro alias erudito Danieli Papebrochio in Prolegomenis ad tom. 2. Aprilis pag. 7. uti monet Stephanus Baluzius in Notis pag. 1200. „ Daniel Papebrochius, inquit, hæc acta abominatur, quia Principem Laicum faciunt conventui Ecclefiaftico præfidere, adeoque pro genuinis ea non vult agnofcere, Baronium etiam redarguens, quod illa non fatis fevero examine ponderaverit, cum in Annales fuos referret. Hæc funt verba Papebrochii: *Cum hæc omnia excedant poteftatem fæcularem, & Principem Laicum faciant conventui Ecclefiaftico præfidere, eaque ordinare, quæ difciplinam & correctionem Cleri, ac Monachatus concernunt, abfit, ut ea habeamus pro genuinis.* Et paulo poft: *Extant ea quidem in vulgatis Conciliorum collectionibus, æque ac alia fpuria non pauca, fuifque Annalibus haud indigna Baronius cenfuit. Sed, quod falva tanti Scriptoris reverentia dictum fit: feveriori fuerant examine ponderanda, nec propter eam quam præferunt fpeciem utilitatis ftatim recipienda.* Sed hæc Papebrochii argumenta adeo nullius momenti funt, ait Baluzius, ut fupervacaneum exiftimem his refellendis occupari; illud tantum dicam, nemini hactenus ante ipfum in mentem veniffe ea acta, quæ in multis vetuftiffimis libris ac Bibliothecis reperiuntur, ac tot fæculorum reverentia, & ufu celebrata fuerunt, effe falfa ac fuppofititia. Nam quod ea vir clariffimus rejicit,

„ quia Princeps Laicus Eccleſiaſtico conventui præſediſſe huic narratur, ac Decreta condidiſſe de emendanda vita Clericorum, ac Monachorum, ſi ſemel „ iſta diſputandi ratio permiſſa fuerit, certum eſt, „ plures Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quæ vetuſtis „ temporibus editæ fuerunt, caſuras, cum conſtet „ Principes olim præfuiſſe per ſemetipſos pluribus „ Conventibus Eccleſiaſticis, pluribus etiam per ſuos „ glorioſiſſimos judices ſive Legatos.

Septem libris Capitularium ſubjiciuntur 4. additione; varia Capitula continentes. Poſt ſeptem libros Capitularium hodie ſequuntur quatuor *Additiones*; quarum *prima* continet 80. Capitula ad Monachos ſpectantia, quæ anno 817. in Conventu Aquiſgranenſi Abbatum & Monachorum edita ſunt. *Secunda* conſtat 28. Capitulis, partim Clericos & Monachos, & partim reliquos fideles Laicos concernentibus. *Tertia* continet 124. Capitula, proprie ad Epiſcopos, vel ad Ordines quoſque Eccleſiaſticos pertinentia; quæ non ſolum obſervare, ſed etiam ſibi ſubjectos vel commiſſos facienda perdocere debent. *Additio quarta* conſtans Capitulis 171. hoc profert proœmium: „ Sequentia quædam Capitula ex Sanctorum „ Patrum Decretis, & Imperatorum Edictis colligere „ curavimus, atque inter noſtra Capitula lege firmiſſima tenenda generali conſultu Erchembaldo Cancellario noſtro inſerere juſſimus.

Quæ omnia ſimul edita ſunt. Prima Capitularium per typographos editio contigit anno 1549. quam plures poſtmodum ſubſecutæ ſunt, ſed ſatis imperfectæ; quouſque vir clariſſimus Stephanus Baluzius anno 1677. abſolutiſſimam Capitularium editionem, ad plurima exemplaria manuſcripta fideliter collatam in duobus tomis procuravit: additis inſuper plurimis antiquitatis monumentis, & doctiſſimis notis, ad illuſtrationem non ſolum Capitularium, ſed totius Diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitiam plurimum conducentibus.

§. V.

Multiplex Capitularium utilitas.

Utilitas ex ipſa Capitularium materia. UT utilitas horum Capitularium innoteſcat, ſola ipſorum lectio neceſſaria eſt. In his enim Lector videbit integram, omnibuſque numeris abſolutam diſciplinam Eccleſiaſticam; eamque tam Eccleſiæ Miniſtros, quam Monachos, omnemque populum concernentem; & quidem in omni pene rerum & negotiorum genere.

Hic reperient Epiſcopi, & Paſtores, quomodo vitam ſuam inſtituere, quomodo populum docere; qualiter Sacramenta adminiſtrare debeant.

Reperient Canonici, quid exigat ad mentem Eccleſiæ vita Canonicalis, qua pietate & reverentia, atque aſſiduitate Officio Divino peragendo incumbere debeant: quam ſobrie & fideliter in participandis & expendendis Eccleſiæ proventibus verſari teneantur.

Clerici denique univerſi normam Clericalis vitæ, perfectamque agendi, rationem expreſſam offendent.

Monachalem inſtitutionem, ejuſque diſciplinam ſecundum S. Benedicti Regulam, quæ tunc unica pene in uſu erat, elaganter & copioſe deſcriptam; vitiaque & corruptelas damnata invenient.

Quod communem fidelium vitam concernit, pluribus canonibus expoſitum eſt.

Uno verbo, nihil pene eſt diſciplinam & rationem moreſque vivendi in quocumque ſtatu & ordine concernens, quod in his libris non formatur; ut proinde non immerito hæc Regum Francorum Capitularia, Corpus Canonicum illius temporis nuncupari queant.

Diſciplina in iis contenta in pleriſque immutabilis. Et licet eorum non ſit eadem, quæ olim, auctoritas & vis obligandi, nihilominus & hodie illa magno cum fructu & ædificatione revolvi, & pertractari nemo negaverit, qui ſcit in Canonibus, præſertim morum vitæque rationem exprimentibus, plurima, immo omnia pene eſſe talia, quæ nec temporum lapſu, nec locorum intervallis mutari poſſint.

Et hodierna diſciplina per Capitularia ſtabiliter. Inſuper in his reperiuntur quam plurima hodiernæ diſciplinæ conformia; quæ proinde non exiguam huic diſciplinæ, ex tot ſæculorum antiquitate, atque eorum, qui hæc Capitularia probarunt, auctoritate, venerationem conciliabunt.

Serviunt & utiliter ad notitiam diſciplinæ antiquatæ. Subſervit quoque hæc notitia, ut ſciamus diſciplinam aliquam, jam forſan abolitam, ad illa uſque tempora fuiſſe continuatam, noviſque Decretis ſtabilitam. Atque hinc concludi poterit, quo in pretio hujuſmodi diſciplina, tot ſæculorum decurſu continuata, & iteratis Decretis ſtabilita habenda ſit; quomodo pro temporum & locorum, atque perſonarum ratione ad ejus reſtaurationem laborandum ſit: vel ſi nondum in totum collapſa ſit, quomodo conſervanda & ſuffulcienda.

Ex horum ſimiliumve veterum monumentorum lectione non raro quoque intelligemus, diſciplinam quamdam, etiam circa Sacramentorum adminiſtrationem ab hodierna diverſam; eamque magis Patrum praxi, quam noſtram modernam, reſpondentem. Hincque apparebit, non eſſe mox culpandos, ſi qui, moderna ultimorum ſæculorum diſciplina ſepoſita, illam amplectantur, quam plurimis ſæculis in veneratione fuiſſe, compertum habemus; modo id fiat prudentia Chriſtiana moderante.

Similiter ad notitiam Decreti Gratiani remiſſive. Ad intellectum quoque Decreti Gratiani; quo hodie utimur, non parum conducere poteſt Capitularium notitia; utpote quibus Gratianus ſæpius uſus eſt; e quibus a Gratiano relata non modicam lucem nonnunquam recipere poſſunt, uti §. ſequenti oſtendetur.

§. VI.

Ad notitiam Decreti Gratiani multum conducit notitia Capitulorum.

A Gratiano relata e Capitularibus elucidanda. QUAM utile ſit notitiam habere Capitularium Regum Francorum ad aſſequendum verum ſenſum multorum, quæ a Gratiano referuntur, atque de eorum auctoritate probe judicandum, non difficulter intelliget, qui pervolvendo Decretum Gratiani advertit, quam multa in eo ex Capitularibus paſſim occurrant, quæ ex Capitularibus lucem & verum ſenſum accipere debent.

Quia aliter interdum referuntur a Gratiano, quam in Capitularibus habentur. Primo refert nonnunquam Gratianus aliter, quam in Capitulari continetur.

Exemplum ſit *Can.* 59. *cauſ.* 16. *quæſt.* 1. Ubi ex *lib.* 1. *cap.* 77. refert hunc Canonem: „ Quia juxta ſanctorum Patrum traditionem novimus res Eccleſiæ vota „ fidelium eſſe, pretia peccatorum: cuique non ſolum „ habita conſervare, verum etiam (Deo opitulante) „ conferre optamus. Ut autem ab Eccleſiaſticis Officiis „ dividendis rebus Eccleſiæ ſuſpicionem dudum conceptam penitus amoveamus, ſtatuimus, ut neque noſtris, neque filiorum & Deo diſpenſante ſucceſſorum noſtrorum temporibus illam penitus diviſionem „ aut jacturam patiantur.

Si conſulatur ipſum citatum caput 77. Capitularium reperietur Gratianum addidiſſe hanc voculam, *officiis*, poſt vocem *Eccleſiaſticis*, quod ſenſum alienum reddere, etiam notant Correctores Romani. Inſuper pro *dividendis* in Capitularibus legitur negative, *non dividendis*.

Correctores Romani, ſuppleverunt quædam, nulla ſuppletionis facta mentione. Adhæc, poſt illa verba, *ſucceſſorum noſtrorum temporibus*, in Capitulari ſequitur: *Qui noſtram vel Primogenitorum noſtrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint*, quæ Gatianus omiſit. Suppleverunt quidem Correctores Romani; ſed nulla correctionis facta mentione: ut hinc pateſcat, poſt Correctionem Romanam non eſſe idem Decretum, quod a Gratiano eſt compilatum.

Rurſus *cauſ.* 17. *quæſt.* 4. *Can.* 20. ita habet: „ Omnes „ Presbyteri interfectores compoſitione Epiſcopi, ad „ cujus parochiam pertinent, ſolvantur: ita videlicet, „ ut medietatem Wiregeldi ejus Epiſcopus utilitatibus „ Eccleſiæ, cui præfuit, tribuat, & aleram medietatem in eleemoſynam illius juſte diſpertiat: quia „ nullus nobis ejus hæres proximior videtur, quam „ ille, qui ipſum Domino ſociavit.

Hoc quidem Decretum citat Gratianus ſequutus Burchardum ex Concilio Triburienſi; ſed eſſe *ex cap.* 15. *L.* 4. *Capitularium* conſtat, ubi etiam nonnulla adduntur, & aliqua aliter leguntur.

Ubi Gratianus legit, *Presbyteri interfectores*, in Capitularibus legitur, *Presbyteri interfecti*. Vox *compoſitione* a Gratiano ex Burchardo addita eſt.

In Capitularibus poſt verbum, *ſolvantur*, ſequitur: *ſecundum Capitulare glorioſi Caroli genitoris noſtri*, quæ Gratianus omiſit; quia non ex fonte, nimirum Capitularibus; ſed Burchardo ſumpſit.

Obiter hic notandum *Wiregeldum* eſſe *pœnam pecuniariam*, uti ad *capit.* 1. *de Pœnis* in prima collectione Decretalium notat Antonius Auguſtinus.

Senſus itaque Canonis eſt pœnam pecuniariam Presbyteri interfecti, eſſe ſolvendam Epiſcopo Presbyteri interfecti, qui eam partim in eleemoſynam diſtribuat.

Capitulare ſubinde diviſit, & ordinem turbavit. Adhæc, nonnunquam unum Capitulare in plures Canones diviſit, ac ordinem partium turbavit.

Sic caput 366. lib. 6. Capitularium dividit in tres partes; atque ex iis conficit Canonem 35. 36. & 37. 11. *quæſt.* 1. & ita quidem, ut quæ vicem præfationis conficiunt in Capitulari, Canone 37. id eſt, ultimo loco, referat: quod *inepte factum* merito exiſtimat Antonius Auguſtinus *lib.* 2. *dial.* 11. *de Emend. Gratiani*.

Deinde hæc Sectio obſcurum reddit ſenſum, qui clarior reddetur, ſi textus integer in fonte legatur.

Interdum erravit circa auctorem Capitularium. Præterea errorem commiſit Gratianus, Conſtitutionem, cujus hic ſit mentio, tribuendo *Theodoſio Imperatori*; cum certum ſit eam *Theodoſio* tribui non poſſe; inſcripta quippe eſt Ablavio PP. quem non ſub Theodoſio, ſed ſub Conſtantino M. fuiſſe conſtat.

In hunc errorem incidiſſe videtur Gratianus, eo quod in Capitularibus citetur hæc Conſtitutio *ex ſexto decimo Theodoſii Imperatoris libro*, uti & notat Antonius Auguſtinus loco citato; credidit veriſimiliter Gratianus, omnia in Codice Theodoſiano contenta ipſi Theodoſio Imperatori tribuenda eſſe, quod falſum eſſe nemo neſcit: convenitque inter omnes, nemini Conſtitutionem, quæ hic innovatur, tribui poſſe, quam Conſtantino Magno; ſed, ut hic per tranſennam moneam etiam Conſtantino ſuppoſitam eſſe, nonnulli Eruditi cum Jacobo Gothofredo ad *lib.* 1. *Cod. Theod. de Epiſcop. judicio*, contendunt.

Qui error a Gratiano tranſivit in Decretales. Error Gratiani irrepſit quoque in *cap.* 13. *tit. de Judiciis*;

ciis; idque ex more illius temporis, quo non ad fontes, sed ad Decretum Gratiani pene unice recursus habebatur.

Ex Capitularibus desumpta aliis attribuit.

Illud denique notandum, multa referri ex Capitularibus in Decreto Gratiani, quæ tamen aliam inscriptionem habent, idque exinde profluxit, quod Gratianus ordinarie non ad fontes recurrerit, sed fidem aliorum Collectorum sequutus fuerit ac præcipue Buchardi Episcopi Wormatiensis, qui quasi ex professo citationem Capitularium evitavit, uti *Dissert. V.* §. 2. ostendemus, ubi quæ illius fuerit ratio, dicemus.

Huic Gratiani defectui in multis occurrerunt Correctores Romani in nota marginali, capita Capitularium, unde Canones Gratiani desumpti sunt, indicando.

Nonnulla etiam apocrypha in Capitularibus occurrunt.

Priusquam concludam, illud monendum censui; quod tametsi Capitularia multa præclara Ecclesiasticæ disciplinæ monumenta suppeditent; multumque tum ad illustrandam Ecclesiasticam disciplinam, tum assequendum sensum Decreti Gratiani conducant, tamen etiam in illis non pauca in adstructionem & confirmationem disciplinæ allegari tamquam primitivæ Ecclesiæ monumenta, quæ revera falsa sunt & apocrypha. Et quidem primorum illorum Pontificum Decretales, quas apocryphas esse hodie nemo eruditus negat, frequenter occurrunt: alia quædam non magis certa allegantur; ac ipsa Patrum loca interdum mutila referuntur.

Quapropter ipsa Capitularium fides quidem evincit, quid sæculo illo obtinuerit, aut creditum fuerit; sed si quis ex actis in Capitularibus recitatis seu allegatis, primitivam Ecclesiæ disciplinam eruere vellet, necesse esset, ut veritatem, ac sinceritatem illorum monumentorum sedulo prius expendisset; cum certissimum sit, eo tempore, quo Capitularia edita sunt, multa falsa pro veris obtrusa fuisse; ut circa Epistolas Decretales, aliaque apocrypha in Collectione Isidoriana contenta ostendimus.

DISSERTATIO QUARTA.

De Collectione Reginonis Abbatis.

§. I.

Quis Ordo Collectionis, & unde desumpta?

Quis Regino?

REGINONIS sæpius meminit cum laude Joannes Trithemius. Et quidem in Chronico Hirsaugiensi, ad annum 892. ait: " Farabertus Abbas Prumiensis, annuente Rege Francorum, Abbatiam suam sponte resinavit. Cui Regino Monachus ejusdem Cœnobii successit, vir vita & eruditione celeberrimus, qui inter cætera ingenii sui opuscula, transacti temporis Chronicon scripsit ad Adelberonem Treverensem Archiepiscopum, incipiens ab origine mundi usque ad tempora sua, opus profecto celeberrimum, & lectione doctorum Virorum dignissimum.

Rursus in Catalogo illustrium virorum: " Regino Abbas Monasterii Prumiensis Ordinis Divi Patris Benedicti in Diœcesi Treverorum, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularibus litteris egregie doctus, ingenio subtilis, eloquio clarus, vita & conversatione devotus, facile inter doctores sui temporis obtinuit principatum.

Testimonia de hoc opere.

Deinde injecta rursus mentione chronici a Regione compilati subjungit: " Jubente Rathbodo Archiepiscopo Treverorum comportavit ex Decretis, & sententiis, Patrum, & Conciliorum generalium *Opus Canonum* insigne, quod prænotavit de Ecclesiastica disciplina, & Religione Christiana " : illudque est, quod merito collectionem Canonum vocari credimus.

Occasio operis.

Opus illud composuit sub initium sæculi X. cum æmulorum insidiis & calumniis, auctoritate Principis Abbatiali dignitate cedere coactus, simplicem Monachum agebat; idque instigante Rathbodo Treverorum Episcopo, in cujus Diœcesi situm erat Monasterium Prumiense.

Titulum operi hunc præfixit: " Incipit libellus de Ecclesiasticis disciplinis, & Religione Christiana, collectus ex jussu D. Metropolitani Rathbodi Trevericæ urbis Episcopi a Reginone quondam Abbate Prumiensis Monasterii ex diversis Sanctorum Patrum Conciliis, & Decretis Rom. Pontificum feliciter in Dei nomine. Amen.

Ejusdem divisio in duos libros.

Usus est autem Regino non vulgari artificio in cudendo hoc suo opusculo.

Divisit illud in duos libros: in quorum primo tractat de rebus & personis Ecclesiasticis; in secundo de vita & conversatione Laicorum; ut ipsemet docet in præfatione libri secundi: In superiori libello (ait) quid Episcopo, vel ejus Ministris cum Ecclesiasticis viris sit agendum, & in sua Synodo requirendum ex parte notavimus. Nunc quid cum Sæcularibus & Laicis sit agendum vel agere oporteat, prout Dominus dederit, percurramus.

Quorum prior formulam inquisitionis circa Clericos; posterior circa Laicos exhibet.

In fronte libri primi *Inquisitio*, sive formula *Inquisitionis*, secundum quam Episcopi interrogare debebant de vita & conversatione Clericorum. In initio autem secundi, *Inquisitio* ab Episcopo facienda circa Laicos.

Harum formularum origo & usus.

Pro quo notandum, jam pridem in more positum fuisse, ut Presbyteri, qui plebes regebant, semel in anno, Episcopo, ejusve Ministris in Synodo reddere deberent rationem suæ villicationis, tam de fide Catholica, quam de administratione Sacramentorum, aliisque, quæ statum interiorem & exteriorem Parochiæ suæ concernabant.

Porro ut Presbyteri juxta Sacros Canones officii sui rite admonerentur, & de omnibus debita fieret *Inquisitio*; mediis sæculis, cum esset magna in Presbyteris & Clero Canonum ignorantia, necesse fuit componi brevissimum Canonum seu Regularem Breviarium, quo continebantur ea, de quibus Presbyteri præcipue essent admonendi, aut super quibus esset inquirendum.

Hunc in finem edita videtur *admonitio* illa, quæ sub nomine Leonis IV. extat apud Labbæum *tom. 8. Concil. pag.* 33. in qua continentur vivendi & docendi Ecclesiasticæ Regulæ.

Non solum autem hæc admonitio coram Presbyteris in Synodo legebatur; sed insuper Episcopus, ejusve Ministri munus visitationis obeuntes, secundum titulos illa admonitione comprehensos inquirebant de vita & conversatione tam Clericorum, quam Laicorum: atque eo titulo formula illa nunc *Admonitio*, nunc *Inquisitio* dicta fuit.

Hæc autem formula *Admonitionis* sive *Inquisitionis* communis erat omnibus Provinciis: ut vel inde colligitur, quod a Burchardo Wormatiensi in fronte sui Decreti descripta sit tamquam formula eorum, quæ ab unoquoque Episcopo intimanda erant Presbyteris in Synodo residentibus.

Confirmat & hanc sententiam hodiernus Ecclesiæ usus, secundum quem ea *Admonitio*, quamvis nonnihil immutata, ab Episcopo mitrato legenda est in Synodo Diœcesana: ut habetur in Pontificali Romano, titulo *de ordine ad Synodum*.

Itaque ut ad Reginonem redeamus, ipse in fronte sui primi libri posuit formulam seu articulos *Inquisitionis*, secundum quos Episcopus inquirere & interrogare deberet de vita & conversatione Clericorum: sub initium vero secundi, *Inquisitionem* ab Episcopo faciendam circa Laicos.

Ad quarum inquisitionum confirmationem adducuntur Canones, & dicta Patrum.

His generalibus *Inquisitionibus* subjicit auctoritatem Canonicam, id est, Canonum ac Decretorum, aliarumque sanctarum institutionum auctoritatem, quibus fulciri & approbari queant capita, quæ in utraque *Inquisitione* continentur.

Hunc suum scopum ipse aperit, post *Inquisitionem* libri primi subjiciens: *Capitula hæc, quæ per ordinem adnotavimus, Canonicis oportet roborari Decretis*. Et post *Inquisitionem* de vita Laicorum rursus ait. *Capitula hæc, quæ per ordinem adnotavimus, Canonicis oportet roborari Decretis*.

Ad probationem itaque istorum Capitulorum affert Canones Conciliorum, Decreta Pontificum Romanorum, dicta SS. Patrum, Basilii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii, & Cassiani, Ferrandi, Benedicti, Fructuosi, Aureliani, Theodori, Bedæ, Rabani.

Item leges Imperatorum.

Adducit præterea leges ex Codice Theodosiano, seu potius Aniani interpretis. Plerumque etiam utitur auctoritate Capitularium Regum Francorum Caroli Magni, Ludovici Pii, & Caroli Calvi, tum etiam legum Burgundiorum & Ripuariorum (*a*).

Raro autem pseudo-Decretales.

Epistolas Romanorum Pontificum, quas vere illorum esse constat, citat frequenter: at veterum Pontificum pseudo-Epistolas ab Isidoro confictas, raro. Ut vel inde appareat, Reginonem non magni eis fecisse.

De hujus operis editione.

Hoc Reginionis opusculum, quod merito inter collectiones Canonum reponitur, ut ex dictis fat intelligitur, primus typis evulgavit Joachimus Hildebrandus, Helmæstadii anno 1659. ex vetustissimo MS. Codice; eumque nactus Stephanus Baluzius editionem Helmæstadiensem contulit cum altero veteri MS. quo se usum fuisse scribit Morinus in appendice libri *de Pœnitentia*. Hac collatione facta: ac Reginone innumeris propemodum in locis (ut ipse loquitur in præfatione) emendato, restituto, ac perfecto, novam elegantemque editionem dedit: adjectis ad duos libros Reginonis binis appen-

(a) Regino generali Canonum nomine citat & complectitur quæcumque laudat e Pontificibus, Patribus, auctoribus Ecclesiasticis, legibusque sæcularibus; hanc methodum secuti sunt, quicumque Collectiones juris Ecclesiastici deinde confecerunt.

appendicibus; prima ex Codice MS. Parisiensi, altera ex editione Helmæstadiensi, una tamen mones, illas nullatenus videri esse Reginonis, sed a quodam studioso adjectas fuisse; quare & illas appendices ab opere Reginonis divisit, & suos unicuique numeros attribuit.

Doctissimis insuper notis illustravit, atque appendicem veterum actorum ex antiquis manuscriptis adjecit.

§. II.

Hujus Collectionis utilitas.

Servit pro compendio disciplinæ Ecclesiasticæ.

IN primis hæc Reginonis lucubratio Canonum studiosis loco compendii esse potest, in quo compendiose pleraque disciplinæ Ecclesiasticæ puncta variis Canonibus, & testimoniis asserta & probata videant.

Item pro notitia antiquatæ disciplinæ.

Ulterius exhibetur hic vetus formula, secundum quam Episcopi de vita & conversatione Clericorum, eorumque ministeriis, nec non de vita Laicorum inquirebant.

Ac rursus hic in multis pristinam disciplinam relucentem erit invenire.

Exemplum de instituta Extremæ Unctionis ante Viaticum.

Sic prima parte *Inquisitionis* articulo 18. hanc reperies interrogationem: *Si visitet infirmos, si eos reconciliet, si eos ungat Oleo sancto juxta Apostolum, si eos propria manu communicet, & non per quemlibet Laicum. Si tradat communionem Laico, aut fœmina ad deferendum infirmo, quod nefas est.*

Hæc interrogatio sat aperte exhibet veterem disciplinam ungendi infirmos ante receptionem Viatici; unde in confirmationem hujus articuli subjicit hoc testimonium *cap.* 119. *Postquam infirmus sacra Unctione fuerit delibutus, statim Corpore & Sanguine Domini recreandus est; ut de cujus vita corporali desperatur, vivificari in anima aut vita mereatur æterna.*

Hinc ulterius intelliges, quod *Admonitio* in Pontificali Romano eumdem articulum exhibens, sed Unctionem post Viaticum referens, ævo recentiori condita, & ad disciplinam sui temporis fuerit accommodata.

Alterum de injungendis pœnitentiis juxta pœnitentiale.

Item art. 57. inquiritur: *Si feria quarta ante quadragesimam plebem sibi commissam ad confessionem invitet; & ei juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungat, non ex corde suo, sed sicut in Pœnitentiali scriptum est.*

Idem edicitur in *Admonitione* hodierna; at rursus novitiam manum videre est. Hæc enim simpliciter monet: *ut Presbyteri ante quadragesimam feria quarta populum ad confessionem invitent, & confessis juxta qualitatem criminum Pœnitentiam injungat omissis his verbis, non ex corde suo, sed sicut in Pœnitentiali scriptum est*: quibus innuitur veteris disciplinæ institutum, quo Presbyteri Pœnitentiam pro qualitate & gravitate peccatorum imponere debebant, *non ex corde*, id est, ex animi sui motu, sive prout sibi visum fuisset, sed prout in *Pœnitentiali* scriptum est, in quo singulorum peccatorum remedia, pœnitentiæque convenientes continebantur & præscribebantur. Unde articulo 95. istius *Inquisitionis* interrogatur Presbyter: " si habeat pœnitentiale Romanum, vel a Theodoro Episcopo, aut a venerabili Presbytero Beda editum; ut secundum quod ibi scriptum est, interroget confitentem, aut confesso modum pœnitentiæ imponat.

Tertium de obligatione tertio per annum communicandi.

Admonitio moderna in Pontificali Romano vult, ut Presbyteri tribus temporibus in anno, Nativitate Domini, Pascha, & Pentecoste, omnes fideles accedere ad communionem Corporis D. N. J. C. admoneant; addita hac clausula: *Et ne omittant, quin saltem in Pascha communicent*; quæ clausula in articulo 58. *Inquisitionis* Reginonis omittunt: indicium non obscurum, eam additam esse, postquam obligatio communicandi ad solam solemnitatem Paschalem restringi cœpit.

Quartum de præcepto abstinendi certo tempore ab actu conjugali.

Admonitio hodierna habet: certis temporibus conjugatos abstinere ab uxoribus *exhortamini*. *Inquisitio* vero Reginonis articulo 59. ita interrogare jubet: " Si illud etiam admoneat, quibus temporibus conjugati se abstinere *debent* a propriis uxoribus.

Hos binos articulos si quis expendat, facile videbit, priorem labentis, immo collapsæ disciplinæ præferre ætatem; cum Ecclesia infirmitate filiorum coacta, multa intra limites consilii permittere debuit, quæ melior ætas vinculo legis concluserat.

Quintum de obligatione Laicorum accedendi ad Matutinas & Vesperas.

Nec tantum ea pars *Inquisitionis*, & Reginonianæ lucubrationis, quæ circa Clericos versatur; plurima, eaque utilissima disciplinæ capita Lectori offert, sed & altera, quæ Laicos spectat, non pauca quoque exhibet.

Exempli gratia articulo 57. occurrit hæc interrogatio: " Est aliquis, qui in die Dominico, vel in præcipuis festivitatibus quicquam operis faciat; & si ad Matutinas, & ad Missam, & ad Vesperas his diebus imprætermisse omnes occurrant?

Hæc interrogatio insinuat disciplinam, quæ multis etiam sæculis in Ecclesia viguit, quæ Laicos jubebat diebus Dominicis, & præcipuis festivitatibus, non tantum interesse Missæ sacrificio, sed & reliquo officio Ecclesiastico, Matutinis scilicet & Vesperis: quo titulo officium hoc & *publicum* primitus dictum fuit, quia in gratiam populi publice a Clero persolvitur; uti latius ostendi in Dissertatione *de Horis Canonicis* (*a*).

Articulus 68. censet: " inquirendum de mendicis, qui per parochias discurrunt, & si unusquisque pauperem de familia sua pascat.

Sextum de alendis pauperibus in propriis civitatibus.

In hujus autem articuli confirmatione *cap.* 417. adducit Regino hoc Concilii Turonensis decretum: *Unaquæque civitas pauperes & egenos alimentis congruentibus pascat secundum vires, & tam vicini Presbyteri quam cives unusquisque suum pauperem nutriat: quo fiat, ut ipsi pauperes per alias civitates non vagentur.*

Septimum de Decanis per singulas parochias constituendis.

Articulo 69. hanc exhibet interrogationem; *Si in unaquaque parochia Decani sunt per villas constituti, viri veraces & Deum timentes, qui cæteros admoneant, ut ad Ecclesiam pergant ad Matutinas, Missam, & Vesperas, & nihil operis in diebus festis faciant; & si horum quispiam transgressus fuerit, statim Presbytero adnuntient. Similiter & de luxuria, & de omni opere pravo.*

Hæc, aliaque plura in hoc libello occurrentia; & auctoritate sacrorum Canonum, aliisque Ecclesiasticis monumentis firmata & probata, sufficienter evincunt hujus collectionis utilitatem.

Non tamen hinc concluditur, quod relata per Reginonem eo tempore in usu fuerint.

Illud tamen notandum, quod tametsi in hac formula Inquisitionis, quam Regino sub finem sæculi IX. aut initium sæculi X. exhibuit, & Canonibus, ac Patrum sententiis firmavit, aliqua occurrant, nullatenus hinc concludi possit, hæc tempore Reginonis adhuc in usu fuisse. Scitur enim quod hujusmodi formulæ non statim mutentur, mox ut aliqua in iis contenta in desuetudinem abierunt: vel tollantur, quæ abusibus quibusdam, opposita fuerant, licet abusus illi desierint.

Quapropter male concluserunt nonnulli, abusum tradendi communionem seu sacram Eucharistiam Laicis ac fœminis ad deferendam infirmis, perseverasse in Ecclesia usque ad X. sæculum; quia in *Inquisitione art.* 18. apud Reginonem jubetur a Presbytero inquiri: *Si eos* (*infirmos*) *propria manu communicet, & non per quemlibet Laicum. Si tradat communionem Laico aut fœmine ad deferendum infirmo, quod nefas est.*

Si enim hæc argumentatio valeret, pari ratione concludi posset, etiamnum hodie abusum, illum deferendi S. Eucharistiam ad infirmos per Laicos aut fœminas perseverare in Ecclesia: cum in admonitione Synodali, quæ in hodierno Pontificali Romano extat, & ab Episcopis Presbyteros congregatos in Synodo dicenda est, hæc legantur: *Nullus præsumat tradere communionem Laico aut fœminæ, ad deferendum infirmo.*

Regino nobis antiquos Canones reservavit.

Collectionis hujus utilitatem commendat quoque, quod in hac collectione Regino nonnullos nobis reservaverit Canones, qui hactenus vel latent, vel deperditi sunt: uti sunt Canones Concilii Triburiensis, quos sæpius laudat Regino; qui tamen in vulgatis Editionibus desiderantur: quos interim germanos esse multa persuadent: uti in Præfatione *nu.* 10. probat Baluzius. Similiter cujusdam Concilii Rothomagensis Canones frequenter adducit, qui tamen in Conciliorum collectionibus non inveniuntur: quos tamen propterea apocryphos esse nequaquam consequens est: quandoquidem compertum sit, multa antiquitatis monumenta periisse (*b*), vel adhuc sub pulveribus Bibliothecarum delitescere, quorum antiqui notitiam habuere. Ni ergo alia sint suppositionis argumenta sive indicia, nequaquam ut apocryphum est rejiciendum, quod sub alicujus Concilii nomine refertur, tametsi hodie vel acta Concilii illius nulla reperiantur, vel id quod refertur, in actis vulgatis illius Concilii non reperiatur.

Immo si aliunde constet de bona fide, & eruditione referentis, vel hac sola relatione non parum adstruitur veritas relati; præsertim si nihil appareat, quod ipsum bona fide agentem in errorem ducere potuisset.

Et fontes eorum, quæ apud Collectores Canonum reperiuntur.

Denique subservit Reginoniana collectio, ut reperiantur fontes aliquorum, quæ apud posteriores Collectores reperiuntur. Plura enim Burchardus de quo *Dissert.* sequenti, ex Reginone in suum Opus derivavit: Burchardo autem Gratianus, & Decretalium Collectores frequenter usi fuere: ejusque fidem secuti sunt (*c*).

(a) Van-Espen erudite admodum ac docte *Dissertationem Canonico-Historicam de Horis Canonicis, & singulis earum partibus* instituit, quæ *Tom. V.* hujus editionis exhibetur, quamque consulere non pigebit.

(b) Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis.

(c) Ignoratur utrum Gratianus Reginonis collectionem agnoverit: id notum est Canones a Reginone laudatos: in quorum margine *Gratianum* laudat Baluzius, diverso modo apud *Gratianum*, quam apud *Reginonem* concipi.

DIS-

DISSERTATIO QUINTA.

De Decreto Burchardi Epiſcopi Wormatienſis.

§. I.

De ordine & materia hujus collectionis.

Qualis fuerit Burchardus?

,, BURCHARDUS fuit Wormatienſis Epiſcopus (ait ,, Sigebertus in Chronico ad annum 1008.) qui in ,, Scripturis ſtudioſus, magnum illud Canonum volu- ,, men edidit, Scripturarum ſententiis undique compi- ,, latis defloratum, colloborante ſibi in hoc Magiſtro ,, ſuo Olberto Abbate, viro undecumque doctiſſimo. Et Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſic ibit, ,, Burchardus ex Monacho Lobienſis Monaſterii Ordi- ,, nis S. Benedicti Epiſcopus Wormatienſis in Germa- ,, nia, Alberti Gemblacenſis Abbatis apud Lobias ,, quondam auditor atque diſcipulus. Hujus in Cano- ,, ne fit mentio 73. Diſt. cap. 1. *In nomine Domini*. ,, Vir in divinis Scripturis ſtudioſiſſimus & valde eru- ,, ditus ſcripſit ex ſententiis SS. Patrum, & genera- ,, lium Conciliorum, atque Summorum Pontificum, ,, magnum & inſigne opus poſt Iſidorum videlicet De- ,, cretorum, quod diviſit in Libro XX.

A quo, & quo motivo inductus ad exarandum Decretum?

Hoc volumen, quod hodie per abuſum, ad exemplum forſitan *Decreti* Gratiani, vocatur *Decretum* Burchardi, aggreſſus fuit Burchardus hortante & urgente Brunichone Wormatienſis Eccleſiæ Præpoſito, ut ipſe Burchardus refert in Epiſtola Operis præfixa, & Præpoſito inſcripta. Rationem deinde adjungit, cur tam inſtanter id poſtularet Præpoſitus. " Et id quidem vel ea ,, ratione maxime flagitare videbaris; quod Canonem ,, jura, atque pœnitentium formæ, in noſtra quidem ,, Diœceſi adeo confuſa ſint, atque inter ſe diſcrepantia, ,, ut aut ex toto neglecta, aut omni pene auctoritate ,, deſtituta, vel modice in Eccleſiaſtica diſciplina in- ,, ſtitutis apparere poſſint. Qua de cauſa ſæpe accidit, ,, ut ad pœnitentiæ remedium confugientibus, cum ob ,, Canonum deſcriptionem confuſam, tum ob Presby- ,, terorum noſtrorum ignorantiam], non facile ſubve- ,, niatur. Quod an ideo potiſſimum fieret, non im- ,, prudenter ex me rogaſti ... Et quia hæc res ita ha- ,, bet, eo me dilectio tua rogavit, ut opellam hanc ,, congeſtam junioribus noſtris legendam proponerem, ,, quo ipſi nimirum in idonea ætate ea diſcant, quæ vel ,, ſerior æqualium noſtrorum ætas modo aſſequi non ,, poſſit, vel Anteceſſorum negligentia non attigit. ,, Utpote docentiſſimum fore exiſtimans, ut quis cum ,, omni probitate ſe diſcipulum prius exhibeat, quam ,, Doctoris auctoritate apud vulgum temere præſumat; ,, & in Scholis diſcat, quod ſuæ fidei commiſſos do- ,, ceat.

Ex quibus collectum?

Deinde concludit, quod non obſtante mole negotiorum, qua quotidie premitur: " Sanctis petitionibus Præ- ,, poſiti obſecutus Synodalia præcepta, ſanctaque inſtitu- ,, tam ex SS. Patrum ſententiis, quam ex Canonicis ,, Scriptis, adjutore Deo, in unum faſcem ex ampliſ- ,, ſimo orbe collegit. Eaque ut potui (pergit) uno ,, veluti corpore connexa, viginti libris diſtinxi; ita ,, ut quiſquis eos diligenter legerit, fructum non vul- ,, garem ſentiet ſe brevi conſequi poſſe. Perutilem ,, quidem in docenda plebe, firmum autem propter ,, Scripturarum auctoritate, honeſtum tamquam ſtudio ,, & diligentia acquiſitum: neque enim Sacerdotis no- ,, men meretur, qui, quam ſollicite Evangelicam mi- ,, nam expendi oportet, ignorat, ut cæcus cæco dux ,, eſſe non poteſt.

Diviſit in 20. libros, quorum ſumma refertur.

Opus ſuum in XX. libros diviſit, ut dictum eſt, atque unicuique ſuam particularem materiam attribuit.

Singulorum librorum indicem & ſummam in fronte ſui Operis permittit.

,, Primus liber continet de Poteſtate & Primatu ,, Apoſtolicæ Sedis, Patriarcharum, cæterorumque Pri- ,, matu, Metropolitanorum, & de Synodo celebran- ,, da, & Vocatione ad Synodum, de Accuſatis, & Ac- ,, cuſatoribus, & teſtibus, de Expoliatis injuſte, de ,, Judicibus, ac de omni honore competenti ac digni- ,, tate, & diverſo negotio, & miniſterio Epiſcoporum.

,, Secundus liber continet de congruente Dignitate, ,, & diverſa Inſtitutione, ac Nutrimento, vel Quali- ,, tate vitæ, & diverſo negotio, & miniſterio Preſ- ,, byterorum & Diaconorum, ſeu reliquorum Ordi- ,, num Eccleſiaſticorum.

,, Liber tertius continet de Divinarum Domorum ,, Inſtitutione, & Cultu, & Honore. De Decimis & ,, Oblationibus, & Juſtitiis ſingulorum, & qui Libri ,, in ſacro Catalogo recipiantur, qui vero apocryphi, ,, & quando apponendi ſint.

,, Quartus liber continet Sacramentum Baptiſmatis, ,, & Miniſterium baptizandorum, & baptizatorum, ,, & conſignandorum, & conſignatorum.

,, Quintus liber continet de Sacramento Corporis & ,, Sanguinis Domini, & de perceptione, & obſervatio- ,, ne eorum.

Sextus & ſequentes uſque ad decimum ſeptimum incluſive tractant de variis generibus peccatorum, & pœnitentia ſingulorum.

,, Octavus decimus liber continet de viſitatione & pœnitentia, & reconciliatione infirmorum.

,, Nonus decimus liber qui *corrector* vocatur, conti- ,, net correctiones coporum, & animarum medicinas, ,, & docet unumquemque Sacerdotem, etiam ſimpli- ,, cem, quomodo & qualiter unicuique ſuccurrere va- ,, leat, ordinato vel ſine, pauperi, diviti, puero, ju- ,, veni, ſeni, decrepito, ſano, infirmo, in omni æta- ,, te, in utroque ſexu.

,, Vigeſimus liber *ſpeculationum* vocatur, ſpeculatur ,, enim de providentia, & de prædeſtinatione divina, ,, & de adventu Anti-Chriſti, de ejus operibus, de ,, reſurrectione, de die judicii, de infernalibus pœnis, ,, de felicitate perpetuæ vitæ.

Magna fuit Burchardi in colligendis ſententiis diligentia.

Hæc eſt ſumma librorum 20. qui vulgo Decretum Burchardi dicuntur: de quo Antonius Auguſt. in Opuſculo de Collectoribus Canonum *c.* 27. ita loquitur: ,, Lau- ,, danda eſt Burchardi maxima diligentia in colligendis ,, variis ſententiis ex Conciliis, & Decretis Pontificum ,, Romanorum, & aliis ſcriptis SS. Virorum; item ex ,, Imperatorum & Regum Sanctionibus, aliiſque libris. ,, Laudo etiam ejus prudentiam in diſcernendis, & ſe- ,, parandis rebus, de quibus agitur; quamvis alius for- ,, taſſis ordo aptior inveniri potuiſſet, tamen hic ipſe ,, ab eo excogitatus, non eſt inutilis.

Sed monumentorum exiguum habuit delectum.

Hoc unum dolendum, Buchardum pro ſæculi ſui obſcuritate & incuria, nullum pene habuiſſe ſcriptorum delectum; ſed omnia, quæ ſuo ſcopo videbat congruere, in unum congeſſiſſe, opuſque ſuum multis apocryphis, & falſis inſcriptionibus impleviſſe; de quo §. ſequenti, originem erratorum una indicaturi.

§. II.

Errata Burchardi, & eorum origo.

Ætate Burchardi quidquid apud Canonum Collectores occurrebat, authenticum reputabatur.

EA erat ſæculi, quo florebat Burchadus, miſeria, ut authenticum fere crederetur, quidquid in Canonum aut aliorum monumentorum collectionibus inveniebatur.

Hinc in more poſitum erat, non ad ipſos fontes recurrere, ſed ſolas Canonum Collectiones revolvere, & quidquid in iis pro materia, quam tractare volebant, opportunum videbant, tamquam authenticum arripiebant: uti recte notavit Antonius Auguſtinus.

Laudata enim Burchardi prudentia in diſcernendis & ſeparandis rebus, de quibus agitur, ſubjungit: *In librorum delectu, & in inſcriptione ſingulorum capitum minus certa notari poteſt. Eſt enim Burchardus, ut cæteri qui poſtea ſcripſerunt, reprehendendus, quod non ex fontibus ipſis hauſit ſingula, ſed ex rivulis & ſtagnis aliorum.*

Unde ſpurias Iſidori merces pro ſinceris accepit.

Cum vero ætate Buchardi famoſa eſſet ea collectio, quæ Iſidori Mercatoris vulgo dicitur, ea, ſine ulla diſcretione apocrypha inter & ſincera, uſus Burchardus, opus ſuum replevit fragmentis pſeudo-Decretalium veterum Pontificum, aliiſque ſuppoſititiis monumentis, quæ in illa collectione continebantur.

Errata Reginonis in ſuum Decretum derivavit; & plura de ſuo addidit.

Inſuper uſus fuit Burchardus libris collectione Reginonis, adeo, ut, notante Baluzio, capita 670. aut circiter ex collectione Reginonis in ſuam tranſtuliſſe videatur; idque ſimpliciter fidem, & citationem Reginonis ſequendo.

Hinc rurſus omnia errata Reginonis in ſuam collectionem tranſtulit: quin & ex malo intellectu Reginonis plurimos proprios errores addidit.

Exempli gratia Regino volens certum articulum *Inquiſitionis* auctoritate aliquorum Canonum confirmare, citato uno Canone, ſequenti titulo frequenter ſcribit, *Unde ſupra*; quo indicare volebat, hic de eodem articulo *Inquiſitionis* tractari, de quo titulo præcedenti.

Burchardus vero credidit, Reginonem per hæc, *Unde ſupra*, voluiſſe notare fontem, e quo Caput illud eſſet deſumptum; adeoque Caput illud illud eſſe ex eodem Concilio aut Patre decerptum, e quo præcedens.

Hac perſuaſione factum, ut multa Capita ſuæ collectionis falſo inſcripſerit.

Rem uno alterove exemplo declarabo. Regino *lib.* 2. *cap.* 363. citat Canonem ex Concilio *Anquirenſi*, ſive Ancyrano, & Capite ſequenti alium cum hac ſimplici inſcriptione, *Unde ſupra*: Burchardus autem eumdem referens *lib.* 10. *cap.* 1. ex jam dicta perſuaſione tribuit illum Concilio *Anquirenſi*.

Ex eodem errore factum, ut Caput 407. & 408. *libri* 2. Reginonis tribuat Burchardus *lib.* 11. *cap.* 2. & 3. Concilio Rothomagenſi; eo quod apud Reginonem ſequan-

fequantur immediate Caput 406. citatum ex dicto Concilio cum nota, *Unde fupra*.

Simili ex errore, ut credit Stephanus Baluzius, plures Canones Conciliis Toletanis a Burchardo, & aliis Canonum Collectoribus Burchardum fecutis tribuuntur, qui nulli Concilio Toletano tribui poffunt, quos ad eafcem Concilii Toletani I. cum hac epigraphe exhibet Garzias Loaifa. „ Fragmenta fub titulo Con„ ciliorum Toletanorum, vel corrupte, vel falfo cita„ ta, cum in his Conciliis non inveniantur ". Habentur apud Labbæum *tomo* 2. *Concil. pag.* 1232.

Unde factum, ut cum hac apocryphorum immixtione jam pridem opus hoc fuerit laudatum?

Quod autem non retragante hac apocryphorum, & falfarum infcriptionum copia de Burchardo dixerit Sigebertus de Scriptoribus Ecclef. cap. 141. ipfum magnum Canonum volumen multo labore compofuiffe, quod teftimoniis omnium *authenticorum* Conciliorum, & Decretis Romanorum Pontificum, & fententiis omnium pene Catholicorum Patrum auctorizavit: ex quo adhuc omnium Conciliorum Decreta *auctorizantur*; id fane infelicitati iftius ætatis adfcribendum; quæ, ut dictum eft, paffim pro *authentico* recipiebant, quidquid in Opere alicujus viri, pro conditione temporis doctrina & eruditione celebris, referebatur.

Fidem Burchardi fequuti pofteriores Canonum collectores.

Hinc factum, ut quemadmodum Burchardus neglectis fontibus rivulos & ftagna confuluit, ita qui poft Burchardum Canones colligere inftituerunt, Burchardi fidem fecuti, plurima ab ipfo collecta in fuas collectiones derivaverint; quod de Gratiano, & de Collectoribus Decretalium §. fequenti, nonnullis adductis exemplis; oftendemus; ut vel hinc appareat, opus Burchardi etiam ad hoc utile effe, ut fontes, e quibus Gratianus, & illi Collectores fua hauferunt, nofcantur.

§. III.

Gratianus Burchardi errata fecutus.

Errata Burcardi fequutus Gratianus.

GRATIANUM noftrum in multis Buchardi fidem fecutum in referendis Canonibus, & Patrum fententiis, eoque ex capite in multiplices errores incidiffe a multis jam pridem annotatum; pauca e pluribus hic annotaffe fufficet (*a*).

Exemplum circa formam *Epiftolæ formatæ*.

Regino *lib.* 1. *cap.* 139. refert exemplar *Epiftolæ formatæ* cum hac epigraphe: *Reverendiffimo ac Santiffimo Rathbodo Sanctæ Treverenfis Ecclefiæ Archiepifcopo Dado Wirdunenfis Ecclefiæ devotus gregis Chrifti famulus in Domino vero Rege fummam felicitatis beatitudinem.*

Burchardus hoc caput referre intendens, proœmium mutavit in hæc verba: *In nomine Patris* π. *& Filii* λ. *& Spiritus Sancti* α. *VValterio Spirenfi Epifcopo, Ego Burchardus fanctæ VVarmatienfis Ecclefiæ devotus gregis Chrifti famulus in Deo vero fummam felicitatis beatitudinem.*

Et tandem concludit: *Data* VVormatiæ Idus Mar„ tii anno Dominicæ Incarnationis millefimo duodeci„ mo indictione X. " Qui fuit annus, quo Burchardus Volumen fuum compilabat. Apud Reginonem annus Dominicæ Incarnationis 904. erat expreffus; quo nimirum Regino fuæ erat occupatus collectioni. Gratianus vero nulla plane facta mutatione, exemplar illud iifdem verbis, etiam *Burchardi* & *VVormatiæ* nomine; nec non annorum numero retentis, prout a Burchardo erat conceptum, refert *dift.* 37. *Can.* 1.

Circa Canonem falfo tributum Synodo Ancyranæ.

Supra monuimus, Burchardum ex errore quodam caput 364. lib. 2. Reginonis tribuiffe Concilio Ancyrano, cui tribui non poffe etiam monet Antonius Auguftinus *lib.* 1. *de Emend. Grat. dial.* 14.

Hic rurfus fequutus Burchardum Gratianus eumdem refert 26. *quæft.* 5. *Can.* 12. ex Concilio *Anquirenfi cap.* 1. notantque ibidem Correctores Romani *In Concilio Ancyrano Græco aut Latino, neque impreffo, nec manufcripto eft inventus.*

Item circa defumpta Capitularibus Regum Francorum.

Præterea Burchardus cum in Germania verfaretur, eo tempore quo Francorum nomen parum ibidem gratum effet, licet multa referat, quæ ex Capitularibus fumpta effe non obfcure conftat, tamen follicite valde a nomine *Capitularium* abftinuit, uti pluribus oftendit Stephanus Baluzius tam in notis ad Reginonem §. 22. quam in notis ad Capitularia; monetque, Burchardum tantum femel citare Capitula Caroli Magni, nimirum *lib.* 2. *cap.* 281. fic tamen ut addat, illa ab Epifcopis collaudata effe apud Aquifgranum, alioqui forfitan non ufurus.

Hinc multa apud Burchardum, & ex Burchardo apud Gratianum variis Synodis adfcripta, quæ non folum in Capitularibus Regum Francorum, fed & in Capitularibus paffim reperiuntur, quemadmodum in multis notarunt Correctores Romani.

Sed hujus Burchardini inftituti illuftrius fpecimen expeti nequit, quam quod occurrit *lib.* 6. *c.* 2. Ibidem enim referens fub nomine Concilii Triburienfis *caput* 15. *lib.* 4 *Capitularium* omittit hanc claufulam: *fecundum Capitulare gloriofi Caroli genitoris noftri.*

Cum vero apud Gratianum 17. *q.* 4. *Can.* 26. referatur & fub nomine Concilii Triburienfis, ubi non extat, & omiffa eadem claufula evidentius argumentum effe non poteft, ex Burchardo in Gratianum errores derivatos effe.

Collectores Decretalium fidem Burchardi fequuti.

Quod ad Decretalium Collectores attinet, hi non tantum Burchardi fidem in referendis Canonibus & Decretis fe fecuti funt, fed expreffo nomine operis illius auctoritate ufi fuerunt.

Sic Bernardus Papienfis auctor primæ collectionis Decretalium *lib.* 4. *de Sponfa duorum c.* 2. refert hoc Decretum: *Accepifti illam tibi uxorem, quam alter fibi defponfatam habuerat, dimitte illam, quia nunquam poteft tibi fieri legitima, & 40. dies in pane & aqua, quod carinam vocant cum 7. fequentibus annis pœniteat* Refertur autem cum hoc titulo: *Ex B. lib* 19. hac vero claufula notari *Burchardum* nemini dubium eft, & nota marginalis monet.

Unde Raymundus dictum Decretum ex prima compilatione transferens in Decretales Gregorii IX. in *c.* 2. *tit. de Sponfa duorum*, dedit hunc titulum, *ex Brocardo l.* 30. at in margine notatur: *ex Burchardo l.* 19. *cap.* 5. Nam ut obfervat Boerius Epo apud Duacenfes olim Canonum Anteceffor Primarius *l.* 2. *de Jure facro*: *Burchardum nationes exteræ, id eft, non Germanicæ, corrupto nomine paffim vocant* Brocardum; *cujus idcirco Decretum libris* 20. *comprehenfum fub vocabulo* Brocardicorum *plerumque profertur in medium.*

Simili epigraphe infcribuntur *cap.* 1. *tit. de Frigidis & maleficiatis*: & *cap.* 8. *tit. de Accufationibus*: quæ fi conferantur cum iis, quæ *l.* 19. *c.* 5. Burchardi habentur, uti etiam monet Boerius, ea non aliunde quam ex Burchardo defumpta effe videbitur. Ut vel hinc pateat, etiam Burchardi Decretum ad hoc conducere, ut fciamus, unde ipfæ Decretales primitus defumptæ fuerint; earumque genuini fontes detegantur.

(*a*) Gratianus Burchardum nunquam citavit nominatim, nec Ivonem, e quo plura quoque defumpfit; duxit enim opportunius fore, fi Canones cum infcriptione, quam in illis auctoribus habent, referret, velut, fi eos e fontibus defumpfiffet: Forte Autographa, in quibus Burchardus & Ivo hauferant, Gratianus non habebat: ut ut fit de caufis hujus filentii atque optionis, qua neglectis fontibus rivulos prætulit, id ejus operi plurimum nocuit, fic enim iftarum Collectionum menda in Decretum irrepfere.

DISSERTATIO SEXTA.

De Collectione Ivonis Epifcopi Carnutenfis.

§. I.

De Decreto & Panormia Ivonis.

Ivo eruditione, & vitæ fanctitate clarus.

SIGEBERTUS de viris illuftribus *cap.* 168 ait: *Ivo Carnutenfis Epifcopus fcripfit ad Hugonem Lugdunenfem Archiepifcopum, & Apoftolicæ Ecclefiæ Legatum Epiftolam non multum prolixam, fed multum Canonicis & Catholicis teftimoniis auctorizatam pro dendio regni & Sacerdotii, & pro inufitatis Romanæ Ecclefiæ Decretis. Scripfit & ad diverfos amicos utiles valde Epiftolas. Compofuit etiam* infigne volumen Canonum.

Præter Sigebertum omnes fere hiftorici illius temporis cum laude Ivonis meminerunt. Et ut hi filerent, ejus Epiftolæ adeo manifefte loquuntur viri eruditionem, & in Canonibus peritiam conjunctam cum vitæ fanctitate; ac præcipue Epifcopali magnanimitate, qua Regis fui vitiis obfiftere, cum fummo illius in fe concitando odio, quod prævidebat, non reformidavit (*a*); atque Ecclefiafticæ difciplinæ reformationis cum plurimorum obloquiis, & in fe conjectis injuriis generofe incumbere perrexit, ut mirandum non fit, fi Pius V. Canonicis Regularibus Lateranenfis Congregationis diem ejus feftum celebrare permiferit 20. Maji Bulla data 18. Decembris 1570.

Opus compofuit, quod hodie abufive dicitur *Decretum* Ivonis.

Duplex fub ejus nomine hodie extat Canonum collectio. Una quæ vulgo dicitur, *Decretum D. Ivonis Epifcopi Carnutenfis*; cum tamen verus titulus ab ipfo auctore in prologo fui operis expreffus effet: *Excerptiones Ecclefiafticarum Regularum*; id eft, excerpta ex Ecclefiafticis Regulis (*a*).

An alterum, quod dicitur *Panormia*, recte ipfi adfcribatur?

Nec dubium, quin hic titulus operi huic convenientior fit, quam hodiernus: quandoquidem nullum hic Ivonis Decretum, fed folum ex Conciliis, Pontificum Decretis, aliifque monumentis *Excerpta* occurrunt, ut infra dicemus. At poftquam Gratiani collectio dicta fuit, *Decretum Gratiani*, etiam eumdem titulum Ivoni tributum fuiffe credo.

Altera collectio infcribitur: *Panormia Iconis*; eamdem

(a) Hic autem Princeps fuit Philippus I. Francorum Rex qui relicta Bertha fua uxore, Berthradam de Munteforti duxerat in uxorem.

(a) Ivo fecutus eft Egbertum Archiepifcopum Eboracenfem, qui fæculo VIII. floruit, quique fuam Collectionem *Exceptiones*, aut *Exceptiones Regularum* nuncupavit.

dem cum priori præfationem habens. Quo factum, ut viri eruditi non pauci crediderint non esse Ivonis opus, sed Hugonis cujusdam Catalaunensis, aut alterius incerti auctoris, qui Decretum Ivonis in compendium redegerit; idque probari putant ex Vincentino Bellovacensi, qui *lib. 25. Speculi hist. cap. 84.* refert, Hugonem ex volumine abbreviato libellum portatilem composuisse, qui *Summa Decretorum Ivonis* appellatur.

Verum cum referat Stephanus Baluzius in præfatione ad Dialogos Antonii Augustini de Emendatione Gratiani, hunc libellum, qui vulgo *Panormia* vocatur, in vetustissimo Codice MS. Sancti Victoris Parisiensis, & in duobus antiquis Codicibus MSS. Monasterii S. Albini Andegavensis vocari *Panormiam*, nunquam vero *Summam Decretorum*, sat apparet, libellum a Vincentio Bellovacensi adscriptum Hugoni, fuisse diversum ab illo, qui *Panormia* dicitur; præsertim si vera sit Baluzii suspicio, Codicem manuscriptum Victorinum antiquiorem esse ipso Hugone Catalaunensi, cujus meminit Bellovacensis.

His manuscriptis consonat Trithemius, qui in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis agens de Ivone ita loquitur; „ Scripsit post Burchardum Wormatiensem Episcopum ex Canonibus Sanctorum compendiosum Decretum, quo ante Gratiani tempora utebantur Juristæ, quod prænotavit *Panormiam lib.* 10.

Quod vero in editis *Panormiæ* exemplaribus ad calcem descripta sit Decreta Innocentii II. qui multis post Ivonis obitum annis factus est Pontifex (*a*), non infert, illam esse Ivoni suppositam: quia Decreta illa manu recentiori esse adjecta evincit Codex MS. cujus meminit Antonius Augustinus, a quo illa Decreta aberant; uti & absunt in antiquissimo Codice Bibliothecæ Sancti Victoris: „ In quo (ait Stephanus Baluzius) caput quod est „ 136. octavæ partis in editionibus (*Leo Papæ in Synodo* „ *congregata*) finem imponit Panormiæ. Postea vero „ nihil aliud reperitur scriptum in Codice illo.

De bina Decreti Ivoniani editione

Decretum Ivonis primum typis evulgavit ex Codice MS. Joannes Molinæus in hac Academia Lovaniensi Jurium Doctor & Decretorum Regius Professor anno 1561.

Vir eruditus Joannes Fronteau Canonicus Regularis Sanctæ Genovefæ, ejusdem Abbatiæ & Universitatis Parisiensis Cancellarius hanc Molinæi editionem contulit cum alio antiquissimo manuscripto Bibliothecæ Sancti Victoris Parisiensis, & a multis mendis, quibus scatebat, emendatam, & brevibus notis illustratam anno 1647. rursus evulgavit: unde satis intelligitur, quæ editio præferenda.

Alterum opusculum, quod *Panormia* dicitur, primum typis evulgatum fuit cura & opera Sebastiani Brant Basileæ anno 1499. qui hæc de etymo vocis *Panormia* apposuit: „ Appellavit autem hunc suum „ librum Panormiam, quasi totius Justitiæ sive legis „ materiam continentem, a *Pan* quod est *totum*, & „ *nomos lex*, sive *nomia* Justitia, sive a norma, quæ „ est regula, sive fabrorum directorium.

Et ejusdem Panormiæ.

Altera editio prodiit Lovanii anno 1557. opera Melchioris a Vosmediano Artium & S. Theologiæ Doctore; qui ut habet ejus ad Lectorem Epistola, multa Conciliorum & Pontificum annotavit Decreta, e quibus capitis hujus operis excerpta videbantur: „ Etiam „ capitum summaria, quæ desiderabantur, adjeci (ait) „ & capitum distinctiones toto opere apposui: præter „ alia multa, quæ ipse restitui & emendavi.

§. II.

Unde sua hauserit Ivo? Et aliqua de ejus Prologo.

Unde hauserit, indicatur in prologo operum.

FONTES, e quibus opus suum hausit, indicat ipse in prologo utrique operi præfixo. „ Excerptiones „ Ecclesiasticarum Regularium, inquit, partim ex „ Epistolis Romanorum Pontificum, partim ex Gestis „ Conciliorum Catholicorum Episcoporum, partim „ ex Institutionibus Catholicorum Regum, nonnulla „ in unum corpus adunare curavi, ut qui Scripta illa, ex quibus ista excerpta sunt, ad manum habere non poterit, hinc saltem accipiat, quod ad commodum causæ suæ valere perspexit.

Anteriorum Collectorum fidem sequutus est.

Huic rursus viro, alioquin erudito, ex sui temporis misera conditione accidit, quod non ex fontibus, „ sed rivulis & stagnis; id est, præcedentibus Canonum Collectoribus, aut posteriorum temporum Scriptoribus, veterum Conciliorum & Patrum sententias retulerit.

Sua ex Burchardo mutuavit, si pauca excuperis.

Et quidem Ivonem pleraque ex Burchardo mutasse, eumque *paucis additis & mutatis* secutum esse, monet Antonius Augustinus.

Fatetur quoque Joannes Molinæus in præfatione Decreti Ivoniani, sibi non videri quid scientiæ Pontificiæ post Burchardum præstiterit Ivo, si hæc duo excipias.

Puta quia concernunt hæresim Berengarii

Unum, quod concernit hæresim Berengarii; quæ tempore Ivonis orta demum erat. In cujus confutationem parte 2. Decreti, & parte 2. Panormiæ, multæ Conciliorum, & Patrum sententiæ referuntur ad confirmationem dogmatis Catholici de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia; quarum nulla apud Burchardum occurrit: sed eas postmodum ex Ivone Gratianus in suum Decretum transtulit.

Item ex legibus civilibus desumpta.

Alterum, quod in Ivone, & non in Burchardo reperitur [f] est conjunctio Juris Civilis cum Canonico.

Ivo enim parte 16. sui Decreti, & parte 5. Panormiæ *cap. 23. & seqq.* tractans de causis & negotiis Laicorum multa adfert ex libris Juris Civilis; tam ex Pandectis, quam ex Codice & Novellis, ac Institutionibus Imperatoris Justiniani, cum Burchardus ne meminerit quidem Juris Civilis; nisi quod semel iterumve Codicis Theodosiani testimonio usus fuerit; adeo ut Ivo primus credatur, qui in Occidente Jus Civile cum Canonico conjunxerit; quem sequuti fuere Gratianus, aliique posteriores Canonum & Decretalium Collectores, atque inde contigit, ut operam dantes Juri Canonico etiam animum ad Jus Civile applicare cœperint: adeo ut suo tempore quereretur S. Bernardus de Curia Romana, quod *& quidem quotidie in Palatio perstreperent leges, sed Justiniani, non Domini*. Lib. 1. de Consid. cap. 30.

Decreti & Panormiæ idem prologus.

Prologus Decreto Ivoniano præfixus, etiam ipsi Panormiæ in editis exemplaribus præfigitur sub hac epigraphe; *Incipit prologus Panormiæ Ivonis Carnutensis Episcopi de multimoda distinctione Scripturarum sub una castorum eloquiorum contentarum.*

Et hæc prius cum prologo confecta videtur.

Et quidem prologum a se primum compositum, ut Panormiæ præponeretur, satis videtur insinuasse, dum ad calcem prologi dixit; „ se deinceps singularum „ partium totius Voluminis intentionem breviter per„ stringere velle, ut hic prudens Lector advertat, „ quid in utraque parte sibi necessarium quærere de„ beat"; ibique tantum octo partium, quibus Panormia constat, compendia refert; cum Decretum septemdecim partes complectatur.

Ut proinde non sine fundamento credat Vir Clarissimus Stephanus Baluzius, Ivonem primo scripsisse Panormiam & præfationem sive Prologum eodem tempore confecisse, quæ postea magno Decretalium Volumini præfixa est.

Cum enim videret Panormiam favorabiliter acceptam in manibus studiosorum versari, majus Opus aggressus est, in quo & causas tractaret abundantius, & præterea excurreret ultra terminos Panormiæ præfixos. Ergo incipiens rursus a Prologo Opus, quod in 8. tantum partes diviserat, nunc in 17. distribuit, mutato tamen ordine, a Burchardo nimirum non multum absimili.

Totius Decreti summarium.

Prima pars Decreti agit de Sacramento Baptismi & Confirmationis. 2. De Eucharistia, Sacrificio Missæ, & reliquis Sacramentis. 3. De Ecclesia, & rebus Ecclesiasticis, & earumdem reverentia & observatione. 4. De Festivitatibus & Jejuniis; Scripturis Canonicis; Consuetudinibus & Celebratione Concilii. 5. De Primatu R. E. de Jure Primatum, Metropolitanorum & Episcoporum, eorumque Ordinatione & Dignitate. 6. De Clericorum conversatione & ordinatione, & correctione, & causis. 7. De Monachorum & Monacharum singularitate & quiete; & pœnitentia eorum, qui a proposito recesserunt. 8. De legitimis Conjugiis, de Virginibus & Viduis non velatis, de Raptoribus earum, de Concubinis & pœnitentia singulorum. 9 De diversi generis Fornicatione: & in qua linea Fideles conjungi & separari debeant: & de correctione & pœnitentia singulorum. 10. De variis homicidiorum generibus, & singulorum pœnitentia. 11. De diversis speciebus Magiæ, & earum pœnitentia. 12. De Furibus & Usurariis: de Venatoribus: de Maledicis & contentiosis: de Commessationibus & ebrietatibus: de Furiosis: de Judæis. 13. De Excommunicatione; & quibus de causis, & quo ordine facienda sit. 14. De Pœnitentia sanorum & infirmorum; & qua commutatione leniri possit pœnitentia. 15. De Officiis Laicorum, & causis eorumdem. 16. Continet speculativas SS. Patrum sententias de Fide, Spe, & Charitate.

Compendium Panormiæ.

Compendium Panormiæ, ut dixi, inveniet Lector ad calcem prologi ab ipso Ivone descriptum.

Utrumque opus lectu utilissimum.

Sive Decretum sive Panormiam, spectes, plurima in omni materia, reperiuntur in compendio coacervata Conciliorum & Pontificum sanctissima Decreta; Sanctorum Patrum gravissimæ sententiæ; aliave veneranda antiquitatis monumenta; ut proinde non sine fructu hæc Ivonis opera resolvantur; modo tamen cum ad hibito discretionis sale apocrypha a sinceris secernantur.

Præcipue prologus.

Verum præ omnibus lectu dignissimus est prologus utrique operi præfixus, in quo Ivonis non tantum eruditio, sed & verissima Sanctorum scientia mire relucet; dilucide pariter ac docte exponendo, quomodo in iis, quæ disciplinæ sunt Ecclesiæ Prælati versari debeant.

In qua exponit, quomodo Prælati Ecclesiæ in omnibus saluti proximi consulere debeant.

In primis hanc figit fundamentalem regulam; quod omnis disciplina Ecclesiastica principaliter habeat „ hanc „ intentionem, vel omnem ædificationem adversus „ scientiam Christi se erigentem destruere, vel ædifi„ cationem Dei, fidei veritate, & morum honestate „ constantem construere, vel eamdem si contaminata „ fuerit, pœnitentiæ remediis emundare. Hujus ædi„ ficationis magistra est charitas, quæ saluti proximo„ rum consulens, id præcipit aliis fieri, quod sibi „ quisque vult ab aliis impendi. Quicumque ergo Ec„ clesiasticus Doctor, Ecclesiasticas Regulas ita interpre-

„ tatur

(*a*) Obiit Ivo an. 1115. aut 1116. Innocentius II. electus est Pontifex an. 1130.

„ tatur aut moderatur, ut ad regnum charitatis cuncta, quæ docuerit, vel exposuerit, referat, nec peccat nec errat; cum saluti proximorum consulens, ad finem sacris institutionibus debitum pervenire intendat. Unde dicit B. Augustinus de disciplina Ecclesiastica tractans: charitatem habe, & fac quidquid vis. Si corripis, corripe cum charitate. Si parcis, parce cum charitate. Sed in his adhibenda est summa diligentia, & mundandus oculus cordis; quatenus in puniendo, vel parcendo, sonandis morbis charitas sincera subveniat: & nemo ibi vænalium medicorum more, quod suum est quærat, & propheticam illam reprehensionem incurrat; mortificabant animas, quæ non moriebantur, & *vivificabant animas, quæ non vivebant* ". Ezech. cap. 13. vers. 19.

Et secundum hanc nunc durius nunc levius procedere.

Hac fundamentali regula præmissa, exemplo medici corporalis, qui sibi contrarius non censetur; dum pro diversa qualitate morbi & ægri nunc mordentia, nunc mollientia applicat medicamenta, ostendit, spirituales medicos, Doctores videlicet sanctæ Ecclesiæ nec a se, nec inter se dissentire, cum illicita prohibent, necessaria jubent, summa suadent, venalia indulgent; *Cum secundum duritiam cordis deliquentium pro correctione eorum, vel cautela cæterorum, severas pœnitentiæ leges imponunt, vel secundum devotionem dolentium, & resurgere volentium, considerata fragilitate vasis, quod portant, indulgentiæ malagma superponunt. Nam qui indulgent: majoribus morbis amovendis provident; & qui illicita prohibent, a morte deterrent: qui vero necessaria jubent, salutem cupiunt conservare: qui autem summam suadent, salutem student augere.*

Deinde exponit, circa quæ cadat dispensatio.

Post hæc explicat, quomodo quædam sint absolute ad salutem necessaria; quædam absolute vetita; alia vero consilii & perfectionis, sine quorum observantia salus æterna etiam acquiri potest, quæ ab hominibus ad salutem tutius muniendam, aut facilius consequendam instituta sunt.

His ita breviter prælibatis concludit: *Præceptiones itaque & prohibitiones, aliæ sunt mobiles, aliæ immobiles. Præceptiones immobiles sunt, quas lex æterna sanxit; quæ observatæ salutem conferunt: non observatæ eamdem auferunt. Qualia sunt*. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & Proximum tuum sicut teipsum: & honora Patrem tuum & Matrem tuam. *Et si qua sunt his similia.*

„ Mobiles vero sunt, quas lex æterna non sanxit, sed posteriorum diligentia, ratione utilitatis invenit: non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutius muniendam. Quale est illud Apostoli ad Tit. cap. 3. vers. 10. *hæreticum hominem post primam & secundam correptionem devita*. Non eorum colloquium per se saluti obesset: sed quod frequentatum ex obloquio quorumdam simplicitatem corrumpere posset. Et multa reperies in Canonicis institutionibus in hunc modum.

Et quæ in dispensatione regulæ servandæ?

Post hæc binas, easque utilissimas regulas in materia dispensationis subnectit: " In his igitur, in quibus observatis salus acquiritur: vel in quibus neglectis mors indubitata consequitur, nulla est admittenda dispensatio: sed ita sunt omnia mandata vel interdicta servanda, sicut sunt æterna lege sancita. In his vero quæ propter rigorem disciplinæ, vel muniendam salutem, posteriorum sanxit diligentia, si honesta vel utilis sequatur compensatio, potest præcedere auctoritate præsidentium diligenter deliberata dispensatio.

Hæ sanctissimæ regulæ, si jampridem observatæ fuissent, & etiamnum hodie servarentur; nec Canonum fieret relaxatio; nisi *honesta* vel *utilis* sequatur *compensatio*, hoc est; nisi ea ex relaxatione utilitas sequeretur, quæ malum, quod relaxatio secum trahit, compensaret; quomodo non videremus Ecclesiæ disciplinam in multis vigere, quam effrænis Prælatorum relaxatio paulatim evacuabit, & tandem obliterabit?

§. III.

Qualiter hac Collectione usus sit Gratianus?

Gratianus Panormia usus est.

ANTONIUS Augustinus tractatu de Collectoribus Canonum *cap.* 30. tractans de Panormia Ivonis ait: *Ex hoc libro pleraque eodem ordine sumpsisse (Gratianum) apparebit, si quis conferat utrumque diligenter.*

Et ex hac pleraque sumpsit non ex Decreto.

Quin & addit: *Gratianum suspicor ex hoc libro plura sumpsisse, quam ex Burchardi aut Ivonis Decretis; quæ Decreta vix eum vidisse constat.*

Probatur exemplis.

Hinc Antonii Augustini suspicionem, non pauca sunt, quæ probant: atque notanter *Canon* 39. *dist.* 2, *de Consecrat.* ubi sub nomine Sancti Ambrosii *in libro de catechizandis Rudibus* refertur hic Canon: *Panis & calix non qualibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde, quod ita fit nobis, quamvis sit panis, & calix, alimentum est resurrectionis, non Sacramentum Religionis: non quod benedicimus: gratiasque agimus Domino in omni ejus munere, non tantum spiritali, verum etiam corporali.*

Certum est, Gratianum hunc textum non sumpsisse ex lucubrationibus S. Ambrosii; cum nullus extet aut extitisse sciatur liber S. Ambrosii de catechizandis Rudibus.

Neque ex Isidori, aut Burchardi Collectionibus eum desumere potuit: cum in his is textus non occurat, ut notavit Joannes Molinæus in præfatione ad Decretum Ivonis.

Extat quidem similis in Decreto Ivonis *parte* 2. *c.* 9. sed sub nomine S. Augustini *lib. de catechizandis Rudibus*, & licet non extet apud S. Augustinum hoc loco, extat tamen apud eumdem *lib.* 10. *contra Faustum, cap.* 13, monent Correctores Romani, una notantes, quod Ivo eo loco non quidem integrum Augustini textum, sed in summam redactum retulerit: apud Gratianum autem *multis locis depravatum; quæ* (inquiunt) *ob Glossam correcta non sunt*. Immo dicere non dubitat Joannes Molinæus, quod textus prout a Gratiano relatus est, *nullam sententiam habeat: quam falsam, & sin minus hæreticam, certe vehementer absurdam.* Prout enim a Gratiano relatus est, non obscure innuit, post *consecrationem manere panem & vinum*: ut autem ab Ivone in suo Decreto extat, significat, quod panis & calix *non* ficta consecratione fit panis & vinum. Verba Ivonis sunt: *Panis & calix non qualibet, sed certa consecratione, mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit nobis, quamvis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non Sacramentum Religionis, nisi quod benedicimus, gratiasque agimus Domino in omni ejus munere, non tantum spirituali, verum etiam corporali.*

Unde ergo hunc textum deprompsit? indubie ex Panormia, ubi *part* 1. *cap.* 123. extat iisdem plane verbis, & sub eadem epigraphe, quibus apud Gratianum.

Sed dicet quis, cum prædictus textus in Panormia referatur sub nomine S. Ambrosii, & in Decreto sub nomine S. Augustini: atque in utroque opere contrariam quodammodo sententiam exprimat, verisimile non apparet, utrumque opus eidem auctori, scilicet S. Ivoni Carnutensi tribui posse.

Monuimus §. 1. nonnullos viros eruditos *Panormiam* Ivoni abjudicare, & inter eos Joannes Molinæus in præfatione Decreto Ivonis ab ipso evulgato, credit, quod Panormia *nihil sit, quam mendis & erroribus scatens epitome, eaque (ait) meo quidem judicio incerti auctoris, quamvis non desint, qui Hugonem Catalaunum fuisse Compendiarium suspicentur.*

Non deesse tamen, qui opus hoc Ivoni vendicent; idque argumentis ex vetustis MSS. Codicibus desumptis, ibidem observavimus: quorum conjectura si vera sit, dicendum, in Panormia primum ab Ivone vulgata, errorem commissum, quem in posteriore, eoque prolixiore opere correxit.

Quidquid sit de Auctore hujus opusculi, hoc interim ex relatione dicti textus satis elucet, Gratianum e Panormia potius, quam e Decreto Ivonis sua hausisse: quod & probat textus relatus a Gratiano *citata dist.* 2. *de Consecrat. Can.* 40. ubi refertur sententia sub nomine S. Ambrosii ex variis laciniis conflata, idque iisdem præcise verbis, prout extat in Panormia *parte* 1. *cap.* 124. cum in Decreto extet multis aliis sententiis prolixioribus immixta: ut manifestum sit, eam a Gratiano non ex Decreto, sed ex Panormia deprompram esse.

Idipsum pluribus exemplis probatur.

Rursus *eadem distinctione Can.* 42. retulit confessionem Berengarii, prout hæc extat in Panormia *parte* 1. *cap.* 126. omissis iis, quæ eidem adjunguntur in Decreto Ivonis *parte* 2. *cap.* 10. Indicium, quod Gratianus hic rursus non Decreto, sed Panormia usus sit. Unde huic confessioni immediate subjungit Canonem 43. qui & eidem in Panormia etiam immediate subjicitur: cum in Decreto referatur ante confessionem Berengarii, & quidem multis aliis textibus immixtus, unum cum his caput sive Canonem conficiens. Similiter & immediate ante confessionem Berengarii retulit duos Canones, prout in Panormia quoque sunt relati: cum in Decrero unum duntaxat cum nonnullis aliis sententiis caput conficiant: quin & sub *eadem distinct.* refert *Canonem* 21. prout in Panormia habetur conflatus ex duobus distinctis capitibus Decreti, scilicet, *parte* 2. *cap.* 32. & 33.

Aliqua nihilominus & ex Decreto sumpsit.

Plurima sunt similia, quæ evincunt, Gratianum sua magis ex Panormia, quam ex Decreto Ivonis hausisse: ordinemque potius Panormiæ, quam Decreti sequutum: licet dubitari non posse videatur, quin & ex Decreto aliqua sumpserit: cum aliqua occurrant a Gratiano relata. quæ extant in Decreto, non tamen in Panormia, ut exempli gratia, *Canones* 72. & 74. *eadem distinct.* extant in Decreto *parte* 2. *cap.* 71. qui tamen in Panormia non occurrunt, unde nec in Corpore Juris in margine Panormia citatur.

FINIS TOMI SEPTIMI.

ZEGERI BERNARDI VAN-ESPEN

PRESBYTERI, JURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

ET SACR. CANONUM IN ACADEMIA LOVANIENSI PROFESSORIS

JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM

CÆTERAQUE SCRIPTA OMNIA

Decem Tomis comprehensa.

OPUS NATIVÆ INTEGRITATI SUMMO STUDIO RESTITUTUM Episcopis, eorum Vicariis, & Officialibus Ecclesiasticis, ac Laicis Judicibus, Advocatis, Patronis, Parochis, Confessariis, tam Sac. Theologiæ quam Jurisprudentiæ Viris studiosis utilissimum, & apprime necessarium.

EDITIO RECENTISSIMA

Omnibus anteactis longe præstantior, & nitidior, plurimis Tractatibus hactenus ineditis, Litteris, & Monumentis passim suo loco positis, præsertim vero selectis Adnotationibus

CLARISS. DOCT. THEOLOGI, ET CANONISTÆ

JOANNIS PETRI GIBERT

NUPERRIME AUCTA ET ILLUSTRATA

TOMUS OCTAVUS.



VENETIIS, MDCCLXXXII.

Ex Typographia Joannis Gatti,



IN VICO S. RAPHAELIS ARCHANGELI,

SUPERIORUM APPROBATIONE, AC PRIVILEGIIS.

INDEX
CAPITUM ET PARAGRAPHORUM
COMMENTARII
IN DECRETUM GRATIANI
ET IN JUS
CANONICUM NOVUM
ET
NOVISSIMUM

Quæ in hoc Octavo Volumine continentur.

DISSERTATIO PROOEMIALIS.

BREVIS COMMENTARIUS
IN PRIMAM PARTEM
GRATIANI

Constantem centum & una Distinctionibus.

BREVIS COMMENTARIUS
IN SECUNDAM PARTEM
GRATIANI.

Hæc secunda pars Decreti Gratiani continet 36. Causas; & singulæ Causæ suas Quæstiones.

OBSERVATIONES
AD
TRACTATUM
DE
PŒNITENTIA.

OBSERVATIONES
IN TERTIAM PARTEM
GRATIANI
DE CONSECRATIONE.

Tertia pars Decreti Gratiani inscribitur de Consecratione eamque in quinque Distinctiones distribuit.

COMMENTARIUS
IN JUS
CANONICUM NOVUM.
PARS SECUNDA.
SECTIO SECUNDA
De Collectionibus Decretalium post Gratianum confectis.

DISSERTATIO
In quinque Libros Decretalium Gregori IX.

§. PRIMUS.

DISSERTATIO HISTORICA
In Schisma Sæculi XII.

OBSERVATIONES
In Canones Turonenses.

DISSERTATIO
In Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. ejusque Canones.

OBSERVATIONES
In Canones vulgo Concilii Lateranensis III. sub Alexandro III.

DISSERTATIO
In Concilium generale Lateranense IV. sub Innocentio III.

OBSERVATIONES
In Concilii Lateranensis IV. Canones I. II. III. IV. LXVIII. LXIX. contra Hæreticos & Judeos.

§. III.

COMMENTARIUS
IN JUS
CANONICUM NOVISSIMUM.

PARS TERTIA.

De Bullis ac Decretis recentioribus Summorum Pontificum, Synodorum, & Principum.

ZEGERI



ZEGERI BERNARDI VAN-ESPEN
IN DECRETUM GRATIANI COMMENTARIUS.

DISSERTATIO PROŒMIALIS.

§. I.

De Auctore hujus Operis, & vera ejus inscriptione & titulo.

Quid Gratianus, & quo tempore scripserit?



GRATIANUM patria Clusinum; professione Monachum sancti Felicis Bononiensis, ex Ordine sancti Benedicti, opus suum, quod hodie vulgo dicitur, *Decretum Gratiani*, composuisse circa annum 1151. communis est opinio.

☞ Hoc opus esse istius ætatis, Glossa ad *Canonem Post Appellationem*, *caus.* 2. *quæst.* 6. non tantum observavit, sed etiam notarunt Correctores Romani in præfatione Decreto Correcto præmissa; ibi enim asseruerunt in antiquissimo exemplari Vaticano ante ipsas *Paleas* (*a*) esse hunc titulum, *Decretum Gratiani Monachi sancti Felicis Bononiensis Ordinis S. Benedicti, compilatum in dicto Monasterio anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo tempore Eugenii Papæ III.* Æram hanc compilati Decreti ut veriorem arbitratus quoque est Aubertus Myræus in Scholiis ad Henricum Gandavensem *de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 49. ☜

Vera collectionis Gratiani inscriptio.

Licet titulum hunc etiam notaverint Correctores Romani, monent nihilominus: „ quod in plerisque vetustis hujus collectionis exemplaribus, hæc tamquam „ inscriptio rubris litteris posita sit: *Concordia discordantium Canonum*, addita in quibusdam dictione, *incipit*, sine ulla Gratiani mentione ".

Notat quoque Stephanus Baluzius in Præfatione ad Dialogos Antonii Augustini *de emendatione Gratiani* §. 25. camdem inscriptionem extare in duobus Codicibus MSS. Bibliothecæ Regiæ, & in uno S. Germani Parisiensis, & in alio Bibliothecæ Colbertinæ (*b*), necnon etiam in antiquis editionibus; asseritque nec in pristinis editionibus expressum fuisse in fronte nomen Gratiani, tametsi de re satis constaret: „ Prima, quod „ sciam (ait §. 28.) Editio Parisiensis an. 1508. *Gratiani* nomen in titulo habet hoc modo: *Decretum „ aureum divi Gratiani, cujus titulus talis est: Incipit „ Concordantia discordantium Canonum* ".

Vetus hujus collectionis nomen.

Et sane opus hoc jam pridem hunc titulum prætulisse, *Concordantia discordantium Canonum*, annuit quoque Innocentius III. in integra Decretali in tertia Decretalium collectione apud Antonium Augustinum titulo *de Electione* 3. *cap.* cujus fragmentum extat in *cap.* 20. ꝟ *eodem* In hac enim Decretali respiciens Innocentius ad ea, quæ Gratianus tractat *Dist.* 56. Utrum filii Presbyterorum possint ad sacros Ordines promoveri? cum diversas in speciem Canonum sententias retulisset, ait: *Quidam vero ad concordiam discordantia revocantes, repugnantiam Canonum prædictorum quodam modo sopire videbantur, confitentes &c.* ubi non obscure ad opus Gratiani, quod tunc in pretio erat, reflectit.

Sic etiam in melioribus editionibus Antonii Democharis, & Antonii Contii vox illa, *Decretum*, utpote inepta, in multitudinis vocem mutata est. Demochares, & Contius, *Decretorum Canonicorum collectanea*, inscripserunt, uti notavit Antonius Augustinus *lib.* 1. *de emendat. Gratiani*, *dialogo* 1. addens: „ Decretorum vero collectionem esse hanc nemo negaverit, „ non unius Decreti explanationem. Sic etiam dicimus Decretorum doctorem, non Decreti juris Pontificii consultum ".

Cur recte dicatur concordantia discordantium Canonum.

In Corpore juris emendato jussu Gregorii XIII. omissa quoque est in titulo hujus operis vox, *Decretum*; diciturque simpliciter: *Concordantia discordantium Canonum*: quem titulum huic operi optime convenire fatebitur, qui illius scopum & institutum attenderit.

Gratianus enim „ non tantum Decretis colligendis „ (quod Burchardus, Ivo, aliique præcedentes collectores fecerant) operam dedit: sed Ivonis fortasse „ præfatione excitatus, eo potissimum incubuit, ut „ certis quæstionibus propositis quod in utramque partem ex Canonibus, qui inter se nonnumquam pugnare videbantur, dici posset, ipse & afferret, & „ explicaret: omniumque eorum varietatem, quæ speciem dissensionis habebat, *ad concordiam* revocaret, „ inquiunt Correctores Romani in præfatione ".

Non constat, unde Gratiani nomen Decreti impositum sit.

Unde nomen *Decreti* huic operi inditum sit, incertum est; verisimile admodum est, nomen illud a Gratiano ei impositum non fuisse; quandoquidem, uti supra notavimus, in veteribus libris vox *Decretum* non compareat.

Putarunt nonnulli eam vocem ex Burchardo, aut Ivone acceptam: sed monet Antonius Augustinus in citato dialogo 1. quod veteres libri Ivonis non habeant titulum *Decreti*, sed vocentur *Excerptiones Ecclesiasticarum regularum*: Burchardi vero libri veteres MSS. careant inscriptione, & in editis habeatur, non *Decretum*, sed *Decretorum libri* 20. Et Ivo *Epistola* 74. opus Burchardi vocat, *Collectiones Buchardi*.

Titulus Decreti cur retentus.

Interim undecumque collectioni seu operi Gratiani adhæserit inepta hæc vox *Decretum*, illud constat, adeo tenaciter ei adhæsisse, & etiamnum adhærere, ut non obstante vocis ineptitudine, quin & emendatione Pontificia sub Gregorio XIII. quæ huic operi titulum dedit: *Concordia discordantium Canonum*; non alio nomine appelletur, aut pene notum sit hoc opus, quam sub nomine *Decreti Gratiani*. Quapropter communi & vulgari loquendi modo me accommodans, hanc collectionem etiam *Decretum Gratiani* vocare volui, ne alias idiomate ignoto loqui viderer.

(a) Inferius §. IV. exponitur, quid eo loci per *Paleas* intelligi debeat.

(b) In Bibliotheca Sanctæ Genovefæ Parisiensis extat *Decreti* manuscriptum, quod his incipit verbis, *Concordia discordantium Canonum*, omisso Gratiani nomine. Codex ille videtur fuisse XIV. sæculo exaratus, singulis textus paginis adjacet Glossa, sed manu altera & recentiori descripta est.

§. II.

De Operis hujus Diviſione, Forma, & prima illius parte.

Pars I. quid habeat.

OPus ſuum Gratianus in tres principaliores partes diviſit. Prima pars continet centum & unam Diſtinctiones, quæ totidem ſunt capita, ſive ſectiones, quibus materiam diſtinctam proponit, & ſubjectis Conciliorum & Pontificum Decretis, vel Patrum ſententiis concluſiones ſubjungit, & ſi quæ in eis varietas occurrit, eam exponere ſtudet.

Quid diſtinctio.

Videtur Gratianus in hac, uti & in tertia parte, ſpecialiter nomen *Diſtinctionum* adumpſiſſe; quod licet & in ſecunda parte Canonum apparentem diſcordiam in concordiam revocare intendat, tamen præcipue in hac & tertia parte, diſtinguendo varias locorum temporumque circumſtantias, id facere ſatagat.

Quid in diſtinctionibus tractatur.

In viginti primis diſtinctionibus tractat de origine, auctoritate, & variis ſpeciebus Juris; idque conſule, adductis quibuſdam diviſionibus. Primo in Jus divinum & humanum; in naturale & poſitivum. Secundo in Jus ſcriptum & non ſcriptum, ſeu conſuetudinarium. Tertio in Jus Civile & Eccleſiaſticum.

Poſt hæc explicat præcipuas partes, e quibus Jus Eccleſiaſticum conſtat; quæ ſunt Canones Conciliorum, de quibus *diſt.* 15. 16. 17. & 18. Item Decreta & Epiſtolæ Decretales Pontificum, de quibus tractat *Diſt.* 19. Ac tandem ſententiæ SS. Patrum, de quibus diſſerit *Diſt.* 20.

Hæc ipſe Gratianus paucis indicavit initio Diſtinctionis 21. dicens: *Decretis ergo Romanorum Pontificum, & ſacris Canonibus Conciliorum Eccleſiaſtica negotia, ut ſupra monſtratum eſt, terminantur.*

In reliquis diſtinctionibus de Clericis & variis eorum gradibus, dignitatibus, promotionibus, eorumque officiis ac qualitatibus in ipſis ex præſcripto Apoſtoli in Epiſtolis ad Timotheum & ad Titum requiſitis ample diſcurrit.

Hinc Gratianus initio *diſtinctionis* 21. verbis ſupra recitatis ſubjungit: „ Miniſtri vero ſacrorum Canonum „ & Decretorum Pontificum ſunt ſummi Pontifices, & „ infra Præſules, & reliqui Sacerdotes „ quorum inſti- „ tutio eſt in veteri Teſtamento inchoata, & in novo „ plenius conſummata.

Et ſub initium *diſt.* 23. ait: „ Breviter, quæ inter „ Eccleſiaſtica officia ſit differentia, demonſtravimus; „ nunc a ſummis incipientes, & uſque ad ultimum gra- „ dum deſcendentes, qualiter quiſque eorum debeat „ ordinari, Sanctorum auctoritatibus oſtendamus „.

Tandem ad calcem ultimæ ſuæ diſtinctionis indicat rurſus, quæ præcedentibus diſtinctionibus tractaverit, dicens: „ Hactenus de Electione & Ordinatione Cleri- „ corum tractavimus, nunc ad ſimoniacorum ordina- „ tiones tranſeamus “.

Ex his haud obſcurum eſt, non immerito Gratianum alioſque poſt ipſum Decretalium Collectores, partem hanc Gratiani a diſtinctione 21. uſque ad diſtinctionem 101. quæ & ultima eſt, vocaſſe *Tractatum Ordinandorum*

Ita Gratianus *cauſ.* 1. *quæſt.* 7. ad calcem *Canonis* 6. remittens Lectorem ad Canonem, *Priſcis igitur*, ait: *Require ſupra in Tractatu Ordinandorum*; manifeſte indicans Canonem 1. diſtinctionis 55. qui incipit: *Priſcis igitur*, &c. Et primæ Decretalium Collectionis auctorem ad hunc Tractatum Ordinandorum remiſiſſe ſat evidens eſt ex clauſula finali *cap.* 9. *de Electione* dictæ primæ Collectionis.

Poſtquam enim actum eſt de Ordinatione Archiepiſcopi, ſubjungitur hæc clauſula; *Illud autem quod de Archiepiſcopi conſecratione, Ordinatione, &c. ut in Tractatu Ordinandorum*. Ex quo non obſcurum eſt hujus Collectionis auctorem remiſiſſe Lectorem ad *Can.* 1. *Diſt.* 66. ubi hæc clauſula occurrit, uti recte notavit Antonius Auguſtinus in notis ad citatum capitulum 9 qui & occaſione hujus clauſulæ monet: „ Ex hoc apparet, „ Bernardum Papienſem habuiſſe rationem Collectionis „ Gratiani, & nonnulla repetere, quæ is conſcripſiſſet. „ Namque *Tractatus Ordinandorum* appellari ſolet a „ Gratiano a Diſt. 23. uſque ad quæſtionem primam „ ſive cauſam conſcripta “.

§. III.

De ſecunda parte Decreti Gratiani, item tractatu de Pœnitentia, & tertia parte de Conſecratione.

Quid parte II. contineatur. Quid cauſæ.

SEcunda pars Decreti Gratiani continet 36. Cauſas, & ſingulas cauſæ continent ſuas quæſtiones. Porro Cauſæ ſunt quaſi totidem hypotheſes, ſive caſus poſitiones, quarum occaſione varias quæſtiones format & proponit, quas frequenter in utramque partem, allegatis Canonibus, diſcutit: ſuam deinde ſententiam depromens.

Exempli gratia, Cauſa prima proponit hunc caſum: „ Quidam habens filium, obtulit eum ditiſſimo Cœno- „ bio: exactus ab Abbate, & a fratribus, decem li- „ bras ſolvit, ut filius ſuſciperetur, ipſo tamen (be- „ neficio ætatis) hoc ignorante. Crevit puer, & per „ incrementa temporum & officiorum ad virilem æta- „ tem, & Sacerdotii gradum pervenit. Exinde ſuffra- „ gantibus meritis in Epiſcopum eligitur, intervenien- „ te obſequio & paternis precibus; data quoque pecu- „ nia cuidam ex conſiliariis Archiepiſcopi conſecratur „ iſte in Antiſtitem, neſcius paterni obſequii & obla- „ tæ pecuniæ. Procedente vero tempore nonnullos per „ pecuniam ordinavit; quibuſdam vero gratis benedi- „ ctionem ſacerdotalem dedit. Tandem apud Metropo- „ litanum ſuum accuſatus & convictus ſententiam in „ ſe damnationis accepit “.

Hoc caſu propoſito ſeptem exinde quæſtiones formatas proponit.

Partem hanc multo obſcurius & perplexius quam præcedentem Gratianus compilavit; neque plerumque ordinis rationem, ſive ſubſequentia cum antecedentibus connectendi occaſionem annotavit.

In cauſis pertractandis non ſemper nitent ordo & claritas.

In hac quoque ſecunda parte Decreti plurima intermiſcet Gratianus, & diverſiſſima occaſione arrepta, diſtinctam prorſus materiam aggreditur, & nonnunquam principali ſuo propoſito deſerto, de ea materia diſcurrit (*a*).

Occaſione levi accepta ad alia tranſiit Gratianus. Qua occaſione inſeruerit tractatum de Pœnitentia.

Exemplum iſtud occurrit *cauſa* 33. in qua uti & in ſequentibus tractans de iis, quæ matrimonium concernunt; ad calcem *Canonis* 19. *quæſt.* 3. inſeruit prolixum tractatum, *de Pœnitentia*: eo quod in citato Canone incidiſſet mentio de pœnitentia, uti enim a pluribus notatum eſt, totus hic tractatus de pœnitentia per modum continui & unius diſcurſus a Gratiano inſertus fuit interdictum Canonem 19. & Can. 20. ejuſdem quæſtionis. Nam uti notavit Antonius Contius in initio hujus de pœnitentia tractatus: „ In pleriſque „ manuſcriptis totus hic tractatus *de Pœnitentia* legi- „ tur uno continenteque contextu, non diſtinctis capi- „ tibus, ut in ſuperioribus diſtinctionibus & cauſis, „ atque ſequentibus “.

Idipſum notarunt Correctores Romani ad initium quæſtionis 3. Cauſæ 33. dicentes: „ Gratianus ad ex- „ plicandam hanc tertiam quæſtionem multa attulit. „ Quam per longam tractationem, qui eum ſecuti ſunt „ in ſeptem diſtinctiones diviſerunt; in antiquioribus „ enim exemplaribus nulla eſt diſtinctionum ſeparatio. „ In aliquibus vero in margine tantum eſt diſtinctio „ prima, ſecunda “ &c.

Veriſimile ergo eſt diſpertitionem per diſtinctiones primum in margine fuiſſe annotatam, ac dein in corpus eſſe derivatam, forſan typographorum incuria.

Quidquid ſit de occaſione hujus diviſionis, hodie tractatus hic in ſeptem diſtinctiones dividitur, vocaturque, *Tractatus de pœnitentia*.

Verum cum hic tractatus omnino ſit diſparatus a materia, quam in ſecunda parte, ac notanter in hac Cauſa 32. & ſequentibus tractat Gratianus; hinc illum poſt abſolutam hanc ſecundam partem interendum judicavi, & nonnullis reflexionibus illuſtrandum.

Quid tertia pars Decreti contineat.

Tertiam partem ſui operis inſcripſit Gratianus *De Conſecratione*; eamque diviſit in quinque diſtinctiones; in quibus, nullo quoque pene ordine ſervato, agit de Eccleſiarum conſecratione, Miſſarum ſolemniis, de Sacramentis, præcipue Euchariſtiæ, Confirmationis, Baptiſmi, aliiſque nonnullis ad ea reductis, uti infra in compendioſa hujus partis expoſitione dicetur.

§. IV.

Ex quibus potiſſimum conſtet Decretum Gratiani?

Tria genera materiarum.

TRia potiſſimum ſunt, e quibus tamquam materia conflatur Decretum Gratiani.

Primum genus.

Primi itaque generis ſunt Conciliorum Canones; Pontificum & Epiſcoporum Decreta; Patrum, aliorumque auctorum Eccleſiaſticorum ſententiæ, & Regum aut Imperatorum ſanctiones, quæ exemplo Reginonis, Burchardi, Ivonis, aliorumque poſteriorum Canonum collectorum Gratianus collegit, & per varios titulos pro diverſitate materiæ diſtribuit; quæ omnia ſimpliciter ſub nomine *Canonis*, ſive quod idem eſt, *Regulæ* allegantur, & in ſcholis & auctoribus paſſim ſub hoc titulo citari ſolent, tametſi in ipſo Decreto habeantur ſub nomine *Capitum* (*b*).

Alia

(a) Si quis noſſe deſiderat, an quæ in Decreto Gratiani tractantur, inter ſe conjungi poſſint; adeat Florentem *Diſſert. de Methodo Gratiani*, & D. Doujat, *Prænot. lib.* 5. *cap.* 5. 6. 7. & 8. ibi ſane agnoſcet infelices fuiſſe eorum niſus, qui ad rectam ordinem in Gratiano inveniendam a laborarunt.

(b) Unaquæque pars Decreti conciliationes complectitur circa Canones, quos invicem Gratianus opponit; Paucæ ſunt in tertia, multæ in prima & ſecunda: Hoc diſcrimen exigit natura Canonum, qui in ſingulis partibus collecti ſunt: Nulla fere eſt contrarietas inter Canones in tertia parte relatos, plurimæ autem ſunt contrarietates inter Canones, quos prima & ſecunda pars complectitur.

Secundum genus.

Alia funt, quæ non fimpliciter fub nomine *Capitis* exprimuntur, fed addita hac voce, *Palea*.

Quid Palea?

Quid hæc infcriptio fignificet, non convenit inter Canoniftas. Nonnulli enim credunt, hanc vocem Canonibus præfixam, ut notaretur effe paleam, id eft levioris aut nullius momenti; adeoque tamquam paleam a reliquo tritico effe feparandam.

Utilitas Palearum.

Verum fi quis conferat Canones hac infcriptione notatos cum iis, qui eadem carent, comperiet, multos illorum, utilitate & auctoritate hifce præftare.

De earum origine.

Verifimilius proinde apparet, Canones hac infcriptione infignitus effe quafdam additiones, non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani; eafque in margine primum fuiffe adfcriptas, quæ dein vel librariorum, vel etiam eorum, qui editioni fuperintendunt, aut quod frequentius olim contingebat, fcriptorum incuria vel ignorantia in textum irrepferunt; idque interdum fine additamento, interdum cum additamento iftius vocis, *Palea*, ea forfan ratione, quod ut quidam credunt, additionum auctor appellaretur *Palea*.

Quid de earum antiquitate censent Correctores Romani.

Hanc opinionem verifimilem reddit, quod, monentibus Correctoribus Romanis, in antiquis exemplaribus Gratiani paucas aut nullas effe paleas obfervetur; adduntque in uno valde emendato exemplari capita illa, quæ paleæ infcribuntur „ depofita effe in margine fine „ ulla nota, fed non omnia quæ in impreffis: quamvis „ viciffim in illo additiones aliquæ fint, fcriptura toti „ volumini præponuntur. In cæteris habentur aut „ omnes aut pleræque, & quæ in his non habentur. „ In alio litteris perantiquis defcripto, paleæ ipfæ re„ centiori partim quidem cum paleæ nomine; partim „ vero fine ullo a cæteris difcrimine.

Quid Antonius Auguftinus?

Similiter Antonius Auguftinus *lib. 1. de Emendatione Gratiani Dialogo* 2. ait. „ Sed & videt in veteri„ bus Gratiani libris illa capita defiderari, & in Jo„ annis Teutonici fcholiis raro ad verba eorum aliquid „ adfcribi. Itaque exiftimo illa capita poftea adjecta „ fuiffe. Huc accedit, quod Bernardus Papienfis non„ nulla ex his in librum fuum retulit, quod de Gra„ tianis capitibus non facile invenies ".

Quid Baluzius.

Monet quoque vir eruditus Stephanus Baluzius in notis ad Antonium Auguftinum *pag.* 426. „ non vidiffe „ fe hoc vocabulum (Palea) in antiquis Gratiani exem„ plaribus manufcriptis, nifi quod aliquando, fed id „ tamen raro, diu poftea fcriptum eft in notis margi„ nalibus libro Sangermanenfi adjectis. Idem vocabu„ lum non reperitur etiam in prima editione Mogun„ tina in fronte capitum, quæ eo nomine prænotan„ tur in vulgatis editionibus: extat tamen, fed non „ adeo frequenter ut in vulgatis editionibus, in anti„ qua editione Veneta. Iftud vero non impedit, quin „ antiquitus adfcriptum fuerit in libris Gratiani, cum „ ejus diferta mentio extet apud Joannem Andreæ, & „ alios veteres Jurifconfultos ".

Paleæ non contemnendæ.

Dicunt quoque Correctores Romani: „ Falfam vero „ effe illorum opinionem, qui eas (Paleas) contemnen„ das putant, ex eo conftat, quod multæ & in De„ cretalibus, & apud vetuftiores Gratiano Collectores „ habentur, quod fuis locis (aiunt) indicabitur ".

Tertium genus rerum, quibus conftat Gratiani Decretum.

Tertio conftat Decretum Gratiani ex propriis ipfius Gratiani verbis, quibus cafus aut quæftionis pofitionem, vel fuam circa quæftionem propofitam opinionem, aut pro contraria opinione objectiones & argumenta expreffit: quæ omnia non fub nomine capitis vel Canonis, fed folum fub nomine Gratiani, uti alterius cujuslibet privati fcriptoris dicta, citari aut allegari folent, ut infra latius patebit?

§. V.

Decretum Gratiani prodiit plenum erratis.

Decretum Gratiani mendis & erroribus fcatens.

NON tantum fumma confufione laborare opus Gratiani, fed infuper infinitis propemodum mendis & erratis repletum primitus a Gratiano evulgatum effe, nemo negaverit; oftenduntque libri duo Antonii Auguftini de emendatione Gratiani, & innumeræ pene emendationes a Correctoribus Romanis appofitæ. Genera erratorum compendio expreffit Antonius Auguftinus

Erratorum Genera.

lib. 1. Dial. 1. „ Sæpe erratum effe video (ait) in „ nominibus hominum, urbium, Provinciarum, Con„ ciliorum, & aliarum rerum . . . . . . fæpe falfæ „ funt infcriptiones, & quæ Conciliorum funt, Pon„ tificum maximorum effe dicuntur, & quæ funt unius „ Epifcopi inferioris, Romano Pontifici, aut Concilio „ generali, vel Provinciali tribuuntur. Ex hoc gene„ re funt illa, quæ ex Concilio Martini Papæ, aut „ Hadriani Papæ fumpta effe feruntur, quæ vel Mar„ tino Bracarenfi, & Græcis Conciliis, vel Engelra„ mo Epifcopo, vel Hadriano ad Engelramum infcri„ bi debuerunt. Multa Gregorii, Ambrofii, Augu„ ftini, vel Hieronymi, verba effe dicuntur, quæ aut „ nufquam extant, aut aliena funt. Illa quoque ipfa, „ quæ infcriptiones habent veras, non recte referun„ tur, Sæpe enim contrarias fententias referri fcimus, „ fæpe valde præcifas. Jam vero quæ ex Græcis fon„ tibus manant, ex variis interpretationibus afferun„ tur, quafi fint aliorum fcriptorum; ac fæpe aliud „ græce quam latine fignificant ".

Exempla fingulorum in magna copia fuppeditant duo illi libri Antonii Auguftini, necnon notæ Correctorum Romanorum, quæ hodie in Decreto Gratiani correcto ad Gratiani loca fubduntur.

Primus erratorum fons.

Primus itque exundantior erratorum fons effe videtur, quod Gratianus, ex fæculi fui more, non ipfa Concilia aut Regefta Pontificum, aliave fanctorum Patrum fcripta revolverit & confuluerit; fed quæ in variis Canonum aut fcriptorum compilationibus reperit, fine ullo difcretionis examine in fuam collectionem tranftulerit.

Notavit id Antonius Auguftinus *lib. 1. Dial.* 6. Cum enim Petrus Galefius unus collocutorum dixiffet; „ Apud Gratianum ex Theodofianis legibus verba re„ ferri fcimus, quæ funt Pauli in libris Sententiarum, „ & ejus interpretis Aniani: Gratianus *cap.* 2. *quæft.* „ 6. *cap.* 22. & aliis quinque capitibus cum ignora„ ret, quæ Pauli effent, quæque interpretis, omnia „ congeffit ". Refpondet Antonius Auguftinus: „ Sum„ pfit hæc Gratianus, non ex ipfis fontibus, fed „ ex Ivonis Panormia, aut ex Decretis five excerptis „ ejufdem ".

Itaque quidquid ab illis vel ex ignorantia, vel incuria, aut etiam interdum fcienter erratum, aut commiffum fuerat, in fuum opus incautus retulit.

Præterea cum ætate Gratiani nondum nota effet ars Typographica, & virorum eruditorum fcripta amanuenfium opera communicari ac divulgari deberent, horum imperitia & ofcitantia, nonnunquam etiam audacia & præfumptione plurima quandoque mutabantur, aut mutilabantur, aliave ratione corrumpebantur, & hinc manufcriptorum codicum frequens varietas.

Secundus.

Cum vero nonnunquam vel manufcriptorum deeffet copia, vel non vacaret, aut non luberet manufcripta inter fe conferre, qua collatione errores deprehendi potuiffent, contigit, ut ex vitiato manufcripto errores ulterius fuerint propagati.

Quid de expurgatione Decreti Gratiani cenfuerint Canonistæ doctiffimi?

Hæc aliaque errata, quibus hoc Gratiani opus fcatebat, priufquam manus correctrix fuiffet appofita, merito moviffe videntur Antonium Auguftinum *lib. 1. de Emmendatione Gratiani, Dial.* 1. ut Petrum Galefium unum ex collocutoribus introduceret monentem, quod errata Gratiani attendens in veteri confirmetur opinione, qui fruftra hunc fcriptorem mendis purgari putet. „ Te vero (ait) potius hortari, & fi pateris, monere „ non definam, ut in eam tantum rem incumbas, ut „ meliorem harum regularum five Decretorum colle„ ctionem edas ".

Vix dubito, quin Antonius Auguftinus facile huic monito acquieviffet, atque ab emendando hoc opere abftinuiffet, nifi jam tum ea fuiffet illius auctoritas, ut laborem non inutilem Ecclefiæ & Reipublicæ fe præftiturum crederet, fi illud a mendis, quantum poffibile erat, repurgaret.

Ut ergo appareat viros multum eruditos, non fruftra, nec infructuofe hujus operis expurgationi incubuiffe & allaboraffe prius oftendam, quanto applaufu & confenfu opus illud, non obftante fua confufione, non obftantibus etiam mendis erratifque non levibus, ubique pene in judiciis ac fcholis publicis fupra omnes præcedentes Canonum & Decretorum collectiones receptum & probatum fuerit.

§. VI.

De Receptione Decreti Gratiani præ cæteris Canonum Collectionibus.

ANTONIUS Auguftinus relatis laudatifque variorum Doctorum collectionibus, dicit: „ Sed Gratianus „ eorum omnium luminibus obftruxit, multis quæftio„ nibus & diftinctionibus, additis ex jure civili Roma„ norum, quod tunc revivifcere cœperat, multis ca„ pitibus ".

Cæteris Collectoribus felicior fuit Gratianus.

Quin eo brevi pervenit, ut vere de Gratiano dixerit idem Antonius *lib. 1. Dial.* 1. de Emendatione Gratiani; quod licet verum effet, Gratianum nihil attuliffe, quod non apud anteriores Collectores reperitur, negari tamen non poffet, quin felicior fuerit cæteris Collectoribus: „ Quos in tenebris diu fuiffe novimus, „ dum hic omnium manibus verfatur, multorum in„ terpretum illuftratur lucubrationibus, refertur deni„ que in judiciis omnibus, atque a Theologis non mi„ nus quam juris utriufque peritis in pretio habetur ". Hæc ille.

Ejus Decretum ut fons Canonum fpectatur, idcirco cæteris collectionibus prælatum eft.

Et fane de jurifconfultis res per fe patet; cum eorum Commentarii vix ex alio, quam ex Gratiani Decreto Canones exhibeant; illudque paffim ut juris & Canonum præcipuum fontem refpiciant. Et quia in fcholis alios fibi vix prælegi Canones audiunt, dum ad forenfia properant, caufis Ecclefiticis inftruendis aut decidendis ex hoc Decreto Canones haurire folent. Si Theologorum, Scholafticorum quoque Commentarios, præfertim antiquiores, refpiciamus, auctoritates vix alias, quam ex Gratiano peti-

tas reperiemus; atque hinc & in his & in illis lapsus frequens, dum Gratiani suppositititias merces a veris non distinguunt, a quo nec S. Thomas omnino est immunis.

Ejus interpretes ejus judicium sine ullo examine amplexabantur.

Ulterius ea fuit Gratiani auctoritas, ut sequentes Decretalium Collectores ejus Collectionem ut Canonum Codicem seu Decretorum corpus respicerent; atque ad eam vel remitterent, vel quod opportunum sibi videbatur excerperent, parum solliciti an ea, quæ Gratianus referret, sincera essent, an mutilata vel apocrypha. Exemplis paucis hæc declarasse sufficiet.

Bernardus Papiensis auctor primæ collectionis Decretalium *lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 9. ait: *Illud autem, quod de Archiepiscopi consecratione, Ordinatione*, &c. *ut in Tractatu Ordinandorum.* " Ex quo apparet, ait Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem „ Decretalium *t.* 4. *cap.* 9. Bernardum Papiensem habuisse rationem collectionis Gratiani, & noluisse repetere, quæ is conscripsisset: namque Tractatus Ordinandorum appellari solet a Gratiano, *a distinctione* 23. *usque ad quæstionem primam sive causam conscripta*. Interpretes quoque veteres Alanus, Vincentius, Tancredus, Laurentius, & cæteri cum capita „ illius collectionis referunt, semper addunt particulam, *supra*, perinde ac si post Gratiani volumen „ hoc adscriptum esset. Si quis hanc clausulam integram desideret, videat *cap.* 1. *Dist.* 66. "

Quid vox *supra*, quid vox *Extra* in Decretalibus?

Et quidem in Decretalibus frequenter occurrit illa particula, *supra*, qua indicatum voluere citationem esse in collectione præcedenti, sive superiore, id est, in Decreto Gratiani.

Collectio Bernardi Papiensis.

Hinc Bernardus Papiensis primus post Gratianum Decretalium Collector, collectionem suam ita inscripsit; *Breviarium Extra*, hoc est, *Extravagantium*: eo quod præcipua Collectorum post Gratianum intentio esset colligere duntaxat, quæ extra Decretum Gratiani quasi *vagabantur*: quæ & propterea *Extravagantia* dicta sunt (*a*).

Cur Decretales post Gratianum dictæ *Extravagantes*?

Hanc Bernardi Papiensis mentem expressit Vincentius Hispanus, vetus Decretalium interpres, cujus hæc sunt verba apud Antonium Augustinum in notis ad primam collectionem Decretalium. " Quia non omnia „ comprehendi poterant in Decretorum corpore, ut „ *Dist.* 19. *si Romanorum*, ideo Magister Bernardus „ Papiensis Præpositus hoc opus compilavit, cujus intentio est, diversa *Extravagantia* Romanorum Pontificum, & auctoritates novi & veteris Testamenti „ compilare sub titulis. Materia sunt ipsæ Constitutiones seu Decretales " &c. Ut vel inde sat intelligi queat, qua in æstimatione apud Decretalium Collectores fuerit Decretum Gratiani.

Tanta olim fuit Gratiani auctoritas, ut de ea nemo dubitare auderet.

Neque multum erant solliciti, num per Gratianum relatum congrueret suo originali, & utrum ipsum originale esset authenticum, & non suppositititium, aut saltem non interpolatum, modo Gratiani fide niteretur.

Exemplum sit in *cap.* 1. *de Capellis Monach.* In prima collectione ponitur Decretum sub nomine Synodi Claromontensis sub Urbano II. etsi nusquam in Synodis sub Urbano II. tale Decretum reperiatur, uti ad *Can.* 2. *c.* 16. *quæst.* 7. notant Correctores Romani; sed satis erat a Gratiano hunc Canonem in citato Canone 2 ex illa Synodo referri.

Sic & Innocentius III. *cap.* 11. ✠ *de Renuntiatione* utitur auctoritate Canonis 2. pseudo-Synodi (*b*) Photianæ; eo quod sub nomine Concilii legitimi Constantinopolitani eum retulisset Gratianus *cap.* 7. *quæst.* 1. *Can.* 45.

Similiter in *cap.* 13. ✠ *de Judiciis*, Constitutio tribuitur Theodosio Imperatori, quæ nulla specie ei adscribi potest; eo quod Gratianus per errorem illam Theodosio tribuisset in *Canone* 35. *cap.* 11. *quæst.* 1. ex more nempe illus temporis, quo non ad fontes: sed ad Gratianum recurri solebat; quod pluribus exemplis in reflexionibus, seu brevi hujus operis commentario ostendetur.

§. VII.

Unde orta sit hujus Decreti communis receptio?

Qua ratione tanta auctoritas Decreto conciliata fuit?

MIRUM alicui non immerito videri posset, quomodo opus privati Monachi, qualis fuit Gratianus, tanta confusione compactum, tot erratorum congerie, nec non apocryphis monumentis refertum, ad eam auctoritatem & venerationem, de qua in capite præcedenti, pervenire potuerit, tantoque Doctorum tam Theologorum quam Juris peritorum consensu & applausu suscipi & laudari, meruerit.

Quatuor ad auctoritatem Gratiano conciliandam contulerunt.

Quatuor potissimum ad hoc opus, præ allis Canonum collectionibus, specialiter amplectendum, ejusque auctoritatem promovendam conduxisse a multis creditur.

Methodus, quam observavit.

Primum, methodus tractandi, & materia quæ Decreto continetur.

Collectores enim ante Gratianum Canones Conciliorum, & Pontificum Decreta, vel SS. Patrum, aliorumque auctorum sententia simpliciter referebant. At Gratianus, cum plures Canones, aut Patrum sententias inter se in speciem discordare vidit, varias interpretandi & conciliandi rationes excogitavit proposuit; unde & ejus opus nomen accepit *Concordiæ discordantium Canonum*.

Adhæc varias quæstiones in utramque partem discutit, ac discussas tandem resolvit.

Porro cum sub idem tempus oriri cœpisset disciplina tractandi, quam vulgo dicimus, *Scholasticam*, quæ in argomentationibus, variisque quæstionibus in utramque partem discutiendis plurimum occupatur, non parum placuit Doctoribus illius temporis methodus Gratiani, utpote Scholasticum tractandi modum multum præferens.

Materia, quam pertractavit.

Accessit deinde ipsa Gratiani materia. Gratianus enim præ reliquis Canonum Collectoribus jure civili Romano utitur, quod tum demum in Academia Bononiensi doceri & exponi cœperat: quo titulo Academiæ illius Doctoribus, præcipue Jurisconsultis, Gratiani collectio præ reliquis placuit.

Fama Academiæ Bononiensis, auctoritatem Decreti plurimum promovit.

Tertio quod ad diffundendam longe lateque operis famam juvit; erat Academiæ Bononiensis tum temporis nomen.

Cum enim in illa pene sola, ea ætate jus civile Romanorum in toto Occidente prælegeretur, ad ipsam undique juris studiosi in magno numero confluebant; qui cum a juris Ecclesiastici professoribus nihil præter Decretum Gratiani prælegi audirent, atque in illud Glossas ac Commentarios edi, illudque ut unicum sacri juris Codicem consuli, magnam indubie paulatim animis ipsorum illius existimationem instillavit.

Cumque studiorum curriculo absoluto ad proprios lares remeantes, hac circa Decretum existimatione imbuti, nihil præter Canones in eo contentos, atque Glossas & commentarios in eosdem deprædicarent, & secum comportarent, non difficulter intelligitur, summam hoc potuisse auctoritatem operi illi apud varias gentes longe lateque conciliare, maxime accedente temporum illorum conditione, ubi sine ullo fere examine tamquam authenticum recipiebatur quidquid in Collectoribus occurrebat.

Tandem ad eam conduxit defensio pseudo-Decretalium & prærogativarum omnium, quas Romanus Pontifex sibi vendicat.

Verum licet hæc ad commendandam Gratiani collectionem sive *Decretum* conducere potuerint, illud tamen præcipuum & pene unicum fuit, quod Gratianus in hoc opere non tantum retulerit ea, quæ pseudo-Isidorus ad amplificandam auctoritatem Romanorum Pontificum confinxerat; sed & plura alia addiderit ad hunc finem conducentia, quæ ille suo tempore scribere ausus non fuerat, uti Commentario seu reflexionibus notabitur.

Igitur hoc Gratiani opus ita ardornatum, non dubium quin admodum placuerit Romanis Pontificibus, & eorum Curialibus; adeout mirum videri non debeat, si non minus ad hujus operis auctoritatem & receptionem promovendam se impenderint, quam ad conciliandam auctoritatem confictis Isidorianis Decretalibus. Atque ita verisimile est & Decreti Gratiani, & falsarum Decretalium receptionem eodem fundamento potissimum niti.

§. VIII.

De emendatione Gratiani per Antonium Demo chares, & Antonium Contium.

Ratio, quæ contulit ad emendandum Gratianum.

SUB medium seculi decimi sexti Antonius Demochrares, & Antonius Contius, ille Theologus, hic Jurisconsultus, dolentes, opus, quod in Scholis publicis prælegebatur, Commentariis illustrabatur; immo ad quod tamquam totius Ecclesiasticæ scientiæ instructissimum armamentarium passim & Theologi & Canonistæ recursum habebant, tot mendis & apocryphis scatere: illud a falsis inscriptionibus & mendis purgare, & in meliorem ordinem formamque reducere studuerunt; atque apocrycha a veris monumentis secernere.

Quid potissimum primi executi sunt?

In primis itaque Antonius Contius capita sive Canones in Decreto Gratiani suis numeris distinxit: „ Ante Contianam enim editionem certum est, capitum nume- „ ris nullum Gratiani volumen fuisse distinctum „, uti „ monet Antonius Augustinus *lib.* 1. *Dial.* 18.

Ulteris duo hi viri, ac præcipue Contius, uti monet Franciscus Florens in Præfationes de methodo & auctoritate collectionis Gratiani *pag.* 44. plurimas addiderunt notas eruditione refertas, quibus & veras Canonum inscriptiones sæpius restituerunt, & apocrypha ac suppositititia a veris ac genuinis feliciter separarunt.

Quædam

Ad Canonem 1. *cap.* 30. *quæst.* 5. qui desumitur ex pseu-

(*a*) Cum Bernardus Papiensis an. 1190. suam Decretalium Collectionem fecit, jam anni 39. effluxerant tempore, quo suam Gratianus ediderat; ejus Decretum totidem ab annis fere legebatur in Scholis Juris Bononiensis; unde tum jam continuo usu teneretur, Bernardus intra editionem supplementi se continuit; ejusque exemplum cæteros deinceps Collectores intra eosdem limites videtur continuisse.

(*b*) Iste est Conventus, qui an. 879. Constantinopoli habitus est, in cujus Canones Scholia superius edidit D. Van-Espen. Extant hæc scholia *Tom. VII.* hujusce editionis.

Proponuntur emendationum exempla.

pseudo-Decretali Evaristi Papæ notat Contius, *omnia istius Evaristi Decreta videri posse supposititia, ut dixi* (ait) *in Præfatione*.

Et ad Canonem 11. desumptum ex *Epistola 2. Decretali* Eleutherii Papæ monet: „ Adulterinam esse hanc „ Eleutherii Epistolam, quæ tamen extat in primo vo- „ lumine Conciliorum, vel ex hoc fragmento liquet. „ Hæc enim sunt verba Constantini Imperatoris in *L.* „ 1. *Cod. Theodosiano de Judiciis*, quæ plusquam cen- „ tum post Eleutherium annis a Constantino rescripta, „ quæ illius Epistolæ fabricator suppresso nomine com- „ pilavit, putans furtum semper celari posse; sed & „ tam infeliciter compilavit, ut verba textus cum „ verbis subjectæ illi præposteræ interpretationis in „ Alarici Breviario temere miscuerit „.

Sed præ cæteris notanda nota apposita Canoni 13. *Distinct.* 16. ubi loquens de 24. Canonibus sub nomine Nicænæ Synodi extantibus in Epistola Julii I. præter 20. Canones Nicænos, qui vulgo extant, ait: „ Sed „ illos esse supposititios, vel id ostendit, quod nemo, „ ne Gratianus quidem ipse, eos allegare ausus est „. Addique hoc notandum: „ Multas autem supra in „ Præfatione adduxi, quibus omnes, quæ Silvestrum „ præcesserunt, Decretales falsas esse ostendi „.

Hæc sane nota non mediocrem hujus viri eruditionem insinuat, qui forsan Catholicorum primus, aut forsan inter primos detexit & probavit, quod hodie communi eruditorum consensu probatum est; scilicet Decretales, primis illis Pontificibus adscriptas, esse supposititias.

Verum Antonio Augustino verba illa: *Multas autem supra in Præfatione rationes adduxi, &c.* visa sunt Molinæi esse, non Contii.

Vindicatur Contius circa errores, quibus Decretum Gratiani liberavit.

Sed si alia, quæ jam ex Contio citavimus, cum hac nota conferantur, nequaquam obscurum erit, ea revera Contii esse, non Molinæi, uti recte advertit Franciscus Florens loco citato; & Stephanus Baluzius in notis ad Antonium Augustinum *pag.* 433. dicit, se non videre „ qua conjectura ductus Antonius Augustinus „ putaverit hoc Scholium non esse Contii, sed Moli- „ næi „. Qua conjectura Molinæi esse putaverit, non facile est divinare; at qua conjectura putaverit non esse Contii, ipse sat indicat verbis, quæ immediate subjungit. *Nihil enim*, ait, *ea de re Contius in Præfationibus editis scripsit*.

Dum hæc scripsit Antonius Augustinus verisimiliter non aliam Contii editionem præter Antuerpiensem ann. 1570. viderat.

Monet autem Franciscus Florens loco supra citato; „ quod „ Præfationem Contii mutilaverit Antuerpiensis „ librorum censor, qui ex ea breve tantum nobis frag- „ mentum reliquit: qua de re merito conqueritur Con- „ tius *lib. I. lection. variarum cap.* 10. *in fine* „.

Quærit Antonius Augustinus citato *Dial.* 20. sub finem: *Quid Romani tui de Scholio Contiano censent?* Respondet Petrus Galesius collocutorum unus: „ De- „ lenda esse illa verba, *sed illos esse supposititios*, & „ quæ sequuntur; Multo vero magis, ait, eis displicue- „ runt, quæ postea scripsit: *Multas autem supra in* „ *Præfatione rationes adduxi* „. Et revera notam hanc, uti & plures alias a Contio appositas Correctores Romani sustulerunt: „ Contius, inquit Florens, quam An- „ tuerpiensis Censor, qui Præfationem quidem mutila- „ vit, notas vero supra citatas imperite reliquit, qui- „ bus idem dicebatur, quod in Præfatione „.

At dicit ulterius Antonius Augustinus, aut ejus no- „ mine Petrus Galesius: „ Prædicto Scholio contrarium „ Scholium Contius, *cap.* 11. *dist.* 22. addidit; cum „ occasione Epistolæ Decretalis Anacleti ponitur hoc „ Scholium: Scio quosdam istorum Pontificum a Pe- „ tro proxime sequentium Decretales falsi insimulare, „ sed majorem ab his probationem requirerem; cum „ & in omnibus quotquot extant Canonum corporibus, „ ab Isidoro ex libro Damasi Urbis Romæ Episcopi „ collectis, hæ reperiantur „.

Contius eruditior Demochare Gratiani altero emendatore.

Hoc Scholium in editione Contii Antuerpiensi anni 1570. adscribitur Contio; sed monet hic rursum Franci- „ scus Florens: „ Contii editioni notas ex editione „ Democharis plures admixtas fuisse in editione Antuer- „ piensi absque delectu, ita ut non raro inter se pu- „ gnantia inserantur: non enim eadem semper fuit sen- „ tentia Democharis, quæ Contii, qui Contius longe „ eruditior, & ingeniosior erat „.

Hic per transennam observare licet; quomodo imperiti, & incauti nonnulli Censores interdum ipsa opera vel corruperint aliquid addendo; vel aliqua, quæ ipsis displicebant, delendo.

Fatendum est hos Correctores, signanter Antonium Contium, non exiguam & inutilem operam in emendatione Decreti Gratiani impendisse; nihilominus & illud fatendum, quod post omnem ipsorum laborem adhuc innumera pene essent emendanda & corrigenda.

Cæterum Præfationis Antonii Contii ad Decretum Gratiani, cujus sæpe hoc capite meminimus, & a Censore Antuerpiensi pro majori parte truncatæ fragmentum magnum præfixum habetur *tom.* 4. *Operum Caroli Molinæi ultimæ editionis Parisiensis anni* 1681. eoque continetur judicium Contii de Epistolis Decretalibus primorum Pontificum.

Ex hoc Præfationis fragmento patescit hujus viri non modica juris notitia & eruditio; atque postquam candide fassus est, se nullo improbe Gratianum ipsum ab omni reprehensionis ansa & occasione vindicare. „ Candide, inquit, in medium conferam ea, in quibus „ nobis vel dormitasse, vel non satis ex fide quæ rece- „ perat explorasse, aut perfecisse videri possit: ita „ tamen ut culpa vel potius sæculi sui errore, ac pro- „ funda rerum caligine prolapsum interpretari malui- „ mus, quam dolo aut aliqua Pontificibus Romanis „ assentandi ambitione „.

Contius. Gratianum in quibusdam emendat simul & excusat.

Post hæc subjungitur: „ Hujus autem generis sunt „ Epistolæ primorum Romanæ Urbis Pontificum, Cle- „ mentis, Lini, Cleti, Anacleti, & sequentium us- „ que ad Silvestrum, & deinceps usque ad Siricium, „ quas multo post tempore a nebulonibus quibusdam „ confictas & concinnatas certioribus mihi videor in- „ diciis, quam quisquam hactenus deprehendisse „.

Ejus judicium de pseudo Decretalibus Isidori.

„ Primo quod barbariore phrasi, aut stile, aut com- „ positione deteriore sint conscriptæ, quam ferret illo- „ rum temporum conditio; cum præsertim Leonis I. „ Gelasii, Innocentii, Cœlestini, & cæterorum, quo- „ rum vera scripta extant, Epistolæ longe illis sint „ elegantiores, latiniores, religiosiores. Secundo quod „ loci Scripturæ, qui in illis allegatur, ex nova Hie- „ ronymi translatione, quæ nondum extabat & quam „ nec ipse Hieronymus, nec alius ejus temporis scri- „ ptorum Catholicorum allegare tum ausus est, vigen- „ te adhuc septuaginta interpretum translatione. Et „ quomodo eam citare potuerunt antequam esset? Ter- „ tium & vehementissimum indicium est, quod plerum- „ que illic constituuntur & decernuntur, quæ longo „ post tempore primum ab Imperatoribus constituta, „ vel posterioribus Synodis fuerunt inducta. Unum „ autem pro omnibus insigne exemplum in medium „ proferam. Eleutherio uni ex illis Pontificibus Gra- „ tianus affingit *Can. Judicantem cap.* 30. *quæst.* 5. „ quod & in primo tomo Conciliorum legitur in in- „ tegra ipsius Julii Epistola. Atqui illa sunt legis Con- „ stantini verba (qui plus centum annis illo tempore „ posterior fuit) perperam in eam Epistolam ad ver- „ bum fere translata cum pessimi interpretis glossema- „ te. Nam extat ea lex in Breviario Alarici, & Co- „ dicis Theodosiani sub titulo *de Judiciis lib.* 1. quod „ Breviarium habuit Gratianus, & ex eo multa in „ suum volumen transtulit “.

Ex his evidens est, hunc virum jam tum non dubitasse de falsitate & suppositione harum Decretalium, eamque indubie in ipsa integra sua præfatione pluribus argumentis adstruxisse; recteque Franciscum Florentem dixisse, quod censor Antuerpiensis hanc præfationem Contii vel integram prætermisisset, vel pro majori sua parte truncasset.

§. IX.

De Correctione Romana & Antonii Augustini.

Ratio, quæ S. Pontifex ad emendandum Gratianum induxit.

CUM in Synodo Tridentina decretum esset, ut Missalia, Breviaria, aliive libri ad Officium & Ritum Ecclesiasticum spectantes reviderentur, & emendarentur, aut deleretur si quid apocryphum, aut divini Officii majestati minus conveniens contineretur; una cogitari cœptum est de ulteriore Decreti Gratiani emendatione. Indecorum enim atque Ecclesiæ quodammodo probrosum videbatur, quod opus primam corporis seu Codicis Ecclesiastici partem conficiens, quodque in Academiis Catholicis publice juventuti pro adipiscenda notitia disciplinæ Ecclesiasticæ prælegitur. & in judiciis pro decisione causarum profertur, tot mendis crassisque erroribus, & apocryphis citationibus esset refertum.

Sub quibus Pontificibus inchoata & absoluta fuit hæc emendatio?

Et quidem Pius IV. sub quo Synodus Tridentina finem accepit, ac dein Pius V. ejus successor, selectis quibusdam viris hanc Provinciam commiserant; sed tanti moliminis erat hujus operis emendatio & correctio, ut sub his Pontificibus nihil ad perfectum perduci potuerit.

Tandem mortuo Pio V. ei successit *Hugo Boncompagnus* dictus Gregorius XIII. patria Bononiensis, in eaque urbe olim Canonum Professor; & qui tamquam Cardinalis emendando Decreto Gratiani jam fuerat admotus, sub quo strenue huic operi absolvendo allaboratum est, ac tandem ultima manus apposita.

Quibus ejus cura demandata sit?

Catalogus Cardinalium & Doctorum, quibus a Pontificibus Romanis hæc cura demandata fuit, exhibetur ad calcem Dialogi ultimi libri prioris Antonii Augustini, de quibus loquens Franciscus Florens Gallus in præfatione de auctoritate Gratiani, ait: “ Doleo „ tamen, & moneo nec abs re, unicum *Gallum* Ar- „ naldum Pontacum, & sero adhibitum. Reliqui qui „ omnes fuerunt aut Itali, aut Hispani “. Quam fuerit hæc eruditi viri querimonia fundata, probant, quæ in hac emendatione desiderantur, & in reflexionibus notabuntur.

Complures Bibliothecæ excussæ sunt.

Quæ in hoc negotio correctionis acta sint, exponitur in præfatione sive monito ad Lectorem Decreti Gra-

Gratiani emendato præfixo. *Itaque & Romæ, inquiunt, Vaticana Bibliotheca, & Monasterii Dominicani supra Minervam, aliæque non paucæ excussæ sunt, & ex aliis urbibus atque regionibus, invitati doctissimi homines, qui idem facerent, & si quid invenissent, quod ad hanc rem pertineret, ut sua pietate libenter communicarent, atque ad Pontificem mitterent.*

Doctores Lovanienses ad hanc operam excitati.

Breve Apostolicum missum ad hanc Lovaniensem Academiam, quo monentur Doctores, ut conferant operam suam pro emendatione Gratiani, extat in volumine continente Acta ab anno 1567. usque ad annum 1586. *fol.* 108.

Index librorum variis ex locis missorum, & quorum opera hæc Gratiani emendatio subsidium accepit, post præfationem appositus est; in quo sub littera D. habetur; *Decretorum excerpta ex Bibliotheca S. Trudonis ab Alberto Leonino, nomine Universitatis Lovaniensis.*

Quid tandem effectum?

Quid hinc consequutum sit, subjungitur: "Qua diligentia illud factum est, ut cum jam pro magna parte suum cuique tributum sit, ac propterea intelligi plerumque possit, quæ Synodorum generalium, quæ summorum Pontificum, quæ Provincialium Conciliorum, quæ Patrum Decreta ac sententiæ; atque inter hæc, quæ S. Romanæ Sedi probata sint, quæ minime, vix quisquam errare, atque incerta pro certis sequi, certa vero pro incertis suspecta habere posthac queat."

Quæ in emendatione citationum, quæ apud Gratianum non paucæ falsæ occurrebant, methodus servata sit, in eodem monito hoc ordine indicatur.

Quoad falsas citationes quid factum.

Primo: "Ubi error evidens erat, aut nonnulla Gratiani exemplaria cum veriore, atque ab aliis Collectoribus allata citatione consentiebant, sublatis falsis inscriptionibus, veræ sunt restitutæ."

Secundo; "Ubi vero, quamvis caput apud alium auctorem esset inventum, fieri tamen poterat, ut illius quoque esset, quem Gratianus citaret (sunt enim haud raro Decreta tralatitia, & sententiæ similes in bonis auctoribus) retenta Gratiani citatione, satis visum est, locum, ubi hodie habeatur, indicare."

„Et quoniam interdum aut capitis aliqua quidem pars illius auctoris est, qui citatur, aliqua vero minime, aut verba valde sunt mutata; id quoque est indicatum; adscriptumque præterea in margine, quo loco idem caput in Glossa Bibliorum Ordinaria, in libris sententiarum, & apud cæteros Collectores habeatur; eos præsertim, qui in hujus operis emendatione magno usui fuerunt.

Quid in emendatione textus.

Circa emendationem textus, hæc ratio servata fuit. „Primo initia capitum ob usitatas Doctorum citationes non sunt mutata, sed ubi ab originali discrepabant, in margine aut in notatione est indicata germana lectio."

Hæc sane cautio necessaria fuit, quia, ut supra monui, usque ad Contium, capita seu Canones non citabantur nisi per verba initialia, eo quod necdum essent numeris distincta, ideoque in hæc ratio inita fuisset, loca e Gratiano apud antiquiores a Contio relata vix reperiri potuissent.

Habita ratio Glossæ.

„Deinde hæc Glossæ ipsius habita ratio est (pergunt Correctores in sua Præfatione) ut nihil in textu sit mutatum, ubi mutatio ipsa impeditura erat, quominus quid sibi auctor Glossæ voluisset, animadverti posset: sed eodem modo aut in margine aut in notatione mendum est indicatum."

„Ubi vero hæc non obstabant, hæc fere observata corrigendi ratio est: ut si videretur voluisse Gratianus auctorum, quos citaret; ipsa prorsus verba referre, ea ex ipso originali emendarentur, & interdum etiam non levi proposita utilitate, aliqua adderentur: nisi sicubi vulgata lectio visa est melior; nam tunc illa retenta, notatum est, quomodo originale ipsum habeat: sin autem Gratianus non eadem prorsus verba afferre voluerat, sed aut in summam quamdam ipse redigere, aut ab aliis redacta, ut ab auctore Glossæ Ordinariæ, ab Ivone, & aliis Collectoribus referre; tunc nihil fere emendatum vel additum est, nisi forte Patris illius, unde Collector acceperat, restituta lectio magnam afferre visa esset utilitatem; multisque locis id notatum est, & verba ipsius originalis allata, ut lector identidem in memoriam hujus adhibitæ cautionis revocaretur, & labore ad originalia adeundi levaretur."

Quid in forma emendationis desiderarunt eruditi.

Methodum hactenus expositam exacte a Correctoribus Romanis reipsa servatam esse, evincit textus notarum, & varietas, quæ inter Decretum correctum & non correctum intercedit.

Varietas lectionum solum indicanda.

Eruditis omnibus hæc emendatio admodum grata fuit; at in emendationis forma, illud in primis observatum desiderassent, ut vulgatæ & veteres editiones Gratiani nunquam ita fuissent immutatæ, quin ejus saltem mentio facta esset; immo ut a variis eruditis auctorum correctoribus observatum est, tantum variantes lectiones annotassent; lectori permittentes examen & judicium, quæ e variis lectionibus verior videretur,

Ad quid profuisset illa varietas.

Quin & hæc varietas lectionum nonnumquam obscuritatem, aut dubium, quod in Canone occurrit, elucidare potuisset; aut etiam detegere fontem lectionis, quæ apud veteres auctores reperitur.

Nihil in inscriptione debuisset mutari.

Illud quoque nonnullis minus conveniens visum est, quod viri illi eam sibi libertatem sumpserint, ut inscriptionem Gratiani, etiam interdum costantem in omnibus, tam editis quam manuscriptis Codicibus, sua auctoritate mutaverint: quo factum ut Gratiano attribuatur id, de quo nunquam cogitavit, nec amplius tam Gratiani quam correctorum opus habeatur. Exemplum suppeditat *Canon* 3. *dist.* 54. In omnibus enim antiquis editionibus habetur cum hac inscriptione, *ex Concilio Moguntiensi*, nisi quod Demochares & Contius pro *Moguntiensi* haberent, *Guntinensi*; qui & in margine notarunt: *Can. 8. Conc. Carthag. primi id habebatur.* Ex quo factum, ut Correctores Romani videntes eam Democharis & Contii notam esse veram, deleta inscriptione, quæ in omnibus Gratiani editionibus habebatur, hanc ex Concilio Carthaginensi primo substituerint, cum id potius in margine, ut Contius & Demochares fecerant, notari debuisset: hic quidem in nota subjecta veteris inscriptionis meminerunt, & unde ejus correctio desumpta sit, indicant, sed nec id ubique monendum censuerunt. Pro exemplo sit *Canon* 34. *dist.* 50. In omnibus antiquis editionibus hanc præfert inscriptionem: *Rabanus Archiepiscopus scribit ad Heribaldum*; Correctores Romani, nullæ suæ additionis facta mentione, addiderunt in contextu Gratiani, lib. Pœnit. cap. 1. hoc est, ex *libro Pœnitentiali* c. 1. quæ inscriptio non tantum falso attribuitur Gratiano, sed & falsa est, cum e contra vera esset ipsius Gratiani. Nam nullus liber Rabani Pœnitentialis unquam inscriptus legitur *Heribaldo*, sed extat Epistola Rabani ad Heribaldum, in qua præsens Canon extat, non capite primo, sed decimo, de quo confule Baluzium, tum in notis ad hunc Canonem, tum in Præfatione ad citatam Epistolam Rabani. Similiter inscriptio Canonis 4. *dist.* 68. ex emendatione Romana habet; *De his ita scribit Leo primus ad Episcopos Germaniæ & Galliæ*; quæ inscriptio non tantum adversatur omnibus Gratiani editionibus, adeoque Gratiano imponit; sed & manifeste falsa est; cum ex contextu Epistolæ compertum sit, eam nequaquam Leoni I. adscribi posse, uti observat in suis ad hunc Canonem notis Stephanus Baluzius, & fuse ac solide probat Paschasius Quenellus in dissert. 11. Operibus S. Leonis annexa, ibidem tamen monens eam videri esse Leonis III. adeoque veram esse potuisse Gratiani inscriptionem: quæ eam tribuit simpliciter Leoni, non exprimendo, num primo, num tertio.

Exempla mutationis.

Inscriptio Correctorum Romanorum falsa, vera autem Gratiani.

Alterum exemplum.

Ex his aliisque similibus non paucis sat intelligitur, quam fundata sit nonnullorum querimonia, quod sublatis Gratiani inscriptionibus, aliæ substitutæ fuerint, & non potius si quæ mutatio facienda judicaretur, ea in margine aut alibi annotata fuisset, intacto manente Gratiani contextu.

Major querimonia circa mutationem textus Canonum a Gratiano relatorum. Primum exemplum.

Verum de eo major extat virorum eruditorum querimonia, quod ipsum textum Canonum, prout a Gratiano referebantur, vel additione aliquorum verborum, aut eorum detractione sæpius mutaverint.

Exemplum sit *Can.* 3. *cap.* 8. *qu.* 1. Ibi post verba, *judicio Episcoporum*, in Codicibus Gratiani etiam manuscriptis, uti Correctores monent, sequebatur, *& electione Clericorum*, quæ sunt expuncta, inquiunt, quia neque in originali, neque apud cæteros Collectores leguntur. Sed nonne satius fuisset, textum servare integrum, & in notis admonuisse, eam clausulam non extare in originali, neque apud cæteros Collectores? Quidni fortassis Gratianus exemplar aliquod viderit Concilii Antiocheni, in quo clausula continebatur?

Secundum exemplum.

Interdum autem mutarunt contextum, monendo tantum in genere aliquid mutatum, quid vero illud sit subticentes. Exempli gratia in *Can.* 7. *cap.* 34. *qu.* 1. emendata & addita esse nonnulla ex originali, & cæteris Collectoribus notant, sed quid emendatum aut additum sit, non exprimunt.

Quinimmo quandoque aliqua addita sunt, ne quidem in genere ullius emendationis facta mentione. Plura istius exempla, qui volet, reperiet ex collatione Decreti emendati cum non emendato. Unum hoc pro specimine accipe.

Tertium exemplum.

In Can. 4. dist. 22. post hæc verba, *de Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, qui eam dubitet Sedi Apostolicæ subjectam?* Sequitur: *quod & D. piissimo Imperator, & frater noster Eusebius ejusdem civitatis Episcopus assidue profitentur*: quæ clausula deest in omnibus antiquis Gratiani editionibus & exemplaribus, etiam apud Democharem & Contium, adeo ut evidens sit, eam a Correctoribus Romanis additam esse, nulla tamen additionis facta mentione, aut insinuatione.

Consectaria ex mutatione a Correctoribus Romanis facta.

Ex hac tum inscriptionum, tum textuum immutatione, fit, ut Gratiani collectionem integram hodie non habeamus; sed collectionem per Romanos Correctores in pluribus immutatam.

Præterea ex hac immutatione contingit, ut quæ in antiquis auctoribus ex Gratiano citantur, & pro au-

ctoritate afferuntur, in ipso Decreto Gratiani non amplius reperiantur.

Denique quis ambigat, quin etiam & ipsa errata auctorum multum nonnunquam asserendæ & eruendæ veritati subserviant, præsertim auctoris, qui sæculis pluribus publice in scholis, & judiciis, atque a Theologis & Canonistis tamquam totius rei Canonicæ absolutum & perfectum armamentarium habitus sit.

Veteres Gratiani editiones consulere interdum convenit.

Hinc facile est concludere, quod licet fatendum sit, Romanam hanc Decreti Gratiani emendatam editionem in pluribus locis, Conciliorum, Patrum, aliorumque auctorum, e quibus sua deprompsit Gratianus, textibus esse conformiorem, & a multis mendis & sordibus esse purgatam; tamen si ipsam Gratiani collectionem ut a Gratiano edita est, & apud veteres Theologos & Canonistas recepta & laudata fuit, consulere velimus, recurrendum esse ad editiones, quæ Romanam editionem præcesserunt.

Emendationi Gratiani allaborat Antonius Augustinus.

Interea quo Romæ emendationi Decreti Gratiani allaborabatur, eidem sedulo quoque incumbebat Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis, atque duos libros Dialogorum de emendatione Gratiani scripsit, multa doctrina & eruditione refertos. Cum vero jam ferme ad finem operis perventum esset, allata est ad ipsum Tarraconem editio Gratiani emendata per Correctores Romanos. Hinc additiones composuit, quæ in fine singulorum Dialogorum extant, & ipsas Romanas Correctiones exhibent. Hoc opus jam pridem non satis accurate impressum, de novo reimprimi jussit Stephanus Baluzius; addit is tam ad ipsum Antonium Augustinum, quam ad Gratianum notis, quibus variantes præcipue lectiones ex vetustissimis Gratiani exemplaribus tam manuscriptis, quam editis, annotavit.

Correctioni Romanæ additiones subjecit.

Hoc opus integrum typis mandavit Baluzius.

§. X.

De erratis Gratiani post Correctionem Romanam.

GREGORIUS XIII. in Bulla edita in commendationem Decreti Gratiani jam emendati injungit omnibus Christi-fidelibus: " Ut quæ emendata & reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur, ita " ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur. "

Licet adhuc inquirere in errata Gratiani.

Hac tamen Pontificis declaratione nequaquam effectum est, quin etiam post Romanam emendationem plura errata & apocrypha in Gratiano superesse, quæ omnem Romanorum notam effugerint, fateri debeamus.

Judicium eruditorum de emendato Decreto.

Unde de Gratiano, etiam emendato, dixit Antonius Possevinus in *Apparatu sacro lib. 1. De Gratiano id sciendum est, cum sæpe errasse, tribuentem iis auctoribus opera, quorum non sunt*. Addit aliquot exempla.

Et ante ipsum Bellarminus *de scriptoribus Ecclesiasticis in Gratiano*, plurima refert erratorum notabilia exempla, quæ ipsi Correctores ne verbo quidem attigerunt, immo nonnulla ex iis pro veris ipsi agnoverunt.

Multa errata manserunt intacta.

Et quid plura, quis nescit pro apocryphis haberi veterum Pontificum Decretales Epistolas, aliaque plurima, quæ Isidorus vulgo *Mercator* summa audacia & impudentia confixit & supposuit, quibus tamen Gratiani Decretum plenum est? eaque omnem correctoriam censuram evasere; immo tamquam ad sinceros fontes sæpius ab ipsis Correctoribus Romanis ad illa lector remittitur. Quin tantum abest, ut viri illi Decretales illas pro apocryphis haberent, ut notas Antonii Contii, qui pleraque ut supposititias rejiciebat, omittendas censuerint, neque earum notarum in hoc articulo ullam rationem habuerint.

Errata non correcta.

Quid de Canonibus, quos sub nomine Concilii Eliberitani refert Gratianus, neque a Correctoribus Romanis in dubium vocantur, quos vir eruditus Ferdinandus Mendoza *lib. 1. de confirmat. Concil. Eliberitani cap. 6* supposititios esse evidenter ostendit; immo plures illorum ex Canonibus diversarum Synodorum in unum conflatos esse?

Quis insuper ignorat, quot his ultimis sæculis prodierint castigatæ editiones plurimorum SS. Patrum, in quibus tamquam supposititia probata & rejecta fuere quamplurima, quorum fragmenta sub nomine illorum Patrum Gratianus retulerat, & Correctores Romani pro indubitatis illorum Patrum operibus habuere?

Nequaquam igitur post Romanam emendationem recipiendum ut sincerum, aut suo originali conforme, quidquid a Gratiano refertur; immo nec omnia, quæ ipsi notarunt, aut mutarunt pro talibus habenda; cum certum sit, ut supra vidimus, etiam Correctores Romanos aliquibus attribuisse aliqua, quæ posteriorum diligentior inquisitio reperit iis tribui non posse: aliaque tamquam apocrypha rejecta, quæ Romani Correctores pro sinceris monumentis susceperant.

Inutilis non est correctio, quam Contius adornavit.

Ex dictis quoque conficitur, nec post Correctionem Romanam inutilem esse correctionem, & notas Antonii Contii.

Prima ratio.

Constat enim quædam ipsum annotasse tamquam apocrypha, quæ ut alia hodie etiam ab omnibus agnoscuntur, a Romanis tamen Correctoribus nequaquam notata: uti sunt, ut supra dictum est, omnes illæ Decretales Epistolæ primis Pontificibus suppositæ.

Secunda ratio.

Quædam deinde a Contio ex originali in margine ad supplendum fragmentum Gratiani notantur, quæ Romani Correctores omiserunt.

Tertia ratio.

Denique iidem Correctores Canones aut fragmenta a Gratiano relata interdum ex originali suppleverunt, nulla facta distinctione supplementi & textus Gratiani, ut propterea nesciri interdum possit, quid Gratianus voluerit. At Contius dum ex fontibus, vel aliunde ad complendum aut elucidandum textum aliquid supplet, illud distincto a reliquo textu charactere notavit: quod tamen & in Contio reprehendit Antonius Augustinus: " Res enim, ait, est plena periculi, cum facile in his librarii labi soleant, & aliena verba vel " longius separata in nostrorum verborum numerum " referre. "

Ita metuebat vir ille, ne textus alicujus auctoris admixtione alienorum verborum immutaretur.

§. XI.

An Decretum Gratiani publica auctoritate polleat.

Ex persona Gratiani auctoritatem non habet.

DECRETUM Gratiani nullam publicam auctoritatem a suo posse mutuare auctore apud omnes in confesso est.

Cum enim Gratianus Monachus nulla in Ecclesia publica auctoritate esset donatus eam suo operi dare non potuit.

Neque pariter Decreto Gratiani publicam auctoritatem conciliat ejus in Scholis publica prælectio, si enim Trithemio credimus, ante tempora Gratiani Panormia Ivonis utebantur Juristæ. Et quid notius, quam Theologis in Academiis pluribus prælectum fuisse opus Magistri sententiarum; quod tamen publica auctoritate pollere nemo unquam dixit.

An ab Eugenio III. probatum?

Quod vero nonnulli dicere voluerint Decretum Gratiani ab Eugenio III. sub quo vixit Gratianus, approbatum fuisse: " Cum illud nullo (præter unum " Trithemium) probetur idoneo teste " inquit Boerius Epo apud Duacenses olim Canonum antecessor primarius *lib. 2. de Jure Sacro num. 134.* " merito " rejicitur a nobis ut suspectissimum: cum neque diligentissimus in rebus talibus annotandis Antoninus " Archiep. Flor. neque Platina in vitis Pontificum " accuratissimus, neque quis probatus auctor alius, " qui quidem in nostras venerit manus, id affirmet. " Quin immo contra sentiunt interpretes ad unum " omnes nostri tam civilis juris quam Pontificii, non " ab ullo unquam Pontifice nominatim fuisse probatum Gratiani hoc Decretum, sed sola consuetudine " receptum, neque plus auctoritatis adhuc habere, " quam per se habeant auctoritates ipsæ sive Pontificum, sive Conciliorum, sive quorumlibet aliorum " scriptorum, ex quorum fragmentis Decretum suum " Gratianus post Isidorum, & Burchardum, & Ivonem, & alios concinnavit: in propriis autem Gratiani verbis nihil esse magis auctoritatis, quam " quantum ratio & æquitas per sese patiantur, cum " non plus tribuatur Gratiano, quam interpreti cuiquam alteri.

Judicium Antonii Augustini de auctoritate Decreti.

Hæc ille, cui plene consonat vir in re Canonica versatissimus, quique summo studio libros duos Dialogorum de emendatione Gratiani summa eruditione confectos edidit, Antonius Augustinus in præfatione ad Canones pœnitentiales: " Est etiam, inquit, de" lectus habendus & ratio auctoritatis constituentium, " in quo video multos juris Pontificii studiosos vehementer decipi, qui Gratiani collectionem parem vim " cum Gregorianis habere putant; cum tamen Gregorius IX Pontificum auctoritate usus, omnibus iis " eo volumine Decretalium contentis vim legis statuerit. Gratianus unius Magistri & Monachi per" sonam gerens, ea, quæ retulit, non majori pollere " potuit efficere auctoritate, quam antea fuerunt. " Itaque ii quæ sunt ab eodem relata ex Pontificiis " Epistolis, aut ex Generalibus Conciliis sumpta, ea " suprema illa potestate, qua excellunt, apud omnes " vim legis obtinent: sed quæ ex Provincialibus Conciliis, aut ex Episcoporum, aut aliorum sanctorum " virorum libris aut Epistolis accepta sunt, ea generalem non habent auctoritatem. Accidit autem sæ" pe ut falsæ sint apud Gratianum inscriptiones singulorum capitum . . . . ita fit, ut ne illa quidem ca" pita vim legis obtineant, quæ dicuntur esse sumpta " ex Romanorum Pontificum, aut ex Generalium Con" ciliorum Decretis; sed necesse est adire fontes un" de emanarunt, ut certa ab incertis distinguamus. "

Judicium antiquorum Theologorum Parisiensium.

Observanda quoque hanc in rem vetus ac doctissima Theologorum Parisiensium dissertatio edita in confirmationem censuræ Episcopi Parisiensis contra aliquem e familia S. Dominici, qui sustinuerat, nihil reperiri apud S. Thomam quod non esset credendum: cujus dissertationis hæc est summa: nec S. Thomæ, nec Magistri sententiarum, nec Gratiani; immo nec cujuslibet alterius Doctoris, adeo esse per omnia veram sententiam, quin & errare & labi quandoque possit, quod nonnullis ex S. Thomæ, Magistri sententiarum, & Gratiani desumptis errorum exemplis ostendere conantur.

nantur. Scripta fuit hæc Apologia anno 1277. & extat ad calcem Magistri sententiarum.

Decretum nulla pollet auctoritate publica post Correctionem Romanam.

Decretum Gratiani ante Correctionem Romanam auctoritatem juris non obtinuisse facile omnes concedent; atque de eo duntaxat tempore loqui supra citatos auctores prætendunt nonnulli, qui post hanc correctionem volunt illud auctoritate Gregorii IX. ita esse probatum, ut Canones sive capita Gratiani undecumque desumpta juris auctoritatem acceperint; non secus atque capitula in Decretalibus Gregorii IX. relata; idque per Breve dicti Pontificis Gregorii IX. editioni Romanæ correctæ præfixum; in quo jubet, ut quæ emendata & reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur.

A Gregorio XIII. non creditur confirmatum.

Verum hæc non ad auctoritatem aliquam publicam Decreto impartiendam spectant, sed ad cavendum, ne quis operi publico, auctoritate sive cura Romani Pontificis purgato & correcto, privata auctoritate quidquam addere aut detrahere audeat.

Quam suam mentem apertius in aliis suis litteris eidem operi præfixis declaravit his verbis: " Nos opportune providere volentes, ut hoc jus Canonicum „ sic expurgatum ad omnes ubique Christifideles sartum „ tectum perveniat: ac ne cuiquam liceat eidem ope„ ri quidquam addere, vel immutare, aut invertere, „ nullave interpretamenta adjungere; sed prout in hac „ nostra urbe Roma nunc impressum fuit, semper & „ perpetuo integrum & incorruptum conservetur; Mo„ tu proprio „ &c.

Verba Pontificis etiam privatas Gratiani opiniones spectant.

Quid manifestius quam id unice intendisse Pontificem, ne quidquam post Romanam Correctionem corpori Canonico a se emendato adderetur, aut detraheretur, vel immutaretur.

Ad hæc, cum jam relata Pontificis verba totum Gratiani Decretum respiciant, etiam consequenter referuntur non tantum ad ea, quæ ex Conciliis vel Epistolis Pontificum, aut SS. Patrum, aliisque monumentis desumpsit Gratianus, quæ sub nomine Capitum citat; sed præterea ad ipsas privatas Gratiani opiniones, quas auctoritatem juris habere, atque a Pontifice ita probatas esse, ut ab iis recedere non liceret, nemo hactenus asserere ausus fuit.

Liberum est a sententia Gratiani recedere & sæpius recedit Glossa.

Exempli gratia Gratianus in principio *Dist.* 18. dicit: " Episcoporum igitur Concilia, ut ex præmissis „ apparet, sunt invalida ad definiendum & constituen„ dum, non autem ad corrigendum. Sunt enim neces„ saria Episcoporum Concilia ad exhortationem & cor„ rectionem; quæ etsi non habent vim Constitutionis; „ habent tamen auctoritatem imponendi & indicendi „ quod alias statutum est, & generaliter seu speciali„ ter observari præceptum ".

Hanc Gratiani opinionem, quæ negat Episcoporum Conciliis auctoritatem constituendi, & etiamnum hodie Decreto emendato continetur, quisquam dicet publica Ecclesiæ auctoritate probatam? Quam jampridem his verbis improbavit ipsius Gratiani Glossographus: „ Illud non est verum, quia Episcopi bene condere „ possunt Canones Episcopales, Archiepiscopi Provin„ ciales; quia quilibet populus & quælibet Ecclesia sibi „ potest statuere jus aliquod ".

Opinio Gratiani ab omnibus improbata.

Gratianus *Dist.* 1. *de Pœnitentia* in utramque partem disputat, an pro remissione peccatorum mortalium in Sacramento Pœnitentiæ requiratur oris confessio ipsi Sacerdoti facienda, an vero non sufficiat soli Deo confiteri; ac tandem allegatis multis Patrum sententiis post Canonem 89. finit his verbis: " Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sen„ tentia satisfactionis & confessionis innitatur, in me„ dium breviter exposuimus. Cui autem harum potius „ adhærendum sit, lectoris judicio reservatur. Utra„ que enim fautores habet sapientes & religiosos vi„ ros ".

Num hoc rursus Gratiani fluctuans in utramque partem judicium ab Ecclesia probatum asseremus? An non potius dicemus cum ipsis Romanis Correctoribus; " Cer„ tissimum est, & pro certissimo habendum, peccati „ mortalis necessariam esse confessionem sacramenta„ lem, eo modo ac tempore adhibitam, quo in Con„ cilio Tridentino post alia Concilia est constitu„ tum ".

Plura alia Gratiani dicta, quæ jampridem improbavit Glossa, item S. Antonius, & quæ tamen post emendationem Romanam supersunt, vide citata in notis subjectis *Dial.* 18. *lib.* 1. *Antonii Augustini de Emendatione Gratiani*, & in *Summa S. Antonini part.* 4. *tit.* 11. *cap.* 8.

Judicium Doctorum de auctoritate Decreti emendati.

His aliisque rationibus moti eruditiores passim tam Theologi quam Canonistæ, idem plane judicium de relatis a Gratiano Conciliorum & Pontificum Decretis, SS. Patrum, aliorumque auctorum sententiis proferunt post Romanam editionem emendatam, quale ante eam datum fuit; nimirum singula, quæ in eo comprehensa sunt, ad suos fontes & origines revocanda esse; eo quod, ait Andreas Vallensis in *procemio in Paratitlorum Decretalium* §. 8. *num.* 12. ratione auctorum, e quibus Decreta desumuntur, major vel minor sit eorum auctoritas.

Vallensi succinit alter Academiæ nostræ doctor Henricus Zoesius in *præfatione ad Decretales num.* 10. qui ibidem ostendens Decretum Gratiani a nullo Pontifice probatum, ait: " Neque item recte quis allegaverit, „ Decretum a Gregorio XIII. emendatum, retineri „ jussum, eique addi aut detrahi quid vetitum esse: „ nam hoc nihil ad confirmationem singularum eo „ contentorum, & non alio fine id factum, quam ut „ fides sit penes auctorem, nec alia Canonum ibi con„ tentorum est auctoritas, quam fontium unde ema„ narunt ".

Judicium Henrici Zoesii.

Judicium Fagnani.

Sed ut nostrates Theologos, Canonistasque prætereamus, quid ipsi Romani, etiam recentiores sentiant, audiamus.

Fagnanus ad *cap.* 1. ꝟ *de Constitut. num.* 38. probat opinionem Joannis Andreæ, quod generaliter decreta Conciliorum, decretales, & leges civiles a Gratiano ibidem insertæ, non aliam habeant auctoritatem quam leges ipsæ, decreta vel decretales.

Sententia Cardinalis de Luca.

Et latius Cardinalis de Luca in *Annotat. ad Concilium Trident. discursu* 28. *num.* 8. " Decretum Gra„ tiani non habet vim legis per se, utpote continens „ privatam collectionem plurium sententiarum SS. Pa„ trum, sive aliquorum Decretorum Conciliorum Ge„ neralium vel Provincialium; necnon registrationem „ aliquarum legum civilium, quæ antiquitus ante in„ ventionem vel communem receptionem, seu usum „ totius corporis civilis juxta compilationem Justinia„ ni, sparsim circumferebantur, per manus aliquorum „ eruditorum, sive registrata habebantur in Codice „ confecto per Gothicos Reges, qui in aliquibus His„ paniæ partibus regnabant; atque eatenus aliqui ex „ dictis Canonibus vim legis habent, quatenus per se „ eam auctoritatem circumferebant, ut sunt Decreta „ aliquot Conciliorum, sive illæ sanctorum Patrum „ Traditiones, quas Ecclesia recepit ".

His uno pene calculo subscribunt tam Theologi quam Canonistæ, negantes auctoritatem juris volumini, quod & hodie post repurgationem factam, mendis erroribusque non paucis scatere sciunt.

Decretum Gratiani non ita probatum est ut Institutiones Justiniani.

☞ Agnoscunt tamen Canonistæ peritissimi opus aliquod a privatis viris doctissimis collectum & in ordinem redactum, Ecclesiæ aut Principis auctoritate posse probari, & quæ in eo contenta sunt vim legis obtinere: sed illud jus & hanc prærogativam Decreto Gratiani competere negant. Quippe contendunt nec Gregorium XIII. nec alium quemvis summum Pontificem unquam edixisse de contentis in Decreto Gratiani, quod de *Institutionibus* juris civilis, quas privati quidam homines compilarunt, dixit Justinianus in procemio Institutionum §. 6. *Et legimus & recognovimus & plenissimum nostrarum Constitutionum* Robur *eis accommodavimus*: sed solum jussisse, ne Decreto emendato quidquam adderetur, aut detraheretur, vel immutaretur: quod & de alio quocumque opere vere enunciari & statui posset (*a*) ☜

§. XII.

Quædam observanda circa Decretum Gratiani.

PRIMO notandum circa hoc Decretum, quod Gratianus hoc suum opus demum composuerit & ediderit circa medium sæculi duodecimi.

Tempore Gratiani pseudo-Decretales Isidori erant in pretio.

Porro scitur, eo tempore in pretio fuisse collectionem pseudo-Isidori, cui insertæ erant falsæ Decretales primis Pontificibus suppositæ, aliaque plura fictitia monumenta, necnon Canones Conciliorum in alienum sensum detorti.

Insuper & hoc constat, ætate Gratiani has falsas Decretales, necnon relicta fictitia monumenta tamquam authentica fuisse recepta, atque in illis expressam disciplinam pro disciplina Ecclesiæ & jure Ecclesiastico, ac notanter in Academia Bononiensi, agnitam.

Idcirco earum auctoritatem sine ullo examine admisit.

Hinc factum est, quod Gratianus non tantum has epistolas decretales, aliaque conficta monumenta: nec non corruptos aut contortos Canones, ut authentica & sincera reputaverit, prout in collectione pseudo-Isidori, & apud præcedentes Canonum Collectores, puta Burchardum, Ivonem, &c. extabant, & illis ut talibus usus fuerit: sed insuper disciplinam & praxim; quæ auctoritate horum falsorum monumentorum invaluerat, tamquam avitam & sinceram Patrum Canonicam disciplinam proposuerit, & propugnandam sive confirmandam censuerit.

Ad earum sensus textus veterum Patrum quoad disciplinam expressit vel contorsit.

Hinc ulterius contigit, Gratianum plurimos Conciliorum Canones, necnon veterum Pontificum Decreta, puta sanctorum Leonis, Gregorii, &c. sanctorum quoque Patrum & aliarum sententias (quibus sincera & verissima disciplina per octo ut minus sæcula conservata, legebatur expressa, frequenter in alienum sensum vel aliqua detrahendo, vel addendo, aut etiam immutando, ad sui temporis disciplinam a pristina Pa-

trum

(a) Quæ intra duas manus inclusa leguntur decerpta sunt ex *Tractatu historico-Canonico*, quem in Canones elaboravit D. Van-Espen

trum diſciplina omnino alienum & diverſam inflexiſſe (a). Ad hæc volens Gratianus Canones & Patrum dicta cum fragmentis falſarum Decretalium, & aliis confictis monumentis conciliare, conciliandi rationem a Canonum & Patrum ſententiis prorſus diſſonam ſæpius impendere coactus fuit. Ex hac autem conciliandi ratione non ſemel contigit, ut novum jus & Patribus ac auctoribus octo ut minimum ſæculis ignotum, obtruſerit, quod tandem huic Decreto inſertum, quaſi pro jure etiam antiquitus uſitato auctoritate Gratiani receptum fuit.

Sicque veterem diſciplinam in Patribus expreſſam peſſum dedit.

Immo Gratianus exhibens Canones aut Decreta Pontificum, quibus, evidentibus terminis, veterum Patrum ac Pontificum & priſtina Eccleſiæ diſciplina proponebatur, cernenſque hæc non congruere praxi & diſciplinæ, quæ auctoritate falſarum Decretalium ſuo tempore invaluerat, conciliandi rationem ſubjecit, quæ non tantum erat incongrua, ſed evidenter dictis Pontificum & Patrum erat contraria, & omnem in illis expreſſam Eccleſiæ diſciplinam evertebat.

Ordini judiciorum ſua ætate obſervato ſuum accommodavit opus.

Secundo notandum tempore Gratiani, ordinem judiciorum ad normam juris civilis in Eccleſiaſticis Tribunalibus cœpiſſe ſenſim invaleſcere, atque ad eamdem normam cauſas Eccleſiaſticas per Judices Eccleſiaſticos inſtrui & dijudicari.

Huic praxi ſe accommodans Gratianus plura ad hunc ordinem judiciarium forenſem, primitus in Eccleſiaſticis judiciis inuſitatum, ſpectantia, præcipue ex jure civili deſumpta, ſuo Decreto inſeruit, quæ nullatenus ad diſciplinam Eccleſiæ, in priſtinis Canonibus & Patrum ſcriptis expreſſam, conducunt; ſed unice ad uſum forenſem, qui poſterioribus ſæculis auctoritate præſertim falſarum Decretalium, & accedente judicum Eccleſiaſticorum cupiditate ſummopere increbuerat.

Sibi propoſuit extendere juriſdictionem Eccleſiaſticam.

Præterea Gratianus ad exemplum pſeudo-Iſidori, & illius ætatis auctorum, huic pſeudo-Iſidori collectioni inſiſtentium, omnia quæcumque reperit, quæ ad extendendam juriſdictionem Eccleſiaſticam, atque Clericorum a foro ſæculari exemptionem conducere videbantur; ſine ullo pene examine impendit; quin eumdem in finem Canones nonnunquam & leges in alienum ſenſum detortos & mutilatos retulit: atque hinc in pluribus a Patrum diſciplina & priſtino Eccleſiæ regimine receſſit, & variis quæſtionibus ac controverſiis Patrum ætate ignotis occaſionem ſubminiſtravit, prout in reflexionibus ad hoc Decretum notabitur.

Quamvis multis ſcateat vitiis Decretum Gratiani, ejus tamen lectio utilis eſt.

Interim & hoc fatendum eſt, quod his non obſtantibus in Decreto Gratiani inter omnia illa apocrypha, & in alienum ſenſum detorta, reperiantur Canones & Patrum ſententiæ, in quibus ipſa priſtina Eccleſia diſciplina optimam Eccleſiæ regendæ rationem repræſentans exhibetur.

Proinde ſi hi Canones & Patrum dicta, ſeparatim attendantur ab apocryphis & contortis, & interpretationibus ac concluſionibus Gratiani a Canonum & dictorum Patrum ſenſu alienis, hoc Decretum Gratiani præ cæteris partibus & libris, quibus conſtat hodiernum Corpus Canonicum, utile eſſe poterit ad aſſequendam notitiam diſciplinæ, quam Eccleſia in ſuis Canonibus ſeu Regulis jam pridem præſcripſit, & quam Eccleſia ſemper retinendam optavit, & etiamnum hodie optat, in quantum temporum & locorum circumſtantiæ permittunt, intactam conſervari, atque ubi collapſa eſt reſtitui, optans etiam, ut Prælati Eccleſiæ reformationi allaborantes eam reſtaurent & revocent ad praxim.

Utilis eſt ad comparandam a vitæ diſciplinæ notitiam.

Certum enim eſt quod Gratianus in pluribus referat Canones Conciliorum: necnon ſanctorum Patrum dicta, quibus revera priſtina Eccleſiæ diſciplina continetur, & e quibus hæc oriri poteſt, ſi modo quæ recentiori manu vel per pſeudo-Iſidorum aliumve recentiorem Canonum Collectorem, aut etiam per ipſum Gratianum non ſat novam ac recentiorem diſciplinam a Patrum diſciplina ſecernentem addita aut intermixta ſunt, reſecantur.

Proinde non ſine fundamento Decreti Gratiani prælectio, ad reducendam optimam & avitam Patrum diſciplinam præ reliquorum juris Canonici librorum prælectione, puta Decretalium Gregorii IX. & ſequentium Pontificum utilior & convenientior apparuit.

Ideo Philippus II. Rex Catholicus Lovanii Decreti prælectionem inſtituit.

Hoc motivo inductus fuit Philippus II. Rex Catholicus, ut erectis in hac Academia pluribus juris Canonici prælectionibus, tandem illis de novo adjunxerit prælectionem Decreti Gratiani, idque ut hac prælectione collapſa Patrum diſciplina reſtaurari poſſet, ut probant litteræ Ducis Sabaudiæ Gubernatoris Belgici nomine Regis datæ ad Collegium Doctorum Juris 22. Aprilis 1557. in quibus inter cætera hæc leguntur: „ Honorabiles, docti & ſincere dilecti. Cum ſereniſſimus Rex Dominus & cognatus noſter obſervandus pro ſua in bonarum diſciplinarum, & præſertim juriſprudentiæ ſtudiis provehendis propenſione, nonnullorum Profeſſorum ſtipendia augenda duxerit, novaſque quaſdam lectiones inſtitui mandarit, nos tam laudabile Majeſtatis ſuæ inſtitutum executioni mandare cupientes, juſſimus pro ſingulis litteras pro obtinenda debita ſtipendiorum ſolutione congruas expediri. Verum cum præ cæteris Majeſtati ſuæ cordi ſit, ut novæ lectioni Decretorum recte provideatur. *Quam Majeſtas ſua pro horum temporum (quibus diſciplina Eccleſiaſtica graviter convellitur) neceſſitate, cupit ad primævam genuinamque ſuam revocari originem, ſic ut magis ad Eccleſiæ ædificationem, quam litium judiciorumque diſceptationem dirigatur*: dum diu multumque ad eam Provinciam idoneus quiſpiam quæſitus eſſet, tandem Majeſtas ſua ob ſingularem Petri Xemenii commendationem, illum quantumvis reluctantem eo impulit, ut conditionem eam ſuſciperet; circa quem quidem ea ſuborta fuit difficultas, quod dumtaxat Baccalaureus ſit in Jure Canonico, & altiorem gradum docendique auctoritatem non haberet. verum non viſum fuit hoc impedimentum tam egregium inſtitutum debere remorari, & uti Regia Majeſtas de eo cum ipſo diſpenſavit; ſic etiam vos non gravate eum ad hanc profeſſionem admiſſuros eſſe confidimus, ea tamen conditione ut infra annum a die captæ poſſeſſionis Doctoralia inſignia recipiat. Cum hæc autem lectio non minus Theologiæ operam dantibus quam juris Canonici ſtudioſis utilis futura videatur, talem ei horam aſſignari a vobis volumus, quæ utriuſque ſit accommodata.

Hora determinatur qua fit ea prælectio

Huic lectioni hodie deſtinata eſt hora decima matutina, quæ cum frequentiſſime per publicas diſputationes, ſive juridicas, ſive Theologicas occupetur, contingit ut hæc lectio frequenter vel intermittatur, vel præſertim a Theologis frequentari nequeat: ut proinde ad mentem Regis potius ei aſſignanda eſſet hora nona matutina, qua hora nulla in jure Canonico aut Theologia prælectio habetur.

S. Caroli zelus, ut ſtudium Canonum promoveatur.

De ſancto Carolo Archiepiſcopo Mediolanenſi, in ejus vita legitur: „ Ea Canonum ſcientia ipſi perjucunda erat, quæ Patrum mores & acta repræſentans, Eccleſiæ componendæ atque ordinandæ rationem continet: dolens autem eos communi conſuetudine tantummodo Canones ad interpretandum ſeligi, qui ad lites judiciaque valent, conſtituit ipſe, quis iis declarandis præeſſet, unde ſacra majorum inſtituta & ritus, optimumque Eccleſiæ adminiſtrandæ genus hauriretur ".

Quantopere hic ſanctiſſimus ac vigilantiſſimus Præſul pro reducenda avita Patrum diſciplina ſollicitus fuerit, camque in multis tandem reduxerit, ejus acta, ac notanter in Conciliis Provincialibus ſub ipſo celebratis Decreta abunde probant.

Conjicitur quod S. Præſul lectionem Decreti Gratiani inſtauratam voluerit.

Cum vero tum temporis paſſim juventuti in Scholis præter Decretales Gregorii IX. aliorumque Pontificum nihil prælegeretur, neglecta Decreti Gratiani prælectione, unde Patrum diſciplina aliquatenus hauriri poſſet, non dubium quin S. Carolus exemplo ſui Regis Catholici Philippi II. hujus Decreti prælectionem inſtauratam voluerit: atque proinde dum auctor vitæ dixit: „ Conſtituit ipſe, qui iis declarandis præeſſet, unde ſacra majorum inſtituta & ritus, optimumque Eccleſiæ adminiſtrandæ genus hauriretur ": non alium intellexerit, quam qui Decretum Gratiani prælegeret.

Decretum Gratiani legendum eſt cum diſcretione critica.

☞ At utilis erit Decreti Gratiani lectio, modo ea fiat cum diſcretione, adeo ut non indifferenter fides habeatur iis omnibus, quæ ab eo referuntur quaſi ſincera eſſent illorum Conciliorum, Pontificum, Patrum, aliorumque Auctorum verba, ſub quorum nomine proferuntur; modo etiam fragmenta nonnumquam cum ſuo textu integro conferantur; quippe ſuperius monui, quod non ſemel contigerit, fragmentum, quod Gratianus e reliquo contextu reſcidit, alterum vel obſcuriorem ſenſum reddere, quam eum quem totus contextus exprimit.

Non omnia rejicienda quæ a Gratiano relata ſunt quia hodie in fontibus reperiuntur.

Id unum hic monendum cenſui, non mox ut apocryphum aut falſum eſſe rejiciendum, quod a Gratiano relatum eſt, eo quod hodie ſub nomine Synodi vel Auctoris, e quo Gratianus citat, non reperiatur; cum certum ſit, multa vera eſſe, quæ temporum vetuſtas nobis ſubtraxit; aut hactenus non celavit. Quidni enim quædam Gratianus ſua ætate vidiſſe potuit, quæ vel temporum injuria perierunt, vel ſub pulvere Bibliothecarum hactenus deliteſcunt.

Id probatur exemplis.

Utque id poſſibile eſſe oſtendatur, duo exempla a Stephano Baluzio in notis ad Dialogos Antonii Auguſtini appoſitis relata, accipite.

(a) „ Veteris Eccleſiæ mores (inquit Card. Bona rer. Liturg. „ *lib. 1. cap. 1.*) ex præſentibus æſtimandi non ſunt ...... „ De ſacris Eccleſiæ ritibus, eorumque veneranda antiquitate, „ illi procul dubio male merentur, qui priſcos mores præſentis „ temporis conſuetudine metientes, omnem veterum diſciplinam ad hujus ævi praxim expendunt, ea perſuaſione decepti, „ quod nihil unquam ab his uſibus diverſum fuerit, quos a parentibus & præceptoribus didicerunt, & quibus ab infantia aſſueverunt. Quod ſi aliquando priſcorum Patrum monumenta „ evolvunt, quæ in illis obſcura ſunt; obſcuriora reddunt, veterem Eccleſiam cum præſenti comparantes: & ſi forte in aliquid „ incidunt, quod ab hodiernis ritibus diſcrepet, ſubſiſtunt & nutant, vel inconſulto reſpuentes, vel falſa interpretatione in alienum ſenſum detorquentes, quidquid a ſuis præjudicatis opinionibus abhorret. Ex quo fit ut in maximos errores, inque rituum „ Eccleſiaſticorum confuſiſſimam perturbationem labantur, quia „ nimirum illorum cauſas & fundamenta, ac ipſaſmet definitiones ignorant, quas bene percipere nemo poteſt, niſi ideam & „ imaginem antiquæ diſciplinæ in mente habeat ".

I. exemplum. Gratianus 7. *quæſt.* 1. *in principio* citavit Canonem ex Concilio apud *Arverniam* celebrato, uti etiam fecerant antea Burchardus & Ivo; ſed cum hunc Canonem in vulgatis Concilii Arvernienſis Canonibus non inveniret Antonius Auguſtinus, eum vero inter Canones Concilii Aurelianenſis V. reperiſſet; Antonio Auguſtino viſi ſunt reprehenſione digni Gratianus aliique Collectores; virga igitur cenſoria eos notavit, eo, quod perperam Concilio Arvernienſi attribuerint Canonem, qui a Synodo Aureliana V. fuit conditus. Non viderat profecto vir eruditus Synodum Arvernienſem II. cujus exemplar, quod exſtat Toloſæ in Bibliotheca Fuxenſi, edidit Jacobus Sirmondus: in hoc exemplari legitur Canon a Gratiano, Burchardo, & Ivone relatus, iiſdem verbis eodem ſenſu expreſſus. Conſulatur *tom.* 5. *Concil. edit. Labb. col.* 401.

II. exemplum. Alterum exemplum occurit in *Can.* 4. *cauſ.* 2. *qu.* 3. cum hac inſcriptione relata a Gratiano: *Ex Concilio Urbani Papæ habito Arveniæ*. Hunc Canonem cum Jacobus Sirmondus non deprehendiſſet inter vulgatos Canones illius Synodi, ſed eum legeret inter Canones non editos Concilii, quod exeunte ſæculo undecimo Urbanus II. apud Nemauſum habuit, admonuit Sirmondus in Antirrhetico ſecundo adverſus Petrum Aurelium *pag.* 97. falſam eſſe ejus Canonis inſcriptionem apud Gratianum, eumque eſſe reſtituendum Concilio Nemauſenſi. At injuſte Gratianum falſæ inſcriptionis accuſatum fuiſſe patuit: quippe ex vetuſtis manuſcriptis innotuit, hunc Canonem revera editum fuiſſe in Concilio Claromontano, apud Arverniam ſub Urbano II. & deinde in Synodo Nemauſenſi renovatum. Legantur notæ Gabrielis Collartii *tom.* 10. *Conc. col.* 590. (*a*).

§. XIII.

Quis ſit præcipuus ſcopus Reflexionum in Gratianum?

Sequentis Commentarii ſcopus. QUANTUMVIS plures viri eruditi jam pridem allaboraverint, idque non ſine fructu in corrigendis erratis Gratiani, puta Correctores Romani, Antonius Contius, Antonius Auguſtinus, de quorum opera in hac correctione adhibita hac præfatione egimus; nihilominus plurima adhuc ſuperfuiſſe corrigenda a pluribus notatum fuit, eaque, quantum potui, in his Reflexionibus annotare ſtudui: quin tamen viri erudítiores, & in criticis magis verſati adhuc plura ſint reperturi non dubito, quin & opto ac ſpero quod ea, quæ adhuc deſunt, ſint ſuppleturi: atque tandem hoc opus ab erratis & apocryphis plene purgatum juventuti prælegetur.

Exponitur methodus, quæ in Commentario ſequenti adhibetur ad emendandum Gratianum. Quantum vero ad Canones, quos vel truncatos, vel in alienum ſenſum detortos, aut auctoribus non ſuis adſcriptos notavi, pro eorum ſincera lectione & genuino ſenſu ad ipſos Canones remittendum lectorem brevitatis cauſa cenſui, una tamen notans, in quo a ſenſu Canonis recedat Gratianus: quemadmodum & nonnunquam ad integra Patrum aut aliorum auctorum ſcripta, quorum fragmenta Gratianus retulit; idque frequenter nonnullis aditis aut detractis, quæ ſenſum eorum reddunt vel obſcuriorem, vel a mente & ſententia auctoris alienum.

In hoc autem præ reliquis collimavi, ut ex his, quæ in Gratiano leguntur, excerperem & annotarem, quæ priſtinam & ſanctorum Patrum Eccleſiaſticam diſciplinam exprimunt ſive repræſentant, & qualiter ab hac Patrum diſciplina rGatianus deflexerit, quidque Gratiano occaſionem dederit ab ea deflectendi.

Inſuper ſingulatim ſtudui annotare puncta, circa quæ occaſione Gratiani nova ac recentior invaluerit diſciplina priſtinis ſæculis incognita.

Qui Decretum Gratiani attentius perlegerit, diffiteri non poterit in eo etiam hodie nonnulla admodum pernicioſa & ſcandaloſa occurrere aſſerta & principia, quem omnino cavenda monui, & quantum ſcandali adverſariis Eccleſiæ nonæ dederint, oſtendi, ut proinde non immerito cogitaretur, ut interim, donec a ſimilibus Decretum illud eſſet totaliter expurgatum, publica auctoritate potius prælegeretur Codex Canonum vulgo Dionyſii Exigui jampridem ab Eccleſiam Romana receptus, & ab Hadriano I. Papa Carolo Magno tamquam Codex Canonum, quo Eccleſia Romana utebatur, oblatus, in Sholis prælegeretur: cui addi poſſent illa, quæ a poſterioribus noſtris Synodis pro temporum & locorum conditione advita fuere; quemadmodum & prælectioni Juris Romani neceſſario vel ſaltem admodum utiliter Principum Edicta, nec receptæ Provinciarum conſuetudines adduntur.

(a) Hæc deſumpta ſunt ex Tractatu, qui *Canonico hiſtoricus* dicitur, quem D. Van-Eſpen adornavit Scholiis in Canones.



BREVIS COMMENTARIUS
IN PRIMAM PARTEM
GRATIANI

Constantem centum & una Distinctionibus.

GRATIANUS inchoando opus suum, præmittit: *Ac primum de jure divinæ & humanæ Constitutionis.*

Porro notant hic Correctores Romani verbo, *ac primum* : „ Hoc loco in ma„ nuscriptis Codicibus magna est varietas. “ Post hæc annotatis variantibus lectionibus tum in manuscriptis tum in editis Codicibus Gratiani occurrentibus, incerti, quæ inter has variantes lectiones magis conveniret textui Gratiani, subjungunt: „ Verumtamen in hac tanta varietate, quæ, ut aliæ conjecturæ mit„ tantur, argumento esse potest, nullam hic a Gratiano ipso positam esse *Rubri„ cam* (*a*); satis visum est, retenta vulgata lectione cæteras indicare “.

Ex his habemus, prout in præfatione notavimus, admodum incertum esse, quæ huic operi, prout hodie habetur, a Gratiano sint inserta.

Notandum præterea, quod Gratianus hanc suam partem Decreti dividat in Distinctiones, quasi in totidem titulos, hisque præmittere soleat quasi quamdam præfatiunculam, qua indicet, quid sub titulo seu Distinctione tractare seu discutere intendat.

DISTINCTIO PRIMA.

De jure naturali & humano.



RIMÆ distinctionis, seu primo titulo præmittitur hæc præfatiuncula: „ Humanum „ genus duobus regitur, na„ turali videlicet jure, & mo„ ribus. Jus naturale est, „ quod in lege & Evangelio „ continetur, quo quisque ju„ betur alii facere, quod sibi „ vult fieri, & prohibetur „ alii infere, quod sibi nolit „ fieri: unde Christus in E„ vangelio: *Omnia quæcum„ que vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem „ facite illis, hæc est enim lex & prophetæ* “. Matth. cap. 7. vers. 12.

Hac præfatiuncula non obscure indicat Gratianus, scopum suum esse, hac distinctione notare differentiam inter jus naturale & humanum.

In probationem hujus differentiæ adducit Can. 1. verba S. Isidori Hispalensis *ex l. 5. Etymol. c. 2.* „ Omnes „ leges aut divinæ sunt, aut humanæ, divinæ natura, „ humanæ moribus constant: ideoque hæ discrepant, „ quoniam aliæ aliis gentibus placent. *Fas*, Lex divina „ est. *Jus*, Lex humana: transire per agrum alienum „ fas est, jus non est “. Relatis his verbis Isidori concludit Gratianus: „ Ex verbis hujus auctoritatis evi„ denter datur intelligi, in quo differant inter se Lex „ divina & humana, cum omne quod *fas* est, nomine „ *Divinæ* vel *Naturalis* legis accipiatur: nomine vero „ legis humanæ mores jure conscripti & traditi intel„ ligantur “.

Nequaquam obscurum est. Gratianum *legem divinam* quasi legem *naturalem* reputasse; ideoque dum dicit ex Isidoro; *Fas lex divina est*, voluisse dicere: omne quod legi divinæ seu juri *naturali* conforme est, *fas* dici: quod vero ei repugnat, *nefas* esse; quemadmodum veteres Gentiles etiam sumpsisse hæc verba, *fas & nefas*, ostendit Joannes Dartis ad hanc Gratiani distinctionem: ibidemque notat ex Virgilio, quod sicuti jus naturale dicitur immutabile & æternum, ita & *Fas* immutabile & æternum dictum sit: „ Hujus rei hæc ratio, inquit „ reddi potest, quia, ut ait Philo Judæus, *lib. de „ Abrahamo*, cum olim ante leges omnes etiam Mo„ saicas, nondum distincta essent nomina delictorum, „ aut egregie factorum, nec pœnæ ullæ constitutæ, „ aut præmia, sed prisci illi homines ordinem naturæ „ sequerentur, quæ lex procul dubio antiquissima om„ nium; ipsi eam jus summum, *fasque* putaverunt, & „ consequenter quod esset contra naturam, *nefas*: „ ideoque duobus tantum illis verbis bona & mala ope„ ra designabant, *fas*, & *nefas*, fandum & nefandum, „ aut abominandum “.

Itaque videbatur Gratianus, post notatam ex Isidoro hanc inter jus humanum & naturale differentiam, huic distinctioni finem imponere potuisse: quandoquidem in præfatiuncula distinctioni præmissa, id unum hac distinctione ostendere se velle dixerat (*a*).

Verum Gratianus more suo a scopo sibi præfixo facile recedens, Canoni primo hanc clausulam subnectit: „ Est autem *Jus* generale nomen multas sub se conti„ nens species “.

Conformiter ad hanc clausulam hac distinctione, verbis ex prædicto libro S. Isidori desumptis, plures species juris describit; quæ magis ad Jus Civile, quam ad Ecclesiasticum spectant, & quæ distinctius & conformius ad ipsas leges exponuntur per interpretes Juris Civilis ad titulos *De origine Juris*: item *De Legibus & Constitutionibus*, &c.

Inter hæc tamen notandus Can. 12. in quo ex Isidoro Hispalensi hæc leguntur: „ Jus Quiritum est pro„ prie Romanorum, quod nulli tenent nisi *Quirites*; „ id est *Romani* “.

Circa hoc notandum, quod Isidorus hæc præscripserit sub initium septimi aut finem sæculi sexti: quando jus illud Quiritum sive *Romanorum* nondum pro jure communi extra imperium Romanum erat receptum.

DISTINCTIO II.

De speciebus juris civilis.

DISTINCTIONE secunda progreditur Gratianus exponere varias species Juris Civilis: idque rursus verbis ex libris S. Isidori desumptis, quæ etiam magis ad Jus Civile, quam ad Ecclesiasticum seu Canonicum spectant, uti & notavit Dartis ad hanc distinctionem, & de his latius & exactius tractatur a Commentatoribus Juris Civilis sive Romani ad titulos supra notatos. Id unum hic notandum, quod Gratianus Canone 7. dicit de lege, quam *Satyram* vocat.

Quid lex satura.

Satyra, alias *Satura*: ut habet nota marginalis, *Lex est, quæ de pluribus rebus loquitur, dicta a copia rerum & quasi saturitate*. Itaque Lex *Satyra*, seu potius

(a) Titulorum inscriptiones dicuntur *Rubricæ*, eo nominatim juris corpore donari soleat, quia Rubricis litteris antiquitus consignati erant tituli.

(a) Eo loci videtur Gratianus confundere jus naturale cum jure divino positivo, aut saltem clare non loqui de utriusque discrimine: at inferius Distinctione VI. suam de gemini hujusce juris diversitate mentem clarius aperit.

tius *Saturæ*, dicta fuisse videtur ea, quæ de pluribus simul rebus condita, vel ex multis aliis legibus contecta est.

Id admodum periculosum existimabant Romani; unde in legum sanctione, teste Festo, adscribebatur: *neve per Saturam abrogato aut derogato*, quod & hic notarunt Correctores Romani.

Hanc improbabant Romani.

Ad hæc verba Festi reflectens Dartis ait: „ Ex hoc „ loco Festi colligas, quanta prudentia cautum esset, „ ne leges de pluribus rebus diversis, sive quæ non essent ejusdem generis, simul una rogatione ferrentur, „ ne sic aliqua sine discussione reciperetur, sed unaquæque res serio examinaretur “.

Multo magis improbanda in Decretis Ecclesiasticis præsertim dogmaticis.

Id in respectu Legum Civilium & Politicarum merito cautum fuerit, quanto magis servandum in Legibus, Decretis, vel Constitutionibus Ecclesiasticis, præsertim dogmaticis, id est dogmata vel materiam fidei spectantibus; ut ita singula dogmata clare & distincte, ac singulatim prævia diligenti discussione proponantur, ut in eorum expressione nulla de sensu dubietas oriri possit: ne alias contingat ex eorum obscuritate fideles in varios circa dogmata sensus distrahi.

DISTINCTIO III.

Quid Canon.

CUm in duabus præcedentibus distinctionibus egisset Gratianus de Legibus Civilibus, hac tertia incipit nonnulla subjicere de Legibus Ecclesiasticis, ut ipse monet ad initium distinctionis; atque: „ Ecclesiastica „ Constitutio *Canonis* nomine censetur. Quid autem „ Canon significat, subjicit Can. 1. & 2. ex Isidoro „ dicens; Canon græce latine Regula appellatur. Regula dicta est, eo quod recte ducit, nec aliquando „ aliorsum trahit: alii dixerunt Regulam dictam vel „ quod regat, vel quod normam recte vivendi præbeat „ vel quod distortum pravumque corrigat.

DISTINCTIO IV.

Requisita ad justitiam & æquitatem & æquitatem legum.

HAc distinctione prosequens ex Isidoro materiam legum civilium, ait Can. 1. „ Factæ sunt leges, „ ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque „ sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrænetur nocendi facultas “.

Deinde monet *parte* 2. hujus distinctionis: „ quod in „ ipsa Constitutione legum, maxime qualitas constituendarum sit observanda, ut contineant in se honestatem, justitiam, possibilitatem, convenientiam & cætera, quæ in eodem libro Isidorus enumerat “.

Post hæc subjungit *Can.* 2. verba Isidori, in quibus hæc finalia notanda, præsertim pro lege Ecclesiastica: „ *Manifesta* quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro „ communi civium utilitate conscripta “.

Parte 3. Distinctionis monet: „ Ideo in ipsa Constitutione ista consideranda sunt; quia cum leges institutæ fuerint, non erit liberum judicare de ipsis, sed „ oportebit judicare secundum ipsas “. Id probat *Canone* 3. verbis sancti Augustini: „ In istis legibus temporalibus, quamquam de his homines judicent, cum eas „ instituunt, tamen cum fuerint institutæ & firmatæ, „ non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. Deinde ad calcem hujus Canonis subjungit: „ Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum „ moribus utentium approbantur: sicut enim moribus „ utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt; ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur “.

De necessaria legum publicatione.

Quod hic asserit Gratianus, *leges institui cum promulgantur*, eatenus verum est, tam de Ecclesiasticis, quam Civilibus & politicis legibus, quod non obligent eos, pro quibus feruntur, priusquam ita rite fuerint promulgatæ, ut vi illius promulgationis possint hi, quos lex concernit, in certam & publicæ auctoritati innixam notitiam devenire, uti latius expositum est *Tom. IX.* Tract. *de Promulgatione Legum part.* 2. *cap.* 1. §. 1. & 2.

Quo sensu firmitas legum a moribus utentium dependeat.

Quod vero addit Gratianus: *Firmantur, cum moribus utentium approbantur, &c.* sano sensu intelligendum est: certum enim est leges vim suam habere, postquam institutæ & rite promulgatæ sunt, etiam priusquam moribus utentium fuerint approbatæ; tametsi ex earum observantia postmodum illarum utilitas & necessitas amplius se manifestet; atque eatenus dici queat, *leges moribus utentium firmari*.

Adducta a Gratiano sub nomine Telesphori papæ, & SS. Ambrosii ac Gregorii apocrypha sunt.

Quod Gratianus ulterius asserit, quasdam leges hodie *moribus utentium in contrarium esse abrogatas*, verum est; sed in hujus probationem parum valet, quod *Can.* 3. adducit sub nomine Telesphori Papæ: hanc enim Decretalem esse e suppositititiis pseudo-Isidori mercibus, omnibus eruditis hodie persuasum est.

Interim in hoc suppositititio Decreto illud notandum, ibidem statui: „ ut septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Domini vocati „ a carne jejunent “: hac subjecta ratione: „ quia „ sicut discreta esse debet vita Clericorum a Laicorum „ conversatione; ita in jejunio debet esse discretio.

Huic Decreto subjungit Gratianus *Can.* 4. sub nomine Ambrosii in *libro Sermonum*: Verum vel solum Decretum hic sub nomine Telesphori citatum sufficienter probat, hunc sermonem merito referendum inter sermones S. Ambrosio falso adscriptos: quales plurimos ei falso adscriptos esse monet Bellarminus *de Scriptoribus Ecclesiasticis*.

Similiter fragmentum relatum sub nomine S. Gregorii *Can.* 5. non esse hujus Pontificis notarunt eruditi Monachi Benedictini operum S. Gregorii revisores, qui hoc fragmentum ad calcem Epistolarum *columna* 1302. ponunt sub hoc titulo, *fragmenta Epistolarum, quas Gratianus Gregorio tribuit*.

Illud autem quod hic rursus asserit, *leges confirmari moribus utentium*, non ita intelligi debet, quasi Principum leges, de quibus agit Gratianus, demum obligarent, postquam moribus utentium fuerint firmatæ, quandoquidem sciatur, in statu Monarchico leges suam vim & effectum accipere a voluntate Principis, non a voluntate populi; sed hoc verum est; quod ex moribus utentium, sive spontanea populi observantia, lex queat dici firmari, quatenus inde intelligitur legem hanc populo videri plane congruere, uti supra dictum est.

DISTINCTIO V.

Jus naturale immutabile.

INitio distinctionis hujus monet Gratianus: „ Hæc, quæ de prævilegiis, & cæteris infra positis scripta „ sunt, tam sæcularibus, quam Ecclesiasticis legibus „ conveniunt, nunc ad differentiam naturalis juris, & „ cæterorum revertamur. Naturale jus inter omnia „ primatum obtinet tempore & dignitate “. Ut id „ probet, subdit: cœpit enim (naturale jus) ab exordio rationalis creaturæ, nec variatur tempore, sed „ immutabile permanet “.

Objectio contra juris naturalis immutabilitatem.

Verum contra hæc, ac notanter contra assertam naturalis juris *immutabilitatem* format sibi Gratianus hanc objectionem: „ Sed cum naturale jus in lege & „ Evangelio supra dicatur esse comprehensum; quædam autem contraria his, quæ in lege statuta sunt, „ nunc inveniantur concessa, non videtur jus naturale immutabile permanere “.

Quod autem in lege divina quædam præscripta mutata sint, probat Gratianus duobus exemplis ex lege Mosaica desumptus dicens: „ In lege namque præcipiebatur, *ut mulier si masculum pareret, quadraginta; si vero fœminam, octuaginta diebus a templi cessaret ingressu*: Nunc autem statim post partum Ecclesiam ingredi non prohibetur: item mulier quæ menstrua patitur, ex lege immunda esse reputabatur; nunc autem nec statim intrare in Ecclesiam, nec sacræ „ Communionis mysteria percipere; sicut nec illa quæ „ parit, vel illud quod gignitur statim post partum „ baptizari prohibetur “.

Pro harum legum abrogatione seu cessatione adducit Gratianus quatuor Canones, sive fragmenta responsionis sancti Gregorii ad decimam interrogationem Augustini Anglorum Episcopi, quæ integra una cum aliis interrogationibus & responsionibus, ac Epistola extat inter hujus Pontificis Epistolas in editione Benedictinorum *lib.* 10. *Epist* 14.

Solutio objectionis.

In hac responsione latius adstruit Gregorius, legem Mosaicam de *ingressu mulierum in templum vetito* post partum, tamquam legem mere cæremonialem esse abrogatam: unde sine ulla hæsitatione scribit: „ Si mulier „ eadem hora, qua genuerit, actura gratias intrat Ecclesiam, nullo pondere peccati gravatur “.

Idipsum & de mulieribus, quæ menstrua patiuntur, dicendum esse asserit: addit tamen, quod si ex veneratione ab Ecclesia abstinere voluerint, non esse prohibendas.

Secundum hæc respondit Innocentius III. Archiepiscopo Armacano, qui ipsum interrogaverat, *utrum mulieres statim post partum debeant Ecclesias ingredi, vel ab earum ingressu per dies aliquot abstinere?* „ Quod „ postquam umbra legis evanuit & illuxit veritas Evangelii, si mulieres post prolem emissam acturæ „ gratias Ecclesiam intrare voluerint, nulla proinde „ peccati mole gravantur, nec Ecclesiarum eis aditus „ est denegandus, ne pœna illis videatur verti in „ culpas „.

Addit insuper & hanc clausulam conformiter ad responsum sancti Gregorii a Gratiano relatum: „ Si tamen ex veneratione voluerint aliquamdiu abstinere, „ devotionem earum non credimus improbandam „.

Cum autem mulieres passim ad tempus ex veneratione abstinerent, idque exemplo Beatæ Virginis, licet huic legi purificationis legalis non subjectæ, tandem invaluit, ut mulieres per aliquod tempus ab ingressu Ecclesiæ abstineant, & quasi purificationis diebus impletis, cum prævia Sacerdotali benedictione in Ecclesiam inducantur: qui ritus & hodie *Purificatio post partum* dici solet. De quo latius in *Jure Ecclesiastico T. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 2. *cap.* 6.

DISTINCTIO VI.

Illusio nocturna an & quando a susceptione corporis Domini ...

GRATIANUS initio hujus distinctionis ait: „ Quia vero de naturæ superfluitate sermo haberi cœpit, quæritur an post illusionem, quæ per somnium „ solet, accidere, vel corpus Domini quilibet valeat ac-

mini, aut ejus oblatione impediat?

„ cipere, vel si Sacerdos sit, sacra mysteria cele-
„ brare ".

De hac re undecima fuerat Augustini Angelorum Apostoli interrogatio proposito Sancto Gregorio; habeturque ad eam responsio Sancti Gregorii sat prolixa, e qua duo fragmenta refert Gratianus Can. 1. & 2. in quorum primo resolvit Sanctus Gregorius, sollicite inquirendum, unde hæc illusio nocturna oriatur, de qua latius tractare solent Theologi, qui casu occurrente consulendi.

Interim ex responso Sancti Gregorii habetur, ipsum existimasse majorem carnis munditiam requiri ad sacrificandum, quam ad simpliciter communicandum: postquam enim dixisset: "Cum e naturæ superfluitate, vel
„ infirmitate evenerit, omnino hæc illusio non est ti-
„ menda; quia hanc animus nesciens pertulisse magis do-
„ lendus est, quam fecisse: deinde subjungit, cum ve-
„ ro ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimen-
„ tis rapitur; atque idcirco humorum receptacula gra-
„ vantur, habet exinde animus aliquem reatum, non ta-
„ men usque ad prohibitionem percipiendi sacri myste-
„ rii, vel Missarum solemnia celebrandi; cum fortasse
„ aut dies exigit, aut exhibere mysterium pro eo, quod
„ Sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compel-
„ lit: nam si adsunt alii, qui implere mysterium va-
„ lent, illusio per crapulam facta a perceptione sacri
„ mysterii prohibere non debet, sed ab immolatione
„ sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet ".

Utinam id attenderent varii Superiores, præsertim regulares, qui suos ad quotidie celebrandum adigunt, unico sæpe motivo, ut plura Missarum honoraria habere queant.

Gratianus solutionem objectionis contra juris naturalis immutabilitatem distinctione præcedente motæ, demum attulit ad calcem hujus distinctionis; eo quod & hac distinctione de eadem lege Mosaica jam obrogata agere intenderet.

Abrogatio Legis Mosaicæ non officit juris naturalis immutabilitati.

Huic ergo objectioni respondet Gratianus: " In lege
„ & Evangelio naturale ius continetur; non tamen quæ-
„ cumque in lege & Evangelio inveniuntur, naturali juri
„ cohærere probantur. Sunt enim in lege quædam mora-
„ lia præcepta, ut, *Non occides*; quædam mystica,
„ utpote sacrificiorum præcepta, ut de agno, & alia
„ similia his. Moralia mandata ad naturale jus spe-
„ ctant, atque ideo nullam mutabilitatem recepisse
„ monstrantur. Mystica vero, quantum ad superficiem
„ a naturali jure probantur aliena: quantum ad mora-
„ lem intelligentiam, inveniuntur sibi annexa; ac per
„ hoc, etsi secundum superficiem videantur esse muta-
„ ta; tamen secundum moralem intelligentiam muta-
„ bilitatem nescire probantur. Naturale ergo jus ab
„ exordio rationalis creaturæ incipiens, ut supra di-
„ ctum est, manet immobile ".

Deinde subjungit Gratianus: " Jus vero consuetudinis
„ post naturalem legem exordium habuit, ex quo homi-
„ nes convenientes in unum cœperunt simul habitare.

Hisce indicare videbatur Gratianus, quod intenderet regredi ad materiam prosequendam, quam sub initium hujus primæ partis sui operis sibi proposuerat, scilicet exponere varias juris species, earumque inter se differentias, adeoque hic de jure consuetudinario tractare vellet.

DISTINCTIO VII.

De auctoribus Legum parum accurate agit Gratianus.

VERUM more suo omnia miscens Gratianus, & a proposito ordine facile recedens, subjicit distinctionem, in qua, prolatis duobus fragmentis ex lib. sancti Isidori, agit, de auctoribus seu conditoribus legum; & *Can.* 1. postquam monuit quod Moyses gentis Hebraicæ primus omnium divinas leges sacris litteris explicuit, enumerat deinde eos, qui apud Græcos leges dederunt, ac dein *Can.* 2. ponit *nomina eorum, qui leges XII. tabularum exposuerunt*, uti habet summarium Canonis. Notat autem Antonius Augustinus *lib. 1. de emendat. Gratiani dial.* 19. in pluribus hic erratum fuisse, nec dicere veretur: *Quæ de Codice Theodosiano scribuntur, Isidori & Gratiani ignorantiam detegunt*; quod ibidem latius ostendit. Cæterum indubitatum est, hæc exactius & fusius referri *in l. 2. ff. de origine juris*, & per interpretes hujus legis exponi.

DISTINCTIO VIII.

HAc distinctione videtur Gratianus reverti velle ad materiam sub initium distinctionis præcedentis sibi propositam; atque prosequi differentiam inter varias juris species; sed admodum obscure.

Differentia inter jus naturale & consuetudinarium, ac constitutum.

Et quidem in hujus distinctionis proœmio indicat se velle ostendere differentiam juris naturalis, a jure consuetudinario, & jure constituto: " Differt autem, ait,
„ jus naturale a consuetudine & constitutione: nam
„ jure naturali omnia sunt communia omnibus; quod
„ non solum inter eos servatum creditur, de quibus
„ legitur act. Ap. cap. 4. vers. 32. *multitudinis autem
„ credentium erat cor unum & anima una*: verum
„ etiam præcedenti tempore a Philosophis traditum
„ invenitur: unde apud Platonem illa civitas justissi-
„ me ordinata traditur, in qua quisque proprios af-
„ fecit affectus: jure vero consuetudinis vel constitutio-
„ nis, hoc meum est illud alterius ".

Ultimum membrum; scilicet, jure consuetudinario sive constitutione, id est jure humano, *hoc meum, illud alterius esse*, probat *Can.* 1. ex tractatu VI. S. Augustini in Joannem, *c.* 6. ubi S. Augustinus agit contra Donatistas, qui legibus Imperatoris villas sibi ademptas, & Ecclesiæ Catholicæ attributas conquerebantur, uti hic monent Correctores Romani.

Quare cum Donatistæ dicerent, *villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt*, ut ostendat Augustinus, ipsos post latas has leges Imperatorum nullum jus in ipsis habere, sed ad Ecclesiam Catholicam pleno jure pertinere, post nonnulla in probationem adducta, tandem ostendit res temporales nec ab Ecclesia, nec a privatis alio jure quam *jure humano*, sive Imperatorum possideri: *Jure humano dicitur, ait, hæc villa mea est, hæc domus mea, hic servus meus est: jura autem humana jura Imperatorum sunt. Quare? quia ipsa jura humana per Imperatores & Reges sæculi Deus distribuit generi humano:*

Præterea dicebant Donatistæ: *Sed quid nobis & Imperatori? Respondet: Sed jam dixi, de jure humano agitur, & tamen Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit*, Reges reveremini. *Nolite dicere, quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per jura Regum possidentur possessiones. Dixisti, quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ipsa jura humana renunciasti, quibus possidentur possessiones.*

Principum potestas respectu rerum temporalium.

Merito hic attendendæ notæ Correctorum Romanorum, quæ ostendunt, Gratianum a textu originali nonnihil recessisse. Interim ex hoc textu evidens est, Augustinum id unum voluisse, quod & Ecclesiæ & privati jure humano res temporales possideant, & quod sicuti jura humana auctoritate Principum ac Imperatorum instituta sunt, & diriguntur; ita Principes rerum temporalium supereminentem inspectionem & directionem retineant, quamvis penes Ecclesiam, & quosque etiam privatos sit rerum illarum proprietas, ut hic solide adstruit Joannes Dartis in Commentario hujus distinctionis.

Quidquid legi naturali reperitur adversum, vanum est & irritum.

Parte secunda hujus distinctionis ulterius probare intendit Gratianus, quod *dignitate* jus naturale *similiter prævaleat consuetudini & constitutioni*, uti loquitur ad calcem *Can.* 1. additque: " Quæcumque enim vel mori-
„ bus recepta sunt, vel scriptis comprehensa, si na-
„ turali juri fuerint adversa, vana & irrita habenda sunt.

In horum probationem refert *Can.* 2. quædam ex Sancto Augustino *lib. 3. Confessionum, cap.* 8.

Ut autem probet, quod si quædam moribus recepta sint, vel scriptis comprehensa, si juri naturali fuerint adversa, vana & irrita habenda sint, producit plura ex Sancto Augustino, & Sancto Cypriano.

Et quidem *Can.* 4. ex Augustino *l. 3. de Baptismo c.* 6. refert: " Veritate manifestata cedat consuetudo veritati. " Item: " Nemo consuetudinem veritati & ratio-
„ ni præponat; quia ratio & veritas consuetudinem
„ semper excludit. " Verum hæc a Sancto Augustino recitantur tamquam asserta per Episcopos in Concilio Carthaginensi sub Sancto Cypriano circa quæstionem de validitate Baptismi per hæreticos collati, uti & in margine ad hunc Canonem notatur.

Interim hæc Episcoporum dicta probat Sanctus Augustinus dicens: " Plane respondeo: quis dubitet ve-
„ ritati manifestatæ debere consuetudinem cedere "?
Quæ verba hic a Gratiano recitantur, sed tamquam ab eodem dicta.

Dein *Can.* 6. & 7. rursus in eamdem sententiam recitantur plura ab Episcopis in allegato Concilio Carthaginensi dicta, quæ sub nomine Sancti Augustini adfert. Et *Can.* 8. & 9. refert quædam ex Epistolis Sancti Cypriani ad Pompejum contra Epistolam Stephani; item ad Jubajanum & Cæcilium, in quibus Cyprianus vehementer urget, veritati consuetudinem cedere debere; atque inter cætera in Epistola ad Pompejum scribit:
„ Consuetudo sine veritate vetustas erroris est, pro-
„ pter quod relicto errore sequamur veritatem: scien-
„ tes quia apud Esdram veritas vicit, sicut scriptum
„ est: *Veritas manet & invalescit in æternum, & vi-
„ vit & obtinet in sæcula sæculorum* (*a*).

Hæc a Cypriano, & Episcopis Africanis dicta fuisse constat contra Stephanum; aliosque Episcopos, qui contra Cyprianum, & Africanos Episcopos, aliosque nonnullos sustinebant, Baptismum ab hæreticis aut schismaticis extra Ecclesiam Catholicam collatum, esse validum; quod cum potissimum ex continua Ecclesiæ consuetudine probare prætenderent juxta illud Stephani adeo vulgatum: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*: Cyprianus, aliique ei juncti substinebant consuetudinem veritati cedere debere: quod & S. Augustinus ultro etiam Donatistis (Baptismum extra Ecclesiam collatum ut invalidum rejicientibus) concedit: sed contra ipsos Donatistas sustinet & solide demonstrat, tempore suo tum auctoritate, tum ratione sat probatum esse, consuetudinem, quam Stephanus, aliique ipsi juncti allegabant, nequaquam rationi & veritati adversam esse,

Consuetudo veritati conformis retinenda.

sed

(a) Textus ille desumptus est ex lib. 3. Esdræ, qui non est Can.

sed omnino conformem, adeoque servandam: quia ut ipse Augustinus ait citato *Can.* 7. „ Cum consuetudi-„ ni veritas suffragatur, nihil oportet firmius reti-„ neri.

Gratianus non satis ipsa verba Cypriani & Africanorum, quæ Donatistæ pro suo errore asserendo objiciebant Sancto Augustino, a verbis Augustini distinguit.

Abusus eradicandi priusquam in consuetudinem transeant.

Præ cæteris autem hac distinctione relatis notari meretur quod relatum est *Can.* 3. ex Epistola Nicolai I. Papæ Hincmaro Episcopo Rhemensi inscripta: „ Mala consuetudo, quæ non minus, quam perniciosa „ corruptela vitanda est, nisi citius radicitus evellatur „ & privilegiorum jus ab improbis assumitur, & in-„ cipiunt prævaricationes, & variæ præsumptiones „ celerrime non compressæ pro legibus venerari, & „ privilegiorum more perpetuo celebrari. „

Non dubium quin, si prælati nascentibus abusibus sedulo pastorali sollicitudine invigilarent, radicitus facile evellerentur, qui eorum incuria radicem figentes quasi pro legibus habentur, ac admodum difficulter postmodum in totum evelli possunt,

DISTINCTIO IX.

Constitutum, sive jus humanum, naturali juri cedere debet.

POSTQUAM ostendit Gratianus consuetudinem juri naturali cedere debere, hac distinctione multiplici auctoritate probare vult, quod & constitutio juri naturali cedat, ut & in procemio distinctionis monet.

Hunc in finem profert sat longum fragmentum ex Epistola S. Augustini ad Bonifacium Comitem, in qua scribit Augustinus: „ Imperatores quando pro verita-„ te contra falsitatem constituunt bonas leges, terren-„ tur sævientes & corriguntur intelligentes: quicum-„ que ergo pergit Augustinus, legibus Imperatorum, „ quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non „ vult, acquirit grande supplicium: quicumque vero „ legibus Imperatorum, quæ *contra Dei veritatem* fe-„ runtur, obtemperare non vult, acquirit grande præ-„ mium. „

Idipsum late prosequitur ipse Augustinus, tum in fragmento hic per Gratianum prolato, tum in ipsa Epistola, cujus contextum immutato ordine Gratianum retulisse notarunt Correctores Romani: interim intentum Gratiani solide idem adstruxit Augustinus.

Justum est, ut Principes suis legibus pareant.

Hac Augustini auctoritate existimans Gratianus assertum suum sat esse probatum *Can.* 2. sub nomine Isidori Hispalensis refert fragmentum, quo probet, *justum esse, Principem legibus obtemperare suis, justa est enim eorum vocis auctoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.*

Auctoritas librorum Canonicorum.

Postquam ostendit Gratianus, consuetudinem legesque humanas veritati & juri naturali cedere, pluribus auctoritatibus, ac notanter S Augustini, adstruit dignitatem ac auctoritatem librorum sanctæ Scripturæ tam veteris, quam novi Testamenti.

In primis *Can.* 5. profert ex Epistola S. Augustini ad sanctum Hieronymum, sed corrupte, hanc notandam sententiam, quæ sanctæ Scripturæ, sive librorum Canonicorum auctoritatem super aliorum quorumcumque scriptorum libros extollit: „ Sic habetur apud „ Augustinum, *Epist.* 82. *alias* 19. Ego solis eis Scri-„ pturarum libris, qui jam Canonici appellantur, di-„ dici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum „ eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime „ credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod „ videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel „ mendosum esse Codicem, vel interpretem non asse-„ cutum esse quod dictum est, vel me minime intelle-„ xisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quanta-„ libet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo ve-„ rum patem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi „ vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratio-„ ne, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.

Et *Can.* 7. ex altera ejusdem Doctoris Epistola (quæ nunc est 40) ad Hieronymum refert fragmentum; in qua Epistola Sanctus Augustinus asserere non dubitavit: „ Si ad scripturas sanctas admissa fuerint vel „ (August. *velut*) officiosa mendacia, quid in eis re-„ manebit auctoritatis? Quæ tandem de scripturis il-„ lis sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ „ falsitatis obteratur improbitas? „

Denique ex eodem Augustino probare intendit, quidquid vel ex Episcoporum, aliorumque sanctorum litteris aut scriptis proferatur, id esse rejiciendum, si ostendatur sanctæ Scripturæ adversum.

Pleraque a Gratiano adducta, desumpta sunt ex his, quæ Sanctus Augustinus scripsit contra Donatistas: cum enim Donatistæ in justificationem sui schismatis & errorum, ac signanter circa invaliditatem baptismi extra Ecclesiam ab hæreticis vel schismaticis collati, non cessarent urgere auctoritatem Sancti Cypriani, aliorumque multorum Episcoporum Africanorum, qui invaliditatem hujusmodi baptismi sustinuerant, & conformiter ad eam opinionem baptizatos ab hæreticis aut schismaticis rebaptizabant, multis ostendit Augustinus, factum Cypriani, & ipsi consentientium, Donatistarum schismati aut errori nequaquam patrocinari.

Fatetur quidem Augustinus, Cyprianum fuisse in ea opinione, seu errore & praxi, atque eam cum suis Episcopis in generali Synodo Carthaginensi sustinuisse: at una asserit, se non dubitare, quin hic sanctissimus Episcopus & martyr ab opinione sua & praxi recessisset, si eam Scripturæ sacræ, sive verbo Dei scripto vel non scripto difformem esse monstratum fuisset.

Addit præterea pro majori Cypriani excusatione, hanc quæstionem de validitate baptismi extra Ecclesiam collati adeo tempore Cypriani fuisse intricatam, ut dicere non vereatur, *lib.* 2. *de Baptismo contra Donatist, cap.* 4. „ Quod tale aliquid asserere non aude-„ ret, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctorita-„ te firmatus, cui & ipse (Cyprianus) sine dubio ce-„ deret, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas „ eliquata & declarata per plenarium Concilium soli-„ daretur. „

Tandem in libris contra Donatistas sæpius ostendit Augustinus, quod Cyprianus, licet sententiam & praxim suam eo tempore, quo veritas nondum erat sufficienter eliquata, & universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate, aut plenario Concilio solidata seu terminata fortiter sustinuerit, constanter tamen cum contrarium sentientibus pacem & communionem servaverit: in quem finem profert & laudat Augustinus ibidem *cap.* 2. sermonem a Cypriano pronuntiatum in exordio prædictæ Synodi Carthaginensis: „ Cum, ait, in unum „ Carthagine convenissent Kalendis Septembris Episco-„ pi plurimi ex Provincia Africa, Numidia, Mauri-„ tania, cum Presbyteris & Diaconibus, etiam præ-„ sente plebis maxima parte, & lectæ essent litteræ „ Jubajani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Ju-„ bajanum rescriptæ de hæreticis baptizandis, quidque „ postmodum Cypriano Jubajanus rescripserit, Cypria-„ nus dixit: Audistis collegæ dilectissimi, quid mihi „ Jubajanus Coepiscopus noster scripserit, consulens „ mediocritatem nostram de illicito & profano hære-„ ticorum baptismo, quidque ego ei rescripserim, cen-„ sens scilicet, quod semel atque iterum & sæpe cen-„ suimus, hæreticos ad Ecclesiam venientes Ecclesiæ ba-„ ptismo baptizari & sanctificari oportere. Item lectæ „ sunt vobis & aliæ Jubajani Epistolæ, quibus pro sua „ sincera & religiosa devotione ad Epistolam nostram „ rescribens, non tantum consensit, sed & instructum „ esse gratias egit. Superest, ut de hac ipsa re, quid „ singuli sentiamus, preferamus, neminem judicantes, „ aut a jure communionis aliquem, si diversum sen-„ serit, amoventes: neque enim quisquam nostrum E-„ piscopum se esse Episcoporum constituit, aut tyran-„ nico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos „ adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia „ libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium tam-„ que judicari ab alio non possit, quam nec ipse po-„ test alterum judicare; sed expectemus universi judi-„ cium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus „ habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ „ suæ gubernatione & de actu nostro judicandi. „

Cæterum Sanctus Augustinus tum in hisce libris contra Donatistas, tum in Epistolis, e quibus fragmenta recitat Gratianus, sufficienter adstruit quorumlibet Doctorum, & etiam Episcoporum dicta & scripta cedere debere libris Canonicis: & quod firmiter tenendum sit, nihil in eis falsi contineri, nec quidquam præcipi juri naturali contrarium, quod unum evincere voluit Gratianus.

DISTINCTIO X.

Juxta Gratianum Constitutiones Principum constitutionibus Ecclesiasticis obsequi debent.

HUic distinctioni præfigit Gratianus hoc procemium: *Constitutiones vero Principum Ecclesiasticis Constitutionibus non præeminent, sed obsequuntur.*

In hujus probationem plurima mutilata, incerta, quin & apocrypha profert Gratianus, uti circa fragmentum sub nomine Nicolai I. relatum *Can.* 1. sufficienter probat Correctio Romana. Similiter relata *Can.* 2. 3. & 4. sub nomine Symmachi & Felicis Papæ, parum authentica norunt eruditi.

In hujus asserti probationem nonnulla apocrypha adducit.

Porro quod in hoc suo procemio asserit Gratianus, *Constitutiones Principum Ecclesiasticis Constitutionibus non præeminere, sed obsequi*, nec simpliciter, nec generaliter verum est, nec auctoritates per Gratianum adductæ id probant; sed restringi debet ad Ecclesiasticas Constitutiones de rebus *mere* spiritualibus ad directionem animarum directe & unice spectantibus; non autem de rebus temporalibus, aut his quæ regimen Reipublicæ spectant, ad ipsius populi; & Reipublicæ pacem & tranquillitatem conservandam vel procurandam, uti sat luculenter probat fragmentum Epistolæ Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem a Gratiano relatum hac distinctione *Can.* 8. in quo hæc differentia luculenter exponitur.

Constitutionibus Principum circa temporalia obsequi debent Pontifices.

Scribit enim ibidem Nicolaus I. quod Christus actibus & dignitatibus officia utriusque potestatis (sæcularis & Ecclesiasticæ) ita discreverit: „ Ut & Christia-„ ni Imperatores pro æterna vita Pontificibus indige-„ rent, & Pontifices pro cursu temporalium tantum-„ modo rerum Imperialibus legibus uterentur; quate-„ nus spiritalis actio a carnalibus distaret incursibus;

& ideo,

„ Se ideo, *militans Deo minime ſe negotiis ſæcularibus* „ *implicaret* ; ac viciſſim non ille rebus divinis præſi„ dere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus impli„ catus. „

Hæc inter utramque poteſtatem differentia latius adſtruitur infra *diſt.* 96. ubi eam latius explanabimus occaſione famoſæ Epiſtolæ Gelaſii, cujus ibidem fragmentum adducitur.

Etiam quoad illa, quæ ſpectant externam Eccleſiæ diſciplinam.

Quin & Romanos Pontifices agnoviſſe, ſe ſubjectos legibus & Conſtitutionibus Imperatorum, non tantum externum, temporale, ac politicum regimen Reipublicæ concernentibus, ſed etiam externam & Canonicam Eccleſiæ diſciplinam ſpectantibus, evincit Epiſtola Leonis IV. inſcripta Lothario Auguſto, & hic a Gratiano relata *Canon.* 9. „ De capitulis vel præceptis ve„ ſtris Imperialibus, veſtrorumque Pontificum præde„ ceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis, & conſervan„ dis, quantum valuimus & valemus, Chriſto propi„ tio & nunc & in ævum nos conſervaturos modis „ omnibus profitentur ; & ſi fortaſſe quilibet aliter „ vobis dixerit, vel dicturus fuerit, ſciatis eum pro „ certo mendacem. „

Hoc fragmentum Epiſtolæ pro adſtruenda auctoritate *Capitularium* Regum Francorum adducit vir clariſſimus Stephanus Baluzius in doctiſſima ſua præfatione ad hæc Capitularia Regum Francorum §. 21. omiſſa voce, *Pontificum*, quæ in textu Gratiani manifeſte redundat, & ſenſum reddit obſcurum, uti ex nota Correctorum Romanorum liquet.

Hanc Leonis Epiſtolam ſpectare Capitularia Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii, & aliorum, quæ hodie vulgo dicuntur *Capitularia Regum Francorum*, oſtendit ibidem Baluzius.

Qua autem occaſione Leo Papa IV. hac ad Lotharium Epiſtolam ſcripſerit, exponit Baluzius in citata præfatione §. 23. „ Primo, ait, manifeſtum eſt ex „ textu Epiſtolæ, delatam adverſus eum querelam „ fuiſſe ad Lotharium Imperatorem, tamquam is Ca„ pitularia Regum Francorum contemneret, ad quam „ criminationem ille injuriam ſuam ulturus, ac ſui „ ſecurus, reſpondit, *ſe ea velle irrefragabiliter in* „ *ævum conſervare* ; magnum & impudens mendacium „ eſſe quidquid contra dictum fuerat Imperatori. Hanc „ interpretationem (pergit Baluzius) quæ alioquin „ manifeſta eſt, & cuivis obvia, debemus Bartholo„ mæo Brixienſi, cujus hæc ſunt verba : *Lotharius au*„ *diverat, quod Leo Papa nolebat leges ſervare Impe*„ *riales, unde interrogavit de hoc Papam, an eſſet ve*„ *rum? Quare Leo ſcribit ei, & dicit, quod vult le*„ *ges ſervare irrefragabiliter, & qui aliter dicit,* „ *mendax eſt*. „

Cum autem hæc Capitularia, ſive capitula ſeu præcepta non tantum res temporales, ac temporale & politicum regimen Reipublicæ concernerent : ſed vel potiſſimum diſciplinam exteriorem Eccleſiæ, recte ibidem redarguit Baluzius Cardinalem Baronium, qui hanc Leonis Epiſtolam ita interpretatur, quaſi Leo dicere duntaxat voluiſſet, conformiter ad ſupra relatam Epiſtolam Nicolai I. *Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum, Imperialibus legibus uti*.

DISTINCTIO XI.

Quæ ſit vis conſuetudinis? Conſuetudo contra legem divinam, aut naturalem corruptela eſt.

PERGENS Gratianus exponere, quæ ſit legum & Canonum vis & auctoritas, hac diſtinctione agit de conſuetudine.

In primis certum eſt, conſuetudinem, quæ eſt contraria bonis moribus, aut juri naturali, non tam pro conſuetudine, quam pro abuſu & corruptela reputandam eſſe, uti ſupra notatum eſt, atque de hac intelligendus eſt Iſidorus, cujus verba non ſat exacte Gratianus Can. 1. retulit ; ſed in margine ita ex originali exprimuntur : *Quod malis juſſionibus non ſit obtemperandum*.

De ſimili quoque conſuetudine intelligi creditur, quod ex *lib.* 8. *Cod. Quæ ſit longa conſuetudo*, refertur *Canon.* 4. & clarius exprimitur *Canon.* 6. his verbis : *Conſuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil uſurpare dignoſcitur*.

Monent hic Correctores Romani, quod hoc caput antea tribueretur ſancto Auguſtino : „ Verba, ajunt, „ hujus capitis, quod antea tribuebatur B. Auguſtino „ leguntur in editione Colonienſi inter Decreta Pii I. „ Decreto 7. & in Epiſtola ejuſdem Pii. „ Unde & ipſi huic Canoni hunc titulum præfixerunt : *Pius Papæ I. in Decretis Decreto* 7. non advertentes hæc verba non verius huic Papæ, quam Auguſtino tribui poſſe ; hæcque Decreta, necnon Epiſtolam inter merces pſeudo-Iſidori rejicienda.

Non eamdem omnium conſuetudinum eſt auctoritas.

Illud & hic probat Gratianus, non omnium conſuetudinum eamdem eſſe vim & auctoritatem.

Et quidem quaſdam eſſe conſuetudines, quæ auctoritate etiam Scripturæ ſacræ cedere non debeant, utpote quæ ex Traditione Apoſtolica ad nos tranſmiſſæ habentur. Eum in finem recitantur *Can.* 5. verba Sancti Baſilii ex *lib. de Spiritu ſancto cap.* 27. Monent autem Correctores Romani admodum mutilatum recitari hic textum Baſilii ; „ Cæterum, inquiunt, quo„ niam multis locis gloſſa obſtitit, ne emendaretur ; „ neceſſarium viſum eſt, integrum Sancti Baſilii locum „ & Græce & Latine afferre. “

Merito textus Sancti Baſilii legitur, prout hic integer per Correctores Romanos exhibetur ; utpote in quo Baſilius probat, præter ea, quæ nobis Apoſtoli ſcripto tradiderunt, etiam ea, quæ ad nos verbo tradita, & per traditionem tranſmiſſa ſunt, eſſe omnino ſervanda.

Quod addunt hic Correctores, quod *multis locis abſtiterit gloſſa, ne emendaretur*, plurimis aliis locis idipſum monuerunt, per hoc indicantes eam ipſis viſam fuiſſe gloſſæ auctoritatem, ut ſatius crediderint permittere mutilatum textum Gratiani, quam eum emendare, ne gloſſa textui mutilato aut corrupto appoſita, obſcura aut non intelligibilis redderetur, licet fatendum ſit, gloſſas has ſæpe parum convenientes ; immo & frequenter admodum ineptas eſſe, & a vero ſenſu Canonum alienas.

Sunt inſuper conſuetudines, quæ univerſalis per orbem diffuſa Eccleſia ſervat, & quæ ab Apoſtolis ad nos dimanatæ creduntur, aliæ vero quæ nec contra Scripturam ſacram, nec contra bonos mores eſſe noſcuntur ; ac variæ & diverſæ pro varietate locorum & populorum reperiuntur, de quibus agit Sanctus Auguſtinus Epiſtola ad Caſulanum, cujus fragmentum hic refertur *Can.* 7. ac præcipue in Epiſtola ad Januarium cujus fragmentum hic refertur *Can.* 8. ſub nomine Sancti Auguſtini *lib. de fide Chriſtiana*, ſed in margine notatur : „ Hodie inter opera Sancti Auguſtini nullum „ extat ſub hoc titulo ; in Epiſtola vero ad Janua„ rium, quæ eſt 118. *cap.* 1. & 2. hæc eadem ſenten„ tia copioſe exponitur. „

Conſuetudo Romanæ Eccleſiæ quandoque diverſa eſt a conſuetudine aliarum Eccleſiarum.

Et revera in hac Epiſtola, quæ hodie eſt 54. Sanctus Auguſtinus duplicem hanc conſuetudinem luculenter exponit, uti ad ſequentem diſtinctionem notabitur, ubi & textus hujus Epiſtolæ refertur, prout etiam textus Sancti Gregorii, e quibus manifeſtum eſt, jampridem conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ circa plura puncta concernentia Eccleſiaſticam diſciplinam fuiſſe diverſam a conſuetudine aliarum Eccleſiarum.

Id negans Gratianus a priſtina diſciplina receſſit.

Proinde inter puncta, in quibus Gratianus a priſtina diſciplina receſſit, referendum, quod hic adſtruere videtur, ſcilicet conſuetudinem & inſtitutionem Eccleſiæ Romanæ *ubique* eſſe ſervandam ; idque ex fragmento Epiſtolæ ſub nomine Nicolai I. Can. 2. cui fragmento hoc ſummarium præfigitur : *Non poteſt ſtatutis Pontificum conſuetudo cujuſquam refragari*.

Hic notandum plurima fragmenta ſub nomine Nicolai I. Papæ a Gratiano referri, quæ non alia quam ipſius Gratiani, aut alterius Canonum collectoris, e quo Gratianus exſcripſit, auctoritate nituntur : & quæ e Gratiano collecta ſub 20. titulis diſpoſita per Joannem Cochlæum extant *tom.* 8. *Concil. Generalium col.* 554.

Fragmento fictitiæ Epiſtolæ Julii I. Papæ relato in Can. 3. præmittit Gratianus hoc ſummarium : *A conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, membris diſſentire non licet*, quo non obſcure inſinuatur, aliis Eccleſiis tamquam membris non licere diſſentire a *conſuetudine Romanæ Eccleſiæ*, quod & menti & ſententiæ Gregorii adverſum eſſe, notabitur ad diſtinctionem ſequentem ex ejus Epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum ibidem relata.

DISTINCTIO XII.

Varia conſuetudinis ſpecies. Alia univerſalis, alia particularis.

HAc diſtinctione proſequitur Gratianus tractare de varia ſpecie *conſuetudinis*, ejuſque auctoritate.

Et quidem proponit Can. 11. ex Auguſtino Epiſtola nunc 54. ad Januarium, duplicem ſpeciem conſuetudinis : unam earum rerum, quæ per *univerſalem Eccleſiam* obſervantur : alteram earum, quæ pro *locorum & Eccleſiarum diverſitate variæ & diverſæ reperiuntur*.

„ Illa autem, ait Auguſtinus, quæ non ſcripta, ſed „ tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe „ obſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, „ vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſalu„ berrima auctoritas, commendata atque ſtatuta re„ tineri. “

Deinde allegatis quibuſquam ſimilium obſervationum exemplis, ad aliam ſpeciem conſuetudinum deſcendens, ait : „ Alia vero, quæ per loca terrarum regio„ neſque variantur, ſicuti eſt, quod alii jejunant ſab„ bato, alii vero non, alii quotidie communicant cor„ pori & ſanguini Dominico, alii certis diebus acci„ piunt ; alibi nullus dies intermittitur, quo non of„ feratur, alibi ſabbato tantum & Dominico, alibi „ tantum Dominico, & ſi quid aliud ejuſmodi animad„ verti poteſt ; totum hoc genus rerum liberas habet „ obſervationes ; nec diſciplina ulla eſt in his melior „ gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo a„ gat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcumque „ forte devenerit : quod enim neque contra fidem, ne„ que contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt „ habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocie„ tate ſervandum eſt. “

Tum.

Tum subjungit, quid circa hanc consuetudinis varietatem sibi consulenti responderit Sanctus Ambrosius: „ Cum, ait, Romam venio, jejuno sabbato, cum Mediolani sum, non jejuno: sic etiam tu, ad quam „ forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cui- „ quam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. „

Occasio autem consulendi hac de re Sanctum Ambrosium fuerat mater ejus; ait enim ibidem: " Mater „ mea Mediolanum me consecuta, invenit Ecclesiam „ sabbato non jejunantem, cœperat fluctuare quid „ ageret: tunc consuli de hac re beatissimæ memoriæ „ virum Ambrosium. Cujus responsum, ait, cum ma- „ tri renunciassem, libenter amplexa est. "

Quædam consuetudine, etsi inveteratæ merito extirpandæ.

Deinde ex eodem Augustino ad Januarium *Epistola* nunc 55. subjungit Gratianus Can. 12. " Talia quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continen- „ tur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniun- „ tur, nec consuetudine universalis Ecclesiæ roborata „ sunt; sed diversorum locorum diversis moribus in- „ numerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino „ nunquam inveniri possint causæ, quas in eis insti- „ tuendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, „ sine ulla dubitatione resecanda existimo. Rationem „ addit Augustinus: quamvis enim neque hoc inveniri „ possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen re- „ ligionem, quam paucissimis & manifestissimis cele- „ brationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam „ voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior „ sit conditio Judæorum qui etiamsi tempus libertatis „ non agnoverint, legalibus Sacramentis, non huma- „ nis præsumptionibus subjiciuntur.

Circa hæc duo fragmenta relata *Can.* 11. & 12. monent Correctores Romani ad priorem: " In hoc capi- „ te, quemadmodum & in sequenti, multa sunt emen- „ data ex B. Augustino, ac nonnulla etiam addita ".

Merito & ad posteriorem addi possunt verba, quæ apud Augustinum præmittuntur verbis hic a Gratiano relatis, quæ & mentem ipsius Augustini de his observantiis clarius exponunt: " Quod autem instituitur, „ ait, præter consuetudinem, ut quasi observatio Sa- „ cramenti sit, approbare non possum. etiamsi multa „ hujusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel „ turbulentarum personarum scandala devitanda, libe- „ rius improbare non audeo; sed hoc nimis doleo, „ quod multa quæ in divinis libris saluberrime præ- „ cepta sunt, minus curantur, & tam multis præsum- „ ptionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripia- „ tur, qui per octavas suas terram nudo pede tetige- „ rit, quam qui mentem vinolentia sepelierit ".

Hæc merito attendant Episcopi, ut exemplo sancti Augustini a superstitiosis, & ad quæstum inductis consuetudinibus, suas Ecclesias purgare satagant.

Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendat.

Insuper docet hic Gratianus, *quod non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendet*; uti habet summarium *Can.* 10. sive quod ea sit accipienda consuetudo, sine differentia locorum, quæ plus omnipotenti Deo possit placere. In hujus probationem adducit, *Can.* 10. notandum responsum sancti Gregorii ad Augustinum Apostolum Anglorum: interrogatio 3. Augustini hæc erat: " Cum una sit fides, cur sunt Ec- „ clesiarum consuetudines tam diversæ, & altera con- „ suetudo missarum est in Romana Ecclesia, atque al- „ tera in aliorum Ecclesiis tenetur "?

Respondet Gregorius; " Novit fraternitas tua Ro- „ manæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit „ enutritam: sed mihi placet, ut sive in Romana, „ sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia, aliquid „ invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere „ sollicite eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ ad- „ huc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de „ multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas; non „ enim pro locis res, sed pro rebus loca nobis aman- „ da sunt: ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ „ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige, & hæc „ quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum men- „ tes in consuetudinem depone ".

Manifestum hinc est, sanctum Gregorium nequaquam credidisse, consuetudinem aut institutionem Ecclesiæ Romanæ ab omnibus aliis Ecclesiis esse servandam, uti præcedenti distinctione ex falsis & incertis scriptis innuere videtur Gratianus, qui & Canoni primo hujus distinctionis desumpto ex supposititia Decretali Calixti I. Papæ hoc summarium præfigit: *Nulli agere licet sine discretione justitiæ contra disciptinam Romanæ Ecclesiæ.*

Ecclesiæ ejusdem Provinciæ jampridem sequebantur ritum Ecclesiæ Metropolitanæ.

Scitur quidem jampridem in pluribus locis id fuisse observatum, ut Ecclesiæ unius Provinciæ morem & ritum eumdem sequerentur, notanter Ecclesiæ Metropolitanæ, quod & ævo sancti Leonis respectu Ecclesiarum, quæ jure Metropolitico Romano Episcopo subjiciebantur, quæ & *suburbicariæ* dicebantur, observatum fuisse constat ex Epistola sancti Leonis ad Episcopos per Siciliam constitutos, uti notavi in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 19. *cap.* 1.

Idipsum in quibusdam Hispaniarum Provinciis jampridem constitutum fuisse, ex Decretis Concilii Toletani XI. & Bracarensis II. relatis respective hac distinctione *Can.* 13. & 14. constat.

Et quidem priori hoc summarium præfixit Gratianus: *Omnes Provinciæ eumdem in psallendo modum teneant, quem Metropolitanam sedem habere cognoverint.*

Ad ista per Gratianum relata Decreta, nec non verba Gratiani reflectens in sua Analysi Ludovicus de Heticourt, recte monet, hodie non observari hæc Decreta, notanter in Gallia *On ne suit point, à présent ces Décrets, sur-tout dans les Eglises de France, où chaque Diocese a son Breviaire & ses cerémonies particulieres*

De hac Ecclesiarum Gallicanarum disciplina vide dicta in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 16. *c.* 12. alias 9. ubi notavi quam fuerint tenaces Ecclesiæ Gallicanæ in retinendis suarum respective Ecclesiarum Particularium Breviariis & Ritualibus libris, dum Romani, præsertim post Concilium Tridentinum, prætenderunt, ut his particularibus Rituum libris abdicatis, ubique Ritus & Officium Romanum præscriberetur, prout latius deductum est in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 16. *c.* 12. *n.* 23. alias in *supplemento ad tit.* 16. *cap.* 9.

DISTINCTIO XIII.

In jure naturali nunquam potest dispensari.

GRATIANUS postquam de variis speciebus juris egit, pergit ad distinctionem 13. cui hoc procemium præfigit: *Item adversus naturale jus nulla dispensatio admittitur, nisi forte duo mala ita urgeant, ut alterum eorum necesse sit eligi* ".

Ut primam partem adstruat, nullam auctoritatem adducit, supponens eam per se sat probatam, & a nemine in dubium vocandam, In probationem vero exceptionis, adducit *Can*, 1 Decretum Concilii Toletani VIII. *c.* 2. cui hoc summarium præmittit, *minus malum de duobus eligendum est*. Et *Can.* 2. recitat longum discursum S. Gregorii in librum Job

Recte hic monet Ludovicus de Hericourt in sua Analysi, quod accipiendo verba Gratiani ad litteram, credere quis posset, aliquando licitum esse perpetrare minus malum ad evitandum majus; quod & falsum esse, & contra mentem Gratiani asserit: verba ejus sunt: *Il faut prendre garde au sens qu'on dounera à cette distinction, car elle peut donner occasion de croire, si on la prend à la lettre, qu'il y a des cas, dans lesquels il est permis de faire un petit mal, pour en éviter un grand: au lieu que les exemples rapportès justifient que l'intention du Compilateur n'a été que de dire qu'il n'est pas permis de commettre un nouveaux crime pour exécuter une promesse d'une chose qui est contre la Loi noturelle.*

Et revera si integri textus hic a Gratiano citati legantur, apparebit, auctores nihil aliud voluisse, quam quod illicite aut inconsiderate promissum, possit & subinde debeat omitti, sive non adimpleri; quia implendo *majus malum* committeretur: sic autem non adimplendo non aliquod *minus malum* de novo committitur, sed male promissum, sine peccato, quin & subinde meritorie, non adimpletur.

Interim fatendum est, admodum inadæquate locutum esse Gratianum, dum dixit: *minus malum de duobus eligendum est*: quia omissio promissi in illis circumstantiis nullum est malum, quamvis malum fuerit in promittendo (*a*).

DISTINCTIO XIV.

Utrum minus malum possit committi, ut in aliis majora mala evitentur?

HAc distinctione pergit Gratianus inquirere, an e duobus malis *minus* elegi possit; unde præmittit hunc titulum: *Verum hoc* (*scilicet de eligendo minus malo in distinctione præcedenti*) *in una eademque persona intelligitur: cæterum an in diversis personis eadem dispensatio locum habeat, videlicet ut committantur minora, ne alii gravioribus implicentur, merito quæritur* ".

In hoc summario videtur apertius indicari, quod præcedenti distinctione dicere voluerit, posse ab aliquo *minus malum comitti*, ne ipse majus aut gravius malum committat.

Quidquid sit de Gratiani opinione, certum est, quod nunquam possit minus peccatum committi, ut evitetur majus; nec id probatur auctoritatibus a Gratiano hic adductis, uti notatum est ad distinctionem præcedentem.

Hac autem distinctione recte probat Gratianus, nihil contra jus naturæ aut Evangelium, sive nullum quantumvis leve peccatum posse perpetrari, ut alii a peccatis etiam enormibus retrahantur, uti probat *Can.* 1. auctoritate S. Augustini aperte docentis, non posse excusari factum Loth, tradentis filias suas Sodomitis, ut iis abuterentur, ne viris sive hospitibus contumeliam inferrent; quantumvis id fecerit ob *compensationem malorum*, tradendo filias suas Sodomitis, ne enormius crimen Sodomiticum ab ipsis in viros seu hospites committeretur: " Quod ait Sodomitis Loth: *Sunt mihi duæ „ filiæ, quæ nondum noverunt viros: producam illas ad „ vos, utimini illis quomodo placuerit: tantum in viros illos*

(a) Gratianum sine ulla venia arguit erroris *S.* Augustinus; quam sequitur D. Gibert, *tom.* 1. *Corp. juris Canonici pag.* 216. *col.* 1.

„ *illos ne faciatis iniquum :* quoniam proſtituere volebat filias ſuas hac compenſatione, ut viri hoſpites ejus nihil a Sodomitis tale paterentur, utrum admittenda ſit compenſatio flagitiorum vel quorumcumque peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius malum gravius faciat; an potius perturbationi Loth non conſilio tribuendum ſit, quia hoc dixerit, merito quæritur; & nimium periculoſiſſime admittitur hæc compenſatio : ſi autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda „; ita hic Gratianus ex S. Auguſtino, „ *Lib. quæſt. ſuper Geneſim*.

Poſt hæc quærit Gratianus *part.* 2. hujus diſtinctionis: *Quæ Conſtitutiones valeant temperari, vel quæ non?*

Hanc quæſtionem reſolvit unico Canone, prolato fragmento Epiſtolæ S. Leonis ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem, in qua ſcribit : „ Sicut quædam ſunt, „ quæ nulla ratione poſſunt convelli, ita multa ſunt, „ quæ aut pro neceſſitate temporum, aut pro conſideratione ætatum oporteat temperari. „

Regula in diſpenſatione ſervanda.

Addit autem hic hanc notandam & in diſpenſatione merito ſervandam regulam „ : Illa conſideratione ſemper ſervata, ut in iis, quæ vel dubia fuerint, aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis SS. Patrum inveniatur adverſum. „

DISTINCTIO XV.

AD diſtinctionem decimam quintam procedens Gratianus monet in procemio : „ Quoniam de jure „ naturali & conſtitutione vel conſuetudine hactenus „ differuimus, differentiam, quia invicem diſcernuntur, aſſignantes, nunc ad Eccleſiaſticas conſtitutiones ſtylum vertamus, prout ex libris ſanctorum Patrum colligere poſſumus, breviter aſſignantes „.

Quo tempore celebrata ſint ſingula Concilia generalia?

Hæc diſtinctio tribus duntaxat conſtat Canonibus. Primo Canone refert prolixum fragmentum ſub nomine Iſidori, *lib. 6. de Etymologiis cap.* 16. cui hic titulus præficitur : *Quo tempore cœperint Canones Conciliorum generalium*.

Verum quam parum authenticum ſit hoc fragmentum, probant tum hic notata per Correctores Romanos, tum quæ de hoc ſcripſit vir doctiſſimus, Antonius Auguſtinus in diſſertatione de veterum Canonum collectoribus *cap.* 16.

De auctoritate Conciliorum generalium

Cæterum quo tempore, & qua occaſione ſingula Concilia generalia celebrata ſint, accuratius notarunt, qui Conciliorum hiſtorias ex profeſſo ſcripſerunt.

De auctoritate quatuor Conciliorum Nicæni Conſtantinopolitani, Epheſini, & Chalcedonenſis agit *Can.* 2. prolato fragmento ex Epiſtola S. Gregorii, in qua de his quatuor Conciliis ita loquitur : „ Sicut S. Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & „ venerari me fateor (*a*). „.

Poſt hæc ſubdit Gratianus : „ Quintum quoque Concilium pariter veneror „. Tum ibidem enumerat, quorum ſcripta in eodem Concilio fuerint damnata, ſcilicet Ibæ, Theodori, & Theodoreti.

Cur nonnulli V. Concilium recipere recuſaverint?

Hæc ſunt tria illa capitula, quorum occaſione nonnulli quintam Synodum non recipiebant : eorum enim condemnatio graviſſimas, etiam inter Catholicos, excitavit contentiones, quin & Eccleſiæ ſciſſuras; immo nec hodie ſuper his capitulis inter Theologos convenit; nonnullis opinantibus in hac condemnatione Synodum quintam erraſſe, ſenſumque horum ſcriptorum non habuiſſe ſat perſpectum : poteſt enim juxta ipſos Synodus, etiam OEcumenica, in ſimili quæſtione facti, quis ſit ſenſus alicujus libri vel auctoris, errare.

Cæterum Romanos Pontifices in ſua ad Pontificatum aſſumptione profeſſos fuiſſe, octo ut minus ſæculis, ſe omnia Decreta & definitiones Conciliorum generalium ſuſcipere, conſtat ex libro Diurno Romanorum Pontificum; atque latius probatum eſt in *Jure Eccl. Tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 15. *cap.* 1. *pag.* 193. alias in *ſupplemento ad partem* 1. *tit.* 5.

Obſervanda circa Decretum ſub nomine Gelaſii de libris apocryphis.

Canone 3. refert Gratianus prolixum Decretum ſub hoc titulo : *Gelaſius in Concilio habito Romæ cum* 70. *Epiſcopis ſcribit*. Huic Canoni præmittitur hoc ſummarium : *quæ Concilia ſancta Romana Eccleſia recipiat ?*

Porro in hoc Gelaſiano Decreto non agitur de Conciliis niſi in prima periodo, quæ finitur, ad illa verba: *Cuſtodienda & recipienda decernimus & mandamus*.

Cæterum in hoc Decreto, quod vulgo Gelaſio adſcribitur, tot variantes lectiones & inſcriptiones, tum in antiquioribus, tum in recentioribus Decreti Codicibus editis & manuſcriptis, tum apud alios Canonum Collectores occurrunt, ut vix ſciri queat, quid ipſum originale contineat, ut & notarunt Correctores Romani ad verbum, *mandamus* : „ Poſt hoc verbum, inquiunt, „ in Decreto Gelaſii ſequitur continenter : item *Opuſcula B. Cypriani*, *&c.* Sed Burchardus & Ivo in „ Panormia habent ut Gratianus. Ac certe in toto hoc „ capite tot modis diſcrepant collectiones ab originali, „ ut ſatis certo ſtatui non poſſit, quæ vera & pura „ ſit Gelaſii lectio, nec magnopere ſit mirandum, ſi „ nonnulla ſint, quæ difficultatem faciunt „. Videri poterunt notæ Stephani Baluzii.

DISTINCTIO XVI.

De Canonibus vulgo Apoſtolorum.

HAc diſtinctione tractat Gratianus de Canonibus vulgo *Apoſtolorum*, de eorum numero, auctore, & receptione; ſed adeo confuſe, adductis & truncatis tot apocryphis monumentis, ut vix intelligi queat, quid dicere velit, uti ex notis Correctorum Romanorum patet.

De his parum accurate Gratianus.

Quæ de Canonibus ſextæ Synodi, ac diſtinctione, & de tempore, quo ſingulæ Synodi habitæ fuerunt, Gratianus recitat, pleraque ſumpta ſunt ex parum authenticis monumentis, & notanter ex Præfatione collectioni pſeudo-Iſidori præfixa : de his potius conſulendi, qui Conciliorum hiſtorias ex profeſſo ſcripſerunt.

DISTINCTIO XVII.

Penes quem ſit auctoritas convocandi Concilia generalia?

HUic diſtinctioni hunc titulum præfixit Gratianus, *Generalia Concilia, quorum tempore celebrata ſint: vel quorum auctoritas cæteris præemineat, ſanctorum auctoritatibus ſupra monſtratum eſt. Auctoritas vero congregandorum Conciliorum penes Apoſtolicam Sedem eſt.*

Hac itaque diſtinctione adſtruere ſtudet Gratianus auctoritatem congregandorum Conciliorum penes Apoſtolicam Sedem eſſe.

Eam vendicavit Apoſtolicæ Sedi dictatus vulgo Gregorii VII.

Et ſane licet conſtet primis ut minus octo ſæculis Concilia, præſertim generalia, convocata fuiſſe per Imperatores, uti perſpicuum eſt ex litteris, quibus ipſi præfata Concilia indixerunt, quemadmodum inter alios notavit Edmundus Richerius in Hiſtoria Conciliorum; nihilominus & hoc conſtat, ſæculo IX. & ſequentibus, ſignanter poſtquam in auctoritatem receptæ fuerunt falſæ Decretales, credi cœpiſſe, hanc convocandorum Conciliorum auctoritatem penes Apoſtolicam Sedem eſſe; ut tandem in dictatu vulgo Gregorii VII. inter ſpeciales prærogativas Romano Pontifici competentes, etiam hæc his verbis exprimatur : *Quod nulla Synodus abſque præcepto ſummi Pontificis debet generalis vocari.*

Num autem hic dictatus, ſeu articulorum collectio ſit revera Gregorii VII. incertum eſt. Hoc indubitatum eſt, uti & notat D. Fleury in ſua hiſtoria *lib.* 63. *num.* 11. inter hos articulos reperiri nonnullos manifeſte falſos (*manifeſtement faux*). Inſuper & inter eos eſſe quoſdam extractos e falſis Decretalibus, & contrarios priſtinæ diſciplinæ; inter quos eſt indubie hic ſupra relatus articulus; utpote qui in falſis Decretalibus per Gratianum, notanter *Can.* 1. ſub nomine Marcelli Papæ, & *Can.* 2. ſub nomine Julii Papæ exprimitur eiſdem verbis.

Quin nec id mirum, Gratianum hanc ſententiam quaſi indubitatam proponere; quandoquidem ipſe eam ſuo tempore receptam, tamquam indubitatam videret; prout & hoc circa plures alios articulos Gratiano accidiſſe conſtat, utpote qui paſſim neglecta veteri diſciplina, ad temporis ſui diſciplinam opus ſuum inflexit; præſertim quoad ea, quæ Romani Pontificis prærogativas reſpicere videbantur.

Diſtinctionem finit adducto *Can.* 7. fragmento Epiſtolæ S. Gregorii, qua declarat, quod Epiſcopi ſive in ſedendo, ſive in ſubſcribendo ſequi debeant ordinem, ſive tempus ordinationis : *Verum, ait, tempus ordinationis non ad Eccleſias, ſed ad perſonas refertur, ſicut ex conſuetudine Cardinalium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Epiſcoporum uniuſcujuſque Provinciæ evidenter apparet.*

DISTINCTIO XVIII.

Conciliorum Epiſcopalium auctoritatem contra priſtinam diſciplinam reſtringit Gratianus.

HAc diſtinctione proſequitur Gratianus tractare de Conciliis Provincialibus Epiſcoporum : præfigit autem hunc titulum : *Epiſcoporum igitur Concilia, ut ex præmiſſis apparet, ſunt invalida ad definiendum & conſtituendum, non autem ad corrigendum : ſunt enim neceſſaria Epiſcoporum Concilia ad exhortationem & correctionem, quæ etſi non habent vim Conſtitutionis, habent tamen auctoritatem imponendi & indicendi, quod alia ſtatutum eſt, & generaliter ſeu ſpecialiter obſervari præceptum.*

Sane Canones hic a Gratiano relati, Conciliis Epiſcopalibus auctoritatem non tantum corrigendi aut puniendi, ſed & auctoritatem Canones & Decreta edendi attribunt : neque ante Gratianum hanc auctoritatem hiſce Concilii ullus negare præſumpſit, uti oſtendit de Marca *lib. 6. cap.* 14. *de Concord. Sacerd. & Imperii*, concludens *num.* 13. *Quapropter, ait, merito reprehendendus Gratianus, qui novum jus introducere conatus eſt in Decreto ſuo; nimirum poſſe quidem Concilia hæc cauſas judicare, & criminibus debitas pœnas imponere, non tamen novos Canones condere, non conſtituere aliquid vel definire, ut ipſe loquitur in* diſtinct. 18.

Veriſimile eſt, Gratianum hanc limitationem circa auctoritatem Conciliorum Epiſcopalium excogitaſſe, ut Cano-

(a) Gratianus in preſenti diſtinctione ubi annumerat Concilia generalia, ſilet de Conc. Sardicenſi; ut diſtinctione 16. Canone 11. illud recenſet inter Synodos particulares, ut obſervavit D. Van-Eſpen ad finem Diſſertationis in Synodum Sardicenſem; quæ exſtat Tom. VII. hujus edit.

Canones hic relatos conciliare videretur cum fragmentis e falsis Decretalibus per ipsum præcedenti distinctione relatis, in quibus asseritur, *non esse ratum Concilium, quod auctoritate Romanæ Ecclesiæ fultum non fuerit*, uti habet summarium fragmenti falsæ Decretalis Julii I. relati *Can.* 2. vel ut habet summarium *Can. 6. Provincilia Concilia sine Romani Pontificis præsentia pondere carent.* Cum enim Gratianus videret non posse negari Concilia Provincialia juxta Canones Antiochenos, aliosque, etiam bis in anno, convocanda & celebranda esse, nulla de auctoritate aut præsentia Romani Pontificis, ejusve approbatione, aut ejus Legati præsentia, facta mentione, conciliationis gratia; & ut interim ipsa Concilia, quodammodo Romani Pontificis auctoritati subjiceret, effectumque sive executionem ab ejus approbatione dependentem redderet, hanc circa eorum auctoritatem condendi Canones limitationem adinvenit; qua mediante, hæc Concilia sine auctoritate Romani Pontificis celebrata omni fere pondere destituta essent, contra pristinam consuetudinem per decem & amplius sæcula observatam.

Opinionem Gratiani amplexi sunt Curiales Romani.

Licet autem assertum hoc a Gratiano omni auctoritate destitutum inveniatur, nihilominus post evulgatum ejus Decretum, pro jure quasi receptum fuit, præsertim a Romanis curialibus, quia uti recte notavit D. Fleury in *sua bistoria l. 70. n.* 28. non obstante, quod Gratianus plura contra Patrum disciplinam sine ulla auctoritate asseruerit, & hactenus inaudita suo Decreto inseruerit; tanta equidem sæculis sequentibus ejus auctoritas fuit, ut ipsius dicta quasi pro jure reciperentur. Verba ejus sunt: *Ainsi parle Gratien, mais de son chef & sans alleguer aucune autoritè de cette doctrine inouie jusques alors; & toutefois les siecles suivans l' ont embrassèe sur sa parole: tout ce qui se trouve dans son Decret a passè pour la plus pure discipline de l' Eglise; & on ne l' a point cherchèe ailleurs pendant les trois siecles suivans.*

Et quidem Romanis annitentibus, præsentem Gratiani doctrinam pro jure quasi invaluisse sæculis XII. XIII. & XIV. vel inde habemus, quod his sæculis vix ulla legantur celebrata Episcoporum Concilia, nisi Sedis Apostolicæ Legati intervenirent, immo & præsiderent; nec Decreta nisi per ipsos probata, quin & formata, ederentur; uti notatum est in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 21. *cap.* 3. *pag.* 348. & *cap.* 4. *pag.* 352. alias in *Supplemento* ad hunc *tit. cap.* 3.

Quin nec hodie ab hac Gratiani sententia recedunt Romani; licet enim agnoscant, Synodos Provinciales posse convocari & celebrari absque speciali licentia Sedis Apostolicæ, aut præsentia Legati; quin & Decreta ab eis concipi & condi; nihilominus insistendo Gratiani Decreto, sustinent hæc Decreta publicari non posse, & consequenter non obligare, nisi prævie fuerint Romæ revisa & examinata, uti probat declaratio Congregationis Cardinalium pro interpretatione Concilii Tridentini data anno 1594. his verbis expressa: *Decreta quæ in Conciliis provincialibus conduntur, publicari non debent inconsulto Romano Pontifice.*

Quin & ad eam opinionem conantur inflectere Decretum Concilii Tridentini.

Hujus declarationis meminit Petrus de Marca *l.* 6. *c.* 14. *n.* 13. notatque, quod hæc Congregatio per hanc declarationem auctoritatem Conciliorum Provincialium quibusdam limitibus circumscribendo, verbis Decreti Concilii Tridentini vim apertam intulerit, uti deductum est *Tom. I. Juris Eccles. t.* 20. *c.* 4. *pag.* 329. & *c.* 5. *pag.* 332. alias in *Supplemento* ad hunc titulum *cap.* 3.

Cæterum de tempore, quo hæc Concilia Provincialia celebranda sint ex præscripto Canonum; qui hic a Gratiano referuntur; nec non de obligatione Episcoporum ad ea accedendi, uti & de causis, quæ ab accessu excusant, & forma qua hæc excusatio intimanda sit, plenius deduxi in *Jure Eccles. cap.* 1. *pag.* 319. *Tom. I. parte* 1. *tit.* 20.

DISTINCTIO XIX.

De auctoritate Decretalium Romanorum Pontificum.

HAc distinctione agit Gratianus de Epistolis Decretalibus Romanorum Pontificum, earumque auctoritate.

Itaque initio distinctionis ait: *De Epistolis Decretalibus quæritur, an vim auctoritatis obtineant, cum in corpore Canonum non inveniantur.*

Hic a Gratiano intelligi famosas Decretales per pseudo Isidorum primis Pontificibus suppositas, manifestum est ex his, quæ producit pro resolutione quæstionis, & notanter pro asserenda Decretalium auctoritate.

Adfert enim *Can.* 1. pro resolutione quæstionis propositæ prolixum fragmentum Epistolæ Nicolai I. Papæ ad Episcopos Galliæ, inter quos tunc temporis & eruditione, & auctoritate, ac zelo pro tuenda Ecclesiastica disciplina eminebat Hincmarus Rhemensis; in hac Epistola contendebat Nicolaus contra hos Episcopos adstruere harum Decretalium auctoritatem, licet in Codice Canonum non reperientur.

Utrum objectionem Episcoporum Galliæ, ac signanter Hincmari Rhemensis contra harum confictarum Decretalium auctoritatem sat solide solverit Nicolaus, merito ambigi posset. Cæterum responsum Nicolai probavit Gratianus, atque de harum Decretalium auctoritate, sinceritate, & veritate nullatenus dubitans, eas in confirmationem suorum dictorum sparsim adducit; notatque D. Fleury, quod iis innixus in omnibus faveat novellis prætensionibus curiæ Romanæ. *Il favrrise*, ait in sua Historia Ecclesiastica l. 70. n. 28. *par tout les nouvelles prètentions de la Cour de Rome, fondèe sur les fausses Dècretales.*

Opinio Gratiani de harum Decretalium auctoritate.

Post hæc pro adstruenda in generali omnium sanctionum Sedis Apostolicæ auctoritate, adducit sub nomine Agathonis quædam verba sub hoc summario: *Omnes sanctiones Apostolica Sedis irrefragabiliter sunt observandæ.*

Ad hanc Gratiani sententiam reflectens Ludovicus de Hericourt in sua Analysi monet, quod sicuti tempore Nicolai I. contendebant Episcopi Gallicani, Decretales vim legis non habere, dum in *Codicem Canonum* non erant relatæ; ita etiam hodie prætendant: *Que les Bulles des Papes, n' ont force de loi en France, que quand elles ont ètè confirmèes par des Lettres Patentes enregistrèes au Parlement, acceptèes par les Pasteurs, & publièes dans leurs Dioceses.*

Eandem quoad Bullas Pontificias esse praxim Belgicam, late ostendi in *Tractatu de Promulgatione Legum, seu Placito Regio* (a).

Ut Gratianus eam auctoritatem Decretorum Sedis Apostolicæ amplius confirmet, profert *Canone* 3. Decretum, cui hoc præfigitur summarium: *Tolerandum est jugum, quod a Sancta Sede imponitur, licet importabile videatur.*

Idem autem in Decreto his verbis exprimitur: *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis est mater dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis: quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus.*

Hoc Decretum juxta Correctionem Romanam extat quasi desumptum ex *capitulis Caroli Imperatoris*; notaturque extare apud Burchardum sub nomine *Concilii Triburiensis c.* 30. quod & notavit Stephanus Baluzius in additione ad *c.* 16. *l.* 2. Petri de Marca *de Concordia Sacerdotii & Imperii*; ubi monet verisimiliter Patres Triburienses verba illa mutuasse ex legibus Caroli, atque ita legem fecisse suam, quam approbaverunt: *Sed utcumque, ait, se res habeat, magni momenti sunt verba istius capitis: nam cum auctor vellet gratificari Romano Pontifici in causis Ecclesiasticæ disciplinæ, videretque hoc pacto nonnulla tentari contra consuetudines receptas, usus est eadem dexteritate, qua usus olim erat in Concilio Sardicensi Osius Cordubensis Episcopus, ut Episcoporum dejectorum appellationes ad Romanam Sedem approbari curaret ab eadem Synodo, nimirum adducta reverentia, quæ B. Petro, sedique ejus debetur.*

Monet præterea, quod formula, & *nomen beati Petri* ad conciliandam Sedi Apostolicæ, & ejus Decretis majorem reverentiam frequenter assumatur.

Canone IV. adducit Gratianus supposititium Decretum sub nomine *Stephani Papæ* sub hoc summario: *Quidquid Romana Ecclesia statuit vel ordinat, ab omnibus observandum est.*

Quin immo *Canone* 6. refert verba S. Augustini tanquam sumpta ex *l.* 2. *de Doctrina Christiana c.* 8 cum hac epigraphe; *Inter Canonicas Scripturas Decretales Epistolæ connumerantur*: quibus videtur indicare Gratianus, quasi Augustinus etiam has Decretales (de quarum auctoritate hac distinctione agitur) inter *Canonicas Scripturas* connumerasset; quod & Correctores Romani observasse videntur; postquam enim monuerunt; caput hoc apud Augustinum aliter haberi, quam retulit Gratianus: post ibidem relatam Augustini sententiam addunt: *Quæ quidem beati Augustini sententia, non ad Decretales Romanorum Pontificum: sed ad Canonicas & sacras Scripturas referenda est.*

Addit Canone 7. textum ex Epistola S. Leonis ad Episcopos Viennenses sub hoc summario, *Ministerii divini se exortem intelligat, qui soliditate Petri recedit.*

An Pontifices in suis Decretis recedere possint a Patrum Decretis & Evangelicis præceptis?

Quantumvis autem Gratianus hac distinctione omnia etiam apocrypha, & ad alienum sensum detorta impenderit ad adstruendam & amplificandam auctoritatem Decretalium & Decretorum Sedis Apostolicæ; nihilominus ad calcem hujus *Can.* 7. (in quo refertur fragmentum Epistolæ S. Leonis magnifice de Petri prærogativa loquentis) subdendum censuit sequens monitum; „ Hoc autem intelligendum est de illis sanctionibus „ vel Decretalibus Epistolis, in quibus, nec præce„dentium Patrum Decretis, nec Evangelicis præce„ptis aliquid contrarium invenitur ".

In his, quæ de Anastasio Papa refert Gratianus, erravit.

Hoc monitum videtur Gratianus subjecisse ob ea, quæ de Anastasio II. Papa erat dicturus; immediate quippe post monitum subdit; " Anastasius enim secundus fa„vore Anastasii Imperatoris, quos Acacius post sen„tentiam in se prolatam Sacerdotes vel Levitas ordina„verat, rite fungi acceptis officiis debere decrevit ".

Post hæc *Can.* 8. relato sub hac inscriptione: *Anastasius secundus ad Anastasium Augustum Epistol.* 1. *c.* 7. & 8. ita subdit Gratianus: " Quia ergo illicite & „ non canonice; sed contra Decreta prædecessorum & suc-

(a) Hic Tractatus *de Promulgatione Legum Ecclesiasticarum &c.* inferius *Tom. IX. hujusce editionis* habetur.

& successorum suorum hæc rescripta dedit) ut probant Felix & Gelasius, qui Acacium ante Anastasium excommunicaverunt, & Hormisda, qui ab ipso Anastasio tertius, eumdem Acacium postea domnavit) ; ideo ab Ecclesia Romana repudiatur, & a Deo percussus legitur fuisse ".

Dein *Canone* 9. refert, quomodo hic Papa favore Anastasii Imperatoris ad Pontificatum evectus sit, volueritque contra Decreta suorum prædecessorum Acacium jam damnatum in suam communionem recipere; atque fuerit eam ob causam reprobatus, & a Deo percussus, quod in summario Canonis ita exprimitur: *Anastasius II. a Deo reprobatus, nutu divino percussus est.*

Verum hic notant Correctores Romani, Gratianum in his, quæ hic de Anastasio II. Papa dixit, in multis errasse; monetque Stephanus Baluzius in notis ad citatum Canonem 9. *Certum est, permulta in hoc capite esse, quæ non congruunt cum fide historiæ; neque tamen propterea accusandus est Gratianus, cum ille non sit auctor istius narrationis, quam accepit ex veteri libro Pontificali Romanæ Ecclesiæ* ".

Et ante hos Didacus Covarruvias *lib. 4. variar. Resolut. cap.* 13. solide evicit, Gratianum errasse in his, quæ de hoc Pontifice attulit *Can.* 9. sed & una monet *num.* 1. *Cæterum Albertus Pighius* lib. 4. de Eccles. Hierarch. cap. 8. *multam adversus Gratianum excandescit in iram, pio quidem animo, & ferventissimo in Apostolicæ Sedis majestatem zelo: quippe qui omni conatu contendat, summos Pontifices, qui post Petrum sedem illam obtinuere, a labe hæresis prorsus immunes fuisse* ".

Errorem hunc Gratiani etiam notavit Antonius Augustinus *lib.* 1. *Dial.* 6. cum enim unus collocutorum dixisset: *Non persequar hæc latius: cum id satis acerbe Albertus Pighius, & alii prosequantur*. Respondet Antonius Augustinus: *Modestiam in eis requiro, sed causæ suæ inserviunt*.

Non sine fundamento proinde notarunt hic Correctores Romani, quod circa ea, quæ de Anastasio II. Papa dixit Gratianus, *in multis erraverit*: sed optandum esset, ut in notandis cæteris Gratiani erroribus tam solliciti fuissent. At verendum ne de ipsis dici queat, quod de Pighio, aliisque dixit Antonius Augustinus, *sed causæ suæ inserviunt*.

Interim ex his, quæ occasione Anastasii Papæ scripsit Gratianus, dubitari non potest, quin supposuerit & existimavarit, fieri posse, ut aliquid inveniatur in Dacretis Romanorum Pontificum, quod *Decretis præcedentium Patrum, aut Evangelicis præceptis contrarietur*; quod & aliis locis sat aperte indicavit, uti in sequentibus notabitur.

De his autem, quæ *Canone* 10. dicit Gratianus de Maximo Cynico, & a Correctoribus Romanis circa hæc annotantur, videri poterunt Scholia in Canonem IV. Synodi Constantinopolitanæ primæ *Tom. VI.* hujus dietionis.

DISTINCTIO XX.

De auctoritate Decretalium comparata ad expositiones S. Scripturæ

HAc distinctione differit Gratianus de auctoritate Decretalium Romanorum Pontificum comparata ad Expositiones sacrarum litterarum: Nunc, inquit, ,, quæritur de Expositionibus (alias Expositoribus) sacræ Scripturæ, an exæquentur, an subjiciantur eis: quo enim quisque magis ratione nititur, eo majoris auctoritatis ejus verba esse videntur. Plurimi autem tractatorum, sicuti pleniori gratia Sancti Spiritus, ita ampliori scientia aliis præcellentes, rationi magis adhæsisse probantur: unde nonnullorum Pontificum constitutis, Augustini, Hieronymi, atque aliorum tractatorum dicta videntur esse præferenda ,, .

In judiciis ferendis prævalet auctoritas prælatorum: in interpretandis Sacris Scripturis prævalet auctoritas SS. Patrum.

Dein immediate ita prosequitur: ,, Sed aliud est causis terminum imponere: aliud sacras Scripturas diligenter exponere. In negotiis definiendis non solum est necessaria scientia, sed etiam potestas. Unde Christus dicturus Petro: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis. &c.* prius dedit sibi claves regni cœlorum; in altra dans ei scientiam discernendi inter lepram & lepram, in altera dans sibi potestatem ejiciendi aliquos ab Ecclesia vel recipiendi.

His præmissis quæstionem ita resolvit ,, : Cum ergo quælibet negotia finem accipiant, vel in absolutione innocentium, vel in condemnatione delinquentium; absolutio vero vel condemnatio, non scientiam tantum, sed etiam potestatem præsidentium desideret; apparet quod divinarum tractores Scripturarum, etsi scientia Pontificibus præemineant, tamen, quia dignitatis eorum apicem non sunt adepti, in sacrarum quidem Scripturarum expositionibus eis præponuntur; in causis vero definiendis secundum post eos locum merentur ,, .

Censet itaque Gratianus in decidendis sive judicandis causis, & edendis Decretis, expositiones S. Scripturæ, etiam SS. Patrum, cedere Decretis & decisionibus Pontificum, utpote quibus auctoritas ligandi & solvendi, necnon causas decidendi data est: at in sacrarum Scripturarum expositionibus eis Pontificum decreta postponi.

Item censuerunt Patres Concilii Toletani XIV.

Hanc sententiam de expositionibus sacrarum Scripturarum per SS. Patres factis præferendis summorum Pontificum Decretis, sæculo septimo secuti Episcopi Hispani leguntur: cum enim anno 686. in Concilio Toletano XIV. præsidente S. Juliano Archiepiscopo Tolentano concepissent confessionem fidei 16. Capitulis constantem, eamque ad Benedictum II. Papam misissent, intellexerunt in hac confessione quatuor Capitula Benedicto displicere.

Igitur rursus biennio post congregati in Concilio Toletano XV, decreverunt hæc quatuor Capitula conferre cum dictis SS. Patrum; at cum post factam collationem ea reperissent consona doctrinæ & expositionibus SS. Ambrosii, Augustini, & Fulgentii, pronuntiant; ,, Quos quia celebre in toto orbe Doctores feriata Ecclesiarum Dei vota percenseant, non illis est succensendum, sed potius succumbendum, quia omne quod contra illos sapitur, a rectæ fidei regula abhorrere sentitur ,, .

Deinde subjicere non verentur: ,, jam vero si post hæc, & ab ipsis dogmatibus Patrum, quibus hæc prolata sunt, in quocumque dissentiant, non jam cum illis est amplius contendendum, sed, majorum directo calle inhærentes vestigiis, erit per divinum judicium, amatoribus veritatis responsio nostra sublimis, etiamsi ab ignorantibus æmulis censeatur indocilis ,, . Hæc latius habentur apud Labb. *tom.* 6. *Concil. colum.* 1303.

Hæc dirigi contra Romanos, quorum super articulis judicium postulaverant, contextus probat, & notavit D. Fleury in sua *Historia l.* 40. *num.* 40.

Ex quibus evidens est, hos Patres non secus ac Gratianum existimasse, quod dum agitur de sensu Scrituræ sacræ, expositiones SS. Patrum Decretalibus Pontificum simpliciter cedere non debeant.

Distinctionem hanc absolvit Gratianus tribus Canonibus, quorum primo exhibetur fragmentum Epistolæ Leone IV. ad Episcopos Britanniæ, quæ extat integra *tomo* 10. *Conciliorum Generalium colum.* 30. Huic fragmento præmittit Gratianus hoc summarium: *Aliorum scripturæ Romanorum Pontificum Decretis non sunt præponendæ*; scilicet in *judiciis & causis* decidendis, uti ex verbis Gratiani præcedentibus, nec non contextu relati fragmenti manifestum est. Unde in integra Epistola, huic fragmento præfigitur hoc summarium: *Per quæ Decreta debeant judicare Episcopi*.

Quæ sint Decreta, juxta quæ causas debent decidere Episcopi?

Quæ autem sint Decretales Pontificum, per quas judicare debeant, in principio declaratur his verbis: *Quæ habentur apud nos simul cum Canonibus*, sive, uti legitur in integra Epistola, & hic in nota marginali, *in Canone*.

Sæculo IX. Codice Dionysii Exigui utebatur Ecclesia Romana.

Porro ex Canonibus Conciliorum & Decretis Pontificum, quæ hic recitat Leo, & de quibus testatur, quod his ipsi Romani in *judiciis* uterentur, esse Canones Conciliorum, & Decretales & Decreta Præsulum Romanorum, quæ in Codice *Dionysii Exigui* continebantur, manifestum est, & consequenter ea ætate hunc Codicem apud Romanos auctoritatem adhuc obtinuisse, ut juxta Canones & Decreta Romanorum Pontificum in eo contenta judicare deberent Episcopi, quod & notavit de Marca *lib.* 3. *de Concord. Sacerd. & Imper. cap.* 4. *num.* 5. qui ibidem recte reflectit, Leonem auctoritatem falsarum Decretalium primis Pontificibus suppositarum non agnovisse: ,, Etenim supposititiis antiquorum Pontificum Epistolis, ait, quæ jam a sexaginta annis sub Isidori nomine confarcinatæ, per Europam sparsæ vulgabantur, locum inter Canones dare noluit; hæc est enim verborum illorum sententia, cum de regulis Decretalium loquitur, id est, *Quæ habentur apud nos simul cum illis in Canone*; statimque non Anacleti, non Evaristi, cæterorumque Pontificum ψευδεπιγράφοις Epistolas enumerat, sed Siricii, Innocentii, Zosimi & aliorum Pontificum, quæ habentur in collectione Dionysii.

Post hæc merito monet: ,, Quare quod Leo Pontifex ad cætera Decreta Silvestri Canones adjungit, omnino delendum est; quia sine dubio vitio scriptoris in textum irrepsit, præsertim cum illa tempestate nondum Canones *Silvestri* nec apud Sedem Apostolicam, nec apud provincias recepti fuissent, ut docet Hincmarus ,, .

Post relatos Canones, & regulas Decretalium, quæ in collectione Dionsii continebantur, subjungit Leo: ,, Isti omnino sunt, & per quos judicat Episcopi & per quos Episcopi simul judicantur & Clerici ,, . Judicium non obscurum, quod Leo censuerit auctoritatem harum Decretalium Romanorum Pontificum urgendam non esse; eo quod cum aliis Conciliorum Canonibus insertæ non reperiantur in Canone sive in Codice Dionysii Exigui, quo tunc utebatur Romana Ecclesia. Proinde probasse videtur Leo argumentum, quo eo seculo IX. usus fuisse legitur Hincmarus Rhemensis contra Nicolaum I. Papam auctoritatem falsarum Decretalium urgentem; quia in *Codice Canonum* non habarentur descriptæ, uti supra ad *Distinctionem* 19. notatum est.

Decreta relata sub nomine

Circa Decretum sub nomine Nicolai I. hic relatum Canone 2. ad asserendam Decretalium auctoritatem, exi-

Nicolai & Innocentii ſunt ſuſpecta nuti.

exigui ponderis eſt, uti tum ex dictis præcedenti diſtinctione, tum ex notatis circa fragmenta ſub nomine hujus Pontificis per Gratianum ſparſim producta, videri poterit.

Non majoris ponderis eſt Decretum ſub nomine Innocentii Papæ relatum, *Can. 3.* uti ex nota Correctorum Romanorum intelligi poteſt; expreſſe enim monent, nec inter Epiſtolas Innocentii I. reperiri, nec Innocentio II. adſcribi poſſe; eo quod idem referat Burchardus Innocentio II. anterior: ac proinde ſolius Burchardi fidei (e quo Gratianus veriſimiliter tranſcripſit) innitatur.

DISTINCTIO XXI.

Hic incipit tractatus Ordinationum in ſacris.

POSTQUAM Gratianus viginti diſtinctionibus egit de Canonibus ac Decretis Pontificum, quibus negotia Eccleſiaſtica terminantur, hac diſtinctione & ſubſequentibus uſque ad finem hujus primæ partis ſui Decreti, tractare aggreditur de Miniſtris Eccleſiæ, eorumque origine, inſtitutione, officiis, qualitatibus, electione, ac ordinatione, uti ipſe in Proœmio huic diſtinctioni præfixo exponit.

Diſtinctionem exorditur Canone 1. per prolixum fragmentum deſumptum ex *lib. 7. Etymol. cap. 12.* S. Iſidori, cui hoc præmittit ſummarium: *Unde nomina Eccleſiaſticorum graduum ſumantur.*

Unde ſumantur nomina Clericalium graduum?

Et ſane Iſidorus in hoc fragmento exponere conatur, incipiendo ab ipſo Clericatu, unde ſinguli gradus, ſive ordines ſuum nomen mutuaverint; atque oſtendit omnes a ſuis officiis ſive miniſteriis nomen accepiſſe; hancque Iſidori expoſitionem hodie tam Theologi quam Canoniſtæ amplectuntur.

De Primatu Romani Pontificis. Varia hic ſuppoſititia referuntur.

Poſt hæc agit Gratianus hac diſtinctione de primatu Romani Pontificis; profertque *Canone 2.* fragmentum Epiſtolæ 2. Anacleti ad Epiſcopos Italiæ ſub hoc ſummario; *Romana Eccleſia a Chriſto primatum accepit*; extatque integra *tom. 1. Concil. General.* cum duabus aliis eidem Pontifici adſcriptis, ſive per pſeudo-Iſidorum affictis, uti ibidem notavit Labbæus: proinde nihil ſolidi ex hac conficta Epiſtola pro primatu Eccleſiæ Romanæ a Chriſto collato concludi poteſt.

Hoc merito hic notatur, quod licet hic Epiſtolarum Decretalium confictor totus fuerit ad amplificandas Roman. Pontificis prærogativas; nihilominus poſtquam dixit: „ In Novo Teſtamento poſt Chriſtum Dominum „ a Petro Sacerdotalis cœpit ordo: quia ipſi primo „ Pontificatus in Eccleſia Chriſti datus eſt, Domino dicente ad eum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram* „ *ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum.* Hic ergo ligandi atque ſolvendi poteſtatem primus accepit a Domino: primuſque populum virtute „ ſuæ prædicationis adduxit “: addere non dubitavit: „ Cæteri vero Apoſtoli cum eodem pari conſortio „ honorem & poteſtatem acceperunt “. De hac pari auctoritate & poteſtate in cæteris Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, latius actum eſt *Tom. I. part. 1. Juris Eccleſ. tit. 16. caput 2.* alias in *Supplemento ad tit. 16. caput 1.* Profert Canone 3. fragmentum ſub nomine *Gelaſii urbis Romæ Epiſcopi omnibus orthodoxis*, præviso hoc ſummario; *Primatum Romanæ Eccleſiæ non aliqua Synodus, ſed Chriſtus inſtituit.*

In margine autem ad initium Canonis notatur: *in Decretis cum 70. Epiſcopi*: quibus verbis indicare voluit notator, verba hujus Canonis reperiri in Decreto vulgo *Gelaſiano de libris Canonicis & apocryphis*: quod creditur editum a Gelaſio in Concilio Romano cum 70. Epiſcopis, de quo videri poterunt notata ad *Canonem 3 Diſtinctionis 15.* (a).

His præmiſſis tertia parte diſtinctionis monet Gratianus: „ In his omnibus, quanto gradus celſior, tanto „ major auctoritas invenitur: in majoribus ſiquidem „ eſt regendi & jubendi poteſtas; in minoribus obſequendi neceſſitas “.

Ut id probet, ſubjicit *Canone 5. 6. 7. 8. & 9.* quinque fragmenta unius & ejuſdem Epiſtolæ Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem, quæ integra extat apud Labb. *tom. 8. Concil. General.*

Hanc partitionem advertens Antonius Auguſtinus *lib. 2. Dial. 12.* „ Poterat, inquit, ſi ex fonte hauſiſſet, „ uno capite omnia verba referre; ſic ordinem quoque „ Epiſtolæ ſervaſſet, quod minime fecit “. Quis dubitet Gratianum in adeo multiplices incidiſſe errores, quia ſua ex fonte non hauſit?

An Pontifex a nemine poſſit judicari?

In hac Epiſtola potiſſimum probare contendit Nicolaus, Romanum Pontificem a nemine judicari poſſe, eumque in finem inter alia impendit acta ſuppoſititii Concilii, quod habitum dicitur in cauſa Marcellini Papæ, quod hodie paſſim ut fictitium rejicitur.

Recte hic notat Ludovicus de Hericourt, quod ex hoc principio, quod Papa ſit primus inter Epiſcopos ſive primatum habeat, male concludat Nicolaus, Papam non poſſe judicari, nec ab Epiſcopis; nec a *Conciliis*; eo quod inferiores non habeant auctoritatem in ſuperiores: verba ejus ſunt: *De ce principe, que le Pape eſt le premier de tous les Paſteurs, le Pape Nicolas I. conclut que les Papes ne peuvent être jugez par des Evêques, ni par des Conciles; parce que les inférieurs n' ont point d' autorité ſur les ſuperieurs; c' eſt cependant mal à propos que les Ultramontains ont voulu conclure de ces autoritez, que le Pape ne pouvoit être jugé même par le Concile OEcumènique; pour ce qui regarde la foi, & la réformation generale: car le Concile Gèneral tenant ſon pouvoir de Jeſus-Chriſt, & reprèſentant l' Egliſe univerſelle, a une juriſdiction ſur tous ceux qui la compoſent.*

DISTINCTIO XXII.

Quæ inter Eccleſias primum locum obtineat? Quæ ſecundum, &c.

HAc diſtinctione inquirit Gratianus, quæ ſint inter Eccleſias reputandæ & habendæ majores; „ Quia „ ergo, inquit, major a minori judicari non debet, „ videndum eſt; quæ inter cæteras Eccleſias primum „ locum, quæ ſecundum, vel tertium obtineat. Romana Eccleſia, ſicut ſupra dictum eſt; primum locum „ inter cæteras obtinet, Alexandrina ſecundum, Antiochena Eccleſia tertium ab ea locum accepit “.

Quod Romana Eccleſia primum locum inter cæteras obtineat, probat *Canone 1.* per fragmentum Epiſtolæ Nicolai II. Mediolanenſibus inſcriptæ, & *Canone 2.* per fragmentum fictitiæ Decretalis Anacleto ſuppoſitæ, quam & ipſe Gratianus in multis mutilavit, uti ex notis Correctorum Romanorum patet, qui & ibidem reflectentes ad nomen *Cephas* in hac ficta Decretali occurrens, multis hujus nominis ſignificationem exponunt.

Cum autem Gratianus in proœmio hujus diſtinctionis ſecundum locum inter Eccleſias aſſignaſſet Eccleſiæ Alexandrinæ, & tertium Eccleſiæ Antiochenæ conformiter ad Synodum Nicænam, poſtea ad ſui temporis diſciplinam reflectens, quæ ſecundum locum jam tum Epiſcopo Conſtantinopolitano aſſignabat; profert *Canone 3.* Decretum Concilii Conſtantinopolitani I. quo decernitur: „ Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopum habere oportet Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quod ſit nova Roma “.

Prærogativa conceſſa Epiſcopo Conſtantinopolitano non ſine difficultate admiſſa fuit.

Ad hunc Canonem monent Correctores Romani: „ Canon hic ex iis eſt, quos Apoſtolica Romana Sedes a principio & longo poſt tempore non recepit “. Hoc pluribus ibidem auctoritatibus adſtruunt, ac dein ex his concludunt; „ Quamquam Conſtantinopolitani „ Epiſcopi, Imperatorum potentia freti, ſecundum „ locum Patriarchalium ſedium ſibi uſurparunt; idque „ tandem pacis & tranquillitatis cauſa fuit ipſis conceſſum “.

Quamquam autem conſtet, Epiſcopum Conſtantinopolitanum ad majorem ſenſim dignitatem fuiſſe elevatum, poſtquam hæc civitas facta eſt Imperialis; nihilominus & hoc conſtat, quod Romana Eccleſia inter Patriarchales ſemper manſerit prima, & *primatum* obtinuerit; quem in finem profert Gratianus Canone 4. fragmentum Epiſtolæ S. Gregorii ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum, quæ eſt 12. *lib. 9.* in editione Benedictinorum, ſub hac epigraphe: *Apoſtolicæ Sedi Conſtantinopolitanum conſtat eſſe ſubjectum.*

An recte arguantur Correctores Romani a Baluzio.

Circa hunc Canonem plura notavit Stephanus Baluzius; atque in primis monet, quod integra clauſula incipiens a verbo *D. Piiſſimus*, uſque ad verbum *profitentur*, deſit in omnibus Gratiani antiquis exemplaribus & editionibus, etiam apud Democharem & Contium: „ Adjecta ergo eſt, ait, a Correctoribus Romanis contra omnium codicum & editionum fidem, & tamen „ iidem cum ſoleant admonere, ſi quid propria auctoritate ex originalibus, ut ajunt, addant in contextu „ Gratiani, nihil hic admonuerunt, ſed locum hunc uno „ tenore ediderunt interpolatum, ac ſi Gratianus ita „ legiſſet. Qua audacia non video fieri quicquam poſſe „ audacius. Merito tamen hic conſulenda eſt nota PP. „ Benedictinorum ad citatam Epiſtolam S. Gregorii nov. „ Edit. ubi excuſare nituntur Correctores Romanos “.

Verum eſt quod hic notat Baluzius, in editione Antonii Contii prædictam clauſulam non haberi: quod vero idem Baluzius aſſerit eam in omnibus antiquis exemplaribus non haberi, ac per Correctores Romanos contra fidem omnium exemplarium adjectam, falſum id eſſe notat Petrus Guſſant in notis ad hanc Epiſtolam Gregorii, ibidem de hac clauſula ita diſſerens: „ In nonnullis „ exemplaribus Gratiani deeſt hæc clauſula, ſcilicet in „ editione Pariſienſi an. 1542. in Venet. 1588. & quibuſdam aliis perpaucis: ſed maxima pars tam MSS. „ quam editorum Gratiani exemplarium eam continet, „ & merito, cum non aliter potuerit legere Gratianus „ quam legeret apud S. Gregorium: nam in omnibus „ MSS. & editis ipſius Regiſtri hæc clauſula continetur, & ita eam legerunt, quotquot occaſione data „ hanc Epiſtolam retulerunt, ut infra memorabimus; „ immo & ipſe Jameſius, qui nullam vellicandi Gratianum, & Correctores Romanos occaſionem prætermittit, eamdem clauſulam retulit; utpote quæ in ſex „ MSS. Anglicanis reperiatur: unde appoſite ſed prudenter ſuo more Correctores Romani clauſulam hanc, „ quæ in corruptis quibuſdam exemplaribus deerat, re

„ ſtituc-

(a) In Dionyſii Exigui collectione inter alia S. Gelaſii Pontificis Decreta non reperitur illud Decretum: nec ejus pars de libris Canonicis habetur apud Gratianum, qui partem alteram retulit. Quidquod S. Ivo Carnutenſis Decretum illud Gelaſio adjudicat, unde fit ut ejus auctor incertus admodum videatur.

„ ſtituerunt; ex incorruptis nimirum Gratiani Codici„ bus, & ex puriſſimis S. Gregorii fontibus; neque „ vero monendos ea de re lectores duxerunt; nempe „ quia corruptos illos Gratiani Codices, aut non vi„ derunt, aut ſi viderunt, tamquam rem notis indi„ gnam, contemnendos cenſuerunt ".

Canon 36. Trullanus multipliciter corruptus recitatur a Gratiano.

Monet præterea Baluzius poſt Baronium, in hac S. Gregorii Epiſtola, non agi de Epiſcopo Conſtantinopolitano; ſed de *Primate Bizantino* in Africa; adeoque Epigraphem præfatam nec huic Canoni, nec Epiſtolæ convenire.

Canone 6. retulit Gratianus Canonem 36. Concilii Quini-ſexti vulgo in Trullo his verbis: *Renovantes ſancti Conſtantinopolitani Decreta Concilii petimus, ut Conſtantinopolitana Sedes ſimilia privilegia, quæ inferior Roma habet, accipiat; non tamen in Eccleſiaſticis rebus magnificetur ut illa: ſed hæc ſecunda poſt illam exiſtens, priuſquam Alexandrina Sedes numeretur, deinde Antiochena, & poſt eam Hieroſolymitana* ".

Poſt hæc ſubjicit Gratianus: *Hinc datur intelligi, quod Alexandrina Eccleſia de ſecunda facta ſit tertia, & Antiochena de tertia ſit quarta, niſi forte quis duas contendat eſſe ſecundas, ut Conſtantinopolitanam & Alexandrinam parem ſuæ dignitatis velit locum obtinere.*

Hic Canon, prout jam relatus eſt, legitur in Decreto Gratiani in editione Antonii Contii ex editione Antuerpienſi anni 1570. quin & hæc fuit conſtans lectio hujus Canonis apud Gratianum uſque ad factam ac inſtitutam Romanam Correctionem ſub Gregorio XIII, adeoque facile per quatuor ſæcula.

Certum eſt quod Gratianus in relatione hujus Canonis prodiderit vel ſuam craſſam circa Canones ignorantiam; vel magnum pro amplificanda Eccleſiæ Romanæ prærogativa pruritum; quandoquidem aperte Canonem in alienum detorſerit ſenſum.

Ac in primis, uti notavit Contius, & poſt ipſum Antonius Auguſtinus, pro, *inferior Roma*, in Canone legitur, *ſenior Roma*. Deinde in Canone fit mentio Synodi Chalcedonenſis, quam Gratianus omiſit. Præterea ita Canonem expreſſit & interpretatus eſt, ut quatuor duntaxat viderentur Patriarchæ, ſcilicet Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus; ſubtracto e numero Patriarcharum Romanorum Epiſcopo, quaſi hic in tantæ eſſet dignitatis faſtigium elevatus, ut inter Patriarchas numerandus non eſſet; cum tamen in Canone Trullano aperte inter Patriarchas primus numeretur, & in *Novella* 123. Juſtiniani quinque ordine deſignentur: ſic tamen ut Epiſcopus Romanus conſtanter numeretur primus; adeo ut ejus primatus ſemper etiam a Græcis agnitus fit.

Auctoritate Gratiani deſiit Pontifex Romanus inter Patriarchas numerari.

Gratianum cæco modo etiam errantem ſecuti Canoniſtæ, Romanum Pontificem ſenſim e numero & ordine Patriarcharum numerarunt; quos tandem ſecutus eſt Innocentius III. in c. *Antiqua* 23. *de Privilegiis*; ubi antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovans, quatuor duntaxat expreſſit tamquam Patriarchales: ſed Eccleſiam Romanam inter eas nequaquam reponit: ſed de hac dicit: „ Quæ diſponente Domino ſuper omnes „ alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, utpote „ mater univerſorum Chriſti-fidelium & magiſtra ".

Sed præcipuum circa hujus Canonis inverſionem, an ex ignorantia, an ex propoſito commiſſam, Gratiani attentatum verſatur circa clauſulam, qua Epiſcopo Conſtantinopolitano prærogativa aſſignatur, quæ in Canone per affirmationem ita legitur expreſſa: *Et in Eccleſiaſticis ut ille rebus magnificat*: Gratianus vero negative hoc modo expreſſit: *Non tamen in Eccleſiaſticis rebus magnificetur ut illa*. Hunc craſſum errorem Gratiani, ſenſum Canonis plane invertentem, attendentes Correctores Romani, pro hiſce, *non tamen*, poſuerunt, *nec non* atque ita in Decreto Gratiani correcto hodie legitur.

Tempore Concilii VIII. adhuc inter Patriarchas numerabatur.

Hanc diſtinctionem concludit Gratianus per fragmentum *Canonis* 21. Concilii VIII. ſub Hadriano II. relatum hic *Canone* 7. Evidens eſt tum ex contextu Canonis, tum etiam ex hoc fragmento, Sedem Romanam inter Sedes ſeu Eccleſias Patriarchales fuiſſe adhuc illo tempore numeratam, eique primum, Conſtantinopoleos autem ſecundum locum eſſe aſſignatum, atque de omnibus definiviſſe Concilium: *Neminem prorſus mundi potentum quemquam eorum, qui Patriarchalibus præſunt Sedibus inhonorare, aut movere a proprio throno tentare, ſed omni reverentia & honore dignos judicare* ".

DISTINCTIO XXIII.

EXPONIT Gratianus in proœmio hujus diſtinctionis, de quibus in ea & ſequentibus uſque ad finem hujus primæ partis tractare intendat; *Breviter, ait, quæ inter Eccleſiaſtica officia ſit differentia monſtravimus, nunc a ſummo incipientes, & uſque ad ultimum gradum deſcendentes, qualiter quiſque eorum debeat ordinari, ſanctorum auctoritatibus oſtendamus.*

Quæ obſervanda in electione Romani Pontificis.

Primum agit de electione ſummi Pontificis, idque prolato, Canone 1. fragmento prolixo Decreti Concilii Lateranenſis ſub Nicolao II. quod integrum extat *tom.* 9. *Concil. General.*

Porro pro intellectu hujus Decreti, quo nova forma in electione Romani Pontificis præſcribitur, prænotandum quod Stephanus Papa immediatus hujus Nicolai II. prædeceſſor, Decretum edidiſſet de electione novi Pontificis, relatum in vita hujus Pontificis ex Leone Oſtienſi *tom.* 9. *Concil. General. Col.* 1087. „ Poſt hæc con„ gregatis intra Eccleſiam Epiſcopis, ait hiſtoricus, cle„ ro populoque Romano, ſub diſtricta numinis inhibi„ tione conſtituit; ut ſi antequam Hildebrandus, Ro„ manæ tunc Eccleſiæ Subdiaconus, ab Imperatrice, ad „ quam pro quibuſdam Reipublicæ negotiis communi „ conſilio mittebatur, rediret, ſe mori contingeret, „ nullus omnino Papam elligere auderet: ſed uſque ad „ illius reditum Sedes Apoſtolica intacta vacaret, ejus „ demum ordinanda conſilio ".

Decretum Nicolai II. de hac electione, ejuſque occaſio & hiſtoria deſcribitur.

Verum non obſtante hoc Decreto, mox a morte hujus Pontificis, non expectato reditu *Hildebrandi*: „ Gre„ gorius Lateranenſis & Tuſculanenſis Comes, compert„ to Romani Pontificis obitu, ſociato ſibi Gerardo „ Galeſenſe, & Romanis potentibus aliquot, noctu „ cum armatorum turbis Eccleſiam una pervadunt, & „ Joannem Valitrenſem Epiſcopum, Mincium poſtea „ cognominatum Papam conſtituunt, *Benedicti* nomine „ illi impoſito ".

Ita ex Leone Oſtienſi in vita Stephani legitur, additurque, quod nonnulli Cardinales, inter quos & Petrus Damiani, huic electioni reſiſtere & reclamare cœperunt; ſed cum hi, qui elegerant, eſſent fortiores, *Hi omnes timore perculſi per varia loca fugêre.*

Poſtquam autem Hildebrandus (qui poſtmodum fuit Pontifex dictus Gregorius VII.) a ſua ad Imperatricem legatione rediiſſet, & Florentiæ mortem Papæ Stephani, ac electionem contra hujus Decretum factam intellexiſſet, ad novam electionem proceſſum eſt, & in Pontificem elegerunt Epiſcopum Florentinum, qui dictus fuit Nicolaus II.

Hæc electio placuit Romanis & Germanis. Attamen de conſilio Hildebrandi factum eſt, ut per Principes Romanos, miſſa legatione ad Imperatricem, approbatio Regis Henrici, adhuc impuberis, poſtularetur; hæcque obtenta eſt; ac inſuper nomine Regis demandatum Gorhofredo Marchioni Tuſciæ, ut hunc electum in urbem ducat, & Benedictum invaſorem ſedis ejiciat; quod & effectum eſt, & ita auctoritate Regis ſchiſma excinctum, & electus in Pontificem ſub nomine Nicolai II. pacifice Sedem Apoſtolicam tenuit.

Itaque primo ſui Pontificatus anno, ſcilicet an. 1059. menſe Aprili, Synodum celebravit Romæ in Eccleſia Lateranenſi cum centum & tredecim Epiſcopis, plurimis Abbatibus, Presbyteris, & Diaconis; ipſe eidem perſonaliter præſidens dixit: „ Novit Beatitudo veſtra, „ dilectiſſimi fratres, & Coepiſcopi, inferiora quoque „ membra Chriſti non latuit, defuncto piæ memoriæ „ Domino Stephano prædeceſſore noſtro, hæc Apoſto„ lica Sedes, cui auctore Deo deſervio, quot adverſa „ pertulerit, quot denique per ſimoniacæ hæreſis tra„ pezitas repetitis malleis crebriſque tunſionibus ſubja„ cuerit; adeo ut columna Dei viventis jamjam pene „ videretur concuſſa nutare, & ſagena ſummi piſcato„ ris, procellis intumeſcentibus cogeretur in naufragii „ profunda ſubmergi ".

Quæ fuerit præcipua ratio edendi illud Decretum.

Evidens eſt, hæc præcipue reſpicere ad ea, quæ occaſione electionis Joannis Epiſcopi Vilitrenſis in Pontificem ſub nomine Benedicti contigerant, & quia prævidebatur in hac Romana Eccleſia, ob multitudinem ambientium Pontificale faſtigium, id ipſum frequenter poſſe contingere, huic periculo occurrere volens hic Pontifex, præſenti Decreto ſtatuit, ut *obeunte hujus Romanæ univerſalis Eccleſiæ Pontifice, in primis Cardinales Epiſcopi diligentiſſime ſimul de electione tractantes, mox Chriſti Clericos (alias Epiſcopos) Cardinales adhibeant: ſicque reliquus clerus & populus ad conſenſum novæ electionis accedat, nimirum præcaventes, ne venalitatis morbus aliqua occaſione ſubrepat, & ideo religioſiſſimi viri præduces ſint in promovenda Pontificis electione, reliqui autem ſequaces.*

Quinam eo tempore ad electionem Romani Pontificis concurrerent.

Ex his intelligitur, quod licet Clerus populuſque Romanus ab electione novi Pontificis non videretur totaliter excluſus, tamen Epiſcopi & Clerus Cardinalis præcipuas partes, & pene totales in hac electione jam habere cœpiſſent; quodque *reliquus Clerus & populus ad conſenſum novæ electionis accederet*; quæ non obſcure inſinuant, novam electionem per Epiſcopos & Clericos Cardinales factam, cum reliquus Clerus & populus ad conſenſum accederet.

Nequaquam proinde negari poteſt, in hoc Decreto non parum a forma veteri electionis Romani Pontificis prioribus octo ut minus ſæculis conſtanter ſervata recedi: antiquitus enim, nulla diſtinctione facta, inter Clerum Cardinalem & reliquum Clerum & populum, ad hanc electionem, non ſecus atque ad cæterorum Epiſcoporum electionem, Clerus populuſque vocabatur, eorumque conſenſu ac ſuffragiis electio perficiebatur, & conſequenter, etiam in electione Romani Pontificis obtinebat ſententia S. Leonis, quæ in hoc Decreto proponitur: „ Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos ha„ beantur, qui nec a Clericis ſunt electi, nec a plebi„ bus expetiti, nec a comprovincialibus Epiſcopis cum „ Metropolitani judicio conſecrati ".

Addi-

In Ordinatione Romani Episcopi Cardinales Episcopi vicem Metropolitani supplent.

Additur in hoc Decreto: *Quia vero Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atque ideo super se Metropolitanum habere non potest, Cardinales Episcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Episcopum ad Apostolicis culminiis apicem provehant.*

Fatetur igitur Pontifex, quod licet Sedes Apostolica *Metropolitanum supra se habere non possit;* nihilominus Episcopi Cardinales simul convenientes queant vice Metropolitani fungi; & quasi tamquam auctoritate Synodi Provincialis electionem probent, & electum ordinent: unde licet Romanus Pontifex inter Episcopos nullum agnoscat superiorem, qui ipsum judicandi auctoritatem habeat, inde tamen perperam concluditur, quod Synodus *generalis* ex omnibus Episcopis composita, & Ecclesiam universalem repræsentans hanc auctoritatem non habeat, uti perperam conclusisse Nicolaum I. ad Canonem finalem *distinctionis* 21. notavimus.

Romani Pontificis electio ab Imperatore erat probanda.

Monet autem nominatim Pontifex ut electio hæc fiat: *Salvo debito honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui impræsentiarum Rex habetur* (a), *& futurus Imperator Deo concedente, speratur, sicut jam sibi* concessimus, *& successoribus illius*, qui ab hac Apostolica Sede personaliter hoc jus impetraverint.

Indubie ea ætate adhuc Romanis persuasum erat, quod electus in Romanum Pontificem ordinandus non esset, nisi electio Imperatori, sive Regi Romanorum fuisset intimata, & ab eo probata, quemadmodum & in hac electione Nicolai factum fuerat, uti supra dictum est: atque tendit clausula Decreti, *Salvo honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, &c.*

Romani pretenderunt ex privilegio Sedis Apostolicæ jus illud imperatori concessum fuisse.

Sed & hoc ex integro contextu hujus clausulæ nequaquam obscurum est, auctores hujus Decreti prætendisse hoc jus Regis, sive Imperatoris esse personale privilegium a Sede Apostolica impetrandum, quod & notavit D. Fleury in *Historia Eccles. lib.* 60. *num.* 31. ubi relata hac clausula Decreti, ait: *On fait ici passer pour un privilege personel le droit de l' Empereur, pour approuver l' élection du Pape, quoique dans la suite de cette Histoire nous ayons vû ce droit établi depuis plusieurs siecles: il semble que la Cour de Rome vouloit se prevaloir de la minorité du Roi Henri.* De hoc jure Regis & Imperatoris videri possunt dicta *Tom.* 1. *part.* 1. *Juris Eccles. tit.* 13. *cap.* 3. alias in *supplemento* ad eumd. *tit. cap.* 3. *num.* 3.

Etiam extra Romam electio Pontificis fieri potest.

Declaratur deinde in præfato Decreto: *Quod si pravorum atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera, atque gratuita fieri in urbe non possit electio, Cardinales Episcopi cum religiosis Clericis, Catholicisque Laicis licet paucis, jus potestatis obtineant, eligere Apostolicæ Sedis Pontificem, ubi congruere viderint: plane, postquam electio fuerit facta, si bellica tempestas, vel qualiscumque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is, qui electus est, in Apostolica Sede juxta consuetudinem inthronizari non valeat: electus tamen sicut verus Papa, obtineat auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam, & disponendi omnes facultates illius, quod beatum Gregorium ante suam consecrationem fecisse cognovimus.*

Electus in Pontificem, an regere possit Ecclesiam ante ordinationem?

Hæc respicere ad ea, quæ in hac electione contigerant, ex prænotatis nequaquam obscurum est; sed notandum hoc Decreto a pristina disciplina recedi, dum electo in Romanum Pontificem datur plenum jus regendi Ecclesiam, & proventus recipiendi, ac administrandi, antequam in Episcopum sit consecratus seu ordinatus. Primitus enim, tametsi rite electus, pro Pontifice non habebatur, nisi in Episcopum esset ordinatus uti notavi *Tom. I. part.* 1. *Juris Eccles. tit.* 14. *cap.* 5. alias in *supp. tit.* 14. *cap.* 5. *num.* 7.

Denique concluditur Decretum, adjecta pœnarum & multiplicium censurarum comminatione in Decreti contraventores. Ex quo habemus, quod ætate hujus Synodi, id est sæculo undecimo, post receptas Decretales cœperit Decretis Romanis inferi censurarum comminatio.

De examinando ordinando in Episcopum.

Post hæc Gratianus multa miscet; atque in primis *Can.* 2. refert formulam examinis, juxta quam examinandus sit, qui in Episcopum eligitur: hæc formula, ex antiquo Ordine Romano descripta, coincidit cum formula, juxta quam ex præscripto moderni Pontificalis Romani, Episcopus in sua consecratione per consecratorem examinandus & interrogandus est, uti notavi in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 15. *cap.* 3. *num.* 5. & deinde *num.* 6. notavi hoc examen in meram ritualem cæremoniam adhiberi; hocque plurimum differre a serio illo examine, quod sancti Patres in electione Episcoporum tantopere desiderarunt.

De qualitatibus requisitis in Clericis.

Dein *Can.* 3. profert Gratianus prolixum fragmentum ex S. Isidoro Hispalensi sub hoc titulo: *Qualis esse debeat Clericorum conversatio*; quod merito a Clericis legitur, & in eo descripta præcepta & monita reperient, quæ singulatim latius exposui in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 1. *& seqq.*

Satius est habere paucos Sacerdotes bonos quam multos idoneos.

Rursus *Can.* 4. notandam admodum ac verissimam profert sententiam ex Epistola 2. Decretali per Isidorum Clementi I. supposita: *Tales ad ministerium eligantur Clerici, qui digne possint Dominica Sacramenta tractare; melius est enim Domini Sacerdoti paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.*

Hic habemus, quod in præfatione monuimus, plura in suppositis & confictis per Isidorum vulgo Mercatorem notanda occurrere utilia, si hæc ab adjectis & inspersis ab Isidoro fœtidis mercibus sedulo secernantur.

Promissio specialis plus attenditur quam generalis.

Notandum etiam quod *Canon.* 6. refertur ex Concilio Toletano; „ Quamquam omnes, qui sacris mancipantur Ordinibus, Canonicis regulis teneantur adscripti, expedibile tamen est, ut promissionis suæ vota sub cautione spondeant, quos ad promotionis gradus Ecclesiastica probat disciplina: *Solet enim plus timeri quod singulariter pollicetur, quam quod generali sponsione concluditur.* „

De ritu collationis singulorum ordinum.

Prosequitur Gratianus ostendere, qualiter singuli inferiores ordines conferantur; prolatis eum in finem pluribus Canonibus sub nomine Concilii vulgo Carthaginensis IV. in quibus ritus singulorum, qui & hodie in usu est, exprimitur; & una designatur functio singulis ordinibus propria, uti in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 1. *c.* 1. *& seqq.* & *Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 9. *cap.* 1. *&* 2. exposuimus.

De usu orarii jam pridem usitato.

Miscet & alia nonnulla Gratianus, atque inter cætera *Canon.* 9. ex Concilio Bracarensi III. refert: „ *Ecclesiastica & antiqua institutione præfixum novimus, ut omnis Sacerdos, cum ordinatur,* orario *utroque humero ambiatur, scilicet, ut qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera & adversa, virtutum semper ornamento, utroque circumseptus appareat humero.*

Ex eodem Canone intelligitur, eo tempore fuisse quosdam Presbyteros, qui tempore sacrificii *orarium* non assumerent, quare subjungit: *Proinde modis omnibus convenit, ut quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat & in oblatione vel perceptione suæ salutis, scilicet, ut cum Sacerdos ad solemnia missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam orario utroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus; ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum in suo pectore præparet (sive perferat) crucis.*

Quæ vestis nomine orarii intelligatur?

Quæ sacra vestis hic intelligatur nomine *orarii*, incertum est. Illud constat non fuisse eamdem semper & ubique hujus ornamenti formam & significationem; uti videri potest apud *Du-Cange* in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis, & ab eo citatos, verbo, *orarium*.

Orarii usus in multis coincidit cum hodierno usu stolæ.

Admodum verisimile est, in hoc Canone sumi pro *stola* Sacerdotali, prout in Ecclesia Latina pro hoc ornamento sumptum fuisse tempore Caroli Magni habemus ex Alcuino, qui eo tempore scripsit, quamvis forsitan non ejusdem tunc esset formæ cum nostris hodiernis stolis Sacerdotalibus.

Nec dubium apparet, quin ii qui modernas rubricas & sacrarum vestium usum præscripserunt, ea, quæ de orario hic præscripta repererunt, hodierno ornamento, quod stola dicitur, applicuerint, crediderintque *orarium* pro stola sumi.

Nam in primis sicuti hic dicitur quod non liceat sine orario sacrificium offerre; ita nec hodie sine *stola* sacrificium Presbyter offerre potest, & quidem *utroque humero circumseptus*.

Proterea juxta modernum ritum, licet stola cervicem non premat, tamen ex præscripto Ritualium observatur, ut stolam primum cervici, seu capiti imponat Presbyter.

Denique requirunt modernæ rubricæ, ut quemadmodum de orario dicitur in Canone, Presbyter stolam de utroque humero pendentem in *modum crucis* plicata. per cingulum, quo præcingitur, in pectore prefigat.

Unde proinde vix dubitari possit, quin auctor hodierni ritus respexerit ad hunc, aliosque a Gratiano relatos Canones; atque ex hoc Canone etiam invaluisse, quod hodie Presbyteri laicaliter communicantes, ut feria quinta in Cœna Domini, etiam *stola* ex utroque humero pendente, induti communicent: dicitur enim in Canone, ut Presbyter *Sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus non aliter accedat, quam* ORARIO *utroque humero circumseptus.*

Inferiores ministri *orariis* uti non sinuntur. Et quare?

Meminit & *orarii* Gratianus hac distinctione *Can.* 27. *&* 28. relatis ibidem Canonibus Laodicenis, quorum priore decernitur, *ministrum* (sive Subdiaconum) *non oportet uti orariis:* & Canone sequenti: *Non oportet lectores aut psalmistas orariis uti, & sic legere aut psallere:* Rationem hujus inhibitionis reddit Zonaras. „ Ne Subdiaconi, lectores vel psalmistæ utentes *orario* „ viderentur *Diaconi officium usurpare.* „ Diaconis enim *orarium* dabatur, ut eo ad exequenda sua officia & ministeria uti possent, uti ex Balsamone, Zonara, aliisque fusius intelligi potest.

(a) Rex ille erat Henricus IV. quem summus Pontifex Imperatorem non appellabat, quia Princeps Imperialem coronam a summo Pontifice nondum acceperat.

Pro-

Probat & id Canon Concilii Toletani IV. relatus a Gratiano *Distinctione* 25. *Canone* 3. sub hoc summario: *Sacerdos utrumque humerum orario ambit ; Diaconus vero sinistrum tantum , ut ad ministerium expeditius discurrat*.

Quæ pristini orarii forma, & qualiter ab hodierna stolæ forma differat?

Ex quibus intelligitur , *orarium* eo tempore ejus formæ , ejusque latitudinis fuisse , ut in Diaconis integrum humerum sinistrum tegeret ; ejusque liberum usum impediret : in Presbyteris vero utriusque humeri sive lateris liberum usum non permitteret ; atque propterea necesse quodam modo erat , ut in elevatione Hostiæ & Calicis Presbyter in utroque humero circumseptus *orario*, per assistentes ministros juvare deberet ; ut scilicet liberum utriusque humeri sive lateris in hac elevatione usum haberet.

Hinc & hodiernus ritus remansit , levandi casulam Sacerdotis in elevatione sacræ Hostiæ & Calicis . Similiter & hoc ex veteri disciplina remansit , quod nec Subdiaconi, nec lectores ant psalmistæ *orario* sive stola utantur ; item quod Diaconi stolam in solo humero sinistro pendentem gestent : immo nonnulla in missis solemnibus per alios ministros proclamantur , quæ juxta veterum Patrum disciplinam solis Diaconis erant propria , & per alios nequaquam expleri solebant ; & quibus eorum etiam in ordinatione tradita instrumenta , & sacræ vestes correspondebant . At hodie hæc omnia in mere externos ritus, qui vix ab aliquo intelliguntur , transierunt ; idque ob collapsam Patrum avitam disciplinam , uti in jure Ecclesiastico sparsim notavi.

De usu Dalmaticæ.

Interserit hic Gratianus *Canone* 10. ex Epistola Gregorii de veste , quæ dicitur Dalmatica , quæ hodie omnibus Episcopis est communis ; sed tempore S. Gregorii , Episcopis Gallicanis a Romano Pontifice usum illius gratiose indultum fuisse , intelligitur ex hac Epistola ; quod & notavit D. Fleury in *Historia Eccles. lib.* 36. *num.* 10. cæterum de vario usu & forma hujus vestis videri potest Du-Cange , verbo , *Dalmaticæ* .

Qualiter autem unusquisque sit ordinandus , prosequitur hic Gratianus ; atque incipiens *Canone* 7. ab ordinatione *Episcopi* , pergit pluribus Canonibus ex Concilio vulgo Carthaginensi IV. referens ibidem formam ordinationis , quæ etiam hodie quoad singulos ordines servatur ,

De ministro Ordinum.

Hoc notandum quod omnium ordinum , etiam quatuor minorum, *minister* dicatur Episcopus ; de psalmista autem , seu cantore dicatur *Canone* 20. „ Psalmista , id est *Cantor* potest absque licentia Episcopi „ sola jussione Presbyteri officium suscipere cantandi, „ dicente sibi Presbytero : *Vide ut quod ore cantas , „ corde credas ; & quod corde credis , operibus comprobes* . „

Admodum verisimile est, tempore editi hujus Canonis, officium psalmistæ, sive cantoris non fuisse reputatum inter officia minorum ordinum , saltem in Ecclesia Latina , uti notavi in *Jure Eccles. Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 9. *num.* 4.

De coma Clericis vetita.

Nonnulla hic adjungit Gratianus de his , quæ Clericos specialiter dedecent ; atque inter cætera ex suppostitia Decretali Aniceti Papæ : *Ut Clerici juxta Apostolum comam non nutriant ; sed desuper caput in modum sphæræ radant* . Et *Can.* 22. ex Concilio Agathensi : *Clerici , qui comam nutriunt , ab Archidiacono, etiamsi noluerint , inviti detondeantur* . Quin & *Can.* 23. refert sub nomine Concilii Romani sub Gregorio II. *Si quis ex Clericis relaxaverit comam , sit anathema* . Denique sub nomine Concilii Martini Papæ refert Canone 32. *Nec oportet Clericos comam nutrire , & ministrare , sed attonso capite , patentibus auribus* . Hæc per errorem hic adscribi Martino Papæ aut ejus Concilio ; sed esse desumpta ex collectione Martini Bracarensis scitur , & hic in margine notatur.

Cæterum de hac vetita comæ nutritione , necnon de rasione verticis in modum *sphæræ* , de qua in citata Decretali Aniceto supposita , latius egi *Tom. I. part.* 1. *Juris Eccles. tit.* 2. *c.* 2. alias in *supplem. ejusd. titul.* ubi ostendi , quis sit verus Ecclesiæ scopus & spiritus in capillorum attonsione , quæ in pristinis & recentioribus Synodorum Decretis , & in collatione tonsuræ Clericalis , jam dictæ rasioni verticis respondentis , exprimitur.

Clerici inferiores vetantur ingredi loca destinata superioribus.

Quemadmodum vetitum fuit Subdiaconis , aliisque ministris inferioribus *orario* uti ; ne eo utentes Diaconorum munia sibi arrogare velle viderentur ; ita & *Diaconium* , seu *sacrarium* , aut *secretarium* intrare vetantur Can. 26. & 30. eo quod hæc loca Diaconis essent destinata & ipsis propria.

Subdiaconis & Clericis inferioribus vetitus sanctorum vasorum contactus.

Insuper additur , quod ministris seu Subdiaconis non liceat *sacra vasa* contingere ; quia proprium erat Diaconorum officium vasa sacra cum oblationibus populi cum solemni pompa & ritu deferre ad altare ; uti ex Morino notavi *Tom. VI. Schol. in Canonem* 21. *Laodicenum* ; atque ibidem notavi , hic nequaquam agi de simplici & privato contactu sacrorum vasorum , sed de horum solemni gestatione ad altare , quæ tum temporis Diaconis erat propria.

Sed & hoc scitur , circa hæc non eamdem fuisse omnium Ecclesiarum & ætatum disciplinam ; ac præsertim in multis fuisse Ecclesiæ Græcæ & Latinæ rituum diversitatem ; qua proinde attenta , non adeo difficilis erit Canonum conciliatio , qui Subdiacono contingere vasa sacra permittere videntur : quales Canones sunt hic relati *Can.* 31. *&* 32. ex Concilio Bracarensi , & collectione Martini Bracarensis.

De ritu nuptiarum.

Concludens autem Gratianus distinctionem hanc , adjungit etiam aliqua *Can.* 33. de nuptiarum ineundarum ritu : „ Sponsus & sponsa , ait , cum benedicendi „ sunt a Sacerdote , a parentibus suis , vel paranym„ phis offerantur , qui cum benedictionem acceperint , „ eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in „ virginitate permaneant . „

Hoc Decretum post Correctionem Romanam legitur sub hoc titulo : *Item ex Concilio Carthaginensis IV. cap.* 13. monet autem Stephanus Baluzius in *notis ad hunc Canonem* : *Caput illud nullam habet inscriptionem in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus , etiam usque ad Democharis & Contii tempora , sed quia Demochares & Contius in margine adnotaverant , sumptum esse ex Can.* 13. *Concilii Carthaginensis , hinc audaces facti Correctores Romani , eam observationem transtulerunt in textum Gratiani , fieri coacti , quæ nunquam sciverat : accepit enim haud dubie ex Burchardo aut Ivone , apud quos esse dicitur caput* 101. *Concilii apud Valentias* .

Hic rursus habemus , nos post Correctionem Romanam non habere opus hoc , prout a Gratiano editum fuit . Ulterius quod non e fontibus sua sumpserit , sed ex præcedentibus collectionibus , notanter Burchardi & Ivonis.

DISTINCTIO XXIV.

De examine Ordinandorum.

IN procemio hujus distinctionis , ait Gratianus : „ Qualiter Episcopus sit examinandus , & qualiter „ ipse simul cum reliquis infra ipsum constitutis sit „ ordinandus , breviter monstratum est : nunc autem „ videndum est de Sacerdotibus & reliquis , an sine „ examinatione sint promovendi . De his ita scribit „ Paulus ad Timotheum *Epist.* 1. *cap.* 5. *vers.* 21. *&* „ 22. *Manus nemini cito imposueris , & nihil sine* „ *præjudicio facias in alteram partem declinando* . „

Huic præfatiunculæ in moderna Decreti Gratiani editione subjicitur Decretum sub nomine Silvestri Papæ *in Synodo Romana cap.* 9. sed in primis norunt hodie eruditi , acta hujus Synodi esse suppostitia . Præterea in hoc qualicumque Decreto nihil de examine Ordinandorum occurrit ; de quo tamen se velle tractare in præfatiuncula monuit Gratianus ; quin nec summarium huic Decreto præfixum legitur ; quale tamen cæteris Decretis passim adscripsit Gratianus , ut proinde verisimile sit , hoc Decretum manu recentiore esse adjectum ; quod & probat nota Correctorum Romanorum ; utpote qui monent hoc caput quidem inveniri in exemplaribus Vaticanis : *Nam in antiquioribus* , inquiunt , *non est : sed post versiculum* , declinando , *sequitur continenter* , nullus ordinetur , scilicet Decretum Concilii III. Carthaginensis sub hoc summario : *Ante probationem nullus ordinetur Clericus* , conficiens hodie Canonem 2. qui præfatiunculæ Gratiani omnino conveniebat.

Hinc manifestum est , admodum esse incertum , quid in hoc opere possit Gratiano reipsa adscribi.

Formula examinis ante Ordinationem instituendi.

Inter ea , quæ de hoc Ordinandorum examine hic adfert Gratianus , præcipuum est vulgare Decretum Concilii Nannetensis relatum Can. 5. in quo forma examinis ab Episcopo servanda præscribitur , eo pene modo quo hodierna formula in Ritualibus & Synodis est præscripta , de qua latius actum in *Jure Eccles. Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 9. *cap.* 4. ubi una ostendi , quod & hodie ex mente Ecclesiæ desideretur testimonium populi , de quo hic *Canone* 6. cujus est hoc summarium : *Alias autem sine Clericorum videlicet consilio populi testimonio nullum Episcopus ordinare præsumat* . Ex quibus admodum verisimile fit , Ritualium nostrorum auctores plurima e Gratiani Decreto mutuasse.

Quod *Canone* 6. refertur tamquam ex Concilio *Martini Papæ* , constat esse desumptum ex collectione & versione Canonum Græcorum Martini Bracarensis ; estque Canon 9. Nicænus , de quo videri possunt dicta *Tom. VI Schol. in Can.* 9. *&* 10. *Nicænos & eod. Tom. VI.* §. 9. *in Can.* 9. *Neocæsariensem* .

DISTINCTIO XXV.

De muniis singulorum Ordinum Ecclesiasticorum.

GRATIANUS hac distinctione in primis profert prolixum fragmentum Epistolæ S. Isidori Episcopi Hispalensis ad Ludifredum , ut ostendat quid ad Episcopum , quid ad unumquemque inferiorem pertineat Clericum.

Epistolam hac de re sub nomine Isidori male refert Gratianus.

Notant Correctores Romani , quod integra hæc Epistola habeatur in Codice Bibliothecæ Monasterii Dominicanorum ; sed Gratianum integram hanc Epistolam non vidisse , aut consuluisse ostendunt , quæ ad hoc fragmentum ex ipsa Epistola annotarunt Correctores Romani : atque inter alia notant ad verbum , *clamare* :

re :

re: „ In Epistola S. Isidori, & apud Ivonem ita legi„ tur: *Ipse* (Diaconus) *hortatur orare, ipse clamat;* „ *& pacem ipse annuntiat*. „ Quæ lectio officium Diaconi, tam juxta veterem, quam juxta modernam disciplinam clarius exprimit, quam Gratiani lectio, uti intelligi potest ex his, quæ de Diaconorum officio notavi in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 1. cap. 3. num.* 10.

Insuper monent iidem Correctores ad verbum, *Archipresbyter*: „ Hinc usque ad verba, *ad ad Primice*„ *rium*, non sunt in ipsa Epistola Isidori, neque in „ Panormia, neque apud Burchardum, & *extra cap.* „ 1. *de Offic. Archipresbyteri* citantur ex Concilio To„ letano. „

Occasio recentis disciplinæ de subjectione Archipresbyteri respectu Archidiaconi.

Verissima est hæc annotatio Correctorum; illa scilicet non haberi in Epistola Isidori, neque in Panormia Ivonis, sed tamen habentur in Decreto Ivonis, prout hodie extat *part. 6. cap.* 20.

Verum notat ad hunc locum Ivonis Joannes Molinæus doctor Lovaniensis: „ Hæc non habentur in Co„ dice Regio suspectaque mihi perpetuo visa sunt, quod „ Archipresbyter subdatur Archidiaconis; quod vetu„ stum non esse, in Canonibus Conciliorum vel me„ diocriter versatus nemo ignorat.

Admodum verisimile est, Gratianum incidisse in exemplar Decreti Ivonis, cum prædicta clausula, atque inde hoc fragmentum in suum Decretum cum eadem clausula transtulisse.

Refertur quidem in Decretalibus Gregorii IX. *in cap.* 1. ✠ *de Offic. Archipresbyteri*, clausula hæc de superioritate & auctoritate Archidiaconi super Archipresbyterum sub nomine *Concilii Toletani*; sed in nullo Concilio Toletano reperitur; nec Garzias Loaisa voluit ea verba pro Canone Concilii Toletani agnoscere, unde verisimile est, ex Decreto Gratiani in Decretales dimanasse.

Quidquid sit, non dubium, hunc esse unum ex articulis, qui occasione Decreti Gratiani contra Patrum disciplinam invaluit, & receptus est, ut nimirum Archidiaconus præcedat Archipresbyterum, vel uti legitur apud Gratianum & in Decretalibus, *ut Archipresbyter sciat se esse sub Archidiacono, & ejus præceptis, sicut Episcopi sui, obedire*.

Cæterum quæ hic ex Epistola Isidori de functionibus ordinum singulorum referuntur, consonant his, quæ in moderno Pontificali Romano recitantur, uti ostendi in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 9. de Sacramento Ordinis*, ut vel inde admodum probabile sit, quod sicut Pontifices in suis Decretalibus secuti sunt Decretum Gratiani, ita etiam confectores Pontificalis Romani eodem usi fuerint.

Post hæc, interjecto fragmento falsæ Decretalis Clementi I. affictæ, necnon Decreto Concilii Toletani IV. quo præcipitur, ut Diaconus sive Levita *orarium* duntaxat ferat in sinistro humero, de quo diximus ad *distinctionem* 23. post hæc, inquam, exponit de quibus agendum sit in sequentibus: „ Nunc autem, ait, per „ singulos gradus ordine recurrentes, qui, ex quibus „ ordinibus, in quem gradum conscendere possint, qui „ post lapsum valeant reparari, vel qui non: quibus „ culpis a proprio gradu mereantur dejici, quo accu„ sante, quibus testificantibus possint convinci, cujus „ sententia sint absolvendi vel condemnandi, breviter „ consideremus; ac primum a Pontificali gradu inci„ pientes, qualem oporteat eum esse, qui in Episco„ pum est ordinandus, diligenter investigemus, Apo„ stoli regulam secuti, quam in hujusmodi re Timo„ theo & Tito scribit, dicens: *Oportet Episcopum ir*„ *reprehensibilem esse*: id est non obnoxium reprehen„ sioni: hoc ad Timotheum. Ad Titum autem: *Opor*„ *tet Episcopum sine crimine esse*; quod Hieronymus „ scribit ad Oceanum, idem est. „

De qualitatibus ordinandi in Episcopum.

Deinde prolixum discursum subjungit, in quo ostendere vult; quæ dici debeant delicta *mortifera*, quæ *venialia*: illa quidem *igne æterno punienda*; hæc autem *igne transitorio purganda*. Hic discursus conflatus est ex segmentis interpolatis, & a suis originalibus dissonis, atque adeo obscure dispositis, ut vix intelligi queat quid velit, uti ex notis Correctorum Romanorum manifestum est.

Ordinandus in Episcopum debet fuisse immunis a crimine post baptismum.

Hoc interim sat indicat Gratianus, quod ordinandus in Episcopum debeat omni tempore post baptismum fuisse *sine* crimine: relatis enim *Can. 6.* verbis S. Hieronymi ex ejus commentario in Epistolam ad Titum, quibus docet, quod ex mente Apostoli, Episcopum oporteat esse sine crimine, sive irreprehensibilem: „Non „ quod eo tantum tempore, ait, quo ordinandus est, „ sine ullo sit crimine, & præteritas maculas nova „ conversatione diluerit; sed quod ex eo tempore, „ quo in Christum renatus est, nulla peccati conscien„ tia remordeatur. „

His, inquam, relatis, concludit Gratianus distinctionem his verbis: „ Ecce qui ordinandus est in Epi„ scopum, non solum tempore post baptismum a cri„ mine immunis esse debet. „

Ratio hujus puritatis in Episcopo requisitæ.

Rationem hujus puritatis in Episcopo necessariæ subjicit ibidem Hieronymus: „ Quomodo enim potest „ præses Ecclesiæ auferre malum de medio ejus, qui „ in delicto simili corruerit? aut qua libertate corri„ perre peccantem potest, cum tacitus sibi ipse respon„ deat, eadem admisisse quæ corripit? „

DISTINCTIO XXVI.

De qualitate Episcopi his verbis expressa unius uxoris vir.

PERGENS Gratianus describere & exponere qualitates ac conditiones, quæ in ordinando in Episcopum juxta Apostolum in Epistola ad Timotheum & ad Titum requiruntur, agit hac distinctione de ea, quæ per Apostolum exprimitur his verbis: *unius uxoris vir*. Timoth. *cap. 3. vers.* 2. & ad Tit. *cap. vers.* 6.

An si bigamus censendus, qui duas uxores habuit, unam ante alteram post Baptismum.

Id unum Gratianus hac distinctione quærit, utrum ad sensum Apostoli censeatur verus bigamus, qui plures quidem habuit successive uxores; sed unam *ante baptismum*, & alteram *post baptismum*; ita ut post susceptum baptismum unam duntaxat duxerit & habuerit uxorem.

Sub initium distinctionis videtur Gratianus eam amplecti sententiam, quæ requirit ut quis ad mentem Apostoli sit bigamus, quod duas duxerit successive uxores post baptismum: dicit enim: *Sequitur in utraque Epistola*, unius uxoris virum, *post baptismum videlicet, non ante baptismum*.

Unde & in probationem adducit *Can.* 1. fragmentum Epistolæ S. Hieronymi ad Oceanum, ubi hic doctor claris terminis scribit; quod is ad mentem Apostoli sit dicendus *unius uxoris vir*, sive monogamus, qui *post baptismum* unam duntaxat uxorem duxit & habuit: „ Si enim & ante conjugem habuit, quæ „ obierit, non ei imputatur, cui prorsus novo ho„ mini, nec strupra, nec alia, quæ ante fuerunt, „ jam obsunt „.

Verum immediate post relatum hunc textum S. Hieronymi, subjicit sententiam S. Augustini sub hoc summario: *Qui ante baptismum habuerit unam, & post baptismum aliam ordinandus non est*.

Varias hac de re Patrum sententias refert Gratianus.

In eandem sententiam plures allegat Patrum auctoritates, notanter Innocentii I. necnon S. Ambrosii, quorum sententiam amplectitur, sic loquens ad calcem *Canonis* 4. „ Unde datur intelligi, quod bigami dicun„ tur, non solum qui post baptisma conjugia frequen„ tant; sed etiam, qui ante baptismum unam, & post „ baptismum alteram habuisse probantur: bigamus ve„ ro in Sacerdotem ordinari non debet: non quia de„ liquerit secundam accipiendo uxorem; sed quia præ„ rogativa exutus est Sacerdotii „. Et nominatim hæc sententia in Decretalibus Gregorii IX. est expressa, atque in Ecclesia signanter Latina generaliter recepta, uti latius notavi in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 10. cap.* 2. ubi & ostendi, Græcorum Patrum sententiam consonam fuisse sententiæ S. Hieronymi supra expressæ, eamque non obscure traditam esse in Canonibus vulgo *Apostolorum*; quodque Patres Græci rationem fundamentalem hujus irregularitatis crediderint plane diversam esse ab ea, quæ a Patribus Latinis, notanter ab Augustino assumpta fuit, & hodie recepta est.

DISTINCTIO XXVII.

De castitate in Presbyteris & Diaconis requisita.

HAc distinctione Gratianus a suo instituto deflectens, arrepta occasione eorum, quæ de bigamia dixerat, hac distinctione quærit, utrum ordinati Diaconi aut Presbyteri debeant servare continentiam.

Et quidem Canone 1. profert Canonem 10. Ancyranum ex versione Martini Bracarensis sub nomine Martini Papæ, uti notavit Antonius Augustinus *lib. 1. de emendat. Grat. Dialog.* 10.

Porro Martinum Bracarensem in hujus Canonis versione a verbis & sensu Canonis recessisse, & ad suæ ætatis & Ecclesiæ Hispanicæ praxim (ad cujus usum suum Codicem conscripsit) inflexisse recte notavit Antonius Augustinus, quam versionem hic secutus est Gratianus uti & monuit idem auctor.

Legit enim Martinus, & post ipsum Gratianus; „ Diaconus, qui eligitur, si contestatus fuerit pro ac„ cipiendo matrimonio, & dixerit non posse in casti„ tate permanere, hic non ordinetur „. In Canone autem de Diaconis, qui ita protestati fuerint, sic pronuntiatur: *Hi, si postea ad nuptias venerint, maneant in ministerio*. Quæ omnino contrarium sensum reddunt. Cui sensui inhæsit Gratianus, eo quod versionem Martini, quam apud Ivonem reperit, secutus fuerit, & non attenderit ad textum Canonis originalem, prout ab ipsomet sequenti distinctione *Can.* 8. relatus est. De hac Gratiani obscitantia latius egimus *Tom. VI. Schol. in Can.* 10. *Ancyranum*.

Variæ circa hoc punctum Patrum sententiæ

Post hæc pro resolutione propositæ quæstionis varias adducit auctoritates, quarum aliæ supponunt, matrimonium contractum post emissum votum castitatis esse validum; aliæ vero invalidum esse supponere videntur.

Ut illas conciliet Gratianus, distinguit inter votum simplex & solemne

Has auctoritates volens conciliare Gratianus, ad calcem Canonis 8. ait: „ Hic distinguendum est, quod voventium alii sunt *simpliciter* voventes, de quibus „ Augustinus, & Theodorus locuti sunt: alii sunt, „ quibus post votum *benedictio* accedit *Consecrationis*,

vel

„ vel *propositum Religionis*, de quibus Hieronymus, „ Nicolaus, & Calixtus scripserunt.

At in eo a patrum disciplina deflexit.

Verum hic recessisse Gratianum a pristina Patrum disciplina, notavimus in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 5 tit. 13. c. 5.* alias *c. 4.* ubi etiam ostendimus hujus distinctionis inter votum simplex & religionis, sive solemne, nullam mentionem quoad effectum dirimendi subsequens matrimonium in pristinis Canonibus occurrere: *Verum a Gratiano non incongrue hic impensam esse; eo quod suo tempore invalescere cœpisset.*

Refertur quidem hic *Can. 3.* sub nomine Theodori in Pœnitentiali, textus cum hac vocula, *simplex*; sed monent Correctores Romani: *Abest vox ista ab omnibus manuscriptis, & infra 27.* quæst. 1. cap. 1. *si quis votum, etiam ab impressis. In aliquot tamen pervetustis, est glossa interlinearis.* Admodum verisimile est, eam vocem a glossographo recentiore manu in margine appositam, in textum irrepsisse.

Sententia tamen ejus tandem recepta fuit.

Correctores Romani ad verba sub nomine S. Augustini relata *Canone 2.* monent: *Verba propria hujus capitis non sunt inventa apud beatum Augustinum; sententia tamen habetur in libello*, de bono viduitatis: *omnino autem intelligendum hoc est de voto* simplici, *ut Gratianus in fine hujus distinctionis exponit.* Indubie hi Correctores hanc restrictionem adjicientes, verisimiliter non ad verba aut sententiam Augustini respexerunt, sed ad sui temporis receptam disciplinam, & opinionem, quæ eam Gratiani distinctionem inter votum *simplex* & solemne jam receperat.

DISTINCTIO XXVIII.

De voto castitatis a Subdiaconis emittendo.

HAc distinctione Gratianus tractat de voto castitatis ab ordinandis emittendo.

Sub initium distinctionis asserit: *Ad Subdiaconatum accedentes non sine voto castitatis jubentur admitti*; quod ibidem *Canone 1.* probat auctoritate S. Gregorii in Epistola Petro Diacono inscripta.

Non eadem fuit omnium Ecclesiarum in hoc puncto disciplina.

Verum ex eadem Epistola constat, etiam ævo S. Gregorii, non ubique, immo nec in omnibus Italiæ Ecclesiis, eam continentiæ legem Subdiaconis fuisse præscriptam; quod & ipse Gratianus advertit, uti ex dicendis patebit, qui & non semel hac distinctione monet non eamdem fuisse quoad legem continentiæ, etiam quoad Diaconos & Presbyteros omnium Ecclesiarum, notanter Græcæ & Latinæ, disciplinam; unde & sub finem distinctionis, pro conciliatione Canonum, qui circa hoc punctum disciplinæ non videntur convenire, monet in his esse distinguendum ex loco, vel ex tempore immo occasione hac accepta tribus subsequentibus distinctionibus ostendit, Canones esse considerandos & examinandos *ex causa, ex loco, ex tempore, & ex persona.*

DISTINCTIO XXIX.

HAc distinctione profert Gratianus tria fragmenta, ut probet Canones disciplinam exteriorem præscribentes considerandos esse & ponderandos *ex causa, ex loco, ex tempore, & ex persona.*

Canones ex temporum, locorum, & personarum circumstantiis expendendi.

Notandum in hanc rem dictum S. Isidori relatum *Canone 1. Sciendum est, ait, quod pleraque capitula ex causa, ex persona, ex loco, ex tempore consideranda sunt, quorum modi, quia medullitus non indagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impinguntur; cum ante judicant quam intelligant, ante inculpant quam iterando lecta perquirant.*

Et sub nomine Gregorii dicitur *Canone 2. Regulæ sanctorum Patrum pro tempore, loco, & persona, & negotio instante necessitate traditæ sunt.*

Nec enim dubitandum est, quin Regulæ seu Canones exteriorem Ecclesiæ disciplinam concernentes pro temporum, locorum, personarum, & etiam causarum consideratione & necessitate editi fuerint, & nonnunquam temperati; aut eadem postulante consideratione aut necessitate, mutati.

Ob neglectam hanc considerationem sæpe a vero Canonum sensu aberratur.

Quod si ipse Gratianus, & subsequentes Canonum & Decretalium glossatores & interpretes juxta hæc processissent, atque Canones secundum has omnes circumstantias expendissent, non ita a vero sensu Canonum aberrassent; immo nec eorum sensum invertissent, nec disciplinam his expressam reprobassent; uti & in Analysi recte notavit Ludovicus de Hericourt. Postquam enim monuit, quod in examinandis Canonibus oporteat attendere causas, item circumstancias temporum, locorum, & personarum, subjungit: *Ceux qui ne prennent point cette sage précaution en lisant les Conciles & l'Histoire Ecclésiastique, tombent souvent dans l'erreur, & condamnent des usages, dont ils ne connoissent pas les raisons.*

DISTINCTIO XXX.

Nonnunquam quædam de se licita propter abusum vetantur.

HAc distinctione ostendere vult Gratianus, subinde quædam *ex causa* per Canones vetari, quæ alias ex se licita & honesta, quin & multum laudanda sunt, eo quod quidam his abutantur. Eum in finem hic refert Canones Synodi Gangrensis celebratæ sub initium sæculi IV. contra quemdam Eustachium; ejusque discipulos; in quibus plura de se bona & licita vetantur; quia his ad suos errores & superstitiones abutebantur, uti latius ostendi *Tom. VI. Schol. in Canones Gangrenses*, ubi & sigillatim notavi errores & superstitiones illorum hæreticorum, quibus hi Canones opponuntur; necnon qualiter hi Canones in multis a textu Græco difformiter referantur a Gratiano; quod & ex observationibus Correctorum Romanorum liquet.

DISTINCTIO XXXI.

Circa Canones, tempus, quo conditi sunt, considerandum est.

GRATIANUS ostendere pergens, quæ circa Canones sint consideranda, sub initium hujus distinctionis, ait: *Tempus quoque est considerandum*: ut autem id probet, subdit: *Quia nondum erat institutum, ut Sacerdotes continentiam servarent.*

In probationem subjungit *Canone 1.* fragmentum Epistolæ S. Gregorii, in qua hic Pontifex agens de Subdiaconis per Siciliam constitutis, asserit: *Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur.*

Lex continentiæ non fuit eodem tempore ubique Subdiaconis imposita.

Ex his evidens est, quod circa hunc articulum de servanda continentia a Subdiaconis, alia esset Ecclesiæ Romanæ disciplina, & alia Ecclesiarum Siciliæ, quantumvis hæ essent ex Ecclesiis *suburbicariis* Romano Episcopo jure Metropolitico subjectis, uti omnibus eruditis notum est.

Cum nonnulli prætenderent compellendos Subdiaconos, qui ante hanc *a triennio* editam conditionem erant ordinati, servare continentiam, & a suis uxoribus, quas duxerant, separandos, scribit Gregorius: „ Quod „ mihi durum atque incompetens videtur, ut qui usum „ ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem „ ante promisit, compellatur a sua uxore separari, at„ que per hoc (quod absit) in deterius cadat.

Non dubium igitur recte hic a Gratiano notari, legem continentiæ per Canones non eodem tempore ministris Ecclesiæ fuisse impositam; sed recte monent Correctores Romani, ex hac Epistola id duntaxat probari de *Subdiaconis*; non autem de Presbyteris aut Diaconis, ut indicare videbatur Gratianus dicens: *Nondum erat institutum, ut Sacerdotes continentiam servarent.*

Indubitatum quippe est, etiam ante tempora S. Gregorii, saltem in Ecclesia Latina, Presbyteris & Diaconis legem continentiæ fuisse impositam, quod & probant auctoritates Patrum & Conciliorum, quæ a Gratiano proferuntur, & ipse Gratianus etiam fatetur (*a*).

Eademque lex etiam Subdiaconis sensim post tempora S. Gregorii *generatim* in Ecclesia Latina, non secus ac Presbyteris & Diaconis imposita fuit, etiam antequam Subdiaconatus inter sacros ordines haberetur, uti observatum est in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 1. c. 3.* In tantum quidem ut si ante ordinationem legitimas uxores duxissent, his tamen post ordinationem uti non possent, uti probant auctoritates a Gratiano hic relatæ.

Ratio impositæ continentiæ ministris altaris.

Rationem hujus Decreti reddit Gratianus ad calcem Canonis 1. dicens: *Causa hujus institutionis munditia Sacerdotalis fuit, ut libere cunctis diebus orationi possint vacare: si enim (ut Paulus ait) ab uxoribus est cessandum, ut expeditius orationi vacemus; ministri utique altaris, quibus quotidiana necessitas orandi incumbit, nunquam conjugali officio vacare permittitur.*

Hanc rationem ante Gratianum jam pridem reddiderunt Patres, quorum dicta hic referuntur, atque inter alios breviter expressit venerabilis Beda relatus *Canone 2. Sacerdotibus ut semper altari queant assistere, semper ab uxoribus continendum, semper castitas observanda præcipitur*; quæ ratio pluribus adstruitur ab Innocentio I. & S. Hieronymo verbis *Canone 4. 5 6. & 7.* relatis.

Circa ea, quæ ad calcem Canonis 7. subjicit Gratianus de Canone Synodi Gangrensis, merito consulitur observatio Correctorum Romanorum, nec omittantur *Scholia*, quæ *Tomo VI.* hujus editionis in *Canonem 1. Gangrensem* adornavimus.

Uxori ante ordinationem ductæ de necessariis providendum.

Deinde monet Gratianus ad calcem Canonis 9. quod licet Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus non possit post ordinationem uxore sua, quam ante ordinationem suam legitime duxerat, uti, eam tamen contemnere non possit: *Hoc est ab animo & cura sua abjicere, quin & necessaria provideat.* Probat id auctoritate Leonis *Canone* 10.

Tandem ad calcem Canonis 11. ait: *Ut igitur ex his auctoritatibus apparet, Sacerdotes, uxoribus, quas in laicali habitu, vel in minoribus ordinibus constituti sibi legitime copularunt, necessaria ministrare, debita vero reddere non valent.*

Historia de Paphnutio a Gratiano relata.

Post hæc *Canone* 12. objicit sibi Gratianus famosam & vulgarem historiam de Paphnutio Episcopo & Confessore relatam per Socratem & Sozomenum, & ex his in historia tripartita, e qua eam hic recitat Gratianus.

Hæc historia, prout hic relata est, probat huic sancto Confessori nequaquam placuisse, ut per Synodum Nicænam lex ederetur, qua interdiceretur Presbyteris & Dia-

(a) Certum quoque est circa tempora S. Gregorii exeunte sexto, vel ineunte septimo sæculo matrimonii contracti usum Presbyteris & Diaconis fuisse illicitum, adeoque vetitum.

Diaconis uti suis uxoribus, quas ante ordinationem suam duxerant; quin & ab hac lege ferenda Patres Nicænos dimovisse.

Quamtumvis non eadem sit de veritate hujus historiæ eruditorum sententia, nihilominus hoc sat constat, Gratianum de eius veritate non dubitasse, atque credidisse tempore Synodi Nicænæ, licitum fuisse Presbyteris & Diaconis libere uti suis uxoribus, quas ante ordinationem suam duxerant quin & ibidem refert *Canone* 13. Decretum Synodi VI. sive *in Trullo*, quo ipsum Presbyteris & Diaconis permittitur.

Varia fuit Ecclesiæ Latinæ & Græcæ disciplina circa usum uxorum ante ordinationem ductarum.

Hæc ut cum præcedentibus conciliet, ad calcem hujus Canonis subjecit; „ Hoc autem *ex loco* intelligendum est. Orientalis enim Ecclesia (cui sexta Synodus regulam vivendi præscripsit) votum castitatis in ministris altaris non suscepit ".

Hanc conciliandi rationem probat verbis Stephani Papæ relatis *Canone* 14. „ Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nam earum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur; istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus Sacerdotum a Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi ".

Quantumvis non constet de veritate hujus Epistolæ, certum tamen est, hodie Ecclesiam Orientalem permittere Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis usum conjugii ante ordinationem legitime contracti, uti notavi *Tom. VII. Schol. in Canonem* 13. *Trullanum*, atque adeo etiam hodie quoad hoc punctum aliam esse Orientalis Ecclesiæ a praxi Ecclesiæ Latinæ disciplinam.

DISTINCTIO XXXII.

EX dictis distinctione præcedenti concludit hic Gratianus: *Servanda est ergo contientia ab omnibus in sacris ordinibus constitutis.*

Circa continentiam Subdiaconorum non erat olim eadem ubique disciplina.

Profert hunc in finem fragmentum Epistolæ S. Leonis, e quo habetur, quod eo tempore esset consuetudo Romanæ Ecclesiæ, ut Subdiaconi a suis uxoribus abstinere deberent; quamvis ea lex pluribus Ecclesiis nondum esset Subdiaconis imposita, uti & monent Correctores Romani, & ad distinctionem præcedentem notavimus: ex quo habemus disciplinam Romanæ Ecclesiæ non semper fuisse in omnibus aliis Ecclesiis receptam.

Tempore S. Gregorii Clerici in sacris non constituti poterant uti conjugio, & stipendia ab Ecclesia recipere.

Notandum quod *Canone* 3. retulit ex Epistola sancti Gregorii ad Augustinum Anglorum Apostolorum, in qua respondit Gregorius, quod *si qui sint Clerici extra sacros ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, & stipendia sua exterius accipere*. Dein aliquibus interjectis concludit: *De eorum ergo stipendio cogitandum atque providendum est, & sub Ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant, & canendis psalmis invigilent, & ab omnibus illicitis cor & linguam & corpus, Deo auctore, conservent.*

Ex his nequaquam obscurum est, quod ætate S. Gregorii ea esset disciplina, ut Clerici in minoribus ordinibus constituti, ordinum illorum functione obeuntes, possent non tantum matrimonio jungi, sed insuper, quod postquam essent matrimonio juncti, in ministerio Ecclesiæ manere, & tanquam ejus ministris necessaria vitæ stipendia illis essent suppeditanda.

Post erectos titulos beneficiorum disciplina illa mutata est.

Porro hæc disciplina sensim post erectos titulos beneficiorum mutata fuit; atque receptum est, ut si Clerici extra sacros ordines constituti, beneficium Ecclesiasticum obtineant, matrimonio jungantur, beneficium ipsorum mox a contracto matrimonio vacare censeatur; nec ullum ad proventus Ecclesiæ jus retinere dicantur.

Auditio Missæ Presbyteri concubinarii prohibita.

Insuper hac distinctione agit Gratianus de incontinentia Clericorum extra matrimonium, quæ sæculis decimo & sequentibus in tantum invaluerat, & tam altas radices egerat, ut his eradicandis, Decreta Episcoporum aut Conciliorum non sufficerent; ut tandem statutum legamus, ut nullus missam audiat Presbyteri, qui concubinam habere scitur, uti hic *Canone* 5. & 6. retulit Gratianus.

Cum vero ad calcem Canonis 6. formasset sibi hanc objectionem, quod *principia harum auctoritatum contrarie videntur Hieronymo & Augustino, & cæteris, qui Christi sacramenta, neque in bono, neque in malo homine fugienda ostendunt*: tum prolixo discursu probat, præsertim auctoritate S. Augustini, valorem & effectum Sacramentorum a bonitate vel malitia ministrorum non dependere, tandem ita concludit; *Prohibentur ergo de manibus talium Sacerdotum Sacramenta suscipi, non quia (legendum* quin*) sint vera quantum ad formam & effectum: sed quia dum hujusmodi Sacerdotes se a populo contemptos viderint, rubore verecundiæ facilius ad pœnitentiam provocentur.*

Clerici incontinentes ab ordinum gradu dejiciendi.

Subjicit deinde Decreta, quibus jubentur dejici a suorum ordinum gradu, qui post susceptos sacros ordines non caste vixisse probantur; atque inter alia Decretum *Urbani II.* Canone 11. his verbis expressum: *Erubescant impii, & aperte intelligant, judicio Spiritus sancti eos, qui in sacris ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi, nisi mulieres abjecerint, & caste vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate.*

Conjugati ad sacros ordines promoveri nequeunt sine consensu uxoris.

Canone 14. ex Epistola sub nomine Leonis IX. refertur, quod si quis in minore ordine constitutus uxorem duxerit, & postmodum ad Subdiaconatum promoveri venit: *Nequibit hoc sine consensu uxoris suæ, ut fiat de carnali deinceps spirituale conjugium, nemine eos ad hoc cogente; neque permittitur postea uxor jungi eidem marito suo carnaliter; nec cuiquam nubere in vita, aut post mortem illius.*

Hic videmus quod jam pridem permissum fuerit, etiam in Ecclesia Latina, ut conjugati possent ad sacros ordines de consensu uxoris assumi: licet non possent post ordinationem uxore sua uti; quæ disciplina etiam per Decretales recepta est sub titulo *de conversione conjugatorum*, ubi & videri possunt conditiones, quas hodierna disciplina in hac conversione requirit.

De vetita conversatione Clericorum cum mulieribus.

Cum autem continentia cum mulierum familiaritate vix integra servari queat, subjicit hic Gratianus auctoritates, quibus Clericis hæc familiaritas, ejusque periculum exponitur.

Refert hunc in finem Canone 16. Decretum Nicænæ, quæ non permittit *his, qui in Clero sunt*, subintroductam *habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, aut etiam idoneas personas, quæ fugiant suspiciones.*

Deinde *Canone* 17. refert quædam sub nomine S. Hieronymi in Epistola ad Nepotianum, & alibi, uti hodierna habet inscriptio, quæ clausula, inquiunt Correctores Romani indicat; *Caput hoc esse collectum ex variis beati Hieronymi locis, in quibus de vitanda mulierum consuetudine agitur.*

Inter hæc monita merito hoc notandum: *Fœminam, quam bene videris conversantem, mente dilige, non corporali frequentia.*

Cæterum de vetita Clericorum & mulierum cohabitatione & familiaritate videri possunt dicta in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 2. cap. 3.*

De Diaconissis.

Circa ea, quæ ex Canone 11. Laodiceno extra materiam hujus distinctionis recitat Gratianus Canone 19. de fœminis, quæ apud Græcos *Presbyteræ*, apud Latinos *viduæ* dicebantur, consuli potest Scholion in hunc Canonem Laodicenum, *Tom. IV.* hujus editionis.

DISTINCTIO XXXIII.

De irregularitate ex bigamia secundum disciplinam Græcorum.

HAc distinctione Gratianus multa inter se miscet; atque in primis ex Canone 17. vulgo Apostolorum refert; *Si quis post baptismum acceptum secundis nuptiis copulatus fuerit, aut concubinam habuerit, non potest fieri Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt.*

Nequaquam obscurum est, hunc Canonem conceptum esse juxta opinionem & disciplinam Græcorum, qui irregularitatem resultantem ex his verbis Apostoli, *unius uxoris vir*, petebat ex suspicione incontinentiæ ex secundis nuptiis resultante, uti supra notavimus; ideoque requirebant, ut quis *post Baptismum* nuptias iterasset, irregularis ad mentem Apostoli esset.

Quare & videmus æquiparari quoad hanc irregularitatem eum, qui post acceptum baptismum *secundis nuptiis*, vel ut habet textus Græcus, *duobus conjugiis implicatus fuerit*, & eum *qui concubinam habuerit*, hoc est qui post baptismum in fornicationem fuit prolapsus: *Eum qui post baptismum bigamus fuerit, vel fornicatus sit, ait Balsamon, prohibet Canon Episcopum fieri, vel Sacerdotale quidpiam exercere: quæ enim ante baptismum admissa sunt, omnis generis peccata prætermittit, cum factus sit novum opus sola gratia Spiritus sancti.*

A sensu Canonis Apostolici recedit Gratianus.

Itaque a vero sensu, & etiam verbis Canonis recessit Gratianus monens ad calcem Canonis, quod hic „ concubina intelligenda sit præter uxorem, ut iste „ sit sensus capituli: (si quis post acceptum sacrum „ baptisma secundis nuptiis fuerit copulatus, aut concubinam duxerit) distinguendum est, antequam uxorem duxerit, sive post mortem uxoris „: quasi hic „ ageretur de eo, qui post baptismum duxerit suam concubinam in uxorem, cum evidens sit, Canonem simpliciter loqui de eo, qui post baptismum concubinam habuerit, etiamsi nullam nec primam, nec secundam uxorem post baptismum habuerit.

De impedimentis ordinationis.

Multa hic intermiscet Gratianus ad materiam hujus distinctionis non pertinentia: referturque in primis *Canone* 2. prolixum fragmentum, quo exprimuntur ea, quæ impediunt aliquem in Episcopum ordinari, idque sub nomine beati Gregorii: at monent Correctores Romani: *Hoc caput sumptum est ex cap. 72. libelli de Ecclesiasticis dogmatibus, qui inter opera beati Augustini editus est, atque ex eo alibi sæpissime ab ipso Gratiano citatur.* Quis autem sit auctor hujus libelli, inter omnes non convenit, uti monent Correctores Romani; plures enim Gennadio tribuunt, & videntur in eam opinionem inclinare eruditi Monachi Benedictini in novissima editione operum S. Augustini, in monitione huic libello præfixa in *Appendice tom.* 8.

Adjungit & ibidem Gratianus aliqua ex falsa Decretali Pio I. Papæ adscripta de non admittendis ad sacras functiones, qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur

tur (a), aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, quod scilicet similes sacris altaribus adstare prohibeantur, de quibus late agit Ferdinandus Mendoza in Tractatu de confirmando Concilio Eliberitano l. 2. cap. 59. extatque *tom. 1. Concil. general.* edit. Labb.

DISTINCTIO XXXIV.

Domesticarum etiam personarum nimia familiaritas Episcopo vitanda.

HAc distinctione dicit Gratianus se velle ostendere, quod *domesticarum quoque personarum immoderatam familiaritatem Episcopum vitare oporteat.*

Sæpius notatum est, admodum esse familiare Gratiano, a materia & scopo sibi proposito recedere, & ab his plane diversa immiscere, quod & hic ipsi contigit: in probationem enim ejus, quod sibi ostendendum Gratianus assumpserat, nihil occurrit præter unicum fragmentum *Canone* 1. relatum sub nomine Epistolæ Nicolai Papæ, cujus varia admodum notatur inscriptio, uti monet Antonius Augustinus *de emendat. Gratiani lib. 2. Dial.* 15. atque ibidem indicat, hactenus citatæ Epistolæ *fontem desiderari.*

In fragmento hic relato scribere dicitur Nicolaus de quodam Episcopo juvene, quod nimia familiaritate agat cum sua filia, quam verimiliter ante ordinationem suam habuerat, quia in hac Epistola de incontinentia non arguitur Episcopus; ut non appareat, quo titulo hæc familiaritas cum propria & legitima filia possit dici *suspecta*, quemadmodum ibidem insinuatur per rigorem, quo contra eum procedendum esse scribit auctor hujus Epistolæ, ut vel ex hoc capite merito de ejus sinceritate ambigatur: una quoque colligitur, quam parum attenderit Gratianus, num ea quæ refert scopo suo conveniant. Accusabatur quoque in hac Epistola Episcopus tamquam *venationi* addictus, scribiturque ut moneatur ab ea abstinere, proferturque eum in finem vulgare dictum Hieronymi: *venatorem nunquam legimus sanctum.*

Venatio Clericis interdicta.

Hac occasione subjiciuntur hic *Canone* 2. & 3. duæ Paleæ sub nomine Concilii Aurelianensis IV. contra Clericos venatores. Hæc autem non reperiri in hac Synodo monent Correctores Romani una tamen notant, utramque hanc *Paleam* sub nomine ejusdem Synodi extare in Decretalibus Gregorii IX. sub titulo *de Clerico venatore.* Ut hinc rursus pateat collectorem Decretalium more illius temporis sine ulteriori discussione, auctoritate Gratiani, pro genuino reputasse quidquid in Decreto reperiret. Cæterum tumultuosas illas bestiarum venationes specialiter jam pridem etiam Clericis vetitas esse scitur.

Absona hic miscet Gratianus de concubinis

Vix intelligi potest, qua occasione hac distinctione agat Gratianus de concubinis; atque quædam referat, ac notanter *Canone* 4. ex Concilio Toletano, quæ probare videntur licitum esse non conjugatis habere concubinas loco uxoris, aut saltem hujusmodi non conjugatos concubinam habentes non esse a communione repellendos.

Quid per concubinam intelligat?

Cæterum certum est, quod Gratianus nullatenus crediderit, Concilium Toletanum concubinatum, prout hodie sumitur, reputasse licitum, sed concubinam ibidem accepisse pro vera uxore, sed minus solemniter ducta, uti in præfatiuncula huic Canoni præfixa se explicat Gratianus; *Concubina autem hic ea intelligitur, quæ cessantibus legalibus instrumentis unita est, & conjugali affectu adsciscitur, hanc conjugem facit affectus, concubinam vero lex nominat*".

Idipsum latius prosequuntur Correctores Romani prolixo discursu huic Canoni subjecto, & plura dixi in *Jure Eccles. Tom. IV. parte 3. tit. 6. cap. 4. nu. 53. & seq.* ubi ostendi concubinatum, id est consuetudinem carnalem soluti cum soluta semper fuisse reputatum grave crimen. Hic rursus notandum Gratianum non sat ad verctitse, nam ea, quæ proferuntur, proficere possint in ædificationem legentium, ac notanter juventutis.

De bigamis non ordinandis extra ordinem & confuse agit Gratianus.

Post hæc rursus plura intermiscet multum inter se confusa de bigamis non admittendis ad ordines: ac inter cætera notandum quod Canone 8. ex Aurelianensi seu potius ex Gerundensi Synodo anni 517. refert Gratianus. ,, Si quis de Laicis post uxorem, aliam cujus,, cumque conditionis cognoverit mulierem, in Cleri,, cum nullatenus admittatur ".

Admodum verisimile est, hujus asserti auctorem respexisse ad interpretationem Græcorum, qui irregularitatem per Apostolum expressam his verbis, *unius uxoris vir*, non e mystica aliqua significatione, sed ex suspicione incontinentiæ desumendam existimabant, uti supra notatum est.

Unde & inepta apparet explanatio Gratiani huic Canoni subjecta, qua restringere vult Canonem ad eum, qui pellicem, vel meretricem cognoverit *maritali affectu*, cum Canon simpliciter loquatur de eo, qui post uxorem, scilicet mortuam, cognoverit aliam.

Irregularitatem bigamiæ desumunt Patres Græci ex suspicione incontinentiæ.

Profert & *Canone* 11. Decretum Concilii Neocæsariensis in hæc verba: ,, Si cujus uxorem adulterium commisisse, cum esset Laicus, evidenter fuerit compro,, batum, hic ad ministerium Ecclesiasticum admitti ,, non potest. Quod si in Clericatu jam eo constituto, ,, adulteravit, dato repudio dimittere eam debet: si ,, vero retinere ejus consortium velit, non potest su,, scepto ministerio perfui. Eumdem Canonem refert ,, Canone sequenti ex versione Martini Bracarensis sub ,, hac inscriptione: *ex Concilio Martini Papæ.*

Interim ex hoc Canone rursus habetur, irregularitatem ab his Patribus Græcis desumptam fuisse ex incontinentia uxoris, quodammodo in ipsum maritum redundante. Similiter quæ ex *Canone* 18. vulgo Apostolorum retulit *Canone* 15. sub nomine Hieronymi de vidua, ejecta, meretice ac ancilla, & irregularitate, ex matrimonio cum illis contracto, resultante, evidenter supponunt opinionem (quæ & fuit Hieronymi) petentium fundamentum irregularitatis, provenientis ex nuptiis cum vidua, ex suspicione incontinentiæ in vidua, uti & notavi *Tom. IV. Schol. in Canonem 17. vulgo Apostolorum.*

Bigami sunt incapaces omnis beneficii.

Quod sub nomine sancti Ambrosii dicitur *Can.* 14. scilicet, *Neque Clericum quemquam debere esse qui secunda conjugia sortitus est*, conforme est hodiernæ disciplinæ, quæ nec ad simplex beneficium, etiam primam duntaxat tonsuram requirens, bigamum admittit, quamvis nesciam de hoc in Synodo Nicæna tractatum, uti in hoc Canone refertur, multo minus quidquam decretum fuisse.

Ad calcem *Canonis* 16. subjicit Gratianus: *Sed postea temporum defectui condescendens Papa Martinus, in minoribus ordinibus eos constitui permisit, non regulam præfigendo.* In margine notatur: *Hæc verba* non regulam præfigendo, *absunt ab aliquibus exemplaribus.* Et *Canoni* 18. hæc præmisit Gratianus: *Necessitate tamen exigente usque ad Subdiaconatum* bigamus *potest promoveri.*

Verum hic erravit Gratianus: neque enim *Martinus Papa* quidquam hac in re remisit: quæ enim *Canone* 17. & 18. adducit Gratianus sub nomine *Martini Papæ Romani*, non sunt hujus Pontificis, sed Martini Bracarensis, qui desumpsit ea ex Concilio Toletano primo; sed qui Decreta hujus Concilii ad sui temporis disciplinam inflectendo nonnihil mitigasse videtur: de qua pristina disciplina, & cui hodie dispensandi cum bigamis auctoritas competat, videri possunt dicta in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 10. cap. 2. §*

DISTINCTIO XXXV.

PRoposuerat sibi Gratianus describere qualitates & conditiones necessarias in assumendis ad sacras functiones; ac signanter in ordinando Episcopo, idque eo ordine, quo eas expressit Apostolus in Epistolis ad Timotheum & ad Titum.

Itaque quia in præcedentibus distinctionibus exposuerat qualitatem in Episcopo per Apostolum requisitam in verbis, *unius uxoris vir*, hac distinctione prosequens descriptionem Apostoli, probare intendit, quod ordinandus in Episcopum debeat esse *sobrius, non vinolentus.*

De sobrietate requisita in Clericis.

Gratianus plures hanc in rem Patrum & Canonum auctoritates adducit, quibus non tantum Episcopos, sed omnes sacrarum functionum ministros, oportere esse sobrios & non vinolentos probatur, præsertim quia sine sobrietate, & magna in cibo & potu moderatione, castitas & continentia, de qua in præcedentibus egerat, vix in tuto esse possunt: hinc illud Apostoli ad Ephes. *cap. 5. vers. 18. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: item illud Sapientis proverb. *cap. 20. vers. 1.* relatum Canone 3. sub nomine S. Hieronymi: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas.* Et illud ejusdem Canone 5. *Venter mero æstuans cito despumat in libidines; ubi ebrietas, ibi libido dominatur & furor.*

Quantopere ebrietatem in Clericis non tantum prisfini Canones & sancti Patres; sed & nostræ Synodi & sancti Episcopi exhorruerint, latius ostendi in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 2. cap. 4.*

DISTINCTIO XXXVI.

De doctrina & prudentia in Episcopo requisita.

HAc distinctione dicit Gratianus, ordinandum in Episcopum debere esse *prudentem*: ,, Prudentem ,, autem Episcopum, ait, oportet intelligi, non solum ,, litterarum peritia, verum etiam, sæcularium nego,, tiorum dispositione, (alias dispensatione).

Prolatis Canone 1. & 2. fragmentis Epistolarum sub nomine Gelasii & Zosimi Papæ, in quibus dicitur, *illiteratos* non posse ad Clericatus ordinem promoveri; *Quia litteris carens, sacris non potest aptus esse officiis*: vel, ut ait Zosimus: *Qui Ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, & temporum approbatione divinis stipendiis eruditus; nequaquam ad summum Ecclesiæ Sacerdotum aspirare præsumat, & non solum in eo ambitio inefficax habeatur; verum etiam ordinatores ejus careant eo ordine, quem sine ordine contra præcepta Patrum crediderant præsumendum.*

De scientia sanctarum litterarum ei necessaria.

Post hæc subjungit Gratianus prolixum discursum, in quo tum ex veteri, tum ex novo Testamento ostendit, quod *sacrarum litterarum* oporteat Episcopum habere notitiam: ac tandem concludens ait: *Ex quibus omnibus, liquido colligitur, quod non sufficit Prælatis bona*

(a) Eo loci intelligi debent ii, qui morbo Comitiali laborant (Epileptiques) quorum agitationes ad auctorem dæmonem refert Architectus pseudo Decretalis citatæ, cum tamen morbus iste oriatur ex sanguine crasso & humore melancholico, ut hodierni medici testantur.

converſatio, & morum honeſtas, niſi addatur ſcientia doctrinæ.

Diſtinctionem finit, prolato fragmento ſub nomine Hieronymi, in quo inter alia merito ab Epiſcopis & Paſtoribus hæc notanda occurrunt: *Si quis vult Pontifex non tam vocabulo eſſe quam merito, imitetur Moyſen; imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis? quod non diſcedunt de tabernaculo Domini. Erat ergo Moyſes indeſinenter in tabernaculo Domini. Quod autem opus ejus erat? ut aut a Deo aliquid diſceret, aut ipſe populum doceret: hæc duo ſunt Pontificis opera, ut aut a Deo diſcat, legendo ſcripturas divinas, & ſæpius meditando, aut populum doceat; ſed illa doceat, quæ a Deo ipſe didicerit, non ex proprio corde, vel humano ſenſu, ſed quæ Spiritu ſanctus docet.*

Quæ populum docere debeat Epiſcopus?

Monent autem Correctores Romani hoc fragmentum non quidem eſſe Hieronymi, ſed extare in *homilia* 9. Origenis in Leviticum, quas quidem homilias cum aliis multis Hieroymus fecit Latinas.

Monent præterea: *Frequenter Gratianus ea, quæ ſunt Origenis, Hieronymi nomine citat, vel quia præcipui Eccleſiæ doctoris auctoritas majus pondus habet, vel quia Hieronymus eo, quo dictum eſt, modo illa vertendo, pene ſua fecerat.*

DISTINCTIO XXXVII.

An Clericis litterarum ſæcularium ſtudium, & librorum Gentilium lectio conveniat?

HAc diſtinctione quærit Gratianus, an ſæcularibus litteris eos (Epiſcopos) oporteat eſſe eruditos? Plura, licet ſat confuſe, profert, quibus probari videtur, quod perſonis Eccleſiaſticis librorum Gentilium; Poetarum ac Philoſophorum lectio vetita ſit: profertque *Canone* 7. ex Rabano, quod legitur de B. Hieronymo: Quod cum libros legeret Ciceronis, ab Angelo eſt correptus, eo quod vir Chriſtianus Paganorum figmentis intenderet.

Poſt hæc adductis nonnullis ex Scriptura ſacra concludit: „ Ex quibus omnibus colligitur, quod non „ eſt ab Eccleſiaſticis ſæcularium litterarum quærenda „ peritia. „

Sed immediate objicit ſibi: „ Contra legitur quod „ Moyſes & Daniel omni ſcientia Ægyptiorum & „ Chaldæorum eruditi fuerint „. Quibus & nonnulla addit, per quæ oſtenditur ſæcularium rerum notitiam poſſe eſſe utilem, ac notanter *Canone* 8. verba venerabilis Bedæ: *Turbat, ait, acumen legentium, & deficere cogit; qui eos a legendis ſæcularibus litteris omnimodo æſtimat prohibendos, in quibus ſi qua inventa ſunt utilia, quaſi ſua ſumere licet: alioquin nec Moyſes & Daniel ſapientia, vel litteris Ægyptiorum paterentur erudiri, quorum tamen ſuperſtitiones ſimul & delicias horrebant; nec ipſe Magiſter Gentium aliquot verſus Poetarum ſuis vel ſcriptis indidiſſet, vel dictis* (a).

Ad calcem hujus Canonis, hæc ſubdit Gratianus. „ Cum ergo legi prohibentur, quæ tam rationabiliter „ legenda probantur; ſed ſæculares, ait, litteras qui„ dem legunt ad voluptatem, Poetarum figmentis, & „ verborum ornatu delectati: quidam vero ad erudi„ tionem eas addiſcunt „. Ex his ſtatuendum, magna cum moderatione lectioni librorum Gentilium eſſe incumbendum, præſertim a Clericis.

DISTINCTIO XXXVIII.

Ignorantia ſanctarum literarum & Canonum in Clericis perniciosa.

HAc diſtinctione pergit Gratianus oſtendere quam periculoſa & pernicioſa ſit ignorantia, ſignanter *ſacrarum Scripturarum & Canonum* in Sacerdotibus, qui ad docendum & ad æternam ſalutem ducendum ſunt ordinati.

In probationem hujus aſſerti præcipue notandum Decretum Concilii Toletani IV. relatum hic *Canone* 1. in quo jam pridem Patres hujus Concilii docere non ſunt veriti: „ Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt: Sacerdotes enim le„ gere *ſanctas Scripturas* frequenter admonet Paulus „ Apoſtolus dicens I. ad Timotheum: *Attende lectioni* „ *exhortationi, & doctrinæ, & ſemper permane in* „ *his* „. Cap. 4. verſ. 13.

His præmiſſis concludunt Patres; „ Sciant igitur „ Sacerdotes *Scripturas ſanctas*, & *Canones*; ut omne „ opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat; „ atque ædificent cunctos tam Dei ſcientia, quam „ operum diſciplina „. Et *Canone* 4. refert vulgare hoc ſancti Cœleſtini dictum; „ Nulli Sacerdotum li„ ceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod „ Patrum poſſit regulis obviare „.

Quam neceſſaria ſit notitia ſacrarum Scripturarum Eccleſiaſticis, ac notanter Epiſcopis, expoſuerunt Patres Synodi VII. ſive Nicænæ II. *Canone* 3. qui hic extat *Canone* 6. qui & addunt: „ Subſtantia enim ſummi „ Sacerdoti noſtri ſunt eloquia divinitus tradita, id eſt „ vera divinarum Scripturarum diſciplina quemadmo„ dum magnus perhibet Dionyſius: quod ſi diſceptaverit, „ & ita libenter facere & docere minime ſpoponderit, „ nullatenus conſecretur: ait enim prophetice Deus: *Tu* „ *ſcientiam, repuliſti, & ego repellam te, ne Sacerdo-* „ *tio fungaris mihi* „. Oſeæ *cap.* 4. *verſ.* 6.

Plura hanc in rem profert Gratianus: fatendum tamen eſt inter hæc eſſe nonnulla mutilata, uti oſtendunt annotationes Romanæ, quædam apocrypha, puta *Canones* ex falſa Decretali Zephyrini Papæ, & *Canon* 16. ex ſuppoſititia Decretali Clementis I. monent quoque Correctores Romani ea, quæ leguntur *Can.* 13. 14. & 15. a multis antiquis exemplaribus abeſſe.

DISTINCTIO XXXIX.

An ſæcularium negotiorum peritum oporteat eſſe Epiſcopum?

HAc diſtinctione oſtendere vult Gratianus, quod ordinandus in Epiſcopum debeat etiam habere notitiam negotiorum ſæcularium: *Debent namque, ait, Prælati ſubditis non ſolum ſpiritualia, ſed etiam carnalia ſubſidia miniſtrare, exemplo Chriſti, qui turbas ſequentes non ſolum verbo docebat; ſed etiam virtute ſanabat, & corporalibus alimentis reficiebat. Ut autem Prælati hæc omnia plene poſſint perficere, ſæcularium negotiorum oportet eos habere ſolertiam, ut eorum cautela & Eccleſiæ ſerventur indemnes, & cuique neceſſaria pro ſuo modo miniſtrentur. Unde quidam in Epiſcopum electus a B. Gregorio pro ſua ſimplicitate repellitur, ne ejus occaſione res Eccleſiæ dilapidarentur.*

In probationem ſui aſſerti ſubjicit fragmentum hujus Epiſtolæ S. Gregorii ad Clerum & nobiles Neapolitanos, quæ ſi integra legatur, apparebit quod de ſingulari caſu & ſpecialibus circumſtantiis ageretur; quodque S. Gregorius de ſimplicitate electi amplius informari vellet, antequam pronuntiaret, eum ob ſimplicitatem ab Epiſcopatu excludendum: ut proinde appareat S. Gregorium cenſuiſſe, haud facile aliquem ab Epiſcopatu excludendum ob defectum induſtriæ in adminiſtrandis bonis temporalibus, modo reliquæ qualitates in Epiſcopo requiſitæ adeſſent.

DISTINCTIO XL.

GRATIANUS qualitates in Epiſcopo neceſſarias proſequens, probat hac diſtinctione, *Epiſcopum oportere eſſe ornatum & hoſpitalem*; „ ornamenta Epiſcopalia, „ ait, virtutes debent intelligi, quæ a Domino eis repromit„ tuntur, cum dicitur: Sacerdotes ejus induam ſalutari „.

Sublimitas Cathedræ ſanctum non facit, ſed requiſit.

Unde præcipuus videtur eſſe Gratiani ſcopus oſtendere, quod *non loca, ſed vita & mores ſanctum faciunt Sacerdotem*, uti loquitur in proœmio hujus diſtinctionis.

Decretum falſo adſcriptum Symmacho papæ.

Hanc in rem profert *Canone* 1. fragmentum ſub nomine *Symmachi Papæ*; quod non eſſe Symmachi, ſed Ennodii Diaconi, notant Correctores Romani. In hoc fragmento ſcribitur: „ Quod illi (Petro) conceſſum eſt „ pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par conver„ ſatio us ſplendor illuminat „: quibus ſignificare aperte voluit merita Petri in ejus duntaxat tranſire ſucceſſores, quos *par converſationis ſplendor illuminat*: quod ſcopo & propoſito Gratiani omnino congruit.

Poſterior pars Decreti directe contraria eſt ſententiæ Gratiani.

Verum huic aſſerto directe contrariatur quod in eodem fragmento immediate ſubjungitur: *quis enim ſanctum dubitet eſſe, quem apex tantæ dignitatis attollit) in quo ſi deſunt bona acquiſita per meritum, ſufficiunt quæ a loci deceſſore præſtantur; aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur, illuſtrat.*

Hæc ſimpliciter & in ſenſu obvio accepto nequaquam obſcure ſignificant, quod locus ſeu Cathedra Petri in ea ſedentem ſanctum faciat, licet ipſe propriis meritis careat, ſive vita & converſatione ſanctus non ſit: *Quia*, ait, *ſi deſunt bona acquiſita per meritum, ſufficiunt quæ a loci deceſſore præſtantur*. Ita & hunc locum intelligendum notavit D. Fleury in Hiſtoria Eccleſiaſtica *lib.* 30. *num.* 55.

Optandum, ut ſimilia Decreta in Codice Eccleſiæ non referrentur.

Optandum eſſet, ut ſimiles expreſſiones omiſiſſet Gratianus; aut ſaltem Correctores Romani eraſiſſent potius quam tantam eiſdem auctoritatem attribuiſſent; ut nec ſtudioſæ juventuti errandi occaſionem præberent; quæ ſi ſublimitas Cathedræ aut loci quemquam ſine propriis meritis ſanctum redderet, neque ſectariis noſtris prætextum darent per ſimiles expreſſiones in Codice Eccleſiæ relatas Romanæ Eccleſiæ crimen impietatis affingendi, uti non ita pridem hac auctoritate contra Sixtum V. uſus eſt nominatiſſimus Juriſconſultus Franciſcus Hotomannus, unus, e ſecta Calviniana, in ſcripto, cui titulus, *fulmen Brutum*, ubi eſſerere non veretur, quod Pontifex Romanus *Etiam profiteri & palam prædicare auſus eſt, tantam eſſe vim, tantamque ſanctitatem ſedi ſuæ, ut quicumque ganeo, & quantumcumque impius, perjurius, ſceleratus, in ea conſederit, confeſtim ex illa ſeſſione ſanctimoniam hauriat*, Cujus nefariæ blaſphemiæ, *inquit*, teſtimonium hoc extat in Can. *Non nos*, *Diſt.* 40.

Incertus auctor Canonis, *Si Papa*.

Adducit Gratianus *Canone* 6. tamquam ex dictis Bonifacii martyris: *Si Papa ſuæ & fraternæ ſalutis negligens, deprehenditur inutilis & remiſſus in operibus ſuis, & inſuper a bono taciturnus, quod magis officit ſibi & omnibus; nihilominus innumerabiles populos catervatim ſecum ducit, primo mancipio gehennæ, cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturus hujus culpas iſtic redarguere præſumit mortalium nullus*, Quia cunctos ipſe judicaturus, a nemine eſt judicandus.

Quis hujus Canonis ſit auctor, neſcitur. In primis vel

(a) Citat enim D. Paulus in Epiſtola ad Titum verſum Epimenidis; in actis Apoſtolorum profert Arati hemiſtichium, & Menandri Jambum in priori Epiſtola ad Corinthios.

vel ex ipsa epigraphe habetur, nequaquam hunc Canonem esse scriptum per Bonifacium martyrem, quandoquidem dicatur id solum haberi ex *dictis* Bonifacii martyris. Videntur id ipsum vidisse Correctores Romani; monentque quod Nauclerus Gen. 26. testetur hoc fuisse dictum Bonifacii martyris; sed quam exigui ponderis sit hoc testimonium, facile intelliget qui attenderit, Nauclerum demum sæculo XV. adeoque sex vel septem sæculis post obitum Bonifacii scripsisse. Subjungunt deinde hi Correctores. *Quod* Deus dedit *Presbyter Cardinalis titulo Apostolorum in Eudoxia tempore Victoris Papæ III. libros quatuor de rebus Ecclesiasticis composuit, qui in Bibliotheca Vaticana servantur*. Et lib. 1. c. 231. *ex gestis Bonifacii martyris & Archiepiscopi Moguntini, Sedis Apostolicæ Legati hæc Sanctissimi illius viri de Romano Pontifice ac Sede Apostolica verba refert, in quibus est hoc caput*.

Verum non majoris auctoritatis esse hujus auctoris testimonium inde intelligitur, quod hic demum dicatur scripsisse hoc suum opus sub Pontificatu Victoris III. qui demum sedit sub finem sæculi undecimi, & consequenter duobus aut amplius sæculis a morte hujus Bonifacii. Interim ex hoc auctore habetur, quod hic Bonifacius fuerit Archiepiscopus Moguntinus, & *Legatus Sedis Apostolicæ*, quem scitur, fuisse strenuum jurium Sedis Apostolicæ promotorem, ipsumque sub Zacharia Papa floruisse.

Proinde non immerito notavit Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Gratiani Dial.* 3. quod caput, quod apud Gratianum, *ex dictis Bonifacii martyris* inscribitur, & ab Ivone, *Ex gestis Bonifacii martyris Legati Romanæ Ecclesiæ a nobis repertum non est*. Admodum verisimile est, Gratianum id ex Ivone descripsisse: e quo vero Ivo id desumpserit, hactenus ignoratur.

Prima pars dicti Canonis unde desumpta?

Quoad priorem Canonis partem admodum probabile est in eam conficiendam a conflatore hujus Decreti impensam fuisse sententiam, quam legerat in conficta, & hodie ab omnibus eruditis rejecta Synodo vulgo *Sinuessana*, quæ celebrata dicitur in causa *Marcellini* Papæ, in qua idem de Romano Pontifice declaratur, nimirum quod *iste a nemine judicandus sit, qui omnes judicat*.

Præbuit prætextum sectariis convellendi primatum Romani Pontificis.

Hoc Gratiani assertum, & juventuti in scholis publicis propositum; idque auctoritate summi Pontificis, vix dici potest, quantopere sectariis subservierit, ut Sedis Apostolicæ *primatum* in invidiam adducerent, uti videri potest ex Hotomanno loco citato. Et ipse sectariorum coriphæus Martinus Lutherus inter articulos e corpore juris Canonici excerptos, ob quos asserebat, hoc corpus tamquam perniciosis erroribus refertum & juventuti noxium, esse merito flammis exurendum, & reipsa anno 1520. die 7. Decembris Wittembergæ, publice convocata studiosa juventute, igne absumptum est. Octavus porro articulus constabat verbis hujus Canonis.

Supponit præfatus Canon posse esse a fide devium, & ut talem judicari.

Interim clausula in hoc conficto Decreto his verbis expressa: *nisi deprehendatur a fide devius*, manifeste probat, quod ea ætate non dubitaretur, quin Papa deprehendi posset *a fide devius*; atque eo casu posset ab aliquo judicari: cum enim in præcedantibus dictum sit, Papam a nemine posse judicari, evidens est per clausulam subjectam significari, quod a fide devius judicari posset.

Cum autem veteres glossographi & Decretalium commentatores pressius inhærerent Decreto Gratiani, non mirum, quod vix apud ipsos vel unum reperies, qui dixerit Papam *a fide devium* deprehendi non posse, aut a fide devium judicari non posse.

Hinc non videmus Pontifices, aut Curiam Romanam obstitisse in Concilio Constantiensi aut Basiliensi, quominus declaratur, Papam subjici Concilio generali in materia *fidei*: sed duntaxat obstitisse, ne declararetur subjacere Decretis Concilii quoad ea, quæ concernunt reformationem morum. Quin & constat Paulum IV. ad hunc Canonem respexisse in famosa illa Bulla, quæ incipit: *Cum ex Apostolatus officio*; estque XIX. in Bullario Romano, ubi dicit: *Papa omnes judicat, a nemine in hoc mundo judicandus, potest, si deprehendatur a fide devius, redargui*. Verum & hoc constat, quod hic Pontifex non dixerit *judicari*, sed *redargui*; cum tamen evidenter Canon a Gratiano relatus aperte supponat Papam a fide devium posse judicari, uti supra notatum est.

Sub initium distinctionis refleximus, præcipuum Gratiani scopum fuisse hac distinctione ostendere, quod *non loca, sed virtutes sanctum faciant*, quod plures Patrum auctoritates hic relatæ probant.

Non loca, sed virtutes sanctum faciunt.

In primis notandum dictum sub nomine Sancti Hieronymi *Canone* 2. *Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum: sed qui exercent opera eorum*. Et sancti Gregorii Canone 4. *Non loca vel ordines Creatori nostro nos proximos faciunt, sed ei nos merita bona jungunt, aut mala disjungunt*. At præ reliquis attendenda sunt verba sancti Chrysostomi seu Auctoris operis imperfecti *Canone* 12. *Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes, multi nomine, pauci opere. Videte ergo quomodo sedetis super cathedram; quia non cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram, non locus sanctificat hominem, sed homo locum: non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sacerdos: qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa: qui male sederit, injuriam facit cathedræ; ideoque malus sacerdos de Sacerdotio suo crimen acquirit non dignitatem: in judicio enim sedens, siquidem bene vixeris, & bene docueris, omnium judex es: si autem bene docueris & male vixeris, tui solius condemnator eris: nam bene vivendo & bene docendo, populum instruis quomodo debeat vivere; bene autem docendo & male vivendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare*.

Quin & ex relatis auctoritatibus probatur, peccati gravitatem crescere *propter altitudinem dignitatis*, uti loquitur S. Chrysostomus *Can.* 15. sive Auctor operis imperfecti.

Notabile Augustini dictum de duplici modo considerandi dignitates Ecclesiasticas.

Denique *Can.* 7. refertur vulgare dictum, & merito omnium Episcoporum & Ministrorum Ecclesiæ mentibus & cordibus insculpendum ex Epistola S. Augustini ad Valerium: *Ante omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita & maxime hoc facilius & lætius & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet*.

Ex his nequaquam obscurum est, quod Gratianus non adverterit ad verba nomine Symmachi relata *Can.* 1. quandoquidem evidens sit Gratianum asserere voluisse, cathedram, seu locum sedentem in eo sanctum non facere.

DISTINCTIO XLI.

De moderatione servanda a Clericis in exterioribus.

PRÆCEDENTI distinctione ostendit Gratianus, Episcopum oportere esse *ornatum virtutibus*, nec cathedræ fastigium, aut dignitatis magnitudinem aliquem facere *sanctum*, sed requirere sanctum. Hac distinctione probare intendit, eum oportere præterea esse *ornatum in exterioribus*: " Habitu videlicet & ,, incessu, ut nec fulgidis, nec sordidis se vestibus ,, ornet, ut enim ait Hieronymus, nec affectatæ sor,, des, nec exquisitæ deliciæ laudem pariunt, quod ,, tam de vestibus quam de cibis intelligendum est. "

Plures Patrum auctoritates profert Gratianus, quibus rectus usus harum rerum corporalium describitur, ac notanter S. Augustini, qui in harum rerum usu id vel præcipue attendendum præscribit, ut non excedatur meta consuetudinis *bonorum*, inter quos vivitur, uti loquitur *Canone* 1. quod notanter in usu vestium secum habet.

Circa usum ciborum illud maxime obtinet, quo ibidem ait: *In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est*. Nonnullis in probationem hujus sui asserti adductis, ita concludit Augustinus: ,, Nam in omnibus hujuscemodi rebus non ex earum ,, rerum natura, quibus utimur, sed ex causa utendi, ,, & modo appetendi, vel probandum, vel improban,, dum quod facimus. ,,

Adducit quidem Gratianus hæc, ut probet, Episcopum oportere esse ornatum in *exterioribus*, sive moderatum. Sed notandum, quod Augustinus locis hic allegatis, nequaquam agat, qua moderatione his rebus transeuntibus uti debeant Episcopi, aut cæteri Ecclesiæ ministri, qui specialiter obstricti sunt præire populo in moderato harum rerum usu; sed generaliter de Christianis, quid in earum usu vitare & præcipue attendere debeant.

Regula hac de re Concilio Carthaginensi præscripta.

Regulam in his rebus transitoriis & exterioribus ab Episcopis servandam habemus expressam in Concilio Carthaginensi IV. cap. 15. & hic a Gratiano relatam *Canone* 7. " Episcopus vilem supellectilem & mensam ,, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ au,, ctoritatem fide, & vitæ meritis quærat. ,,

De hac regula per Synodum Tridentinam rursus innovata videri possunt dicta in *Jure Eccles. Tom. I. p.* 1. *t.* 16. *c.* 6. de moderato usu in vestibus Clericorum *Tom. I. p.* 1. *t.* 2. *c.* 2.

Refertur & hic *Canone* 5. ex Concilio Gangrensi Canon finalis editus contra Eustathium, ejusve discipulos, qui pietatem in externo & affectato habitu constituere dicebantur, uti *Tom. VI. Schol. in Canonem* 12. *Gangrensem* videri potest.

DISTINCTIO XLII.

Episcopum oportet esse hospitalem.

PROSEQUENS Gratianus virtutes in Episcopo necessarias, eo pene ordine, quo per Apostolum, in Epistolis ad Timotheum & Titum leguntur expressæ per Apostolum, verbo *hospitalem*, in procemio hujus distinctionis ostendit, quod se debeat *in pauperes* exhibere *hospitalem*; qui alios ad hospitalitatem debet invitare.

,, Quomodo, ait, hospitalitatis exhortator poterit ,, esse, qui domum propriam hospitibus claudit? Si

,, enim

,, enim Sacerdos primum a se ipso, & a domestica ,, Ecclesia sua debet exigere, quod postea populis imperet; si primum, imitando Christum, ipse debet ,, facere, quæ postea populum doceat, necesse est, ,, ut pauperes hospitio recipiat, quo ad hospitalitatem ,, facilius suo exemplo subditos attrahat. "

Indubitatum est, quod hic a Gratiano de exercitio & virtute *hospitalitatis* recte observatum est, similiter & cæteris pietatis & charitatis exercitiis per Episcopos populis proponendis & persuadendis esse observandum; ut scilicet *ipsi prius sint eorum observatores, quam exhortatores.*

Nomine hospitalitatis intelligitur omne opus misericordiæ in pauperes.

Cæterum & hoc scitur, sub nomine *hospitalitatis* pauperibus exhibendæ, omne opus misericordiæ pauperibus & indigentibus exhibendum comprehendi: ita ut hic id unum significetur, Episcopum esse oportere misericordem & liberalem in pauperes.

Porro hæc Episcoporum in pauperes liberalitas & hospitalitas speciali titulo respicit bona & proventus Ecclesiasticos, quorum dispositionem, seu dispensationem Ecclesia Episcopis ita commisit, ut ex his necessaria cum moderatione ac frugalitate acciperent, reliqua vero in pauperes & pios usus distribuerent, tamquam *patrimonium pauperum*, uti latius ostendi in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 4. tit. 5. cap. 1.* Ex quo consequens esse probavi, Clericos ex patrimonio divites non posse ex mente Ecclesiæ, reservato patrimonio, ex proventibus Ecclesiasticis, utpote *patrimonio pauperum*, vivere.

Notandum monitum Chrysostomi circa exercitium hospitalitatis.

Illud & notandum, quod refert Gratianus ex S. Chrysostomo *Canone* 2. in exercenda hospitalitate non nimium anxie conditionem personæ esse inquirendam: *Non enim, ait, ex vita eorum, quos accipis, mercedem tibi retributurus est Deus: sed ex voluntate tua, ex liberalitate, ex honorificentia multa, ex misericordia, ex bonitate.*

De Agapis in Ecclesia institui solitis.

Intermiscet hic Gratianus nulla de vetitis conviviis exhibendis in Ecclesiis, qualia primitus in Christianæ in Ecclesiis celebrata fuisse omnibus notum est, & tamquam mutuæ charitatis & dilectionis symbola, Agapæ dicta fuere. De his conviviis videri possunt dicta *Tom. VI. Schol. in Canones* 27. & 28. Synodi Laodicenæ, qui hic a Gratiano, licet nonnihil mutilati, referuntur *Can.* 3. & 4.

DISTINCTIO XLIII.

Sacerdotem in omnibus oportet esse judicum.

GRATIANUS prosequens qualitates per Apostolum in Episcopo requisitas, hac distinctione ait: *Pudicus quoque debet esse Sacerdos, ut & moribus & verbis pudorem indesinenter exhibeat.*

Hanc in Episcopo virtutem ut adstruat, nullam hac distinctione, aut Patrum, aut Canonum auctoritatem adducit: indubie quia in præcedentibus distinctionibus adstruxerat, continentiam in Episcopis & Ecclesiasticis personis esse necessariam.

Multis adstruitur in Episcopis obligatio docendi populum verbum Dei.

Adjungit Gratianus in procemio hujus distinctionis aliam qualitatem in Episcopo requisitam: " Debet, ,, inquit, etiam *gratiam docendi* habere: quia, ut ,, Hieronymus ait: *Innocens & absque sermone con-* ,, *versatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio* ,, *nocet: nam latratu canum & baculo Pastorum lupi* ,, *sunt arcendi.* In ipsa autem doctrina discretum opor- ,, tet esse rectorem, ne aut tacenda proferat, aut ,, proferenda taceat. " Hæc Gratianus in procemio hujus distinctionis.

Ut hinc in Episcopis & Pastoribus qualitatem esse necessariam probet, adducit *Can.* 1. prolixum fragmentum ex libro S. Gregorii de *cura Pastorali, part.* 2. *c.* 4. quo S. Pontifex multis adstruit, Episcoporum & Pastorum obligationem annuntiandi populo veritatem Evangelicam: *Sit rector, ait, discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut tacenda, proferat, aut proferenda reticescat . . . sæpe namque rectores improvidi, humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt, & juxta veritatis vocem nequaquam jam gregis custodiæ, Pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt; quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpat, dicens:* Canes muti, non valentes latrare: *hinc rursus queritur dicens:* Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. *Ex adverso quippe ascendere, est pro defensione gregis, voce libera, hujus mundi potestatibus contraire, & in die Domini in prælio stare, est pravis decertantibus ex justitiæ amore resistere. Pastorem enim recta timuisse dicere, quid est aliud, quam tacendo terga præbuisse; qui nimirum, si pro grege se objicit, murum pro domo Israel hostibus opponit.* Hoc ibidem latius prosequitur, & Pastoribus veritatem populo exponere formidantibus imminens periculum exponit.

Dein Canone 2. & 3. prolatis fragmentis desumptis ex supposititiis Decretalibus Clementis I. & Anacleti, Canone 4. refert iterum verba S. Gregorii ex Epistola ad Venantium: " Ephesiis Paulus dicit: *Mundæ sunt manus meæ a sanguine omnium vestrum: non enim* ,, *subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium* ,, *Dei vobis*: mundus ergo a sanguine eorum non es- ,, set, si eis Dei consilium annuntiare noluisset: quia ,, cum increpare delinquentes noluerit, eas procul du- ,, bio tacendo Pastor occidit. ,,

Plura de hac qualitate & officio Episcoporum adduxi & exposui in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit.* 16. *cap.* 12. alias *cap.* 9.

DISTINCTIO XLIV.

De sobrietate in Episcopo requisita.

INTER qualitates Episcopi Apostolus requirit, ut sit *non vinolentus.* De hac qualitate agere intendens Gratianus hac distinctione, monet in procemio: *Cum autem* vinolentus *esse probibetur, gulæ intemperantiam nequaquam babere permittitur; neque enim ebrietas probibetur, & voracitas permittitur: utrumque enim inter opera tenebrarum Apostolus connumerat, scribens Romanis:* Non in comessationibus & ebrietatibus.

Hac itaque occasione pluribus hic agit de vetitis, non tantum Clericis, sed & Laicis, comessationibus, necnon de conviviis, & qualiter hæc a Christianis, ac notanter a Clericis sint instituenda.

Comessationes & convivia in honorem martyrum reprobantur.

Inter auctoritates profert Canone 1. notabile fragmentum ex Epistola S. Augustini ad Aurelium, in qua deplorat, quod eo tempore in Africa, " Comessatio- ,, nes & ebrietates ita concessæ & licitæ putarentur, ,, in honorem etiam beatissimorum Martyrum, non ,, solum per solemnes dies (quod ipsum quis non lu- ,, gendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit?) ,, sed etiam quotidie celebrentur. "

De modo agendi cum multitudine peccantium ex Augustino.

Post hæc scribit Augustinus, quod ubi vitium aliquod adeo multitudinem infecit, ut quasi pro lege invaluerit, debeat contra illud per Episcopos & Pastores agi: " Non aspere, inquit, quantum existimo, ,, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: ,, magis docendo, quam jubendo, magis morendo, ,, quam minando. Sic enim agendum est cum multi- ,, tudine peccantium. Severitas autem exercenda est ,, in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum ,, dolore fiat, de scripturis comminando vindictam ,, futuram, ne nos ipse in nostra potestate, sed Deus ,, in nostro sermone timeatur: ita prius movebuntur ,, spiritales aut spiritalibus proximi; quorum aucto- ,, ritate, & lenissimis quidem, sed instantissimis ad- ,, monitionibus cætera multitudo frangatur. "

Frequentatio popinarum Clericis vetita.

Quia comessationes & ebrietates frequentius in cauponis, seu tabernis cauponariis contingunt, & occasionem sumunt, hinc Gratianus nonnullos Canones subjicit, quibus vetatur Clericis tabernas intrare. Consuli poterunt, quæ de hoc vetito tabernarum introitu tum ex pristinis, tum ex recentioribus Synodis notavi in *Jure Eccles. Tom. I. parte 1. t. 2. c.* 4

Modus Christianus instituendi convivia.

Plura hic quoque interserit Gratianus de conviviis, qua moderatione hæc, signanter a Clericis, sint instituenda, atque inter alia refertur *Can.* 6. ex S. Gregorio: " Convivia, quæ ex intentione impendendæ ,, charitatis fiunt, recte vestra fraternitas in suis Epi ,, stolis laudat: sed tamen sciendum est, quia tunc ex ,, charitate veraciter prodeunt, cum in eis nulla ab- ,, sentium vita mordetur, nullus ex irrisione repre- ,, henditur, nec in eis inanes sæcularium negotiorum ,, fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur: cum ,, non plures quam necesse sit, servitur corpori; sed ,, sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usum exercendæ ,, virtutis habeatur. Hæc itaque si vos in vestris con- ,, viviis agitis, abstinentium, fateor, magistri estis. "

Quæ *Canonibus* 8. & 9. referuntur sub nomine Concilii Nannetensis, in nullo Concilio Nannetensi reperiri notat Baluzius ad dictum Canonem 8. monetque hoc caput extare in capitulis Hincmari Rhemensis; extantque inserta tomo 8. Conciliorum generalium, atque merito attendentur, dum certis diebus per suas Decanias una cum suo Archipresbytero Pastores conveniunt.

Convivia ex pecuniis collati prohibentur.

Canone 10. recitat Canonem 55. Laodicenum ex versione Isidori, & rursus *Canone* 12. ex versione Martini Bracarensis, quamvis eum repræsentet tanquam ex Concilio Martini Papæ. Pro sensu hujus Canonis non inutiliter legentur diversæ illius versiones tum Græcorum, tum Latinorum, quæ tamen videntur eumdem sensum & eadem rationem exprimere, quam non male reddidit Zonaras dicens: " Ex collatione ,, convivia peragere, hoc est a pluribus, ut exquisi- ,, tis epulis mensæ instruantur, pecunia collata con- ,, vivia apparari, quod ea res ebrietatisque ac aliorum ,, criminum causam præbeat, nullo modo licere Ca- ,, non decernit. "

DISTINCTIO XLV.

Episcopum non oportet esse percussorem.

Superior mansuetudine magis quam potestate agere debet.

GRATIANUS prosequens qualitates, quibus debet esse ornatus Episcopus, & vitia ac defectus, a quibus oportet ipsum esse immunem, hac distinctione exponit eam, quam Apostolus expressit in verbis *non percussorem.*

Auctoritates hac distinctione per Gratianum adductæ, hoc pene unum evincunt, Episcopos & Pastores in

in arguendis ſubditis, magis exhortando & monendo procedere debere cum manſuetudine & patientia, quam poteſtate & puniendo; ut patres ſe magis quam judices, & poteſtatem puniendi habentes, exhibeant. Unde in proœmio diſtinctionis ait: „ Non enim oportet „ Epiſcopum ita eſſe iraſcibilem, & perturbati ſenſus, ut percutiat, qui debet eſſe patiens; ſed ſe- „ quatur eum qui dorſum poſuit ad flagella. „

Inter cætera a Gratiano relata notari meretur, quod retulit *Canone 6* ex Epiſtola S. Leonis ad Epiſcopum Theſſalonicenſem, ſuum per Illyricum vicarium: „ Licet, ait, nonnunquam accidant, quæ in „ Sacerdotalibus ſunt reprehendenda perſonis, plus „ tamen erga corrigendos agat benevolentia quam ſe- „ veritas, plus cohortatio quam comminatio, plus „ charitas quam poteſtas: ſed hi, qui *quæ ſua ſunt* „ *quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*, facile ab hac lege „ diſcernuntur: & dum dominare magis, quam con- „ ſulere ſubditis quærunt, placet honor, inflat ſuper- „ bia, & quod proviſum eſt ad concordiam, tendit „ ad noxam. „

Itaque hac diſtinctione Gratianus conatur inſtruere Epiſcopos & Paſtores, qualiter in arguendis & exhortandis ſubditis procedere debeant: „ Ut regat diſci- „ plinæ vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet „ vigorem; & ſic alterum commendetur ex altero, „ ut nec vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta, „ uti loquitur S. Gregorius Canone 14. „

Cavendus Epiſcopis ſpiritus dominandi.

Præ cæteris autem cavendus Epiſcopis dominatus, ſive ſpiritus dominandi in ſubditos: hinc ad calcem Canonis 13. concludit Gratianus: „ Percuſſores ergo, „ qui præmiſſis auctoritatibus ab Epiſcopali officio re- „ moventur, non quilibet corporaliter flagellantes, „ ſed prætermiſſa manſuetudine ad verbera ſemper pa- „ rati intelligendi ſunt; qui per flagella non vitia cor- „ rigere, ſed timeri appetunt: quibus Petrus ſcribit; „ *Ne ſitis dominantes in clero, ſed forma facti gregis* „ *ex animo.* „

DISTINCTIO XLVI.

Epiſcopum non oportet eſſe litigioſum.

HAc diſtinctione dicit Gratianus, quod juxta Apoſtolum, non oporteat Epiſcopum eſſe *litigoſum*. Duplicem hujus prohibitionis adfert rationem. „ Parte „ 1. Parati, ait, ad lites, in ſubjectos tumidi intonant; quod ex arrogantia & ſuperbia provenire „ manifeſtum eſt. „

Multiplex hujus prohibitionis ratio.

Id probat *Canone* 1. auctoritate S. Gregorii in verbis: „ Hoc habet proprium doctrina *arrogantium*, ut „ humiliter neſciant inferre, quod docent: & recta „ quæ ſapiunt, recte miniſtrare non poſſunt. In ver- „ bis enim eorum proditur, quod cum docent, quaſi „ in quodam ſibi videntur ſublimitatis culmine reſide- „ re: eoſque, quos docent, ut longe infra ſe poſitos, „ veluti in immo reſpiciunt, quibus non conſulendo „ loqui, ſed vix dominando dignantur. „

Ad calcem hujus Canonis inchoans Gratianus ſecundam partem diſtinctionis ait: „ Ecce quare *litigio-* „ *ſi* prohibentur in Epiſcopos ordinari: eſt & alia „ cauſa hujus prohibitionis: *litigioſi* namque vel adu- „ lationibus animos Principum ſibi conciliant, vel „ fratribus ſuis detrahendo, infamiæ notam ingerunt, „ vel inter fratres diſcordiam ſeminando, ſeditionem „ nunquam facere ceſſant, quæ omnia in Prælatis „ damnabilia eſſe probantur. „

Profert hanc in rem fragmentum ex libris moralium S. Gregorii, ubi hos adulatores & vitia peccatorum palpante dicit eſſe eos, de quibus per prophetam dicitur: *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis.*

Quæ præterea hac diſtinctione adduntur, omnia pene ex Canonibus Concilii vulgo Carthaginenſis IV. referuntur, diriguntarque contra Clericos, qui proditionibus & adulationibus vacant, qui fratribus non probanda objiciunt, ut habet Canon 3. & 4. Et Canonum 5. 6. & 7. hoc eſt ſummarium: *Removeatur ab officio Clericus maledicus, ſcurra.*

DISTINCTIO XLVII.

Ratio connexionis hujus diſtinctionis cum præcedenti.

CONNEXIONEM hujus diſtinctionis cum præcedenti exponit Gratianus in proœmio diſtinctionis. „ Quod autem in fine hujus capituli *uſurarii* ordinari „ prohibentur, inde eſt, quod uſuram exercentes, „ cupiditati deſervire probantur, *cupidi* autem ab „ Apoſtolo ordinari prohibentur; quia tales facile a „ juſto deviarent. „

Clericum non oportet eſſe cupidum aut uſurarium.

Itaque *Canone* 1. *&* 2. recitat Canonem vulgo Apoſtolorum, & Nicænum, quibus Clericis uſuræ interdicuntur; addens nonnullas Patrum ſententias contra recipientes uſuras.

Porro cum hac diſtinctione intenderet agere Gratianus de qualitate Epiſcopo neceſſaria, per Apoſtolum expreſſa his verbis: *non cupidum*; atque ea occaſione egiſſet de uſuraris, eo quod uſuræ receptio ex lucri cupiditate oritur, & uſurarii cupidi habentur, etiam nonnullas Patrum ſententias contra rerum temporalium cupiditatem, & avaritiam, filiam cupiditatis, adjungit.

Cupiditas bono uſui temporalium perniciosa præſertim in Clericis.

Inter cætera *Can. 6.* ex S. Leone: „ Virum Catho- „ licum, & præcipue Domini Sacerdotem, ſicut nul- „ lo errore implicari; ita *nulla* oportet *cupiditate* „ violari, dicente ſancta Scriptura: *poſt concupiſcentias* „ *tuas non eas:* mens enim potentiæ (alias pecuniæ) „ avida, nec abſtinere novit a vetitis, nec gaudere „ conceſſis, nec pietati adhibere conſenſum. „

Et Canone 8. recitat verba S. Ambroſii, quibus oſtendit in primis, quam denſas tenebras menti humanæ offundat temporalium cupiditas: *Sicut ii (ait) qui per inſaniam mente tranſlati ſunt, non jam res ipſas, ſed paſſionis ſuæ phantaſias vident; ita etiam mens avari ſemel vinculis cupiditatis adſtricta, ſemper aurum, ſemper argentum videt; ſemper reditus computat, gratius intuetur aurum quam ſolem; ipſa ejus oratio & ſupplicatio ad Dominum aurum quærit.* „ Poſt hæc refert ordinariam avarorum prætenſam juſtificationem: *Quid injuſtum eſt, ſi cum aliena non invadam, propria diligentius ſervo? O impudens dictum! propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detuliſti? quando in hanc ingreſſus es lucem, quando de ventre matris exiſti; quibus quæſo facultatibus, quibuſque ſubſidiis ſtipatus ingreſſus es?* Plura ibidem notanda adjungit, merito a divitibus hujus ſæculi, ac notanter ab Eccleſiaſticis ſerio expendenda.

Epiſcopus ordinandus non eſt, qui domui ſuæ præeſſe neſcit.

Gratianus hac diſtinctione ad calcem Canonis 8. aggreditur aliam qualitatem in Epiſcopo neceſſariam, & per Apoſtolum expreſſam his verbis: *Domui ſuæ bene præpoſitum, habentem filios ſibi ſubditos in omni caſtitate, non in accuſatione luxuriæ.* 1. Tim. *cap.* 3. *verſ.* 4.

Plura de hac qualitate ex ſacra Scriptura ſubjungit Gratianus; ac tandem ſuum diſcurſum ita concludit: *Jure ergo qui domui ſuæ neſcit præeſſe, in Epiſcopum ordinari prohibetur, quia qui in re minima, ac qua ſibi familiarior debet cura ineſſe, fidelis non eſt, quomodo in Eccleſia Dei (ubi tot ſunt & alieni) ſollicitam diligentiam adhibet? unde Hieronymus: non enim juſtus polluitur ex vitiis filiorum, ſed libertas ab Apoſtolo Eccleſiæ principi reſervatur, ut talis fiat, qui non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere.*

Quo ſenſu juſtus non polluitur ex vitiis filiorum.

Monet autem Gratianus, finalia verba ex S. Hieronymo relata, quibus ſignificatur juſtum non pollui ex vitiis filiorum, intelligenda eſſe: *ſi non erit quod ſibi imputetur.*

In hujus probationem adducit quædam ex SS. Auguſtino *Canone* 9. & Cypriano *Canone* 10. quibus probat, quod licet Prælatorum ſumma ſit cura & vigilantia in exhortando & arguendo, nihilominus non omnes convertantur: „ Quantumlibet vigilet, ait Au- „ guſtinus, diſciplina domus meæ, homo ſum, & in- „ ter homines vivo: nec mihi arrogare audeo, ut „ domus mea melior ſit, quam arca Noe, ubi tamen „ inter octo homines unus reprobus inventus eſt.

Et paucis interjectis addit hoc notandum. Simpli- „ citer autem fateor charitati veſtræ coram Domino „ Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam; ex „ quo Deo ſervire cœpi, quomodo difficile ſum ex- „ pertus, meliores, quam qui in Monaſteriis profece- „ runt; ita non ſum expertus pejores, quam qui in „ Monaſteriis ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apo- „ calypſi ſcriptum: *Juſtus juſtior fiat, & ſordibus ſor-* „ *deſcat adhuc. Cap. 22. verſ.* 11. „

Et Cyprianus Cornelio Papæ ſcribit: „ Quod ad „ nos attinet, conſcientiæ noſtræ convenit, Frater, „ dare operam, ne quis noſtra culpa de Eccleſia pe- „ reat: ſi quis autem ultro & crimine ſuo perierit, „ & pœnitentiam agere, atque ad Eccleſiam redire „ noluerit, nos in die judicii inculpatos futuros cre- „ dimus, qui conſuluimus ſanitati, illos ſolos in pœnis „ remanſuros, qui noluerint conſilii noſtri ſalubritate „ ſanari. „

DISTINCTIO XLVIII.

Neophytus in Epiſcopum non ordinandus.

PROSEQUENS Gratianus qualitates Epiſcopi per Apoſtolum expreſſas, agit hac diſtinctione de *non Neophyto* in Epiſcopum ordinando: „ Cauſa hujus prohi- „ bitionis, ait Gratianus, ſecundum Apoſtolum, ne „ elatus in ſuperbiam, tamquam Religio Chriſtiana „ plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli. „

Hanc qualitatem tamquam neceſſariam in aſſumendis ad miniſterium Eccleſiaſticum, ſignanter Epiſcopale, expreſſit & requiſivit jampridem Synodus Nicæna *Canone* 2. quem hic refert Gratianus ex verſione Iſidori, de quo videri poterit *Tom. VI.* Scholion in præfatum Canonem, ubi latius expoſui, qui ex mente Patrum Neophyti ſint reputandi.

DISTINCTIO XLIX.

Ratio, ob quam a vitiis immunes debent eſſe Sacerdotes.

EXISTIMABAT Gratianus, quod hactenus ſufficienter oſtendiſſet, inſequendo Apoſtolum, a quibus vitiis debeant eſſe immunes, qui in Epiſcopum ſunt ordinandi; ideo in proœmio hujus diſtinctionis exponit

ratio-

rationem, ob quam necessarium sit, ut assumendi ad Sacerdotium a vitiis sint immunes: *Qui enim intercessores pro populo ad Deum parantur, necesse est, ut ejus gratiam bene vivendo mereantur: unde Gregorius ait in Pastorali: Sollicite formidandum, ne qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur: cuncti enim liquido novimus, quia, cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Qui ergo adhuc desideriis terrenis adstringitur, caveat ne districti iram judicis gravius accedens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ. Soleter ergo se quisque metiatur, nec locum regiminis assumere audeat, si in se adhuc vitium damnabiliter regnat, nec is, quem crimen depravat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum.*

Profertur hic prolixum fragmentum ex libro S. Gregorii de cura Pastorali, quo Gregorius exponit vitia, a quibus Sacerdotes in novo Testamento debent esse immunes; & virtutes, quibus eos oportet esse ornatos; mystice defectus & qualitates corporis in Sacerdotibus veteris legis, ad vitia & virtutes animæ in Sacerdotibus novæ legis reducendo. Merito & Clericis attente legetur.

DISTINCTIO L.

An lapsi in crimen post ordinationem, peracta pœnitentia in susceptis ordinibus continuare vel ad majores ascendere queant? Varias auctoritates in utramque partem adducit Gratianus.

POSTQUAM in præcedentibus ostendit Gratianus, quod criminibus irretiti Sacerdotes ordinari non possint nunc quærit hac distinctione: „ Utrum post peractam „ pœnitentiam, vel in propriis ordinibus remanere, „ aut ad majores gradus conscendere, valeant? „

Hanc distinctionem in plures partes dividit Gratianus. Prima parte refert plures Patrum sententias & Canones, quibus probatur, lapsos in crimen absolute ab ordinibus propriis absque spe restitutionis deponendos esse, & ab accessu majorum prohiberi.

His relatis tum in secunda parte, quæ incipit post Canonem 12. producit sententias & Canones, quibus probari videtur, post actam pœnitentiam in propriis gradibus licite posse administrare, & ad majores posse ascendere.

Hac in speciem Canonum & sententiarum contrarietate proposita, quærit in tertia parte post Canonem 24. *Quomodo igitur hujusmodi auctoritatum dissonantia ad concordiam revocari valeat, breviter, ait, inspiciamus. Sunt quidam, quos non odium criminis, sed timor vilitatis & amissio proprii gradus, & ambitio celsioris ad pœnitentiam cogit. Hos sacri Canones irrecuperabiliter (alias irreparabiliter) dejiciunt: quia qui simulatione pœnitentiæ, vel affectatione honoris a Deo non consequitur veniam, nec ab Ecclesia reparationem meretur.*

Ut illas conciliet, distinguit inter peccata occulta & manifesta.

Verum & ipse Gratianus verisimiliter intelligens, quam parum hæc distinctio consona esset sententiis Patrum, & Canonibus in prima parte relatis, qui omnem spem restitutionis ad proprios ordines, & ascensum ad majores adimunt, etiam post *peractam* pœnitentiam, dicit post Canonem 32. quod „ possint & aliter distingui præmissæ auctoritates: quorum enim crimina *ma-* „ *nifesta* sunt, ante vel post ordinationem, a sacris „ ordinibus dejiciendi sunt; quorum autem peccata *oc-* „ *culta* sunt, & satisfactione *secreta* secundum sacer- „ dotis edictum purgata, in propriis ordinibus rema- „ nere possunt.

Nonnullis interpositis Canonibus concludit: „ Præ- „ missis auctoritatibus lapsis permittitur, ut post pœ- „ nitentiam in suis ordinibus reparari valeant: ad „ majorem autem conscendere post lapsum nulla eis „ auctoritate permittitur; immo penitus prohibetur „. Dein citato in probationem hujus sententiæ Canone Ilerdensis Concilii, objicit sibi exemplum S. Petri: *Qui post trinam negationem, non solum in gradu sui Apostolatus remansit, verum etiam in Pastorem totius Ecclesiæ a Christo institui meruit.*

Sed contra hoc exemplum S. Petri sibi objicit post Canonem 54. *Quod pœnitentes ad sacros Ordines promoveri non debeant: non ergo lapsi post pœnitentiam ad majora pertingere possunt.*

Tum citatis nonnullis Canonibus, qui pœnitentes ab Ordinibus excludunt, ac signanter hoc Decreto Innocentii I. Canones apud Nicæam constituti, pœnitentes etiam ab infimis officiis Clericorum excludunt. Hanc conciliandi rationem subjicit: *Hoc non de quibuslibet pœnitentibus, sed de illis tantum, qui post actam pœnitentiam sæcularis militiæ cingulum accipiunt.*

Item inter pœnitentiam solemnem & non solemnem.

Verum rursus advertens, hanc conciliandi rationem non convenire Canonibus, pœnitentes a sacris functionibus simpliciter & in perpetuum removentibus, aliam adjungit ad calcem *Canonis* 61. „ Potest & ali- „ ter intelligi, ait: Est quædam pœnitentia, quæ *so-* „ *lemnis* appellatur, quæ semel tantum in Ecclesia „ conceditur, de qua Ambrosius ait: *Sicut unum est* „ *baptisma, ita & unica est pœnitentia* „. lib. de Pœnit. *cap.* 10.

Deinde allegatis nonnullis Canonibus de modo imponendi & agendi hanc solemnem pœnitentiam concludit: *Hanc pœnitentiam nulli unquam Clericorum agere conceditur; atque ideo hujusmodi pœnitentes ad Clerum admitti prohibentur.*

Itaque Gratianus, ut in quæstione hac, an lapsi in crimen, vel etiam publice pœnitentes, possint ad sacros Ordines promoveri, aut in susceptis post actam pœnitentiam ministrare, Canones inter se contrarios conciliare volens, distinxit inter crimina *occulta*, & crimina *publica*: item inter pœnitentiam *solemnem* & *non solemnem*: atque lapsos in *occulta*, item pœnitentes *non solemniter*, posse post peractam pœnitentiam in Ordinibus susceptis ministrare, & ad majores ascendere: secus vero lapsos in crimina *publica*, aut pœnitentes *solemniter*.

At illa conciliatio Patrum regulis, & pristinis Canonibus nullatenus congruit.

Hac distinctione credidit Gratianus, Canones in speciem contrarios conciliari posse. Verum distinctionem inter *occulta* & *publica* crimina non congruere Patrum Regulis, eamque demum sæculo decimo aut circiter, occasione falsæ Decretalis Calixti I necnon corruptæ Epistolæ S. Gregorii ad Secundinum invaluisse, pluribus ostendi in *Jure Eccles. Tom. II. parte 2. sect.* 1. *tit.* 10. *cap.* 6. *num.* 10. & latius in *Dissertatione de Instituto, & Officiis Canonicorum Tom. V. parte* 2. §. 4. *& sequentibus*. Similiter distinctionem inter pœnitentiam *solemnem* & *non solemnem* esse recentiorem, nec pristinis Canonibus applicabilem, monstratum est in *Jure Eccles. Tom. II. parte 2. sect. 1. tit. 6. cap.* 2. ubi & ex Morino observatum est, Gratianum in has præposteras Canonum concordias incidisse, eo quod secutus nonnullos præcedentes Canonum Collectores, nec tempora satis distinxerit, nec genuina a falsis & apocryphis scriptis separaverit.

Interim Canonistæ & Theologi in hoc puncto Gratianum sunt secuti.

Idipsum quoad distinctionem inter publica & occulta crimina notavit Dominus de Hericourt in *Analysi Decreti Gratiani*, una notans, Gratianum ad hanc & similes distinctiones permotum occasione falsarum Decretalium. Quomodo autem auctoritate Gratiani, quam secuti sunt Canonistæ & Theologi scholastici, distinctiones illæ invaluerint, & disciplina iis conformis stabilita sit, notatum est locis supra citatis, ubi hodierna disciplina circa lapsos in crimen exposita est: ibidemque notavimus, quod in hoc puncto etiamnum disciplina per Gratianum proposita, licet a pristina Patrum disciplina deflectat, nequidem in omnibus servetur.

DISTINCTIO LI. & LII.

Quidam ab Ordinibus arcentur ob functiones Clericis minus convenientes.

POSTQUAM Gratianus ostendit criminosos ad Ordines non assumendos, descendit ad eos, qui non quidem ob crimina, sed ob certas functiones, sive conditiones Clericis minus convenientes a sacris prohibentur Ordinibus. Idipsum monet Gratianus in proœmio hujus distinctionis dicens. „ Ecce quod criminosi, „ vel non *vere pœnitentes*, vel publicam pœnitentiam „ agentes a sacris prohibentur Ordinibus: adjecit quo- „ que sancta mater Ecclesia, ut curiales, aut post „ baptisma militantes, aut in foro decertantes, a sa- „ cris prohibeantur Ordinibus „. Hac itaque distinctione prædicta tria personarum genera attingit.

Tales in primis sunt curiales.

Quantum ad *curiales*, extat Epistola 24. Innocentii I. cujus fragmentum reperitur in *Canone* 1. hac distinctione. Et rursus *Canone* 2. ex Epistola 4. ejusdem Pontificis, ubi dicitur: *De curialibus autem manifesta ratio est, quoniam etsi inveniantur hujusmodi viri, qui debeant Clerici fieri, tamen quoniam sæpius ad curiam repetuntur, cavendum ab his est propter tribulationem, quæ sæpe de his Ecclesiæ provenit.* Eadem ratio tangitur in Canone 3. ex Epistola ejusdem Papæ.

Item qui rationibus publicis sunt obligati.

Fragmentum epistolæ sancti Gregorii lib. 7 epist. 1. quæ hanc *curialium* a sacris Ordinibus exclusionem spectat, & cum præcedentibus sub eadem distinctione debuisset referri, retulit Gratianus sub distinctione 53. In hac epistola S. Gregorius scribit Episcopis per Siciliam constitutis: *Legem, quam piissimus Imperator dedit, ne fortasse hi qui militiæ, vel rationibus sunt publicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum veniant, vel in Monasteriis convertantur, vestræ studui fraternitati transmittere, hoc maxime exhortans, quod hi, qui sæculi actionibus implicati sunt, in clero Ecclesiæ præpropere suscipiendi non sunt, quia dum in Ecclesiastico habitu non dissimiliter quam vixerant vivunt, nequaquam student sæculum fugere, sed mutare; quod si etiam tales quoque Monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius a ratiociniis publicis absoluti fuerint, si qui vero ex militaribus viris in Monasteriis converti festinant, non sunt temere suscipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita: & juxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc Monachicum, Deo auctore, suscipere.*

Plures jampridem fuere de curialibus ad Clerum aspirantibus Imperatorum Constitutiones, quarum una notanda extat in *L.* 4. *Cod. de Episcopis & Clericis*, sumpta ex *L.* 7. *Cod. Th. de Cohortalibus*, ad quam videndæ notæ Jacobi Gothofredi, uti & ejusdem notæ ad *L.* 49. *Cod. Th. de Decurionibus*.

Interim hic notandum ex Innocentio I. & S. Gregorio,

gorio, quanta moderatione & exactiore præ cæteris probatione similes personæ ad Clericatum vel etiam habitum Monasticum sint recipiendæ.

Præterea qui fuerunt milites.

De militantibus non ordinandis est Canon 1. ex *Epistola* 24. *cap.* 2. Innocentii I. ubi & ratio additur: *Qui cum potestatibus obedierunt, sæva necessario sunt præcepta executi*. Quin & *Canone* 4. ex Concilio Toletano I. dicitur: *Si quis post baptismum militaverit, & chlamydem sumpserit, aut cingalum ad necandos fideles, etiamsi gravia non admiserit, si ad Clerum admissus fuerit, Diaconi non accipiat dignitatem*. Recte hic notant Correctores Romani hæc verba, *ad necandos fideles, non esse in originali*.

Denique decertantes, sive postulantes in foro sæculari.

Militantibus adjungit Gratianus *in foro decertantes*, sive ut loquitur Innocentius I. in Canone 1. *Qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, & obtinendi pertinaciam susceperunt*. Et in Canone 2. inter genera laicorum, qui ad Clericatum pervenire non possunt, reponit; *Si quis fidelis causas egerit, hoc est, postulaverit*.

De hac irregularitate in foro postulantium, seu causas agentium, quæ his Canonibus videtur expressa, vide in *Jure Eccles. Tom. IV. part* 3. *tit.* 6. *cap.* 2. *num.* 54.

Hæ irregularitates hodie ab usu recesserant.

Cæterum hodie nec curialitas, nec patrocinium in curia forensi & civili irregularitatem *per se* inducit, neque curiales, aut causarum patroni indigent dispensatione, ut Ordines suscipiant, quod & notavit D. de Hericourt in Analysi ad hanc 51. distinctionem Gratiani.

Interim quod supra circa admissionem curialium ad sacros Ordines notatum est, etiam circa militantium seu postulantium in foro ad sacros Ordines admissionem merito observandum.

DISTINCTIO LIII.

Quid agendum illi, qui per saltum ordinatus est.

INTER distinctionem 51. & 53 quæ ad unam eamdemque materiam spectant, mediat hæc distinctio. Quid in ea probare intendat Gratianus, exprimit in procemio; „ Qui vero prætermissis aliquibus non superbia, „ sed negligentia ad majorem ascenderit, tamdiu a ma„ joribus abstineat, quousque congruo tempore præter„ missos accipiat.

Quandoquidem in præcedentibus de susceptione Ordinum non egerit Gratianus, sat intelligitur, ipsum nullam habuisse rationem connexionis hujus distinctionis cum præcedenti, quam tamen insinuat per particulam *vero*.

Interim ostendere vult, quod Ordo omissus supplendus sit, & a functione Ordinis superioris sit abstinendum; quousque *omissus* Ordo sit suppletus: prolato eam in rem Decreto Alexandri II. quo decernitur, ut qui Ordine præpostero per negligentiam ad Presbyteratus ordinem est promotus, omisso ordine Subdiaconatus, ab officio Sacerdotali prohibeatur, donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus ministerium sibi rite impositum fuerit (a).

Non eadem fuit semper circa hoc punctum disciplina.

Quidquid sit de hoc Alexandri Decreto, admodum verisimile, illud a Gratiano suo Decreto insertum occasionem præbuisse opinioni & disciplinæ hodie receptæ, quod quasi ad *validitatem* Ordinis superioris suscepti requiratur, ut suppleatur Ordo inferior omissus, idque contra pristinam disciplinam, uti non semel notavimus in *Jure Ecclesiastico*.

DISTINCTIO LIV.

De ordinatione servorum.

HAc distinctione late agit Gratianus de ordinatione *servorum*, ostenditque, quomodo in hac ordinatione sit procedendum, ne jura Dominorum lædantur; nec Ecclesiæ noceatur; atque ex omnibus tandem concludit. „ Ecce quomodo servi ad Clericatum assumi va„ leant, vel quomodo non admittantur ". Plura apocrypha necnon mutilata fragmenta hac distinctione referri vel solæ annotationes Romanæ ostendunt.

Cæterum ex relatis a Gratiano & hoc constat, non eamdem omnium Ecclesiarum circa hanc ordinationem disciplinam fuisse, uti & notavit D. de Hericourt, & hodie in Belgio horum Canonum nullus est usus; eo quod proprie dictos servos Belgium non agnoscat, de quibus tamen proprie dictis servis Canones agunt.

(a) Id veluti regulam proponit Gratianus. Sed in ea error duplex deprehenditur: prior in eo consistit quod Ordinis inferioris receptio ad superiorem exercendum semper requiratur; perinde ac si Prælatus nunquam dispensare posset a receptione minorum Ordinum. Alter est error, quod supponat Gratianus Episcopatum valide recipi posse, prætermisso Sacerdotii gradu; nam si hæc ordinatio sit irrita, iteranda est, nec sufficit omissum Presbyteratum suscipere, ut vulgo docent Theologi & Canonistæ. Textus a Gratiano allatus loquitur tantum de omisso Subdiaconatu ante Diaconatus & Presbyteratus susceptionem; porro cum Subdiaconatus sit ex Ecclesiastica, potest si volit, Ecclesia ab ejus receptione dispensare, quod affirmari non debet de Presbyteratu, cujus institutio est de jure divino, a quo nemo in terris dispensare potest: porro Christus voluit, ut ordo Presbyteratus Episcopatui necessario præmitteretur; unde ejus omissio redderet invalidam Episcopatus susceptionem.

DISTINCTIO LV.

De irregularitate ex defectu corporis.

CORPORE vitiatos a sacris Ordinibus prohiberi, probare intendit Gratianus hac distinctione, uti constat ex procemio. Ex his quæ in hanc rem profert sat manifestum est, ac signanter ex fragmento Epistolæ Innocentii I. relato Canone 6. non ob quemlibet defectum membri juxta sacros Canones ab Ordinibus prohiberi; sed duntaxat, qui sibi ipsis defectum, membrorum procurarunt, sive *in causa* fuerunt, uti in citata Epistola loquitur Innocentius, & manifeste supponunt Canones vulgo Apostolorum hic relati *Canone* 4. & 5. necnon C non Nicænus relatus *Canone* 7. ipseque Gratianus idipsum vidisse apparet; quandoquidem ad calcem Canonis 3. moneat: „ Corpore autem vitiati intelliguntur „ *non casu, sed propria voluntate abscissi* „. Idipsum & modernæ disciplinæ sat conforme esse deduxi in *Jure Eccles Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 10. *cap.* 5. una tamen ibidem notavi, defectum corporis etiam *sine culpa* defectuosi, interdum defectuosum reddere irregularem, eo quod defectus corporis impediat, quominus ipsas functiones ordinis vel absolute, vel non, sine irreverentia aut scandalo exercere queat.

DISTINCTIO LVI.

De irregularitate ex defectu natalium.

AGIT Gratianus hac distinctione de filiis Presbyterorum non ordinandis. Profert hanc in rem Canone 1. Decretum sub nomine Urbani II. Presbyterorum „ filios a sacris altaris ministeriis removemus, nisi aut „ in cœnobiis, aut in Canonicis religiose probati, fue„ rint conversati.

Hoc Decretum esse editum in Concilio Melphensi sub hoc Pontifice habito notat post Sirmundum Stephanus Baluzius, monuimusque in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 2, *sect.* 1. *tit.* 10. *c* 3. non extare antiquius de hac irregularitate Decretum; ibidemque ostendimus justis de causis hanc irregularitatem tandem extensam ad *omnes Illegitime natos*. Profert quidem hic Gratianus Canone 10. fragmentum sub nomine Bonifacii martyris, qui ante tempora Urbani II. vixit, sed nihil pro hac irregularitate probat, uti ex integro Canonis contextu constat.

Decretum relatum Canone 2. sub nomine Damasi Papæ apocryphum esse insinuaverat Antonius Contius in nota marginali, & post ipsum Antonius Augustinus de emendat. Gratiani lib. 1. Dial. 6.

Quædam relata a Gratiano non conducentia ad ædificationem legentium.

Cæterum ex relato hoc, licet apocrypho Decreto intelligitur, Gratianum in sui operis confectione non sat attendisse, num a se relata & adducta ad ædificationem legentium conducerent: quis enim non potius offendetur, quam ædificabitur, dum legit, etiam florentissimis Ecclesiæ sæculis, Presbyterorum, aliorumque illegitimos filios ad summum Pontificatum assumptos fuisse quod falsum esse Historiæ Ecclesiasticæ certissime evincunt.

DISTINCTIO LVII.

De irregularitate baptizati in ægritudine.

PROGREDITUR Gratianus enumerare eos, qui a sacris Ordinibus prohibentur; atque hac distinctione agit de irregularitate illius, qui in *ægritudine baptizatus est*, prolato *Canone* 12. Neocæsariensi, quo vetatur ordinari in Presbyterum, qui in *ægritudine* constitutus baptismum suscepit. Circa hunc Canonem notandum, ex communi Græcorum sententia, quæ & textui Canonis plane conformis apparet, hanc irregularitatem nequaquam fundari in nullitate aut invaliditate baptismi in ægritudine collati: sed in eo quod ille; qui usque ad ægritudinem baptismum petere distulisset, non sat probasset fidem suam ex voluntate descendere, sive ejus ad Christianismum conversionem esse omnino sinceram.

Vera ratio hujus irregularitatis.

Præterea notari meretur Gratianum ex versione Isidori finalem clausulam proferre disjunctive hoc modo; *Nisi forte postea ipsius studium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit*: cum tamen in originali, & similiter in versione Herveti & Dionysii Exigui legatur conjunctive per, & ac ita legisse Balsamonem ex ejus constat commentario: *Utrumque, ait, debet concurrere, virtutis scilicet studium, & raritas hominum: si enim unum eorum desit, Canon observabitur*.

Magna Patrum sollicitudo circa admittendos ad Sacerdotium.

Nec merito attendant Episcopi, quinta circumspectione processerint Patres in promovendis ad Sacerdotium.

Ex his, quæ ad calcem dicti Canonis proferunt Correctores Romani, ex historia Eusebii, probari videtur, quod hæc species irregularitatis, etiam sæculo tertio tempore Cornelii Papæ nota fuerit.

DISTINCTIO LVIII.

An & quomodo Monachi ad officium Ecclesiasticum admitti possint.

HAc distinctione probare intendit Gratianus id quod in præfatione illius habetur: *Item ex Monachi habitu nullus assumitur ad Ecclesiasticum officium; nisi fuerit oblatus voluntate proprii Abbatis*.

Hoc assertum probare vult auctoritate S. Gregorii *l.* 1. *indict.* 1. *Epist.* 18. Porro ex contextu Epistolæ constat, S. Gregorium agere de Monachis, qui ab Episcopo ex Monasterio tollebantur, *permittente* Abbate, ad

officium Ecclesiasticum extra Monasterium administrandum; unde immediate in Epistola subjungitur: „ *Quisquis autem ex prædicto Monasterio ad Ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illuc nec aliquam potestatem, nec licentiam habeat habitandi*. Vide notas Gussanvillei ad citatam Epistolam, qui ibidem notat, quod juxta pristinam disciplinam Monachi ex Monasterio ejecti, seu rescissi, Monachi esse desinerent; vel si ad Clericatum aut officium Ecclesiasticum per Episcopos essent assumpti extra Monasterium, nullum jus retinerent revertendi ad Monasterium; immo Monachi esse desinerent. Citat & hic Gratianus Canonem 13. Concilii Carthaginensis V. sed evidens est ex contextu Canonis, illum ad hunc casum non spectare, uti videri potest *Tom. VII. Schol.* in Canonem 80. Codicis Africani, ubi etiam notavimus, quod in editione Decreti anni 1515. 1550 item 1572. post hæc verba, *vel in suo majorem Monasterii constituere*; sequitur, *sine licentia Abbatis & Monachorum*, unde glossa casum Canonis exprimens ait: „ Dicitur in hoc Canone, quod Episcopus non „ potest *alienum* Monachum promovere ad Clericatum, vel facere Abbatem in suo Monasterio, nisi „ de voluntate proprii Abbatis.

Juxta pristinam disciplinam Monachus ad officium Ecclesiasticum assumptus desinebat esse Monachus.

DISTINCTIO LIX.

Ad Sacerdotium assumendi prius in inferioribus ordinibus probari debent.

DISTINCTIONE hac ostendit Gratianus, ordinandum non esse in summum Sacerdotem, nisi in inferioribus Ordinibus antea probatus, & Ecclesiasticis disciplinis prius fuerit imbutus. Ex sententiis Pontificum hic relatis evidens est, nequaquam ipsos requisivisse præcedentes inferiores Ordines in eo, qui ad Sacerdotium assumitur, quasi ab his validitas Sacerdotii dependeret; sed ut in Ordinum inferiorum functionibus versatus & exercitatus, Sacerdotio dignus & idoneus probaretur, uti & ostendi in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 9. cap. 5.*

DISTINCTIO LX.

Assumendus in Archipresbyterum vel Archidiaconum, debet esse Presbyter vel Diaconus.

HACTENUS ostendit Gratianus, qui possint ad Sacerdotii ordinem promoveri, & qui non: „ Nunc „ autem considerandum est, ex quibus ordinibus in Ar„ chipresbyterum, vel præpositum sint eligendi „: uti ipse monet initio hujus distinctionis, & quidem hic ostendit, nullum in Archipresbyterum, aut Archidiaconum esse ordinandum, nisi Presbyterum, aut Diaconum: neque in Episcopum, nisi sacris Ordinibus fuerit initiatus sed vel sola nomine, *Archipresbyteri, Archidiaconi*, & similia, quæ hic occurrunt, evincunt, hæc esse recentioris ætatis; ideoque vel hoc solo argumento concluserunt eruditi, Decretum relatum *Canone* 2. nequaquam attribui posse Calixto Papæ I. uti nec relatum *Canone* 4. Urbano I. utpote quorum ætate, nec nomina, nec dignitates, aut hæc disciplina adhuc nota essent. Verum est, Decretum hic *Canone* 4. sub nomine Urbani I. relatum, etiam referri sub nomine hujus Pontificis per Innocentium III. in *cap. a multis* ✠ *de ætate & qualit. ordin.* sed scitur, Innocentium III. aliosque sequentes Pontifices (e quorum Decretalibus constant libri Juris Canonici) secutos fuisse simpliciter & sine discussione auctoritatem Gratiani: ut propterea etiam plura parum authentica in Decretales & libros Juris Canonici irrepserint.

Sufficit ut ordinandus in Episcopum sit Subdiaconus.

Insuper quia Gratianus nullum sacrum Ordinem speciatim requisivit in ordinando in Episcopum: sed duntaxat dixerit, nullum esse ordinandum in Episcopum, qui *non sit sacris Ordinibus initiatus*, invaluit, quod sufficiat, ut ordinandus in Episcopum saltem sit *Subdiaconus*, licet ordinandus in Archipresbyterum debeat esse Presbyter, & in Archidiaconum Diaconus: ita ut vel ex his pateat, disciplinam per Gratianum expressam simpliciter esse receptam.

DISTINCTIO LXI.

Multo tempore prius probandi qui ad Episcopatum assumendi sunt.

AGIT rursus hac distinctione Gratianus contra subitas ordinationes: ostendens, quod *Laici* non sint in Episcopos eligendi, sed per singulos Ordines prius sint probandi. Proferuntur hic a Gratiano plures notandæ Patrum sententiæ de non eligendis in Episcopos: „ Nisi „ quorum ætas a puerilibus exordiis usque ad perfectio„ res annos, per disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia cu„ currerit, ut unicuique testimonium prior vita præbe„ ret, nec posset de ejus provectione dubitari, cui pro „ laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus „ strenuis, celsioris loci præmium deberetur “: uti loquitur S. Leo relatus Canone 5. qui totus merito legendus ab his, qui ad electionem aut nominationem Episcopi concurrunt; cui & merito adjungendum quod ex Epistola Hormisdæ Papæ refertur *Canone* 3.

His prolatis Patrum & Canonum sententiis, objicit sibi: „ Quod beatus Nicolaus ex Laico electus est in „ Episcopum: beatus Severus ex lanificio assumptus est „ in Archiepiscopum: beatus Ambrosius, cum nondum „ esset baptizatus, in Archiepiscopum est electus. Sed „ sciendum est, ait, quod Ecclesiasticæ prohibitiones „ proprias habent causas, quibus cessantibus, cessant „ & ipsæ. Ut enim Laicus in Episcopum non eligere„ tur, hæc causa fuit: quia vita Laicalis Ecclesiasticis „ disciplinis per Ordinem non erudita, nescit exempla „ religionis de se præstare aliis, quæ in se ipsa expe„ rimento non didicit. Cum ergo quilibet Laicus me„ rito suæ perfectionis clericalem vitam transcendit, „ exemplo beati Nicolai, & Severi, & Ambrosii, ejus „ electio potest rata haberi.

Quid ab Episcopis attendendum in dispensatione super interstitiis. In Electionibus ad officia Ecclesiastica qui præferendi.

Hæc Gratiani ratiocinatio merito attenditur ab Episcopis, ubi de dispensatione super *interstitiis* agitur, & latius exposui in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 9. cap 5.*

Nonnulla adjungit Gratianus, quibus probare vult; *Quod Clerici alterius Ecclesiæ non sint præferendi in electione iis, qui bene militant in propriis Ecclesiis*: ut loquitur ad calcem *Canonis* 11. & quidem conformiter ad hoc Gratiani probatum assertum, etiam hodie in Ecclesiis, in quibus penes Canonicos, sive Capitula salvum hactenus est jus electionis ad Episcopatum & dignitates, elegi non solet nisi sit Canonicus ejusdem Ecclesiæ.

DISTINCTIO LXII.

Qui concurrere debeant ad electionem & ordinationem Episcoporum.

„ BREVITER monstratum est, ait Gratianus in proœ„ mio hujus distinctionis, ex quibus Ordinibus „ in quos gradus sunt eligendi: nunc videndum, a qui„ bus sunt eligendi & consecrandi.

Huic monito immediate subjungitur: *electio Clericorum est, consensus Principis, petitio plebis*, Ita legitur in editis antiquis Gratiani exemplaribus, quam lectionem & retinuit Antonius Contius, addita tamen ad vocem, *Principis*, hac nota marginali: *videtur legendum Cleri*; in Decreto correcto ita hodie legitur: *electio Clericorum est petitio plebis*: subjecto hoc monito ad vocem, *est*: „ In vulgatis Codicibus sequebatur; „ *consensus Principis*: in manuscriptis vero partim le„ gitur, *consensus plebis*, partim, *petitio plebis*, atque „ ita est emendatum “.

Nec sane hæc Romana correctio dissona apparet a textu Leonis, quem immediate in probationem sui asserti Gratianus subjicit: nam scribit S. Leo Rustico Archiepiscopo Narbonensi: „ Nulla ratio sinit, ut inter Epi„ scopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, *nec* „ *a plebibus sunt expetiti*, nec a Provincialibus Episco„ pis cum Metropolitani judicio sunt consecrati “: nulla *Principis* facta mentione, cujus nec in hac distinctione mentio occurrit. Quidquid sit de genuina lectione Gratiani, hoc constat, multis sæculis obtinuisse, ut populus una cum Clero ad electionem Episcopi concurreret, nec electus in Episcopum consecrari posset, nisi prius haberetur Principis consensus: quod & in Ecclesia Romana servatum fuisse ostendi in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 13. c. 3.* alias in *supp. ad tit. 13.*

DISTINCTIO LXIII.

An Laici ab electione Episcopi sint excludendi.

HAc distinctione contendit Gratianus, quod Laici nullo modo se debent inserere electioni. Verum quia in hac electionis materia varia fuit Ecclesiarum disciplina; eamque varietatem uti & Ordinem temporis in recitandis Decretis & Canonibus negligens more suo Gratianus, materiam hanc non parum intricavit: atque rationes Canonibus & textibus conciliandis parum convenientes attulit.

Varia fuit circa hoc punctum disciplina.

Hanc materiam, variamque diversis temporibus receptam disciplinam exponere studui in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 13. c. 1. usque ad 6.* alias in *ejus supplemento*: ibidem notavi, Gratianum sensum Canonis 13. Laodiceni plane invertere, dum illum hac distinctione *Canone 6.* adducit, ut probet, Laicos ab electione Episcopi excludi, uti & ostendi *Tom. VI. Schol.* in citatum Canonem Laodicenum, ibidem probans, quod Patres hoc Canone nequaquam Laicos ab electione excluserint; sed duntaxat improbaverint *tumultuosas* electiones, sive per tumultuantem plebem factas.

Interim hic notandum, Epistolam Nicolai, cujus fragmentum Canone 4. refert Gratianus, nullibi reperiri, uti notat Antonius Augustinus *lib. 2. de emend. Gratiani Dial. 14.*

Cæterum vix dubium, quin ex hoc fragmento hic a Gratiano relato curia Romana prætenderit, etiam eo tempore Pontifici Romano jus competiisse cognoscendi de persona ad Metropolitanam Ecclesiam assumenda.

DISTINCTIO LXIV.

A quibus, quo tempore, & quo loco ordinandi Clerici.

POST hæc vult Gratianus ostendere; „ A quibus, vel quo tempore sacri Ordines sint „ tribuendi, vel „ quibus in locis Patriarchæ, Primates, Archiepisco„ pi, Episcopi, Chorepiscopi, & reliqui Sacerdotes „ sint ordinandi “.

Episcopi a comprovincialibus cum Metropolitano ordinandi.

Et ab hac distinctione incipiens, ostendit, Episcopos a Comprovincialibus, consentiente Metropolitano, esse ordinandos; conformiter ad Canonem 4. Nicænum hic a Gratiano *Canone* 1. relatum. Videri potest *Tom. VI. Schol.* in citatum Canonem, ubi ostendi Canonem hunc non solum de ordinatione, sed & de electione Episcoporum agere; idque conformiter ad disciplinam illius temporis, qua Ordinatio mox peragebatur a facta electione,

Quoa

Quod vero Canone 2. refertur sub nomine *Anacleti*, scitur esse ex supposititiis Decretalibus Isidori, qui more suo huic Decreto inseruit lasciniam Canonis Nicæni, sed adjecta clausula a disciplina istius temporis prorsus aliena; scilicet *auctoritate Apostolica*: quasi Patres Nicæni statuissent, Episcoporum electionem ab omnibus Comprovincialibus Episcopis esse faciendam, *auctoritate Apostolica*.

Interim de hac disciplina videri possunt quæ dixi in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 13. cap. 1.*

De auctoritate Metropolitani in Ordinatione Episcopi.

Plura hic quoque adducit Gratianus, quibus ostendit, Episcopum ordinari non posse sine consensu Metropolitani conformiter ad Canonem Nicænum, cujus verba hic recitat Canone 8.

DISTINCTIO LXV.

HAC distinctione ostendit Gratianus, Ordinationem Episcopi fieri debere ab omnibus Comprovincialibus, aut saltem majore eorum parte, consentiente quoque *Primate* Provinciæ, si sit.

A quibus eligendi Episcopi?

Quod hic ostendit Gratianus, Episcopum ab omnibus Episcopis Comprovincialibus esse eligendum; quodque, si omnes præsentes adesse nequeant, scripto tamen, aliove modo consensum suum electioni factæ præstare debeant, conforme est Canonibus Nicænis; ut & quod in pluribus hic a Gratiano relatis Decretis asseritur: *Quod si duo aut tres contradicant, prævaleat sententia plurimorum*.

Similiter quod de consensu Metropolitani, ejusque in hac electione auctoritate legitur, congruit quoque Canonibus Nicænis.

Ad calcem *Canonis* 8. ita concludit: his auctoritatibus datur intelligi, quod Episcopi a suis Comprovincialibus debeant ordinari; sed quæritur, ait, si in Provincia plurimi Episcopi fuerint, & contigerit forte *unum* remanere Episcoporum quid fieri debeat: ille quia solus est, ordinare non potest Episcopum: Comprovinciales enim non habet, cum quibus Episcopum consecrare valeat.

Quid agendum casu quo unicus Episcopus in provincia superfit?

Pro resolutione hujus casus subjicit Canonem 5. Sardicensem: *Si forte unus tantum in Provincia remanserit Episcopus, ad consecrationem Episcopi de vicina Provincia convocentur*: de varia lectione & intellectu hujus Canonis *Tom. VII. Schol. in citatum Canonem Sardicensem*. De varia ejusdem Canonis lectione agunt quoque Correctores Romani, una ostendere conantes Canones Sardicenses latine editos fuisse; nec non eosdem ab Ecclesia Græca receptos.

DISTINCTIO LXVI.

De Ordinatione Metropolitani.

HAc distinctione tractat Gratianus de electione Archiepiscoporum; contenditque, Archiepiscopum eligendum & ordinandum a suis Episcopis Comprovincialibus: producens in probationem fragmentum Decretalis sub nomine Aniceti Papæ.

Verum vel solum nomen *Archiepiscopi*, quod tempore Apostolorum, uti & tempore Aniceti Papæ, adhuc ignotum erat; quemadmodum etiam nomen Episcoporum *Comprovincialium*, qui nondum eo tempore erant determinati, manifeste evincunt, eam Decretalem esse supposititiam, uti & fabulosa esse, quæ Canone 2. hic narrantur de Ordinatione S. Jacobi. Quapropter forma Ordinationis Archiepiscopi per Comprovinciales, quæ postmodum invaluit, nullatenus dici potest exemplo Apostolorum inducta; uti falsarum harum Decretalium confictor, & hunc secutus Gratianus, insinuare voluerunt.

Adducta hic a Gratiano sunt supposititia.

DISTINCTIO LXVII.

A quibus Presbyteri sint ordinandi?

IN procemio hujus distinctionis hoc summarium ponit Gratianus: " Presbyteri vero & Chorepiscopi ab *uno* Episcopo ordinari possunt.

In hujus probationem adfert fragmentum falsæ Decretalis Anacleto Papæ suppositæ, in quo nihil de ordinatione *Chorepiscopi* legitur.

Refert autem *Canone* 2. ex Concilio Hispalensi; *Episcopus Sacerdotibus & ministris solus honorem dare potest; solus auferre non potest*.

Gratianus nullam hic auctoritatem adfert, quæ de *Chorepiscopis* loquitur; cum tamen insinuet in procemio, se velle etiam ostendere a quo *Chorepiscopi* sint ordinandi. Admodum verisimile est, Gratianum præ oculis habentem disciplinam sui temporis, Chorepiscopos præposuisse inter simplices Presbyteros; quantumvis primitus videatur, eos etiam charactere Episcopali fuisse insignitos.

DISTINCTIO LXVIII.

Quid agendum, ubi dubitatur de validitate factæ Ordinationis?

HAc distinctione sub initium ait: *Quæritur de illis, qui ordinantur ab his, quos non constat fuisse Episcopos, an iterum sint consecrandi, an non.*

Pro hujus quæstionis resolutione, prolatis duobus fragmentis sub nomine Gregorii I. & Gregorii III. ad calcem *Canonis* 2. quæstionem ita resolvit; *Quod ergo consecratus, in eodem ordine iterum consecrari prohibetur, de eo intelligendum est: qui consecratus est ab illo, quem certum, erat, consecrandi jus habere: qui autem ab illo consecratur, quem non constat jus consecrandi habuisse, iterum consecrandus est: quia si ille consecrandi jus non habuit; iste ex olei effusione nil consecrationis accepit, & quia in ipso ordine consecratus non erat, nunc quasi primum ad consecrationem veniens ses ab Episcopo Sacerdotalem benedictionem & consecrationem consequitur. Si autem jus consecrandi habuit, in prima unctione consecutus est consecrationem; in secunda non reiteratur consecratio, sed sola unctio: sicut, de quo dubium est, an sit baptizatus, vel non, debet baptizari: qui si prius baptizatus non fuerat, consequitur gratiam baptismi, si autem baptizatus erat, nihil accepit in secunda unctione: nec pertinet hoc ad reiterationem baptismi; sed ad cautelam salutis.*

Nulla fit mentio conditionis adjiciendæ in reiteratione ordinationis.

Nihil hic dicitur de *conditione* in reiteranda ordinatione aut baptismo adhibenda, quæ verisimiliter tempore Gratiani nondum erat ubique in usu.

Addit Gratianus: *Hoc & de Ecclesiis consecrandis similiter observandum est*. Citato Decreto sub nomine Concilii Nicæni: sed nihil simile in Concilio Nicæno legitur, & intuenti textum facile apparebit, illud non congruere disciplinæ istius ætatis: immo quod hic de iteranda consecratione ob *effusionem sanguinis* asseritur, nec hodie receptum est, sed sufficit hoc casu simplex reconciliatio; uti & in alio casu sequente in Canone expresso: quemadmodum notavi in *Jure Eccl. Tom. II. parte 2. sect. 2. tit. 1. c. 5.* alias *t. 16. c. 3.*

Adducta a Gratiano de Chorepiscopis supposititia sunt.

Denique hac distinctione notare volens Gratianus differentias inter Episcopos & *Chorepiscopos*, citat hanc in rem Epistolas Leonis & Damasi Pontificum: & quidem hodie prior post Correctionem Romanam adscribitur Leoni I. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, at in antiquis Codicibus Decreti legebatur simpliciter: *Leo Episcopus omnibus Episcopis*: ostenditque Paschasius Quenellus, post Jacobum Sirmundum & Joannem Morinum, hanc Epistolam nullatenus posse tribui S. Leoni I. neque ei adscriptam fuisse ante editam collectionem Isidori vulgo *Mercatoris*, in cujus collectione primum sub hujus Pontificis nomine comparuit.

Alteram Epistolam Damaso Papæ adscriptam supposititiam esse passim agnoscunt eruditi. Cæterum quid sit de Chorepiscopis, eorumque a cæteris Episcopis differentia, hoc equidem nequaquam obscurum videtur, quin Gratianus crediderit, aut saltem supposuerit, Chorepiscopos fuisse simplices Presbyteros ab uno solo Episcopo ordinandos (*a*).

DISTINCTIO LXIX.

An Abbates tonsuram & minores Ordines conferre possint?

HUic distinctionis hoc summarium præfigitur: *Tonsura Clerici de manu Abbatis suscipi potest, si eidem Abbati manus impositio ab Episcopo facta noscatur.*

In probationem hujus asserti adducit Gratianus Canonem 14. Synodi VII. Canon hic dividitur in tres partes. Parte priore redarguuntur illi, qui in *parvula* etiam ætate, tonsura Clericatus accepta; *sed nondum ab Episcopo manus impositione percepta, super ambonem irregulariter in collectam legebant*. Parte secunda dicitur: *Lectoris autem manus impositionem est licentia Abbati in proprio Monasterio solummodo faciendi; si duntaxat eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundum morem præficiendorum Abbatum, dum constet illum esse Presbyterum*. Ita legitur in versione Anastasii Bibliothecarii, quam Gratianus secutus est. Cæterum de sensu hujus Canonis vide *Tom. VII. Schol.* in Canonem 14. Synodi VII.

DISTINCTIO LXX.

Clericus sine titulo Ecclesiastico ordinari non debet.

HUic distinctioni hoc summarium præmittit Gratianus: *Ab Episcopis alterius civitatis Clericus ordinari non poterit, nec etiam a proprio absolute ordinandus est.*

In probationem secundi membri, de prohibita absolute ordinatione producit Canonem Chalcedonensem, quo cavetur; *Neminem absolute ordinari Presbyterum, vel Diaconum, vel quemlibet in Ecclesiastica ordinatione constitutum, nisi manifeste in Ecclesia civitatis, sive possessionis, aut in Martyrio, aut in Monasterio, qui ordinatur, mercatur ordinationis publicatæ vocabulum. Eos autem, qui absolute ordinantur, decrevit sancta Synodus, vacuam habere manus impositionem, & nullum tale factum valere ad injuriam ipsius, qui eum ordinavit.*

Notant hic in primis Correctores Romani pro his verbis, *Nisi manifeste*, in Græco legi, *nisi proprie in Ecclesia civitatis, vel pagi, aut Martyrio, aut Monasterio, qui ordinatur, pronuntietur.*

Moneat & ibidem dicti Correctores; " Quod in ordi-

(a) Dicendum tamen est quosdam extitisse Chorepiscopos, qui fuerunt Episcopi; alioquin Canones, qui de illis agunt, conciliari non possent: sunt enim Canones, qui munera Episcopalia Chorepiscopis tribuunt, sicut sunt qui eadem illis negant. Sunt Canones, qui supponunt quosdam Chorepiscopos a tribus saltem Episcopis fuisse ordinatos; sunt vero qui alios ab uno Episcopo ordinandos esse præscribunt. Ut isti Canones concilientur, dicendum e it quosdam agere de Chorepiscopis, qui erant Episcopis, cæteri vero de Chorepiscopis, qui Presbyteratus ordine erant tantum insigniti, decernunt.

" ordine Romano fiat mentio talis pronuntiationis Epi-" scopi nomine per Archidiaconum tactæ : *De titulo " S. Stephani , eligimus Petrum ad lectorem ad eum-" dem titulum* ".

Ex his manifestum est , id unum per Concilium Chalcedonense fuisse decretum , ut nullus ordinaretur *absolute*, id est sine titulo Ecclesiastico , sive designatione alicujus Ecclesiæ , cui adscriberetur , & in quo functiones sui Ordinis obiret.

Origo titali patrimonialis.

Verum Gratianus pro verbis, *vel pagi* , legit , *sive possessionis* ; ex qua erronea lectione , sive versione Glossographus conclusit , juxta hunc Canonem sufficere titulum profanum , sive patrimonialem ; quem secuti sunt Canonistæ ; ac tandem hic titulus patrimonialis invaluit, & per Synodum Tridentinam saltem dispensative admissus fuit , uti latius exposui in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 9. cap. 6.*

DISTINCTIO LXXI.

Clericus ab alieno Episcopo sine dimissoriis non ordinandus.

DE Clericis non ordinandis ab Episcopo alterius civitatis sine proprii Episcopi consensu agit hac distinctione Gratianus, neque sine litteris commendatitiis Clericum extra suam Ecclesiam ministrare posse.

In probationem prioris partis sui asserti plures Canones profert, ac signanter Canone 1. Decretum Synodi Sardicensis ; circa quod notandum , quod inspectis verbis hujus Canonis, videatur duntaxat loqui de non transferendo Ministro alterius Ecclesiæ sine assensu proprii Episcopi : licet Gratus Primas Africæ , qui Concilio Sardicensi interfuit , testatus sit , Patres hujus Concilii hoc quoque intellexisse de *Laico* alterius Ecclesiæ, atque ita Canonem hunc sensim fuisse acceptum , etiam in Africa , etiamnum hodie hic & ubique sic observari.

Clericus extra suam Ecclesiam sine commendatitiis ministrare non potest.

In probationem secundæ partis sui asserti producit Gratianus *Canone* 7. Canonem 13. Chalcedonensem , & *Canone* 9. Canonem 7. Antiochenum , de quibus videri potest *Tom. VI. & VII. Schol.* in præfatos Canones , ubi ostendi illos a Gratiano corrupte referri.

Cæterum quid de hoc pristina disciplina obtinuerit , & quæ hodie signanter jure Decretalium, & ex dispositione Concilii Tridentini observanda sint , deduximus in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 5. cap. 9.*

DISTINCTIO LXXII.

De litteris dimissoriis sive exeat.

GRATIANUS hac distinctione probare intendit , quod Episcopus dimissorias litteras tribuere non debet nisi rogatus , uti monet in proœmio.

In probationem hujus asserit profert Canonem 1. sub nomine Leonis Papæ : " Episcopus subjecto sibi Sacer-" doti , vel alii Clerico , nisi ab ipso postulatus , di-" missorias non faciat ".

Hic non agi de litteris dimissorialibus , prout hodie sumuntur , sed potius de litteris , quæ Clericis dantur , ut a sua Diœcesi ad aliam transeant , sive exeant , quæ hodie vocantur , *exeat* ; nequaquam obscurum est ex verbis , quæ immediate subjiciuntur : " Ne ovis quasi " perdita aut errans inveniatur ".

Porro adducta *Canone* 2. id unum probant , nullum ab alieno Episcopo esse ordinandum sine consensu proprii Episcopi.

DISTINCTIO LXXIII.

De formula dimissoriarum litterarum supposititia.

HAc distinctione Gratianus profert formulas dimissoriarum litterarum , quasi a Nicæna Synodo præformatas , & ab Artico Episcopo Constantinopolitano editas.

Verum nec in Synodo Nicæna similem formulam editam legimus , neque ab Episcopo Constantinopolitano ullibi præscripta habetur.

Qua forma hæ litteræ concipi soleant , nec non quæ circa eas sint merito notanda & observanda , notavi in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 9. cap. 3.*

DISTINCTIO LXXIV.

An invitus possit ordinari. Auctoritates in speciem contrarias recte conciliat Gratianus.

QUÆRIT Gratianus hac distinctione " de his , qui ab " Episcopis promoveri contemnunt , an inviti sint " sublimandi , an non.

Prolatis quibusdam in speciem contrariis , scilicet S. Gregorii & Concilii Carthaginensis , hanc conciliandi rationem subjungit : *Verum illud Gregorii de his intelligendum est , qui* non causa necessitatis; *sed* causa ingratitudinis *callide ab Episcopis suis promoveri quæruntur : illud autem Carthaginensis Concilii de his intelligitur , qui nolunt obtemperare Episcopis suis* propter necessitatem *Ecclesiæ volentibus eos ad altiora promovere.*

Nullus in ordine superiori positus potest obire functionem inferioris.

Et revera in Epistolis S. Gregorii , e quibus fragmenta apud Gratianum desumpta sunt , agitur de quodam Honorato , quem specie honoris in Presbyterum ordinare volebat , ut eum officio Archidiaconi privaret : quemadmodum id non semel factum legitur : de quo videri possunt Janus a Costa in commentario ad *cap. 2. de Judiciis* & ab eo citati.

Iterum hic notari potest etiam ævo S. Gregorii fixum fuisse , ut nullus in Ordine superiore , puta Presbyter , obiret functiones Ordinis inferioris ; puta Diaconi : atque idcirco per promotionem ad superiorem ordinem Diaconus & Archidiaconus officio Diaconi & Archidiaconi censeretur privatus . Quod & probant Epistolæ S. Gregorii hic citatæ , & notat P. Gustant ad Epistolam 19. *lib. 2. S. Gregorii.*

DISTINCTIO LXXV.

Quo tempore Ordines conferendi.

PERGIT Gratianus hac distinctione tempus , quo ordinatio facienda sit , inquirere . Hanc in rem *Canone* 1. recitat fragmentum pseudo Epistolæ secundæ S. Anacleti , quo ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolica , *Dominica die hora tertia* (id est hodierna nona matutina) fieri præcipiuntur.

Ordinatio Episcoporum die Dominica fieri potest.

Licet hæc Epistola eruditis passim hodie habeatur supposititia , & ex putridis Isidori mercibus , admodum tamen verisimile est , huic apocrypho fragmento , Gratiani Decreto inserto , adscribendum esse , quod etiamnum hodie ordinatio Episcoporum *omni* die Dominica fieri queat ; cum Presbyterorum , Diaconorum , & Subdiaconorum certis temporibus sit alligata.

Intra tres menses fieri debet.

Post relatam hanc Decretalem citat Canonem 25. Chalcedonensem ; quo ordinatio Episcoporum facienda intra tres menses præcipitur , uti & in Tridentino statutum est ; hac tamen differentia , quod hodie tres illi menses incipiant tantum currere a tempore obtentæ confirmationis Pontificiæ ; olim vero a die vacationis . Occasionem inductæ hujus differentiæ notavi *Tom. VII. Schol.* in dictum Canonem Chalcedonensem , hujusce editionis.

Tempore S. Leonis etiam Presbyterorum & Diaconorum ordinatio die Dominica peragi poterat.

Deinde *Canone* 4. adducit fragmentum Epistolæ S. Leonis I. ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum , in qua scribit S. Leo : " Quod a Patribus nostris propen-" siore cura novimus esse servatum , a vobis , inquit , " quoque volumus custodiri , ut non passim diebus o-" mnibus sacerdotalis vel Levitica ordinatio celebre-" tur , sed post diem Sabbati ejus noctis , quæ succes-" sit in prima Sabbati exordia (addit Gratianus , *con-" secrandi* , contra fidem originalis) deligantur , in qui-" bus , his , qui consecrandi sunt , jejunis , & a jeju-" nantibus sacra benedictio conferatur ".

Ex hac Epistola S. Leonis patet , quod non tantum Episcoporum , sed & Sacerdotum , & Levitarum sive Diaconorum consecratio tempore S. Leonis , perageretur die *Dominico* , sive *nocte ipsius Sabbati præcedentis* : Hanc autem ad diem Dominicam pertinere asserebat S. Leo verbis subsequentibus : " Quod ejusdem observantiæ erit , " si *mane* ipso Dominico die , continuato jejunio " Sabbati , celebretur , a quo tempore præcedentis no-" ctis initia non recedunt : quam (male Gratianus , " *quod*) ad diem Resurrectionis , sicut etiam in Pascha " Domini declaratur , pertinere non dubium est ".

Itaque S. Leo ostendit , noctem Sabbati pertinere ad diem Dominicum , ideoque ordinationem tunc factam censeri factam die Dominico , quod latius demonstrat Paschasius Quenellus in notis ad hanc Leonis Epistolam , quæ est *undecima* in ejus editione ; unaque demonstrat quomodo paulatim ordinationes a nocte ipsius Sabbati devolutæ sint ad tempus antemeridianum ipsius Sabbati.

Ulterius multis ostendit Quenellus , Leonem hic nequaquam loqui de Sabbato sancto , sive vigilia Paschatis , sed generaliter de omni Dominica (quam die resurrectionis olim vocatam esse notat) ; atque in omni die Dominica ea ætate , non tantum Episcoporum , sed & Presbyterorum , & Diaconorum ordinationes peragi potuisse ; arguitque crassi erroris eos , qui existimarunt , Leonem hic de die Paschatis egisse ; atque propterea huic Epistolæ apposuerunt titulum , quo innuebatur ordinationem *Sabbato sancto* fuisse peragendam : cum admodum verisimile sit , *illo Sabbato* ob solemnem baptismum & catechismum Catechumenorum primitus ordinationes factas non fuisse ; sed forsan posterioribus temporibus ex malo intellectu hujus Epistolæ invaluisse ; cum neque apud Gelasium , aliosque mediæ ætatis scriptores inter tempora ordinationis referatur hoc Sabbatum.

Tempora ordinationum per Gelasium determinata.

Recitat præterea Gratianus *Canone* 7. Decretum Gelasii I. ex Epistola ad Episcopos per Lucaniam , quo determinantur tempora sacrarum ordinationum , quæ etiamnum hodie servantur , excepto *Sabbato sancto* , cujus in hoc Decreto nulla fit mentio : in quo Decreto hoc etiam notari potest , nihil statui de ordinatione *Subdiaconorum* , quæ multis sæculis nullis temporibus fuit adstricta ; uti constat etiam ex ordine Romano , cujus fragmentum retulit Gratianus in *Canone* 6.

Denique observandum , quod Gelasius velit ordinationes Sabbati jejunio circa vesperam celebrandas , quod cum Epistola Leonis coincidit ; ipsumque insinuat pristinam disciplinam celebrandi ordinationes die Dominico aut *nocte* , seu sub vesperam Sabbati , quæ ad diem Dominicam refertur.

DISTINCTIO LXXVI.

De jejunio quatuor temporum.

CUM in Decreto Gelasii præcedenti distinctione de jejunio quatuor temporum mentio facta esset , occasionem cepit Gratianus tractandi hac distinctione , *Quibus temporibus jejunia celebranda sint* .

Sub initium distinctionis ait , quod Calixtus Papa scribens Benedicto Episcopo hæc tempora determinet . Ve-

rum ſcitur, hanc Epiſtolam falſo Calixto Papæ attribui, immo quod in ea mentio fiat jejunii per quatuor tempora, falſitatem ejus evincit: quia ſat expeditum eſt, ætate hujus Pontificis, hæc quatuor temporum jejunia nondum fuiſſe determinata.

Ex his autem hac diſtinctione relatis, & per Correctores Romanos obſervatis ſufficienter conſtat, non eamdem ſemper fuiſſe circa hæc jejuniorum tempora diſciplinam; tandem tamen circa ſæculum undecimum ſub Urbano II. receptam & ſtabilitam fuiſſe modernam diſciplinam; cui indubie hæc falſa Decretalis occaſionem & firmitatem præbuit.

DISTINCTIO LXXVII.

ABSOLUTA diſtinctione ſeptuageſima ſexta, in principio hujus ſeptuageſimæ ſeptimæ hanc ex priore format concluſionem: „ His temporibus ſecundum Anacletum, Zephyrinum, Gelaſium, & Pelagium, Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ſunt ordinandi. „

Verum hic rurſus fallitur Gratianus; nullum enim genuinum reperitur Anacleti, aut Zephyrini Decretum, quo ordinationes illæ hiſce temporibus alligentur; immo nec ullum antiquius præcitato Decreto Gelaſii facile oſtendetur.

De interſtitiis ſervandis inter ſingulos ordines.

In hac dein diſtinctione agit de temporalibus, quibus in ſingulis Ordinibus hærendum ſit. Tempora illa, quæ hic ex Decretis Pontificum, notanter Zoſimi Papæ *Canone* 2. & Siricii *Canone* 3. determinantur, quibus in ſingulis Ordinibus ſit hærendum, priuſquam ad altiorem aſcenderetur, hodie dici ſolent *interſtitia*, de quibus egi in *Jure Eccl. Tom. II. parte* 2. *ſect.* 1. *tit.* 9. *cap.* 1. & una notavi hæc tempora, ſive interſtitia etiam inter minores ordines primitus fuiſſe ſervanda, quod & evincunt Decreta hic relata. Ad hæc oſtenſum eſt, & etiam hic adducta Decreta probant, illa interſtitia requiſita fuiſſe ad probationem, quæ haberi poterat ex modo & diligentia, quibus in obeundis Ordinum illorum functionibus ſe geſſiſſent.

Scopus interſtitiorum.

Notandum hic referri a Gratiano *Canone* 1. Decretum ſub nomine Caji Papæ ex ſuppoſititia Decretali, quod Canoniſtis & Theologis occaſionem dedit exiſtimandi, quod inferiores Ordines deberent præmitti ſuperioribus, ut horum haberetur integritas, uti obſervatum eſt in ſupplemento ad *Jus Eccleſ. Tom. II. parte* 2. *ſect.* 1. *tit.* 9. *cap.* 5.

DISTINCTIO LXXVIII.

De ætate in Presbytero requiſita.

HAc diſtinctione quærit Gratianus, quæ ætas requiratur in ordinatione Presbyteri; profertque eam in rem *Canone* 1. Decretum ſub nomine Bonifacii: monent autem Correctores Romani: „ Cæteri „ Collectores citant ex Decretis Fabiani: extat apud „ Martinum Bracarenſem Epiſcopum in Capitul. Græc. „ Synodi cap. 20. ex Neocæſarienſi cap. 11. „ Et revera ea, quæ hic referuntur a Gratiano, ſunt verba Canonis Neocæſarienſis, prout hic Canon extat apud Martinum Bracarenſem.

Priſtina diſciplina annos 30. requirebat.

Id non advertens Gratianus, eumdem Canonem ſub nomine hujus Synodi retulit rurſus *Canone* 4. in quo nominatim ſic ſtatuitur: „ Presbyter ante 30. anno„ rum ætatem non ordinetur: quamvis ſit probabilis „ vitæ; ſed obſervet uſque ad præfinitum tempus; Dominus enim noſter Jeſus Chriſtus *trigeſimo* anno ba„ ptizatus eſt, & tunc prædicavit „.

Hanc ætatem etiam Juſtinianus in ſuis Novellis præſcripſit, ut patet ex fragmento ex dictis Novellis hic *Canone* 2. per Gratianum relato.

Hanc ætatem etiam ſæculo XI. præcepit ſervari Concilium Rothomagenſe habitum anno 1074. ſtatuens: Canone 6. *Nullus ordinetur Presbyter ante* 30. *annos*; ſed addita hac modificatione: *Niſi ſumma neceſſitate*.

Quomodo ab hac diſciplina ad hodiernam receſſum eſt?

Cum vero arbitrio Epiſcoporum judicandum permitteretur, quando vel quæ eſſet *ſumma neceſſitas*, ſenſim ab hac diſciplina prætextu *ſummæ neceſſitatis* recedi cœpit: quod & ſufficienter indicat ipſe Gratianus ad calcem *Canonis* 4. hæc ſubjiciens: *Hoc regulare eſt*..., ſed *Eccleſia neceſſitate exigente, nonnullos ante* 30. *annos ordinare conſuevit*.

Immo etiam tempore Gratiani pene generaliter invaluerat hodierna diſciplina, nimirum ut in Presbyterum ordinari poſſet quis anno vigeſimo quinto ſuæ ætatis, quod primitus tantum fuerat indultum, dum *ſumma Eccleſiæ neceſſitas* exigeret.

Hic videmus veriſſimum eſſe, diſpenſandi auctoritatem in Canone aut lege, licet certis circumſtantiis circumſcriptam exprimere, eſſe legis aut Canonis antiquationi viam ſternere.

DISTINCTIO LXXIX.

De inthronizatione ſive electione Romani Pontificis.

GRATIANUS nulla habita connexionis aut ordinis ratione, revertitur ad inthronizationem Pontificis, atque hac diſtinctione oſtendere vult: *Quod Apoſtolicus non niſi a Cardinalibus & religioſis Clericis ſit inthronizandus*.

Et *Can.* 1. ſub nomine Nicolai Papæ II. refertur: *Si quis Apoſtolicæ Sedi ſine concordi & Canonica electione Cardinalium ejuſdem Eccleſiæ, ac deinde ſequentium Clericorum religioſorum inthronizatur; non Papa vel Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur*.

Quinam ad illam olim concurrebant?

Ex hoc Decreto per Gratianum hic relato hoc habetur, quod tempore Nicolai II. ad electionem Romani Pontificis concurrerent etiam Clerici non Cardinales: item quod eo tempore Clerici Eccleſiæ Romanæ, id eſt Eccleſiæ Lateranenſis & Cathedralis dicerentur *Cardinales*, uti & hic notat Ludovicus d Hericourt,

In antiquis Gratiani editionibus non dicitur quis fuerit *Nicolaus* hujus Decreti auctor: in correctis habetur hic titulus: *Unde Nicolaus papa II. ait in Epiſtola, qua Synodum a ſe Romæ habitam refert cap.* 1.

Habetur quidem ſub nomine Nicolai II. *tom.* 9. *Concil. General. col.* 1103. Decretum de electione Romani Pontificis, ſed huic in multis diſſimile, de quo ſupra *diſtinctione* 23. Verum poſt hoc Decretum ſubjiciuntur tamquam ejuſdem Concilii Canones 13. quorum primus exhibet compendium hujus Decreti, quod & Correctores Romani retulerunt ad calcem hujus Canonis apud Gratianum; qui Canon non omnino diſſimilis eſt Canoni per Gratianum relato, quamvis nonnulla ille omittat, ut patebit ex lectione utriuſque; & quidem in Decreto, prout a Gratiano hic refertur, indicatur quod in electione Romani Epiſcopi intervenire debeant indifferenter Cardinales; prout autem refertur hic per Correctores Romanos, ad vocem, *Cardinalium*, additur, *Epiſcoporum*, qua vocula ſignificatur, quaſi ſoli Cardinales *Epiſcopi*, tamquam Epiſcopi Provinciales ad electionem Epiſcopi Romani tamquam Metropolitani vocandi eſſent.

At inter Decreta Nicolai I. a Joanne Cochlæo ex Gratiani volumine in unum collecta, & in 20. titulos diſpertita refertur hoc Decretum *tit.* 4. *num.* 2. idque nonnihil extenſius; ut proinde dubium non ſit, quin Cochlæus illud Nicolai I. eſſe crediderit, ſed falſo.

In hac electione præcipuas partes habebant Clerici Cardinales.

Quamvis ex hoc Decreto habeatur, quod eo tempore in electione Romani Pontificis occurrerent Clerici etiam non Cardinales; tamen & illud habetur, quod tunc temporis in hac electione præcipuas partes haberent *Clerici Cardinales*, uti ſupra ad *diſtinctionem* 23. notavimus. Præterea ibidem notatum fuit, novam formam electionis Romani Pontificis præſcriptam fuiſſe per Nicolaum II. ad præveniendum ſchiſma; idque occaſione Epiſcopi Veletrenſis, qui citra electionem Cardinalium & Clericorum in Sedem Apoſtolicam ſub nomine *Benedicti* fuerat intruſus, & poſtea auctoritate Regis Henrici expulſus, uti ibidem latius expoſuimus; ad quem etiam referenda quæ hic a Gratiano citantur *Can.* 9.

Quin in Romanum Pontificem eligi poſſit?

Referuntur deinde nonnulla Decreta ſub nomine Stephani III. quorum primo ſtatuitur: *Ut in Apoſtolatus culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis conſecraretur*: Simile eſt alterum Decretum relatum *Can.* 5. quod utrumque extat apud Labb. *tom.* 6. *Concil. General. col.* 1722. & ſequentibus ex Synodo Romana Stephani IV. edita a Luca Holſtenio.

Tum ſubjiciuntur *col.* 1724. *Sequentia duo capitula ſtatutorum hujus Concilii, quæ refert Anaſtaſius Bibliothecarius in vita ejuſdem Stephani Papæ IV.* His autem capitulis interpoſitis additur: *Stephano P. alia duo capitula adſcribit Gratianus; quorum prius ex Anaſtaſi Pontificali deſumptum alterum vero alicui ex ſucceſſoribus potius tribuendum videtur*.

Prius extat hac diſtinctione Canone 4. quo decernitur, ut *nullus unquam Laicorum, neque ex alio ordine præſumat, niſi per diſtinctos gradus aſcendens, Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad ſacri Pontificatus honorem promoveri*.

Licet ex dictis ſat appareat, Decreta hæc non eſſe extra omnem falſi ſuſpicionem; immo quod legitur apud Gratianum Canone 3. tamquam ex Concilio Stephani Papæ III. *Oportebat ut hæc ſacroſancta Domina noſtra Romana Eccleſia (juxta quod a beato Petro, & ejus ſucceſſoribus inſtitutum eſt) rite ordinaretur: & in Apoſtolatus culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis ordinaretur*: etſi manifeſtam ſuppoſitionem evincat, hoc equidem his Decretis cavetur, ut Pontifex eligatur per Clerum, & ex Clero ipſius Romanæ Eccleſiæ, prout & in aliis Eccleſiis fieri ſolebat: qui Clerus tum temporis *Cardinalium* nomine ſignificabatur, uti latius deduxi in *Jure Eccleſ. Tom. I. parte* 1. *tit.* 22. *cap.* 1.

De edicto Honorii Imperatoris pro extinctione ſchiſmatis in Eccleſia Romana.

Quod autem in fine Gratianus retulit ex Anacleti Epiſtola 2. ad Epiſcopos Italiæ: *Electionem ſummorum Sacerdotum ſibi Dominus reſervavit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus & ſpiritualibus populis conceſſiſſet* non ſapit priſtinam & Apoſtolicam diſciplinam; ſed ſuppoſititias merces Iſidori, quibus hæc Epiſtola ab eruditis adſcribitur.

Quod vero *Can.* 8. refertur ſub nomine Honorii Auguſti ad Bonifacium Papam, de caſu quo duo concertantium temeritate electi fuerint in Romanum Pontificem, quis eorum alteri præferendus ſit, latius exponitur ad diſtinctionem nonageſimam ſeptimam.

DIS-

DISTINCTIO LXXX.

ULTERIUS prosequens Gratianus materiam ordinationum, inquirit hac distinctione, in quibus locis sint præficiendi Prælati Ecclesiæ. Astruit autem sub initium distinctionis, quod non in vicis aut castellis, sed in civitatibus duntaxat Episcopi sint ordinandi (*a*); quod & sub finem distinctionis confirmat ex S. Leone, & Canone Laodiceno 57. in quo per visitatores verisimiliter intelliguntur Chorepiscopi; quibus hodie correspondent Archipresbyteri, seu Decani rurales.

Quod autem initio distinctionis *Can.* 1. & 2. sub nomine Lucii & Clementis Papæ dicitur: *post Christi adventum ab Apostolis in illis civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Episcoporum Primates vel Patriarchas ordinatos fuisse, ad quos Episcoporum negotia (salva in omnibus Apostolica auctoritate) & majores causæ post Apostolicam Sedem sunt reservatæ*: desumptum est ex apocryphis Decretalibus veterum Pontificum, quorum ætate nec dum noverat Ecclesia nomina *Primatum* aut *Patriarcharum* in ministris suis; atque manum pseudo Isidori manifeste præferunt. Interim auctoritate harum falsarum Decretalium tandem circa sæculum X. & XI. jus instituendi novas Metropoles, nec non Ecclesias primatiales cum auctoritate supra Metropolitanos Pontifices sibi asseruisse ostendimus *Tom. I. Juris Ecclesiastici parte* 1. *tit.* 19. *cap.* 2. *tit.* 19. *cap.* 1. *num.* 11.

Ex falsis Decretalibus potestatem instituendi Primates, Patriarchas, &c. sibi asseruerunt.

DISTINCTIO LXXXI.

IN procemio hujus distinctionis ait Gratianus: *Hæc de ordinandis & ordinatoribus, atque de singulorum graduum distinctionibus & officiis dixisse nos sufficiat: verum quia aliquantulum diffusius in his immorati sumus, quædam præcedentibus cohærentia sub epilogo ad memoriam subjiciamus.*

Ordinandus in Episcopum, aut Pastorem Ecclesiæ, debet esse sine crimine.

Et hac quidem distinctione rursus ostendit, quod ordinandus in Episcopum debeat juxta Apostolum esse *sine crimine: ad Tit. c.* 1. *vers.* 7. *Quod, ait, non solum de Episcopis; sed etiam de quolibet electo ad aliquam præposituram Ecclesiæ oportet intelligi.*

Tum profert *Can.* 1. locum Sancti Augustini ex *Tract.* 41. in Joannem: „ Apostolus Paulus quando „ elegit ordinandos vel Presbyteros vel Diaconos, & „ quicumque ordinandus est ad præposituram Ecclesiæ „ non ait, *si quis sine peccato est*: hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur; „ sed ait, *si quis sine crimine est*, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, „ furtum, fraus, sacrilegium, & cætera hujusmodi. „

Hic subjungit Gratianus: *Quilibet itaque horum implicatus ordinari non debet, vel si jam ordinatus, ante tempus, vel post tempus suæ ordinationis aliquid eorum admisisse convincitur, suscepti gradus officio privabitur.*„ Hæc ibidem multis auctoritatibus adstruere conatur; & *Can.* 2. sub nomine Symmachi Papæ redditur ratio hujus disciplinæ: *Nemo recte monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiæ conversatione demonstrat.*

Hujus disciplinæ ratio.

Post hæc profert Gratianus Canonem 9. & 10. Nicænum, in quibus inter alia notandum est, Patres Nicænos exclusisse lapsos in crimen post ordinationem in perpetuum, & exclusisse a functionibus Ordinum, etiam post actam pœnitentiam. Quod & probant auctoritates hic a Gratiano adductæ, nulla in his inter *publica* & *occulta* crimina occurrente distinctione; quam eum contra pristinam disciplinam impendisse ad distinctionem 50. notavi. Videri etiam potest *Jus Eccles. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *tit.* 6. *c.* 2.

Insuper inter auctoritatem a Gratiano relatas occurrunt plures, quæ agunt de retrudendis hujusmodi Clericis in Monasterium ad agendam pœnitentiam, de qua retrusione egi in *Jure Eccles. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 11. *c.* 1. & *c.* 2. hujusce editionis.

A vitio incontinentiæ præcipue debent esse immunes Clerici.

Occasione criminis *fornicationis*, a quo singulariter Clerici immunes esse debent, adfert hic Canones & sententias Patrum, quibus familiaris conversatio & contubernium Clericorum cum mulieribus interdicitur, prolato inter alia *Canone* 25. ex sancto Gregorio *lib.* 7. *epist.* 39. hoc fragmento: „ Legitur, quod beatus Augustinus, nec cum sorore habitare consenserit dicens: „ *Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.* „ Docti ergo viri cautela, magna nobis debet esse instructio. „ De vetito hoc Clericorum cum mulieribus contubernio, quid habeat moderna Ecclesiæ notanter Belgicæ disciplina, exposui in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 3. (*a*)

(a) De locis, in quibus IV. sæculo erigebantur Episcopatus docte disseruit D. Van-Espen *Tom. VII. Schol. in Canonem 6. Sardicensem* ubi etiam observat eruditus Canonista, quod Episcopatuum institutio olim penes Synodos Provinciales extiterit.

DISTINCTIO LXXXII.

SUB initium hujus distinctionis dicit Gratianus. *Generaliter etiam pauperibus, & iis, qui suis manibus laborare non possunt, Episcopus necessaria provideat.* Quantumvis hoc Gratiani assertum sit verissimum, & ab Apostolis & Patribus probatum, & continuo inculcatum, nihil tamen in probationem hujus asserti hac distinctione profertur nisi unicus Canon Synodi Aurelianensis I. reliqua pertinent ad adstruendam Sacerdotum in nova lege continentiam, & quæ pœnitentia Sacerdoti sit imponenda, qui de fornicatione convictus fuerit, idque ex pœnitentiali Theodori, qui, teste Antonio Augustino, primus videtur inter latinos de *pœnitentiis* singulorum peccatorum scripsisse, idque sæculo VII. Pœnitentiale hoc Theodori decimo septimo sæculo evulgavit Jacobus Petitus, atque eruditis notis illustravit, adjunctis plurimis antiquitatis monumentis ad eamdem materiam spectantibus: de hoc, aliisque antiquis libris pœnitentialibus in particulari tractatu ad calcem epitomes Canonum discurrit Antonius Augustinus, ibidemque monet, etiam hodie usum & notitiam horum librorum admodum utilem esse Confessariis, ut pro qualitate criminum pœnitentias & remedia peccatorum imponere queant, uti & notavi in *Jure Eccles. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *tit.* 6. *cap.* 3. 4. & 5. & in supplemento *ad tit.* 6. partis secundæ *cap.* 4.

Pauperum curam habere debet Episcopus.

De pœnitentia Sacerdoti ob fornicationem imponenda.

Utilitas librorum pœnitentialium.

DISTINCTIO LXXXIII.

GRATIANUS quasi iterato inculcare volens, quod Episcopum oporteat esse *sine crimine* dicit hac distinctione: *Providendum quoque esse, ne is qui ad ordinandum eligitur, etsi a proprio vitio videatur alienus, consentiendo alienis inquinetur.* Nam, ut ait *Canone* 3. *Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.*

Episcopus a consortio alienorum criminum etiam immunis esse debet.

Ne autem ob hujusmodi vitium contemnatur prædicatio Pastoris, monet in fine Gratianus: *Quamquam Sacerdotem tam a suis quam ab alienis criminibus oporteat esse immunem; tamen si aliorsum sese habuerit, non ideo verba suæ prædicationis debent contemni. Sicut enim Hieronymus ait: ut lixivium per cinerem humidum fluens lavat & non lavatur; ita bona doctrina per malum doctorem animas credentium lavat a sordibus peccatorum.*

DISTINCTIO LXXXIV.

GRATIANUS distinctione octuagesima secunda monuerat, Episcopum debere esse liberalem in pauperes, quod latius prosequi volens huic distinctioni hoc summarium præfigit: „ Sollicitum quoque & vigilantem oportet esse Episcopum circa defensionem *pauperum*, relevationem *oppressorum*, tuitionem *Monasteriorum*: quod si facere neglexerit, aspere corripiendus est. „ Hanc distinctionem in quatuor partes dividit. In prima probat Episcopum debere esse sollicitum ac vigilantem circa defensionem *pauperum*, revelationem *oppressorum*, & tuitionem *Monasteriorum*, prolatis *Canone* 1. & 2. in hanc rem duabus sententiis S. Gregorii, quæ in novissima operum editione reperiuntur in *Epist.* 36. & 37. *lib.* 13. quæ merito legentur, & serio attendentur per Episcopos & Ecclesiarum Prælatos, ac Pastores; atque ex illis intelligent, quam grave existimaverit S. Gregorius, quod Episcopi in his sint desidiosi.

Episcopus debet esse defensor pauperum, & oppressorum.

Secunda parte monet: *Quod de munditia castitatis Sacerdotibus imperatur, hoc etiam de quibuslibet altari servientibus intelligendum esse*: prolatis *Can.* 2. ex secunda Synodo Carthaginensi, & *Can.* 3 ex Synodo V. Carthaginensi, qui Canones occurrunt in Codice Ecclesiæ Africanæ *Can.* 3. & 25. ex quibus colligitur in Africa circa continentiam Clericorum variam fuisse, pro varietate temporis, disciplinam; atque idcirco de hac materia plures Canones editos fuisse (*b*).

De continentia quorumlibet altari servientium.

Tertia parte distinctionis ait Gratianus; „ Similiter „ quod monogamus Episcopus esse jubetur, etiam ad „ reliquos ordines Ecclesiasticos derivari oportet, citato unico fragmento ex Epistola Siricii Papæ ad „ Himerium cap. 11. „

De bigamia vetita omnibus Clericis.

Parte quarta ait: „ Presbyterorum vero nomen, „ quamquam a *senectute* sit sumptum, magis tamen „ *maturitatem* indicat *sapientiæ*, quam canitiem corporis: „ citat hic verba ex pseudo-Epistola 2. Anacleti,

Unde nomen Presbyteri?

(a) Quid vero olim in Ecclesia de Contubernio Clericorum cum mulieribus IV. sæculo statuerit Ecclesia, a doctissimo Van-Espen supra expositum fuit *Tom. VI. Schol. in primum & tertium Canonem Nicænum*. Quid vero observatum sit XIII. sæculo inferius docet hoc *Tom. VIII. in observat. in Canones Concilii Lateranensis IV. observat. in cap.* 9. *de cohabitatione Clericorum & Mulierum.*

(b) Consule quid D. Van-Espen *Tom. VII.* docuerit *Scholiis in Can.* 3. & 25. *Codicis Ecclesiæ Africanæ*, hujusce editionis.

cleti, sed Isidori Hispalensis verba esse notat Labbæus in nota marginali huic Epistolæ apposita *tom.* 1. *Concil. General.* unde rursus habemus, confictorem harum Decretalium plura ex SS. Patrum scriptis desumpsisse, ut suis confictis mercibus fucum pristinæ antiquitatis obduceret.

DISTINCTIO LXXXV.

Ordinari non debet in Episcopum, qui in pauperes non est misericors.

GRATIANUS volens compendiose referre qualitates in Episcopo per Apostolum requisitas, hac distinctione rursus asserit, quod *hospitalitas* usque adeo Episcopis sit necessaria, ut si ab ea inveniantur alieni, jure prohibeantur ordinari; profert unicum sat prolixum fragmentum ex *lib.* 12. S. Gregorii *Epist.* 6. in qua circa varia puncta scribit Joanni Episcopo, inter quæ id unum occurrit hanc materiam spectans, scilicet, ut de quodam Archidiacono electo in Episcopum Anconitanæ Ecclesiæ, quem dicebant ita *tenacem existere, ut in domum ejus amicus ad charitatem nunquam introeat*, inquirat; Si ita se veritas habeat, & utrum „ ex necessitate, an ex tenacia talis sit, " Notum est, hanc qualitatem coincidere cum liberalitate in pauperes, atque hospitalitatem juxta Apostolum esse annumerandam operibus misericordiæ; atque ita id unum hic post Apostolum asserere voluit Gratianus, ordinandum Episcopum oportere esse misericordem in pauperes *hospitalem, benignum*. Epistola ad Tit. *cap.* 1. *vers.* 8.

DISTINCTIO LXXXVI.

Episcopum oportet esse doctorem, sive aptum alios instruere.

HAc distinctione probare vult Gratianus: *Doctorem Episcopum oportere esse, ne inferiorum culpæ in eum refundantur, qui docendi officium accepit, quod exequi nescit vel negligit*: uti loquitur in procemio distinctionis.

Hanc distinctionem dividit in octo partes, quarum prima asserit, Doctorem Episcopum esse oportere, ne inferiorum culpæ in eum refundantur, prolata notanda hac S. Leonis sententia: *Inferiorum culpæ ordinum ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides, negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem* (in Epistola S. Leonis, necessariam) *dissimulant adhibere medicinam. Attendendum etiam ejusdem Pontificis monitum relatum Canone* 2. *Odio habeantur peccata, non homines; corripiantur tumidi: tolerentur infirmi: & quod in peccatis severius castigari necesse est, non sævientis plectatur animo, sed medentis.*

Quomodo Episcopus subditorum vitia redarguere debeat?

Si autem in corripiendo quis modum excesserit, non a subditis, sed a Domino veniam petat Prælatus: uti in secunda parte monet Gratianus, prolato loco S. Augustini: Quando necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut ab iis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subditos, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas; sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plus justo forte corripitis, quanta benevolentia diligatis. Regula sancti Augustini c. 9.

Episcopus debet in sacris litteris præcipue esse versatus.

Tertia hujus distinctionis parte dicit Gratianus: *Quod in doctrina sacræ Scripturæ auctoritatem debet Episcopus præferre, non sæcularium litterarum peritiam ostentare. Non enim Episcopalis officii est Grammaticam exponere, ne laudes Jovis personent ore Pontificis*; Id confirmans testimonio S. Gregorii *lib.* 9. *Epist* 48. ubi scribit Desiderio Episcopo, quod admodum dolenter audierit, quodque sine verecundia memorare non possit, scilicet ipsum *quibusdam Grammaticam exponere.*

Hic notat glossographus, quod Gregorius Grammaticam *hic appellet scientiam auctorum, quodque recitaret etiam in Ecclesia fabulationes Jovis, & eas moraliter exponeret in prædicatione sua*. Quamvis hæc reflexio non sit contemnenda, tamen inspecto textu S. Gregorii, nequaquam obscurum est, illic reprehendi Episcopum, quod divino cantui immisceret hujusmodi profanas Grammaticorum fabulationes; subjungit enim: *Quia in uno se ore cum Jovis laudibus, Christi laudes non capiunt: & quam grave nefandumque sit Episcopis canere, quod nec Laico religioso conveniat, ipse considera.* Utinam ad hoc attenderent, quibus divinarum laudum in Ecclesiis cura incumbit; itemque Ecclesiastici, qui litteras humaniores profitentur.

Divino cantui fabulosa non miscenda.

Quarta parte distinctionis asserit Gratianus *Liberalem quoque necessitatem patientibus Sacerdotem esse oportet; alias autem vacuum portabit nomen Episcopi.* Probat id auctoritate sancti Gregorii *lib.* 5. *Epist.* 29. in qua scribit, quod cum quosdam senes mendicantes interrogasset, quid accepissent a Mariniano Episcopo, illos respondisse, *nihil*; eumque dixisse, *nihil habeo quod vobis dare possum.*

Liberalem in pauperes oportet esse Episcopum.

His subjungit Gregorius: *Et miror, si is, qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare, non habeat. Deinde addit hæc, quæ apud Gratianum; præcedentibus omissis, extant; Dic ergo ei* (Mariniano) *ut cum loco mutet & mentem; non sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, & de manu minime fructificare; sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat, quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.*

Post hæc quinta parte post *Canonem* 6. multis auctoritatibus Gratianus ostendit, quod in ipsa liberalitate modus adhibendus sit rerum & personarum, ut scilicet expendatur quod & in quibus donetur. Primum ostendit, histrionibus & venatoribus non esse dandum: „ Nam, ut ex Augustino ait *Canone* 8. qui venatori„ bus donant, quare donant? dicant mihi quare donant „ venatori? hoc in illo amant, in quo nequissimus est, „ hoc in illo pascunt, hoc in illo vestiunt: ipsam „ nequitiam publicam (alias *publicant*) spectaculis om„ nium: qui donant histrionibus, qui donant aurigis, „ qui donant meretricibus, quare donant? numquid „ non & ipsi hominibus donant? non tamen ibi atten„ dunt naturam operis Dei, sed nequitiam operis hu„ mani. Plura in eamdem rem adducit ibidem ex S. Ambrosio, quibus ostenditur, quæ mensura, & quis ordo in dandis eleemosynis sint servanda.

De modo in ipsa liberalitate servando.

Sexta parte post *Canonem* 22. docet: *Similiter etiam oportet, Episcopum non esse* percussorem, *id est non ad vinaictam facilem*. Hanc in rem duo sat notanda monita S. Gregorii contra nimiam asperitatem & duritiam Episcoporum recitat *Canone* 23. & 24.

Episcopum oportet non esse percussorem.

Post hæc *parte* 7. dictum præcedenti parte quasi explanans ait: *Percussor esse probibetur, ne videlicet propriis manibus aliquem cædat*. Profert eam in rem Canonem sub nomine Concilii Agathensis; sed in eo Concilio non haberi notant Correctores Romani. Interim de hoc puncto vide *Jus Eccles. Tom. IV. p.* 3. *t.* 11. *c.* 1.

Octava denique distinctionis parte ait: *Probibetur etiam Episcopus turpis lucri esse cupidus, ne aliquo inhonesto negotio victum, vel cætera sibi necessaria quærat, quod generaliter de omnibus divino cultui mancipatis, id est clericis & monachis, intelligi oportet.* Citat hic Canonem 3. Chalcedonensem, qui a Patribus hujus Concilii conditus est ad suggestionem Martiani Imperatoris; atque unice in id collimat, ut Clerici *Deo militantes negotiis sæcularibus se non implicent.* 2. ad Tim. *cap.* 2.

Neque turpis lucri cupidum.

DISTINCTIO LXXXVIII.

Episcopi protectionem viduis & pupillis debent impendere.

QUIA ostenderat Gratianus in præcedentibus liberalem oportere esse Episcopum, pergit hac distinctione ostendere, quod " viduis & orphanis, Ecclesiæ „ præsidium implorantibus, Episcopi debeant adesse, „ & contra improborum violentias protectionis patro„ cinium eis negare non debeant.

Plura hanc in rem hic adducuntur notanda; atque inter cætera *Canone* 1. ex Gelasio; " Licet omnibus de „ nobis sperantibus non debeamus in quantum possu„ mus nos denegare; plus tamen viduarum & orpha„ norum causas, & impensius duximus exequendas; „ quas tueri a nobis vel ab omnibus divina manife„ stat assertio ". Plura sub nomine hujus Pontificis referuntur notanda *Canone* 2. 3. & 4.

Occurrit etiam hic notandus Canon 53. Synodi Arelatensis II. relatus hic *Canone* 9. de infantibus expositis ante Ecclesiam; diciturque: " Si expositus ante „ Ecclesiam, cujuscumque fuerit miseratione collectus, „ contestationis ponat Epistolam, ut si is, qui collectus „ est, intra decem dies quæsitus agnitusque non fue„ rit, securus abeat, qui collegit ". De intellectu hujus & similium Canonum, necnon constitutionum Imperialium eis conformium, vide notas Jacobi Gothofredi ad *tit. Codicis Theodosiani de infantibus expositis*, ubi & varietatem disciplinæ quæ in hoc articulo fuit, breviter annotat & exponit.

De infantibus expositis.

DISTINCTIO LXXXVIII.

Vetantur Clerici lucri gratia se negotiis sæcularibus intricare.

EX dictis præcedenti distinctione infert Gratianus in procemio hujus distinctionis: *Probibentur ergo Clerici cupiditatis negotia suscipere, non pietatis curam viduis & orphanis impendere.*

Hanc conclusionem multis asserit hac distinctione: nonnulla autem inter hæc occurrunt apocrypha, atque inter cætera relatum Decretum *Canone* 1. sub nomine Melchiadis Papæ, quod confictum agnoscunt eruditi, & non obscure fatentur Correctores Romani, quorum nota merito attendenda, uti & nota ad Canones 11. & 12. in quibus sub nomine Chrysostomi prolixa referuntur fragmenta, quæ non esse S. Chrysostomi, sed auctoris *operis imperfecti* ibidem notatur; eumque errorem apud Gratianum sæpius occurrere monent.

Interim plura de vitanda cura negotiorum sæcularium per Episcopos notanda proferuntur. Contra Clericos negotiatores inter cæteras auctoritates, notatu dignum est hoc dictum S. Hieronymi relatum *Canone* 9 *Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge*. Item illud S. Cypriani relatum *Canone* 14. *Neque apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum preces, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit avocare.*

Negotiatio Clericis interdicta.

DIS-

DISTINCTIO LXXXIX.

Oportet Episcopum domui suæ esse bene præpositum.

GRATIANUS prosequens exponere qualitates per Apostolum in Episcopo requisitas, hac distinctione exponere vult eam, quam his verbis, *domui suæ bene præpositum*, expressit Apostolus 1. *Epist. ad Tim. cap.* 3. *vers.* 4. uti significavit in prooemio distinctionis: " Domui quoque suæ, ait, oportet Episcopum „ bene esse præpositum, ut quædam inde quodammodo „ futuræ dispensationis argumenta sumantur ". Additque: " in dispensatione vero Ecclesiæ hanc regulam „ observandam noverit, ut nulli quantumvis exercitatæ personæ duo simul committat officia, neque sæcularibus viris res Ecclesiasticas gubernandas committat ".

Duo officia uni eidemque non committenda, & quare?

Prius probat auctoritate S. Gregorii; cujus verba hic relata non extant in aliqua hujus Pontificis Epistola, aut opere; sed recitantur a Joanne Diacono in ejus vita, tamquam ab ipso Gregorio prolata, uti narrant Correctores Romani; *Sicut enim*, *ait Gregorius* Canone 1. *varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat, ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa, & fortitudinem & venustatem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat*. Vide in hanc rem dicta in *Jure Eccl. Tom. III. part.* 2. *sect.* 3. *t.* 3. *c.* 1. ubi ostenditur, hoc titulo vetitam quoque esse beneficiorum pluralitatem.

De œconomis, per quos res Ecclesiæ administrentur.

Hac distinctione agit etiam Gratianus de *vicedominis*, sive œconomis ab Episcopis constituendis, qui rerum temporalium curam habeant, de quibus vide *Tom. VII. Schol. in Can.* 26. *Calcedonensem*, ubi ostenditur, quare adeo sollicite voluerint Patres, ut res Ecclesiæ per œconomum, non ex domesticis Episcopi, sed e Clero Ecclesiæ assumptum dispensarentur, de licentia tamen & scitu Episcopi.

DISTINCTIO XC.

Episcopum non oportet esse litigiosum: & quare?

IN prooemio hujus distinctionis, ait Gratianus: *Litigiosus quoque prohibetur ordinari: quia qui sua potestate discordantes ad concordiam debet attrahere, qui oblationes diffidentium prohibetur recipere, nequaquam litigandi facilitate alios ad dissidium debet provocare*.

Discordantium oblationes olim non recipiebantur.

Hic agit potissimum Gratianus contra discordantes Clericos & Laicos, eorumque oblationes in altari non recipiendas, & ab Episcopis, etiam adhibitis pœnis ecclesiasticis, ad concordiam revocandos ostendit; relatis eam in rem pluribus Canonibus Concilii vulgo Carthaginensis IV. intermixtis etiam nonnullis apocryphis, & sub nomine Synodi VIII. quæ fuit S. Basilii, uti observant Correctores Romani, qui error frequenter occurrit apud Gratianum.

Officium Episcoporum est procurare discordantium concordiam.

Non dubium, quin officium & obligatio Episcoporum sit, non tantum Clericos, sed etiam fideles Laicos, tamquam spirituales eorum patres ad pacem & concordiam exhortari, & quantum in ipsis est inducere; sed eosdem ad concordiam invitos per censuras, aliasque pœnas cogere hodierna disciplina non admittit; sed tam Clericos quam Laicos convenire nolentes ad sua respective tribunalia remittit, signanter si quæstio, sive controversia ac discordia sit de privatis inter partes negotiis. In id tamen incumbant Episcopi & Pastores; ut persuadeant fidelibus, ut in hisce quæstionibus proximi dilectio servetur, omnisque animi aversio abstit (a).

DISTINCTIO XCI.

Clericus, cui necessaria desunt, de labore manuum vivat.

QUID hac distinctione intendat Gratianus aperit procemium: *Qui autem turpi lucro vel inhonesto negotio victum sibi quærere prohibetur, de oblationibus Ecclesiæ stipendia consequatur; quod si Ecclesia ei sufficere non potuerit, proprio artificiolo vel agricoltura (exemplo Apostoli, qui de labore manuum vivebat) sibi necessaria inveniat: ita tamen ut occasione sui operis, vigiliis Ecclesiæ non desit, quod absque inæqualitate sui corporis nulli impune conceditur*.

Utrumque auctoritatibus nonnullis adstruit, signanter *Can.* 2. profert Decretum sub nomine Concilii Nannetensis. Porro circa hoc Decretum notat Baluzius, in citatione non convenire Gratiani antiquas editiones, immo in aliquibus antiquis exemplaribus hunc Canonem non extare in Decretalibus Gregorii IX. uti & in antiqua Decretalium collectione apud Antonium Augustinum: sub *t. de celebratione Missarum* refertur ex Concilio Agathensi; sed utrobique male, uti monet Baluzius, qui notat eum esse desumptum ex Capitulis Hincmari Rhemensis *t.* 3. *c.* 9.

Profert dein in hujus probationem nonnullos Canones sub nomine & auctoritate Synodi vulgo Carthaginensis IV. monent autem Correctores Romani *Can.* 4. ex multis capitibus hujus Synodi non suo ordine dispositis conflatum.

Cæterum haud obscurum est, hos Canones & Decreta potissimum respicere disciplinam ætatis, qua nondum tituli beneficiorum erant erecti; atque ita quodammodo dependebat ab arbitrio Episcoporum & œconomorum, quid singulis Clericis ex oblationibus, aliisque proventibus Ecclesiasticis subministraretur.

DISTINCTIO XCII.

DISTINCTIO hæc plura miscellanea parum inter se cohærentia continet, eaque in quatuor partes divisa.

Divinum officium quo modo persolvendum.

Cum præcedenti distinctione dictum esset, quod Clerici officium divinum assidue frequentare jubeantur, hac distinctione videtur velle ostendere, quomodo persolvi debeat; unde mox subjungit: *Cum autem ad Ecclesiam venerint, corde magis quam voce Deo cantandum meminerint*: prolata auctoritate S. Hieronymi; qui modum cantandi & psallendi his verbis describit. Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino! *audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus in Ecclesia est psallendi officium: Deo non voce, sed corde cantandum, nec in tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine collinendas, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica*. De quo vide *dissertationem de Horis Canonicis Tom. V. c.* 6 ubi late ostenditur, quo spiritu Horæ Canonicæ a Clericis sint persolvendæ: & in *Jure Eccles. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *tit.* 5. *cap.* 9. notantur abusus a musicis & canentibus in Ecclesia committi soliti; in quos merito Episcopi & Prælati Ecclesiarum invigilant; quibus & addi posset præcellens liber, evulgatus sub titulo, *Traitè sur la Priere publique*: cujus auctor D. Duguet pietate & scientia notissimus est.

Qui abusus in musica vitandi.

An, & quo sensu prohibeantur Diaconi in Ecclesia cantare.

Post hæc ex S. Gregorio asserit Gratianus *quod, ab officio cantandi & psallendi Diaconi inveniantur exempti; ne dum vocis modulationi studeant, altaris ministeria negligant*. Si legatur *Epist.* 44. *l* 4. unde hic textus Gregorii videtur desumptus, apparebit, expressionem Gratiani esse nimium generalem, sensumque Gregorii seu Synodi Romanæ duntaxat esse, ne Diaconi a prædicationis officio, prætextu modulationis retrahantur.

Hoc Decretum cum aliis ejusdem Synodi in novissima editione operum S. Gregorii extat in appendice Epistolarum hujus S. Doctoris *col.* 1288. meritoque consulendæ notæ huic Decreto adjectæ.

A quibus Ordines conferendi.

Secunda parte hujus distinctionis ait Gratianus: *A quibus ordinandos oporteat esse immunes, breviter monstratum est; de quorum vero manibus Ordines suscipere debeant, facile patet; Sacerdos enim & cuncti infra ipsum constituti ab Episcopis suis debent ordinari*.

In hujus probationem adfert unicum Canonem 15. Laodicenum ex versione Martini Bracarensis; Non licet in pulpito psallere aut legere, nisi qui ab Episcopo lectores sunt ordinati ". De hoc consule *Tom. VI. Schol.* in hunc Canonem, ubi ostendi, per hunc Canonem, Laicos sive populum a psallendo in divino officio nequaquam fuisse exclusum. Cæterum ex hoc Canone, prout hic refertur, in quo expresse decernitur, quod nulli possint psallere in pulpito, qui non sint *lectores ordinati ab Episcopo*, concludit Gratianus, quod etiam minores ministri ab Episcopo debeant ordinari, de quo quid habeat moderna disciplina; vide *Jus Eccles. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *t.* 9. *c.* 2.

Quid agendum ordinatis ad certas Ecclesias, dum ad eas accedere impediuntur.

Tertia parte quæritur de his " Qui ordinati, a parochiis suis non recipiuntur; vel pro aliqua causa „ eas adire noluerint, an in alterius parochia Episcopale officium possint celebrare ". Pro resolutione hujus quæstionis citantur duo Canones tamquam Concilii Antiocheni, sed notandum Gratianum *unicum* duntaxat Canonem 18. Antiochenum referre, tametsi illum ut *duos* distinctos Canones hujus Synodi referat; non adventus esse eumdem Canonem, sed ex diversa lectione sive versione; nimirum ex versione Martini Bracarensis, uti illum recitat Can. 4. & ex versione Dionysii Exigui *Can.* 5. Id unum hoc Canone statuitur, ut Episcopus ordinatus ad certam Ecclesiam seu parochiam, si ex justa causa ad eam accedere nequeat, debeat quiescere, nec officium Pastorale seu Episcopale in aliena Ecclesia suscipere, nec aliquid in ea agere, quoadusque imperfecta sive plenaria Synodo suæ Provinciæ fuerit judicatum & declaratum quid agere debeat.

Quomodo punienda negligentia Clericorum in frequentandis divinis officiis?

Quarta parte, quasi ad præcedentem distinctionem rediens, dicit: *Quod autem supra Clerici se vigiliis subtrahentes excommunicari jubentur, de his intelligendum est, qui ab Episcopo frequenter admoniti negligentiam suam corrigere contemnunt*.

Citatur unicus Canon sub nomine Concilii *Martini Papæ*, qui est Canon 5. Concilii Toletani, relatus in collectione Martini Bracarensis *cap.* 64. qui error apud Gratianum frequenter occurrit, ut supra monui.

Etiam hic videmus rursus, nullum pene Ordinem aut materiæ connexionem a Gratiano servari.

Cæterum de obligatione Clericorum, notanter Canonicorum, frequentandi vigilias, aliaque divina officia, & de pœna, qua negligentes sint puniendi & cogendi

(a) De litibus seu contentionibus, quæ inter Clericos nascuntur, dirimendis hæc habet D. de Hericourt in Analysi Decreti Gratiani. *Suivant la Jurisprudence observée depuis plusieurs siecles, les contestations d'entre les Clercs, qui ne prennent point la voie de la transaction ou du compromis sont jugés par l'Official*.

gendi juxta modernam diſciplinam, præſertim quoad Canonicos extra vitam communem viventes, quos *ſæculares* dicimus, videri poſſunt deducta *Tom. V. in Diſſertatione de inſtituto & officio Canonicorum* & in *Jure Eccleſ. Tom. I. part. 1. tit. 7. c. 6. 7. 8. & ſequent.*

DISTINCTIO XCIII.

De obedientia inferiorum debita ſuperioribus.

SUMMARIUM hoc diſtinctioni huic præmittit Gratianus: *Obedientiam autem inferiores ordines ſuperioribus debent: ſummo enim Pontifici ea debetur ab omnibus obedientia, ut nulli liceat ei communicare, cui pro actibus ſuis inimicus ipſe extiterit: nec in Eccleſia eſſe poterit, qui ejus cathedram deſerit.*

Aſſertum falſum Gratiani de Pontifice.

Quoad priorem partem aſſerti Gratiani, certum eſt illam falſum eſſe, prout ab eo ita generaliter exprimitur: admodum veriſimile eſt, lapſum eſſe Gratianum auctoritate fragmenti pſeudo-Decretalis relati *Canone* 1. ſub nomine Clementis I. quo hoc aſſertum Gratiani probari videtur, eique hanc epigraphen præfixit Gratianus: „ Cui pro actibus ſuis Apoſtolicus inimicatur communicare non debemus ". Quis enim dubitet, quin de Romano Pontifice æque ac de aliis Pontificibus dictum ſit, Epiſt. ad Heb. *cap. 5. verſ. 1. 2. 3. Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus* . . . *quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Quis dubitet, quin & ipſe Pontifex aliqua infirmitate, ſeu humana quadam paſſione commotus injuſte poſſit alicui inimicari? quod & pluribus Romanis Pontificibus, etiam prioribus ſæculis contigiſſe, & quidem adverſus ſanctiſſimos viros, nemo negaverit.

Porro Canon hic mera farrago eſt conſarcinata e pſeudo-Epiſtolis Decretalibus, ac potiſſimum ex Epiſtola ſuppoſititia Fabiani Papæ, uti in margine & a Correctoribus Romanis notatur, & revera in hac Epiſtola eiſdem pene verbis hoc fragmentum habetur. Hanc autem Epiſtolam eſſe unam ex confictis Decretalibus, hodie compertum eſt.

Non eſt in Eccleſia, qui ejus unitatem ſcindit.

Addit dein poſt *Canonem* 2. *Non eſt in Eccleſia, qui Cathedram Petri non ſequitur*, quod reſpicit partem ſecundam ipſius aſſerti in ſummario; in cujus probationem adducit *Canone* 3. teſtimonium S. Cypriani ex tractatu de *unitate Eccleſiæ*. Evidens eſt autem ex integro contextu S. Cyprianum in hoc tractatu unice voluiſſe adſtruere *unitatem* ipſius Eccleſiæ; quodque in Eccleſia eſſe nequeat, qui hanc unitatem ſcindit, aut ab ea ſe ſeparat; etenim quoad genuinam lectionem circa hæc verba ſub nomine Cypriani a Gratiano relata, magna eſt inter ſcriptores contentio, prout etiam hic indicarunt Correctores Romani.

Non autem quocumque modo a Romano Pontifice diſſentiens.

Cæterum & hoc indubitatum eſt, Cyprianum in hoc ſuo tractatu nullatenus ſignificare voluiſſe illum eſſe extra Eccleſiam, ſive unitatem Eccleſiæ, qui quocumque modo a Romano Pontifice diſſentit, uti innuere videtur Gratianus; ſed qui a corpore Eccleſiæ ſe ſeparat, uti latius oſtendi in *Jure Eccleſ. Tom. IV. part. 3. tit. 5. c. 2.* alias in Supplem. ad eumdem titulum *c. 2.*

Obligatio Epiſcoporum accedendi ad limina Apoſtolorum.

Monet poſt hæc Gratianus ad calcem *Canonis* 3. quod Epiſcopi, qui Apoſtolicæ ordinationi ſubjacent, etiam hanc reverentiam debent, ut ſeſe ſingulis annis Apoſtolorum *liminibus* repræſentent, citato in hujus probationem fragmento *Canone* 4. ſub hac inſcriptione: *Unde Anacletus & Zacharias Papa.*

Falſo hoc fragmentum adſcribi Anacleto norunt eruditi: utpote cujus ætate hæc diſciplina adhuc incognita erat; notatque Antonius Auguſtinus *lib. 2. de emendat. Gratiani Dial. 1.* hæc verba melius ab Anſelmo referri ex Concilio Zachariæ Papæ, & eſſe caput quartum illius Concilii, additque: „ Ego cum verba Gratiani cum verbis Anſelmi contuliſſem, inveni meliorem ſcripturam videri illam Anſelmi, quam vulgarem Gratiani ". Monuerunt quoque Correctores Romani: „ Hunc Canonem eſſe quartum Synodi Romanæ habitæ ſub Zacharia Papa, quæ extat, inquiunt, in Bibliotheca Vaticana, ex qua nonnulla ſunt in hoc Canone emendata "; habetur hodie *tom. 6. Concil. General. col.* 1546. editionis Labb.

Præcipua, ut apparet, *emendatio* facta per Correctores Romanos conſiſtit circa conjunctionem &, quæ apud Gratianum interponebatur inter verba, *Apoſtolicæ Sedi ſubjacent*, atque hæc ſequentia, *qui propinqui ſunt*; qua interpunctione indicare videbatur, quod hoc Decretum non tantum ſpectaret Epiſcopos *ordinationi Apoſtolicæ Sedis ſubjectos*; ſed etiam alios, qui propinqui eſſent: quæ ambiguitas tollitur, omiſſa hac conjunctione &, hac enim omiſſa manifeſtum eſt, ad eos ſolos Epiſcopos ſpectare Decretum, qui *Sedis Apoſtolicæ ordinationi ſubjacent*, & ex his illos duntaxat, *qui propinqui ſunt*. Vide Antonium Auguſtinum loco citato.

Et ſane conſtat, quod tempore ſancti Leonis nulli Epiſcopi ad limina Apoſtolorum certis temporibus accedere tenerentur, præter illos qui ordinationi Epiſcopi Romani ſubjacerent jure Metropolitico, ſeu tamquam Metropolitano, uti notavi in *Jure Eccleſ. Tom. I. part. 1. tit. 15. cap. 2.* admodumque veriſimile eſt, hoc Decretum, prout apud Gratianum cum conjunctione, &, legebatur ante correctionem, huic extenſioni occaſionem & fundamentum ſubminiſtraſſe; ut etiam alii Epiſcopi certis temporibus ad limina Apoſtolorum accedere jubeantur: ac ſignanter hæc Epiſcoporum obligatio generaliter invaluit, poſtquam Epiſcopi, etiam in remotis partibus, confirmationem & inſtitutionem, a Romano Pontifice accipere debuerunt, atque propterea reputati ſunt ordinationi Romani Pontificis ſubjacere.

Notum quoque eſt *Jure Eccleſiaſtico* loco citato, quod Epiſcopi ætate S. Leonis, bis in anno accedere tenerentur, ut cum Pontifice tamquam eorum Metropolitano Synodum celebrarent, conformiter ad Decretum Synodi Nicænæ.

Minores in Eccleſia majoribus debent ſubeſſe.

In ſecunda diſtinctionis parte adſtruere vult Gratianus, quod reliqui in Eccleſia minores ſemper debeant majoribus ſubeſſe. In hujus aſſerti probationem adducit primo loco *Canone* 5. Decretum pſeudo Synodi ſub S. Silveſtro, de quo capite ſpeciatim monent hic Correctores Romani: „ Caput hoc & apud Gratianum, & in ipſius Synodi editionibus videtur valde mendoſum.

Deinde poſt exhibitum capitis hujus textum ex Burchardo & Ivone rurſus monent, „ Verum ob magnam Codicum varietatem, & propter gloſſas ac doctorum dicta nihil fere in textu mutatum eſt.

Multa apocrypha hic a Gratiano adducta.

Verum & hoc caput, uti & reliqua ejuſdem Synodi, adeo manifeſta præferunt ſuppoſitionis indicia, ut uno eruditorum conſenſu tota hæc Synodus tamquam ſuppoſititia inter putridas pſeudo-Iſidori merces rejiciatur.

Interim cum ex his conſtet, gloſſatores & doctores impendiſſe ſimilia conficti monumenta, mirum videri non debet, quod in multis a Patrum diſciplina receſſerint.

Adducit inſuper Gratianus in dicti ſui probationem plura fragmenta ex falſis Decretalibus primorum Pontificum, ad amplificandam auctoritatem Romani Pontificis in Epiſcopos, & Epiſcoporum in inferiores miniſtros, præcipue adornatis.

De numero Diaconorum.

Intermiſcet & hic Gratianus Canone 2. nonnulla de *ſeptenario* Diaconorum numero, de quo vide *Tom. VI. Schol.* in Canonem 14. Neocæſarienſem.

Eorum ſuperbia reprimitur.

Tertia pars diſtinctionis arguit Diaconorum ſuperbiam, qui Sacerdotibus æquari vel potius præferri ambiebant; de qua plura notavi *Tom. VI. Schol.* in Canonem 18. Nicænum a Gratiano hic relatum *Canone* 4.

Vetantur uſurpare, quæ Presbyteris competunt.

Deinde Gratianus oſtendit, Diaconos deferre debere honorem Presbyteris, nec ab illis horum officium eſſe uſurpandum; de quibus videri poſſunt notata *Tom. VI. Schol.* in Canone 20. & 25. Laodicenos hic a Gratiano relatos Canone 15. & 16.

De variis Diaconorum veſtibus.

Parte quarta, oſtendit Gratinus ex S. Gregorio, Diaconos ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia non poſſe uti *compagis*, vel *mappulis*: notat autem eruditus auctor notarum ad *Epiſt. 28. lib. 7. indict. 1.* S. Gregorii, quod alii *compagos*, alii *compages*: plurimi autem tam MSS. quam editi Codices *compagos* vocent.

Dicit enim Papias: *Compagi calceamenti genus, quo utebantur Diaconi Romani, vel quibus a Pontifice licentia daretur. Mappula*, ait *Alcuinus*, *quæ in ſiniſtra parte geſtatur, qua* pituitam *oculorum & narium detergimus, præſentem vitam deſignat, in qua ſuperfluos humores patimur.* Et Amalarius: Sudarium *ad hoc portatur, ut detergamus ſudorem; in manu ſiniſtra portatur, ut oſtendatur in temporali vita tædium nos pati ſuperflui humoris.* Vide plura apud Cardinalem Bona *lib. 1. Rer. Liturg. c. 24. §. 5.* ubi & notat in locum *mappulæ* ſive *ſudarii* ſucceſſiſſe ſæculo X. hodiernum *manipulum*, qui ſacris veſtibus hodie annumeratur. De voce autem *compagos*, plura adducit prædictus notarum auctor.

Quidquid ſit de ſimilium ornamentorum ſignificatione & forma, non inepte videtur præfatus auctor locis citatis reflexiſſe, controverſiam ſuper hujuſmodi indumentorum delatione ludicram eſſe, cui ſe S. Gregorius, cogentibus Clericis Romanis, *invitus* immiſcuit. Nihil melius eſt circa ſimilium ſacrarum veſtium uſum, quam ſequi ſine affectione Eccleſiarum receptam diſciplinam & praxim.

Diaconorum officium in diſpenſando ſacro calice.

Quinta pars unico teſtimonio ſancti Hieronymi conſtat, quo probare intendit Gratianus, quod *Sicut in miniſterio; ita in diſpenſatione ſine Diacono Epiſcopus non vivat. Hic a ſancto Hieronymo deſcribuntur qualitates Diaconorum; nec non quomodo ipſi debeant Epiſcopo in ſacro miniſterio aſſiſtere, ſignater in diſpenſatione ſive diſtributione* Dominici calicis *populo ea ætate ſub utraque ſpecie communicanti.*

De dignitate Presbyterorum ſupra Diaconos.

Sexta parte rurſus retundit ſupercilium Diaconorum, qui ſe Presbyteris æquare, aut etiam præferre volebant prolato *Canone* 24. altero S. Hieronymi teſtimonio, quo dignitatem & ordinem Presbyterorum ita extollit, ut eos ipſis Epiſcopis pene æquare videatur.

Ut Hieronymus hanc Presbyterorum ſupra Diaconos dignitatem extollat, probat, quod Apoſtoli, ac ſignanter S. Paulus, Presbyteros & Epiſcopos promiſcue pro eiſdem ſumpſerint, atque hinc concludit, quod ſi Diaconi ſe Presbyteris æquent, aut præferant, etiam ſe Epiſcopis æquare aut præferre queant: *Nam, ait, cum Apoſtolus perſpicue doceat, eoſdem eſſe Presbyteros, quos Epiſcopos: quid patitur* (*alias* quis patiatur) *menſarum & viduarum miniſtrum, ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur.*

Hæc tamen dicta de prærogativa Presbyterorum supra Diaconos non procedere monet parte septima ex Canone 7. Synodi quini-sextæ sive *in Trullo*, si locum Diaconus habuerit aut proprii Patriarchæ, aut sui Metropolitani.

DISTINCTIO XCIV.

Pro asserenda a legatione Sedis Apostolicæ adducitur suppostitia Decretalis.

DISTINCTIONE hac primo ostendit testimonio S. Gregorii, quod etiam summus Patriarcha vices suas Subdiacono committere valeat.

Secunda parte, ait; „ Legatum Apostolicæ Sedis quicumque impedierit, usque ad satisfactionem excommunicetur ".

In hujus probationem adducit pseudo-Decretalem Alexandri I. Papæ. Hæc Decretalis licet supposititia, non loquitur de legatis Apostolicis; sed tantum de ea *legatione*, qua Apostolos & Episcopos pro Christo fungi docuit Paulus Apostolus 2. *Epist. ad Cor. c. 5. vers.* 20. perperam igitur Gratianus eam legato Sedis Apostolicæ appropriat, uti notat Antonius Augustinus in notis ad *cap.* 1. Hadriani I. & innuunt hic Correctores Romani: unde & anno 895. Concilium Triburiense *Canone* 9. hæc verba pseudo-Decretalis applicat Episcopis.

Redarguitur dominatus Archidiaconorum in Presbyteros Parochianos.

Parte tertia redarguitur auctoritate Concilii Cabillonensis insolentia Archidiaconorum, qui super Presbyteros Parochianos quamdam exercebant dominationem, & ab eis censum exigebant; „ Quod magis, ait Canon, „ ad *tyrannidem*, quam ad rectitudinis pertinet ordinem.

Utinam hoc Synodale monitum attenderent moderni Archidiaconi, qui auctoritatem quasi Episcopalem quandoque in dominatum, & quamdam tyrannidem, ac turpem quæstum convertunt.

DISTINCTIO XCV.

Obedientia Presbyterorum respectu Episcoporum debet esse filialis.

HAc distinctione videtur Gratianus velle nonnihil moderari, quæ supra de obedientia per Presbyteros exhibenda Episcopis docuerat, uti indicat proœmium distinctionis his verbis; „ Quod autem Sacerdotes „ supra jubentur Episcopis tamquam subditi obedire, „ non ita intelligendum est, quasi non liceat eis præsentibus Episcopis sacra mysteria celebrare (sicut „ Episcopali supercilio quidam ab his volebant Presbyteros prohibere); sed quia Presbyteri Pontificibus „ tamquam filii parentibus debent obedire. Baptizatos „ etiam Chrismate eis tangere conceditur.

Perperam hic redarguit Episcopos Gratianus.

Gratianus hic male generaliter carpit Episcopos; certum enim est, olim non licuisse Presbyteris celebrare præsente Episcopo citra illius jussionem; at Gratianus (prout alibi sæpe) deceptus fuit disciplina sui ævi.

Postremam partem probat auctoritate S. Gregorii *l.* 3. *Epist.* 26. in qua scribit, quod concedat, ut ubi Episcopi desunt, Presbyteri etiam in *frontibus* baptizatos *Chrismate tangere debeant*. Deinde *Canone* 2. profert fragmentum Epistolæ Gelasii I. „ Presbyteros ultra suum modum tendere prohibemus, nec Episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, non conficiendi Chrismatis, non consignationis Pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem ". Dein remittit „ ad Canonem; *Quamvis Chorepiscopis*, *Dist.* 68. qui Gelasio convenire videtur, sed quem falso Leoni I. adscribi notavimus.

An Presbyteris competat potestas conficiendi chrisma, & consignandi infantes in fronte.

Has in speciem contrarias sententias conciliare volens Gratianus, ait ad calcem *Canonis* 2. Sed istud Gregorii pro scandalo semel sedando concessum legitur; „ illud autem Leonis & Gelasii, usu approbare prævaluit, nisi forte ubi aliquorum consuetudo hoc admisit, ut in absentia Episcopi, extrema necessitate „ cogente, ex concessione Gregorii, Presbyteri baptizatos in fronte liniant. Prohibitio vero Leonis & „ Gelasii in eo casu intelligatur, cum Episcopi præsentes sunt, vel cum non cogit ulla necessitas.

Cæterum de auctoritate conferendi Sacramentum Confirmationis per Presbyteros absente Episcopo vide, quæ dicta sunt in *Jure Eccles. Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 3. *cap.* 2. Item notas Benedictinorum Congregationis S. Mauri ad hanc Epistolam, quæ in eorum editione est 26. *lib.* 4.

Episcopus potest ungere infirmos.

Parte secunda asserit Episcopum posse languidos sive ægros ungere Chrismate, sive oleo sacro: tametsi Jacobus Apostolus *Epist. cap.* 5. *vers.* 14. loquens de unctione infirmorum, duntaxat loquatur de Presbyteris. In hujus asserti probationem adducit fragmentum Epistolæ Innocentii I. ad Decentium Eugubinum Episcopum, in qua miratur Innocentius, quod a quibusdam dubitaretur, utrum Episcopi infirmos ungere possent; „ Nam, ait, de Presbyteris dictum est, quia Episcopi „ occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire „ non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut „ dignum ducit aliquem a se visitandum, & benedicere „ & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cujus „ ipsum Chrisma conficere.

Origo disciplinæ conficiendi chrisma singulis annis.

Parte tertia, ait Gratianus, Presbyteros petere debere Chrisma a suis Episcopis ad Baptismi sanctificationem. Hic adducit Canonem 36. vulgo Concilii Carthaginensis IV. ubi & hæc verba leguntur, *sed omni anno*, quæ uti monent Correctores Romani, in aliquot Conciliorum editionibus non habentur, sicut nec occurrunt in editione novissima Conciliorum per Labbæum, licet hæc verba reperiri dicantur in omnibus Gratiani exemplaribus tam manuscriptis quam editis, sicut monet hic Stephanus Baluzius, qui putat simpliciter mendum hic esse, & pro *omni anno*, legendum *omnino*: sed quidni dicamus, hæc a Gratiano addita fuisse auctoritate pseudo-Decretalis Fabiani Papæ, in qua legitur, quod Chrismatis confectio *per singulos annos est agenda*, & *de anno in annum* renovanda, & *fidelibus tradenda*, uti extat apud Gratianum *Dist.* 3. *de Consecrat. Can.* 18.

Interim ex hac apud Gratianum corrupta lectione, verisimiliter profluxit hodierna disciplina, quæ vult *omni anno* renovari *Chrisma*, & reliqua sacra olea.

Presbyteri coram Episcopis verbum Dei prædicare possunt.

Eadem parte agit etiam Gratianus de iis quæ Presbyteris licent; atque inter alia, quod ipsis coram Episcopis liceat *verbum Dei annuntiare*, adductis eam in rem *Canone* 6. verbis S. Hieronymi, quibus acriter invehitur in Episcopos, qui invidia inflati irascebantur, si Presbyteri interdum *exhortarentur plebem*, *si in Ecclesiis prædicent*.

DISTINCTIO XCVI.

Contendit Gratianus Principibus Laicis nullam esse potestatem disponendi circa res sacras.

GRATIANUS distinctione septuagesima nona Canone 8. retulerat Edictum sub nomine Honorii Augusti ad Bonifacium Papam, quo decernitur; „ Si duo contra „ fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex his penitus futurum Sacerdotem; sed illum „ solum in Sede Apostolica permansurum, quem ex „ numero Clericorum nova ordinatione divinum judicium & universitatis consensus elegerit ".

Cum per hoc Edictum videretur Honorius Imperator sibi attribuisse auctoritatem aliquid ordinandi circa ordinationem Romani Pontificis, Gratianus in proœmio hujus distinctionis monet: „ Illud autem Honorii Augusti, quod de electione summi Pontificis supra constituisse dicitur nullius esse momenti probatur, cum „ non solum de ordinibus, sed nec etiam de rebus Ecclesiasticis legatur aliquando Laicis attributa disponendi facultas; unde quæcumque a Principibus in ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus decreta inveniuntur, nullius auctoritatis esse monstrantur.

In hujus asserti probationem adducta vel apocrypha sunt, vel ipsum assertum non probant.

Plura hanc in rem adfert hic Gratianus; atque inter alia, prolocutionem Symmachi Papæ ad Synodum IV. Romanam, ubi lex Odoacris Regis (*a*), qua edixerat, ne absque Regum Italiæ assensu Romani Pontificis electio fieret, nec ulla Ecclesiæ prædia, vel quævis alia bona, etiam mobilia, possent a Pontificibus alienari, in irritum missa est: „ Ne in exemplum remaneret „ præsumendi quibuslibet Laicis, quamvis religiosis, „ vel potentibus, in quacumque civitate, quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, „ quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscusse a Deo „ cura commissa docetur ". Integrum Decretum extat *tom.* 4. *Concil. General. edit.* Labb. *col.* 1334. ejusque fragmentum admodum mendose a Gratiano refertur hic *Canone* 1. uti ex notis marginalibus, & observationibus Correctorum Romanorum constat.

Alia nonnulla recentiora ibidem a Gratiano referuntur, atque inter alia quatuor fragmenta ex Epistola Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem, quæ tota a falsis Decretalibus contexta est, in Pontificiam auctoritatem extollat: nullamque in rebus Ecclesiasticis esse Imperatoris potestatem asserat: interrogatque Imperatorem, ubinam legerit. Imperatores antecessores Synodalibus conventibus interfuisse, nisi forsan in quibus *de fide* tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est. Ita legitur in fragmento relato *Canone* 4.

Textus a Gratiano relatus aliquid divinitatis Romano Pontifici attribuere videtur.

At præ reliquis notandum fragmentum relatum *Canone* 7. *Satis*, in quo hæc leguntur; „ Satis evidenter „ ostenditur, a sæculari potestate nec ligari prorsus, „ nec solvi posse Pontificem, quem constat a pio Principe Constantino (quod longe superius memoravimus) Deum appellatum, cum nec posse Deum ab „ hominibus judicari manifestum sit ".

Quam ejusmodi dicta nociva sint, ostenditur.

Tametsi hodie vix alicui dubium sit, quin hæc a Nicolao tamquam a pio Imperatore Constantino dicta, assumpta sint e ficto donationis instrumento, quod vulgo dicitur *donatio Constantini*, nihilominus a Gratiano relatum, & per Pontifices in Scholis publice juventuti prælegi jussum, occasionem subministravit Sedis Apostolicæ adversariis, & ejus primatus explosoribus, arguendi Romanos Pontifices, quasi *divinitatis* aliquid sibi arrogarent: eorumque sedis adulatoribus, Romani Pontificis primatum & prærogativas adeo extollendi, ut ei non humanos tantum, sed & divinos honores deferre videantur.

Ita videmus inter cæteros e Secta Calvinistarum nominatissimum Jurisconsultum Franciscum Hotomannum in mordacissimo scripto, cui titulus: *Brutum fulmen Papæ Sixti V. adversus Henricum Serenis. Regem Navarræ, & illustrissimum Henricum Borbonium Principem Condæum* c. 2. adducere hunc Gratiani textum, ut adstruat Papam sibi

---

(a) Odoacer Rex Erulorum V. sæculo Italiam suæ ditioni subjecit. Devictus a Theodorico Gothorum Rege anno circiter 493. occisus est.

sibi arrogare *divinitatem*: verba ejus sunt: Papa *Deum* se appellari, & gaudet & gloriatur, *Dist.* 96. *cap.* *Satis*. Ubi scriptum est: *Satis ostenditur a sæculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, quem constat a pio Principe Constantino* Deum *appellatum; cum nec Deum ab hominibus posse judicari manifestum sit*.

Ut autem dictum stabiliat, adducit testimonium cujusdam fœdissimi Papalis adulatoris, scilicet Augustini Steuchi, *patroni*, ait, *Papæ vehementissimi*, & ejusdem Bibliothecarii, qui, ut ipse asserit, in libro de *donatione Constantini*, *p.* 141. hunc Gratiani textum laudans & commemorans ita subjungit: *Audis summum Pontificem a Constantino Deum appellatum & habitum pro Deo, hoc videlicet factum est, cum eum præclaro illo edicto decoravit, adoravit uti* Deum *& Patri successorem*, divinos *honores ei, quoad ejus potuit, contulit, velut vivam Christi imaginem veneratus est* Hæc Steuchus in supra dicto libro, edito Lugduni an. 1547. uti asserit Hotomannus.

De duplici potestate, spirituali & sæculari ex Gelasio.

Quidni & credamus, hunc similesque Gratiani textus induxisse imperitos illos jurisperitos, de quibus jampridem conquestus est Cardinalis, Contarenus, quod assrere non vererentur, *voluntatem Papæ esse regulam, qua actiones ejus dirigerentur*, de quo videri possunt dicta in *Jure Eccles. Tom. I. p.* 1. *tit.* 15. *c.* 5. alias in supplemento *c.* 4. *n.* 18.

Occurrit hac distinctione famosum rescriptum Gelasii Papæ ad Anastasium Imperatorem, in quo legitur: *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas*. Genuinam esse hanc lectionem notat Stephanus Baluzius in notis ad *lib.* 5. *cap.* 319. *Capitularium*, monens corruptam esse lectionem relatam in hoc *c.* 319. ubi constanter ita legitur: duæ sunt quippe, *Imperatrices Augustæ*, quibus &c. De hac corrupta lectione, ejusque primæva origine, late ibidem discurrit Baluzius.

Hoc hic notandum, fragmentum hujus Epistolæ a Gratiano referri quidem sub nomine *Gelasii* Papæ, sed, tamen non esse ex ejus Epistola desumptum; at hic recitari, prout extat in Epistola *Gregorii VII.* notant Correctores Romani, qui Gregorius eam non parum in alium sensum inflexit. Porro de genuino & vero sensu Gelasii videri potest inferius *Tom. IX. hujus edit.* præfatio ad tractatum *de promulgatione legum Ecclesiasticarum, & placito Regio*, ubi ostendi mentem Gelasii fuisse, probare, potestates duas esse omnino a se distinctas; Sacerdotalem & Imperialem, illam mere spiritualem ad salutem æternam procurandam; hanc vero spectare ad huius vitæ pacem, & tranquillitatem, & rectum ordinem conservandum, & procurandum, eumque in finem omnia ordinare, quæ ad id obtinendum conducunt, atque in his etiam Pontifices legitur Imperialibus obtemperare debere.

Donatio vulgo Constantini fictitia est.

Ad Auctoritatem Pontificiam supra sæcularem extollendam refertur hic sub nomine Paleæ *Can.* 13. & 14. fragmentum famosi istius fictitii rescripti Constantini Magni, quo coronam & omnem Regiam dignitatem in Urbe Romana, in Italia, & in partibus Occidentalibus Apostolico concessisse fertur.

DISTINCTIO XCVII.

Constitutio Principis de rebus Ecclesiasticis juxta Gratianum vim non habet, nisi accedente auctoritate Pontificis.

PROSEQUITUR propositum suum Gratianus, & ostendit hac distinctione, Principes sæculares nihil de *rebus Ecclesiasticis*, sua auctoritate statuere posse: Eorumque constituta pro infectis habenda esse, nisi subscriptione Romani Pontificis fuerint roborata.

Hinc ulterius infert; quod Ecclesiæ precibus *Imperator in præsumptores valeat decernere; sicut pro defensione fidei quondam decrevisse leguntur, ne hæc hæretici aliquid nomine Ecclesiæ possiderent: ab ea autem non invitati, de rebus Ecclesiasticis aliquid disponere non habent facultatem* (a).

His præmissis, rursus revertitur ad Edictum Honorii super electione Romani Pontificis; de quo supra distinctione septuagesima nona & præcedente; dicitque quod *Honorius non sua auctoritate, sed sancto Bonifacio supplicante, Ecclesiasticæ quieti consulere, & concertantium ambitionem punire curavit*.

Hanc in rem *Canone* 1. refert supplicationem Papæ Bonifacii *ut constituatur a Principe, quatenus in Urbe Romana nunquam per ambitum ordinetur Antistes*. Extat hæc supplicatio cum hoc summario *tom.* 2. *Concil. General. col.* 1582. edit. Labb.

Huic supplicationi, tum apud Gratianum *Canone* 2. tum in dicto tomo Conciliorum subjicitur rescriptum Honorii Augustini ad Bonifacium Papam I. quo statuit „ ut si denuo Romæ Episcopi ordinati fuerint „ duo, ambo civitate pelantur „.

Adducta a Gratiano non probant ejus intentum.

Verum supplicatio Bonifacii relata, nullatenus probat intentum Gratiani: neque enim ex ea aliud erui potest, quam Bonifacium Honorio Augusto supplicasse, ut sua auctoritate dignaretur prospicere, ne in posterum ex contendentium ambitu schisma in Ecclesia Romana oriretur: nequaquam autem hinc statui potest constitutum Imperatoris a subscriptione aut consensu Romani Pontificis robur accipere debuisse, aut Honorium non sua auctoritate id decrevisse, quamvis supplicante, seu excitante Bonifacio ad constituendum permotus fuerit.

Et sane legitur jampridem, Imperatores Christianos a tempore Constantini plurimas leges de rebus Ecclesiasticis edidisse, etiam super electione & Ordinatione Romani Episcopi, & aliorum, nec tamen earum confirmationem a Romano Pontifice postulatam legimus, uti nec hodie eam necessariam existimant Principes, uti & hic notat eruditus vir de Hericourt.

Incertum & verisimiliter corruptum Decretum Nicolai I. de Legatis sanctæ Sedis.

Secunda parte distinctionis unicum profert Canonem sub nomine Nicolai Papæ, cui præscitur hoc summarium: „ *Sine signatis apicibus* non esse moris Romanæ „ Ecclesiæ undecumque *legationem* suscipere, neque „ mittere „. Ita legitur in vulgatis Gratiani editionibus ante Correctionem Romanam: at Correctores Romani sustulere hæc finalia, *neque mittere*: „ quæ, inquiunt, „ absunt a vetustis, neque conveniunt cum his, quæ se„ quenti capite afferuntur „. Quidni dicatur, ea recentiori manu adjecta fuisse, postquam invaluisset, ut nec Principes Legatum Sedis Apostolicæ suscipere, aut fines regni ingredi paterentur, priusquam litteras legationis ostenderint, seu *signatos apices*. De qua consuetudine in Gallia, aliisque regnis jampridem recepta, videri potest Carolus Fevretius *lib.* 3. *de abusu cap.* 2. §. 6.

Quis sit Nicolaus Papa hujus Canonis auctor, nec Gratianus, nec Correctores Romani indicarunt; asseritque Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emendatione Gratiani Dial.* 13. in Epistolis Nicolai I. nihil de hoc Decreto haberi, illud tamen Joannes Cochlæus reponit inter Decreta Nicolai I. *tit.* 4. *num.* 3 additque, *Ludovico Imperatori*: extat collectio Decretorum Nicolai I. per Cochlæum in 20. titulos distributa *tom.* 8. *Concil. General. col.* 550. editionis Labb. Verum hæc Decreta ex opere Gratiani collecta, non majoris fidei aut auctoritatis sunt, quam reliqua a Gratiano relata, quorum auctoritas & fides aliunde non stabilitur.

Interim ex contextu fragmenti hic relati nequaquam dubium est, illud ad decimum aut undecimum sæculum esse referendum, quando ipsa Sedes Romana ad eam cœpisset elevari, etiam sæcularem eminentiam, ut ad eam Principes suos Legatos mitterent.

DISTINCTIO XCVIII.

IN proœmio hujus distinctionis monet Gratianus: *Multis auctoritatibus monstrata esse, quæ circa ordinandos sint observanda, quæ in eorum electione diligenter sint consideranda: sed quia, ait, veritas rei nonnunquam obscuratur mutatione Provinciæ, decretum est sacris Canonibus, ut* peregrini, *nisi quinque, vel eo amplius suorum Episcoporum fuerint commendati chirographis, non ordinentur*.

Peregrini Clerici non admittendi sine commendatitiis sui Episcopi.

In hujus disciplinæ probationem profert Canonem apocryphum sub nomine Silvestri Papæ generali Concilio præsidentis: item alterum ex Epistola Anastasii Papæ I. (quam adulterinam esse agnoscunt eruditi, & in nota marginali monuit Labbæus *tom.* 2. *Concil. general. col* 1191.) quibus edicitur: „ Transmarinos homines in „ Clericatus honorem nemo suscipiat, nisi *quinque aut* „ *eo amplius Episcoporum chirographis sint designati* „.

Addit & Canonem ex *Epistola* 25. *lib.* 2. sancti Gregorii ad Squillatinum Episcopum, qua simpliciter monetur hic Episcopus *ut passim Afros, vel incognitos peregrinos ad Ecclesiasticos Ordines tendentes nulla ratione suscipiat*.

Subjungit & Canonem 24. Eliberitanum, quo prohibentur ad Clerum promoveri, qui *peregre* fuerint baptizati; eo quod eorum minime sit cognita vita.

His Decretis ex sancto Gregorio, & Synodo Eliberitana relatis conformis est disciplina plurimis Synodorum Decretis roborata, de non admittendis Clericis sine proprii Episcopi *commendatitiis* litteris, de qua disciplina vide dicta in *Jure Eccles. Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 5. *cap.* 9. item *tit.* 9. *cap.* 3.

DISTINCTIO XCIX.

De Primatibus primarum Ecclesiarum hic a Gratiano adducta apocrypha sunt.

PArte prima hujus distinctionis agit Gratianus de Primatibus, hisque deberi obedientiam ab Archiepiscopis probat unico fragmento ex pseudo-Decretali Anacleti Papæ desumpto; hocque integrum repeti a Gregorio VII. *lib.* 6. *Epist.* 35. monent Correctores Romani. Nec mirum: ea enim ætate, earum Decretalium auctoritas nec in dubium revocabatur, & a Romanis Pontificibus ut authenticæ assumebantur, ut sæpius ostendi.

Parte secunda asserit, non vocandos Primates, nisi qui primas Sedes tenent, citato testimonio Aniceti

(a) Non leviorem errorem complectitur illud Gratiani proœmium, quo significat leges, quas de rebus Ecclesiasticis, supplicante Pontifice, condunt Principes, vim suam a Pontificia subscriptione, non ab auctoritate Principis trahere: Pontifex enim, qui Principem rogat, ut legem sanciat, agnoscit in eo potestatem ferendæ legis, eumque ideirco precatur, ut sua potestate Regia utatur. unde fit, ut quoties Ecclesia a Principibus leges de rebus Ecclesiasticis flagitat, toties soleat eos monere, Regiam auctoritatem ad Religionis præsidium fuisse eis divinitus concessam.

Papæ ad Episcopos Galliæ. At norunt hodie eruditi, Decretalem, quæ sub nomine hujus Pontificis extat, & e qua hoc fragmentum est sumptum, esse e fœtidis pseudo-Isidori mercibus, non secus ac Decretalem Anacleti.

Ex his equidem Romani Pontifices asseruerunt sibi auctoritatem erigendi Ecclesias primatiales.

Interim auctoritate harum Decretalium Gregorium VII. aliosque Romanos Pontifices sibi vendicasse auctoritatem instituendi *Ecclesias primatiales*, etiam cum jurisdictione & auctoritate super Ecclesias Metropolitanas ostendi in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 19. *cap.* 2. alias in supplemento *cap.* 1. *num.* 11.

Adjungit his Gratianus Canonem Africanum, quo cavetur, ne primæ Sedis Episcopus vocetur *Princeps Sacerdotum*, vel *summus Sacerdos*, de quo vide *Tom. VII. Schol. in Canonem* 39. *Codicis Africani*.

Romanis Pontificibus attribuendum non est titulus universalis Episcopi.

Tertia parte prædictam prohitionem extendit ad Romanum Pontificem dicens: „ *Universalis* autem nec „ etiam Romanus Pontifex appellatur ". Citat hanc in rem fragmentum Epistolæ Pelagii II. Papæ, quam inter merces pseudo-Isidori reponendam censet Labbæus in novissima Conciliorum editione, & probat R. Papebrochius in Prophylæo Maji.

Huic adjungit Gratianus certius testimonium ex *Epist.* 30. *lib.* 7. *indict.* 1. Sancti Gregorii ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, in qua conqueritur, quod in præfatione litterarum Eulogii ad ipsum, *superbæ appellationis verbum, universalem*, ait, *me Papam dicentes, imprimere curastis*. Quantopere similia superba nomina hic sanctissimus Pontifex exhorruerit, integra Epistola evincit, cui addi possunt *Epist.* 32. 34. 36. & 38. *lib.* 4. in quibus alte conqueritur de usurpato ab Episcopo Constantinopolitano *universalis Episcopi* titulo.

Non dubium quin hic sanctissimus Pontifex non minore zelo eos redarguisset, qui ipsum reipsa universalem Episcopum esse asseruissent, quam qui ei nudum titulum & nomen attribuebant: hinc & ætate Sancti Gregorii multis post ipsum temporibus inauditum fuit, Pontificem Romanum obtinere jurisdictionem Episcopalem in omnibus Ecclesiis; eamque non secus ac proprium Ecclesiæ cuique Episcopum exercere posse: quod sane est idem ac ipsum constituere Episcopum universalem, ut latius exposui *Tom. II. parte* 2 *Juris Eccles. sect.* 1. *tit.* 6. *cap.* 7. alias in supplemento *cap.* 5. *num.* 10.

DISTINCTIO C.

De ornamento, quod hodie vocatur Pallium.

HAc distinctione agit Gratianus de ornamento Archiepiscopali, quod hodie *Pallium* vocatur; multis in hanc rem relatis fragmentis ex Epistolis sancti Gregorii, cujus temporibus usum Pallii in Ecclesia Latina receptum fuisse, atque ad certa tempora usum ejus restrictum constat, uti notavi in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 19. *cap.* 7. Quæ autem Gratianus addit *Canone* 1. sub nomine Pelagii & *Canone* 4. sub nomine Joannis Episcopi parum authentica sunt, uti dictum est *Tom. I. Juris Eccles. part.* 1. *tit.* 19. *cap.* 7. alias in Supplemento *cap.* 5. *num.* 14. atque ibidem notavi Gregorium VII. hæc Decreta tamquam authentica antiquitatis monumenta impendisse, ut argueret Archiepiscopum Rothomagensem, quod contra Patrum constituta attentasset, eo quod ordinationes fecisset ante acceptum Pallium.

Nonnulla apocrypha; a Gregorio VII. ut authentica impensa sunt.

DISTINCTIO CI.

De non ordinandis duobus Metropolitis in eadem Provincia.

TAndem primam operis sui partem claudit Gratianus hac distinctione, unicum Chalcedonensis Concilii Canonem 12. recitans de non ordinandis duobus Metropolitis in una Provincia: pro cujus intellectu consulenda sunt *Scholia* in dictum Canonem Chalcedonensem, *Tom. VII*, hujusce editionis.



BREVIS COMMENTARIUS IN SECUNDAM PARTEM GRATIANI

Hæc secunda pars Decreti Gratiani continet 36. Causas ; & singulæ Causæ suas Quæstiones.

Quid nomine Causæ intelligatur?

PORRO *Causæ* sunt quasi totidem hypotheses, sive casuum positiones ; e quibus varias quæstiones format & proponit, quas frequenter in utramque partem, allegatis Canonibus, aliisque auctoritatibus discutit, suam deinde sententiam depromens.

CAUSA PRIMA.

Casus de Simonia in hac causa propositus.



ROPONIT Gratianus causa prima hunc casum : *Quidam habens filium, obtulit eum ditissimo cœnobio : exactus ab Abbate, & a fratribus, decem libras solvit, ut filius susciperetur, ipso tamen, beneficio ætatis, hoc ignorante. Crevit puer, & per incrementa temporum & officiorum ad virilem ætatem, & Sacerdotii gradum pervenit. Exinde suffragantibus meritis in Episcopum eligitur, interveniente obsequio, & paternis precibus ; data quoque pecunia cuidam ex consiliariis Archiepiscopi consecratur iste in Antistitem, nescius paterni obsequii & oblatæ pecuniæ. Procedente vero tempore nonnullos per pecuniam ordinavit ; quibusdam vero gratis benedictionem Sacerdotalem dedit : tandem apud Metropolitanum suum accusatus, sententiam in se damnationis accepit.*

Quæstio I. Utrum emere spirituale sit peccatum?

Hoc casu proposito septem exinde quæstiones format, atque singulatim proponit & discutit.

Prima ex hoc casu seu causa formatam quæstionem proponit his verbis : *An sit peccatum emere spiritualia?*

Gratianus a proposita quæstione recedit.

Verum advertendum, quod Gratianus frequenter a proposita quæstione recedat, & ad alia divertat, uti vel hæc quæstio ostendit, si enim textus & expressio quæstionis attendatur, id unum quærere videtur Gratianus ; *utrum peccatum sit emere spiritualia?* sit attendantur, quæ in discussione & resolutione quæstionis adducit, apparebit, nihil ab ipso allegari, quo probetur, quod sit peccatum emere spiritualia ; neque eum id adstruere voluisse ; sed supposuisse, emere spiritualia esse peccatum ; & quidem Simoniæ.

Hinc sub initium quæstionis *Can.* 1. profert fragmentum sub nomine S. Leonis, præfixo hoc summario : *Simoniaci gratiam non præstant, quam vendere quærunt.*

Quis sit ille Leo, sub cujus nomine hoc fragmentum hic refertur, non exprimit. Hoc unum notant Correctores Romani : „ Simillima primis verbis hujus capitis habentur in Epistola Leonis I. Nicætæ Aquilejensi Episcopo scripta, quæ est 84. loquens enim de gratia, ait : *Quæ nisi gratis detur, non est gratia, sed merces*. Reliqua apud ipsum non sunt inventa. „

In hac Epistola, quæ in editione Quesnelliana est 129. hoc fragmentum non reperitur ; ut proinde S. Leoni non videatur adscribendum : & verba, quæ hic recitant Correctores Romani, id unum significant ; quod gratia a Deo gratis detur sine præcedentibus meritis.

De gravitate peccati Simoniæ.

Post hæc plures adfert auctoritates, quibus probare nititur, crimen Simoniæ inter omnia crimina esse *gravissimum* ; notatque hic antiquus glossographus, eam fuisse Gratiani de crimine Simoniæ opinionem, atque idcirco hanc partem sui Decreti, in qua de criminibus agere intendebat, ab hoc crimine Simoniæ inchoasse.

Quidquid sit hac de Gratiani opinione ; & an *in se* hoc crimen sit inter omnia *gravissimum* ; hoc nihilominus indubitatum est, esse admodum grave crimen, & Ecclesiæ perniciosissimum, uti ostendi in *Jure Eccles. Tom. III. part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 13. *cap.* 1.

Illud quoque fatendum est, auctoritates per Gratianum adductas evincere, Simoniæ vitium semper fuisse reputatum grave & Ecclesiæ perniciosum ; quamvis negari non possit, inter adducta a Gratiano esse nonnulla mutilata, & aliis auctoribus attributa ; vel etiam in alium sensum a mente auctoris applicata, uti vel ex notis Correctorum Romanorum constat.

Unde petenda gravitas Simoniæ?

Inter alia, notanda verba S. Gregorii subiecta eis, quæ ex ipso refert Gratianus *Can* 4. *Quid scilicet* (*ait Gregorius*) *quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio, sed ille solummodo dignus, qui dare pretium suffecerit.*

Merito hic observanda est nota apposita ad Canonem 10. quem refert Gratianus sub nomine Calixti Papæ cum hoc summario : *nec ordinari, nec promoveri in Ecclesia Dei pecuniam aliquis valet.*

Investituræ Episcoporum olim ab Imperatoribus datæ, ut Simoniacæ arguuntur.

Huic Canoni hæc nota additur : *Est Calixti II. qui paulo ante Gratianum vixit, & aliquot Conciliis a se habitis contra Simoniam, & investituras Ecclesiarum, quas Germanici Imperatores usurpaverant ; multa decrevit.*

Nequaquam obscurum est, quin Correctores Romani hic loquantur de investituris Episcoporum, super quibus sæculo XI. summa fuit contentio inter Romanos Pontifices & Imperatores. Satis insinuant præfati Correctores, has investituras tamquam *Simoniacas* fuisse reprobatas, & ab Imperatoribus Germanicis usurpatas ; uti & prætendebant Gregorius VII. aliique ejus successores. Verum eas nec in specie *Simoniacas*, neque usurpatas, sed sibi ab antiquo, jure regaliæ, competiisse prætendebant Imperatores ; uti latius ostendi *Tom. I. parte* 1. *tit.* 13. *cap.* 4. & 5. (a).

An Simoniaci Sacramenta conferre queant?

Post hæc supponens Gratianus, sufficienter probatum, Simoniæ crimen inter omnia esse gravissimum ; atque Simoniacos æque ac hæreticos & schismaticos esse privatos omni gratia Spiritus sancti, immo esse extra Ecclesiam, discutit late hanc quæstionem : utrum Simoniaci, & hæretici, & similes extra Ecclesiam positi, possint valide & cum effectu Sacramenta administrare? multis autem utrimque auctoritatibus allatis, præsertim S. Augustini contra Donatistas, quibus probat, Sacramenta etiam a malis ministris administrata suum ex virtute Spiritus sancti habere effectum, in his, qui ea digne suscipiunt ; varia distinctione & explanatione Canones in speciem contrarios conciliare conatur : atque præ cæteris notanda distinctio & assertio allata *parte* 6. post *Canonem* 39. qua distinguit Sacramenta *necessitatis*, sive ad salutem necessaria, a Sacramentis *dignitatis*, seu ad salutem non necessariis.

Sacramentum aliud necessitatis, aliud dignitatis : Discrimen inter utrumque.

Illa quæ necessaria sunt, quia, ait, iterari non possunt, cum sint vera, auferri vel amitti non debent ; sed cum pœnitentia rata esse permittuntur : illa vero

Sacra-

(a) Legatur erudita de investituris dissertatio, quæ tom. 1. vitæ Sugeri Abbatis S. Dionysii præmittitur. Dissertatio, & vita Sugeri Gallico idiomate a doctissimo Benedictino elaboratæ sunt.

Sacramenta, quæ sunt dignitatis, nisi digne fuerint administrata; ita ut digni digne a dignis provehantur, dignitates esse desinunt, non ut minuatur veritas Sacramenti; sed ut cesset officium administrandi, vel loco, vel tempore, vel promotione: id est impediatur administratio certo loco, vel in perpetuum, vel ad certum tempus, vel denique ad altiora impediatur promotio.

Sed notari meretur, quod Sacramentum *dignitatis* hic reputet Sacramentum Ordinis; dicatque: *Hoc solum, non solum pro culpa, sed etiam pro infamia interdicitur, & pro imminuta munditiæ suæ, vel extrinsecæ vel intrinsecæ perfectionis prærogativa, ut bigamis, vel viduæ maritis, vel illiteratis, vel corporis qualibet parte vitiatis denegatur: quibus tamen Baptismus, vel Eucharistia non negatur.*

Hæc post *Canonem* 42. ac dein, interposito *Canone* 43. ait: *Sollicite notandum est, quod Sacramentum Sacerdotalis promotionis præ cæteris omnibus magis accurate, & digne dandum vel accipiendum est; quia non ita collatum fuerit, eo desinet esse ratum, sicuti fuerit rite perfectum. Cætera enim Sacramenta, quali que propter se dantur, & unicuique talia fi non procorde vel conscientia accipiuntur. Istud sol ideo necesse pter se solum, sed propter alios datur a; quantum ad est, ut vero corde, mundaque conscie non solum sine se, sumatur; quantum ad alios ve famia propter scanomni culpa, sed etiam sine omni ilitatem non solum ut dalum fratrum: ad quorum at, Sacerdotium datur. præsint; verum etiam ut pro*

An in administratione Sacramentorum aliquid temporale recipi possit?

Canone 99. *& seqq.* probat Gratianus, in administratione Sacramentorum per Sacerdotes, nihil temporale esse exigendum: profertque *Canone* 101. Decretum Concilii Toletani XI. quo severissime interdicitur, ne pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut collatione chrismatis, vel promotionibus graduum pretia, quælibet, vel præmia suscipiantur, addita tamen hac clausula: *nisi voluntarie oblata.*

Porro notant Correctores Romani, quod in Codice Regio absit dictio ista, *nisi*; ita ut in iis casibus voluntarias etiam oblationes prohibeat.

Interim hæ voluntariæ oblationes tandem ad missæ fuere: cui forsan hoc Decretum, prout apud Gratianum legitur, aliquid contulisse potuit. Videri possunt, quæ de his voluntariis oblationibus, & quæ in his cavenda sunt notavi in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 1. cap. 4*

Quandonam committitur Simonia ob munus a lingua?

Agit & hac quæstione Gratianus breviter de triplici munere, cujus interventu Simonia contrahitur: cumque ad calcem *Canonis* 120. ex S. Gregorio retulisset, ipsum ad supplicationem aliquorum acolythum & diaconum ordinasse, monet post *Canonem* 122. quod *non* quorumlibet precibus *ordinationes factæ falsæ dijudicentur; sed hæ demum* (ait) *quæ precibus ordinandi, vel ejus amici, non spirituali, sed carnali affectu porrectis fiunt; cum alias futuræ non essent, quas non charitas interveniens, sed ambitio supplicans extorquet.*

Quæst. II. Utrum pro ingressu monasterii pecunia exigi possit?

Quæstione secunda quærit Gratianus: *An pro ingressu monasterii pecunia sit exigenda, vel exacta persolvenda?*

Intermiscet autem & hanc quæstionem: *An quibus sua sufficiunt, Ecclesiæ alimentis sustentandi sint?*

Qui divites de Ecclesiæ proventibus possint accipere, & qui non?

Posteriorem difficultatem ad calcem Canonis 7. hac distinctione solvit; scilicet *non prohiberi ab Ecclesia suscipi illos, qui quondam fuerant divites; postea vero omnia reliquerunt, ut Petrus, & Matthæus, & Paulus, aut pauperibus distribuerunt, ut Zachæus, aut Ecclesiæ rebus adjunxerunt, sicut illi, qui prædia sua vendentes ponebant pretia ante pedes Apostolorum, ut essent omnia communia: sed illi, qui in domibus parentum residentes, vel sua relinquere nolentes, Ecclesiasticis facultatibus pasci desiderant.*

Hanc suam distinctionem probat præcipue Gratianus auctoritate Juliani Pomerii *de vita contemplativa*, quem credidit fuisse *Prosperum*, & plura ex his libris sub nomine *Prosperi* adducit.

Adducit & *Can.* 6. fragmentum Epistolæ Hieronymi ad Damasum Papam, quam ut suppositam passim rejiciunt eruditi, ut supra notavimus. Sententia tamen hic relata, vera est, & in Concilio Aquisgranensi anno 816. probata, uti ostendimus in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 4. tit. 1. cap. 5.* & pluribus hanc sententiam adstruximus.

Simoniacum est aliquid exigere ab ingredientibus Religionem.

Ad priorem quæstionem sub finem respondet, ita simpliciter concludendo: *Multorum auctoritatibus* luce clarius *constat, quod ab ingressuris Monasterium non licet pecuniam exigere, ne & ille qui exigit, & ille qui solvit, Simoniæ crimen incurrat.* (a)

arius in Canonibus

Cum hanc conclusionem locum duntaxat testimofundatam sciret Gratianus nune Bonifacii urbis Ronium retulit *Canone* 2. subous Calaritanæ Ecclesiæ mæ Episcopi scribentis Epistola Bonifacii reperitur. cœnobiis. Sed nullibi es Romani, quod „ B. Tho- Monent autem Corr. 2. *quæst.* 100. *in. fine arti-* „ mas citet hoc ceam ibi tractat, sola hujus capitis „ *culi* 3. & remituat.

„ auctoritate cu ponderis sinceritati hujus Decreti At quam sic a divo Thoma factam citationem, accedat pen attenderit ætate S. Thomæ, eam fuisse intelliget atiani auctoritatem, ut authenticum crede Decretnmo quasi pro lege Ecclesiæ haberetur, quidretur nic Decreto esset insertum: & qui attente legui opera, ac signanter Summam S. Thomæ, deprehendet plurima ab eo tamquam authentica, & pro conclusionum suarum fundamento ex Decreto Gratiani assumi, quæ hodie ab omnibus ut apocrypha rejiciuntur; quin & Patrum fragmenta referri, non ut in ipsis Patribus, sed prout apud Gratianum mutilata extant: ut non obscurum sit, hunc sanctum Doctorem multum Decreto Gratiani usum: quemadmodum & Pontifices illius temporis, signanter Alexandrum III. & Innocentium III. usos esse scitur.

Tempore S. Thomæ Gratianus erat maximæ auctoritatis.

Cæterum de utraque conclusione Gratiani hac quæstione formata, plura dixi in *Jure Eccles. Tom. I. parte 1. tit. 26. cap. 1. 2. & 3.* & *Tom. III. parte 2. sect. 4. tit. 1. cap. 5.*

Quæst. III. Emens temporalia spiritualibus annexa Simoniacus est.

Hæc quæstio ad calcem causæ hujus, sive casus proponitur his verbis: „ An ingressum in Religionem, „ vel præbendas Ecclesiæ emere sit Simoniacum?

Quare hanc quæstionem proposuerit, & quid potissimum in ea probare intendat, aperte in procemio quæstionis exponit dicens: „ Sed ad hæc objicitur, „ quod qui ingressuri Monasterium pecunias tribuunt, „ non propositum Religionis, sed participationem sti- „ pendiorum Ecclesiæ emunt. Temporalia ergo non „ spiritualia ementes, nequaquam Simoniaci habendi „ sunt. His itaque respondetur: non solum qui spiri- „ tualia, sed etiam qui temporalia eis annexa pretio „ accipiunt, vel tribuunt, Simoniaci judicantur. „ Unde Malachias loquens ex persona Domini: *Quis* „ *est*, inquit, *in vobis, qui claudat ostia, & incendat* „ *altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vo-* „ *bis, dicit Dominus exercituum, & munus non su-* „ *scipiam de manu vestra*. Ostia claudere non est sa- „ cri muneris officium, sed tantum sibi adjunctum. „

Itaque hac quæstione ostendere vult Gratianus, quod qui *præbendam*, sive *temporalia* ingressui in Monasterium, sive beneficio Ecclesiastico annexa emit, etiam ipsum ingressum, vel beneficium emat.

Pluribus auctoritatibus hanc suam solutionem & conclusionem confirmat; atque præ cæteris auctoritate Paschalis Papæ in *Can.* 7. ubi vulgaris & recepta hæc regula assumitur: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

Hac occasione plura Decreta adfert Gratianus contra venditores Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, quæ spiritualibus duntaxat videntur annexa; atque inter alia refertur *Can.* 4. famosum ac vexatum Decretum sub hac epigraphe: *Ex Concilio Urbani II. Papæ habito Alverniæ*, contra redemptiones altarium. Pro cujus intellectu, & historia consule Stephanum Baluzium in notis ad hunc Canonem, ubi inter alia conatur ostendere, clausulam hanc: *Salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex eisdem altaribus habere soliti sunt*, esse revera a Concilio additam. Vide eumdem in appendice ad *lib. 6. c. 31.* de Marca *de Concordia Sacerdotii & Imperii*, & notas ipsius de Marca ad hunc Canonem 7. Claromontanum; & notas Gabrielis Cossartii in eumdem Canonem, insertas *tom. 10. Concil. General. col. 590. edit. Labb.* & plura circa intellectum hujus Canonis notavi in Dissertatione *de pristinis altarium incorporationibus*, quæ una cum plurimis opusculis extat *Tom. II. operum in editionibus annorum* 1721. 1748. *&* 1752. & in hac recenti editione *Tom. VI.*

Quæst. IV. An Simonia commissa a patre inficiat filium ignorantem?

Ad calcem causæ seu casus a Gratiano ita proponitur quæstio quarta: *An iste sit reus criminis, quod, eo ignorante, pater admisit?*

Occasio proponendi hanc quæstionem fuit; quod in casu proposito supponatur quod pater, filio omnino ignorante, pro ejus in Monasterium ingressu fratribus decem libras solvisset.

Pro hujus quæstionis solutione profert primum plures auctoritates, quibus videtur probari, quod *ignoran-*

(a) Ut Simoniæ vitium e domibus Religiosis eliminetur, Concilium Turonense anni 1583. habitum tit. 17. hæc statuit de Monialibus. „ In quibus Monasteriis, inquit, numerum Monialium „ sua auctoritate repleri curent locorum Ordinarii, pro modo & „ facultate loci, neque eumdem augeri nisi facta Monasterio an- „ nua, quæ satis sit, fructuum accessione. „ Anno 1680. Clerus Gallicanus Regi Ludovico XIV. exhibuit Codicem, cujus articulus 12. his conceptus erat verbis, *Qu'il soit permis aux Religieuses des Monasteres non fondez, rentez, hisbatis de prendre des dotes & contracts pour iceux, comme elle faisoient avant l'Edit de 1666. & les Arrets du Parlement sur le pied qui sera reglè par les Ordinaires des lieux.*

Quid de receptione & donis personarum, quæ Monasteria ingrediuntur, Rex decreverit, reperitur in Declaratione, quam dedit 28. Aprilis 1693. hæc autem Declaratio in Commentarios supremi Senatus relata est 7 Maji ejusdem anni: integra descripta est inter monumenta sua littera H. ad calcem primi voluminis operum D. Van-Espen hujus editionis.

rantia illum excuset, nullumque crimen maculet ignorantem, nec alium aliorum peccatum gravet.

Post hæc in contrarium adducit exempla ex sacro textu, quibus ob paternum crimen etiam posteri puniti fuisse leguntur; ac tandem ad calcem Canonis 11. concludit: „ Sed his exemplis non probantur teneri „ *peccato* aliorum, nisi imitatores nequitiæ eorum. „ Quicumque enim de semine Esau, & cæterorum „ ad Deum conversi, paternam malitiam detestati „ sunt, non odium, sed Dei clementiam experti „ sunt. „

Quæ ignorantia excuset?

Circa ignorantiam, an excuset, post Canonem 12. notat esse distinguendum; „ Est enim, ait, ignorantia, „ alia *facti*, alia *juris*. Facti alia est ejus facti, quod „ oportuit eum scire: alia, quod non oportuit scire. „ Prior neminem excusat, secus posterior.

„ Item ignorantia *juris*, ait, alia *naturalis*, alia *civilis*. Juris naturalis (pergit) *omnibus adultis damnabilis est*. Jus vero *civile*, aliis permittitur ignorare, „ aliis non; quod postremum ibidem pluribus ostendit. „

Hic evidenter supponit Gratianus, ignorantiam juris naturæ, peccantem contra jus naturæ nunquam in totum excusare.

Quæst. V. An Simonia commissa a patre, filio ignorante, possit hunc impedire in functione Ecclesiastica?

Cum igitur paternum crimen filium gravare non videatur; quærit ulterius Gratianus *Quæstione 5.* „ An liceat ei esse in Ecclesia, vel fungi ea ordinatione, quam paterna pecunia est assecutus? „ Primo refert Decretum Concilii Placentini vel Romani sub Urbano II. ubi hi, qui cum adhuc *parvuli* essent, cupiditate parentum per pecuniam Ecclesias adepti sunt, postquam, ait, eas omnino dimiserunt; si *canonice* in eis vivere voluerint *pro magna misericordia ibidem esse conceditur; neque pro hoc facto a sacris Ordinibus removentur, si alias digni inveniantur.*

„ Illi vero (pergit) qui per seipsos, cum jam majoris essent ætatis, nefanda ducti cupiditate, si in aliis „ Ecclesiis *canonice* vivere voluerint, servatis propriis „ Ordinibus, pro *magna misericordia* ibi eos ministrare „ permittimus. Quod si ad alias fortassis transferri non „ potuerint; & in eis canonice vivere promiserint, „ minoribus Ordinibus contenti ad sacros Ordines non „ accedant. Salva tamen in omnibus Apostolicæ Sedis „ auctoritate. „ Hæc finalis clausula recentiorem prodit disciplinam.

An adeptus beneficium per Simoniam patris, possit in eo permanere, etiam postquam detecta est Simonia?

Hoc relato Decreto, necnon fragmento Epistolæ ejusdem Urbani ad Vitalem Prebyterum, concludit Gratianus: „ Ex hac itaque auctoritate colligitur, quod „ *ignorantia* tales excusat a *reatu criminis*, ut supra „ dictum est, non a *fructu emptionis*; cum in Ecclesiis, quas parentum pecunia adepti sunt, non nisi „ postquam eas omnino dimiserint, & *ex misericordia* „ ibidem eis esse conceditur. In quo patet, quod etsi „ illis ignorantibus, simoniæ peccatum sit admissum, „ fructum tamen paternæ emptionis reportare non „ possunt. Quod vero a crimine excusentur hinc patet, quia pro hoc facto a sacris Ordinibus non removentur: si enim illius criminis participes essent, „ ad sacros Ordines conscendere non possent. „

Hinc ulterius conficitur, non dubitasse Gratianum, quin secundum Canones dimittere deberet Ecclesiam, qui eam simoniace, licet ignoranter, esset ingressus: nec nisi *misericorditer* in ea permittendus sit; modo canonice, id est *regulariter*, sive in communi, juxta Regulas Canonicorum, vivere vellet. Vide quæ de hac disciplina fusius deduxi in *Jure Eccles. Tom. III. parte 2. sect. 3. tit. 13. cap. 7.*

Quæst. VI. Æque simoniacus est dans pecuniam pro electione, ac si daret pro ipsa consecratione.

Hac quæstione quærit Gratianus „ de illis, qui non „ pro ordinatione pecunias offerunt, sed pro electione, „ vel ut Decretum electionis fiat, vel ut subscriptione „ firmetur, vel ut electioni non resistatur, aliquibus „ præmia largiuntur: an eorum electio vitiosa sit judicanda? „

Deinde subjungit: „ Non enim videntur Spiritus sancti donum emere, qui non pro consacratione, sed „ pro electione munera largiuntur, cum nullius spiritualis gratiæ aliquos faciat electio participes. „

Verum Gratianus hunc prætextum rejiciens, ait: „ sicut Ecclesiasticarum rerum emptores simoniaci judicantur, quia Ecclesiasticis officiis ita adjunctæ „ sunt, ut alterum sine altero alicui non proveniat: „ ita quia per electionem venitur ad consecrationem, „ perinde simoniacus habetur, qui pro electione præmia largitur, ac si pro consecratione munera dedisset. „

Hanc suam conclusionem pluribus auctoritatibus adstruit Gratianus: „ nec ab ullo in dubium revocatur: „ quia enim similes dantes aut accipientes sint simoniaci nemo dubitat.

Quæst. VII. An ab hæresi reversi ad sacros Ordines sint recipiendi?

Cum Gratianus supponat crimen simoniæ esse gravissimum, quin & simoniacos reputaverit *hæreticos*; mirum videri non debet, si quæstionem septimam hujus causæ (in qua de simonia tractat) his verbis proponat: „ An renuntians suæ *hæresi* sit recipiendus in Episcopali dignitate? „

Pro hujus quæstionis resolutione refert hic Gratianus, quæ tum a Patribus, tum a Synodis, ac notanter a Synodo VII. dicta & decreta fuerunt, de redeuntibus ab hæresi aut schismate, utrum in suis Ordinibus essent recipiendi, vel post actam pœnitentiam ad sacros Ordines promovendi.

Decretum Synodi VII. a Gratiano non recte relatum, a correctoribus Romanis testitatum.

Porro circa relata Patrum, & Synodorum fragmenta merito attendendæ annotationes Correctorum Romanorum; ac signanter ad fragmentum sub nomine Synodi VII. relatum *Canone 2.* in hoc enim fragmento legitur: *Nullum tamen eorum, qui ante baptismum peccavit, Sacerdotibus annumeratum scio*: Hic notant correctores ad verba, *ante baptismum*: „ Hoc quidem „ loco perspicue erratum est, quod auctori glossæ negotium exhibuit „. Deinde monet in originali ita legi: „ Nominem vero horum in Sacerdotio annumeratum, nisi forte *ante baptismum* hoc admisit „.

Simoniaci quasi hæretici irreparabiliter a sacris muniis deponuntur, nisi ex misericordia hic rigor mitigetur.

Interim ex relatis auctoritatibus tandem *parte 3.* ad calcem *Canonis 4.* concludit Gratianus, quod his auctoritatibus simoniaci *irreparabiliter damnari jubeantur*.

Subjungit autem *parte 4.* mitigationem: *Nisi rigor disciplinæ quandoque relaxetur, ex dispensatione misericordiæ.*

Hac occasione ostendit hic Gratianus, quando & qua moderatione Prælati Ecclesiæ interdum pro *necessitate* vel *utilitate Ecclesiæ* in certis casibus de rigore Canonum aliquid relaxare queant.

Regulæ in hac mitigatione servandæ, & a Gratiano propositæ merito in annaenda dispensatione attendendæ.

Optandum esset, ut Canones & Patrum dicta hic a Gratiano relata attentius expenderentur contra hodiernam dispensandi facilitatem: non enim solum pateret summam in relaxando Canonum rigore discretionem & moderationem esse necessariam; sed insuper omnem dispensationem, quæ hic visitur, unice versari circa remissionem seu relaxationem pœnarum canonicarum ob Canones infractos; non autem circa veniam Canones infringendi: quam dispensationem multis sæculis ignotam fuisse notavi in *Jure Eccles. Tom. II. parte 2. sect. 1. tit. 14. cap. 1.*

Porro de disciplina non recipiendi *simoniacos* ad sacras functiones, *post actam pœnitentiam*, & quam parci olim fuerint Pontifices in relaxando hujus disciplinæ rigore, necnon de abusu pernicioso, quem facilitas hujus dispensationis hisce posterioribus sæculis invexit, vide dicta in *Jure Eccles. Tom. III. parte 2. sect. 3. tit. 13. cap. 7.* alias 30. *cap. 7.*

CAUSA II.

De ordine judiciorum.

SUb finem quæstionis septimæ, rationem transitus sui ad causam sequentem subjungit Gratianus dicens: „ His breviter præmissis, ad ea veniamus quæ Ecclesia „ severitate disciplinæ parata est ulcisci, ostendentes, „ quibus accusantibus, vel testificantibus quilibet sint „ convincendi, quo judice quisque debeat condemnari, „ vel absolvi: si causa vitiata fuit, quo remedio possit „ sublevari: et si accusatores defecerint, an reus sit „ cogendus ad purgationem „.

Occasio proponendi hanc causam.

Et glossographus eamdem connexionis rationem, ac summarie quid in hac causa tractetur, exponit: „ In „ superiori causa actum est de crimine simoniæ, & prius de eo, quod *gravissimum est*: sed quia crimina „ sine ordine judiciario puniri non debent; ideo congrue hanc causam annectit, in qua de ordine judiciario tractat, ostendens quod nemo condemnandus est, „ nisi convictus vel confessus; & quod spoliatus præter juris ordinem, sit restituendus, & qualiter puniantur, qui in accusatione deficiunt, qualiter objecta „ crimina non probata purgentur, & qualiter sententia reveletur per appellationem, & utrum Laici „ admittantur ad accusationem Clericorum, & qualiter sit accusatio facienda „ &c.

Quæst. I. An in manifestis sit necessarius ordo judiciarius?

Itaque Quæstione I. quærit: „ An in manifestis judiciarius ordo sit requirendus „?

In primis multis auctoritatibus probare vult: Quod „ nullus sine judiciario ordine damnari valeat „: ut „ habet summarium quæstioni subjectum.

Nonnulla Decreta apocrypha hic a Gratiano adducta.

Inter allegata autem in hujus probationem occurrit Canone 4. Decretum sub nomine *Eleutherii Episcopi ad Episcopos Galliæ*: quod Decretum, uti & integram Epistolam supposititiam esse, eruditis hodie persuasum est.

Profert dein Gratianus Canone 5. fragmentum sub nomine *Felicis Papæ I. ad Paternum Episcopum*: notaturque in margine, priorem ejus partem haberi in Epistola prima *Zephyrini Papæ ad Episcopos Siciliæ*: monent insuper Correctores Romani, hæc verba, *Apostolica freti auctoritate*, addita esse ex Epistola Felicis „ & Zephyrini: Nam, inquiunt, damnari Episcopi sine „ consensu & auctoritate Romani Pontificis, nec *tunc* „ poterant, nec nunc possunt „.

Verum quidem est, in citatis Epistolis allegata verba haberi: sed & constat, easdem Epistolas Decretales uno eruditorum consensu ad reprobas pseudo Isidori merces rejici; quin & vel sola hæc verba a Correctoribus Romanis hic suppleta, earum suppositionem probant; quandoquidem expeditum sit, damnationem Episcoporum tempore horum Pontificum nondum fuisse Romano Pontifici reservatam, aut ejus consensum vel auctoritatem fuisse necessariam in damnatione Episcopi. Quin admodum verisimile est, hanc reservationem præcipue

cx

ex his aliisque Decretalibus primis Romanis Pontificibus falso adscriptis, suam originem aut saltem progressum habere, uti in *Jure Eccles. Tom. IV. parte 3. tit. 3. cap. 5.* alias *c.* 4. ostensum est.

Ex his aliisque intelligimus, Correctores Romanos authenticas & sinceras reputasse primorum illorum Pontificum Epistolas pseudo-Decretales.

Interim assertum Gratiani, nimirum nullum posse condemnari, aut censura perstringi sine ordine judiciario, verissimum est, certisque auctoritatibus probatur. Hanc in rem notandus Canon 7. ex S. Gregorio; necnon Canon 11. & 12. ipsaque Gratiani conclusio, notanter ad calcem *Canonis* 17.

Quæst. II. An expoliatus sit judicandus?

Hac quæstione quærit Gratianus: ,, An expoliatus ,, ab aliquo at judicandus ,, ? scilicet antequam restituatur.

Sub initium autem quæstionis ait: ,, Quod expoliatus ante judicem stare non debeat, multis actoritatibus probatur ,,.

An hac quæstione a Gratiano adducta pene omnia sunt apocryha, & quare?

De simili quæstione, & materia vix reperiuntur, neque hic a Gratiano adducuntur authentica Ecclesiastica Decreta ante inductam formam forensem fori secularis in forum Ecclesiasticum: unde nec mirum, plerasque auctoritates hac quæstione adductas fragmenta esse falsarum Decretalium primis Pontificibus sæculo IX. suppositarum, præter Canonem 2. qui præfert nomen Nicolai Papæ. Sed notat Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Gratiani Dial.* 21. hæc verba non esse Nicolai Papæ, sed Isidori Mercatoris in præfatione Conciliorum: quod & notarunt Correctores Romani in margine: neque extant in Epistola hujus Pontificis; sed in sola allegrata collectione Decretorum Nicolai per Cochlæum *tit. 3. c.* 6.

Quæst. III. Qua pœna feriendi deficientes in accusatione?

Quæstione tertia inquirit Gratianus: ,, Qua pœna ,, feriendi sint, qui in accusatione deficiunt? plura tum ex falsis Decretalibus, tum ex Jure civili hic profert Gratianus; meritoque castigatur a Correctoribus Romanis, quod simpliciter dicat: ,, Illis qui pro aliqua ,, *promissione* deserunt accusationem, *semper veniam dari* ,,. Illud non esse simpliciter verum notant, neque hoc probari testimonio sancti Gregorii ibidem a Gratiano relati in *Canone* 6. ex verbis Epistolæ ostenduat.

Notandum quod Gratianus hic quæstionum propositarum ad calcem causæ, sive casus ordinem invertat. atque quæstionem quintam præmittitat quæstioni quartæ.

Quæst. V. An deficiente probatione reus cogendus sit ad probationem?

Itaque hac Quæstione V. ostendere vult, quod deficientibus accusatoribus, reus non videatur esse cogendus ad purgationem: ,, Sicut enim, ait, rei possessor, ,, deficiente actore, titulum suæ possessionis probare ,, non cogitur, ita qui impetitur, ad innocentiam ,, suam probandam cogendus esse non creditur ,,.

In primis pro fundamento hujus asserti ponit Gratianus, juramentum a Sacerdotibus non esse exigendum; idque prolatis tribus fragmentis pseudo-Decretalis Cornelii Papæ ad Rufum Episcopum.

An Sacerdotibus injungi queat juramentum, quo se purgent?

Adjungit & Canonem 21. Concilii Triburiensis anni 897. quo statuitur; ,, Ut si Presbyter contra Laicum, ,, vel Laicus contra Presbyterum habeat querimoniæ ,, controversiam, Episcopo præcipientes sine personarum acceptione finiatur, & Laicus per juramentum, ,, si necesse sit, se expurget: Presbyter vero *vice juramenti*, per sanctam consecrationem interrogetur, ,, quia Sacerdotes ex levi causa jurare non debent: ,, manus enim, per quam corpus & sanguis Christi ,, conficitur, juramento polluetur? absit: cum Dominus in Evangelio discipulis suis (quorum vicem nos ,, indigni in sancta gerimus Ecclesia) dicat: *Nolite omnino jurare: sic autem sermo vester, est, est: non, ,, non: quod autem his abundantius est, a malo est*,.

Sed cum ex aliis deprehenderet Gratianus, Episcopos & Presbyteros de crimine aliquo infamatos, cogi interdum ad se purgandum: medio juramento, pro ratione conciliationis ad calcem Canonis 4. ait: ,, Verum his auctoritatibus non omnimodo juramenta ,, prohibentur fieri a Sacerdotibus, sed tantum *incauta*, & ea quæ pro qualibet causa temporali judici ,, offeruntur: cum autem populari infamia Sacerdotes ,, opprimuntur, tunc ad innocentiæ suæ assertionem ,, juramenta debent offerri ,,.

Num hæc conciliandi ratio adductis auctoritatibus sat congruat, nescio; hoc certum est, vetitum esse exigere *incauta juramenta*; non tantum a Sacerdote, sed etiam a quovis Laico.

De varia purgationis specie.

Cum autem hic incidisset mentio *purgationis canonica*, hac occasione tractat hic Gratianus de varia purgationis specie.

Meminit autem Gratianus purgationis faciendæ per *juramentum ad beati Petri corpus* Canone 6. ex Epistola 23. *lib. 2. indict.* 10. Sancti Gregorii, cujus notas consule: occurrit & simile juramentum *Canone* 7. ex Epistola ejusdem Pontificis præstitum a Menna Episcopo, qui similiter per hoc juramentum ab objectis criminibus se purgaverat. De hac & similibus formulis juramenti consulendus Du-Cange in glossario Latinitatis, verbo, *jurare*.

De purgatione per juramentum.

Notandum autem, quod Gratianus relatis verbis citatæ Epistolæ Sancti Gregorii, quibus significat Brunichildæ Françorum Reginæ, quod *Mennas* se mediante juramento *ad sacratissimum corpus beati Petri Apostoli* a sibi objectis criminibus purgasset, subjungat tamquam ejusdem Epistolæ & contextus verba: *Purgationem tamen ante te duobus sibi Sacerdotibus junctis, ubi accusator cessaverit, eumdem ex se præbere tuo comitimus arbitrio*. Quibus significatur, Sanctum Gregorium purgationem Mennæ Episcopi commisisse arbitrio *mulieris*, scilicet Brunichildæ Francorum Reginæ, licet & prius se, medio juramento, coram Pontifice ad corpus beati Petri purgasset.

Error [illegible] stiani.

Ad quæ reflectens glossographus verbo, *arbitrio*, ait: ,, Delegatur hic Laico spirituale negotium. Fuit ,, tamen, inquit, hic nimium Papaliter dispensatium, ,, quod Episcopus expurgatus coram Papa, cogitur adhuc coram muliercula se expurgare ,,.

Verum totam hanc periodum non reperiri apud Sanctum Gregorium, dubiumque non esse, quin erratum sit vel a Gratiano, vel a librariis, notavit Antonius Augustinus *lib. 1. de emendat. Gratiani Dial.* 12. qui & præterea advertit: ,, Quod nostri interpretes dicere ,, solent, ex verbis Gregorii probari coram Rege, ,, vel Regina, vel alio sæculari judice posse Canonicam purgationem indici, falsum est ,,.

Similiter & Correctores Romani monent, hic fuisse gravissimum errorem; atque quibusdam interpositis, quibus probant hanc periodum esse fragmentum Epistolæ Alexandri II. ad Raynaldum Episcopum Cumanum, ,, concludunt: ,, Nihil loci relinquitur admirationi ,, auctoris glossæ: nusquam enim Romani Pontifices hujusmodi causas mulieribus leguntur commisisse ,,.

Hic interim videmus, quomodo error Gratiani Juris Canonici interpretes in errorem induxerit, atque ex errore opinio erronea invaluerit.

Refert & *Canone* 10. fragmentum Epistolæ *Sixti III. ad Orientales Episcopos* agens de formula purgationis, qua se hic Pontifex purgasse dicit coram Synodo; sed hanc Epistolam (quæ integra extat *tom. 3. Concil. General.* edit. Labb.) *col.* 1263. esse spuriam passim agnoscunt eruditi; eique appingit hanc notam marginalem: Labbæus: *Fidei admodum suspectæ; immo nullius*.

Adducitur dein *Canone* 11. initium Epistolæ Alexandri II. Raynaldo Cumano Episcopo, de quodam Presbytero morte Episcopi infamato, recteque post Antonium Augustinum advertunt Correctores Romani periodum, quæ incipit, *purgationem*, quam falso adscriptam diximus S. Gregorio, partem esse hujus Epistolæ Alexandri II. & huic Canoni debuisse annecti.

Supposititium esse Decretum *Canone* 14. Silvestro Papæ assertum, etiam ipsi Correctores Romani agnoscunt, quorum notam consule.

Plura, præsertim ex litteris S. Gregorii, refert de purgatione Canonica, medio juramento; & *Canone* 16. refert Decretum Hincmari Rhemensis, quo jubetur Presbyter, si mala fama de ipso exierit, & accusatores ac testes legales defuerint, *Secundum Decreta majorum cum denominatis sibi vicinis Presbyteris, quos scimus se nolle pejerare, sacramento famam purget*.

Ratio inductæ purgationis per juramentum.

Ratio inductæ hujus purgationis redditur in eodem ,, Canone: ,, Ne contra Apostolum infirmorum corda ,, de mala fama Presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum neve securiores Presbyteri existentes, licentius in peccata prolabantur ,,.

De purgatione vulgari per aquam ferventem, vel ferrum candens.

Meminit & hac quæstione Gratianus, non tantum Canonicæ purgationis; sed & vulgaris per *aquam ferventem, & ferrum candens*.

Et quidem *Canone* 15. extat *Palea* sub nomine Concilii Triburiensis, ubi decernitur; ,, Quod *nobilis* homo ,, vel *ingenuus*, si in Synodo accusatur, & negaverit; ,, si eum constiterit fidelem esse cum duodecim ingenuis se expurget: si antea deprehensus fuerit in furto, ,, aut perjurio, aut falso testimonio, ad juramentum ,, non admittatur, sed (sicut qui ingenuus non est) ,, *ferventi aqua, candenti ferro* se expurget ,,.

Hoc Decretum sub nomine Concilii Triburiensis extat quoque in *cap. 1. de purgat vulgari*, in prima Decretalium collectione apud Antonium Augustinum cum his verbis: *ferventi aqua, aut candenti ferro*; quæ omissa sunt a Raymundo in *cap. 1. de purgat. Canonica*; verisimiliter, quia tum contrarius usus obtineret quoad purgationes vulgares, innixus Decretis hic a Gratiano contra eas purgationes adductis, & ad Alexandro III. & sequentibus Pontificibus probatis.

Et quidem in periodo, quam Gratianus *Canone* 7. S. Gregorio falso adscripsit, uti supra notatum est, quamque Alexandro II. attribuendam esse diximus, vetatur adhiberi; immo ,, Apostolica auctoritate prohibet firmissime *vulgarem* purgationem *ferventis* scilicet, sive *frigidæ* aquæ, *ignitique* ferri contactum, ,, aut cujuslibet popularis inventionis ,,.

Reprobata purgatio vulgaris tamquam superstitiosa.

Hæc ipsa prohibitio evincit, hanc periodum non posse attribui S. Gregorio, cujus tempore hæ vulgaris purgationis species nondum invaluerit. At tempore Alexandri II. qui sub medium seculi VI. sedit, similes in quibusdam Ecclesiis jam erant usitatæ, in aliis vero, præcipue Romana, reprobabantur; ad quam ætatem & referendus Canon 20. relatus sub nomine Stephani V, qui interrogatus ab Humberto Episcopo Moguntino de usu purgationis per ferrum candens,

aut

aut aquam fervetem, respondisse dicitur: *Ferri candendentis vel aquæ frrventis examinatione confessionem extorquere a quolibet, sacri non censent Canones, & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum.*

Nulla inter Epistolas hujus Pontificis similis Epistola reperitur; unde & suspectæ fidei habetur hoc fragmentum; cujus tamen auctoritate usus est Alexander III. in Epistola ad Archiepiscopum Upsalensem, quæ est 19. in prima appendice Epistolarum hujus Pontificis *tom.* 10. *Concil. General.* quem & subsequentes Pontifices secuti, hanc purgationis speciem tamquam superstitiosam damnarunt, ut pluribus ostendi in *Jure Eccles. Tom. IV. part. 3. tit. 8. cap. 4.*

De purgatione per sacram Communionem.

Occurrit & *Canone* 23. & 26. species purgationis per *sacram Communionem*; ac priore quidem Canone præcipitur: „ Si contigerit in Monasterio furta perpetrari, & qui hæc committant, ignorentur, & fratres „ ipsi de talibus se expurgare debuerint, missa ab Ab„ bate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse Abbas præ„ ceperit, præsentibus fratribus, & sic expleta missa „ omnes communicent in hæc verba: corpus Domini „ sit mihi ad probationem hodie.

Citatur hic Canon sub nomine Concilii Wormatiensis *Canone* 15. extatque reipsa similis Canon in Concilio VVormatiensi anni 688. quod integrum inseritur *tom.* 8. *Concil. General.* edit. Labb. *col.* 942. At in Canone, pro his verbis: *Expleta missa, omnes communicent in hæc verba, corpus Domini sit mihi ad probationem hodie*, hoc modo legitur, *& sic in ultima missæ celebratione, pro expurgatione sua corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi percipiant, quatenus ita inde innocentes se esse ostendant.*

Quidquid sit de hac lectionum varietate, sat interim constant, usum purgationis per sacram Communionem probari, uti dicto *Canone* 26. qui similiter ex hoc VVormatiensi Concilio *Canone* 10. desumptus est; in quo licet aliqua legantur hic a Gratiano omissa, nihilominus sat aperte hæc probationis, sive purgationis forma comprobantur.

Hinc titulus hujus Concilii in collectione Conciliorum ita exprimitur: *Concilium VVormatiense Provinciale ex parte reprobatum*, & ad relatum Canonem 15. appenditur hæc nota marginalis: *Hic Canon tamquam erroneus abrogatus est.* Et Antonius Augustinus *lib. 1. de emendat. Gratiani Dial.* 15. advertens citatos Canones; & agnoscens, quæ in his leguntur, esse revera in Conciliis, & apud Burchardum, ait; *Sed hæc omnia sunt illorum temporum sordibus adscribenda.*

Cæterum de his purgationibus vulgaribus latius actum est in *Jure Eccles. Tom. IV. part. 3. tit. 8. c. 4.* ubi etiam notatum est, quam altas radices in aliquibus Ecclesiis egissent similes purgationes, & quomodo in quibusdam locis usque ad ultima sæcula, saltem earum vestigia superfuerint. Harum & similium observationum superstitionem erudite ac solide adstruxit eruditus Pater Petrus le Brun Presbyter Oratorii in libello Gallico impresso Rothomagi anno 1701. sub hoc titulo; *Histoire critique des pratiques superstitieuses, &c.* (Obiit vir doctissimus Parisiis in domo S. Maglorii 6. Januarii 1729.)

Quæst. IV. De numero testium in causa Clericorum.

Quæstione quarta, quæ hic quæstioni quintæ postposita est, quærit Gratianus, quot testimoniis Episcopus sit condemnandus? adductis autem novi ac veteris Testamenti, necnon Concilii Bracarensis auctoritatibus, concludit ad calcem *Canonis* 1. „ Ex præmissis itaque „ colligitur, quod duorum, vel trium testimonio Epi„ scopus convinci & damnari potest.

Multa hic apocrypha & supposititia miscet Gratianus.

Verum mox addit: „ Porro Silvester Papa in gene„ rali Synodo præsidens e contra dixit". Tum immediate subjungit *Canone* 2. fragmentum Concilii Romani, quod dicitur celebratum sub Silvestro Papa I. in quo dicitur, quod „ Præsul non damnatur, nisi cum 72. te„ stibus: Presbyter autem Cardinalis, nisi cum 64. te„ stibus non deponatur: Diaconus vero Cardinalis urbis „ Romæ, nisi cum 27. testibus non condemnabitur: „ Subdiaconus, Acolythus, exorcista, lector, ostia„ rius, non nisi cum 7. testibus condemnabitur; testes „ autem & accusatores sine aliqua sint infamia.

Ita legitur in antiqua Gratiani editione: at in Correcta Romana pro 64. legitur 44. *testibus*, & addita fuit post verba, *cum 72. testibus*, hæc periodus: *Nec Præsul summus a quoquam judicabitur, quoniam scriptum est; non est discipulus super Magistrum*: eam additam monent Correctores Romani *ex Concilio Romano sub Silvestro*, & aliis locis ad marginem indicatis.

Error Glossographi circa Pontificem.

Porro glossæ auctorem credidse, hoc Canone non comprehendi *Romanum Pontificem*, certum est: nam ad nomen, *Præsul*, apponit hanc notam: Id est, *Cardinalis Episcopus*: sed numquid „ contra *Papam* duplicabun„ tur testes, non, immo duo sufficiunt, & in hoc est „ deterioris conditionis; quia ipse sine comparatione „ aliorum creatus est major, & ideo sine spe veniæ „ condemnandus est, ut diabolus".

Hoc dictum glossographi mirantur Correctores Romani, quasi Romanus Pontifex minori numero testium posset condemnari, quam ostiarius: „ Cum tamen, in„ quiunt, ipse Pontifex a generali saltem Præsulis no„ mine minime esset excludendus.

Eumdem pene numerum testium in damnatione Episcopi requirit fragmentum Epistolæ Leonis IV. relatum hic a Gratiano Canone 3. de quibus testibus ibidem additur: „ Qui prius ad sacra Christi quatuor Evangelia „ sacramenta præstent, quod nihil falsum depromant: „ sicut nobis, inquit, beatus Silvester tradidit, & Ro„ mana sancta videtur tenere Ecclesia.

Quamvis moneant Correctores Romani, hæc finalia verba non legi in Epistola Leonis manuscripta, & ea deesse in editione Romana, & Codice MSS. Vaticano notavit Lucas Holstenius, nihilominus haud obscurum est, auctorem hujus Epistolæ reflexisse ad hoc Concilium Romanum, quod esse ex confictis Isidori Mercatoris mercibus modo compertum est: notatque hic Dandinus Alteserra: „ Ea ibi Decreta de numero testium, „ omnino esse diversa a sanctis Canonibus & legibus.

Gratianus vero nihil de Concilii hujus suppositione suspicatus, ut hos Canones cum aliis auctoritatibus conciliet, dicit: „ Hoc vel speciali privilegio de Cle„ ricis Romanæ Ecclesiæ intelligitur, vel propter im„ probitatem quorumdam, qui cum non sint spectatæ „ vitæ & scientiæ, ad accusationem Ministrorum Dei „ repente prosiliunt. Quorum vero vita adeo laudabi„ lis est, ut omnibus imitanda appareat, de quorum „ assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum testi„ monio duorum vel trium testium quilibet jure con„ vinci & damnari poterit.

Posterius membrum distinctionis hodie receptum est; atque testimonium duorum vel trium omni exceptione majorum adversus Clericos, etiam majores, recipitur: uti & observat D. de Hericourt in Analysi hujus quæstionis.

Quæst. VI. Gravatus per sententiam ab ea appellare potest.

Hac quæstione ordinem judiciorum prosequens Gratianus quærit; „ Quo remedio causa vitiata sublevetur, „ & si remedium illud sit dandum ei, qui causa dila„ tionis vocem appellationis exhibuerit.

Sub initium hujus quæstionis tamquam indubitatum asserit: *Causa vitiata remedio appellationis sublevari potest.*

In probationem hujus asserti prioribus tribus Canonibus nonnulla adducit ex falsis Decretalibus sub nomine sanctorum Fabiani & Anacleti, quorum tempore similes formulæ appellationis in judiciis Ecclesiasticis nondum erant notæ, ut vel hic illarum Decretalium confictio & suppositio fiat manifesta.

Interim merito ad fragmentum sub nomine Anacleti relatum *Canone* 3. appenditur nota Correctorum Romanorum; ex qua intelligitur, nec has falsas Decretales semper referri a Gratiano, quemadmodum in collectione Isidori leguntur.

Post hæc progreditur inquirere, ad quem appellandum sit, nititurque ostendere, *Ad Sedem Apostolicam* ab omnibus posse appellari; idque ex fragmentis falsarum Decretalium.

An ab omnibus possit appellari, etiam immediate, ad Sedem Apostolicam?

Occurrit hic in primis *Canone* 4. fragmentum sub nomine Sixti Papæ, cui hoc summarium præfigitur: *Quisquis pulsatus fuerit, Appostolicam Sedem appellet*, & *Canone* 5. fragmentum Decretalis sub nomine ejusdem Sixti Papæ cum hoc summario: *In gravioribus causis pulsati Apostolicam Sedem appellent*, & rursus *Canone* 6. ex falsa Decretali Marcelli Papæ sub hoc summario: *Ab omnibus appellatur ad Romanam Ecclesiam.*

Plura ad adstruendam hanc appellandi libertatem ad Sedem Apostolicam ex hisce falsis Decretalibus adducit sub nomine Victoris, item Severini Papæ *Canone* 7. & 8. item *Can.* 9. & 10. sub nomine Julii Papæ; inter quæ notandus Canon 10. ex falsa Decretali Julio I. supposita, in qua hæc leguntur: „ Ideo huic sanctæ „ Sedi præfata privilegia specialiter sunt concessa, „ tam de congregandis Conciliis, & judiciis, ac resti„ tutionibus Episcoporum, quam etiam de summis Ec„ clesiarum negotiis, ut ab ea omnes oppressi auxili„ um, & injuste damnati restitutionem sumant, & „ talia ab improbis ne præsumantur absque ultione, „ nec exerceantur absque damnatione.

Ex hoc fragmento Decretalis illud intelligitur, quod non tantum Sedi Apostolicæ diceretur assertum jus appellandi ad eam: sed etiam jus congregandi Concilia, & restituendi Episcopos, quod & tandem auctoritate harum Decretalium a Gratiano relatarum quasi primatui Sedis Apostolicæ annexum, notanter ab Ultramontanis receptum esse scitur.

Immo in Decretalibus per Gratianum adductis evidenter asseritur, ab omni judice inferiori, etiam omisso medio, puta a sententia Episcopi, Metropolitano, Primate, aut Patriarcha omisso, posse immediate ad Sedem Apostolicam appellari.

Porro cum auctoritate harum Decretalium circa sæculum X. & XI. hæc appellandi libertas ad Sedem Apostolicam ubique pene admissa esset, Gratianus hoc jus appellandi, quod jam sua ætate admissum erat, & nihil de falsitate harum Decretalium suspicatus, illud quasi ex Traditione Apostolica descendere supponens, etiam quasi primatui Romani Pontificis esse annexum arbitratus est.

Canonem Africanum inepte explicat Gratianus, ut illum ad sui temporis disciplinam detorqueat.

Proinde mirum videri non debet, Gratianum Canoni Africano, relato Canone 35. quo decernitur, nulli Clerico in Africa per Episcopos damnato ad transmarina judicia licitum esse appellare, appendisse hanc ineptam & insulsam clausulam; *nisi forte Romanam Sedem appellaverit*,

verit. Quasi vero Afri ad transmarina appellare tentantes, ad alium, quam ad Sedem Apostolicam appellarent: uti recte monet Severinus Binius ad Canonem 22. Milevitanum.

Quis enim nescit, Ecclesiæ Africanæ certissimam fuisse disciplinam, nequaquam admittendi appellationes Clericorum a suis respective Episcopis, aut Synodis Africanis, ad transmarina judicia, etiam Romana; eamque acerrime per Patres Africanos sæculo V. in causa Appiarii Presbyteri per suum Episcopum depositi fuisse pugnatam. Vide *Jus Eccles. Tom. IV part. 3. tit* 10. *cap.* 3. alias *cap.* 2. (*a*).

Itaque hoc Canone expressa erat pristina disciplina Ecclesiæ Africanæ, plane conformis Canonibus Nicænis: Gratianus autem videns hanc disciplinam a disciplina sui temporis omnino alienam, credensque (ut jam diximus) ex Traditione Apostolica descendere, auctoritate falsarum Decretalium Canonem hunc ad sui temporis disciplinam inflectere volens, eumdem in alienum plane sensum detorsit.

An & qua ratione appellationes ad Pontificem in Gallia & Belgio admissæ.

Similiter & hoc scitur, Episcopos Gallicanos, ac signanter Hincmarum Rhemensem, has appellationes ægre admisisse; eas tamen urgentibus Pontificibus auctoritate falsarum Decretalium, tandem admissas fuisse, easque & hodie admitti, cum notabili nihilominus moderatione, uti quoad Belgium notavi in *Jure Eccles. Tom. IV. part. 3. tit.* 10. *c.* 1. & quoad regnum Galliæ notavit Dominus de Hericourt in Analysi hujus quæstionis.

Ex suppostitiis Decretalibus attribuitur Pontifici plenitudo; aliis Episcopis pars tantum potestatis Ecclesiasticæ.

Quemadmodum in confictis Decretalibus sub nomine primorum Pontificum, multis adstruitur jus appellandi ad Romanum Pontificem a quorumcumque judicum Ecclesiasticorum sententia, etiam *omisso medio*; ita quoque confictor harum Epistolarum nonnulla intermiscuit, quibus declarat in Pontifice esse *plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ*; reliquos vero Episcopos esse duntaxat vocatos in *partem sollicitudinis*, sive potestatis, qualem Pontifices iis tribuere voluerunt: atque ita consequens sit, Pontificem esse Ordinarium Ordinariorum; proindeque ad ipsum tanquam Ordinarium posse appellari, sive causas quascumque referri.

Hanc in rem profert Gratianus hac quæstione *Canone* 12. fragmentum sub nomine *Vigilii Papa ad Eleutherium*, uti legitur in hodierno Decreto correcto: monent autem Correctores Romani, in antiquis exemplaribus Decreti hunc Canonem attribui *Julio* Papæ: notatque Stephanus Baluzius, recte hic advertisse Correctores Romanos Epistolam hanc, non *Julio*, sed *Vigilio* potius attribuendam; fateturque Baluzius, extare Epistolam Vigilii, non quidem inscriptam ad *Eleutherium*; sed ad *Profuturum* Episcopum Bracarensem, constantem pluribus capitibus, quorum ultimum conficit hunc Canonem; eamque integram inseruit in sua nova Conciliorum Collectione una tamen notans, caput ultimum hujus Epistolæ de *Primatu Romani Pontificis* (quod conficit hunc Canonem apud Gratianum) in optimo Codice Bibliothecæ Colbertinæ non reperiri: multisque ibi probat, admodum verisimile esse, hoc caput a pseudo Isidoro fuisse huic Epistolæ adjectum, uti pluribus deductum est in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 19. *c.* 8 *nu.* 19. alias in supplemento ad *part.* 1. *Juris Eccles. tit.* 19. *cap.* 5. ubi una ostendi, exigui esse ponderis argumentum, quod pro *plenitudine potestatis* in Romano Pontifice desumitur ex fragmento Epistolæ sub nomine Gregorii IV. apud Gratianum hac *quæstione* 6. *Canone* 11. tum quod hic Pontifex gesserit Pontificatum currente sæculo nono post evulgatas falsas Decretales: ut proinde verisimile sit, ex falsa Decretali Julio Papæ apud Isidorum attributa, verba illa de plenitudine potestatis in Romano Pontifice esse desumpta; tum quod in hac Epistola agatur de depositione Aldrici Episcopi Cenormanensis; cum tamen in actis hujus Episcopi nulla fiat hujus Epistolæ mentio, per quod nonnihil de suppositione redditur suspecta.

De Arbitris.

Tractat & hac quæstione Gratianus de Arbitris, & utrum a sententia arbitrorum, ac notanter qui ex consensu partium fuerunt electi, appellari possit.

Pro resolutione hujus quæstionis adducit hic duos Canones Africanos, quorum primus adducitur Canone 33. cui Gratianus præmittit, quomodo judices alii sint ordinarii, alii vero a partibus simpliciter electi, nulla legitima auctoritate instructi, quos & compromissarios nominat. Quod vero inter judices ordinarios reponit, *qui ab Apostolico, ut Ecclesiastici; vel ab Imperatore, ut sæculares, legitimam potestatem accipiunt*: non obscure innuit, quod ex opinione Gratiani judices Ecclesiastici suam auctoritatem accipere deberent *ab Apostolico*, non secus ac sæculares judices ab Imperatore: quod pristinæ Patrum disciplinæ nullatenus esse consentaneum nemo ignorat.

An ab arbitris possit appellari.

Post hæc subjicit Gratianus sub nomine Concilii Carthaginensis III. *Canone* 10. in hæc verba: *Sane si ex consensu partium judices electi fuerint etiam a pauciore numero quam constitutum est, liceat appellare*,

Hic Canon legitur in Codice Africano Canone 122. eique jungitur fragmentum a Gratiano hac quæstione relatum *Canone* 39. unum eumdemque Canonem conficiens, qui his verbis in Codice exprimitur: *A judicibus autem, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare, & quisquis probatus fuerit per contumaciam nolle obtemperare judicibus; cum hoc primæ Sedis Episcopo fuerit probatum, det litteras, ut nullus ei communicet Episcoporum; donec obtemperet.*

In primis hunc Canonem Africanum Gratianus in duas partes distinctas dissectum referens, sensum Canonis non tantum obscuriorem reddit; sed sensum a mente Patrum plane diversum lectori imprimit: quasi nimirum ex sententia Patrum Africanorum, semper esset communione privandus, qui *per contumaciam* judicibus obtemperare nollet: cum ex integro Canonis contextu manifestum sit, hic duntaxat agi de contumacia non obtemperantis judicibus *de consensu partium electis*.

Præterea sensum Canonis plane invertit Gratianus, dum in priori parte Canonis omissa negatione, legit affirmative, quasi ex sententia Africanorum liceret a judicibus ex partium consensu electis provocare; cum manifestum sit, uti & monent Correctores Romani, per hunc Canonem expressis verbis statui, a judicibus *consensu partium electis* non posse provocari (*a*).

De hac vetita a judicibus partium consensu electis provocatione legitur quoque Canon 96. in Codice Africano; quem hic Canone 39. retulit Gratianus, qui eum interpretatur, quasi dumtaxat provocatio vetita esset, dum interponitur appellatio a bina sententia conformi, ita ut quodammodo tertia appellatio vetita censeretur, cum tamen ex ipso Canonis contextu, planum sit, hic simpliciter vetari appellationem, eo quod ex consensu partium judex fuisset electus. Unde & Zonaras in hujus Canonis commentario recte advertit, quod hoc Canone idem statutum sit, quod legibus cautum est, quod ab arbitris nulla detur provocatio, prout legibus Romanis id fuit statutum.

Quæst. VII.

Septima quæstione pluribus agit Gratianus de his, qui ad accusationem Episcoporum & Clericorum sint admittendi aut ab ea repellendi.

Hic rursus adducit varia segmenta fictarum Decretalium, quæ præcipue ad eximendos Episcopos ab omni criminali judicio adornatæ apparent.

An & quando laicis liceat accusare Clericos, & maxime Episcopos.

Et quidem prioribus tredecim Canonibus, quorum duodecim ex falsis hisce Decretalibus descripti sunt, & unicus refertur Canon 7. sub nomine Concilii Moguntini, ubi tamen non extat (ut monent Correctores Romani) probare vult Laicis non licere accusare Clericos, ac signanter Episcopos, *nisi a recta fide exorbitaverint*: uti habetur *Canone* 13. diciturque *Canone* 5. ex pseudo Decretali Eusebii: *Laicos non accusare Episcopos hactenus observatum & constitutum est, quia ejusdem non sunt conversationis, & oppido quidam eis infesti sunt*. Idipsum repetitur *Can.* 14 sub nomine Anacleti, apud quem non haberi monet Correctio Romana.

Cæterum quæstionem hanc concludens Gratianus, credensque authentica, quæ ex pseudo Decretalibus Fabiani & Damasi relata sunt *Canone* 38. & 39. dicit in fine quæstionis: Monachos posse accusare Presbyteros; *cum Monachi ad Sacerdotii gradum laudabiliter pertingere valeant*.

Interim ex his intelligimus, quomodo falsæ hæ Decretales occasionem dederint Gratiano, falsas & a pristina disciplina alienas conclusiones formandi.

De forma accusationis Episcoporum ex falsis Decretalibus, & jure civili.

Denique octava & finali quæstione proponit formam accusationis Episcoporum ex falsis Decretalibus, & textu ex *L. fin. Cod. de probat.* Sed ad calcem quæstionis ipse propriis verbis latius deducit, quæ in accusatione ex præscripto juris civilis sint observanda.

Cum autem forma illa forensis septem aut octo ut minus sæculis in foro Ecclesiæ ignota fuerit; etiam vel illo titulo, Decreta hac quæstione primis Pontificibus adscripta, de suppositione convincuntur, dum in his similis forma præscripta legitur.

CAUSA III.

Proponitur causa, seu casus positio.

CAUSA hæc, sive casus ita proponitur a Gratiano: *Quidam Episcopus a propria sede dejectus est, petit restitui: post restitutionem ducitur in causam, inducias postulat, tandem ad ejus accusationem procedit quidam non legitime conjunctus, & duo infames, & tres religiosi: accusatores testes de domo sua producunt, & alios sibi inimicos extra suam provinciam: reus criminoso judici offertur ab uno tantum audiendus & judicandus. Quidam de accusatoribus & testibus absentes per Epistolam illum accusare, & in eum testificari contendunt: cum multa capitula ei objicerentur, in primo accusatores deficiunt; demum accusatio in accusatorem vertitur.*

Ex

(a) Consule quæ *Tomo VII.* hujus editionis D. Van-Espen disseruit dissertatione in Synodos Africanos, & Scholis in eorum Canones.

(a) Doctissimus Canonista Gibert *Tom. III.* Corporis Juris Canonici tractatu de judiciis, parte præliminari *tit.* 2. *de Arbitris*, exponens hunc Canonem arbitratur fieri posse provocationem, cum scilicet pauciore numero, quam constitutum fuit, electi fuerint judices, licet ea electio facta sit de consensu partium.

Quæst. I.

Ex hac casus positione undecim quæstiones elicit Gratianus, quæ omnes pertinent ad ordinem judiciorum forensium; atque prima quæstione quærit: " An restitutio danda sit quibuslibet expoliatis ".

Episcopus sua sede spoliari non potest, nisi servato juris ordine.

Id unum hac quæstione probare intendit, quod Episcopi e sede sua non sint deturbandi, aut proventibus vel juribus suis spoliandi, nisi legitime in Synodo sint convicti, & damnati de crimine, quod similem dejectionem aut spoliationem mereatur, atque ita legitima auctoritate eam pœnam commeruisse, fuerit declaratum.

Aliter spoliatus ante omnia restitui debet.

Hinc tamquam indubitatum hac quæstione asserit Gratianus, & concludit ad calcem quæstionis, Episcopum spoliatum prætextu alicujus criminis, si ante cognitam causam, & probatum crimen fuerit via facti, sive non servato juris ordine, de sua sede dejectus, aut suis juribus spoliatus, ante omnia legibus sit restitendus, & in possessione pacifica permittendus, donec crimen de quo accusatur, in judicio sit legitime probatum: quod & juri naturali & juri Romanorum plane conforme est; eoque tendit interdictum, *unde vi*.

Cur ad id probandum non adducantur antiqui Canones, aut Patres.

Quæ in hujus conclusionis & asserti probationem adducit Gratianus, vel ex falsis & supposititiis Decretalibus, vel ex Jure civili desumpta sunt: eo quod in pristinis Canonibus, & Patrum scriptis, de hoc ordine judiciario nihil aut parum reperiatur; quandoquidem ante fictas Decretales, forensis ille ordo judiciarius, hic a Gratiano descriptus, in causis & judiciis Ecclesiasticis nondum invaluisset, uti non semel notavimus.

Interim merito reflectitur, hoc inviolabiliter servatum fuisse tamquam jure naturali notum, nullum Episcopum sua possessione spoliandum prætextu criminis commissi, nisi legitime de crimine convictum.

Hoc etiam circa Decreta & auctoritates, licet pleraque apocrypha a Gratiano hic adducta, notandum, quod & inter hæc nonnulla occurrant, quæ nec cum originali, prout a pseudo-Isidoro confictum est, per omnia consonant, ut patet ex notis Correctorum Romanorum; inter quas merito observanda nota ad Canonem 2. ubi refertur fragmentum Epistolæ Fabiano Papæ suppositæ.

An Episcopi sine auctoritate Romani Pontificis possint deponi.

Hoc fragmentum apud Gratianum sic legitur: Episcopis, si propriis sedibus aut Ecclesiis sine auctoritate Romani Pontificis expulsi fuerint, antequam ad Synodum vocentur " &c.

Hic monent Corretores Romani ad hæc verba, *sine auctoritate Romani Pontificis*: Sunt, inquiunt, hæc verba apud Anselmum, licet non sint expressa in originali, cujus hic sententia potius quam ipsamet verba referuntur.

Admodum verisimile est, hæc verba ab Anselmo, aut alio Canonum Collectore, ex quo sumpsit Gratianus, addita fuisse; quia eo tempore jam invaluerat opinio, quod Episcopi, etiam in Synodis, sine auctoritate Romani Pontificis deponi non possint.

De coercendis vexationibus, quæ bonis Sacerdotibus inferuntur.

Intermiscet hic Gratianus nonnulla de obligatione Prælatorum coercendi vexationes & calumnias, quæ Sacerdotibus strenue laborantibus inferuntur; inter quæ notandum *Can. 6.* fragmentum ex Decretali sub nomine Fabiani Papæ. *Deus ergo, fratres, ad hoc præordinavit vos, & omnes, qui Sacerdotio funguntur, ut injustitias removeatis, & præsumptiones abscindatis, & in Sacerdotio laborantibus succurratis, opprobriis & calamitatibus locum non præbeatis; sed ei, qui calumniam & opprobrium patitur, adjutorium feratis: illum vero, qui calumniam vel opprobrium facit, abscindatis & Domino in suis Sacerdotibus opem feratis.*

A regula de non spoliando Episcopo, nisi servato juris ordine, immerito excipit Gratianus Romanum Episcopum.

Denique & hoc notandum, quod Gratianus ab hac sua conclusione, nimirum quod Episcopus ante probatum crimen, non possit a quoquam spoliari, seu a sua sede dejici, nisi auctoritate judicis, coram quo crimen fuit probatum, excipiat Romanum Pontificem.

Cum enim sub finem quæstionis sibi objecisset Canonem, *Si quis*, *dist.* 79. in quo dicitur: *quod si quis pecunia sit promotus, possit statim ejici, & alius in ejus locum eligi*: respondet *hoc in eo tantum casu intelligi, quo Apostolica Sedes per violentiam occupatur, quo casu judex non invenitur, cujus officio ille Apostaticus posset expelli: in aliis autem locum non habet, cum violenta possessio, nisi per judicis sententiam, violento detentori detrahi non possit.*

In primis quod hic de Romano Pontifice asserit Gratianus, quasi citra legitimam auctoritatem, & extrajudicialiter posset ob commissam Simoniam, sed nondum in judicio probatam, e sua sede expelli, in citato a Gratiano Canone nequaquam dicitur: sed omnino de alio casu ibidem tractatur, uti latius exposui in *Reflex. ad distinct.* 23. *& distinct.* 79.

Quod præterea dicit Gratianus, Romanum Episcopum posse citra sententiam ob prætensum crimen *Simonia* expelli citra auctoritatem judicis, *eo quod eo casu judex non invenitur, cujus officio ille Apostaticus posset expelli*, manifeste præfert opinionem, quæ tempore Gratiani, auctoritate præsertim falsarum Decretalium, invaluerat, Romanum Episcopum, quantumvis de gravissimis criminibus, & excessibus, suspectum aut accusatum, a nullo posse judicari, nisi a *fide devius* repertus, uti ipse Gratianus probare voluit *Distinct.* 40. *Canone*, *si Papa*, uti in annotationibus ad illam distinctionem & Canonem observavi.

Quæst. II.

Hanc quæstionem secundam e casu proposito efformatam, his verbis proponit Gratianus: " De induciis post restitutionem præstandis, & quo spatio temporis concedendæ sint ".

Episcopis accusatis tempus sufficiens concedendum ad sui defensionem.

Hac rursus quæstione nonnisi fragmenta falsarum Decretalium adducit Gratianus, atque pene id unum probat, Episcopos ante probatum crimen depositione dignum suis Ecclesiis, aut juribus spoliatos, ante omnia plane restituendos; nec nonnisi restitutos, debere de crimine respondere. Hoc insuper adjungitur, sic restitutis Episcopis *tempora induciarum esse concedenda*, sive tempus sufficiens ad suam defensionem; quod signanter exprimitur in pseudo-Decretali *Can.* 8. sub nomine Felicis Papæ, in qua postquam dictum fuit, Episcopo spoliato omnia esse restituenda, & in pacifica possessione eum esse permittendum, subjungitur: *Præsul vero cum omni honore statui pristino reddatur, & ipse dispositis ordinatisque libere ac secure diu suis rebus, tunc regulariter* intra quatuor, *vel* quinque, *vel* sex, *aut* septem menses, *juxta quod possibilitas ei fuerit, & non ante convocatus ad tempus in Concilio legitimo & Canonico, veniat ad causam, & si ita juste videtur, accusantium propositionibus respondeat.*

Hic quoad inducias, accusato sive reo concedendas, significatur has ita moderandas & concedendas, ut conformiter ad tempus defensioni necessarium, prolixiores aut breviores concedantur: quod & modernæ pene disciplinæ, & praxi sat esse conforme ostendi in *Jure Eccl. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 7. *cap* 4.

Quæst. III. Prosequitur Gratianus eandem materiam de induciis dandis Episcopo.

Hac *quæstione tertia* eamdem materiam *de induciis* ulterius prosequitur Gratianus; atque ex falsis Decretalibus adstruit, Episcopo accusato esse concedendas inducias; tempus autem induciarum pro circumstantiis esse determinandum; quod & ex jure civili prolixo discursu prosequitur ad calcem quæstionis; atque conformiter ad ejus sententiam etiam hodie, non solum in judiciis Ecclesiasticis; sed & in sæcularibus factas esse arbitrarias, sive arbitrio judicum earum moderationem committi, in *Jure Ecclesiastico* loco supra citato ostendimus: sæpiusque notavimus, formam judiciorum per Gratianum ex his Decretalibus suo Decreto expressam, tandem per posteriorem Pontificum Decretales probatam, sensim etiam in forum sæculare in multis articulis irrepsisse, & receptam esse.

Quæst. IV. Qui legitimi accusatores esse dossint.

Hac *quæstione quarta* rursus ostendere vult Gratianus, qui generaliter ab accusatione Episcoporum repellendi sint, solis adductis falsis Decretalibus: cum vero in describendo ordine judiciorum, pene solis illis Decretalibus utatur, mirum non est, illum ordinem ad normam ibi expressam ab eo proponi.

Hodie soli officiarii publici, puta Promotor in curiis Ecclesiasticis, legitimi accusatores sunt, ubi de publica punitione agitur; omnesque passim in testes admittuntur; & quantum eorum depositioni sit deferendum, relinquitur arbitrio judicis, visa adversæ partis reprobatione.

Quæst. V. Qui testes possint repudiari.

Quæstione quinta prosequens ordinem judiciorum ac materiam de testibus, ait: Quod vere testes de domo „ accusatorum producendi non sint, & quod vox inimicorum non sit audienda, multorum auctoritatibus probatur ".

Hic rursus Gratianus plura fragmenta falsarum Decretalium adducit: neque ea, quæ hic a Gratiano proponuntur, pristinam Ecclesiæ disciplinam sapiunt.

Præterea cum hodie in judiciis ordinariis ad accusandum soli officiarii publici admittantur, his nequaquam applicari possunt, quæ Gratianus hic de accusatoribus repellendis ob inimicitiam adducit, sed de solis judicibus, qui ob inimicitias recusari queunt.

Quoad depositiones testium, hæ per reum enervari possunt; sed judicio judicis relinquitur, utrum per reum proposita fidem ejus enervent: sive an ejus depositioni nulla sit adhibenda fides.

Quæst. VI. Reus extra Provinciam ad judicium evocari non potest.

Questione sexta ostendens Gratianus *extra Provinciam reum nullatenus esse producendum*; ubique pene hanc moderationem dictis Decretalibus familiarem adjecit; *Salva in omnibus Apostolica auctoritate*.

Et *Canone* 14. ipse hanc sententiam subjungit. *Reverentia autem, quæ Apostolicæ debetur Ecclesiæ, & ejus auctoritas intelligenda est, cum vel ad ipsam appellatum fuerit, vel ab ea judices electi conceduntur.*

Assertum suum probat *Canone* 15. præcipue auctoritate pseudo-Decretalis Anacleti, qua declaratur: *quod unaquæque provincia, tam juxta Ecclesiæ, quam juxta sæculi leges, suos debet justos, & non iniquos habere judices, & non extraneos*, nisi, *ait*, Apostolicæ Sedis hujus decreverit auctoritas (*a*).

Hoc constat, assertum harum pseudo-Decretalium, in quantum dicitur: *Unaquæque provincia, tam juxta Ecclesiæ, quam juxta sæculi leges, suos debet justos, & non iniquos habere judices, & non extraneos*: plane conforme esse pristinæ disciplinæ, quæ non patiebatur causam extra Provinciam judicari. Clausulam vero; *nisi Apostolicæ Sedis hujus decreverit auctoritas*: pseudo-Isidori manu appositam esse, nequaquam obscu-

(a) Hæc verba in errorem inducere possunt; facile quidem est ea intelligere, ita ut Pontifici summo tribuatur facultas, qua provinciam definiendæ litis judicibus iniquis subjiceret. Quod vel leviter velle nefas foret.

obscurum est. Videri possunt quæ de hac re dixi in *Jure Eccl. Tom. IV. parte 3. tit. 5. cap. 3.*

Quæstio VII.

Hac quæstione ostendere vult Gratianus, quod *judex esse non possit, quem cum reo par, aut major macula inficiat.*

Non obscure confundit hic Gratianus judicium forense cum judicio interno, sive pœnitentiali; adducitque plura ex Gregorio, aliisque Patribus, quæ unice ad hoc judicium sive tribunal pœnitentiæ pertinent; vel etiam monita sunt ad Sacerdotes; ut prius in se corrigere satagant, quod in aliis corrigi volunt: vel ad judices etiam sæculares, quomodo non ex affectu, sed secundum leges & merita causæ judicare debeant: inter quæ merito notandum monitum, quod hic adducitur sub nomine S. Ambrosii *Canone* 4. *Judicet ille de alterius errore, qui non habet, quod in seipso condemnet: judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit punienda: ne cum de alio judicat, ille, qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla offensione, nulla levitate ducatur. Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis: sed juxta leges & jura pronuntiat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum & meditatum domo defert; sed sicut audit, ita judicat; & sicut se habet negotii natura, decernit: obsequitur legibus, non adversatur; examinat causæ merita, non mutat. Discite, judices sæculi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem: qui judicat non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est. In judicando magis sit cordi veritatis custodia, quam obedientia voluntatis.*

Qualis judex esse debeat, pulchre decetur Can. 4.

Quæstio VIII. Quot requirantur ad judicandum Episcopum de crimine accusatum?

Dicit Gratianus hac *Quæstione* 8. Episcopum ab uno tantum audiri, vel judicari non debere, adducit hanc in rem fragmentum falsæ Decretalis Zephyrini Papæ; necnon Canonem Concilii Carthaginensis II. qui est Canon 12. in Codice Africano.

Indubitatum est, Episcopum de crimine accusatum vel infamatum, nunquam potuisse ab uno Episcopo judicari, uti hic recte asserit Gratianus; & asseritur in pseudo-Decretali Zephyrini Papæ: sed judicari debuisse in conventu Episcoporum, sive Synodo Provinciali, conformiter ad Canones Nicænos, uti in eadem Decretali non obscure asseritur (*a*).

Ex falsis Decretalibus docet Gratianus Episcopum de[...] non posse sine auctoritate Sedis Apostolicæ.

Verum pseudo-Isidori apposita clausula, *Finis vero ejus causæ ad Sedem Apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur; nec antea finiatur (sicut ab Apostolis vel Successoribus eorum olim statutum est) quam ejus auctoritate fulciatur.* Patrum disciplinam, quæ Synodis Provincialibus plenam auctoritatem judicandi Episcopos attribuebat, plane enervat, dum Synodis finiendi causas Episcoporum auctoritatem, a Sedis Apostolicæ judicio dependentem reddit.

Adhæc omnino insulsa sunt, quæ hic parenthesi inclusa adducuntur: *sicut ab Apostolis vel Successoribus eorum olim statutum est*: nihil enim simile ab Apostolis statutum scitur aut legitur; immo per septem & amplius sæcula, plena auctoritas Synodis judicandi Episcopos remansit.

Quæst. IX. Nemo condemnandus nisi præsentes habeat accusatores, & testes, locumque ad abluenda crimina.

Quæstione 9. quærit Gratianus: *An accusatores vel testes in absentem vocem accusationis vel testificationis exhibere valeant.* Pro resolutione hujus quæstionis plures adducit auctoritates ex falsis Decretalibus, quibus asseritur contra absentem non esse audiendos accusatores; neque quemquam absentem de crimine accusatum ob solam accusationem esse damnandum, sed dandam esse copiam & tempus se defendendi: atque in hanc rem in primis notandus Canon 4. sub nomine Cornelii Papæ; ubi dicitur: *Omnia, quæ adversus absentes in omni negotio, aut loco aguntur, aut judicantur, omnino evacuentur, quoniam absentem nullus addicit, nec ulla lex damnat.* Et in *Canone* 5. sub nomine Marcelli Papæ in verbis: *Non oportet quemquam judicari vel damnari, priusquam legitimos habeat præsentes accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Idipsum asseritur *Canone* 6. sub nomine Damasi Papæ, qui & loquitur de omni Presbytero: additurque, non debere condemnari nisi habeat accusatores Canonice examinatos præsentes; insuperque locum se defendendi accipiat, id est, inducias Ecclesiasticas, ad abluenda crimina.

Examen criminis in prima instantia debet institui in Provincia.

Hac eadem quæstione & hoc intermiscet Gratianus, primam de crimine inquisitionem & examen institui debere in Provincia, in qua crimen est admissum, profertque eam in rem plura fragmenta falsarum Decretalium; ac inter cætera *Canone* 7. fragmentum ex pseudo-Decretali Damasi, in quo inter alia dicitur: Nec *extra propriam fiat Provinciam prima discussionis*
„ *accusatio*; quoniam & antiqua docet hoc Patrum
„ regula; in qua & Imperialia pariter statuta conci-
„ nunt, Criminum, inquiunt, discussio ibi agitanda
„ est, ubi crimen admissum; & in Canonibus præ-
„ cipitur, quæcumque negotia in suis locis, ubi
„ oborta sunt, finienda sunt; & reliqua talia, & his
„ similia.„

Hæc in relatis falsis Decretalibus expressa, omnino & pristinis Canonibus, & Imperialibus legibus sunt consona: at pseudo-Isidorus scopo suo confictas has Decretales accommodare studens, in hoc ultimo fragmento de suo addidit hanc adversam Canonibus & legibus clausulam: *Sine Apostolica præceptione, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri*; quasi de præceptione Sedis Apostolicæ extra provinciam prima discussionis accusatio fieri posset.

In probationem horum assertorum, nimirum, nullum esse condemnandum, nisi præsentes habeat accusatores, & locum ac tempus se defendendi, atque secundum statuta canonica & regalia, crimina esse examinanda & excutienda in Provincia, plura adducit Gratianus, atque tandem concludit quæstionem prolato *Canone* 21. sub nomine Nicolai Papæ ex Epistola ad Hincmarum Rhemensem, in quo scribitur: *Necesse est secundum sacrarum Scripturarum documenta, ac secundum justitiæ tramitem, & accusatum & accusatorem simul adesse: & unam partem, quantacumque & qualicumque prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur.*

Conclusio hæc profecto non tantum sanctis Canonibus & legibus Imperialibus; sed & juri naturali conformis est. Utinam hodie etiam in foro Ecclesiastico observaretur.

Quæst. X. Accusator deficiens in primo crimine, ad ulteriora probanda admitti non debet.

Quæstione 10. quærit Gratianus: *An deficientes in primo capitulo sint admittendi ad sequentia?* id est, an accusantes Clericum de pluribus criminibus, seu capitulis, & deficientes in primo, sint ulterius audiendi in sequentibus, uti intelligitur ex iis, quæ Gratianus sub initium quæstionis exponit, pateque ex iis, quæ adducuntur, id unum a Gratiano intendi, quod accusator in uno deficiens non debeat ad ulteriora probanda admitti, adducitque eam in rem *Canone* 1. Decretum sub nomine Concilii VII. Carthaginensis, estque Canon 130. in Codice Africano, quo decernitur: *Placuit ut quotiescumque Clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex his, de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cætera jam non admittantur.*

Ad hunc Canonem reflectens Aristenus ait: *Optima ratione & hic ad accusationem aut ad testimonium non admittetur, utpote qui calumniator videtur, & ideo etiam infamis est, eo quod multas profert contra quemlibet accusationes, sed nihil probat* (*a*).

Adducit & eam in rem *Canone* 3. fragmentum falsæ Decretalis sub nomine Felicis Papæ, quo idipsum asseritur.

Quanta sit gravitas criminis falsi accusatoris.

Quod vero *Canone* 2. adfertur sub nomine Concilii Arelatensis, spectat gravitatem criminis falso accusantis, in quo ita decernitur: *Eos, qui falsa fratribus capitula objecisse convicti fuerint, placuit usque ad exitum non communicare (sicut magna Synodus ante constituit) nisi digna satisfactione pœnituerint.*

Canon, ad quem tanquam ad Canonem magnæ Synodi remittitur, videtur Canon 14. Synodi Arelatensis I. anno 314. celebratæ, in qua hoc Decretum legitur; & quod notandum, sine exceptione in hoc Canone his verbis expressa: *Nisi digna satisfactione pœnituerint*; ut proinde verisimile sit, Synodum Arelatensem I. falsum accusatorem absolute exclusisse a communione usque *ad exitum vitæ*.

Quæst. XI. An accusatus pendente accusatione possit suum accusatorem reaccusare?

Quæstione 11. quærit Gratianus: *An accusato liceat accusationem in accusatorem vertere?*

Pro resolutione hujus quæstionis plura tum ex falsis Decretalibus, tum ex jure civili profert, intermiscens nonnulla, quæ ad ordinem cognitionum pertinent, secundum normam forensem judicialem, quæ post inductas falsas Decretales tandem circa sæculum IX. & X. in forum Ecclesiasticum irrepsit, ut non semel notavimus.

Cum autem hodie ad publicam accusationem criminum nemo admittatur præter publicos officiarios, etiam quæ hic a Gratiano adducuntur, pene omnia a foro recesserunt; & sufficienter probant Decretales hic a Gratiano adductas, non posse primis illis Pontificibus adscribi.

CAUSA IV.

Casus in hac causa propositus.

GRATIANUS pro hac causa proponit hunc casum: *Quidam in excommunicatione constitutus Episcopum accusare disponit, adolescentem infra decimum & quartum ætatis suæ annum ad assertionem suæ causæ adducit: prohibitus ab accusatione adolescentem accusatorem, & se testem facit. Adolescens personam accusatoris & testis gerere cupit, die statuta ad judicium electorum judicum veniunt: Episcopus minime occurrit: a communione suspenditur: tandem revocato judicio accusator culpabilis in accusatione invenitur: demum ad assertionem propriæ causæ procedit.*

Ex

(a) Consule quæ dicta sunt *Tom. VII.* hujus edit. *Schol.* in Canonem 12. Africanum.

(a) Consulatur Scholion in Canonem 130. Africanum *Tom. VII.* hujus editionis.

Quæst. I. Qui ab accusatione repellantur?

Ex hoc casu elicit Gratianus sex quæstiones, atque in prima quærit: „ An in excommunicatione constitutus alium accusare valeat „ ?

Pro resolutione hujus quæstionis adfert Gratianus *Canone* 1. Decretum sub nomine Concilii Carthaginensis VII. quod conflatum apparet ex duobus Canonibus Concilii Carthaginensis VI. celebrati præsente Faustino Sedis Apostolicæ Legato: referunturque in Codice Africano *Canone* 128. & 129. de quibus consuli possunt *Tom. VII. Scholia* in utrumque Canonem: ubi notavimus Gratianum hos duos Canones non tantum in unum conflasse; sed ex clausula finali posterioris Canonis conflasse Canonem separatum, quem retulit hæc causa *Quæstione* 6. *Canone* 2. Cæterum quæ de repellendis ab accusatione tum excommunicatis, tum hæreticis, Paganis, &c. vix hodie in Belgio usum habent, (a) eo quod ad accusationem publicam, de qua sola hic agitur, soli officiarii publici admittantur, ut jam sæpius monui.

Quapropter & quod *Canone* 2. ex Epistola Nicolai I. adducitur conformiter ad Canonem Concilii Constantinopolitani I. de his, qui ab accusatione Episcoporum sunt repellendi, similiter usum nullum habent in judiciis ordinariis: nisi forsan, quod nec eorum testimoniis aut denuntiationibus fides adeo facile sit adhibenda.

Quæst. II. & III. De ætate requisita ad testandum.

Quæstione 2. ex casu proposito educta quærit Gratianus: „ An infra decimum quartum annum in criminali causa testari quis possit „ ? Et *Quæstione* 3. „ An ab accusatione prohibitus, personam testificantis possit assumere „ ?

Has duas quæstiones in unum conflans Gratianus, utriusque resolutionem conjungit, ut ipse etiam monet in principio resolutionis.

Qui a testando repellantur?

Monet autem glossographus ad initium hujus causæ, quod supra *Causa* 3. *Quæstione* 8. dictum sit: „ Quod „ quidam repelluntur ab accusatione propter crimen „ vel infamiam; nunc supponit Gratianus quartam „ causam, in qua quæritur, an propter excommunicationem repellatur quis ab accusatione. Addit etiam in qua ætate admittitur quis vel non admittitur ad testimonium: qua occasione interserit legalem tractatum de testibus, & quærit, an idem „ possit esse accusator & testis, & de induciis expectatoriis „.

Tractatus ille *legalis* de testibus, cujus meminit glossa, ex variis legibus Digestorum & Codicis Digestus subjungitur Canoni 3. *Quæstione* 2. & 3. monent autem Correctores Romani: „ In hoc capite, sive discursu legati varias leges Digestorum & Codicis ita „ refert Gratianus, ut interdum eadem prorsus afferat verba; interdum vero mutet ac transponat & „ in summam redigat. „

Qui porro hodie a reddendo testimonio repellantur, quomodo testes sint producendi, latius exposui in *Jure Eccles. Tom. IV. part.* 3. *tit.* 7. *cap.* 6.

Quæst. IV. Nemo potest esse accusator & testis

Quæstione 4 quærit Gratianus: „ An idem possit „ esse accusator & testis? „ Hic sine hæsitatione resolvit: „ Nullum posse simul sustinere personam accusatoris & testis: „ idque productis nonnullis fragmentis falsarum Decretalium sub nomine Fabiani & Damasi.

Quæst. V. En Episcopus non comparens, ut se purget, a communione sit removendus.

Quærit *Quæstione* 5. „ An die constituta non occurrens Episcopus, ut se de objecto crimine expurget, a communione sit removendus? „ Adducitur autem unicus Canon Carthaginensis nonnihil truncatus, in quo non agitur de judicibus *electis* ex compromisso, uti innuit Canonis lectio apud Gratianum, sed de judicibus ordinariis, sive de Metropolitano cum suis Episcopis comprovincialibus.

Insuper deciditur, quod ob solam institutam accusationem Episcopus non debeat a communione suspendi: sola enim accusatio nullum reum facit, vel de crimine suspectum.

Quæst. VI.

Denique *Quæstione* 6. quærit Gratianus, an is qui ab accusatione Episcopi in causa criminali repellitur, possit saltem propriam causam adversus Episcopum prosequi, citatis Canonibus Carthaginensibus, in quibus clare deciditur, quod accusator, etiam in causa criminis deficiens, nihilominus possit contra Episcopum propriam & privatam causam prosequi.

C A U S A V.

HACTENUS Gratianus egit de his, qui manifeste accusant: „ Nunc supponit, inquit glossa, causam quintam, in qua tractatur de his qui *occulte* „ accusant; scilicet per *libellum famosum*, quem clanculo scribunt in alicujus infamiam.

Casus in hac causa propositus.

Hunc in finem proponit sequentem casum, seu causam; „ in infamiam cujusdam Episcopi chartula accusationis occultæ conscribitur. Tandem accusator „ procedit in publicum: Episcopus autem semel litteris evocatus causæ suæ die statuta adesse non valens per procuratorem judici se præsentavit: absque „ Synodali audientia damnatur. Demum judicio per „ appellationem renovato; de accusatoris inimicitia „ Episcopus conqueritur, tandem in ipsa probatione „ deficit accusator. „

Quæst. I. Quibus pœnis puniendi auctores libellorum famosorum?

Ex hoc casu elicit Gratianus sex quæstiones; atque hac prima quæstione quærit: „ qua pœna sit feriendus, qui famosum libellum clanculo scribens, probare negligit quæ litteris mandavit? „

Profert in primis *Canone* 1. ex capitulis Hadriani: „ Qui in alterius famam publice scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non „ probaverit, flagelletur; & qui ea prius invenerit, „ rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere. „

Notandum monet hic glossographus verbo, *flagelletur, pœnas corporales infligi secundum Canones*. At notat Antonius Augustinus in notis ad capitula Hadriani, quod licet Gratianus hoc recitet sub nomine Hadriani, tamen sumptum ex Pontificio jure non videri. De his pœnis Ecclesiasticis videri possunt notata in *Jure Eccles. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 11. *cap.* 1.

Addit & fragmentum *Epistolæ* 30. *lib.* 5. Sancti Gregorii, cui nonnulla ex ipsa Epistola addiderunt Correctores Romani; meritoque integra legitur, in qua fortiter arguit Gregorius eum, qui contra Castorium *notarium & responsalem suum nocturno silentio in publico civitatis loco contestationem posuit in ejus crimine loquentem*. Hic igitur, nisi ostendat vera esse quæ scripsit, vel publice errorem suum confessus sit, *& qui consensum suum in tantæ iniquitatis consilio præbuit, ex Dei & Domini nostri Jesu Christi spiritu definit, ut sancti ejus corporis & sanguinis participatione privatus sit*: sit autem, quia latet, huic se disciplinæ non subjiciat, *tunc anathematis ultione percussus sit, & ut fallax ac pestifer a sanctæ Ecclesia corpore sit divisus*.

Addit & in fine hujus quæstionis Gratianus textum *legis Unicæ, Cod. de famosis libellis*. Ubi passim commentatores notant, pœnas contra aut auctores aut divulgatores similium libellorum decretas esse, idque varias pro varietate & diversitate criminum, quæ imputantur, & personarum, quæ infamantur.

Quæst. II. De trina citatione Canonica requisita ante condemnationem.

Quærit *Quæstione* 2. „ Quoties sit vocandus ad causam, antequam sententiam damnationis accipiat? „ Et ex relatis auctoritatibus concludit: „ Manifestissime intelligi, quod nisi quis Canonice vocatus fuerit, etiamsi aliqua occasione ad Synodum venerit, „ suis nullatenus cogatur respondere insidiatoribus, „ Canonica autem vocatio est, inquit, quando, „ *servato dierum interstitio*, secundum auctoritatem „ Beati Silvestri, causæ suæ litteris adesse jubetur, „ quibus, quid ei objiciatur, auctoritate Felicis Papæ „ significari oportet. „

Quamvis hic allegata sub nomine Silvestri *Canone* 2. & Felicis II. *Canone* 4. uti & cætera *Canone* 1. & 3. exigui vel nullius sint ponderis, utpote e falsis Decretalibus excerpta, nihilominus vera ac probata & recepta est hæc Gratiani conclusio, & quidem in jure fundata, eatenus saltem, ut scilicet, nemo nisi legitime citatus & auditus; & quidem trina citatione præmissa, libelloque gravaminum communicato condemnari queat.

Quæst. III. An & quando quis per procuratorem causam agere valeat?

Inquirit *Quæstione tertia*: „ Utrum per procuratorem causam suam agere valeat, qui per seipsum „ causæ adesse non potest. „ Resolvit autem Gratianus, quod Episcopus possit legatum suum ad Synodum mittere, ut causam legitimam absentiæ proponat, sed quod causam *criminalem nulli nisi per se agere liceat*.

Tametsi rursus parum authentica sint, in quibus resolutionem suam Gratianus fundat, nihilominus ea opinio recepta & probata est.

Quæst. IV. Episcopus absque Synodali auctoritate damnari non debet.

Quæstione quarta quærit Gratianus: „ An Episcopus „ absque Synodali audientia sit damnandus? „ Resolutio ejus est, quod Episcopus absque Synodali audientia damnari non debeat.

Indubitata & pristinæ disciplinæ conformis, atque in ipsis Canonibus fundata est hæc sententia Gratiani, scilicet quod Episcopus accusari & damnari non possit nisi in Synodo Episcoporum: idque & probant quæ hic *Canone* 1. & 2. sub nomine Julii I. & Zephyrini proferuntur; sed quæ hisce Decretis adduntur manifestam produnt Isidori manum adulteratricem.

Requirit præterea Gratianus ex falsis Decretalibus, ut Sedis Apostolicæ auctoritas interveniat.

Et quidem *Canone* 1. sub nomine Julii Papæ dicitur, quod nullus Episcopus nisi in legitima Synodo super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, vel judicetur, vel damnetur: sed addita hæc clausula, *suo tempore Apostolica auctoritate convocata*, palam prodit pseudo-Isidori adulteratricem manum; quasi nulla esset Synodus legitima, in qua Episcopus accusari & judicari posset, *nisi suo tempore auctoritate Apostolica convocata*.

In altero Decreto sub nomine Zephirini Papæ similiter asseritur, quod coram Episcopis *simul congregatis* & electis causa Episcopi possit examinari & instrui; sed & hic additur finalis clausula: *finis vero ejus causæ ad Sedem Apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur; nec antea finiatur, quam ejus auctoritate fulcia-*

(a) In Galliis nullum usum obtinent.

ciatur; quæ non minus manifeste manum fictitiam Isidori præfert.

Quin & ut hæc auctoritas Sedi Apostolicæ firmius adstruatur, additur in Decreto Gratiani, prout hodie legitur: *Sicut ab Apostolis vel Successoribus eorum olim statutum*. Quæ nec in editione Antonii Contii leguntur.

Licet compertum sit, hæc ab ætate dictorum Pontificum esse remota; ex his tamen, aliisque similibus Decretalibus concludit Gratianus: „Quod vero absque „ Synodali audientia Episcopus damnari prohibetur, „ sine præjudicio Romanæ Sedis oportet intelligi, quæ „ sua, ait, auctoritate quosque valet damnare, vel „ damnatos absolvere. „

Hæc & similia indubie sunt ex his, quæ moverunt Romanos Pontifices, eorumque Curiales, ut & collectionem pseudo-Isidori, nec non Decretum Gratiani tantopere sustinuerint, uti in dissertatione proœmiali notatum est.

Quæst. V. An & quando licitum sit aliorum crimen revelare?

Explicat Gratianus *Quæstione* 5. aliquando pium esse, aliqando calumniosum, aliorum crimina revelare: „ Aliud est, ait, ad calcem *Canonis* 5. ex charitate „ aliorum crimina deferre, ut quos secreta admoni„ tione corrigere non possumus, convictos judicis sen„ tentia corripiat: atque aliud insidiando falsa objice„ re, vel insultando vera facile exprobrare: illud ve„ ro charitatis, hoc autem impietatis est officium. „ Notandum, quod non dicit simpliciter Gratianus impietatis esse officium vera aliorum crimina revelare; sed vera *insultando* & *facile* revelare: licet enim, quin & utile est aliquando, & necessarium occulta aliorum crimina revelare, dum silentium futurum est causa majoris mali, & revelatio majoris boni.

Hanc in rem admodum notandus textus sancti Augustini relati *Canone* 1. *Non vos judicetis malevolos, quando crimen alterius indicatis: magis quippe nocentes estis non indicando crimen, quam si fratres vestros quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis: si enim frater tuus vulnus habeat in corpore, quod vult occultari, dum timet secari; nonne crudeliter te siletur, ac misericorditer indicatur? Quanto ergo potius debes manifestare crimen, ne deterius putrescat in corde* (a).

Idipsum adstruitur *Canone* 2. ex eodem Doctore, & *Canone* 3. ex S. Ambrosio. Deinde profert *Canone* 4. aliqua ex falsa Decretali Eusebii Papæ, quæ prædictis videntur contraria: conciliandi tamen rationem subjicit *Canoni* 5. quæ verba supra retuli.

Quæst. VI. Quæ pœna calumniatoribus infligenda?

Denique *Quæstione* 6. agit de pœna calumniatori infligenda.

Hanc in rem quædam refert sub nomine Gregorii Papæ, monentque Correctores Romani ad calcem Canonis 2. *Hic Gratianus partem sequentis capituli, quasi quamdam per se sententiam, quod non raro solet, proponit.*

Dein *Canone* 3. recitat verba tamquam ejusdem Pontificis in regesto, quibus dicitur, quod *juxta Canonicas Patrum sententias, qui calumniam illatam non probat, pœnam debeat incurrere, quam si probasset, reus utique sustineret?*

Monent rursus hic Correctores Romani: *In regesto B. Gregorii hæc non sunt inventa, sed habentur omnia in vita ipsius a Joanne Diacono scripta.*

De pœnis Presbyterorum & aliorum Clericorum calumniantium ex Novellis Justiniani discurrit ad calcem *Canonis* 3. sed admonent Correctores Romani, quod Gratianus *non omnia ipsa verba aut veteris interpretationis, aut Juliani, aut Irnerii retulerit, quare operæ pretium fuerit, Novellam ipsam Græcam, & vulgatas interpretationes consulere: extant aliquæ varietates non contemnendæ.*

Extat *Canone* 6. Decretum tamquam ex Concilio Eliberitano, quo placuit: *Delator si quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus, vel interfectus, non nisi in fine accipere communionem.* Ita quoque legitur apud Burchardum & Ivonem locis ad marginem notatis. At in Concilio Eliberitano *Canone* 73. & *lib.* 6. *Capitular. cap.* 244. item *lib.* 7. *cap.* 360. & additione quarta *cap.* 34 ubi integer textus Canonis Eliberitani refertur, legitur: *cum nec in fine accipere communionem*: hancque lectionem magis probat Ferdinandus Mendoza in notis ad hunc Canonem Eliberitanum, quod sæpissime, ait, eadem pœna pro similibus delictis in hoc Concilio sanciatur, quod & hic notant Correctores Romani (b).

(a) Iste S. Augustini locus desumptus est ex capite quinto Regulæ S. Doctoris, ubi verba quædam non extant eadem ac in Canone Gratiani. Etenim in Regula legitur: *magis quippe innocentes non estis si fratres vestros, quos*, &c. quæ quidem a Gratiano non ita lecta fuerant, ut constabit utrumque textum conferenti.

(b) Consule quæ dicta sunt *Tom. VII. Schol.* in Canonem 73. Eliberitanum.

CAUSA VI.

Ratio connexionis hujus causæ cum præcedenti.

SUPRA in secunda & quarta causa, multis capitibus docuit Gratianus, quod criminosi & fames repelluntur ab accusatione & testimonio: *Sed quia, ait glossa, quædam sunt crimina excepta, in quibus criminosi & infames admittuntur, ideo annectit hanc causam, ut ostendat, quod in crimine excepto, criminosi & infames admittuntur. Ostendit etiam, quod simplici assertioni Episcopi non creditur, cum vult alium accusare, & quod Episcopus accusatus ad alium Archiepiscopum ire non debet.*

Quæ crimina excepta, pro quibus admittuntur quivis testes?

Crimina autem excepta secundum Gratianum sunt, uti notat glossa: „ Crimen læsæ majestatis, crimen „ perduellionis, quod est species criminis læsæ maje„ statis, crimen hæreseos, crimen simoniæ, crimen „ sacrilegii, crimen fraudati census vel annonæ. „

Verum Gratianus vix materiæ sibi propositæ inhærens, *Quæstione prima* unice pene rursus laborat ostendere, ad Episcoporum & Presbyterorum accusationem nec infames, quin nec subditos facile admittendos; idque auctoritate falsarum Decretalium, e quibus omnes fere Canones decerpti sunt: nec nisi *Canones* 22. & 23. crimina excepta spectant: his enim proferuntur leges Codicis, quibus ad probandum *crimen læsæ majestatis* quivis testes admittuntur; atque hinc arguit Gratianus, similiter in crimine *hæresis* quosvis testes admitti.

Augustini moderatio in dijudicanda criminum gravitate.

Notanda moderatio S. Augustini in dijudicanda criminum inter se gravitate ex verbis ejus *lib.* 4. *c.* 20. *de Baptismo contra Donatistas*: quæ refert Gratianus *Canone* 21. „ Utrum catholicus pessimis moribus ali„ cui hæretico, in cujus vita, præter id quod hære„ ticus est, non inveniunt homines, quod reprehen„ dant, præponere debeamus, non audeo præcipitare „ sententiam, „

Quæst. II. An Episcopi simplici assertioni credi debeat?

Quærit Gratianus *Quæstione* 2. „ An Episcopi sim„ plici assertioni credi debeat? „ Propositæ quæstioni subjungit: „ Facile solvitur, si Sanctorum Patrum „ auctoritas diligenter inspiciatur. Ut enim Sancti „ Patres definiunt, nullius personæ quantumlibet exer„ citatæ confessioni fides est adhibenda, nisi compe„ tentes probationes adhibeat. „

Hic notandus Canon Concilii Vasensis relatus *Canone* 1. in quo tamen Gratianus ab originali nonnihil deflexit, uti & notant Correctores Romani; meritoque legendus prout extat apud Labbæum *Tom. III. Concil. General. col.* 1458.

Quæst. III. Extra Provinciam appellare non licet.

Adducit *Canone* 3. binos Canones in unum conflatos ex Concilio Africano, qui in Codice Ecclesiæ constituunt Canones 132. & 133. Horum Canonum unicus scopus est ostendere, Episcopum non posse Clericum a sua communione *publice* segregare, si illum legitime de crimine eam segregationem merente convincere non possit: licet asserat Clericum *sibi soli* crimen illud fuisse confessum, vel sibi soli notum esse. (a)

Quæstione 3. dicit Gratianus, quod judicium Archiepiscopi alterius Provinciæ expetere non liceat: hoc licet verum sit, & sacris Canonibus, præsertim Nicænis conforme; quæ tamen Gratianus hic adducit, parum authentica sunt: ac signanter quod *Canone* 2. refert ex Epistola Pelagii II. Hæc enim Epistola non reperitur, uti notavit Joannes Launoy Theologus Parisiensis in *assertione disquisit. in chartam immunitat. B. Germani parte* 2. *cap.* 10. & 11. uti & probat, ætate Pelagii II. nondum usu receptum fuisse, ut Episcopi Metropolitano subjecti, dicerentur suffraganei.

Quæst. IV. Dum in judicando Episcopo judices non concordant, advocandi e vicina Provincia alii Episcopi.

Quæstione 4. Quærit, quomodo judicandus sit Episcopus, si electi judices inter se non concordent?

Dicit Gratianus, hanc quæstionem decidi in Concilio Antiocheno *Canone* 14. quo statuitur, ut simili casu advocentur *vicinæ Provinciæ Metropolitanus Episcopus, & aliquanti cum eo Episcopi alii, qui pariter residentes, quæcumque fuerint, dirimant quæstiones.* Refertur hic Canon a Gratiano *Canone* 1. sed a Græco, seu originali multum difformis. Refert & eumdem *Canone* 3. ex versione Martini Bracarensis, eum per errorem tribuens *Concilio Martini Papæ*. Neque in Græco textu hujus Canonis, neque in versione Dionysii ulla fit mentio *Metropolitani* e vicina Provincia evocandi, quod & observarunt Correctores Romani: neque enim verisimile est, in eadem Synodo Provinciali duos intervenisse Metropolitanos; sed duntaxat aliquos ex vicina Provincia evocatos fuisse Episcopos, qui causam una cum Episcopis Provincialibus deciderent: unde Martinus Bracarensis a sensu hujus Canonis multum aberravit, dum in sua versione solius Metropolitani e Provincia vicina meminit evocandi, quem errorem non advertens Gratianus, huic Canoni, quem refert ex hac versione *Canone* 2. præfixit hanc epigraphen: *Quando judices electi de sententia inter se discordes extiterint, de vicina Provincia Archiepiscopus advocetur.*

Subjun-

(a) Vide Tom. VII, *Schol.* in Canones Africanos.

Exceptio Gratiani non convenit ætati Concilii Antiocheni.

Subjungit autem Gratianus hanc exceptionem : ,, Nisi eadem Provincia primatem habuerit , ad quem ,, negotia , quæ per Metropolitanum terminari non ,, valent , referenda sint . ,, Adducit *Canone* 3. in hujus probationem verba Bonifacii Papæ Episcopis Galliæ ; sed inter Epistolas ejus non reperta : unde in *edit. Labb. Tom. IV. Concil. General. col.* 1287. rejicitur hoc Decretum inter ea , quæ auctoritate Gratiani huic Pontifici attribuuntur : Et sane hæc exceptio , quam subjungit Gratianus , nullatenus congruit ætati Concilii Antiocheni ; quia ea ætate needum ita passim noti erant Primates cum jurisdictione supra Metropolitanos .

Dum judices concordant, eorum sententia debet esse immobilis.

Hactenus dixit Gratianus quid juris sit , si in condemnatione Episcopi judices fuerint discordes : ,, Sed ,, si omnium comprovincialium concordi sententia ,, fuerit damnatus , manebit erga eum , ait , immo- ,, bilis sententia . ,, Id plane conforme Canonici 15. Antiocheno , quem refert *Canone* 5. Gratianus . At eidem hanc moderationem appendendam censuit : ,, Subintelligendum est , nisi ad judicem majoris au- ,, ctoritatis fuerit provocatum : tunc enim per appel- ,, lationem soluta sententia firmitatem non obti- ,, net . "

Exceptio Gratiani a pristina disciplina dissona.

Gratianus disciplinam sui temporis non distinguens a disciplina pristina , Canoni Antiocheno exceptionem a mente Concilii omnino dissonam affingit : Nequaquam enim obscurum est , Gratianum in relata clausula loqui non de provocatione ad majorem Synodum, sed de appellatione ad Romanum Pontificem , cujus ne vestigium quidem in Canone Antiocheno apparet . Vide *Tom. VI. Schol. in Canonem* 15. *Antiochenum* . Consuli quoque poterit *Scholion in Canonem* 5. *Sardicensem Tom. VII.* ubi ostensum est , eo Canone appellationem ad Romanum Pontificem a judicio Synodi non probari, uti supponere videtur Gratianus , hunc Canonem hic recitans *Canone* 7.

Quæst. V. An & quando reus sit cogendus ad probationem?

Probat *Quæstione* 5. quod deficiente accusatore non sit reus cogendus ad probationem , auctoritate Gregorii *lib. 5. Epist.* 25. & legis 23. *Cod. de probat.* ubi dicitur , quod actor non probans , *reum necessitate monstrandi contrarium non adstringat , cum per rerum naturam , factum negantis probatio nulla sit .*

Monet autem Gratianus : ,, hoc servandum esse , ,, quando reum publica fama non vexat : tunc enim ,, auctoritate ejusdem Gregorii (*caus.* 2. *quæst.* 5. ,, *Canon.* 8. & 9. propter scandalum removendum , ,, famam suam reum purgare oportet . " Hac ratione inducta est purgatio Canonica : de qua purgatione fusius actum ad citatam *causam* 2.

CAUSA VII.

De renuntiatione Episcopatus.

INITIO Causæ septimæ ait glossa : ,, Supra *causa* 6. *quæst.* 3. *Can. Denique* , facta fuit mentio de ,, renuntiatione Episcopatus : unde Gratianus nactus ,, occasionem subjicit causam istam, in qua tractat *de* ,, *renuntiatione* , & an Prælato vivente alius sit ei ,, substituendus , & de mutatione sedis & quibusdam ,, aliis . ,,

Casus in hac causa propositus.

Hunc in finem proponit hunc casum : ,, Quidam ,, Episcopus longa ægritudine gravatus , alium sibi ,, substitui rogavit , cujus precibus summus Pontifex ,, annuit, & quod rogaverat ei concessit ; postea vero ,, convaluit idem Episcopus , & quod prius fecerat , ,, cupit rescindi adversus eum , qui sibi successerat , ,, quæstionem movet , suamque cathedram tamquam ,, sibi debitam reposcit . Ex hoc casu elicit Gratianus ,, duas quæstiones ,, .

Quæst. I. Multis probat Gratianus in locum viventis Episcopi alium ordinandum non esse.

Et quidem *Quæstione* 1. quæritur , Utrum vivente ,, Episcopo , alius possit in eadem Ecclesia ordi- ,, nari ,, ?

Hanc quæstionem dividit Gratianus in novem partes , quarum *prima* probat , in locum viventis Episcopi , tametsi morbo aut senio confecti , alium non esse ordinandum , adductis variis S. Gregorii auctoritatibus , quibus plura addit ex S. Cypriano , quibus probatur nec Episcopum Ecclesiæ suæ cedere , nec populum a suo Episcopo facile recedere posse , adducto etiam Canone 2. fragmenti falsæ Decretalis Evaristi Papæ , quæ tota versatur , ut vinculum insolubile inter Episcopum & Ecclesiam suam ostendat : & sicut , ,, inquit , uxori non licet dimittere virum suum , ut ,, alteri se , vivente eo , matrimonio societ , aut eum ,, adulteret , licet fornicatus sit vir ejus , sed , juxta ,, Apostolum , aut viro suo reconciliari debet , aut ,, manere innupta , ita Ecclesiæ non licet dimittere ,, Episcopum suum , aut ab eo se segregare , ut alte- ,, rum vivente eo , accipiat ; sed aut ipsum habeat , ,, aut innupta maneat : id est , alterum Episcopum , ,, suo vivente , non accipiat , ne fornicationis aut ,, adulterii crimen incurrat .

Matrimonium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam.

Admodum verisimile est ex hac falsa Decretali invaluisse opinionem de matrimonio spirituali inter Episcopum & suam Ecclesiam , ejusque inde resultante ,, vinculo , quod fortius esse vinculo carnali dixit Innocentius III. *in cap.* 2. *de translat. Episcopi* .

Potest tamen alius substitui si Episcopus infirmitate gravatus id petat.

Porro quod dictum est , Episcopo morbo aut senio confecto alium subordinari ipsi viventi non posse , monet Gratianus ad calcem *Canonis* 1. intelligendum : ,, Quando ille qui ægrotat alium sibi substitui non ,, rogat : cæterum quando aliquis vel senectute vel ,, infirmitate gravatus susceptum officium administrare ,, non valet, si alium sibi substitui petierit , rationa- ,, biliter fieri potest.

Divina officia peragenti adjutor debet assidere.

Quia Gratianus egerat de Episcopis infirmitate gravatis , intermiscet hic bina Decreta *Canone* 15. & 16. prius e Concilio Toletano XI. & alterum ex Concilio Toletano VII. quibus injungitur , ut solemnia divina officia peragenti semper aliquis assistat : ,, Ut si perniciosa passio , vel corporis quælibet inva- ,, letudo occurrat , quæ aut corpus subito subrui ,, faciat , aut mentem alienatione vel terrore confun- ,, dat . . . . habeat quisquis illic canens Deo atque ,, sacrificans post se vicini solaminis adjutorem ,, : uti dicitur *Canone* 15. & *Canone* 16. censuit Concilium Toletanum VII. convenire : ,, Ut cum a Sacer- ,, dotibus missarum tempore sancta mysteria conse- ,, crantur , si ægritudinis acciderit quilibet eventus , ,, quo cœptum nequeat consecrationis expleri myste- ,, rium , sit liberum Episcopo vel Presbytero alteri ,, consecrationem exequi officii cœpti . . . . cum e- ,, nim simus omnes unum in Christo , nihil contra- ,, rium format diversitas personarum : ubi efficaciam ,, prosperitatis unitas fidei repræsentat ,, .

Parte 3. quæstionis resolvit Gratianus Episcopo senectute gravato non Successorem , sed Coadjutorem esse dandum.

An & qua moderatione Episcopo senectute gravato Coadjutor dandus sit.

Hanc in rem merito notanda , quæ *Canone* 17. sub nomine Zachariæ Papæ ad Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum refert Gratianus , e quibus intelligitur quanta moderatione dandus sit Coadjutor , qui reipsa Episcopum infirmitate aut senectute gravatum in onere Episcopalis assistere & sublevare queat : ex quibus & intelligetur quam procul a pristinis illis Coadjutoriis differant , quæ hodie conceduntur Coadjutoriæ cum futura successione .

Translationes ab una Ecclesia ad aliam Canonibus interdictæ.

Quod autem dixit Episcopum Ecclesiam suam dimittere non posse , exponens *parte* 4. dicit : ,, Id ,, intelligendum , nisi inevitabilis necessitas id exigat : ,, ambitionis enim causa quicumque Ecclesiæ suæ me- ,, diocritate despecta , ad majorem Ecclesiam transire ,, voluerit , debet revocari ad propriam ; quod si re- ,, dire contempserit , careat aliena , & propria ,, . Citat hanc in rem Gratianus plures Canones eam mutationem severe interdicentes , de quibus videri potest Tractatus Historico-Canonicus in reflexionibus ad dictos Canones .

Exceptio Gratiani in pristinis Canonibus non occurrit.

Deinde *parte* 5. ad calcem Canonis 33. moderationem aliquam hujus absolutæ inhibitionis subjungit , scilicet , mutationes seu translationes illas *communi consilio , atque aliorum utilitate fieri posse* .

Verum hæc moderatio in pristinis Canonibus nullibi occurrit ; sed absolute & sine restrictione translationes illæ prohibentur : unde & non nisi apocrypha , & recentiori manu conficta monumenta hic adducit Gratianus : atque in primis Canone 34. fragmentum falsæ Decretalis Anteri Papæ , in quo dicitur : *Mutationes Episcoporum scitote communi utilitate atque necessitate fieri licere , sed non propria cujusquam voluntate aut dominatione .*

Notant Correctores Romani , huic falsæ Decretali addita esse hæc : *auctoritate hujus sanctæ Sedis :* item & hæc : *non tamen sine sacrosanctæ Sedis Romanæ auctoritate & licentia* . Hic habemus exemplum , ubi nonnulla in amplificationem Sedis Apostolicæ in fragmentis , uti referuntur in Decreto Gratiani , occurrunt , quæ in falsis Decretalibus , prout apud Isidorum leguntur , non reperiuntur .

Adducit dein *Canone* 35. & 36. bina fragmenta Epistolæ 2. Pelagii II. Benigno Archiepiscopo , quæ integra extat *tom. 5. Concil. General. col.* 931. cui ibidem hanc notam marginalem apponit Labbæus : *Quin hæc sit ex suppositiis Isidori mercibus nemo unquam dubitabit , in legendis veterum monumentis exercitatus .*

Suspectæ fidei est Canon permittens , quandoque fieri ejusmodi translationes.

Majoris ponderis plerisque apparebit , quod *Canone* 37. refert , Decretum Concilii Carthaginensis IV. quo decernitur , ut ,, Episcopus de loco ignobili ad no- ,, bilem per ambitionem non transeat , nec quisquam ,, inferioris Ordinis Clericus . Sane si utilitas Ecclesiæ ,, fiendum poposcerit , Decreto pro eo Clericorum & ,, Laicorum Episcopis porrecto in præsentia Synodi ,, transferatur , nihilominus alio in locum ejus Epi- ,, scopo subrogato ,, .

At inter plura argumenta , quæ hanc vulgatam Synodum Carthaginensem quartam viris eruditis suspectam reddunt , non minimum est , quod ex hoc Canone eruitur ; putant enim translationes Episcoporum hic benigniore manu tractari , quam disciplina Ecclesiæ Africanæ præsertim sæculo IV. patiebatur .

Quam enim odiosæ fuerint eo tempore hæ translationes docet Canon 38. Concilii Carthaginensis anno 397.

397. qui in Codice Africano constituit Canonem 48. (*a*) quo translationes simpliciter & sine ulla exceptione reprobantur; ipsisque rebaptizationibus & reordinationibus comparantur. Docet & id causa Cresconii, adversum, quem, quod relicta Villaregensi Ecclesia Tuberiensem occupasset, sine ulla remissione aut indulgentia processum est.

Hoc autem Canone rigor ille ita temperatur, ut dum ambitionem Episcoporum notare & coercere velle videtur, eidem viam latam sternat: licitas enim translationes esse innuit, si modo a nobiliore ad minus nobilem, si citra ambitionem; si cum utilitate Ecclesiæ fiant. Ecquis porro ambitiosum se fateatur; quis utilitatem Ecclesiæ cupiditati suæ non obtendat?

Et sane quis non videat, sub obtentu hujus exceptionis sive moderationis translationes has labentibus sæculis ita invaluisse, ut multis Episcopis videatur persuasum, se Ecclesiæ suæ duntaxat alligatos esse, quousque ad aliam ditiorem & commodiorem transeundi occasio deest.

Cæterum circa veritatem hujus Concilii IV. consuli poterit Tillemontius *tomo* 13. *Memorialium Eccles. art.* 123. & *nota* 29. qui ibidem magis inclinatur, ut hanc Synodum ut genuinam agnoscat; creditque argumenta in contrarium non probare sufficienter, eam ut supposititiam esse rejiciendam (*b*).

Nullius ponderis esse quod recitatur *Canone* 39. ex Decretali Calixti Papæ fatentur eruditi, qui eam mercibus Isidorianis adscribendam non dubitant.

Quod de Episcopis dixit Gratianus, non posse alium in locum viventis ordinari, id & de quibuslibet Ecclesiæ ministris intelligi resolvit *sexta parte* quæstionis.

An & quando ad aliam Ecclesiam translatus ad priorem redire possit?

Post hæc *parte* 7. concludit, quod dum Episcopo ad aliam Ecclesiam translato alius substituitur; " tunc secundum rei veritatem non vivente Episcopo talis ,, probetur succedere: translatus enim, ait, ab una ,, civitate ad aliam, desinit esse Episcopus illius civi- ,, tatis, a qua transfertur: atque ideo, qui huic succe- ,, dit, non vivente, sed defuncto quodammodo Episco- ,, po, probatur substitui: sed inter eum qui hostilitatis ,, necessitate, & eum qui utilitatis causa transfertur, ,, hoc interest, quod ille, qui metu hostilitatis ad aliam ,, transit, si priorem contigerit aliquando ab hostibus ,, liberam fieri, ad eamdem illum redire oportet.

Posterius sui asserti membrum probat *Canone* 42. auctoritate S. Gregorii ex *Epistola* 25. *l.* 2. *indict.* 10.

Deinde allegat Gratianus alium casum, quo viventi Episcopo alius substitui potest. " Cum enim aliquis ,, relicta priore cathedra, sua auctoritate ad aliam ,, transierit, si alius ei substitutus fuerit, licet ille ,, prioris Ecclesiæ Episcopus esse non desierit, substi- ,, tus tamen Episcopatum habebit ".

Citat in hujus probationem fragmentum Epistolæ *Damasi urbis Romæ Episcopi ad Paulinum Antiochenum*. Unica extat Damasi Papæ I. ad dictum Paulinum Epistola; sed nec in hac, aut in alia Damaso adscripta verba hic a Gratiano relata occurrunt; extant autem post Epistolam sub nomine Damasi ad Prosperum primatem Numidiæ.

Metu hostilitatis Episcopales Sedes mutari possunt.

Addit post hæc Gratianus: " Episcopalium etiam ,, sedium mutationes, metu hostilitatis interveniente, ,, nonnumquam fieri solere.

Id probat verbis sancti Gregorii *lib.* 2. *Epist.* 11. scribentis Joanni Episcopo Vellitrano, quod temporis qualitas admoneat, Episcoporum Sedes antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia, quæ securiora putamus, ejusdem Diœcesis loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possint periculum facilius declinare. Eidem præcipit se sedemque suam in loco quondam Arenata, vel Harenata, aut Harenaco exinde transmigrari: *Quatenus ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, & illic consuetudinem solemnium festive disponas.*

Variam esse finalium verborum lectionem notant Correctores Romani, & post eos Petrus Gussanvilleus, qui ait in omnibus manuscriptis & editis S. Gregorii Epistolis legi: *Consuetudinum solemnium festa disponas*, una tamen notans, quod omnium lectionum eadem sit sententia, quam ita exponit: in festis præcipuis & solemnioribus ad Ecclesiam matricem ex tota Diœcesi confluebant Clerici & Laici; quod pluribus Canonibus cautum est, quorum nonnulli citantur: " Itaque, ait, mutato ,, sedis loco, non jam in priori civitate festa disponebantur, sed ad S. Andream in Harenata publicus ,, omnium fidelium conventus indici debuit, ut festi- ,, vitates præcipuas cum suo celebrarent Episcopo ". Hic videmus, quomodo jam pridem solliciti fuerint patres, ut fideles diebus Dominicis & festis cum suo proprio Pastore conventum agerent.

Conventus populi cum suo Pastore in Ecclesia matrice.

(a) Consule Tom. VIII. Schol. in Canonem 48. Africanum, hujus editionis.

(b) Consulatur quoque dissertatio, quam D. Van-Espen Tomo VII. adornavit in Synodos Africanas, c. 6. vel c. 7. hujus edit.

An Episcopus factus Monachus ad Episcopatum redire valeat.

Tertium casum, quo Episcopo cedere liceat, proponit Gratianus *p.* 8. ad calcem *Canonis* 44. Nimirum *cum aliquis causa humilitatis, Apostolica concessione de Episcopali Sede ad* Monachalem *descenderit subjectionem, alius ejus loco subrogari poterit, ille vero ad Pontificatum resurgere nequaquam ulterius volebit.*

In hujus probationem allegat Canone 45. Decretum tamquam editum in *quinta actione Constantinopolitanæ Synodi* 383. *Patrum sub Joanne Papa VIII. cui præfuit Petrus Presbyter Cardinalis, & Paulus Anconitanus Episcopus, & Eugenius Ostiensis Episcopus.*

Monent hic Correctores Romani, hanc Synodum sub Joanne VIII. extare in Vaticana Bibliotheca: " Cujus ,, Synodi, inquiunt, tres tantum Canones cum expla- ,, natione Balsamonis editi sunt Lutetiæ; & apud ip- ,, sum inscribitur: *Synodus in templo sapientiæ habita* ,, *sub Photio Patriarcha*; In secundo autem trium il- ,, lorum Capitulorum habetur sententia hujus capitis.

Hæc illi, qui & pro clariore hujus Canonis, prout a Gratiano hic refertur, explanatione, eum integrum Græce & Latine, & cum nova interpretatione adscripserunt.

Indubitatum est, sententiam hujus Decreti a Gratiano (qui secutus fuit Ivonem) relati, contineri in *Canone* 2. dictæ Synodi sub Photio: eumque Canonem ibidem contra S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum conditum esse, prout latius ostendi in *Scholio hujus Canonis Tom. VII.* ubi una ostendi, quod Gratianum secuti, S. Thomas, & Innocentius III. Canone hoc usi sint quasi Canone Concilii Constantinopolitani; pluraque alia de hac Synodo Photiana notavi, & quod ab Ecclesia Romana fuerit reprobata.

Cæterum hoc unum asseritur hoc Canone quod Episcopus Monachus factus ad Pontificatum ascendere nequeat, eo quod ad pœnitentiæ locum descendisse videatur: pœnitentes autem a Clero excludantur, de quo latius ibidem.

An & quando metu persecutionis liceat Episcopi separari a grege?

Ostendit post hæc Gratianus, quod ob infestationem ,, malorum non liceat Episcopo gregem relinquere ". Citat hanc in rem inter alia *Can.* 46. fragmentum Epistolæ Liberii Papæ omnibus Episcopis; sed licet dictum Gratiani verum sit, parum tamen ponderis accipit ex hac Epistola, utpote quæ plura præfert suppositionis argumenta, ut propterea apud Labbæum *tom.* 2. *Concil. generali col.* 760. referatur cum hac nota marginali: *Commentitiam esse nemo non videt.*

Et ne dictum suum generalius quam oportet acciperetur, exponit Gratianus *parte* 9. *Hoc tunc servandum intelligi, quando inter subditos aliqui inveniuntur, quibus Prælatorum vita proficiat: quando nec specialiter Prælatus quæritur, nec per alios tuta potest esse Ecclesiæ salus, ne si deserere incipiat, quibus prodesse potest, dicatur de eo*: Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & deserit oves, & fugit. Joan. *c.* 10. *vers.* 12. Multis ibidem disputat Gratianus, quando Prælatis ob persecutionem malorum fugere liceat, præsertim auctoritate sancti Augustini: monentque Correctores Romani multa ex Augustino a Gratiano allegari, quorum quidem sententia apud illum habetur, sed verba ipsa sunt in glossa ordinaria locis indicatis. Monent autem quod de hac quæstione, quando liceat Episcopo recedere ab Ecclesia sua, differat beatus Augustinus Epistola 180. (hodie 228.) (*a*) Honorato Episcopo scripta. Legi possunt quæ ex hac Epistola aliisque hanc in rem notavi in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 16. *c.* 9. alias *c.* 6.

Quæst. II. Canones hic relati non congruunt quæstioni propositæ.

Secunda quæstio initio hujus causæ ita exprimitur: *An iste valeat reposcere cathedram, quam sua intercessione alter accepit?* Agitur hic de illo, qui longa ægritudine gravatus alium sibi substitui rogavit, uti ex casus positione evidens est. Resolvit autem Gratianus negative; sed auctoritates binis Canonibus comprehensæ nullatenus huic quæstioni congruunt: unice quippe tractant de illo, qui morbo caduco, seu epileptico laboret: an is regimen populi assumere valeat.

C A U S A VIII.

Connexio hujus causæ cum præcedenti.

QUia in superiori causa *Quæst.* 1. *Can.* 17. *Petiisti*, fuit concessum privilegium Bonifacio Moguntino de eligendo sibi successore, ne hinc quis concluderet, hoc esse licitum de jure communi: " Gratianus, inquit ,, glossa, hanc causam octavam supponit, in qua osten- ,, dit, quod nulli licet eligere successorem: & quod ,, amicorum patrocinia in electionibus convalescere non ,, debent: & quod non sit Simoniacus, qui post ele- ,, ctionem præstat Canonicum juramentum de indem- ,, nitate, & alia plura ". Quæ omnia ut plenius elu- ,, cescant, ponit thema sive hunc casum: " Quidam ,, Episcopus agens in extremis, successorem sibi ex testa- ,, mento instituit: inde suorum amicorum patrocinio in ,, eumdem Episcopatum eligitur. Post electionem pro indem-

Casus in ea propositus.

(a) Id est in operum S. Augusti editione quam dederunt Doctissimi viri Benedictini e Congregatione S. Mauri.

indemnitate Ecclesiæ Canonicis juramentum præbuit; accusatur de Simonia, tamquam munus ab obsequio præstiterit: ante tempus sententiæ a Clericis suis derelinquitur, sine litteris Apostolicis ad Ecclesiam suam revertitur Episcopus ". Ex hoc casu quinque elicit quæstiones Gratianus.

Quæst. I.

Quæstione prima quærit; *an liceat Episcopo sibi successorem instituere?*

An & quo sensu Episcopus successorem designare, aut instituere possit.

Cum auctoritate fragmentorum ex falsis Decretalibus Joannis III. & Clementis I. videretur probatum, quod Beatus Petrus sibi Linum & Cletum Coadjutores adscivisset, & Clementem successorem designasset; ac una comperisset, multis Canonibus, ac præsertim Antiochenis vetitum esse Episcopis eligere *sibi successorem*, hanc solutionem, sive conciliandi rationem subjicit ad calcem *Can.* 7. " His omnibus auctoritatibus prohibentur Episcopi successores sibi instituere; sed aliud est de sui successoris electione cum fratribus deliberare, aliud est testamento, tamquam suæ dignitatis hæredem sibi quærere: illud fieri permittitur hoc autem penitus prohibetur. Illud autem Beati Petri Apostoli ab illis valet in argumentum assumi, qui tales sibi substituunt, qualem sibi successorem, Beatus Petrus quæsivit. Verum quia officium non vitæ, sed sanguini cœpit deferri, atque ad Episcopatum tales quisque sibi successores quærere cœpit, qui vel odiosi populis, vel a plebe docendi invenirentur, idcirco sacris Canonibus statutum est, ne quisquam sibi sui officii quærat successorem: sed populi electione quæratur, qui eorum utilitati digne deserviat, qui illorum utilitatem non sua lucra quærat, qui Christo semen velit suscitare, non sibi divitias congregare; quod qui facere contempserit, jure ab Ecclesia repudiatur ".

Monent Correctores Romani ad Canonem 3. hujus quæstionis, quo refertur Canon 23. Antiochenus, quod in Codicibus Gratiani, etiam manuscriptis, post hæc verba, *judicio Episcoporum*, sequeretur, *& electione Clericorum*. " Quæ, inquiunt, sunt expuncta, quia neque in originali, neque apud cæteros Collectores leguntur.

Reprehenduntur a Baluzio Correctores Romani.

Ad hanc expunctionem reflectens vir eruditus Stephanus Baluzius in notis ad Gratianum ait: " Ego qui puto religiosum debere esse editorem veterum auctorum, retinuissem eam clausulam in contextu Gratiani, & in notis admonuissem, eam non extare in originali, neque apud cæteros collectores; & fortassis, Gratianus viderat antiquum aliquod Concilii Antiocheni exemplar, in quo clausula illa continebatur. Diverso ausu iidem Correctores nonnulla frequenter addiderunt in contextu Gratiani, quæ omittenda erant, quia non extant apud Gratianum; hinc enim fit, quod sæpe dicendum est, ut Gratiani collectionem hodie non habeamus, sed collectionem Correctorum Romanorum inhærentem ordini, qui servatus a Gratiano est.

Notat rursus citatus Baluzius, quod in omnibus Gratiani libris editis & manuscriptis inscriptio Can. 7. habeat simpliciter: *item Innocentius Papa II.* Correctores Romani addiderint: *in Concilio Romano cap.* 16. cum tamen nulla ratio esset, cur huic Concilio adscriberetur potius, quam Claromontano, quod novem annis habitum est ante Romanum sub eodem Pontifice, & inter cujus Canones hoc Decretum habetur: unde rursus colligitur; ait Baluzius, nihil mutandum aut addendum fuisse apud Gratianum absque auctoritate veterum Codicum. "

Bonum Ecclesiæ non suum debet quærere Prælatus.

Occasione autem quod dixerat Gratianus, quod populi electione quærendus esset Episcopus *qui eorum utilitati digne deserviat, qui illorum utilitatem non sua lucra quærat, qui Christo semen velit suscitare, non sibi divitias congregare*: plures hanc in rem adducit Patrum sententias, quibus hæc Pastoris conditio exprimitur: ac in primis ex S. Augustino *l.* 32. *contra Faustum Manichæum c.* 10. ubi dicitur, quod Prælatus, qui sibi & Ecclesiæ prodest, utroque pede calceatus intelligatur.

Locus regiminis appeti non debet.

Ex S. Gregorio *Can.* 9. *&* 10. & ex S. Augustino *Can.* 11. ostenditur, quod locus regiminis non sit quærendus, sed e contra semper in voto & desiderio locus dejectionis esse debeat; *Quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus* dicitur Canone 9. & Canone 11. ait Augustinus: *Locus vero superior, sine quo regi populus non debet, etsi ita teneatur, atque administretur ut decet; tamen non decenter appetitur.* Dein additur notanda hæc & notissima ac gravissima ejusdem doctoris sententia: *quam ob rem otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis: quam sarcinam si nullus imponit; percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed nec sic omnino veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimatur* (seu rectius in originali *opprimat*) *justa necessitas.*

Quomodo erga populum se Pastor habere debeat, & sine omni favore, solaque meritorum consideratione eligendus sit, pluribus dein ostendit.

Quæst. II. In electione Episcopi muneribus aut patrocinio locus esse non debet.

Quæstione 2. ostendit Gratianus auctoritate B. Gregorii, quod nec munerum datio, nec aliquorum patrocinia in electione Episcoporum valere debeant: " Nam si, ait Gregorius *Canone* 1. quorumdam patrocinio fuerit quisquam electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, obedire, reverentia exigente, compellitur; sicque fit, ut & res illius Ecclesiæ minuantur, & ordo Ecclesiasticus non servetur ".

Altero *Canone* ex eodem Doctore probat, quod in electione Episcopi *communi* utilitati, non *suo lucro* quisque prospicere debeat: *quia nec libero judicio præferendam sibi personam examinat mens, quam cupiditas ligat.*

Quæst. III. An & quando simoniacus sit is, qui occasione electionis præstat juramentum pro indemnitate Ecclesiæ.

In procemio *Quæstionis* 3. resolvit Gratianus, quod " simoniacus non sit, qui post electionem pro indemnitate Ecclesiæ juramentum præstitit: aliud enim est ante electionem juramentum facere, vel se facturum pacisci, ad hoc ut eligatur: aliud est, nulla præcedente conventione, post electionem hujuscemodi juramentum offerre ".

Primam partem probat auctoritate Pelagii Papæ Clero Catinensi (*a*) scribentis, quem locum observare possunt, qui cum decimatoribus, seu pastoribus primitivis paciscuntur de minore competentia, vel aliquibus oneribus in se suscipiendis, ut eorum patrocinio aut præsentatione ad Pastoratum promoveantur.

In hac enim Epistola, præsertim sub finem, ut simoniacum reprehenditur, quod quis promiserit aliqua de juribus suis remissurum, si ad Episcopatum eligeretur; idque congruit asserto Gratiani.

Alterum assertum probatur ex gestis Urbani II. ubi refertur, quod cum Archiepiscopus Narbonensis quemdam in Episcopum ordinare renuisset ob juramentum ab ipso præstitum Canonicis electoribus: hic cum ad Urbanum accessisset, se a vitio purgavit, eo quod juramentum Canonicis fecisset post electionem, nullamque conventionem ante, ut eligeretur, fecisset.

Hactenus in gestis Urbani II. hæc verba non reperi, varietatem lectionis notavit Baluzius necnon contra fidem omnium antiquorum Gratiani exemplarium tam manuscriptorum quam editorum a Correctoribus Romanis pro his verbis, *a Sacerdotio me repellat*, posita esse, *a sacra me unctione repellat.* Cæterum de juramentis, quæ hodie a Clericis in accipienda possessione suorum beneficiorum, præsertim Curatorum exiguntur, videri possunt quæ dicta sunt in *Jure Eccles: Tomo III. parte* 2. *sect.* 3. *tit.* 8. alias 26. *cap.* 2.

Quæst: IV. Accusatus de crimine recedere nequit ante sententiam.

Probat Gratianus *Quæstione* 4. unico Canone sub nomine Symmachi Papæ, sed sumpto ex libello Ennodii, quod Clericus a suo Episcopo de crimine accusatus, recedere nequeat ante tempus sententiæ, sive priusquam sub luce objecta constiterit.

Quæst. V. Recens disciplina de discessu Episcoporum Romam.

Quæstione 5. ex apocrypha Decretali Sixti I. adstruit, quod *Episcopus accusatus, & a sancta Sede vocatus, sine litteris Apostolicis ad suam reverti Ecclesiam nequeat.* Hanc disciplinam ætate Sixti I. esse recentiorem scimus; at huic nihilominus Decretali adscribendum morem hodiernum, qui non permittit Episcopos Roma discedere sine licentia Pontificis, non dubium: neque ante evulgatas, receptasque falsas Decretales, ullum hujus praxis vel vestigium facile reperietur.

CAUSA IX.

Casus propositus.

GRATIANUS hanc causam, sive casum ita proponit: " Sententia excommunicationis notatus quidam Archiepiscopus, aliquot Clericos alterius Metropolitani ordinavit, quemdam Cappellanum sui suffraganei illo inconsulto, deposuit; atque alium in loco ejus ordinavit ". Ex hoc casu tres quæstiones elicit.

Quæst. I. An ordinatio ab excommunicato facta possit haberi rata valida.

Quærit *Quæstione* 1. An ordinatio, quæ ab excommunicatis facta est " aliquo modo possit rata haberi "? Quæ recitantur a Gratiano, notanter *Canone* 2. *&* 3. sub nomine *Paleæ*, patenter supponunt, ordinationem factam ab excommunicato esse *nullam*: quandoquidem eam reiterandam asserant, quod & Gratianus admisisse videtur: saltem quoad excommunicatos: qui in ipsa sua " ordinatione pœnam excommunicationis contraxerunt, qui numquam in numero Catholicorum fuerunt ": uti loquitur ad calcem *Canonis* 3. " Cæterum, qui inter Catholicos prius deputati sunt, si postea excommunicationis sententia notati fuerint, ordinationes tamen eorum ab Ecclesia misericorditer tolerantur ".

Tum profert fragmentum Epistolæ Urbani II. in qua rescribit cuidam Episcopo: " quod Ordinatos ab excommunicatis, quondam tamen Catholicis Episcopis, siquidem non simoniace Ordines ipsos acceperint & si ipsos Episcopos simoniacos non fuisse constiterit, ad hæc si eorum religiosior vita & doctrinæ prærogativa visa fuerit promereri, pœnitentia indicta, quam congruam duxerit, in ipsis, quos acceperunt, Ordinibus permanere permittat.

Cum hæc apparerent Gratiano repugnare dictis Gregorii relatis *Canone* 1. quibus asserit Gregorius, quod *consecratio dici nullo modo possit quæ ab excommunicatis hominibus celebrata est*, pro conciliatione subjungit: *sed & illud Gregorii de nominatim excommunicatis intelligitur, quorum ordinationes sunt irritæ, si eorum damnatio non erat ordinandis incognita.*

Quidquid sit de opinione Gratiani, & hac Canones conciliandi ratione glossographus, reprobata opinione, quæ dicebat, quod excommunicatus, qui adhuc existens in

(a) Vel Catanensi; Catana urbs Siciliæ.

in *Ecclesia* ordinationem recepit, *valide* Ordines conferret: sed qui *extra* Ecclesiam recepit, nihil conferret, nec Ordinem, nec executionem, monet: *Dicendum esse, quod sive quis recipiat ultimam manus impositionem (id est Episcopalem) in Ecclesia sive extra: dum tamen forma Ecclesiæ servetur in ordinando, semper ordinem confert: sed non semper executionem, & hoc sive scienter, sive ignoranter ordinetur ab eo*. Deinde nonnullis circa eos, qui non recipiunt executionem, præmissis, concludit glossographus? *Hæc ergo sit fides tua, quod hæretici & excommunicati, & depositi vera Sacramenta conferunt, & verum corpus Christi conficiunt.*

Hæc opinio glossæ communi seu Theologorum Scholasticorum, seu Canonistarum calculo probata & recepta fuit: sed an etiam veteribus Canonibus, & pristinæ Ecclesiæ disciplinæ omnino sit conformis, plures viri eruditi cum Joanne Morino *de Sacris Ordinat. part. 3. exercit. 5. c. 8.* dubitant. Hoc autem hic monendum, exigui ponderis esse contra opinionem glossæ, quæ hic *Canone 2. & 3.* partim sine nomine, partim sub nomine Damasi Papæ allegantur.

Quæst. II. Nullus in alterius Episcopi Diœcesi quidquam ipso inconsulto agere potest.

Quærit ulterius Gratianus *Quæstione 2. An liceat Episcopo, Archiepiscopo, Primati, vel Patriarchæ Clericos alterius sine propriis litteris ordinare.*

Primis quinque Canonibus (quorum primus & tertius sunt ex falsa Decretali Calixti Papæ) probat, quod generaliter nullus quidquam in alterius diœcesi vel parochia propria auctoritate agere queat. Deinde descendit ad Ordinationes, adductis Canonibus Antiochenis & Constantinopolitanis admodum mendose, ut notant Correctores Romani; de quibus consuli poterunt Scholia in Canones utriusque Concilii *Tom. VI.* hujus editionis.

Notandum quod Gratianus hac quæstione etiam ostendat, neque inferiores Presbyteros certis Ecclesiis adscriptos in aliis quidquam agere posse, proprio Presbytero inconsulto, neque alienum parochianum ad divina officia admittere.

Quæst. III. An Archiepiscopus suffraganei Clericos, illo inconsulto, damnare valeat, vel absolvere?

Gratianus *Quæstionem 3.* ita proponit: *An Archiepiscopus Clericos suffraganei sui, illo inconsulto, damnare valeat, vel damnatos absolvere.*

In utramque partem hanc discutiens quæstionem, pro parte affirmativa urget, quod Ecclesiæ totius Archiepiscopatus ad diœcesim pertineant Archiepiscopi; vocantur enim, ait, Episcopi a Metropolitano in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Sic quippe vices ei impertitur, ut potestatem suam sibi non adimat, unde & sine ejus consilio nihil eis agere licet.

Metropolitani auctoritatem supra modum & sine fundamento extollit Gratianus.

De hac plenitudine potestatis in Metropolitano nihil plane in pristinis Canonibus aut Patribus legitur; neque etiam hodie creditur Metropolitanum sine consensu proprii Episcopi functionem seu jurisdictionem Episcopalem in diœcesi Episcopi exercere posse, tamquam cui plenitudo Episcopalis potestatis in omnibus diœcesibus suæ Provinciæ competeret, ipsique Episcopo quasi duntaxat essent in partem sollicitudinis, & quasi Vicarii Metropolitani adsciti (a).

In asserti sui probationem allegat Decretum Concilii Antiocheni: idque *Canone 1.* ex versione Martini Bracarensis, tamquam ex *Concilio Martini Papæ*, & *Canone 2.* ex versione Isidori: verum hoc Decreto nequaquam probatur subjectio Episcoporum respectu Metropolitani, quam hic ponit Gratianus, uti in Scholio Canonis 9. Antiocheni videri poterit in sæpe citato tractatu Historico-Canonico.

Post hæc probat Gratianus *Canone 4. 5. 6. & 7.* ex pseudo-Decretalibus Hygini, Aniceti, & Calixti Papæ Metropolitanos in causis Episcoporum aut aliis (nisi quod ad suam solummodo propriam Parochiam pertinet) sine consilio & voluntate omnium comprovincialium Episcoporum nihil agere posse: quod & Canone 8. comprobat auctoritate Nicolai I. in Epistola Bituricensi Archiepiscopo inscripta, cujus hæc est clausula finalis: *Ita ut secundum Nicænas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis; præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam, vel ipsius rectorem quolibet speciali privilegio decreverit honorare.*

Privilegium recens ex falsis Decretalibus Romanæ Ecclesiæ a Gratiano assertum.

Hanc clausulam sapere jus novum, e falsis Decretalibus Isidorianis tempore Nicolai oriri & firmari cœptum, nequaquam obscurum est, (b) uti & hoc Gratiani assertum Canoni 9. subjectum: *Sola enim Romana Ecclesia, sua auctoritate valet judicare de omnibus, de ea vero nulli judicare permittitur.* Assertum hoc probat auctoritate Nicolai, Epistola ad Michaelem Imperatorem, in qua scribit, juxta Sacros Canones *Sedis Apostolicæ judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus judicare judicio licere.*

Recte autem hic notat glossographus, quod *ab hoc loco usque in finem agatur de excellentia Papæ, & omnia capitula quasi idem dicere*: sed addendum erat, omnia pene e mercibus Isidorianis sumpta esse.

Cum autem adverteret glossographus Nicolaum hic pro stabilienda auctoritate Sedis Apostolicæ adducere testimonium Innocentii & Pelagii suorum prædecessorum, notat quod „familiaris sit hæc probatio, quod „unus Papa inducit alium in testem“: sed abest plane quod ibidem subjungit glossographus: Sed hoc ideo, quia „de ipsorum testimonio non est dubitandum; sicut Dominus mala Sodomæ per Angelos probavit, *quasi Romani Episcopi testimonium dictis Angelicis æquiparandum esset.*

Ut autem Gratianus eam in Romano Episcopo auctoritatem probet, adducit *Canone 11. & 12.* fragmenta Epistolæ sub nomine Anastasii ad Felicem II. Papam, quam esse apocrypham sciunt eruditi, uti & fragmentum prolatum *Canone 13.* sub nomine Innocentii Papæ, sed uti notant Correctores Romani, sumpto ex Synodo Romana sub Silvestro, quæ etiam ab eruditis tanquam supposititia rejicitur.

CAUSA X.

IN superiori causa dictum est, ait Glossographus, quid juris habeat Archiepiscopus super suffraganeis suis; nunc supponit Gratianus causam *decimam*, in qua ostendit, quid juris habeat Episcopus in Ecclesiis sui Episcopatus: hanc in rem proponit hunc casum; *Quidam Laicus Basilicam a se factam a diœcesana lege segregare quærit. Episcopus Ecclesiam cum omni dote sua ad suam dispositionem pertinere contendit: tandem evin[...] [...]copus, & per parochias militibus comitatus cr[...] deseævit: quæ Ecclesiæ sunt, tamquam sibi debita usurpare contendit.* Ex hoc casu elicit tres quæstiones. Casus propositus.

Quæstione 1. quærit: *An Basilica cum omni dote sua ad Episcopi ordinationem pertineat.* Quæst. I.

Basilicæ, earumque bona ad Episcopi ordinationem pertinent.

Plures hic refert Canones, qui probant Basilicas cum suis dotibus in Episcopi potestate consistere; at præ cæteris notandus Canon Synodi Ilerdensis anni 524. relatus *Canone 1.* quo statuitur: *si ex Laicis quispiam a se factam Basilicam consecrari desiderat, nequaquam eam sub Monasterii specie, ubi congregatio non colligitur (in Synodo additur, vel regula ab Episcopo non constituitur) a diœcesana lege audeat segregare.*

Hic Canon ut intelligatur, jungenda est prima ejusdem Canonis pars, cujus fragmentum refertur *Causa 16. qu. 1. Canone 34.* integra autem sic habet: *De Monachis vero id observari placuit, quod Synodus Agathensis vel Aurelianensis noscitur decrevisse: hoc tantummodo adjiciendum, ut pro Ecclesiæ utilitate, quos Episcopus probaverit, in Clericatus officio cum Abbatis voluntate debeant ordinari: ea vero quæ in jure Monasterii offeruntur, ut nulla diœcesana lege ab Episcopo contingantur.*

Aliud dicendum de bonis Monasteriorum.

Ex his habemus, hoc Canone aliquid novi adjici Canonibus Synodi Agathensis & Aurelianensis, de Monachis nimirum: cum omnia ad Ecclesias pertinentia, juxta Synodorum illarum Decreta essent in potestate Episcopi, ne quidquam de Monasteriis exciperetur, etiam bona & facultates Monasteriorum censebantur dispositioni Episcopi relicta: quare *novi* hoc adjecit Synodus Ilerdensis decernens: *Ea vero quæ in jure Monasterii de facultatibus offeruntur, in nulla* diœcesana *lege ab Episcopis contingantur*; id est nullam in illa esse Episcopi potestatem, nihil ex iis bonis posse sibi attribuere vel decerpere. Lex enim diœcesana nihil aliud significat, quam auctoritatem, & jus Episcopale ipsi per suam diœcesim competens.

Ne autem sub prætextu Monasterii, reliquæ Basilicæ a Laicis fundandæ a lege *diœcesana* substraherentur, cautelam illam præsenti Canone comprehensam, addendam censuit Synodus: uti hæc latius deducit Franciscus Florens in tractatu de antiquo jure patronatus ibidem una notans, quod Gratianus *hoc jus singulare tamquam generale aliquod constitutum per universam Ecclesiam produxerit, sicut & eodem ingenio, ait, singularia quædam privilegia a Gregorio I. certis Monasteriis tantum concessa, tamquam jus commune omnibus Ecclesiis usurpavit; multis detractis, additis, & suppositis.* De quo plura ad *causam 18.*

Ecclesias sibi subjectas visitare debent Episcopi.

Quandoquidem Ecclesiæ omnes de jure communi gubernationi Episcopi subsint, consequens est, quod Episcopus eas visitare teneatur; de quo duos Canones 9. & 10. hic Gratianus profert, quorum priore (qui tamquam ex *Concilio Toletano* refertur, de quo videnda Correctio Romana) dicitur: *Relata est coram sancta Synodo quærimonia plebium, quod sint quidam Episcopi nolentes ad prædicandum vel ad confirmandum suas per annum parochias circumire, qui tamen exigunt, ut mansiones, quibus in profectione uti debuerant, aliquo pretio redimant, qui parare debebant. Quæ duplex infamia, negligentiæ & avaritiæ sanctæ Synodo magno fuit horrori.* Contra hos decernit Canon, ne quis *ultra exerceat id cupiditatis ingenium, & ut sollicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis.*

Per *mansiones* hic intelligi *procurationes* Episcopis visitantibus dandas observat Baluzius.

Annua fit visitatio Episcoporum.

Canone 10. ex Concilio Tarraconensi decernitur, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus diœceses ab Episcopis visitentur.

(a) Gratianus tribuit Metropolitanis, vel Primatibus, aut Patriarchis facultatem supplendæ Prælatorum in omnibus casibus negligentiæ; quam tamen non habent, nisi in casibus a jure memoratis, vel in iis, in quibus illam per usum legitimæ præscriptum adepti sunt.

(b) Ab aliqua pseudo Isidori imitatore hanc clausulam adjectam fuisse suspicantur quidam Canonistæ.

Secun-

Epiſcopo impedito, alteri committenda viſitatio.

Secunda parte quæſtionis prolato unico *Canone* 11. probat Gratianus Epiſcopum infirmitate gravatum, aut alias legitime impeditum, alteri viſitationis debere committere officium: *Presbyteros probabiles aut Diaconos mittat, qui reditus Baſilicarum, reparationes, & miniſtrantium vitam inquirant.*

Quid ab Epiſcopis in viſitatione agendum?

Dein *parte* 3. proponit, adducto Canone Bracarenſi, de quibus Epiſcopi in viſitatione tum clerum, tum populum interrogare & inſtruere debeant? optandum eſſet, ut Epiſcopi ad normam hujus Canonis viſitationes inſtituerent, major ſperari poſſet harum viſitationum fructus.

Bona Eccleſiæ ad Laicos nullatenus pertinere probat Gratianus, ſed ex apocryphis.

Cum Gratianus hac quæſtone probaſſet, quod Baſilicæ cum ſua dote ſint in poteſtate Epiſcopi, ideo *part.* 4. pluribus auctoritatibus probat, oblationes, aliaque ad Eccleſias pertinentia in *Laicorum* dominio eſſe non poſſe, nec Laicos ea ſibi uſurpare poſſe.

Verum adductæ auctoritates exigui aut nullius ponderis ſunt; prima quippe *Canone* 13. deſumpta ex Epiſtola Hieronymi ad Damaſum Papam de oblationibus altaris, eruditis paſſim ſuſpectæ fidei eſt: uti & Decretum Damaſi Papæ relatum Canone 15. quod *tomo* 2. *Concil. general. col.* 885. edit. Labb. rejicitur inter Decreta, quæ auctoritate Gratiani Damaſo tribuuntur: quod *Canone* 14. exhibetur ſub nomine Calixti Papæ, notant Correctores Romani, auctorem illius non poſſe eſſe Callixtum I. „ cujus tempore, inquiunt, Pantheon „ nondum vocabatur templum Mariæ Rotundæ . . . . „ Bonifacius enim fuit, quæ tempore Phocæ Imperato- „ ris illiud Beatæ Mariæ & omnibus Sanctis dica- „ vit.

Ex præmiſſis auctoritatibus tandem concludit Gratianus: „ Eccleſiæ cum omnibus rebus ſuis ad Epiſcopi „ ordinationem pertinere monſtrantur, & tam Eccle- „ ſiæ, quam oblationes, & facultates earum a Laico- „ rum diſpoſitione probantur immunes.

Certum eſt nec priſtinis Eccleſiæ ſæculis, neque hodie res temporales ad Eccleſiam ſpectantes, a Laicorum diſpoſitione, ſive ut minus ſuperintendentia omnino fuiſſe aut eſſe immunes, ut in latius oſtendi in *Jure Eccleſ. Tom. III. parte* 2. *ſect.* 4. *tit.* 5. *cap.* 1. *& ſeq.* alias 36. *cap.* 2.

Quæſt. II. Res Eccleſiæ diſpenſare poteſt Epiſcopus, non pro arbitrio diſtrahere.

Ne autem Epiſcopis crederetur conceſſa auctoritas, res Eccleſiæ pro ſuo arbitrio diſtrahendi, *Quæſtione* 2. exponit *poteſtatem diſpenſandi intelligendam eſſe, non diſtrahendi vel dilapidandi.*

De precariis.

Refert inter cætera tres Canones 3. 4. & 5. de *precariis* agentes, quarum frequens in Conciliis Gallicanis, necnon Regum Galliæ capitularibus, atque formulis Marculſi Monachi, aliorumque mentio occurrit. Præcipitur hic *Canone* 5. ut *precariæ de quinquennio in quinquennium ſecundum antiquam conſuetudinem & auctoritatem renoventur*. Refertur & hic Canon in *c.* 2. ✠ *de precariis*. De origine harum precariarum, earumque natura & conditionibus, ſub quibus olim concedebantur, & quomodo a *precario* & emphyteuſi diſtinguerentur, late agit Emmanuel Gonzalez in commentario ad dictum *c.* 1. ✠ *de precariis*. Item vir eruditus Bignonius in notis ad *l.* 2. *c.* 364. Reginonis; teſtaturque Antonius Auguſtinus in notis ad *c.* 1. *de precariis* in prima Decretalium collectione, *hoc genus contractus ignotum veteribus Romanis, hodie quoque non agnoſci*. Recte quoque notavit cum Correctoribus Romanis, Decretum, quod a Gratiano refertur *Canone* 6. ſub nomine *Concilii Carthaginenſis*, in nullo Conciliorum Carthaginenſium reperiri; licet & in Decretalibus ex Concilio Carthaginenſi quoque referatur, auctoritate indubie Gratiani.

Quomodo Epiſcopus res Eccleſiæ diſpenſare debeat.

Addit Gratianus *Canone* 7. Decretum Concilii Antiocheni ex verſione Martini Bracarenſis, de modo quo Eccleſiæ facultates ab Epiſcopis ſunt diſpenſandæ; de quo vide *Tom. IV. Schol. in Canonem* 25. *Antiochenum*.

Quæſt. III. In viſitatione ſubditos non debent gravare Epiſcopi.

At nonnulli Epiſcopi auctoritate ſua in Eccleſias ſibi ſubjectas abutentes, eas variis exactionibus gravabant: contra hos agit Gratianus *Quæſtione* 3. exhibens Canones, quibus exactiones illæ Epiſcopis interdicuntur, moderatoque Cathedratico contenti eſſe jubentur: notanduſque præ cæteris Canon deſumptus e Concilio Cabilonenſi II. *Can.* 14. quo Epiſcopis præcipitur, ut in viſitatione parochiæ ab omni exactione temporali abſtineant, & in omnibus ita ſe gerant, ut oſtendant, ſe non lucra temporalia, ſed animarum quærere. Verba Canoni ſunt: *cavendum eſt ſane, ne cum Epiſcopi parochias ſuas (id eſt Diœceſes) peragrant, quamdam non ſolum erga ſubditos, ſed erga ſocios tyrannidem exerceant, ne, quod abſit, non cum charitate, ſed cum quadam jactantiæ temeritate; nec cum gratiarum actione, ſed cum quadam judiciaria invectione ſtipendia ab eis exigant. Obſervandum modis omnibus eſt, ut ſi quando peragrandæ parochiæ neceſſitas incumbit, in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi Dei, in lucris animarum, potius quam deprædandis & ſpoliandis hominibus, & ſcandalizandis fratribus operam dent, & ſi quando ad peragendum miniſterium ſuum a ſubditis aut fratribus aliquid accipiendum eſt; hoc ſummopere obſervare debent, ne quem ſcandalizent aut gravent. Tanta ergo diſcretio in hac re tenenda eſt, ut & verbi Dei prædicator, ubi proprii ſumptus deſunt, a fratribus accipiat, & iidem fratres illius potentia non graventur, exemplo Apoſtoli Pauli, qui ne quem gravaret, arte & manibus victum quærebat.*

Porro Gratianus poſtquam primis quinque Canonibus oſtendit, Epiſcopos moderato Cathedratico debere eſſe contentos, monet ad calcem Canonis 5. *Cathedraticum quod his auctoritatibus Epiſcopis permittitur exigere, præter medietatem vel tertiam partem oblationum, quæ etiam pro varia Eccleſiarum conſuetudine ex præmiſſis auctoritatibus Epiſcopo debetur, intelligendum eſſe, nec illa, ait, pars oblationum omnium generaliter intelligenda eſt; ſed vel anniverſaria dedicationis, vel quorumdam etiam ſolemnium dierum, prout inter Epiſcopum & Sacerdotem tempore dedicationis convenerit.* Cæterum de his juribus Epiſcoporum, & moderatione in his ſervanda latius egi in *Jure Eccleſ. Tom. I. part.* 1. *tit.* 17. *cap.* 2.

CAUSA XI.

Redit hic Gratianus ad ordinem judiciorum.

NOTAVIMUS ſupra quod Gratianus a cauſa ſecunda inchoaverat ordinem & formam judiciorum; quem leviſſima occaſione ſumpta ex quodam Canone de *renuntiatione Epiſcopatus* mentionem faciente, intermiſerat, inſertis quatuor cauſis alio plane pertinentibus, ſeptima, octava, nona, & decima: nunc vero cauſa undecima rurſus ad ordinem & formam judiciorum, quem intermiſerat, redire videtur.

Caſus propoſitus.

Cauſam undecimam his verbis proponit Gratianus: *Clericus adverſus Clericum quæſtionem de prædiis agitavit, quam ad civilem judicem producere voluit: reus non niſi ante judicem Eccleſiaſticum ſtare volebat: actor vero potentia* (a) *civilis judicis illum a poſſeſſione ſua dejecit: quo audito Epiſcopus eum ab officio ſuo ſuſpendit: ille contempta Epiſcopi ſententia officium ſuum adminiſtravit. Hoc comperto Epiſcopus ſive reſtitutionis in eum ſententiam dedit.* Ex hoc caſu ſive cauſa Gratianus format tres quæſtiones.

Quæſtio I. An & quibus & quibus in cauſis Clericus coram civili judice conveniri poſſit.

Quæſtione prima quærit: *Utrum Clericus ante civilem judicem ſit producendus?* Quæſtionem in tres partes divisit Gratianus: prima pars producitur a Canone 1. uſque ad Canonem 26. cui hanc ex præcedentibus Canonibus ſubjicit concluſionem: *Cum ergo his omnibus auctoritatibus Clerici ante civilem judicem denegentur producendi (cum niſi prius depoſiti vel nudati fuerint, curiæ non ſint repræſentandi) patet, quod ad ſæcularia judicia Clerici non ſunt protrahendi.*

Secundam partem inchoat a Canone 27. & protrahit uſque ad 30. incluſive; cui ſubjicit concluſionem in modum objectionis, nimirum, quod ex adductis auctoritatibus detur intelligi, quod *in civili cauſa Clericus ante civilem judicem ſit conveniendus: ſicut enim Eccleſiaſticarum legum Eccleſiaſticus judex eſt adminiſtrator; ita & civilium nonniſi civilis debet eſſe executor: ſicut enim ille ſolus jus interpretandi Canones, qui habet poteſtatem condendi eos: ita ille ſolus civilium legum debet eſſe interpres, qui eis jus & auctoritatem impertit. In criminali vero cauſa nonniſi ante Epiſcopum eſt Clericus examinandus. Et hoc eſt illud quod Legibus & Canonibus ſupra definitum eſt, ut in criminali videlicet cauſa ante civilem judicem nullus producatur, niſi forte cum conſenſu Epiſcopi ſui, veluti quando incorrigibiles inveniuntur, tunc detracto officio, curiæ tradendi ſunt.*

Poſtea a Canone 30. uſque ad Canonem 47. reſpondet ad objecta, ac tandem variis auctoritatibus allegatis ſubnectit Canoni 47. concluſionem generalem & finalem, nimirum quod *Clericus ad publica judicia nec in civili nec in criminali cauſa eſt producendus, niſi forte Epiſcopus civilem cauſam decidere noluerit, vel in criminali ſui honoris cingulo eum nudaverit.*

Diſtinguit inſuper judicia *ſæcularia* in judicia *ſæcularium negotiorum*, & *ſæcularium perſonarum*. Hæc Clericis interdicta eſſe, non autem illa concludit dicens; *Prohibentur ergo Clerici a cognitione negotiorum ſæcularium virorum, non ſæcularium cauſarum: negotia quippe Clericorum, ſive criminalia, ſive civilia fuerint, non niſi apud Eccleſiaſticum judicem ventilanda ſunt.*

Pleraque a Gratiano relata pro immunitate Clericorum a Laicali judicio aut ſunt apocrypha, aut mutilata, aut in alienum ſenſum detorta.

Pro hac concluſione plures Canones attulit Gratianus, ſed apocryphos plurimos, aliquos mutilatos, & alios in ſenſum alienum contortos.

Ac primo Canone demptus ex Epiſt. Caii.

Inter apocryphos occurrit in primis Canon 1. deſumptus ex Epiſtola Caji Papæ ad Felicem Epiſcopum, notatque vir eruditus Franciſcus Florens anteceſſor Pariſienſis in doctiſſimo hujus quæſtionis commentario, incredibile merito videri Epiſcopum Romanum circa annum 283. Imperante Diocletiano (quando Pontificatum geſſit Cajus) ſibi tantam auctoritatem ſub Imperatore pagano & perſecutore Chriſtianorum vindicaſſe, ut ſtatueret; *Nemo unquam Epiſcopum apud judicem ſæcularem, aut alios Clericos accuſare præſumat*, prout hic legitur; cum nequidem ſub Chriſtianis Imperatoribus tantum juris ſibi tribuerent, uti in præfatione citati commentarii Florens oſtendit.

Item Canon 3. ex Concilio Aurelianenſi, ſed mutilatus.

Non majoris eſt ponderis Canon 3. deſumptus ex falſa Decretali Marcelini Papæ, quem reperiri in Concilio Aure-

(a) In editione Pithœana legitur *patientia*.

Aurelianensi III. notant Correctores Romani, sed clausula posteriori nonnihil mutata; hic enim apud Gratianum legitur: *Nec Laico quemlibet Clericum liceat accusare*. In Concilio autem legitur *Canone* 32. *Neque Laico, inconsulto Sacerdote, Clericum in sæculare judicium liceat exhibere*; quæ lectionis varietas evidenter diversum sensum Canoni affingit, notatque citatus Florens, quod verba, prout a Gratiano exhibentur *repugnent plane disciplinæ Ecclesiasticæ illorum temporum, & Canonibus generalibus Conciliorum, ipsique rationi*.

Uti enim a Gratiano exhibentur, significatur quod Laicus ut *actor* nequeat Clericum inconsulto Episcopo, ad judicem publicum seu civilem vocare, quod disciplinæ illorum temporum contrarium esse recte notavit citatus auctor; at prout legitur in Concilio, evidenter agitur de Clerico *actore*, qui Laicum coram judice civili convenire vult; quod inconsulto Episcopo fieri vetatur, conformiter ad ætatis illius disciplinam, quæ Clericis non permittebat pro rebus temporalibus inconsulto Episcopo, ad publicos judices suos debitores trahere.

Item Canon 4. qui Concilio Nicæno, aut Julio Papæ falso adscribitur.

Inter apocrypha merito, & reponitur Canon 4. exhibitus sub nomine Concilii Nicæni, quem inter Canones Nicænos hodie non repetiri monent Correctores Romani, una tamen notantes. Canonem hunc referri a Julio in rescripto contra Orientales; at hoc Julii rescriptum suppotititium esse scitur: in hoc Canone legitur: *Judices autem alii esse non debent, quam quos ipse, qui impetitur, elegerit: aut quos suo cum consensu hæc sancta Sedes aut ejus Primates auctoritate hujus sanctæ Sedis vel legaverint*. Cum autem agatur hoc Canone de eligendis judicibus, a quibus Clerici essent judicandi, non sine fundamento conjicit Florens *compositum & confectum ex parte fuisse hunc Canonem ex antiquo more judiciorum Ecclesiasticorum in Africa, qui fuit, ut si adversus Episcopum vel Clericum Episcopus vel Clericus conveniretur civili vel criminali judicio, ab aliis Episcopis vel Clericis interrogaretur reus, utrum apud Episcopos agere, & quos eligere vellet*. Insuper merito observat Florens, hic affectatam inepte Pontificis Romani in eligendis judicibus auctoritatem, quæ vel Episcopis, vel Metropolitanis, qui in Africa *Primates* vocabantur, competebat, ut vel hic videamus manum adulteratricem ipsius Isidori.

Item Canones 7. & 14. ex suppositiis Marcellini & Alexandri.

Apochryphis quoque annumerandus Can. 7. qui a Gratiano primitus assignatus fuit *Bonifacio in Epistola, quam supponit conscriptam ad Episcopos Galliæ*: at Correctores Romani posuerunt: *Item Marcellinus Epistola secunda ad Episcopos Galliæ*: notantque priorem hujus Canonis partem in hac Epistola extare, sed eam suppotitiam esse non dubitatur hodie, uti & Epistolam Alexandri, e qua descriptus est *Canon* 14. atque utramque adumbratam esse ex verbis Apostoli 1. *ad Corinth. cap.* 6. notavit Franciscus Florens, quamvis utraque plurimum a verbis & mente Apostoli recedat. Apostolus enim eo loco increpat fideles, quod apud Ethnicos & infideles judices litigarent, sed nequaquam præcipit aut hortatur, ut Clericos, seu Ecclesiasticos viros litibus judicandis & decidendis præponant, quemadmodum harum Decretalium auctores supponere videntur, dum ex verbis Apostoli deducunt, solos judices Ecclesiasticos caussis dijudicandis esse præponendos, quos idem Apostolus a litibus & strepitu forensi maxime abhorrere debere, unice monet.

Item Canon 8. falso adscriptus Bonifacio Papæ.

Falso Canon 8. tribuitur Bonifacio ad Episcopos Galliæ, sed desumptus est ex *Novella* 123. *c.* 7. *Justiniani*, quamvis Gratianus non referat ejus verba, sed Justiniani veteris interpretis, qui Justiniani Novellas in epitomen redegit, & inter hujus Novellas refertur ordine 115. e cujus capite 10. hic Canon totidem verbis descriptus est, omissa tamen hac clausula *nisi Imperialis jussio præcesserit*; sive ut legitur *c.* 8. citatæ Novellæ; Neque pro qualibet *pecuniaria causa vel criminali Episcopum ad judicem civilem aut militarem invitum producere aut exhibere* citra Imperialem jussionem permittimus: qua clausula evincitur, quod juxta hanc Novellam: *Rescripto Principis Episcopum evocari posse litis causa ad judicem civilem vel militarem*: ut hic notat Dionysius Gothofredus.

Item Canones 9. 10. 33. ex pseudo Synodo Romana sub Silvestro.

Referuntur Canones 9. 10. & 33. ex pseudo-Synodo Romana, aut ejus Epilogo sub Silvestro Papa, quorum hæc est sententia, quod Laici adversus Clericos in testes & accusatores recipiendi non sunt, nec Clerici Clericos coram judice sæculari ullatenus accusare possint, diciturque Canone 10. *Si quis Clericus accusans Clericum in curiam introierit, anathema sit*. Monet autem Gratianus ad calcem Canonis: *Subaudiendum est, si publicorum judiciorum cognitionem petierit: Episcopale namque judicium nihil obest ab Imperatore postulare*.

Hanc distinctionem ut probet Gratianus subjicit *Canone* 11. Decretum sub nomine *Concilii Carthaginensis VIII.* sed eo nomine significari Milevitanum Concilium monet Correctio Romana. At in Codice Ecclesiæ Africanæ extat *Canone* 104. ex Concilio Carthaginensi anni 407. eoque decernitur, ut *quicumque ab Imperatore cognitionem publicorum negotiorum petierit, honore proprio privetur: si autem Episcopale judicium ab Imperatore postulaverit, nihil ei obsit*. Vide Scholion ad hunc Canonem *Tom. VII.* hujus editionis.

Relato autem hoc Canone monet Gratianus: *Sic & sequentes auctoritates intelligendæ sunt, quibus Clericorum causas non nisi Clerici cognoscere jubentur*.

Item Canones 29. 30. & 32. ex falsa Decretali Clementis Papæ.

Non majoris ponderis, quam hactenus relati sunt Canones 29. 30. & 32. ex falsa Decretali Clementis Papæ ad Jacobum fratrem Domini, tendantque ad interpretationem supra citati capitis 6. Epistolæ ad Corinthios, in qua Paulus Christianos omnes, tam Clericos quam Laicos, quantum valet, a litibus deterret. Unde & in citatis Canonibus, Petrus inducitur alloquens Clementem, ut ab omni strepitu judiciorum abstineat, & soli Ecclesiæ vacet: impietatis enim crimen esse, ait, Episcopum, neglectis verbi Dei studiis, sollicitudines suscipere sæculares: unde hæc Clementis Decretalis, generaliter interdicit Episcopis negotiorum *sæcularium* tractationem: proinde male a Gratiano restringitur ad cognitionem negotiorum sæcularium virorum, non sæcularium causarum: ut hoc pacto accommodet Canones ex hac pseudo-Decretali confectos, ipsamque confictam Decretalem conclusioni quam subjungit Canoni 47. „ Negotia „ Clericorum sive criminalia, sive civilia fuerint, non „ nisi apud Ecclesiasticum judicem ventilanda sunt. “ Hæc latius deducit citatus Franciscus Florens, una notans quod sæculo IV. Imperatorum constitutionibus inductum esset, ut in rebus quæ ad *Religionem & fidem*, aut *disciplinam* Ecclesiasticam pertinerent, Episcopi, soli cognoscerent, tam inter Clericos, quam Laicos, cujuscumque conditionis forent: in reliquis vero negotiis magistratuum tribunalia omnes omnino Clerici adire tenebantur. Solis Episcopis Constantius primum indulsit, ne coram publicis magistratibus convenirentur, nisi jussu Imperatoris nominatim judices delegarentur in causis criminalibus gravioribus.

Non tantum apocrypha plura impendit hic Gratianus; sed & ex authenticis monumentis deprompta mutilat, & nonnunquam in alienum sensum detorquet.

Item Canon 5. in alienum sensum detortus.

Exemplo sit Canon 5. desumptus pro sua parte ex *L.* 3. *Cod. Theod. de Epis. judicio*: sed mutilatus, & in alienum sensum a Gratiano detortus; nam post hæc verba Canonis: *habent enim illi* (Episcopi, vel qui necessitatibus Ecclesiæ deserviunt) *judices suos, nec quidquam his, publicis est commune cum legibus*: omisit quod erat præcipuum in ipsa lege: *quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali auctoritate decidi*: quod & plenius in integra lege explicatur, ut scilicet, quibuscumque mota fuerit *quæstio, quæ ad Christianam sanctitatem pertineat, eos doceat sub eo judice litigare, qui Præsul est in suis partibus omnium Sacerdotum, id est per Ægypti Diœcesim*, scilicet Timotheo Alexandrino Episcopo: *quidquid vero negotiorum aliunde inciderit* a Præfecto Augustali decidi mandat.

Itaque ex legis contextu clarum est, in hac lege probari distinctionem, quæ occurrit in *L.* 1. *Cod. Theod. de Relig.* ut in omnibus causis ad Religionem pertinentibus, Episcopale judicium adeatur, in reliquis vero negotiis judices publici sive sæculares.

Hinc patescit, Gratianum, detorsisse hunc textum in sensum omnino alienum, dum ex illo concludere vult generaliter & indefinite, ad sæcularia judicia nullum Clericum esse protrahendum, ut habet summarium Canonis.

Pars altera Canonis desumpta est ex Historia Ecclesiastica Rufini, qui plenius historiam enarrat; cujus hic duntaxat summa refertur, & cujus mentio tum apud Gratianum, tum apud alios Canonum collectores passim adducitur, ut probent Constantinum credidisse se de Episcoporum excessibus judicare non posse.

Verum si historia, prout a Rufino refertur, penitus expendatur, non de gravioribus criminibus, sed de solis jurgiis & simultatibus inter Episcopos exortis agi deprehendetur, de quibus Constantinus judicium ferre recusavit, non tantum propter summum honorem, quem exhiberi Episcopis voluit, sed etiam, ut ipse pronuntiavit Constantinus, ut omissis hujuscemodi contentionibus, illa, quæ ad fidem pertinerent, tranquillo & pacifico animo deciderent, prætermissis hisce jurgiis & contentionibus.

Plura alia notanda exempla mutilatorum, & in alium sensum detortorum Canonum hac quæstione occurrentia exponit citatus Florens.

Ideo tot apocrypha & mutilata a Gratiano adducta sunt, quod ejus scopo congruerent.

Nec mirum videri debet Gratianum tot apocrypha, mutilata, & in alienum sensum detorta adduxisse hac questione, cum enim propositum esset Gratiano, Episcoporum jurisdictionem & Clericorum immunitatem, sive privilegia fori amplificare, non dubitavit adducere ea, quæ confictis Decretalibus magna copia continebantur: necnon quæ apud recentiores collectores Isidorum secutos reperit conducentia ad hanc amplificationem.

Hanc quæstionem magna eruditione commentatus est Franciscus Florens.

Cæterum etiam ipse Franciscus Florens exactius & pressius in citato commentario hujus quæstionis segregavit summa diligentia & eruditione Canones apocryphos a sinceris, & mutilatos ad suos fontes & integritatem reduxit, singulosque suæ respective ætati assignavit, atque ita ostendit, quæ sensim labentibus sæculis circa jurisdictionem Ecclesiasticam & forum Clericorum varietas contigerit, ut merito hic commentarius pro absoluto tractatu de jurisdictione Ecclesiastica reputandus

dus sit, in quo plurima admodum notanda, & magna eruditione referta occurrunt, quæ legisse non penitebit.

Conclusio ex tot apocryphis a Glossographo, ipsisque Pontificibus deducta.

Interim Glossographus, & alii juris Interpretes non distinguentes falsa a veris, vel mutilata ab integris, secuti simpliciter auctoritates, prout in Gratiani Decreto extabant, concluserunt, Clericum *in omnibus causis criminalibus* indistincte, & in civilibus, solis pene feudalibus exceptis, coram judice Ecclesiastico conveniendum, quin nec huic privilegio fori renuntiare posse: uti & Pontifices, quorum resolutiones in Decretales sunt relatæ, responderunt, secuti similiter auctoritatem Decreti Gratiani: a quibus tamen usu fori signanter Belgici multum recessum est, uti in *Jure Eccles. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 1. annotavi. (*a*)

Quæst. II. & III. Qua pœna dignus sit Clericum coram judice sæculari conveniens?

Resoluta prima quæstione, utrum Clerici ad civilem judicem sint vocandi, proponit secundam, utrum Clericus suspensione dignus sit, qui Clericum a suo Episcopo ad judicem sæcularem attraxerit.

Huic quæstioni in textu subjungit Gratianus: *quod vero culpa illa suspensione digna sit, ex capitulo illo Milevitani Concilii liquido constat; si enim communione privandus est, qui Clericum ante civilem judicem crediderit protrahendum; multo magis suspensione dignus est, qui sui Episcopi judicum interpellantem ad judicium sæculare protrahere non dubitavit.*

Hanc quæstionem sufficienter solutam existimans Gratianus, immediate proponit tertiam his verbis: *Sed ponatur quod hæc culpa suspensione digna non fuerit; quæritur, utrum sit deponendus, qui officium contra prohibitionem Episcopi celebrare ausus est?*

Occasione arrepta, agit hic Gratianus de excommunicatione.

Occasione suspensionis & depositionis, quam in casu posito meruisse posset Clericus, tractat hic Gratianus de excommunicatione & reconciliatione excommunicatorum, dividens quæstionem in decem partes.

Primam partem præcipue impendit ad probandum, quod excommunicati ab omnibus sint vitandi.

Quid agere debeat ille, qui se, &c.

Et quidem quod is qui se injuste excommunicatum credit, possit quidem querelam suam coram Synodo Episcoporum proponere, sed tamen interim donec causa finita & judicata sit, a communione abstinere, & Episcopo obedire teneatur: in cujus probationem adducit Canones 2. & 6. ex Concilio Antiocheno, cujus Canonem 4. relatum *Canone* 6. exhibet rursus *Canone* 7. ex versione Martini Bracarensis, tamquam ex Concilio Martini Papæ. Addit eumdem in finem *Canone* 4. Decretum Concilii Sardicensis. Item *Canone* 5. Concilii Carthaginensis II. Can. 8. qui in Codice Africano conficit Canonem 11.

De modo quo excommunicati possunt innotescere.

Porro Canones hos non parum mutilatos & ab originali discrepantes referre Gratianum, ex notis Correctorum Romanorum videri potest.

Observant quoque hi Correctores Canonem 9. a Gratiano relatum ex *Concilio Africano*, non reperiri in Concilio, quod hodie inscribitur *Africanum*; sed haberi in Codice Africano Canone 26. de quo vide *Tom. VII. Schol.* in prædictum Canonem.

Gratianus *Canone* 11. 12, 14. 15. 16. *&* 17. adducit plura fragmenta ex falsis Decretalibus, quæ non obscure manum recentiorem ostendunt, ac notanter *Canone* 14. ex Decretali Anteri Papæ, in qua dicitur, quod in veteri quidem lege non obtemperans Sacerdotibus, aut extra castra positus, lapidabatur a populo, *aut gladio cervice subjecta, contemptum expiabat cruce: nunc vero inobediens spirituali animadversione truncatur, & ejectus ab Ecclesia, rabido dæmonum ore discerpitur.*

De modo quo excommunicati possunt innotescere.

Adducit tandem *Canone* 20. Decretum sub nomine Honorii Papæ, quo præcipitur, ut *curæ sit omnibus Episcopis excommunicatorum omnium nomina, tam Episcopis vicinis, quam suis Parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus Ecclesiæ cunctis convenientibus inculcare; quatenus in utraque diligentia, & excommunicatis ubique Ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur.*

Decretum hoc non posse tribui Honorio II. recte notavit Stephanus Baluzius, cum referatur a Burchardo, Anselmo & Ivone, qui ante Pontificem hunc scripserunt. Neque inter Epistolas aut Decreta Honorii I. reperitur; nec mirum, cum illud sit pars prior Canonis decimi Concilii Ravennatensis anni 877. præside Joanne Papa VIII. celebrati, quod & extat apud Labbæum *tomo* 9. *Concil. General. col.* 299. Ipsum Canonem Ivo *parte* 14. sui Decreti *cap.* 65. recte tribuit Joanni III. in Concilio apud Ravennam, quem eadem parte *cap.* 113. falso tribuerat Honorio. Gratianus verisimiliter hoc Decretum viderat apud Ivonem hic citatum sub nomine Honorii, & sine ulteriori reflexione ita retulit in suum Decretum. Interim certum est simili aliqua forma usos Episcopos jampridem fuisse, ut excommunicati innotescerent,

Qui excommunicati vitandi?

& ab omnibus vitari possent; signanter, nominatim & per sententiam excommunicati, de quibus hic agit Gratianus, & ad quos ad calcem dicti Canonis generalia asserta de vitandis excommunicatis restringenda monet his verbis: *Verum hoc de nominatim excommunicatis intelligitur*: Addit insuper „ excommunicationis „ pœnam dupliciter subimus, & dum reatum incurrimus; & dum sententia notamur„.

In probationem sui asserti (a quo inchoatur *pars secunda*) refert verba Origenis sub nomine S. Hieronymi, uti & Canone sequenti: quia ipse Hieronymus homilias Origenis latinas fecit, uti notant Correctores Romani.

Distinguitur in hunc finem multiplex excommunicatio. Alia est coram Deo alia coram hominibus.

Priore itaque Canone dicitur dupliciter aliquem ob crimen admissum tradi satanæ: uno modo *cum delictum ejus manifestum sit Ecclesiæ, & per Sacerdotem pellitur de Ecclesia, ut notatus ab omnibus erubescat .... alio modo .... cum peccatum ejus manifestum non sit hominibus, Deus autem, qui videt in occulto ... talem tradit satanæ.*

Hoc testimonio relato concludit: Cum ergo *per* sententiam *quis nominatus fuerit, cum eo communicare non debemus: cum autem solo reatu, occultæ excommunicationis contraxerit pœnam, non est ab ejus communione cessandum.*

Adductis deinde auctoritatibus, quibus probatur malos in Ecclesia nonnunquam tolerandos, ne eradicando zizania eradicemus simul & triticum: tum rursus concludit ad calcem *Canonis* 24. *Evidenter itaque ex præmissis apparet, quod eorum communionem vitare non cogimur, qui sententia notati non sunt.*

Alia separat a consortio fidelium.

Addit dein, quod ipsius sententiæ notatio multipliciter intelligatur: „ aliquando enim, ait, arcetur „ quis a liminibus Ecclesiæ, & a communione *Cor-* „ *poris & Sanguinis Christi*, vel *teste conscientia*, „ juxta illud Apostoli: *probet se homo*, &c. „ 1. Cor. *cap.* 11. *vers.* 28.

Alia tantum privat communione corporis Christi.

Interdum *sententia Ecclesiastica*, *sicut pœnitentes, quibus tempore finito beneficium reconciliationis impenditur. Hæc sententia excommunicatio vocatur: quia a communione Corporis & Sanguinis Christi notatum prohibet... qua sententia non separatur quis a consortio fidelium.*

Est, ait, & alia sententia, quæ *Anathema* vocatur, qua quisque separatur a consortio fidelium.

De hac sententia intelligendos esse Canones vetantes communicare cum excommunicatis monet. Hanc distinctionem excommunicationis multis auctoritatibus ibidem indicatis probatam esse asserit: notans quæ de una, & quæ de altera excommunicationis specie intelligenda sint.

Post hæc subjungit duos Canones nimirum 25. *&* 26. quibus probet, quod *communicare non liceat iis, qui excommunicatis communicant*, uti habet summarium Canonis prioris, monetque ad calcem Canonis posterioris: „ Sed hoc specialiter in his, qui excommuni- „ catis *nominatim* communicant„.

Speciale Decretum Concilii Toletani circa vitandos excommunicatos.

At speciale est id in posteriore Canone ex Concilio Toletano, quod cum Laico aut Clerico abstento communicare duntaxat vetentur Clerici vel Religiosi, declaratque quod „ *hoc pertineat ad eos Clericos, qui ejusdem Episcopi sunt, & ad omnes, qui commoniti fuerint de eo, qui abstinetur, sive de Laico quolibet, sive de Clerico*. Ex hoc Canone tria elici posse videntur. Primo abstentum seu excommunicatum a Clericis tantum & Religiosis, non vero a Laicis debuisse vitari. Secundum, quod præcepto de vitando excommunicato tenerentur tantum Clerici Diœcesani Episcopi excommunicantis. Tertium, quod præter Clericos & Religiosos, qui generaliter tenebantur vitare excommunicatum, jus esset Episcopo cuilibet Laicorum (prout ipsis videbatur expedire) speciali communitione prohibere communionem cum excommunicato, &c.

An & quousque injusta excommunicatio sit servanda?

Post hæc progreditur Gratianus referre Canones de excommunicatione loquentes, ac præsertim eos, qui dicunt excommunicationem, quam quis putat injustam, esse servandam, quousque vel ab excommunicante, vel a Synodo, vel ab alio Superiore absolutionem meruerit, vel declarata fuerit excommunicatio injusta.

Auctoritate plures hic adducit, at partim apocryphas aut dubias, partim alio spectantes.

Inter apocryphas recensendum, quod *Canone* 27. adsertur ex Epistola Urbani I. *cap.* 5. quam inter putridas pseudo-Isidori merces referunt passim eruditi.

Quæ sunt adducta *Canone* 28. ex Synodo VIII. non haberi in illa Synodo quæ VIII. dicitur, notant Correctores Romani, qui una monent, quod „ multa, quæ a Gratiano ex octava Synodo citantur, in regulis *Ba-* „ *silii*, Isidori, & aliis ad Monachos pertinentibus in- „ venta sint. Et quidem præsentis Canonis verba ex re- „ gula Magistri (quam integram edidit Lucas Holstenius in Codice regularum) accepta esse apparent, ubi *cap.* 13. legitur: „ Si quis vero frater, aut palam aut absconse „ cum eo (Monaco excommunicato) fuerit collocutus aut junctus, communem statim cum eo excom- „ municationis contrahat pœnam, & ab omnibus i- „ pse

(a) Sub finem hujus primæ quæstionis, significare videtur Gratianus bona Ecclesiastica auctoritati Principum non subjici; ait enim, Ecclesiæ facultates a Laicorum dispositione esse immunes: quod adversatur *cap.* 1. *Dist.* 8.

ipſe reus ſit ". Hic latius de excommunicatione Monachorum agitur, de quo plura quoque tradit notatu digna Hugo Menardus in notis ad concordiam regularum, & nonnulla notavit in *Jure Eccleſ. Tomo IV. parte* 3. *tit.* 11. *cap.* 4. alias 3. Exiguæ & ſuſpectæ quoque fidei ſunt, quæ *Canone* 37. ſub nomine *Gelaſii*, & *Canone* 38. ſine nomine auctotis præfixo nomine *Pulea* adducuntur.

Quod ex Concilio Carthaginenſi II. relatum eſt *Canone* 29. ſpectat ad evitationem excommunicati: & quod adductum deinde eſt *Canone* 36. ex Carthaginenſi V. referri debet ad Clericos de crimine infamatos, qui ſe in Synodo purgare recuſant: de quo conſuli poteſt *Tomo VII. Scholion in Canonem* 39. Codicis Africani. Denique ſub nomine Milevitani Concilii II. relata *Canone* 34. præſcribunt, ut Clericis, qui ſe injuſte excommunicatos queruntur, querelas ſuas inſtituere & appellare liceat.

De gravitate pœnæ excommunicationis.

Gravitatem pœnæ excommunicationis oſtendit Auguſtinus adductis *Canone* 32. & 33. aitque: *Nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quam ſeparari a corpore Chriſti*, quod contingit per juſtam excommunicationem.

Quamvis inter ea, quæ adducta ſunt, pauca deprehendantur, quæ probent, ſententiam licet injuſtam, eſſe ſervandam, tamen quia id præcipue præ oculis habuiſſe apparet Gratianum, ſubjicit tandem *Canonis* 40. diſcurſum, quo oſtendit, quo ſenſu intelligendum ſit, ſententiam licet injuſtam eſſe ſervandam: " Præmiſſis auctoritatibus (ait) quibus injuſtæ ſententiæ uſque ad examinationem utriuſque partis, parere jubemur, ita reſpondetur. Gregorius (in Canone 1.) non dicit ſententiam injuſte latam eſſe ſervandam, ſed timendam, ſicut & Urbanus (in Canone 27.) timenda eſt ergo, id eſt *non ex ſuperbia contemnenda*. Reliquæ vero auctoritates de excommunicatis loquuntur, qui vel vocati ad Synodum venire contempſerunt, vel calliditatibus adverſantium occurrere neſcientes, injuſtam ſententiam a judice reportaverunt, vel qui neglectu ſuæ vitæ ſiniſtram de ſe opinionem naſci permittentes, ſententiam in ſe exceperunt. Hos ſiquidem ſolos excommunicationis ſententia ferire licet.

Quam ob cauſam ferri poſſit excommunicatio.

Tum tres Canones allegat, quibus probet, ex levibus cauſis neminem excommunicandum: " nemo Epiſcoporum quemlibet ſine certa, & manifeſta peccati cauſa communione privet Eccleſiaſtica. Sub anathemate autem ſine conſcientia Archiepiſcopi, aut Coepiſcoporum nullum præſumat ponere, niſi unde *Canonica docet auctoritas*: quia anathema eſt æternæ mortis damnatio, & non niſi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi ": ut loquitur *Canon.* 41. ex Concilio Meldenſi. Quam hæc parum conveniunt cum hodierna excommunicationum frequentia, prælertim latæ aut ferendæ ſententiæ.

His præmiſſis in *parte* ſua 4. ſubjecta Canoni 43. monet: *De his (hoc eſt juſte excommunicatis) inquam & hujuſmodi, præmiſſæ auctoritates loquuntur; non de injuſte ſuſpenſis*; id eſt auctoritates, quæ dicunt, ſententiam excommunicationis eſſe timendam & ſervandam.

Quo ſenſu ſententia injuſta paſtoris non ſit timenda.

Ut hoc amplius probet, pluribus auctoritatibus oſtendere pergit, quod *ſententia Paſtoris reum vel innocentem non conſtituat vel faciat*, uti habet titulus *Canonis* 44. immo *Canone* 46. dicitur ſub nomine Gelaſii Papæ: " Si injuſta eſt ſententia, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum & Eccleſiam ejus neminem poteſt iniqua gravare ſententia ".

Et ex Auguſtino *Canone* 50. " Quid obeſt homini, quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, ſi de libro vivorum non eum delet iniqua conſcientia ".

Plura hanc in rem congerit Gratianus, ut evincat ſententiam injuſtam non eſſe homini Chriſtiano timendam, ſed unice ipſi eſſe timendum, ne mala conſcientia apud Deum ligetur: nec multum curandum, quæ ſit hominum de nobis opinio, modo de nullo nos conſcientia accuſet.

Cum autem *Canone* 55. ex S. Gregorio dixiſſet, non eſſe curandum, ſi ob opus noſtrum interdum aliqui ſcandalizentur; eoſque tamquam cæcos & duces cæcorum dimittendos, monet ad calcem ipſius Canonis: " hoc inter eos obſervandum eſſe, qui parati ſunt ſuſpicari quod non videat, parati ſemper reprehendere, nunquam imitari; apud alios autem conſcientia eſt neceſſaria nobis, fama illis ".

De ſervanda excommunicatione etiam injuſte varia refert Gratianus in ſpeciem contraria.

Poſtremam hanc partem probat *Canone* 56. verbis S. Auguſtini, quibus docet, ſanctos non tantum debere eſſe ſollicitos, ut ſe a crimine coram Deo immunes cuſtodiant, ſed etiam bona provideant coram hominibus, concludens: *nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra*.

Tandem ad calcem *Canonis* 64. " Ex his datur intelligi, quod injuſta ſententia nullum alligat apud Deum: nec apud Eccleſiam ejus aliquis gravatur iniqua ſententia, ſicut ex Gelaſii capite (in Canone 46.) habetur; non ergo ab ejus communione abſtinendum eſt; nec ei ab officio ceſſandum, in quem cognoſcitur iniqua prolata ſententia. Ex his dictis quærit: cur ergo capitula Carthaginenſis & Africani, atque aliorum Conciliorum prohibent injuſte damnatum in communionem recipi ante judicii examinationem? Cur & illud in Concilio Moguntinenſi ſtatutum eſt ".

Tum ſubjungit *Canone* 65. Decretum ſub nomine Concilii Moguntini, quod extare in Concilio Toletano IV. *cap.* 27. monet Correctio Romana; reperiturque hodie apud Labbæum *cap.* 28.

Hoc Decreto præcipitur: " ut ſi Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, a gradu ſuo injuſte dejectus, in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poſſit eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat de manibus Epiſcoporum coram altari: ſi Epiſcopus eſt, orarium, annulum & baculum; ſi Presbyter, orarium & planetam: ſi Diaconus, orarium & albam: ſi Subdiaconus, patenam & calicem; ſic & reliqui gradus in reparatione ſua recipiant ea, quæ cum ordinarentur, perceperant.

Apud Labbæum *tom.* 5. *Concil. General. col.* 1714. notatur in margine, pro *ſecunda*, in aliquibus legi, *ſancta*; item quod planeta ſit; quam alias *caſulam* vocamus: Item pro, *in reparatione ſua*. legitur, *in reparationem ſui*: quæ lectio non obſcure innuit, hanc inſtrumentorum redditionem adhiberi, non ad reordinationem, ſed ad miniſterii reſtitutionem: quemadmodum in ipſa ordinatione hæc inſtrumenta jam tradi creditum fuit, non quaſi in eorum traditione materia aut forma eſſentialis Ordinis conſiſteret; ſed ut documenta poteſtatis acceptæ, & pignora exercendæ, uti loquitur Morinus *de Sacris Ordin. par.* 3. *exerc.* 7. *cap.* 1.

Ut illa conciliet, oſtendit ſententiam multipliciter poſſe dici injuſtam.

Alia eſt injuſta ex animo proferentis; licet ex cauſa & ordine juſta ſit.

Hæc in ſpeciem contraria conciliare volens Gratianus monet ad calcem hujus *Canonis* 65. ſententiam variis modis poſſe dici injuſtam: " primo enim ſententia aliquando eſt injuſta ex *animo* proferentis; juſta vero ex *ordine & cauſa* ..... puta cum aliquis ſervata integritate judiciarii Ordinis in adulterum, vel in quemlibet crimioſum, non amore juſtitiæ; ſed livore odii vel pretio, aut favore adverſariorum inductus ſententiam profert ".

Hac occaſione multis Canonibus oſtendit Gratianus quod judex non ex cupiditate, vel paſſione, ſed amore juſtitiæ in ferenda ſententia, & adminiſtratione juſtitiæ procedere debeat; ac demum Canoni 72. ſubjicit hanc concluſionem: " Huic itaque ſententiæ, quæ non amore juſtitiæ; ſed ex alia qualibet cauſa fertur in quemquam, humiliter obediendum ": quia nimirum, ſervato ordine judiciario, & ex juſta cauſa ſola eſt, licet judex ex proprio vitio, non amore juſtitiæ, ſed odio aliave paſſione mala eam protulerit.

Gratianus proſequens diviſionem injuſtæ ſententiæ ad calcem Canonis 73. ait: *Item ſententia eſt injuſta ex ordine, quando non ſervato judiciali ordine, quilibet pro ſua culpa damnatur.*

Alia eſt injuſta ex ordine, ſed juſta ex cauſa.

In probationem hujus aſſerti refert Gratianus aliquos Canones, quibus probet, ſententiam non eſſe niſi ex probatis proferendam; necnon auditis, ac examinatis ipſis accuſatis, intermixtis nonnullis apocryphis, ac ſignanter quæ *Canone* 76. refert ex Epiſtola Damaſi Papæ, de qua in nota marginali *tom.* 2. *Concil. general. col.* 882. ait Labbæus: *Commentum eſt Mercatoris, non ſancti Damaſi Epiſtola*. Et quod *Can.* 77. citat ex Synodo VIII. eſſe Iſidori monet Correctio Romana.

Relatis hiſce auctoritatibus concludit *parte* 6. ad calcem dicti *Canonis* 77. *Cum ergo ſententia* ex ordine *injuſta eſt; ſed juſta ex cauſa*, nec tunc ab ea recedendum eſſe, *quia etiam, antequam ſententia daretur in eum, pro qualitate reatus ſui ligatus apud Deum tenebatur*. *Exemplum ponit, ſi adulter ſententiam pro ſacrilegio (hoc eſt dum revera adulterium commiſit non ſacrilegium) reportet, cujus reatum in conſcientia non habet: hæc ſententia, ait, etſi injuſta ſit, quia non eſt in eo crimen, ſuper quod lata eſt ſententia, tamen juſte ab eo reportata eſt, quia ex reatu adulterii jam diu apud Deum excommunicatus fuerat*. Credit autem Gratianus de hac ſententia injuſta *ex ordine*, ſed juſta *ob cauſam* intelligi ſancti Gregorii dictum in Canone 1. *Sententia Paſtoris ſive juſta, ſive injuſta fuerit, timenda eſt.*

Sententia Gratiani de timenda ſententia injuſta non congruit textui Gregorii.

At ſi inter textus Gregorii (quem etiam hic ex *Homilia* 26. *in Evangel.* profert Gratianus) rite expendatur, id unice intendit S. Doctor, non *facile* ſpernendam Paſtoris ſententiam, ſed timendam a ſubdito, ne forte dum credit eam eſſe injuſtam, revera apud Deum juſta ſit: *Nec Paſtoris ſui judicium*, inquit Gregorius *temere reprehendat: ne, etſi injuſte ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia, culpa, quæ non erat: fiat.*

Nequaquam proinde congruit ſententiæ Gratiani textus ſancti Gregorii, quaſi excommunicatus ob certum crimen in ſententia expreſſum, ſe pro excommunicato gerere deberet, dum certum eſſet, ſe a crimine illo eſſe plane immunem, tametſi ob aliud crimen ſoli Deo notum, & ſuper quo in judicio nunquam fuit accuſatus, aut auditus, ſe coram Deo eſſe reum & excommunicatum agnoſceret,

Pro-

Aria denique sententia injusta est ex causa.

Proponit deinde Gratianus tertiam speciem injustæ sententiæ, quando *nullum subest crimen, & tamen vel odio judicis vel factione inimicorum oppositam sibi sententiam damnationis in se excipit* ".

Occasione cujus ostendit, quot modis judicium judicis pervertatur, quamque grave sit, ex perverso judicio sententiam proferre, aut etiam falsum testimonium dicere, vel veritatem occultare: sed pauca sunt, quæ pertinent ad judicialia; at pleraque unice probant, eum, qui verbo aut opere veritatem, aut justitiam negat: etiam Christum negare; atque *Canone* 84. ex Hieronymo scribit: *Christus sapientia est, justitia, veritas, sanctitas, fortitudo. Negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo.*

Hæc excommunicantem potius quam excommunicatum lædit.

Pluribus in hanc rem relatis (sed aliquibus non suis auctoribus assignatis, ut observant Correctores Romani) subjungitur Canoni 86. *Hæc sententia* (nimirum injusta ob defectum causæ) *potius judicem lædit, quam eum, in quem temere fertur.*

Probat id *Canone* 87. in quo ex S. Augustino dicitur; Si quisquam fidelium fuerit anathematizatus in-
„ juste, potius ei oberit, qui facit, quam qui hanc
„ patitur injuriam: Spiritus enim sanctus habitans in
„ sanctis, per quem quisque ligatur aut solvitur, im-
„ meritam nulli ingerit pœnam ".

Et *Canone* 88. ex S. Gregorio ostendit, quod Prælatus, cujus vita officio non congruit, sæpius alios *ipse ligatus* damnet immeritos.

Et *Canone* 89. ex pseudo Decretali Calixti Papæ probat, *viribus carere sententiam injuste prolatam*, ut habet Canonis summarium.

Et *Canone* 90. ex Augustino, *qui justus est, & injuste maledicitur, præmium illi redditur.*

Huic Canoni subjicit Gratianus: *Hic etsi, ut dictum est, non teneatur ligatus apud Deum, sententiæ tamen parere debet: ne ex superbia ligetur, qui prius ex puritate conscientiæ absolutus tenebatur.*

Hæc Gratiani assertio congruit cum eo; quod supra ex S. Gregorio diximus. Cæterum de sententia excommunicationis licet injusta, ob scandalum ex ejus contemptu timendum, merito tenenda, sive non contemnenda latius egimus in Tractatu *de Censuris Tom. IV. Juris Ecclesiast. parte* 3. *tit.* 11. *c.* 3. hujusce editionis.

Superiori obediendum non est in rebus illicitis.

Post hæc immediate subjungit Gratianus *septimam* suæ quæstionis *partem*, in qua ostendit a subditis obedientiam non esse servandam Prælatis in rebus illicitis, quod ibidem pluribus auctoritatibus adstruit; atque inter alias notabili textu S. Hieronymi *Canone* 93. quantumvis & inter auctoritates hic adductas nonnullæ desumantur ex falsis Decretalibus, quas pseudo-Isidorus ex sanctis Patribus decerpsit, & suis falsis Decretalibus inseruit.

Ex his auctoritatibus concludit ad calcem *Canonis* 101. *Cum ergo subditi excommunicantur ideo, quia ad malum cogi non possunt; tunc sententiæ non est obediendum, quia juxta illud Gelasii* (*in Canone* 46.) *nec apud Deum, nec apud Ecclesiam ejus quemquam gravat iniqua sententia.*

An & quando vetitum sit communicare cum excommunicatis?

Prosequens Gratianus materiam excommunicationis *parte* 8. subjecta Canoni 101. ait: *Quod supra communicantes excommunicatis ab Ecclesia abjici jubentur, non de quolibet modo communicantibus intelligendum est.*

Inter Canones prolatos præcipue notandus Canon 103. ex Concilio Romano sub Gregorio VII. quo prohibitio non communicandi cum excommunicatis, multum restringitur; pluresque personæ ab eo substrahuntur, ac declarantur cum excommunicatis citra periculum censuræ posse communicare: estque unicus qui asserto Gratiani congruit.

Quod *Canone* 102. profertur sub nomine Nicolai I. *Hincmaro Rhemorum Archiepiscopo*, casum particularem concernit, & ab Antonio Augustino *lib.* 2. *de emendat. Grat. Dial.* 15. dicitur, *in incertis esse collocandum*; extat inter Decreta Nicolai I. ex Gratiano collecta *tit.* 7. *num.* 20. similiter & quæ *Canone* 104. ex Epistola Bonifacii ad Zachariam Papam, & *Canone* 106. ex hujus responsorio adducuntur, ad casum specialibus circumstantiis circumscriptum pertinent.

Vetus formula excommunicandi.

Parte 9. post Canonem 105. duobus Canonibus expressit veteres formulas excommunicandi, quarum postremam erronee attribuit Concilio Arausicano secutus errantem Burchardum, ut recte notavit Baluzius in notis: neque enim hæ formulæ, quæ uberiores extant apud Reginonem *de Eccles Discipl lib.* 2. *c.* 409. & sequentibus, ætate hujus Concilii, adhuc notæ erant.

Formula reconciliandi excommunicatos.

Addit & Gratianus *Canone* 108. formulam reconciliandi excommunicatos, quam similiter per errorem secutus Burchardum eidem Concilio tribuit.

Quæ pœnitentia imponenda Presbytero in excommunicatione ministranti?

Denique materiam hanc concludit *parte* 10. qua, prolato Canone 209. sub nomine Joannis VIII. probat. *Quæ pœnitentia sit imponenda Presbyteris qui excommunicati sacrum mysterium contingere præsumunt.*

Ex his relatis colligitur post tempora Nicolai I. id est post editas falsas Decretales, etiam admodum multiplicatas fuisse censuras: quandoquidem dicatur, quod ob multitudinem Presbyterorum excommunicatorum remissio pœnitentiæ indulgenda fuerit.

CAUSA XII.

Connexio hujus causæ cum præcedenti.

GLOSSOGRAPHUS sub initium hujus causæ eam cum præcedenti ita connectit: In *XI. Causa quæst.* 1. *Can. Inolita* 41. *& Canone Placuit* introduxit magister
„ Gratianus Clericos litigantes de propriis rebus: sed
„ quia posset dubitari, an possint Clerici habere pro-
„ pria, ideo supponit hanc 12. *causam*, in qua quæ-
„ rit, an Clerici possint propria habere, & an possint
„ res Ecclesiæ alienare: & an possint condere testa-
„ mentum „ &c.

Casus hic propositus.

Hunc in finem ponit hunc casum: *Quidam Clerici propria relinquere volunt, de suis & Ecclesiæ rebus testamentum conficiunt*: de rebus Ecclesiæ nonnulla largiuntur. Ex hoc casu elicit quinque quæstiones.

Quæst. I. An Clericis liceat habere proprium?

Quæstione prima in priore ejus parte per plures auctoritates discutit in utramque partem, utrum liceat Clericis proprium habere?

Varia refert Gratianus pro parte negativa.

Pro parte negativa, nimirum Clericis non esse licitum proprium habere, profert *primis* 17. *Canonibus* plures auctoritates, quarum nonnullæ apocryphæ, & plures non probantes quod intendit Gratianus.

Sed pleraque aut sunt apocrypha aut ad probandum intentum Gratiani inepta.

Apocryphis accensetur, quod *Canone* 2. profertur ex Epistola Decretali Clementis I. Item *Canone* 9. & 16. ex pseudo-Epistola Urbani I. & quod *Canone* 15. attribuitur Melchiadi Papæ.

Profertur *Can.* 1. Dec. Concilii Toletani IV. quo præscribitur, ut juniores Clerici simul in communi domo sub cura Sacerdotali educentur: quod Decretum hodiernis Seminariis præluſit, & formam præscribit: unde & Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reformat.* formam instituendorum Seminariorum præscribens, verba hujus Decreti assumpsit.

Plura adducit Gratianus, quæ unice vitam communem Clericorum concernunt, puta *Canone* 3. Decretum Concilii Romani sub Eugenio II. & *Canone* 4. Decretum Concilii Salegunstadiensis, quod Gratianus, per errorem adscripsit Nicolao I. uti notavit Antonius Augustinus *lib.* 2. *Dial.* 17. notatque pro *Clericorum*, legendum *Presbyterorum*: ut sensus sit; nulla ædificia in atrio Ecclesiæ ponantur, nisi *Presbyterorum*. Quæ *Canone* 10. & 11. proferuntur ex Augustino concernunt non omnes generaliter Clericus, sed qui vitam juxta præscriptam ab Augustino regulam, omni proprio abdicato, instituere elegerant. Ex Hieronymo allegata *Canone* 5. & 6. non de actuali & reali abdicatione proprii loquuntur, sed unice ostendunt, quod Clericus affectu temporalibus renuntiare debeat, ut vere dicere queat: *Dominus pars hæreditatis & calicis mei*. Psalm. 15. vers. 5.

His interim relatis concludit: *His omnibus auctoritatibus claret, quod Clericis nullo modo liceat habere quid proprium; quod si habuerint, non Clerici erunt; non tamen Clericatus eis tollendus est*. Ut ultimum hoc probet, profert locum sancti Augustini ex sermone *de communi vita Clericorum*.

Refert deinde alia pro parte affirmativa.

Post hæc agnoscit Gratianus *esse alias auctoritates, quibus conceditur propria habere, non solum Clericis, sed etiam Episcopis.*

Canones a Gratiano relati, ac signanter vulgo Apostolorum *Canone* 21. 22. & 24. necnon Antiochenum *Canone* 23. tractat de modo) quo Episcopi, quorum dispensationi res Ecclesiæ committuntur, eas dispensare, & eis uti debeant, & res propriæ Episcoporum a rebus Ecclesiæ distingui oportere declaratur.

Ex hoc autem concludit Gratianus ad calcem *Canonis* 24. quod Episcopi proprium possidere possint.

Hæc in speciem diversa conciliare nititur Gratianus.

Has autem auctoritates in speciem contrarias conciliare intendens Gratianus monet: "Episcopos Orien-
„ tales uxores habere, & filios: quosdam autem ex
„ nostris partibus, cum in Laicatu, sive in minoribus
„ Ordinibus constituti, habeant uxores & filios, sive
„ morte uxoris interveniente, sive continentia pari
„ voto servata, ad sacros Ordines accedere. His o-
„ mnibus, ait, conceditur habere *propria* ad suos, &
„ suorum usus: qui autem ab infantia sacræ militiæ
„ traditi sunt, nullo modo eis permittitur habere pro-
„ pria, quia nulla est eis excusatio proprietatis, nisi
„ fortasse retinendo sua, a sumptibus Ecclesiæ ab-
„ stineant ".

Sed ejus conciliatio in Canonibus non est fundata.

Recte hic notat Glossographus, male a Gratiano solvi contrarietatem: neque enim ullum in Canonibus citatis fundamentum habet illa Gratiani distinctio, convenientior apparet, quam adfert Glossographus sub initium quæstionis, nimirum, quod Clericis liceat habere proprium, *nisi renuntiaverint tacite vel expresse per professionem Religiosam*. (a)

Ses

(a) Sunt Provinciæ vel Regna, in quibus tacitæ Religiosorum professiones non agnoscuntur. Tacita professio esse censetur, cum quis novitius ultra annum probationis pergit gestare habitum Religiosum. In Galliis ante Constitutionem Molinensem, quæ mense Februario data est an. 1566. tacitæ Religiosorum professiones agnoscebantur; post annum vero 1566. non fuerunt

An bona Ecclesiæ in præbendas distribui possint?

Secunda parte quæstionis resolvit Gratianus res Ecclesiæ posse distribui in *præbendas*, quæ manente *charitate primorum fidelium*, quibus erant *omnia comunia* ,, pie & religiose possunt distribui; nec tunc rebus Ec- ,, clesiæ, ut propriis, sed ut communibus utilitaribus ,, deservituris; ut ex his, quæ sibi assignata sunt, pri- ,, mum sibi necessaria percipiat : si qua vero suis ne- ,, cessitatibus supersunt, in communes usus Ecclesiæ ,, expendat ,,.

Bona Ecclesiæ ejusdem naturæ post divisionem.

Ex hoc Gratiani discursu evidens est, Gratianum non dubitasse, quin res Ecclesiæ, etiam post divisionem, & erectas præbendas, mansisse ejusdem conditionis, qua erant ante factam divisionem, uti latius ostendi in *Jure Eccl. T. III. part. 2. sect. 4. tit. 1.* alias 32. *c.* 16.

Episcopi rerum Ecclesiæ dispensatores sunt, non Domini.

Inter auctoritates hic a Gratiano adductas, merito hanc in rem attenduntur verba S. Augustini relata *Canone* 28. ex Epistola ad Bonifacium Comitem, quibus aperte probari apparet, quod ex sententia Augustini, nec Episcopis liceat ex bonis Ecclesiæ vivere, si privatim possideant, quod ipsis sufficiat, verba ejus sunt: ,, Si privatim possidemus, quod nobis sufficiat, non ,, illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procuratio- ,, nem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis ,, usurpatione damnabili vendicamus ,,.

Quæst. II. An res Ecclesiæ valide a Clericis distrahi possint?

Ex hypotesi, sive casu proposito elicit Gratianus hanc *Quæstionem 2. An res Ecclesiæ, quæ ab eis (scilicet Clericis) datæ sunt, possint constare aliqua firmitate eis, qui eas acceperunt.*

Præcipue autem hac quæstione discutere intendit Gratianus, an a Clericis res Ecclesiæ valide distrahi possint?

Pro parte negativa plura refert Gratianus, sed parum authentica.

Pro parte negativa plures auctoritates allegat prima parte quæstionis, quæ 16. Canones comprehendit : at plures inter illas apocryphæ ac dubiæ fidei occurrunt.

Atque in primis allegata *Canone* 1. sub nomine *Stephani Papæ*, in Epistolis Stephani I. quæ extant, non haberi monent Correctores Romani: notant autem haberi in *Epistola I. Anacleti*, idemque esse apud Lucium Papam: sed & hæc apocrypha esse hodie compertum est: tametsi auctoritate Anacleti utatur Concilium Triburiense sæculo IX. scitur enim quod eo tempore falsis illis Decretalibus passim uterentur Concilia & Pontifices tamquam autenticis monumentis, uti eruditis omnibus notum est.

Hisce annumeranda quæ profert *Canone* 2. sub nomine *Pelagii Hostilio Episcopo*, quæ in Epistolis Pelagii Papæ non reperiuntur.

Item quæ *Canone* 3. attribuuntur *Bonifacio Papæ*, rejiciunturque a Labbæo *t. 2. Concil. Gener. col.* 1587. inter Decreta a Gratiano huic Papæ adscripta.

Quæ *Canone* 5. & 6. occurrunt, deprompta sunt e falsis Decretalibus Pii I. & Anacleti Papæ. *Canone* 7. citata ex Epistola *Joannis I. ad Zachariam Archiepiscopum*, quæ extant *t. 1. Concil. General. col.* 1603. edit. Labb. æque dubiæ fidei sunt : de hac enim & altera hujus Pontificis Epistolis monet ad marginem Labbæus: *Hanc cum sequenti suppositiiam multa evincunt.* Neque majorem fidem meretur exhibita *Canone* 10. sub nomine *Eusebii Papæ Epistola* 2. quam apocrypham esse hodie non ambigitur.

Licet inter adducta hic a Gratiano plura occurrant parum authentica : illud tamen a Gratiano assertum verissimum est, res Ecclesiæ a Clericis ut sibi proprias non posse alienari.

Qua pœna puniendi injusti rerum Ecclesiæ invasores?

Addit insuper Gratianus, qua pœna afficiendi sint invasores, & injusti rerum Ecclesiæ occupatores, eamque in finem citat *Canone* 8. & 9. duos textus sub nomine Sancti Gregorii, sed infideliter citat priorem, uti notant Correctores Romani, & eruditus auctor notarum ad responsionem S. Gregorii super quarta interrogatione Augustini Anglorum Apostoli.

Adducit quoque *Canone* 10 fragmentum sub nomine Eusebii, quo Ecclesiæ res surripiens, in quadruplum restituere jubetur, quod abstulit. Vide notam Correctorum Romanorum ad hunc Canonem.

Huic dein subjicit *Canone* 11. responsum Sancti Gregorii ad interrogationem Augustini Anglorum Apostoli. Interrogaverat Gregorium Augustinus: *Quo augmento ea, quæ de Ecclesiis abstulerunt, reddere debeant.* Respondit Gregorius: *Sed absit quod Ecclesia augmento recipiat, quod de rebus terrenis videtur amittere, & lucrum de damnis quærat.*

Canones ea de re in speciem diversos nititur conciliare Gratianus.

Cum hæc duo testimonia contraria Gratiano apparerent, nec prius spurium esse sciret, pro conciliatione subdit: ,, Verum illud Eusebii de legum severitate: il- ,, lud Gregorii de Ecclesiastica *mansuetudine* dictum in- ,, telligitur ,,.

Quidquid sit de hac Gratiani conciliatione, hoc interim ex S. Gregorii responso notare possunt Ecclesiastici, quod dum agitur de recuperandis temporalibus Ecclesiæ, etiam defraudatis aut subreptis, magis secundum mansuetudinem, quam ex rigore agendum sit.

Res Ecclesiæ licite impenduntur in redemptionem captivorum.

Post hæc probat, præsertim auctoritate Sancti Gregorii res Ecclesiæ alienari posse in redemptionem captivorum: *Sacrorum Canonum statuta, & legalis permittit auctoritas, licite res Ecclesiasticas in redemptionem captivorum impendi*, ait, *Canone* 15.

Pœnitentia imponenda vasorum sacrorum prædonibus.

Hisce primam quæstionis partem absolvit. In secunda parte ostendere vult, ,, quæ pœnitentia hujusmodi ,, invasoribus atque prædonibus, qui vasa sacra, & ,, reliqua divino cultui dedicata arripiunt, & quasi ,, profana contrectant, sit indicenda.

Unicum in hanc rem Canonem profert sub nomine Nicolai Papæ scribentis Frontario Archiepiscopo Burdigalensi: ubi Burgando cuidam, ejusdem complicibus ,, qui sacrum altare, sacraque Dominici corporis & ,, sanguinis vasa, insuper & sanctum Chrisma pollutis ,, arripere manibus quasi vilia, & ad usum commu- ,, nem apta præsumpserunt; cum ad pœnitentiam ac- ,, celeraverint, præcipitur, uno anno extra Ecclesiam ,, Dei consistere, cujus sacratissima vasa, extra ritum ,, fidei Cristianæ, diripiendo auferre non dubitave- ,, runt. Secundo vero anno ante fores Ecclesiæ sine ,, communione maneant: tertio vero anno Ecclesiam ,, Dei ingrediantur, & inter audientes adstant sine ,, oblatione, non manducantes carnem, neque biben- ,, tes vinum præter natalis, & resurrectionis Domini- ,, cæ dies: quarto præterea anno, si in his prioribus ,, tribus eorum fructuosus fuerit pœnitentiæ labor, ,, communioni fidelium restituantur: totaque mentis ,, intentione spondentes, talia se ulterius numquam fa- ,, cturos, corpus & sanguinem Domini suscipere me- ,, reantur, & usque ad septimum annum tribus in heb- ,, domada diebus sine esu carnium, & vini potatione ,, maneant pœnitentes. ,,

Veteris disciplinæ pœnitentialis vestigia.

Hic evidentia sunt veteris disciplinæ pœnitentialis vestigia: nec mirum, cum usque ad initium sæculi XII. Canonum pœnitentialium usum & rigorem in Ecclesia Latina integrum perseverasse notet Morinus *lib.* 10. *cap.* 16. quamvis circa allegatum hoc fragmentum moneant Correctores Romani, hoc alibi non esse inventum, quam in collectione Canonum incerti auctoris.

Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Gratiani Dial.* 18. monet, *esse incertum*: addens: ,, In pœni- ,, tentiali Romano nuper edito, Nicolai nomen tantum ,, extat, & plenius quædam scripta sunt. ,, Habetur apud Cochlæum inter Decreta hujus Pontificis ex Gratiano collecta *tit.* 17. *n.* 1.

Prælatis fas non est bona Ecclesiæ alienare.

Tertia & quarta parte suæ quæstionis probat Gratianus allatis auctoritatibus, Prælatis fas non esse res Ecclesiæ alienare; estque in hanc rem notandus Canon 12. Synodi VII. relatus hic *Can.* 19. vide *Scholion in præfatum Canonem Tom. VII.*

Bonorum Ecclesiæ quatuor portiones.

Ostendit dein, in quatuor partes, reditus Ecclesiæ esse dividendos: ,, immo morem esse Apostolicæ Sedis Or- ,, dinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni sti- ,, pendio, quod accedit, quatuor fieri debeant *portio-* ,, *nes*, una videlicet Episcopo, & familiæ ejus pro- ,, pter hospitalitatem & susceptionem; alia Clero, ,, tertia vero pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis: ,, uti loquitur Canon 30. ex *responsione* 1. S. Gregorii ad interrogationem Augustini Anglorum Apostoli.

Allegat hanc in rem nonnulla ex Gelasio I. necnon Simplicio Papa, & *Can.* 31. *ex Concilio Toletano*: At notant Correctores Romani hoc Decretum in nullo Toletano Concilio aut impresso, aut manuscripto inventum esse; una monentes in quadam collectione Canonum incerti auctoris tribui Silvestro: ,, Quamvis, ,, inquiunt, in Synodo Romana sub ipso habita *c.* 4. ,, Paulo aliter hæ partes assignentur, id est, ut in ,, præcedentibus huic capitulis. ,, At hanc Synodum cum Canonibus ei adscriptis supposititiam esse, sæpius notavi, multumque dubito, num hæc quadripartita redituum Ecclesiæ divisio ad ætatem Silvestri Papæ reduci possit.

Cæterum vel ipsa quadripartita proventuum Ecclesiasticorum divisio, citato *Can.* 31. decreta, convincit, hunc Canonem nulli Conciliorum Toletanorum adscribi posse, cum non quadripartita, sed tripartita divisio viguerit in Hispania. Vide fusius Thomassinum de Disciplina Ecclesiæ *parte* 2. *tit.* 4. *c.* 16. *n.* 8. & *seqq.*

Sine consensu eorum, quorum interest, res Ecclesiæ alienari non possunt.

Quinta parte hujus quæstionis, quæ incipit a *Can.* 32. multis auctoritatibus probat, Clericis fas non esse, res Ecclesiæ *sine auctoritate Episcopi*; nec Episcopo sine concilio cleri sui alienare: atque *Can.* 32. 33. 34. 35 & 36. recitat plura Decreta sub nomine Synodi Agathensis, quibus irritæ & invalidæ declarantur alienationes rerum Ecclesiæ per Clericos factæ: quin & Clerici, eorumque hæredes ad restitutionem obnoxii declarantur, immo & Clericos alienantes, aut etiam monumenta, sive scripturas ad Ecclesiam pertinentia subtrahentes, aut in alios transferentes, ultra reparationem damni, quod inde Ecclesia pati posset, a communione separandos decernitur.

runt amplius agnitæ. Moris istius mutatio dedit deinde occasionem movendæ hujus quæstionis, an ii qui vestem Religiosam per quosdam annos absque emissa professione gestarunt, idonei essent ad habendas rerum temporalium successiones, ad habendum peculium? eam pro Gallis proponit & solvit difficultatem auctor novorum Commentariorum Cleri Gallicani *Tom.* 4. *tit.* 1. *cap.* 1. *col.* 89. & 90. dixi *pro Gallis*; quippe in Italia, in Germania, aliisque locis habentur ut veri Religiosi, peculii possidendi incapaces, qui post annum sui novitiatus elapsum in gestando habitu Religioso perseverant, licet vota solemnia non emiserint.

De-

Deinde *Can.* 37. subjungitur Decretum Urbani II. in hæc verba: „ Alienationes omnium per intrusionem, „ seu canonice electorum sub Episcopi nomine, aut „ Abbatis, qui secundum Ecclesiæ suæ usum consecrandus est: alienationes dico quocumque modo factas, necnon & ordinationes personarum ab eisdem, „ sine communi consensu Clericorum Ecclesiæ, sive „ per simoniam itidem factas, irritas judicamus. Illud „ etiam per omnia interdicimus, ut nullus Clericus „ præbendam suam, seu beneficium aliquod Ecclesiasticum aliquo modo alienare præsumat. Quod si præsumptum olim fuit, vel aliquando fuerit, irritum „ erit, & ultioni Canonicæ subjacebit. „

Circa prædictum Decretum sub nomine Urbani II. relatum, merito attenditur nota Correctorum Romanorum, necnon quæ circa hoc Decretum notavit Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Gratiani Dial.* 5. e quibus intelligitur, Decretum hoc aliter legi apud Anselmum, quam apud Gratianum, neque in ullo Concilio sub Urbano II. reperiri: Immo ex his, quæ apud Anselmum leguntur, videri hoc Decretum specialiter concernere quosdam Prælatos, sivæ Episcopos Ravennæ, qui sine consensu aut consilio Clericorum res suarum Ecclesiarum temere alienaverant.

Quidquid sit de hoc Decreto, illud sat constat, quod sæculo X. & seqq. Prælati quasi proprietarii bona & proventus Ecclesiarum sua auctoritate alienaverint, quemadmodum & Clerici post erectos titulos beneficiorum & divisionem præbendarum, prout colligitur ex Decretis contra has temerarias, & Ecclesiis damnosas alienationes his & sequentibus sæculis editis, uti latius deduxi in *Jure Eccles. Tom. III. parte 2. sect. 4. tit. 5. alias 36. de administratione & alienatione bonorum Ecclesiæ, c. 1. & seqq.*

Post hæc *Canone* 40. profertur Decretum ex Concilio Aurelianensi. Notant hic Correctores Romani, referri supra *eadem causa Can. Si quis de Clericis*, ex Concilio Agathensi: „ Non est autem, inquiunt, mutatus titulus: quia potuit in aliquo etiam Aurelianensi, quod „ non extat, esse repertum. „ Utinam hoc motivo plura immutata permansissent. Cæterum consule Baluzium in notis ad dictum *Can. 33. si quis de Clericis.*

Refertur & *Can.* 52. famosum Decretum sub nomine *Leonis Papæ universis Episcopis per Siciliam constitutis*, quo præscribitur, ut alienatio ab Episcopo non fiat, nisi *ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu atque consensu.*

Cujus Leonis sit hoc Decretum nescio: saltem non posse adscribi S. Leoni I. solide probat Pascasius Quenellus in notis ad Epistolam 17. hujus Pontificis; ibi observat recentioris disciplinæ esse, quod in rerum Ecclesiasticarum alienationem totius Clerici consensum adhibere debeat Episcopus.

Episcopi morientis bona cui reservanda?

Agit & hoc loco Gratianus contra direptores bonorum decedentium Episcoporum, de quo vide *Tom. VII. Schol. in Canonem 22. Chalcedonensem.* Illud hic notandum *Canone* 47. relatum fuisse a Gratiano Decretum sub nomine *Innocentii Papæ II.* quo prædictus Canon Chalcedonensis renovatur. „ Correctores Romani, „ quia nesciebant, ait hic Baluzius, ista Decreta ab „ Innocentio primum fuisse in Concilio Claromontano „ condita; & certo existimabant petita esse ex Concilio Lateranensi ejusdem Innocentii; hæc verba audacter & intrepide addiderunt: *In Concilio Lateranensi cap.* 4. Extat inter Canones ejusdem Claromontani Concilii, ubi desiderantur voces illæ *Ecclesiæ*, „ &c. Cætera sunt similia, nisi quod Canon Claromontanus habet, *subjiciantur*, pro eo quod Gratianus „ legit, *subjaceant*: „ Hæc ille, e quibus patet, quod satius fuisse ex textu totali nihil mutari.

Quibus casibus possit Episcopus res Ecclesiæ sine consilio fratrum distrahere

Sexta parte Canone 53. ostendit „ Episcopum posse „ sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahere „ *torrulas*, aut *vineolas* exiguas, & Ecclesiæ *minus utiles*, aut *longe positas*, & *parvas*: servos quique „ fugitivos, qui revocati retineri non possunt, similiter Episcopo detrahere licet. „

Item „ si rectores Ecclesiæ de rebus propriis tantundem Ecclesiæ restituere voluerint, Ecclesiasticas facultates libere dare possunt; ait *Parte septima* adducto unico Canone Agathensi. „

De servis Ecclesiarum, eorum alienatione, manumissione, &c.

Octava autem *parte* late tractat de servis Ecclesiarum, de eorum alienatione & manumissione, & quæ liberti Ecclesiæ debeant; multa ex legibus civilibus de servis & libertis adducens, præsertim in discursu subjecto *Canoni* 58. videturque præcipue in Ecclesiis Hispanicis, quæstiones illas de servis Ecclesiarum fuisse motas, quandoquidem vix aliqua quam ex Synodis Hispanicis eam in rem decreta ecclesiastica proferuntur.

Quas ob causas res Ecclesiæ alienare liceat?

Nona parte ostendit, quibus de causis servi Ecclesiarum manumitti seu libertate donari queant: atque hac occasione rursus agit de causis alienationis, atque ostendit, quod pro *alimonia pauperum; pro redemptione captivorum*, res sacras distrahere liceat, adductis in hanc rem *Canone* 70. & 71. SS. Ambrosii & Hieronymi. Ostendit quoque Episcopum posse *religionis intuitu*, ea in quibus Ecclesia detrimentum non patitur, Monasteriis tradere, adducto Canone 4. Concilii Toletani III. qui tam generale Gratiani assertum minime probat, uti ex contextu patebit: Agit enim de casu, quo unam de Parochianis Ecclesiis suis Monasterio dicare voluerit Episcopus. *Canone* 74. restringitur hæc facultas data Episcopis ad partem quinquagesimam rerum Ecclesiæ, quæ in constructionem novi Monasterii ab Episcopo donari potest, juxta Decretum Concilii Toletani IX. Notanda sunt quæ dicuntur in hoc Canone, nimirum quod non liceat Episcopis dare Monasterio, quod in sua Diœcesi ædificare cupit, nisi quinquagesimam, vel ut alia lectio habet, quadragesimam partem rerum Ecclesiæ suæ: *Ut hac temperamenti æquitate servata*, inquit Canon, *& qui tribuit, competens subsidium conferat, & qui tollit, damna gravia non infligat.* Qua determinatione partis quinquagesimæ, seu quadragesimæ restringit præsens Canon indeterminatam de rebus Ecclesiæ Monasteriis donandi facultatem, quam Episcopo concesserat Canon 4. Concilii Toletani III. relatus *Canone* 73. Hinc evincitur quanta moderatione Episcopos procedere voluerit hæc Synodus, etiam ea ætate, qua rariora erant Monasteria.

Tandem concludit Gratianus: „ Ecce ostensum est, „ quomodo res Ecclesiæ sine culpa dari possint, & con„ stare his, quibus datæ fuerint. „

Quæst. III. Discrimen inter bona Ecclesiastica & sæcularia.

Quæstione 3. quatuor Canones impendit Gratianus, ut ostendat, Clericos de rebus Ecclesiæ intuitu acquisitis, non posse agros, aut alia bona in suum & consanguineorum commodum acquirere, sed ea esse relinquenda Ecclesiæ: de his autem, quæ aliunde, vel proprio labore, aut amicorum liberalitate acceperunt, posse libere disponere. Quæ distinctio probari videtur *Canone* 49. Concilii Carthaginensis II. relati hic *Canone* 1. Gratianus itaque Canoni 2. subjicit hanc conclusionem: „ Ecce quod illa, quæ non ex officio Ecclesia„ stico, sed ex aliqua præstatione suæ utilitatis lucra„ tus est, potest dare, quibus voluerit. „

Quandonam bona Clerico data censeri debeant Ecclesiastica?

Declarat autem Canon 3. desumptus ex Synodo Agathensi, quod „ Pontifices, quibus in summo Sacer„ dotio constitutis, ab extraneis aliquid aut cum Ec„ clesia, aut sequestratim, aut dimittitur, aut dona„ tur, non quasi suum, sed quasi dimissum Ecclesiæ, „ inter facultates Ecclesiæ computabunt. „ Rationem præmittit: *quia hoc ille qui donat, pro redemptione animæ suæ, non pro commodo Sacerdotis offerre probatur.*

Canonem hunc citat Innocentius III. in *cap. Requisisti* 9. *de testament.* ubi exponit, quandonam censeatur aliquid Episcopo intuitu suæ personæ, & quando intu Ecclesiæ relictum.

Quæst. IV. Ad quem pertineant bona a Clericis acquisita?

Quæstione hac tribus duntaxat constante Canonibus, tractat Gratianus de Clericis, qui vel ex rebus Ecclesiæ, vel propriis, aut utriusque simul aliqua acquisierunt, ad quem res illæ pertinere censeantur; item quid agendum illi, qui ex rebus Ecclesiæ aliquid ad commodum Ecclesiæ acquirit.

Profert autem pro solutione *Canone* 1. Decretum Concilii Toletani IX. & *Canone* 2. Decretum Concilii Bracarensis, & *Canone* 3. Decretum sub nomine Concilii Agathensis, quorum omnium una est sententia, quod nec Clerici debeant sibi, aut propinquis suis appropriare res e proventibus Ecclesiæ comparatas, nec Ecclesia compendium facere debeat ex rebus, quas Clerici e propriis suis bonis compararunt; teneanturque Clerici de rebus nomine Ecclesiæ acquisitis scripturam facere.

Vox Diœcesis multipliciter apud veteres sumitur.

Notandum autem in Canone finali, diœcesim accipi pro parochia, sive Ecclesia parochiali, quam Presbyter tenet, uti apud veteres frequenter sumi probat Stephanus Baluzius in notis ad hunc Canonem, quamvis nonnunquam sumatur & pro tota Episcopi diœcesi; immo interdum extenditur ad districtum plurimarum Provinciarum, uti in veteribus Canonibus sæpius animadverti potest.

Cæterum notandum circa hunc aliosque nonnullos Canones, qui sub nomine Concilii Agathensis a Gratiano, aliisque Collectoribus allegantur, non omnes videri ab hoc Concilio editos, sed ex alio depromptos, huic Concilio postmodum adscriptos fuisse, uti notavit post Laurentium Surium Jacobus Sirmondus in *admonitione* ipsi Concilio Agathensi *tomo 4. Concil. General. col.* 1380. præfixa, monens a se observatum in Codice Gemblacensi, Lugdunensi, Rhemensi, Corbejensi, Fossatensi, atque in aliis quibusque antiquissimis exemplaribus extare tantum *octo & quadraginta* Canones, ut proinde 25. sequentes videantur aliunde assumpti & assuti. Et sane præsens Canon, qui in hoc Concilio signatur num. 54. citatur apud Gregorium IX. sub *titulo De peculio Clericorum cap.* 2. ex Concilio Arelatensi. Hæc hic monuisse sufficiat.

Quæst. V. An & de quibus bonis Clericus testari possit?

Tractat *Quæstione* 5. de Clericorum testandi de rebus suis auctoritate: atque resolvit, Clericum de rebus intuitu Ecclesiæ sive tituli Ecclesiastici acquisitis testari non posse. De propriis vero, quæ ante ordinationem habuit, prout judicaverit, disponere possit. Item si Episcopus, vel quilibet ex gradu Ecclesiastico intestatus defunctus fuerit, nec aliqui inventi fuerint, qui jure cognationis succedant, Ecclesia sua ei succedat in integrum: nec licebit aliqui aliqua ex rebus ejus præsumere.

Hoc assertum Gratiani unica pene auctoritate nititur, quam sub nomine Concilii Triburiensis profert Canone 7. quem ex Burchardo, vel Ivone desumpsisset videtur, qui & ipsum citant ex Concilio Triburiensi, cui interfuit Arnulphus Rex, *cap.* 14. sed inter Canones hujus Concilii, qui extant apud Labbæum *tom.* 9. *Concil. General.* hic Canon non reperitur.

Quid autem moderna disciplinam circa facultatem testandi de bonis Ecclesiasticis, & de successione ab intestato Clericorum in bona ab ipsis relicta habeat, latius exposui in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect.* 4. *tit.* 1. alias 32. *c.* 7. *&* 8.

CAUSA XIII.

Ratio connexionis hujus causæ cum præcedenti.

CONNEXIONE sequentis *Causæ* 13. cum præcedenti conjecit glossographus dicens: „ Supra dictum „ fuit, quod quidam Clerici non debent habere pro„ pria. Sed ne aliquis quæret, unde vivere debent, „ ostendit Gratianus quod de decimis, & oblationibus „ vivere debent: sed quia de decimis & oblationibus „ & sepulturis sæpe oritur contentio inter Clericos & „ etiam Laicos: ideo Gratianus subnectit hanc 13. *Cau*„ *sam*, in qua ostendit, quid de decimis & oblationi„ nibus & sepulturis sit observandum „.

Casus hic propositus.

Hunc in finem format Gratianus hunc casum: Diœ„ cesani cujusdam baptismalis Ecclesiæ cladibus bellorum „ pressi, hostili metu compulsi, domicilia sua transtu„ lerunt in aliam Diœcesim: prædia tamen antiqua non „ desierunt colere: cœperunt persolvere decimas illi „ Ecclesiæ, in cujus Diœcesim transierunt, & apud „ eam sibi elegerunt sepulturas. Transactis 50. annis, „ Clerici, quibus quondam persolverant decimas, cœ„ perunt movere quæstionem in eos, qui ab illis ac„ cipiunt decimas & veniunt ad causam „.

Quæstio I. Cui competat jus ad decimas, & exequias?

Ex hoc casu proposito elicit Gratianus duas quæstiones. Primam proponit his verbis: „ Si illi, quorum do„ micilia sunt in Diœcesi hujus baptismalis Ecclesiæ, „ debeant persolvere decimas illi Ecclesiæ, & celebra„ re suas exequias apud eam Ecclesiam, in qua quondam hæc fiebant a parentibus eorum „.

Pro resolutione hujus quæstionis unicum fragmentum adducit *parte prima* desumptum ex pseudo Epistola Dionysii Papæ ad Severum Episcopum, quo adstruitur divisio parochiarum & cœmeteriorum, tamquam a Dionysio Papa instituta, definiturque, *ut nullus alterius parochiæ terminos, aut jus invadat: sed sit unusquisque suis terminis contentus.*

Dein *parte secunda* introducit Sacerdotes, qui decimas & oblationes Ecclesiæ baptismali vendicant, fundamenta suæ causæ exponentes.

Tum *parte tertia* exhibet replicam, & responsum contendentium, decimatione vigore præscriptionis sibi competere, & Sacerdotes oblationibus debere esse contentos. Merito argumenta utrimque proposita attendenda: eadem enim & hodie occurrunt.

De limitibus parochiarum.

Verum recte hic notavit Joannes Dartis, nec hoc Canone, nec Canone 1. quæstionis sequentis, ulterius tractari de decimis, sed potius de terminis, quibus Parochiæ & Diœceses circumscribuntur: nam & Canon primus quæstionis sequentis, agit de Ecclesiis ad Episcopum pertinentibus; & dicitur, Ecclesias possessas per annos 30. ab Episcopis, apud eosdem manere: *& ita*, ait Dartis, *conjunxit humano capiti cervicem equinam.*

Subodoratus id videtur Gratianus: nam ad calcem dicti Canonis 1. secundæ quæstionis pro reconciliatione auctoritatum remittit lectorem ad *causam Monachorum*, id est, *causam* 16.

Quæst. II.

Quæstio secunda hujus causæ præter Canonem 1. de quo jam dictum est, tota est de sepulturis & jure exequiarum.

De sepulcris majorum, & jure eligendi sepulturam.

Quæstionem dividit in duodecim partes, quarum 2. 3. 4. *&* 5. versantur fere unice circa sepulcra majorum, & liberam electionem sepulturæ.

Adducuntur *Canone* 3. sub nomine S. Augustini: *unaquæque mulier sequantur virum suum, sive in vita, sive in morte.* Deinde additur in eodem Canone: „ Item Gregorius: Soror B. Benedicti sepulta est in se„ pulcro, quod ipse sibi præparaverat, ut quorum „ mens una semper fuit in Domino, eorum quoque „ corpora sepultura non separat „. Monent Correctores Romani: *nec ipsa prosus verba* auctorum afferri.

Interim ex his concludit Gratianus, unumquemque in sepulcro majorum esse sepeliendum, nisi alibi sepulturam elegerit: quod prolixo discursu adstruere nititur.

Ex Concilio Triburiensi *Canone* 6. elicitur ordinarie quemque sepeliendum, ubi quis decima persolvebat vivis: atque ad calcem hujus Canonis concludit Gra„ tianus, additque: „ Item si quis de Provincia ad „ Provinciam transiret, & ibi domicilium collocaret, „ liber factus a jurisdictione prioris judicis, jurisdi„ ctioni illius judicis subjiceretur, in cujus Provincia „ Sedem sibi eligeret. Quia ergo isti a vestra Diœcesi „ in nostram transierunt, liberi a vestra ditione nostro „ juri subjiciuntur: nostrum est ergo funerandi jus „.

Ex S. Gregorio profert *Canone* 4. quod *ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debeat.* Ex hoc *parte* 5. concludit pro defunctorum voluntate, *corpora eorum esse tumulanda.*

At huic opponit *Canone* 7. apocryphum Decretum sub nomine Melchiadis Papæ, & pro conciliatione ait „ ad calcem *Canonis*: „ Sed aliud est ex temeritatis su„ perbia usum antiquorum parentum non sequi; atque „ aliud rationabili occasione novam sibi sepulturam eligere „. De priore loquitur Melchiades, de posteriore Gregorius. Cæterum de his consuli poterunt dicta in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect* 4. *tit.* 7. alias 38. *de sepulturis, cap.* 1. *& seqq.* hujusce editionis.

De negantibus defunctorum oblationes.

Parte sexta agit adversus eos, qui defunctorum oblationes Ecclesiis negant, aut difficulter reddunt: hique quasi egentium necatores, nec credentes judicium Dei, habendos esse, ut loquitur Canon 9. ex Concilio vulgo Cathaginensi IV.

Nihil pro sepultura potest exigi.

Parte septima ostendit variis auctoritatibus præsertim sancti Gregorii in *Canone* 12. nihil muneris pro „ sepulturis exigendum esse: „ Ne (quod valde ir„ religiosum est) aut venalis fortasse (quod absit) „ dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini „ mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeatis „ quærere quolibet modo compendium „: inquit S. Gregorius citato Canone.

Vetita fuit olim sepultura in templis.

Intermiscet hic Gratianus aliqua de vetita sepultura in Ecclesia; atque inter *Canone* 15. sub nomine Concilii Varensis (seu potius *Nannetensis*, ut notant Correctores Romani, & Stephanus Baluzius): „ Prohi„ bendum est etiam secundum majorum instituta, ut „ in Ecclesia nullatenus sepeliantur; sed in atrio, aut „ in porticu, aut in exhedris Ecclesiæ (alias extra „ Ecclesiam): infra Ecclesiam vero & prope altare, „ ubi corpus & sanguis Domini conficitur, nullatenus „ sepeliantur „.

De hac disciplina non sepeliendi corpora mortuorum in ipsis templis, quæ per plura sæcula in Ecclesia fuit conservata, latius egi in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect.* 4. *tit.* 7. *cap.* 1. *& seqq.* alias 38. *cap.* 7.

Quibus prosit sepultura in sacris locis?

Post hæc parte octava quærit a *Canone* 16 usque ad *Canonem* 23. qui a sacris locis post mortem juventur, & quare juxta Ecclesias mortuorum corpora sepeliantur. Inter Canones hic relatos notandus præ cæteris Canon 19. sumptus ex libro S. Augustini *de cura pro mortuis.*

Hic Augustinus in primis aperte supponit, mortuos, sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis juvari: *Quamvis*, ait, *non pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed his tantum, quibus, dum vivunt, comparatur, ut prosint.*

Deinde adjungit: *Corpori autem humano quidquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium secundum affectum, quo nemo unquam carnem suam odio habet.*

De ritu tertii, septimi, &c. diei ab obitu.

Nona pars constat unice *Canone* 24. in quo agitur de *tertio*, *septimo*, *trigesimo*, aut *quadragesimo* die pro mortuis celebrando. Refertur autem sub nomine sancti Ambrosii ex lib. *de obitu Theodosii*: at hunc esse Ambrosio suppositum contendit Erasmus; & nonnulli post ipsum. Quidquid sit de hac opinione Erasmi, hujus ritus etiamnum hodie in Missali Romano manifesta occurrunt vestigia.

An & quomodo liceat?

Decima parte quærit: num liceat lugere mortuos; citatque *Canone* 25. textum Cypriani, & *Canone* 26. locum sancti Chrysostomi, qui videntur luctum illum absolute reprobare. Gratianus autem dicit: „ Id intel„ ligi ex desperatione futuræ resurrectionis; unde & Apostolus 1. *Thessal. cap.* 4. *vers.* 12. non simpliciter ait: *Nolumus vos ignorare de dormientibus*: sed addidit: *sicut & cæteri qui spem non habent*: pietatis „ namque intuitu mortuos lugere non prohibemur: „ sicut nonnullos Sanctorum, aliorum exequiis pias „ lacrymas impendisse legimus.

Hanc Gratiani conciliationem non patiuntur allatæ ex Cypriano & Chrysostomo auctoritates, quinimmo ignosci sibi postulat sanctus Augustinus *lib.* 9. *Confess. cap.* 12. flevisse se matrem exigua parte horæ.

Luctus defunctorum specialiter Religiosis vetitus.

Post hæc *Canone* 28 refert Gratianus Canonem Concilii Toletani III. his verbis: „ Qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum Psalmis tantummodo, & „ psallentium vocibus debent ad sepultura deferri: „ nam funebre carmen, quod vulgo defunctis cantari „ solet, vel in pectoribus se, aut proximos, aut fami„ lias cædere omnino prohibemus. Sufficiat autem quod „ in spe resurrectionis, Christianorum corporibus fa„ mulatus divinorum impenditur canticorum: prohibet „ enim nos Apostolus nostros lugere defunctos. *De dor*„ *mientibus autem nolo vos contristari, sicut & cæteri,* „ *qui spem non habent.* Et Dominus non flevit Laza„ rum mortuum, sed ad vitæ hujus ploravit ærum„ nas resuscitandum. Si autem potest hoc Episcopus „ omnes Christianos prohibere, agere non moretur. „ Religiosis tamen omnino aliter fieri non debere cen„ semus. Sic enim Christianorum per omnem mundum „ humari oportet corpora defunctorum „. Merito hic attendenda observatio Correctorum Romanorum.

Interim ex hoc Canone intelligitur eo tempore invaluisse, ut fideles defunctos publice lugerent, quodque Patres hujus Concilii desideraverint quidem, ut Epi-

sco-

ſcopi, quantum in ipſis eſſet; etiam Laicos ab hoc luctu abſtraherent: judicaverint tamen exteriorem hunc luctum omnibus Laicis indifferenter nen eſſe prohibendum, ſed ſolis Religioſis.

Admodum veriſimile eſt huic Decreto adſcribendum, quod luctus ille exterior fidelibus paſſim permittatur, exceptis ſolis Religioſis, quibus nec hodie luctus ille exterior conceditur.

An mortui noverint quæ a vivis geruntur?

Parte undecima quæritur, *utrum ſciant mortui ea, quæ hic a vivis geruntur?* Et unico *Canone* 29. ex S. Auguſtino *lib. de cura pro mortuis cap.* 15. probat, ipſos multa ſcire, quæ hic a vivis geruntur; & una indicantur modi, quibus hæc illis innoteſcere queant. Refert autem textum S. Auguſtini mutilatum, uti monent Correctores Romani, quorum nota conſulenda, uti & integer textus S. Auguſtini merito legendus.

An cadavera ſuſpenſorum ſepultura Eccleſiaſtica donanda?

Duodecima pars tractat de ſuſpenſis in patibulis, quæriturque, num hi ſint ſepeliendi juxta Eccleſias? & *Canone* 30. deſumpto e Canone 30. Concilii Moguntinenſis reſolvitur, cadavera eorum ad Eccleſiam deferenda, & oblationes pro eis offerendas; „ Si omnibus, inquit Canon, de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine, ſecundum Canonicum juſſum danda eſt: cur non eis, qui pro peccatis ſuis pœnam extremam perſolvunt? ſcriptum eſt enim: *Non vindicat Deus bis in idipſum*, „ Monent Correctores Romani „ finalem periodum reſtitutam eſſe ex Concilio Moguntino & VVormatienſi, inductis aliquot verbis, quæ potius perturbant, ait, quam illuſtrarent „.

Verum ſi reſtitui textum conveniebat, indubie conſultius fuiſſet, correctionem margini adjicere, & textum ipſum Gratiani integrum conſervare, uti non ſemel monuimus, neque apparet, verba a Correctoribus inducta ſenſum perturbare: ita enim apud Gratianum legebatur: „ Cur Canones communionem vel ſepulturam eis interdicunt, qui pro peccatis ſuis pœnam extremam perſolvunt, & confitentur, vel confiteri debuerant? ſcriptum eſt enim: *Non judicat Deus bis in idipſum* „.

An aliquando pro furibus orandum?

Occaſione quæſtionis de danda ſepultura ſuſpenſis in patibulo, junguntur hic duo Canones ſub titulo *Paleæ*, quorum priore dicitur, pro furibus & latronibus non eſſe orandum: „ Si in furando aut deprædando occidantur: ſi autem comprehenſi aut vulnerati, Presbytero vel Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negari „.

Hic Canon quoque extat in Decretalibus Gregorii IX. *cap.* 2. ℵ *de furtis*, videturque epitome eſſe Canonis 31. Concilii Triburienſis anni 895. ubi poſterior Canonis pars ita legitur: Si autem fur vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis deſperatus putatur, atque conciliari ſe myſteriis ſacro-ſanctis, habitu corporis, & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque & Sacerdoti, comite via, emendatione morum & actuum confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam „.

Difficultas circa confeſſionem factamDiacono facile ſoluta.

Maxime notandum eſt, hic pro *Diacono*, legi, *Deoque*; qua lectione evitatur difficultas, num *Diacono confiteri* quis poſſet: quam difficultatem ut evaderent Decretalium commentatores, ſupponebant, hic ſermonem eſſe de confeſſione *non Sacramentali*, quod & gloſſa Decretalium ſuppoſuiſſe videtur, dum ad citatum *cap.* 2. verbo *Diacono*, ait; *In neceſſitate etiam Laico*.

Epitomen hujus Canonis ſic vitiatam primus retulit Regino Abbas Prumienſis *lib. 2. de Eccleſ. diſcipl. cap.* 94. & ex ipſo Burchardus, dein Ivo, ex iſtis vero Gratianus, ut obſervat Baluzius in hunc Canonem. Merito ſane notandæ cautiones hic a Concilio Triburienſi appoſitæ. Cæterum quibus neganda ſit ſepultura, vide quæ diximus in *Jure Eccleſ. Tom. III. parte* 2. *ſect.* 5. *tit. ultimo*, *cap. ultimo*, Item *Tomo II. parte* 2. *ſect.* 1. *tit.* 4. *cap.* 2. *num.* 24. & 25. ubi notatum eſt in aliquibus Eccleſiis negatam fuiſſe ſacram Euchariſtiam damnatis ad mortem (*a*). Item per communionem non ſemper intelligi communionem Euchariſtiæ.

An & quæ pœnitentia imponenda furis interfectori.

In Canone 32. & ultimo hujus quæſtionis imponitur pœnitentia iis, qui furem aut latronem interfecerint, ſi abſque occiſione comprehendi poſſit: extat quoad ſententiam in *cap.* 2. ℵ *de homicidio*; atque in illo adhuc elucent priſtinæ & Canonicæ diſciplinæ veſtigia: quamvis eo tempore pœnitentiæ præſcripto haud obſcurum ſit, labentis diſciplinæ fœtum eſſe.

Monent hic rurſus Correctores Romani: *Sunt multa emendata, & magni ponderis*. Unde hic iterum patet; hodie poſt Correctionem Romanam, non haberi Decretum, ut a Gratiano editum fuit.

CAUSA XIV.

Caſus propoſitus.

CAUSA decima quarta proponit Gratianus hunc caſum: „ Canonici cujuſdam Eccleſiæ quæſtionem movent de prædiis; teſtes ex fratribus ſuis producunt: negotiatoribus pecuniam crediderunt, ut ex eorum mercibus emolumenta acciperent „.

An Canonicis coram judice ſua repetere liceat?

Ex hoc caſu ſex quæſtiones deducit Gratianus, quarum prima quærit: *An Canonicis licet ſua repetere?*

In prooemio hujus quæſtionis, ait: Quod autem ſua „ repetere non poſſint, facile videtur poſſe probari: ait enim Dominus in Evangelio: ſi vis perfectus eſſe, *vade & vende omnia quæ habes: & da pauperibus*: quia ergo iſti iter perfectionis arripiunt, non licet eis ſua habere: multo ergo minus licet eis repetere; quia non debet repeti, quod poſſideri non licet „.

Poſt hæc ſubjungit *Canone* 1. Decretum Concilii IV. vulgo Carthaginenſis, quo dicitur: *Epiſcopus nec provocatus pro rebus tranſitoriis litiget*.

Ad calcem autem Canonis hujus conatur adductis nonnullis diſtinctionibus quæſtionem ita ſolvere: „ Quia ergo generaliter perfectis prohibetur in judicio contendere; patet quod iſtis non licet ſtare coram judice. His ita reſpondetur. Prohibetur perfecto in judicio ſtare *captando lucrum*, ſed *non evitando damnum*. Vel aliter: aliud eſt ſua poſſidere, aliud eſt communium procuratorem eſſe. Canonici non poſſident ſua, quia res Deo oblatæ non ſunt alicujus: utuntur enim rebus Eccleſiæ, non ut ſuis, ſed tamquam ad diſpenſandum ſibi creditis. Unde Proſper in *lib. de vita contemplativa*: Sacerdos, cui diſpenſationis cura commiſſa eſt, &c. require in cauſa ejus, a quo pro ingreſſu Monaſterii pecunia exigebatur. Sicut ergo iſti non ſua poſſident; ita nec ſua repetunt, ſed res Eccleſiæ, quarum procurationem gerunt. Similiter quod in judicio prohibentur contendere, ſic intelligendum eſt, videlicet ut non ſibi ſtent coram judice, ſed aliis: aliis autem coram judice aſtitiſſe, & pro eis judicem interpellaſſe nonnullos Sanctorum legimus: hi autem non ſibi ſtant, ſed pauperibus, quorum neceſſitatibus profutura repetunt; & ita non prohibentur ſtare coram judice: illud vero Evangelii: *Si quis abſtulerit tibi tunicam, &c.* non eſt præcipientis, ſed exhortantis.

Agit hic Gratianus de Canonicis in communi viventibus.

Ex his nequaquam obſcurum eſt, Gratianum hic agere de Canonicis in communi viventibus, & voto paupertatis obſtrictis, ſive quos hodie Canonicos Regulares dicimus, qui nihil proprium retinere poſſunt, ac inſuper de repetitione judiciali, ſive in judicio.

Gratianus more ſuo hic adjungit duos Canones, quorum primus „ ex verbis Auguſtini ex *lib.* 19. *contra Fauſtum cap.* 25. hinc inde acceptis, & in aliquibus etiam immutatis: quare præſtat integrum illud caput perlegere, inquiunt Correctores Romani „.

Poſterior vero Canon ex quibuſdam SS. Auguſtini & Hieronymi verbis conflatus eſt; ſed in neutro de repetitione in judicio agitur; & ita huic quæſtioni decidendæ parum quadrant.

Quæſt. II. An & quando Canonicorum teſtimonium in cauſa Eccleſiæ ſit legitimum?

In caſu ſive hypotheſi a Gratiano propoſita hac *ſecunda quæſtione* ſupponitur, quod Canonici cujuſdam Eccleſiæ in quæſtione de prædiis *teſtes fratribus producant*: occaſione cujus quærit, an hi fratres ſive Canonici in cauſa Eccleſiæ tamquam teſtes ſint audiendi.

Sub initium quæſtionis adductis argumentis, quibus videtur evinci, horum teſtimonium tamquam domeſticum non eſſe admittendum, & tandem diſtinguit inter cauſam criminalem, & civilem; ut in illa tale teſtimonium non ſit admittendum, ſecus in hac: „ in criminali enim cauſa, ait, non licet teſtem de propria domo produci: in civili autem Prælatis Eccleſiæ licet „. Confirmat hoc ſuum aſſertum auctoritate Paſchalis II. in *Canone* 1. at hoc teſtimonio id non probatur; quod & vidiſſe videtur Gratianus: nam relato hoc Canone, mox, quaſi ſeipſum corrigens, ait: „ Poteſt etiam intelligi aliter. Domeſtici ad probationem non admittantur, ut pro his videlicet, quorum ſunt domeſtici, teſtimonium fuerant: hi autem non pro domeſticis, ſed pro Eccleſia, quæ mater eſt omnium pauperum, teſtimonium dicant „.

An & quomodo Presbyteri cogi poſſint ad dandum teſtimonium?

Poſt hæc addit; quod „ in conficiendis inſtrumentis ſæcularium negotiorum, Presbyteri non vocentur ad teſtimonium; ſed ſi caſu contractui eos interfuiſſe contigerit, jubente Epiſcopo teſtimonium dicant „. Probat id auctoritate Synodi Romanæ ſub Eugenio Papa II. cap. 13. in quo dicitur, quod Sacerdotes „ in ſæcularibus negotiis pro teſtimonio, aut conficiendis inſtrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus eſſe non convenit. Si autem eventu aliquo cauſæ interfuerint, & aliquid viderint, vel audierint, ubi nullæ idoneæ ſæcularium inveniantur perſonæ, ne veritas occultetur, & malus ut bonus æſtimetur, in providentia proprii Epiſcopi ſit; ut aut coram ſe & competentibus judicibus, aut aliter honorifice veritatem attollant „.

Hic rigor moribus Belgii circa Clericos vocatos ad teſtimonium ferendum coram judice *Laico* in cauſis civilibus, nonnihil mitigatus eſt, ut notavi in *Jure Eccleſ. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 7. *cap.* 6.

Quæſt. III.

Cum autem in hypotheſi, ſive in caſu a Gratiano propoſito diceretur, quod Canonici *negotiatoribus pecuniam crediderunt, ut ex eorum mercibus emolumenta acciperent*, quærit *quæſtione tertia, an illud ſit uſuras exigere*.

Uſura eſt quidquid ultra ſortem exigitur.

Hac occaſione oſtendit Gratianus, quod qui plus exigit, quam dedit, uſuras exerceat; idque præcipue auctoritate SS. Auguſtini, Ambroſii, & Hieronymi, & ad calcem concludit: „ Ecce evidenter oſtenditur, quod quidquid ultra ſortem exigitur, uſura eſt „.

Gratianus Canonem ultimum refert tamquam ex Con-

(a) In Galliis hodie iis negatur Euchariſtia, negatur quoque ſepultura Chriſtiana, niſi judices, qui eos damnaverunt, permiſerint.

cilio Agathensi; quem huic Concilio falso adscribi recte monet hic Baluzius, eamque inscriptionem ementitum fuisse Burchardum. Est autem *c.* 12. *Capitularis* 5. Caroli Magni de anno 806. quod & refertur *lib.* 1. *Capitularium cap.* 119. & apud Reginonem *l.* 1. *c.* 284. sine inscriptione.

Quæst. IV Canones veteres vetantes usuras de solis Clericis passim loquuntur.

Dein *quæstione* 4. ostendit Gratianus, tam Laicis quam Clericis usuras esse vetitas: at Canones relati, plerique de solis Clericis loquuntur. Vix enim antiquis Canonibus reperitur nominatim interdicta usura Laicis; tametsi eam tam Laicis quam Clericis vetitam non ambigetur.

Canon 17. Nicænus, quem hic ex versione Martini Bracarensis, sub titulo, *ex Concilio Martini Papæ*, refert Gratianus *Canone* 4. & rursus refertur *Canone* 8. ex versione Isidori: & iterum *distinct.* 47. idem Canon refertur ex versione Dionysii, uti notant hic Correctores Romani: hinc non obscurum, quod Gratianus descripserit Canones, prout eos nunc ex una, nunc ex alia versione, apud anteriores Canonum Collectores reperit.

Quæst. V. Furtum committit, qui rem inventam non restituit.

Quæstione 5. probat, non esse Deo gratam eleemosynam de usuris factam: ac una asseritur, furtum committere, qui rem inventam non restituit.

Hoc posterius probat ex Augustino *Canone* 6. „ Si quid „ invenisti, & non reddidisti, rapuisti „. Et *Canone* 8. ex S. Hieronymo, seu potius Origene ex versione Hieronymi; „ Multi sine peccato putant esse, si alienum, „ quod invenerunt, teneant, & dicant: Deus mihi „ dedit, cui habeo reddere? discant ergo peccatum hoc „ esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat „.

An & quando fieri possint eleemosynæ ex illicite acquisitis?

Addit *Canone* 11. ex S. Gregorio, qui dicit, quod eleemosyna & sacrificia non placeant Deo, quæ offeruntur ex scelere.

Huic asserto objicit *parte* 2. quod legitur in Exodo: „ Quod filii Israel exituri ex Ægypto a vicinis suis ac„ ceperint mutuo vasa aurea & argentea, ex quibus „ postea ædificaverunt tabernaculum Domini „. Respondet verbis Augustini relatis *Canone* 12. hoc non esse sumendum in exemplum, quod, jubente Domino, factum est: „ Hoc enim, ait, Deus jussit, qui noverat, quid „ quemque pati oporteret, nec Israelitæ furtum fece„ runt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt „.

Attamen ad calcem *Canonis* 14. monet, aliquando recte in pauperes posse impendi, quæ male, seu cum peccato acquisita sunt: puta quod ex turpi causa possi„ detur, veluti cum Mathematicus ex arte, quam docet, „ vel ex futuris, quæ prænuntiat, nonnulla lucratur „.

Quæst. VI. An usurarii non restituentes usuras pœnitentiam agere valeant?

Quæstio 6. qua quæritur, *An usurarii pœnitentiam agere valeant; nisi, quod male acceperunt restituant?* quatuor partibus constat. *Prima parte* probat auctoritate S. Augustini, pœnitentiam non recte agi, nisi res aliena reddatur: „ Si res aliena, inquit, propter quam pec„ catum est, cum reddi possit, non redditur, non agi„ tur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agi„ tur, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum.

Quomodo possit restitui res jam Deo consecrata?

Dein *parte secunda* auctoritate S. Gregorii dicit: „ Si „ rem alienam quis consecraverit, non eamdem, sed „ ejus æstimationem restituere debet „: sed in casu, quo res hujusmodi Deo consecrata restitui non potest. De quo videtur intelligendus locus iste ex S. Gregorio allatus.

De intercessione apud Principes pro reis.

Deinde miscet hic *Canone* 3. auctoritatem S. Gregorii, qui & *tertiam partem* facit: „ quod pro malis apud „ Principes Ecclesia debeat intercedere, non eos teme„ rario ausu defendere. „ Verba Gregorii legi merentur.

Unde desumenda gravitas furti?

Finaliter *Canone* 4. partem quartam conficiente verbis S. Hieronymi, sed nonnullis omissis & mutatis, ut notant Correctores Romani, adstruit *furtum non tam in „ quantitate rei, quam in affectu furantis considerari* „: quod tamen non ita accipiendum, quasi peccatum furti non crescat, ex gravitate materiæ, sicuti testimo„ nium Hieronymi crude acceptum innuere posset: sed quod hac in re multum attendendus sit affectus furantis (*a*).

CAUSA XV.

Connexio cujus causæ cum præcedenti.

CUM in *Causa* 14. „ tractatum esset de avaritia, quæ „ obumbrat mentem Clericorum; sed quia *incon„ tinentia* idem facit: ideo subnectit *hanc Causam*, in „ qua de incontinentia tractat, & de his quæ fiunt men„ te alienata, & de aliis multis, quæ ut melius pate„ ant, thema seu causam proponit, de quo octo quæ„ stiones elicit „. Ita glossograhus. Causum Gratianus expressit hic verbis. „ Quidam Sacerdos in crimen „ carnis lapsus esse perhibetur, antequam Sacerdota„ lem benedictionem consequeretur: postquam vero Sa„ cerdotium adeptus est, in furorem versus quemdam „ interfecit. Recuperata vero sanitate, apud Episco„ pum accusatur, ab ea, cum qua lapsus esse dicitur. „ Episcopus autem die Dominico causam examinat. „ Sacerdos inficiatur crimen sibi illatum; quorumdam „ Clericorum sibi patrocinia quærit: illi vero non sine „ pretio sibi patrocinantur. Tandem Episcopus confes„ sionem quæstionibus extorquet. Demum solus abs„ que Synodali audientia illum sententia ferit „.

Casus hic propositus.

Ex hoc causu multa nullatenus inter se cohærentia educit Gratianus; ac *prima quæstione* quærit: *An ea quæ mente alienata fiunt, sint imputanda?*

Quæst. I. An ignorantia & infirmitas a peccato excuset?

In hac quæstione multa, præcipue ex S. Augustino, tradit de ignorantia, & utrum hæc, aut infirmitas carnis a peccato excuset.

Ex omnibus concludit Gratianus conformiter ad sententiam S. Augustini, nec ignorantiam, carnis infirmitatem semper a peccato excusare.

Quæst. II. An pro impenso patrocinio liceat Clerico munera exigere?

Quæstione 2. quærit: *An pro impensis patrociniis liceat Clericis munera exigere?*

Unicum hic profert Canonem Concilii Tarraconensis, quo observandum decernitur: „ ne quis Sacerdo„ tum vel Clericorum, more sæcularium judicum, pro „ impensis patrociniis munera audeat accipere „. Gratianus autem dicit, hoc de illis intelligendum esse, qui *Canonicam* vitam professi, *regulariter* se victuros proposuerunt.

Gratianus a vero sensu Canonis recedit, ut suæ ætatis disciplinæ se accommodet.

Hæc restrictio parum congruit generali Canonis expressioni, aut disciplinæ ejus ætatis. At Gratianus more suo Canones disciplinæ sui temporis accommodare volens, frequenter a vero Canonum sensu recedit: quod & hic contigisse ex verbis Gratiani immediate sequentibus conjicitur: „ Generali namque Ecclesiæ „ consuetudine, ait, receptum est, & moribus appro„ batum, ut Clerici more advocatorum patrocinia „ impendant, & pro impendendis munera exigant, & „ pro impensis suscipiant „.

Sed non vidit aut non advertit Gratianus, hanc consuetudinem labentis disciplinæ fœtum, nullum Canonibus præjudicium afferre, pluresque Canones hoc in Clericis patrocinandi officium improbare, præsertim coram judicibus sæcularibus; monetque & hic glossographus: quod Clerici & Sacerdotes non debeant *indif„ ferenter* advocare, ne vilescant dignitates ipso„ rum „.

Quæst. III. An mulier testari possit contra Clericum, præcipue si fuerit criminis complex;

Cum in casu a Gratiano proposito diceretur, Sacerdotem apud Episcopum fuisse de fornicatione a muliere accusatum, cum qua prætendebatur in crimen illud fuisse prolapsus, quærit tertio loco Gratianus: *An ex mulieris confessione Sacerdos ille sit condemnandus?*

Sub initium quæstionis dicit, quod sacris Canonibus omnino videatur prohibitum mulieri accusare Sacerdotem. Verum omnis Gratiani probatio nititur falsis Decretalibus, notanter Fabiano Papæ suppositis. Deinde in hanc rem multa adducit Gratianus ex jure civili, quibus mulieres ab accusatione repelluntur, nisi in certis quibusdam enormibus criminibus.

Ex his autem concludit ad calcem *Canonis* 4. „ Cum „ contra generales regulas quædam crimina specialiter „ excepta sint, in quibus mulieri accusare permittitur, „ inter quæ fornicatio non numeratur; patet, quod „ huius accusatio dupliciter infirmatur, & quia forni„ cationis crimen intendit, & quia dum de eo confi„ tetur, super alienum crimen ei credi non oportet „. Quod ultimum probat *Canone* 5. per pseudo-Decretum Julio Papæ affictum, ad cujus calcem super proposita quæstione ita concludit: „ quia ergo ista de se confi„ tetur, super alienum crimen ei credi non oportet, „ sed contra eam sua confessio interpretanda est „.

Hodie nec mulieres, nec etiam viri ad publicam occusationem criminum admittuntur, nisi sint officiales publici. At denuntiatio nec mulieri negatur.

Attamen in casu simili, testimonio mulieris haud facile deferendum esset; nisi forsan aliquæ aliæ circumstantiæ Sacerdotem hunc suspectum redderent: quo casu mulieris confessio vel denuntiatio accedens posset Superiori præbere occasionem, saltem inquirendi, & huic Sacerdoti specialius invigilandi.

Quæst. IV

Ulterius in casu a Gratiano formato, Episcopus die Dominica causam examinat. Hinc formata *quæstio quarta: An die Dominica ejus causa sit ventilanda?*

Diebus Dominicis & festis prohibitum est causas ventilare.

Profert autem Gratianus tria Decreta, quibus probet, licitum non esse diebus *Dominicis* judicialia tractare: e quibus notandum præ reliquis *Canone* 2. Decretum Concilii apud Erphesfurt, sive Erpsfordiensis „ anni 932. quo decernitur „ placita *sæcularia* Domi„ nicis diebus, vel aliis præcipuis festis, seu etiam in „ his diebus, in quibus legitima jejunia celebrantur „ secundum Canonicam constitutionem minime fieri „. Additur & in eodem: „ insuper eadem Synodus „ decrevit, ut nulla judicaria potestas licentiam ha„ beat, sua auctoritate Christianos ad placitum ban„ nire in supra dictis diebus, id est septem dies ante „ natalem Domini usque in octavas Epiphaniæ, & a „ Quinquagesima usque ad octavas Paschæ, & septem „ dies ante Nativitatem S. Joannis Baptistæ, quatenus „ adeundi Ecclesiam, orationibus vacandi liberius ha„ beatur facultas „. Extat hæc Synodus cum suis Canonibus, quorum hic est secundus apud Labb. *tom.* 9. *Concil. General. col.* 592. sed cum notabili differentia.

In primis enim loco horum verborum: *Insuper etiam Sancta Synodus decrevit*, habentur hæc, *insuper quoque gloriosissimus Rex augumentum Christianæ religionis concessit, ut nullæ*, &c.

Præterea in Synodo omittuntur hæc verba: *usque in octavas Epiphaniæ.*

Eadem verba, quibus extat apud Gratianum, refertur a Bur-

(a) Falsa igitur est Gratiani propositio, si agatur de culpæ gravitate, quæ eo major est, quo res est majoris momenti: sed vera est, si agatur tantum de natura culpæ; rei enim vel mi[illegible] verum sit furtum.

a Buchardo *lib.* 13. *cap.* 21. e quo veriſimiliter hunc Canonem ſic immutatum mutuavit Gratianus.

Refert Gratianus *Canone* 3. Decretum ſub nomine Hadriani Papæ in capitulis *cap.* 64. quo dicitur: *nullus Epiſcopus vel infra poſitus; die Dominica judicare præſumat*. Hæc ætatem ſapiunt, qua ordo judicialis in forum Eccleſiæ irrepſerat.

Quæſt. V.

Quinto loco quærit Gratianus: „ num Presbytero „ ſcelus inficianti, *purgatorio ſit deferenda?*

Pro hujus quæſtionis ſolutione adducit fragmentum Epiſtolæ Stephani ſcribentis Leoni Epiſcopo Theanenſi, extatque etiam fragmentum ſub eadem indiſcriptione in *Canone* 17. *Cauſa* 2. *qu.* 1. niſi quod hic addatur, quotus fuerit *Stephanus*, nimirum *quintus*, adjecta ad calcem hac Correctorum Romanorum nota: „ extat in„ tegra hæc Epiſtola in collectione Canonum ſine aucto„ ris nomine in Vaticana Bibliotheca “. Indigna veriſimiliter, quæ huic Pontifici adſcribatur, ut propterea nec ejus Epiſtolis *tom.* 9. *Conc. Gener.* deſcriptis enumeretur.

An & quãdo Presbytero crimẽ negãti purgatio Canonica ſit deferenda.

Interim hoc in fragmento reſpondetur, quod ſi Presbyter accuſatus, nec per propriam confeſſionem, nec legitimis teſtibus convincatur, „ & mala fama crebue„ rit, non publico examine, ſed coram Epiſcopo & „ aliquatenus reverendiſſimis Presbyteris & Diaconis „ Epiſcopalis Eccleſiæ ſecreto juramento ſe purificet “.

In altero Decreto ſub nomine *Nicolai ſcribentis Salomoni Conſtantienſi Epiſcopo*, hoc unum aſſeruit, Clericum a ſuo officio non deponendum niſi *legitime* convictum; traditurque hæc regula: *Sola ergo ſpontanea confeſſio, & Canonicus numerus, & qualitas teſtium (decernentibus Epiſcopis, & accuſatore, quod objecerat, comprobante) Clericum privat proprio gradu*. Hoc Decretum inter Decreta Nicolai I. a Cochlæo non reponi notat Antonius Auguſtinus *lib.* 2. *de emendat. Grat. Dial.* 19.

Cujuſcumque interim hæc ſint verba, indubie intelligi debent de abſoluta Presbyteri depoſitione a ſuo officio: nam etſi non ſit *plene* de crimine convictus; ſed tamen mala fama ſufficientibus adminiculis fundata laboret, poteſt ei nonnunquam purgatio indici; præſertim ſi ob publicam de patrato crimine famam ſine ſcandalo officio fungi nequeat: quemadmodum ad titulum Decretalium *de purgatione canonica* docent Canoniſtæ; & in pluribus Canonibus expreſſum eſt, uti & oſtendi in *Jure Eccl. Tom. IV. p.* 3. *tit.* 8. *c.* 4. una tamen probavi, hanc purgationem non leviter eſſe imponendam.

Quæſt. VI. An confeſſio criminis cruciatibus ſit extorquenda?

Ulterius in caſu a Gratiano aſſumpto dicitur, quod *Epiſcopus Confeſſionem quæſtionibus extorquet*; quare *ſextam* format quæſtionem: *an ejus confeſſio Cruciatibus ſit extorquenda?*

Quæſtionem dividit in binas partes plane diſparatas. In *prima parte* auctoritate, maxime pſeudo-Decretalis Alexandri I. cujus plura fragmenta in unum conflat, probat, quo miniſtrorum confeſſio, non debeat eſſe *extorta*, ſed libera. Addit & Decretum ſub nomine Nicolai Papæ Epiſcopi Galliæ, in quo & allegatur auctoritas beatiſſimi Papæ & martyris Alexandri, qui a beato Petro ſextus extitit ſummus Pontifex.

Verba hic citata referuntur per Cochlæum in collectione Decretorum Nicolao I. per Gratianum adſcriptorum *tit.* 4. *num.* 7. monetque Antonius Auguſtinus *lib.* 2. *de emendat. Grat. Dial.* 13. apud Petrum Ciaconium in incertis collocari: additque: „ nuſquam extare „ re adſcripſerunt Romani, qui notant ex ea probari „ auctoritatem epiſtolæ I. Alexandri I. Sed, ut recte „ monet idem auctor, debuiſſent prius, cujus eſſet hoc „ caput, probare: nam ex incertis incerta probatio „ elicitur. “

Et ſane dubium non eſt, quin citata verba reſpiciant præfatam pſeudo-Decretalem Alexandri I. Scimus Nicolaum I. ſummopere urſiſſe auctoritatem harum Decretalium contra Hincmarum Rhemenſem, alioſque Galliæ Epiſcopos, uti ſæpius notavimus: unde & ſupra relatis verbis ſubjungit Antonius Auguſtinus: „ Ni„ colaum relatas epiſtolas ab Iſidoro mercatore non „ improbare dubium non eſt. Antonium Auguſtinum „ de harum Decretalium auctoritate ut minus dubitaſ„ ſe: “ ex his verbis manifeſtum eſt.

Secunda parte „ quæſtionis probare contendit quod a „ fidelitatis juramento Romanus Pontifex nonnullos „ abſolvat, cum aliquos a ſua dignitate deponit. “ Quid hæc vel ad caſum per Gratianum propoſitum, aut ad quæſtionem inde formatam faciant, non video.

An Romanus Pontifex Principes regno aut imperio ſpoliare poſſit?

Interim in hanc rem profert *Can.* 3. Decretum ſub nomine Gelaſii; ſed quod revera eſt Gregorii VII. uti monent Correctores Romani, in quo dicit, quod „ Ro„ manus Pontifex, Zacharias ſcilicet regem Franco„ rum, non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo, „ quod tantæ poteſtati erat inutilis, a regno depoſuit: „ & Pipinum Caroli Magni Imperatoris patrem in ejus „ locum ſubſtituit, omneſque Francigenas a juramento „ fidelitatis, quod illi fecerant, abſolvit. “

Factum negant plures notabiles hiſtorici, præſertim Galli, nec ſine fundamento: quamvis dubitandum non ſit, Pontifices plures, ſæculo XI. & ſequentibus ea auctoritate adverſus Imperatores uſos fuiſſe. Vide Janum a Coſta ad titulum *de ſupplenda neglig. Prælat.* ubi hujus Canonis meminit.

An a fidelitate erga Principem excommunicatum liberentur ſubditi?

Quin & auctoritate Gregorii VII. & Urbani II. probare vult Gratianus *Canone* 4. & 5. quod *excommunicatis vinculo fidelitatis non teneamur obnoxii*: atque in *Can.* 4. Gregorius VII. præſidens Synodo Romanæ inducitur dicens: *eos qui excommunicatis fidelitate aut ſacramento conſtricti ſunt, Apoſtolica auctoritate a ſacramento abſolvimus.*

Porro notum eſt ex hiſtoricis ejus ætatis, quam graves inter hunc Pontificem & Imperatorem Henricum IV. alioſque Principes fuerint contentiones, quam bella cruentiſſima: & qualiter ad tuenda prætenſa ſua jura contra imperatorem, eique adhærentes Principes per cenſuras proceſſerit, quo pacto etiam a Regno, ab Imperio eos deponere tentaverit, atque eorum ſubditos a fidelitatis juramento abſolutos declaraverit hic Gregorius VII. ad quos Decretum hujus Canonis dirigi, etiam notavit Carolus Molinæus in notis ad hunc Canonem: & monet quoque Ludovicus de Hericourt in Analyſi hujus quæſtionis, una merito notans nihil eſſe periculoſius hoc principio, ſcilicet ſubditos a fidelitatis juramento eſſe abſolutos ob excommunicationem ſupremi Principis.

Periculoſum hac in re Gratiani principiũ.

Relato enim hoc principio, ſubdit: *Rien n' eſt plus contraire aux veritables principes, qu' une pareille maxime, que perſonne n' avoit oſè avancer avant le neuvieme ſiecle. La puiſſance temporelle eſt abſolument indèpendante de la puiſſance Eccleſiaſtique: c' eſt pourquoi le Prince excommuniè, mème lègitimement, conſerve encor tous ſes droits ſur le temporel*: Proinde hic articulus merito reponitur inter pernicioſa & periculoſa principia in Decreto Gratiani expreſſa.

Quæſt. VII. Epiſcopus ſine Concilio Presbyterum aut Diaconum damnare non poteſt.

Caſus a Gratiano propoſitus habebat, quod Epiſcopus *ſolus abſque Synodali audientia Presbyterum ſententia feriiſſet*. Unde quærit ſeptimo: „ An abſque Synodali „ audientia, Epiſcopus valeat Sacerdotem damnare? “

Profert hic plures auctoritates, quibus probatur, Epiſcopum non poſſe ſine *Synodali* audientia, aut ſaltem ſine præſentia & conſilio Cleri ſui Sacerdotem deponere; atque inter cætera refertur *Can.* 1. Decretum Concilii Hiſpalenſis II. anni 619. quo decernitur: „ juxta priſcorum Patrum Synodalem ſententiam nul„ lus noſtrum (id eſt Epiſcoporum) ſine Concilii exa„ mine quemlibet Presbyterum vel Diaconum dejicere „ audeat. “

Ratio ſubditur: „ Nam multi ſunt, qui indiſcuſſos „ poteſtate tyrannica, non auctoritate Canonica dam„ nant: & ſicut nonnullos gratia favoris ſublimant, „ ita quoſdam odio invidiaque permoti humiliant, & „ ad levem opinionis auram condemnant, quorum cri„ men non approbant. “

Dein hanc regulam adjungit: „ Epiſcopus enim Sa„ cerdotibus ac miniſtris ſolus honorem dare poteſt, „ ſolus auferre non poteſt. “

Plures quoque proferuntur Canones Africani, quibus definitur numerus Epiſcoporum & Sacerdotum, qui in depoſitione Presbyterorum aut Diaconorum requiritur, quorum *Scholia Tom. VII. hujus editionis* conſuli poterunt. Quomodo hæc diſciplina tandem mutata ſit, & Epiſcopi cœperint ſine Synodali audientia per ſuos Officiales judicare, dixi in *Jure Eccleſ. Tom. IV. part.* 3. *tit.* 5. *cap.* 1.

Optandum, ut eamdem hodie diſciplina ſervaretur.

Optandum eſſet, ut hodie Epiſcopi, eorumque Officiales horum Canonum Decretis obtemperarent, nec adverſus Presbyteros nonnunquam, neglecta Canonica auctoritate, ſive neglecto ordine juris, via facti per cenſuras proſilirent, eoque ſuo procedendi modo non præberent ipſis neceſſitatem ad auditoria Principis pro comprimenda violentia recurrendi.

Qu. VIII. Quæ diſciplina ſervanda circa Sacerdotes in crimen carnis lapſos?

Denique Gratianus cauſam hanc finit *qu.* 8. quod Sacerdos, qui poſt ordinationem ſuam fatetur, ſe ante ordinationem in crimen carnis prolapſum, maneat quidem in ordine Sacerdotali, ſed tamen ab altari abſtinere debeat: idque præcipue probat auctoritate Canonis Neocæſarienſis, quem *Can.* 1. recitat ſub nomine hujus Synodi, binis Canonibus 9. & 10. in unum conflatis ex verſione Iſidori; ac rurſus *Can.* 4. ex verſione Martini Bracarenſis tamquam ex Concilio Martini Papæ. Videri poſſunt, quæ in *Scholiis* ad hos Canones obſervata ſunt *Tom. IV.*

Profert præterea *Can.* 2. Decretum Synodi Ilerdenſis quoad deſervientes altari, *qui ſubito in flenda carnis fragilitate corruerunt*: de quibus ita ſtatuit: „ Si Do„ mino reſpiciente, digne pœnituerint, ita ut mortifi„ cato corpore cordis contriti ſacrificium Deo offerant, „ maneat in poteſtate Pontificis, vel veraciter affli„ ctos non diu ſuſpendere, vel deſidioſos prolixiori „ tempore ab Eccleſiæ corpore ſegregare: ita tamen ut „ ſic officiorum ſuorum loca recipiant, ne poſſint ad „ altiora officia ulterius promoveri. Quod ſi iterato „ velut canes ad vomitum reverſi fuerint . . . . non „ ſolum dignitate officii careant; ſed etiam ſanctam „ communionem niſi in exitu non percipiant. “

Circa hoc Decretum obſervandum hic non niſi diſpenſative; idque adhibitis multis cautionibus, permitti Epiſcopis lapſos Sacerdotes poſt peractam debite pœnitentiam, & probatam ſinceram converſionem permittere in ſuo officio permanere: quæ diſpenſandi auctoritas veriſimiliter hic a Synodo Hiſpanica indulta fuit ob raritatem Sacerdotum, quæ ob incurſum barbarorum

in

in Hispania eo tempore occurrebat, prout similis dispensandi auctoritas occurrit in Epistola Siricii ad Himerium Archiepiscopum Tarraconensem.

Nemo ante probationem puniendus.

Notanda sententia occurrens hic *Canone* finali: ,, Ante probationem accusationis illatæ neminem a tua ,, communione suspendas: quia non statim, qui accusa- ,, tur, reus est, sed qui convincitur, criminosus. ,,

CAUSA XVI.

Incipit hic tractatus, *de Monachis*.

GRATIANUS ,, hactenus de statu Ecclesiarum egit & ,, sæcularium Clericorum, ait glossa sub initium ,, hujus causæ: sed quia religione Monachorum multum ,, decoratur status Ecclesiarum, ideo in sex sequentibus ,, causis tractat de statu Monasteriorum & Monacho- ,, rum. ,, Unde a *Causa* 16. incipit tractatus *de Monachis*, ad quem non semel ipse Gratianus remittit.

Casus hic propositus.

Hac causa agit de officio Monachorum, varia, eaque inter se disparata & confusa intermiscens. Casum sive causam ita proponit. ,, Quidam Abbas habebat ,, parochialem Ecclesiam: instituit ibi Monachum, ut ,, officium celebraret populo: possedit eam per quadra- ,, ginta annos sine aliqua interpellatione: tandem que- ,, rela adversus Abbatem movetur a Clericis baptisma- ,, lis Ecclesiæ, in cujus Diœcesi parochiana Ecclesia ,, illa consistebat. ,,

Quæstio I.

Ex hoc casu septem quæstiones format. Prima quæstio constans 68. Canonibus est: ,, Utrum Monachis ,, liceat populis officia celebrare, pœnitentiam dare, ,, & baptizare. ,,

Varia refert Gratianus, ·ibus Monachi videntur removeri a functionibus Ecclesiasticis.

Primis 12. Canonibus significare videtur Gratianus, non posse Monachos Ecclesiis parochialibus præfici.

Hunc in finem citat *Canone* 1. Decretum sub nomine Synodi Nicænæ, quod neque in prima Nicæna Synodo, neque in secunda hodie haberi notant Correctores Romani.

Putarunt nonnulli Canonem hunc sumptum ex *Canone* 76. inter Canones Arabicos Concilii Nicæni: unde in margine ad dictum *Canonem 76.* apposuit Turrianus: *Meminit Gratianus hujus Canonis causa 16. qu. 1. Can. Placuit*. Verum si dictus Canon Arabicus conferatur cum Canone a Gratiano hic relato, apparebit, nihil præter inscriptionem illis esse commune; ut proinde hactenus nesciatur, unde hunc Canonem sumpserit Gratianus, uti etiam notavit Joannes Dartis in commentario *dist.* 15. Cæterum dictos Canones Arabicos non posse attribui Synodo Nicænæ hodie compertum est.

Notandum, quod Canones hic a Gratiano adducti potissimum probent, Monachos ex suo instituto debere esse solitarios, ab omnibus functionibus Ecclesiasticis & sæcularibus remotos. Hinc *Can.* 4. 5. *&* 6. referuntur verba Hieronymi, quibus docet Monachorum statum a Clericorum statu esse omnino disparatum: *Monachumque non docentis, sed plangentis habere officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum*: ut habet Canon 4. & *Canone* 8. sub nomine Eugenii Papæ habetur illud vulgare: *Monachus sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua, caret vita; ita sine Monasterio Monachus. Sedeat itaque solitarius & taceat: quia mundo mortuus est, Deo autem vivit.*

Ad calcem *Canonis* 12. Canonem, quem sub nomine Synodi Nicænæ protulerat *Canone* 1. quo inter alia præcipitur: *Monachus mortuum non sepeliat, nisi: Monachum in Monasterio secum commorantem: vel si fortuito quemquam advenientium fratrum ibi mori contingat*; ita exponit, quasi hic Canon solum prohibeat ,, Monachos ,, de Monasterio exire, & per cappellas mortuorum ,, sepulturas celebrare: confluere videlicet more Cleri- ,, corum ad cujuslibet exequias celebrandas. Cæterum, ,, ait, si apud Monasterium aliquis semetipsum tumu- ,, lari voluerit, non est prohibendus. ,,

Eis tamen sepulturas in suis templis concedit.

In probationem finalis clausulæ, qua Monachis asseritur libertas sepeliendi eos, qui apud ipsos sepeliri elegerint, profert Canones 13. 14. 15. & 16. atque ex his ad calcem Canonis 16. ita concludit: ,, Ecce his ,, auctoritatibus patet, quod si quis apud Monasterium ,, sepulturam sibi eligere voluerit, libere a Monachis ,, potest sepeliri. Unde liquido colligitur, prohibitio- ,, nem illam Nicænæ Synodi, propter improbitatem ,, circumvagantium esse factam. ,,

At in eo disciplinæ suæ ætatis se accommodat.

Non dubium, quin Gratianus in formanda hac conclusione magis reflexerit ad disciplinam sui temporis, quam ad auctoritates hic adductas, quæ nullatenus probant, vel exprimunt assertum aut conclusionem Gratiani.

Cum autem in hac conclusione incidenter dixisset supra *Can.* 1. Decretum sub nomine Synodi Nicænæ factum esse propter improbitatem circumvagantium, subjicit immediate *Can.* 17. Decretum Concilii Chalcedonensis, quo similes Monachi coercentur, & ad sua Monasteria redire compelluntur.

Refert deinde varia, quibus Ecclesiasticorum officior. exercitium Monachis concedi videtur.

Parte secunda, quæ incipit a *Can.* 21. plures auctoritates adducit, quibus probari videtur, quod Monachi Sacerdotalium officiorum potestatem habeant.

Adducit in primis *Can.* 21. verba sub nomine S. Ambrosii, quæ apud Ambrosium non sunt inventa: & videntur esse auctoris longe recentioris, uti notant Correctores Romani.

Neque majoris ponderis apparent citata *Canone* 22. 23. *&* 24. tamquam Innocentii Papæ, & Grægorii I. utpote in quibus referuntur, quæ recentiorem plane ætatem præferunt.

Vulgare & famosum Decretum sub nomine Bonifacii Papæ relatum *Can.* 25. hodie ut apocryphum passim rejicitur.

Interim ad calcem hujus Canonis 25. ita concludit Gratianus: ,, His omnibus auctoritatibus perspicue mon- ,, stratur, Monachos posse pœnitentiam dare, bapti- ,, zare, & cætera Sacerdotalia officia licite administra- ,, re. ,,

Non mirum Gratianum ex relatis, tametsi parum authenticis Decretis tam fidenter hanc efformasse conclusionem, eo quod neglecta veteri disciplina, unice pene ad sui temporis disciplinam reflecteret.

Quo spiritu debent Monachi suscipere servitium Ecclesiæ.

Inter alia refert *Can.* 30. verba S. Augustini ex *Epistola* 48. *ad Eudoxium*, quibus Monachos exhortatur, *ut propositum suum custodiant, & usque ad finem perseverent: ac si quam*, ait, *operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis; sed miti corde obtemperetis Deo.*

Hic jam pridem ostendit Augustinus, quo spiritu debeat suscipi servitium Ecclesiæ ab illis, qui ad vitam solitariam sunt vocati.

Qui Monachi legitime functiones Ecclesiasticas exercere possint?

Dein aliis nonnullis adjunctis, quibus ostenditur, e Monachis subinde aliquos ad Clerum posse assumi, ad *Canonem* 36. concludit: ,, His omnibus auctoritatibus ,, monstratur, quod Monachi, qui sunt a populo ele- ,, cti, & ab Episcopo cum consensu sui Abbatis sunt ,, ordinati, legitime potestatem suam exequi valent. ,,

Quo sensu non potest Monachus juxta Gregorium functionibus hierarchicis occupari?

Gratianus attulerat *Can.* 2. fragmentum Epistolæ sancti Gregorii l. 4. Epist. 1. in qua dicitur: *Nemo potest & Ecclesiasticis obsequiis deservire, & in Monastica regula ordinate persistere.*

Quibus verbis vult Gregorius, ut Abbas vel Monachus simul & Ecclesiasticis sive Clericalibus obsequiis insistere, & Monasticæ distinctioni subjectus manere, & utilitatibus Monasterii ut Monachus gaudere non possit. Vide notas ad *Epistolam 2. lib.* 3. Gregorii; ubi ostenditur, nequaquam fuisse mentem S. Gregorii, quod idem non posset esse Abbas sive Monachus & Presbyter; sed id unum voluisse, ne Monachus vel Abbas manens Monachus aut Abbas, functionibus hierarchicis sive Clericalibus in directione populi, adinstar Presbyterorum parochialium occuparetur: sed nequaquam vetuisse, quominus Abbas in suo Monasterio *pro suis Monachis* Presbyteri munia obeat.

Gratianus autem hunc sancti Gregorii textum exponere volens, ait post Canonem 36. ,, Illud Gregorii; ,, *Nemo potest obsequiis Ecclesiasticis*, *&c.* de illis intel- ,, ligendum est, qui in numero Cardinalium vel Epis- ,, coporum ordinati, Monasterii sui dispensationem sibi ,, reservare contendunt. ,,

Discrimen inter officium Monachi & Clerici.

Deinde ad Canonem 39. concludit: ,, Aliud enim ,, convenit cuique ex eo quod *Monachus est*; aliud ex ,, eo, quod *Clericus* est. Ex eo quod *Monachus* est, sua ,, & aliorum peccata deflendi habet officium: ex eo ,, quod *Clericus*, docendi & pascendi populum. ,,

Citat autem Gratianus dictum Canonem 39. ex Registro Gregorii: monet autem Correctio Romana, quod auctor hujus capitis referat constitutionem beati Gregorii de Abbate xenodochii in civitate Augustodunensi, quæ habetur *lib* 2. *Regest. Epist.* 10. At constitutionem hanc seu privilegium nonnullis spurium videri, in notis ad citatam Epistolam annotatur.

Ulterius concludit ad calcem *Canonis* 40. quod Monachis Presbyterii honore decoratis, a populo electis, & ab Episcopo institutis eadem liceant, quæ & aliis Sacerdotibus.

Clerici potestatem in ordinatione acceptam sine licentia Episcopi exequi non possunt.

Addit hoc probari, ex eo quod tam Monachi, quam alii, eodem plane ritu ordinentur: ,, Sicut ergo, ait, ,, in benedictione utrique communem nanciscuntur po- ,, testatem; ita in institutione communiter assequuntur ,, potestatis executionem. Cæterum absque Episcopo- ,, rum licentia non solum Monachis, sed etiam omni- ,, bus generaliter Clericis, potestatis executio interdi- ,, citur. ,,

Ut postremam partem probet Gratianus, allegat *Canone* 41. verba ex falsa Decretali Clementis I. quibus declaratur, quod Clerici nihil sine licentia Episcopi proprii agere queant: non utique missas sine ejus jussu quispiam Presbyterorum in sua Parochia agat, quæ vel sola recentiorem manum manifestant: nec enim nomina, *Missa & Parochia*, pro districtu Presbyteri, ætate Clementis nota erant.

In conciliatione Canonum Gratianus spectavit disciplinam sui temporis.

Ex his nequaquam obscurum est, quod Gratianus dum Canones in speciem diversos conciliare conatur, potius spectavit usum suorum temporum, quo Monachi ad munera hierarchica assumpti regulæ Monasticæ subjecti manebant: cum e contra ætate sancti Gregorii, aliorumque venerandæ antiquitatis monumentorum hac quæstione relatorum, Monachus ad munia hierarchica assumptus, solveretur penitus a regula & subjectione Monastica, & alienus plane fieret a Monasterio. Hæc etiam monuit Franciscus Florens in commentario ad hanc quæstionem; ubi & erudite deducit, quomodo sensim tam in Oriente quam in Occidente Monachi ad

functio-

functiones Clericales sint admissi, atque præcedente exacta probatione.

Qui Monachi ad clericatum assumendi?

Cæterum ex relatis Canonibus a Gratiano, illud manifestum est, non omnes Monachos ad Clericatum provehendos; sed non nisi *probatiores & meliores*, ut habet Canon 36. sive, *quos morum gravitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat*, ut ait Canon 29. Hinc illud Hieronymi *Canone* 26. *Sic vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis.*

☞ His Clericis monitum seu præceptum quod sequitur dedit Innocentius I. *in Epist.* ad Victricium Rothomagensem. " Monachi, inquit S. Pontifex, diu „ morati in Monasteriis, si postea ad Clericatum perveniant, non debent aliquatenus a proposito deviare; sicut in Monasterio positi fuerunt, ita in Clericatus Ordine degere debent; & quod diu servaverunt, id in altiori gradu positi amittere non debent „. ☜

Et *Canone* 36. ostenditur ex S. Augustino, quam sit perniciosum Monachos desertores ad Clericatum promovere; *Est ipsis enim facilis lapsus, & Ordini Clericorum fit indignissima injuria, si desertores Monasteriorum ad militiam Clericatus eligantur: cum ex eis, qui in Monasterio permanent, non tamen nisi probatiores, atque meliores in Clerum assumere soleamus.*

An Monachi ex prædiis suis teneantur ad decimas.

Cum hactenus tribus hujus quæstionis partibus Gratianus inquisivisset; an Monachis liceret functiones Clericales obire, incipit post hæc inquirere; " De his, „ qui intra Monasterii claustra consistunt, quibus populus ad regendum non committitur, utrum dare „ vel accipere decimas debeant "?

Dicit autem Gratianus, quod " in his hæc discretio servanda sit, ut de agris & vineis, quæ ad proprium stipendium coluntur, decimas sibi retineant. „ Si enim, ait, decimæ a populo filiis Levi reddebantur pro Ministerio, quo Domino deserviebant in „ tabernaculo, offerendo sacrificia & holocausta pro „ populo, patet quod Monachi de propriis prædiis „ non magis, quam alii Sacerdotes decimas solvere „ coguntur ".

Dein per modum objectionis, ait; " Sed dicitur, „ quod prædia Monachorum sive pretio sint empta, „ sive pro salute animarum oblata, antequam in jus „ eorum venirent; baptismalibus Ecclesiis, sive quibuslibet aliis primitias & decimas persolvebant; „ illæ autem Ecclesiæ privari suo jure non possunt ".

Ecclesiæ antiquæ ob novas extructas decimis privandæ non sunt.

Hanc quæstionem examinat *parte* 4. incipiens a Canone 42. quo & duobus sequentibus probat, antiquas Ecclesias non esse privandas decimis & oblationibus propter novas; ac tum *Canone* 45. probat, decimas baptismalibus Ecclesiis deberi, prolato Decreto sub nomine *Leonis Papæ IV.* quo declaratur, etiam jam pridem, *majoribus visum esse plebibus tantum, ubi sacrosancta baptismata dantur, de decimis debere dari*. Per plebes intelligi Ecclesias baptismales notat hic glossa: atque hinc Presbyteri hisce Ecclesiis præfecti dicti sunt Plebani.

Ex his concludendum videbatur, quod & Monachi ex propriis prædiis decimas Ecclesiis baptismalibus solvere deberent. Verum respondet Gratianus, quod Concilium Moguntinense (sub cujus nomine Decretum relatum fuit *Canone* 42.) " de venditore vel donatore loquatur, definiens, ait, quod ille, qui vendit, „ aut donat, non potest proventum decimationum illi Ecclesiæ detrahere, cui prius legitime fuerat assignatus; Monachi autem decimas & primitias non „ auctoritate vendentis vel donantis, sed auctoritate „ ejusdem Concilii, & Paschalis Papæ detinent; a „ quibus definitum, ut Monachi de propriis prædiis „ decimas non solvant.

Exemptionem a decimis concedit Gratianus Monachis ex Canone in alienum sensum detorto.

Decretum, quod hanc in rem producit Gratianus *Canone* 46. sub nomine Concilii Moguntinensis " in „ nullo Concilio Moguntino, quod extet, haberi, „ sed in Cabilonensi, inde citant Burchardus & Ivo " monent Correctores Romani.

Hi insuper monent, Gratianum ad verba, *decimas ad Ecclesias*, addidisse vocabulum *suas*, quod abest ab ipso Concilio, & cæteris Collectoribus.

Porro additione hujus voculæ, *suas*, Gratianus Monachus detorsit Canonem in alienum sensum, idque in favorem Monachorum, quasi Concilium voluisset, ut Abbates *de agris & vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias suas deferri faciant*, cum Concilium decrevisset eas ad Ecclesias deferri. Nomine autem, *Ecclesiarum*, ea ætate scilicet sub initium sæculi IX. quo celebratum est hoc Concilium, intellectas fuisse Ecclesias parochiales, vel baptismales notum est.

Decretum, quod sub nomine Paschalis Papæ II. extat *Canone* 47. nescio, num apud scriptores antiquiores Gratiano reperiatur; saltem hactenus non inveni; & per Labbæum *tomo* 10. *Concil.* reponitur inter Decreta hujus Pontificis ex Decreto Gratiani excerpta.

Interim auctoritate Decreti Gratiani fulti Monachi, libertatem a decimis prætenderunt; eaque occasione plures controversiæ & Pontificum decisiones supervenerunt, uti latius exposui in *Jure Eccles. Tom. III. part.* 2. *sect.* 4. *tit.* 2. alias 23. *cap.* 7.

Quia dictum fuerat, quod antiquiores Ecclesiæ propter novas nec decimis, nec ulla possessione privandæ sint, monet *parte* 5. hujus quæstionis Gratianus, id non ita intelligendum " Quasi Episcopo non liceat aliquam partem possessionum vel decimationum unius „ Ecclesiæ alteri pro tempore tribuere: sicut enim Papa duos Episcopatus in unum potest redigere; ita „ & unus, inquit, proprio consentiente Episcopo in „ duos potest dividi, vel etiam Metropolitano invito „ quælibet Ecclesia ab ejus jurisdictione, Apostolica „ eximi auctoritate ".

Cui competat potestas dividendi aut uniendi Episcopatus?

Quam procul quæsita & parum concludens sit hæc Gratiani probatio, nemo non videt: at interim Gratianus arripit occasionem probandi Sedi Apostolicæ auctoritatem esse uniendi Episcopatus, eosque a jurisdictione Metropolitani eximendi, prolatis in probationem tribus testimoniis ex S. Gregorio, quorum tertium in Canone 52. desumptum ex *lib.* 2. *indict.* 2. *Epist.* 7. loquitur de exemptione Episcopi Thebanæ civitatis a jurisdictione sui Metropolitani per Pelagium II. immediatum Gregorii prædecessorem facta: notantque eruditi, hoc primum esse hujusmodi exemptionis exemplum, e quo sequentia, non sine multorum querela, sensim emanarunt: hoc autem exemplum non omnino quadrat intento Gratiani, eo probare volentis jus esse Pontifici, vigore sui Primatus, etiam Metropolitano invito (uti concludit ad calcem Canonis 47.) quamlibet Ecclesiam ab ejus jurisdictione eximendi; quandoquidem hæc Ecclesia Thebana esset in Illyrico, in quo Episcopus Romanus, non tantum jus Primatus, sed etiam ut minus Patriarchale obtinebat.

Item eximendi Episcopatus a jurisdictione Metropolitani.

In binis autem Canonibus Africanis relatis *Canone* 50. & 51. *Tom. VII. hujus edit.* nulla fit hujus exemptionis mentio; sed cavetur, ne sine consensu Episcopi Episcopatus dividatur.

Post hæc addit Gratianus auctoritate Gregorii junioris, id est secundi, scribentis Bonifacio Episcopo, quod excrescente multitudine fidelium, auctoritate Sedis Apostolicæ possint novi Episcopi ordinari. Quod hic videtur Gratianus attribuere soli Romano Pontifici, commune fuit aliis etiam Episcopis, maxime Metropolitanis, uti evincit Historia Ecclesiastica, & inter alia factum S. Augustini circa Episcopatum Fussalensem, cum consensu Primatis, alias Metropolitani Numidiæ a se erectum.

Item erigendi novos Episcopatus.

Hinc infert ulterius Gratianus, quod similiter Episcopus possit facere de baptismalibus Ecclesiis, nimirum unam in plures dividere cum consensu suorum Clericorum: *Quod cum factum fuerit*, inquit, *illa pars populi, quæ novis Ecclesiis supponitur, a jure prioris Ecclesiæ absolvitur.*

Addit tamen, quod *plures baptismales Ecclesias in una terminatione facere non possit*: hoc est, non possit facere plures Ecclesias *baptismales* infra eosdem limites, uti hic interpretatur glossographus: *Ex quo enim, ait, sunt baptismales, debent habere limites distinctos: unus enim tantum debet esse princeps.*

Plures baptismales Ecclesiæ infra eosdem terminos esse non possunt.

Profert in hujus asserti probationem *Canone* 54. Decretum sub nomine Concilii Toletani? at illud in nullo Toletano esse inventum, monent Correctores Romani, Laudanda nihilominus est disciplina ibi contenta, quam & annotavit Synodus Tridentina *sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* mandans Episcopis *pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distinctio populo in certas propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & a quo solo licite Sacramenta suscipiant* In margine autem citatur præsens Canon.

Ex hactenus dictis infert *parte* 6. subjecta Canoni 54. *Jus Ecclesiarum ita interpretandum esse, ut nisi Episcopo disponente aliis Ecclesiis fuerit assignatum, in nullo priorum redituum diminutionem patiantur.*

Bona & decimæ unius Ecclesiæ sine Episcopi consensu alteri dari non possunt.

Et prolato in *Canone* 55. Decreto sub nomine Anastasii Papæ (quod nullibi inter Epistolas, aut authentica ejus acta invenitur) quo punitur, qui oblationes vel decimas tenere contenderit, vel extra baptismalem Ecclesiam dare voluerit, *præter conscientiam Episcopi*.

Notat autem ad calcem Canonis, quod auctor Canonis *cum addit*, extra conscientiam Episcopi, *intelligendum relinquit, quod, Episcopo consentiente, aliis Ecclesiis dari possunt.*

Profert rursus *Canone* 56. Decretum sub nomine ejusdem *Anastasii Papæ*, quod esse Concilii Ticinensis notant Correctores Romani: extatque *tomo* 8. *Concil. General. col.* 148. quo declaratur, in sacris Canonibus præfixum esse, ut decimæ juxta Episcopi dispositionem distribuantur: agitque *contra Laicos, qui contempta Episcopi dispositione, non ad Ecclesias, ubi baptismum, & prædicationem, & manus impositionem, & alia Christi Sacramenta percipiunt, decimas suas dant, sed vel propriis Basilicis, vel aliis Ecclesiis* (in Concilio legitur, suis Clericis) *pro suo arbitrio tribuunt: quod omnimodis*, ait, *divinæ legi, & sacris Canonibus constat esse contrarium.*

Ad calcem *Canonis* 56. ait: *Cum autem reprehenduntur, quia contempta Episcopi dispositione hoc faciunt, intelligitur, quod si Episcopo disponente hoc fecerint, irreprehensibiles inveniantur.*

Hinc

Pœnæ adversus invasores bonorum Ecclesiæ.

Hinc arrepta occasione subjungit Gratianus Canones, pœnas decernentes in deprædatores & invasores rerum & bonorum Ecclesiæ, ac notanter Canones 57. & 58. qui conflati sunt ex allocutione Symmachi Papæ in Synodo Romana VI. de invasoribus rerum Ecclesiasticarum, quæ integra habetur *tom. 4. Concil. general. col.* 1371. apud Labbæum.

Retulit & *Canone* 59. Capitulum Caroli & Lodovici Imperatorum, quo declaratur, quod juxta sanctorum Patrum traditionem noverimus, res Ecclesiæ esse *vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum*.

Fabula de apparitione Caroli Martelli.

Correctores Romani in conformitatem eorum, quæ a Gratiano contra invasores rerum Ecclesiæ relata sunt, addunt famosam illam fabulam de apparitione Caroli Martelli, facta, ut fert fabula, S. Eucherio Episcopo Aurelianensi, in qua vidit Carolum Martellum *in inferno inferiori torqueri*. Cui interroganti ab Angelo responsum est, causam damnationis ejus esse, quod res Ecclesiæ abstulisset. Fabulam illam pluribus refutat Baronius ad *annum* 741.

Cum ergo præter conscientiam Episcopi, quilibet prohibeatur oblationes Ecclesiæ distribuere, liquido apparet, ait Gratianus, quod cum Episcopi consensu oblationes Ecclesiæ possint quibuslibet Ecclesiis distribui: At, pergit Gratianus, huic interpretationi videtur contraire auctoritas illa Concilii Toletani IV.

Objectio ex Toletano Concilio.

Hoc enim Decreto, quod extat *Canone* 60. prohibentur Episcopi quidquam *de rebus Ecclesiæ auferre; sed juxta priorum Conciliorum auctoritatem, tam de oblationibus, quam de tributis ac frugibus* tertiam *partem consequantur*.

Objectioni respondens Gratianus ad calcem Canonis 61. ait: *Illud Toletani Concilii ita intelligendum esse, ut Episcopi præter quartam vel tertiam, quæ secundum locorum diversitates eis debetur, nihil contingant* id est, nihil in proprium ac privatum usum accipiant.

Hac occasione exhibet Gratianus tres Canones, quibus Episcopis interdicitur, subditos sibi Clericos vel Monachos novis exactionibus gravare.

An sit grave peccatum, decimas non solvere.

Tandem concludens Gratianus quæstionem, vult ostendere *parte* 7. *quam sit grave apud Deum decimas, & oblationes, ac primitias Sacerdotibus non solvere: idque auctoritate SS. Hieronymi & Augustini*.

Profert autem *Canone* 65. verba Hieronymi ex commentario ejusdem ad *caput* 3. Malachiæ: sed verba Hieronymi magis ad Levitas & Sacerdotes veteris Testamenti pertinent, quam ad novi Testamenti Clericos, ideoque ex hoc textu concludi nequit, tempore Hieronymi decimas debitas fuisse.

Testimonium S. Augustini in Canone 66. desumitur ex *Sermone* 219. *de tempore*: & notarunt eruditi operum S. hujus Doctoris revisores Monachi Benedictini, hunc sermonem non videri hujus sancti Patris: *Lovanienses*, inquiunt, *dubium reliquerunt*. "Rejecit post „ Verlinum Virdingus, ob id maxime, quod *decimas*, „ de quibus reddendis hic agitur, intelligere liceat ex „ *sermone* 3. *in Psal.* 103. *n.* 9. & ex enarratione *Ps.* „ 146. *num.* 16. & 17. nondum fuisse Augustini ætate „ Clericis & Sacerdotibus datas aut assignatas". Cæsarium potius refert quam Augustinum.

Aliud S. Hieronymi testimonium exhibet in eamdem rem Canone 68. ex Epistola ejusdem ad Damasum Papam; sed nihil simile apud Hieronymum reperiri agnoscunt eruditi: eamque Epistolam ut spuriam rejiciunt.

Quamvis nequaquam ex eis, quæ hic adducit Gratianus, probetur, decimas tempore Hieronymi aut Augustini fuisse debitas; nihilominus certum est, quod postquam in sustentationem ministrorum Ecclesiæ impositæ fuere, hæ non possint sine injustitia illis subtrahi sine legitima auctoritate, uti ostendi in *Jure Eccles. part.* 2. *t.* 33. *c.* 1.

Quæst. II. An Monachi in suis Cappellis habeant jus institutionis.

Post hæc pergit Gratianus ad *quæstionem secundam*, quam ex casus positione elicit, & versatur circa Cappellas a Monachis beneficio Episcopi obtentas; *an ab iis sint instituendæ, an ab Episcopis?*

Hanc quæstionem in duas partes dividit; constatque prior pars unico Canone sub nomine Joannis Papæ scribentis Isaac Syracusano Episcopo.

Non indicatur, cujus Joannis sit, neque alibi hæc Epistola reperitur, eamque fictitiam esse ipse contextus admodum verisimile facit.

Interim hac Epistola datur Monachis facultas in *Cappellis suis* Sacerdotes instituendi, aitque; *consilio multorum fratrum diligenter exquisito decrevimus, ut amodo Ecclesiæ Monachis traditæ per suos Sacerdotes instituantur*.

Hinc sine hæsitatione *parte* 2. concludit Gratianus: „ Hac auctoritate Monachis conceditur investitura suarum Ecclesiarum: sed videtur contraire, inquit, „ Urbanus II. dicens, &c."

Sententia Urbani videbatur immediate subjicienda; cum tamen hodie duntaxat referatur Canone 6. interpositis quatuor *Canonibus* sub nomine *Paleæ* spectantibus ad decimas.

Verisimile est *Paleas* non esse Gratiani, sed recentioris auctoris.

Verum monet Stephanus Baluzius in notis ad Canonem 2. hujus quæstionis, quatuor has *Paleas* non extare in antiquis Gratiani exemplaribus Sangermanensi, Regio, vetere Victorino, & Colbertino: habentur tamen in recentiore Victorino, sed absque *Paleæ* nomine. Innuunt quoque Correctores Romani dictas *Paleas* in quibusdam exemplaribus non extare; atque in his dictum Canonem 6. in quo refertur Decretum Urbani II. immediate subjici Canoni 1. prout & Gratianum voluisse apparet.

Hinc colligitur admodum esse probabile, Canones, qui sub nomine *Paleæ* in Decreto extant, non esse Gratiani; sed recentioris auctoris, primum in margine adducti, ac deinde incuria Typographorum in textum intrusi; uti & circa alia nonnulla contigisse notavimus.

Circa institutionem a Monachis faciendam conatur Gratianus conciliare Decretum Urbani cum Decreto Joannis relato Canone 1.

In hoc Urbani, qui sedit sub finem sæculi XI. Decreto statuitur: "ne in parochialibus Ecclesiis, quas „ tenent (Monachi) absque Episcoporum consilio Pre„ byteros collocent: sed Episcopi parochiæ curam cum „ Abbatum consensu Sacerdoti committant: ut ejus„ modi Sacerdotes de populi quidem cura Episcopis ra„ tionem reddant: Abbati vero pro rebus temporali„ bus ad Monasterium pertinentibus debitam subjectio„ nem exhibeant, & sic sua cuique jura serventur."

Hoc Decretum conciliare volens Gratianus cum Decreto sub nomine Joannis Papæ in *Canone* 1. relato, ait: *Illud Joannis Papæ intelligendum est de illis Cappellis, quæ cum* omni *jure suo ab Episcopis Monachis conceduntur. Istud autem Urbani intelligi de illis, quas Abbates in propriis prædiis ædificant, vel in castellis suis.*

Discrimen inter Ecclesias incorporatas pleno jure, & incorporatas tantum quoad temporalia.

Hæc conciliandi ratio, quamvis nova, nec ullius authentici Canonis auctoritate munita, nihilominus a doctoribus probata fuit; atque ita tandem recepta est distinctio inter Ecclesias pleno jure, id est, tam quoad temporalia, quam spiritualia Monasteriis aut Capitulis incorporatas, & Ecclesias incorporatas *duntaxat* quoad *temporalia*: ut si priori modo incorporatæ sint, non tantum temporalia ad Monachos pertineant, sed etiam spiritualia; puta Presbyterorum institutio & destitutio: cujus subjectionis mentio occurrit *in c.* 15. ✠ *de præscript. c.* 6. ✠ *de religiosis domib.* & *c.* 13. ✠ *de sentent. & re judic.* ubi & jura, quæ vigore hujus subjectionis competunt, enumerantur: notantque interpretes, ex ipso tenore unionis & incorporationis judicandum esse, quo jure Ecclesiæ sint subjectæ, uti latius & docte exponit Franciscus Florens in commentario hujus quæstionis.

Sed observandum est, quod hodie ex Decreto Concilii Tridentini, nullus Presbyter sive sæcularis, sive regularis possit curam animarum personarum sæcularium exercere in Diœcesi Episcopi sine ejus approbatione, licet Ecclesiæ sint *pleno jure* Monasteriis aut Capitulis unitæ & subjectæ, uti latius exposuimus in Dissertatione *de pristinis Ecclesiarum & alterium incorporationibus*, *Tom. VI.*

Quæst. V. præpostero ordine proposita.

Post quæstionem secundam sequitur ordine præpostero *quæstio quinta*, de quo videri potest monitum Correctorum Romanorum: notantque argumentum hujus quæstionis valde conjunctum esse iis, quæ in fine secundæ quæstionis dicta erant.

Observaverat enim Gratianus, quod Ecclesiæ, quas Abbates ædificant in villis vel castellis sui Monasterii, quoad spiritualia sint subditæ Episcopis locorum, quod & confirmatur tribus Canonibus, quibus constat hæc quinta quæstio: ac præsertim *Canone* 1. quem quidem sub nomine Nicolai Papæ exhibet Gratianus; sed revera est Concilii Arausicani anni 441. in cujus Canone 10. hoc Decretum reperitur; quo forsan nullus antiquior extat, qui ædificatori Ecclesiæ jus præsentandi Presbyterum reservat. Cæterum legetur utiliter integer Canon in ipso Concilio.

Canon antiquissimus favens juri Patronatus.

Summa ergo horum Canonum est, uti & finalis Canonis quæstionis præcedentis, *quod sive Abbates, sive Episcopi in suis castellis, vel villis Ecclesias ædificaverint, non ideo Episcopo, in cujus Diœcesi fuerint, conventus adimitur: & ideo Sacerdotes in iis non nisi per Episcopos cum consensu tamen & electione ædificantium ordinari possunt*: uti Gratianus ad calcem quæstionis concludit.

Hic notandum, hos Canones non nisi de Ecclesiarum ædificatoribus loqui; quibus aliquod quasi jus Patronatus conceditur, quod postmodum Monachi & Canonici solo titulo incorporationis sibi asseruerunt, uti in *Jure Eccl. Tom. III. parte* 2. *sect.* 3. *tit.* 8. alias 25. *de jure Patronatus*, notavi, quantumvis neque veri Patroni esse, neque jura Patronorum eo titulo prætendere queant.

Quæst. III. & IV. De tempore ad præscriptionem requisito.

Cum obiter in *Canone* 2. præcedentis quæstionis facta esset mentio *præscriptionis*, seu *antiquæ possessionis*, hac levissima arrepta occasione, Gratianus *quæstione* 3. & 4. generaliter de universo præscriptionis jure tractat.

Et quidem *quæstione* 3. tractat de tempore, quo Ecclesia contra Ecclesiam præscribit; *quæstione* vero *quarta*, quo tempore Monasterium adversus Ecclesiam, credit inter hæc differentiam faciendam: at in hoc fallitur: neque enim ulla in Canonibus vel legibus inter hæc occurrit.

Unde desumen-

Verum si quæ differentia circa *tempus* præscriptionis in Canonibus, ac notanter in legibus civilibus occurrit,

dum discrimen circa tempus præscriptionis

rit, hæc vel ex diversitate temporis, vel natura bonorum desumenda erat: non autem ex varietate præscribentium; utrum nimirum sit Ecclesia contra Ecclesiam, vel Monasterium contra Ecclesiam, aut Monasterium.

Porro notandum auctoritates fere omnes, quæ his quæstionibus referuntur, ad leges Principum pertinere: eo quod plerumque per præscriptionem rerum temporalium dominia acquirantur, quæ potestati & jurisdictioni Regum & Principum præcipue subjiciuntur; eaque reguntur.

Canonum itaque questionibus his confuse admodum relatorum verus sensus, & concordia ex temporum & locorum vario usu desumenda sunt.

Ante Justinianum, præscriptio 30. annorum etiam adversus Ecclesia procedebat.

Et quidem constitutione Theodosii junioris in *l.* 1. *Cod. Theod. de actionibus certo tempore finiendis*, & *l.* 3. *Cod. Just. de præscript.* 30. *annorum*, primum in Oriente, ac dein per Novellam 8. Valentiniani III. in Occidente, recepta est præscriptio 30. annorum, qua omnibus actionibus, nisi breviori termino inclusis præscriptum esse voluerunt.

Post hæc Justinianus in gratiam Ecclesiarum præscriptionem centenariam induxit. *L.* 23. *Cod. de Sacrosanct. Eccles.* & *Novella* 9. an. 535. promulgata.

Justinianus in gratiam Ecclesiarum induxit longiorem præscriptionem.

At idem Justinianus sex circiter post annis præscriptionem hanc *centenarium* rursus sustulit, edita *Novella* 3. hac tamen prærogativa Ecclesiis indulta, ut adversus Ecclesiis non triginta, sed *quadraginta* annorum possessio necessaria foret.

Similiter *Novella* 131. *c.* 6. " Pro temporalibus præ„ scriptionibus 10. & 20. & 30. annorum sacrosanctis „ Ecclesiis, & aliis veneralibus locis, solam 40. an„ norum præscriptionem opponi præcepit. "

Ratio ob quam quidam Canones tantum meminerunt præscriptionis 30. annorum.

Itaque ante Justinianum præscriptio 30. annorum adversus Ecclesias etiam procedebat, atque ideo Canones ante Justinianum editi, hujus duntaxat præscriptionis meminere.

Quin & nonnulli Canones etiam Justiniano recentiores, ut sunt *Canones* 3 *&* 4. ex Concilio Toletano IV. Item *Canone* 6. sub nomine quidem Innocentii Papæ relatus; sed revera ex Canone 2. Concilii Hispalensis II. desumptus: item *Canone* 10. ex Concilio Toletano IX. sola 30. annorum præscriptionis quadragenariæ tacta mentione.

Porro Canones hi reflectunt ad leges, quæ 30. annorum præscriptione omnia jura circumscribant: *Quicumque Episcopus (inquit Canon Toletanus in dicto Canone 4. relatus) alterius Episcopi Diœcesim per 30. annos sine aliqua interpellatione possederit, quia secundum jus legis, ejus videtur esse Diœcesis, admittenda non est contra eum actio reposcendi.* Ita legitur in ipso Concilio *Tom. V. Concil. General. col.* 1715. edit. Labb. & apud Burchardum *l.* 1. *c.* 67. & Ivonem in Decreto *p.* 3. *c.* 131. additis post verbum, *possederit*, his verbis *eam teneat.*

At in Panormia Ivonis *l.* 2. *c.* 67. legitur vitiose: *quamvis secundum jus legis ejus non videatur Diœcesis.* Quam vitiosam lectionem secutus est Gratianus, qui sua ex Panormia potius, quam ex Decreto Ivonis depromere consuevit, ipsosque etiam errores Panormiæ in suum Decretum derivare, uti adhuc quandoque observavimus.

Hoc autem notandum, Canones hos, licet post tempora Justiniani editos, ad leges Theodosii, non autem Justiniani respicere, eo quod in Hispania non Justiniani, sed Theodosii Codex ex Alarici præcepto collectus vim & auctoritatem obtinebat: quemadmodum & in Gallia, quæ non leges Justiniani, sed Theodosiani Codicis agnoscebat, uti monet Franciscus Florens in commentario hujus quæstionis.

Alii autem præscriptione 40. annorum loquuntur.

Verum Ecclesia Romana leges, & Novellas *Justiniani*, mox ut evulgatæ fuere, suscepit & agnovit. Hinc S. Gregorius post editas has Justiniani leges scribens *lib.* 1. *Epist.* 9. Petro Diacono, & e quo sumptus *Canon* 2. *quæst.* 4. vult Monasterii alicujus inconcussos fines manere, *si inconcussis quadraginta annis*, inquit, *possedisse repereris.*

Itaque dissonantia Canonum circa tempus præscriptionis contra Ecclesias ex distinctione temporum & locorum dissolvenda erat, non autem per distinctionem inter Monasterium & Ecclesiam, ut vult Gratianus, qui propterea & textum *Novellæ* 131. *cap.* 6. mutilavit *Can.* 3. pro his verbis Novellæ: *sacrosanctis Ecclesiis, & aliis universis venerabilibus locis*, intrusit hæc, *religiosis domibus*.

Hanc, quam attulimus e locorum & temporum differentia, Canonum conciliationem probavit non obscure Alexander III. in *c.* 8. ※ *de præscriptionibus*, scribens, quod *adversus Ecclesias minorem; quam 40. annorum præscriptionem* Romana Ecclesia *non admittat*, *licet* quidam Canones *comprobent* tricennalem.

An Ecclesia Romana gaudeat privilegio centenariæ præscriptionis.

Decima parte quæstionis tertiæ probare vult Gratianus, privilegia Ecclesiæ Romanæ nonnisi 100. annorum spatio præscribi, prolato in hujus probationem unico *Can.* 17. sub nomine Joannis VIII. (qui obiit an. 882.) scribentis Ludovico Regi in hæc verba: *Sed venerandæ Romanæ leges divinitus per ora piorum principum promulgatæ, rerum ejus (Sanctæ Romanæ Ecclesiæ) præscriptionem nonnisi per centum annos admittunt.*

Notavimus Justinianum aliquando, non quidem speciatim in favorem Ecclesiæ Romanæ, sed omnium Ecclesiarum, centum annorum præscriptionem requisivisse; & una observavimus, Justinianum hanc præscriptionem sustulisse, eique substituisse præscriptionem 40. annorum; idque sine ullius Ecclesiæ, etiam Romanæ, exceptione.

Unde & S. Gregorius in *Can.* 2. *qu.* 4. expresse scribit præscriptionem 40. annorum sufficere, *etiamsi quid Sanctæ Romanæ Ecclesiæ competere potuit.*

Attamen hujus Canonis a Gratiano relati auctoritate, non dubitarunt posteriores Pontifices, ac signanter Innocentius III. in *cap.* 13. *&* 14. ※ *de præscript.* & Bonifacius VIII. in *c.* 2. *de præscript. in VI.* præscriptionem *centenariam* in gratiam Romanæ Ecclesiæ asserere, *tam legali*, *quam Canonica esse definitione statutam.*

Hos secuti sunt Decretalium commentatores, quorum omnium auctoritate abreptus Imperius auctor authenticarum e Novellis Justiniani desumptarum; & quas legibus Codicis subjecit, *authenticæ*, *quas actiones*, e Novella 131. desumptæ, adjecit hanc clausam: *sola Romana Ecclesia gaudente centum annorum spatio vel privilegio*: cujus privilegii aut exceptionis nulla in ipsa Novella mentio fit; unde & a Cujacio merito redarguitur *lib.* 5. *observ. cap.* 5.

Hac *quæst.* 6. quærit Gratianus: „ Si Archipresbyter, vel Episcopus sua auctoritate, non judiciaria sen„ tentia, Cappellam illam erexerit, an cadat a causa: „ ut Ecclesia, cui præsidet, non ultra habeat jus re„ poscendi, quod suus Pastor illicite usurpavit ".

Sine judicis auctoritate bona Ecclesiæ repeti non possunt.

In tres partes quæstionem dividit Gratianus. *Prima parte* asserit „ quod ea, quæ Ecclesiæ debentur, recto„ res ejusdem, sua auctoritate, judicibus prætermissis, „ repetere non valeant. "

Hic unicum ex S. Gregorio desumptum Canonem profert, quo dicitur: „ Nova consuetudo, quæ in Romana „ Ecclesia, & valde reprehensibilis eruperat, ut cum re„ ctores ejus patrimonii urbana vel rustica prædia juri il„ lius competere posse suspicantur, fiscali more titulos „ imprimant, atque hoc, quod competere pauperibus exi„ stimant, non judicio sed manibus defendant.... Proin„ de præsenti Decreto constituo, inquit, ut si quis Eccle„ siasticorum unquam titulos ponere, sive in rustico, sive „ in urbano prædio sua sponte præsumpserit, anathe„ ma sit. *Epist.* 44. *l.* 4. „ Hæc decisio desumpta est „ ex jure civili, titulo Codicis: *Ut nemini liceat sine judicis auctoritate signa imponere rebus alienis.*

Causa cadere debet, quid id sine judicis auctoritate attentat.

Nec tantum est illicitum, res, quas sibi deberi existimat, propria auctoritate invadere; sed quod etiam id attentans, causa cadat, probat *parte* 2. per Canonem Concilii Milevitani, qui est *Canon* 120. in Codice Ecclesiæ Africanæ, de quo vide *Tom. VII. Schol.* in præfatum Canonem.

Id tamen soli Prælato, non Ecclesiæ nocere debet.

Sed cum in hoc Canone Milevitano innui videatur, quod factum Episcopi etiam Ecclesiæ noceat, nititur Gratianus *part.* 3. contrarium adstruere pluribus Canonibus: sive in delinquendis Prælati personam & bona pœnam proferendam, non autem in damnum Ecclesiæ Prælati delinquentis delictum convertendum; quemadmodum ipse Gratianus ad calcem quæstionis exponit.

Inter Canones a Gratiano relatos præcipue notandi 4. & 5. ex *Epist.* 42. *l.* 1. S. Gregorii desumpti. Circa quartum notanda est nota Correctorum Romanorum, qui recte monent, pro, *a communione*, legendum esse *a commodo*, prout legitur in Epistola.

Cui cedere debeant bona Clericorum pœnitentiæ causa Monasterio inclusorum.

Notabilis vero est *Canon* 5. in quo S. Gregorius scribit Petro Subdiacono de lapsis Sacerdotibus, vel Levitis, vel quolibet ex Clero, quos in *pauperrima* regularia Monasteria „ quæ secundum Deum vivere sciantur, „ ad pœnitentiam tradi vult, & ut ipse in rebus eo„ rum nulla contaminatione misceatur; sed res ipso„ rum in eodem loco proficiant, in quo pœnitentiam „ agere traduntur; quatenus ipsi ex rebus illorum sub„ sidium habeant, qui de correctione eorum sollicitu„ dinem gerunt: si vero parentes habeant, res eorum „ legitimis parentibus dentur, ita tamen ut eorum „ stipendium, qui in pœnitentiam dati fuerint, suffi„ cienter debeat procurari. ".

Dein adjungit, „ si qui vero ex familia Ecclesiastica „ Sacerdotes, vel Levitæ, vel Monachi, vel Clerici, „ vel quilibet alii lapsi fuerint, dari eos in pœniten„ tiam vult; sed res eorum Ecclesiastico juri non sub„ trahi: ad usum tamen suum accipiant: unde ad „ pœnitendum subsistant: ne, si nudentur, locis, in „ quibus fuerint, onerosi sint. ".

Laborant hic Canonistæ, ut hoc postremum membrum cum priore concilient: at facilis & obvia apparet concordia, si dicatur in priore agi de hominibus *ingenuis*: in posteriore vero de his, qui aliquando servi fuerunt Ecclesiæ, qui licet sint facti de Clero, adhuc de *familia Ecclesiæ*, adinstar *libertorum*, remanebant: eorumque res temporales ad Ecclesiam pertinuisse videntur. Vide notam 19. ad citatam Epistolam, & commentarium Francisci Florentis ad præsentem quæstionem Gratiani.

Ecclesia ex delicto Clericorum emolumentum facere non debet.

Ex his concluditur, quod sicut ex delicto particulari Sacerdotum, aut Prælatorum non debet damnificari Ecclesia; ita nec compendium facere.

Hinc & in eadem Epistola conqueritur Gregorius, quod quoties conductor aliquid colono suo injuste abstulerit, hoc quidem a conductore exigatur, sed ei reddatur, a quo ablatum est; quod omnino fieri vult, & utilitati nostræ, ait, *non proficiat, ne nos auctores violentiæ esse videamur*. Quod hic improbat Gregorius, etiamnum hodie nimis frequenter factitatur, sæpiusque pecunia intervertitur (utinam non specie religionis) quæ spoliato restitui deberet, de quo & scripsit sanctus Augustinus Epistola ad Marcellinum circa finem: *Facilius ea, quæ hoc modo acquisiverunt, tamquam sua pauperibus largiuntur, quam eis, a quibus accepta sunt, aliena restituant.*

Quæst. VII.

Ex casu seu hypothesi formata sub initium hujus causæ hanc quæstionem eduxerat Gratianus: *Si Laici Cappellam tenebant (ut quibusdam moris est) & in manibus Abbatis eam refutaverint, & ordinandam tradiderint, an consensu Episcopi & Clericorum Abbas possit eam tenere?*

An decimæ & oblationes a Laicis possideri queant?

Occasione hujus quæstionis contendit ostendere Gratianus in primis, quod nec decimæ, nec oblationes a Laicis possideri queant. Vide quæ dixi in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 4. tit. 2.* alias 33. *cap.* 4.

Ulterius probat, quod Ecclesiæ earumque oblationes non consistant, nisi in potestate Episcoporum; ex quo patet profecto, ait ad calcem *Canonis* 9 *quod non sunt ab alio recipiendæ, quam de manu eorum*.

Non licet de manu Laicorum Ecclesias recipere.

Hic a *Canone* 10. producit plures Canones, quibus probet, omnes basilicas cum suis proventibus pertinere ad Episcopum, in cujus territorio positæ sunt. Miscet & hac occasione Canones, quibus præcipitur Episcopis, ut per œconomos e Clero eligendos res Ecclesiæ ministrent. Vide *Scholion in Canonem 26. Chalcedonensem Tom. VII.*

Præterea plures intermiscet Canones, quibus decernitur, quod nemo de manu Laicorum Ecclesias recipere possit: neque Laicis fas sit, Ecclesias sua auctoritate alicui committere, aut alicui auferre.

Abusus circa collationem Ecclesiarum per Laicos.

Pro quo notandum, sæculo X. XI. & XII. abusum recrudisse, ut Principes, potentiores Episcopatus, Abbatias, Ecclesias, earumque possessiones & reditus pessimo more sibi vendicarent, & ipsas Ecclesias, Episcopatus, Abbatias, aliis committerent; quin & Episcopos & Abbates per annulum & virgam investirent ipsosque pro arbitrio destituerent & instituerent.

Ad reprimendos hos abusus plura leguntur edita Decreta, signanter sæculo X. & XI. quorum nonnulla hic per Gratianum relata sunt. Videri possunt quæ de Abbatibus Laicis dixi in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *t.* 31. *cap.* 7. hujus editionis.

Inter hos abusus non fuit generaliter referri de investituræ.

Notandum autem generaliter inter hos abusus nequaquam referendas investituras per *annulum & baculum*, quas inter sua jura regalia reputabant Principes, quasque Episcopos & Abbates a se accipere debere prætendebant, antequam ordinari aut institui possent; & quo jure per plura sæcula, etiam respectu Romani Pontificis, usos fuisse Imperatores constat: primusque legitur Gregorius VII. hoc jus Imperatori Henrico IV. negasse; atque has investituras tamquam simoniacas reprobasse; ipsosque Principes eas dantes & prætendentes, necnon Episcopos, Abbates, aliasque personas Ecclesiasticas de manu Laicorum similes investituras accipientes gravissimis censuris & pœnis subjectos declarasse, uti latius exposui & deduxi in *Jure Eccl. Tomo I. parte* 1. *tit.* 31. alias *in supplemento ad* 1. *partem Juris Eccles. tit.* 13. & ad hanc contentionem spectant Decreta hic a Gratiano relata *Canone* 12. & 13. & in annotationibus ad hanc quæstionem notat Molinæus.

Quod sit jus Patronorum, & an dictæ ei non repugnent.

Sed Gratianus ne videretur juri patronorum, sive fundatorum derogare, dum negat Laicis facultatem Ecclesias conferendi, aut quidquam in Ecclesia disponendi, ad calcem Canonis 30. post formatam hanc conclusionem: *Si ergo Ecclesiasticas facultates dispensandi potestatem non habent Laici; multo minus Ecclesias ipsas quibuslibet ad regendum committere, vel aliis auferre valent*: mox subjungit: *hic autem distinquendum est, quid juris fundatores Ecclesiarum in eis habeant, vel quid non. Habent jus providendi, & consulendi, & Sacerdotem inveniendi, sed non habent jus vendendi vel donandi: vel utendi tamquam propriis.*

Hinc plures ad jus antiquum fundatorum spectantes Canones intermiscet Gratianus, aliquos falso inscriptos, mutilatos; alios contortos contra mentem auctorum, qui & errandi occasionem interpretibus præbuerunt, uti notavi in *Jure Eccl. Tom. III. par.* 2. *sect.* 3. *tit.* 8. alias *tit.* 25. *cap.* 1. & 7.

Monachi a Laicis sine consensu Episcopi decimas recipere non possunt.

Denique cum sæculo X. & XI. Laici decimas & Ecclesias a se, vel parentibus suis occupatas ad usum Ecclesiasticum restituere vellent, eas passim Monachis & Canonicis potius, quam Ecclesiis, a quibus ablatæ fuerant, & de jure competebant, donare eligebant; quod tamquam inordinatum pluribus Canonibus vetitum fuit, ordinatumque, nec Monachis & Canonicis licitum esse, decimas aut Ecclesias de manu Laicorum sine consensu Episcopi recipere, quorum Canonum & apud Gratianum hic mentio occurrit; de quibus videri possunt, quæ notavi in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect.* 4. *tit.* 2. alias *tit.* 33. *cap.* 5. ubi ostendi quomodo Laici decimas occupaverint: & ab his ad Monasteria devoluta sint.

CAUSA XVII.

CUm causa decima-sexta egisset Gratianus de his, qui in voto perseverant, agit nunc causa decima septima de his, qui a *voto* recedere volunt, ait glossa.

Casus hic propositus.

Casum hunc proponit Gratianus: " Quidam Presbyter " infirmitate gravatus, se fieri velle Monachum dixit: " Ecclesiam & beneficium in manu advocati renuntiavit. " Postquam convaluit, mox se futurum Monachum " negavit, & Ecclesiam & beneficium reposcit ".

Quæstio I.

Ex hoc casu quatuor elicit quæstiones, quarum *prima* quærit; " Utrum reus voti, teneatur, an liceat " ei a proposito cordis sui recedere "?

An a voto recedere liceat.

Hac quæstione probat, quod a voto recedere non liceat, prolatis tribus Canonibus, quorum duo priores apud auctores, sub quorum nominibus citantur, non reperiuntur, ut in suis notis indicant Correctores Romani, qui in nota marginali ad *Can.* 2. sub nomine Hieronymi citant Augustinum *de bono viduitatis c.* 9.

Tertius desumitur ex *Epistola* 33. *l.* 1. S. Gregorii ad Venantium, ubi ipsi expendendum proponit, quod si Ananias ob substractos nummos, quos Deo voverat, morte mulctatus sit, *Quanto periculo in divino judicio dignus erit, qui non nummos, sed seipsum Deo omnipotenti, cui se sub Monachali habitu devoverat, subtraxit*.

Canon 4. concinnatus est ex fragmentis *homiliæ* 3. *l.* 1. *S. Gregorii in Ezechielem Prophetam*, quibus nihil aliud intendit Gregorius, quam dicere nonnullos multa proponere & deliberare, sed proposita & deliberata ad perfectum non deducere, uti ex contextu humiliæ manifestum est.

Discrimen inter votum, & simplex propositum.

Hinc autem concludit Gratianus: " aliud esse pro" positum corde concipere, & etiam ore enuntiare, " aliud subsequenti obligatione se reum voti facere ". Ulterius inde refert Gratianus, quod Presbyter, de " quo in hypothesi, qui propositum sui cordis ore " simpliciter enuntiavit, non autem Monasterio, aut " Abbati se tradidit, nec promissionem scripsit, *nequaquam voti reus habeatur* ".

Verum nec quæ hactenus allata sunt, nec quæ secunda quæstione profert, probant, quod ad obligationem voti requirantur, quæ hic requirit Gratianus.

Interim verum esse apparet, quod Presbyter, de quo in casu, propositum quidem habuisse videatur; sed voto se non obstrinxisse appareat.

Quæst. II. An ad beneficium derelictum detur regressus?

Secunda quæstio e casu formata hæc est: " An Ec" clesia & beneficium ei reddenda sint, quæ prius li" bera voluntate refutavit ".

Pro resolutione hujus quæstionis tres duntaxat Canones adducit, quorum primo præmittitur hoc summarium: *Non cogitur aliquis in Monasterio manere, nisi professionem fecerit in manu Abbatis*.

Quæ hic refert Gratianus, quæstioni propositæ non conveniunt.

Desumptus est hic Canon ex *Epist.* 26. Alexandri II. quæ integra extat apud Ivonem *parte 6 Decreti c.* 426. & *t.* 9. *Concil. general. col.* 1134. sed sive fragmentum apud Gratianum, sive integra Epistola legatur, apparebit, defectum obligationis & professionis unice refundi *in non præmissum unum annum probationis: quia beati Benedicti, Canonicaque, & præcipue patris & prædecessoris nostri*, ait, *S. Gregorii Papæ constitutio interdicit, ante unius anni probationem effici Monachum*.

Igitur cum professio hujus Presbyteri esset nulla ob defectum anni probationis, auctoritate Apostolica *præcipit, ut præfatus Presbyter beneficium & altaria recipiat, habeat, & quiete retineat*.

Hac Alexandri sententia videbatur resoluta quæstio, utrum Presbyter in casu deberet beneficium, quod dimiserat, recipere: notatque Dominus de Hericourt in reflexione ad hunc Canonem, huic regressui ad beneficium originem adscribendam.

De reliquo nihil præterea in hac Epistola occurrit, quod ad propositam quæstionem facit: neque resolutio Alexandri in hac Epistola refundit nullitatem professionis in hoc, quod non esset facta in manu Abbatis, ut habebat quæstio, sed quod esset facta ante expletum annum probationis; ut proinde nullatenus resolutioni quæstionis conveniret.

Non magis proposito suo quadrat Canon 2. sub nomine sancti Augustini Epistola 70. ad Bonifacium Comitem, quæ est 220. in editione Benedictinorum: hoc enim unum asserit Augustinus, quod Bonifacius propositum continentiæ, & vitæ Monasticæ exequi nequeat sine consensu conjugis, quam post factum propositum duxerat. Integra legi meretur.

Allegat dein Gratianus *Canone* 3. Decretum sub nomine Bonifacii; sed illud apud Bonifacium non reperiri, at desumptum esse, licet non iisdem verbis, ex *Novella* 5. *c.* 2. & *Novella* 123. *cap.* 25. Justiniani, monent Correctores Romani: requiritque ibidem Justinianus *triennium* probationis, sed nulla notos inter & ignotos distinctio ocurrit.

Inepte conciliat Gratianus Canones & leges requirentes in Mona-

Cum hic Justinianus requireret *triennium* probationis, & in allegato Decreto Alexandri videret Gratianus, tantum requiri unius anni probationem secundum beati Benedicti regulam, & sancti Gregorii Canonicam institutionem,

His diversum tempus probationis.

...m, ad calcem Canonis 2. hanc conciliandi rationem subjecit: *Auctoritas illa Alexandri secuta institutionem beati Gregorii & Benedicti probandis annum indulget, sed notis, ignotis vero triennium conceditur.*

Absona plena restrictio; cujus nulla, aut in regula S. Benedicti, aut apud sanctum Gregorium mentio habetur.

Similiter nec apud Justinianum nullum inter *notos* & *ignotos* discrimen constituitur, sed simpliciter *triennium* probationis præscribitur. Neque in Novellis Justiniani legitur, quemadmodum hic apud Gratianum in prætenso Decreto Bonifacii: *Si quis incognitus*, sed indefinite: *si quis autem ad Monasticam vitam venire voluerit, &c.* (a).

Si Gratianus loca & tempora distinxisset, obvia fuisset conciliandi ratio: scitur enim, nec ubique nec semper eamdem fuisse circa tempus probationis disciplinam, uti in *Jure Eccles. Tom. I. parte 1. tit. 25. cap. 1. & cap. 2.* notatum est.

Quæst. III. An Monacho cum licentia Abbatis liceat ad propria redire?

Quæstio tertia a Gratiano ex casu proposito elicita erat: „Si contigisset eum se, & sua Monasterio tradidisse, an cum licentia Abbatis liceret ei ad propria redire„? Hanc quæstionem sine ulla auctoritate tamquam per se claram, negative resolvit.

Quæst. IV. An Monacho sine licentia Abbatis discedenti bona sint restituenda.

At *quæstione quarta* ulterius quærit: sed quid si tamen *sine licentia* Abbatis discesserit, utrum sua sint ei restituenda? huic quæstioni impendit Gratianus 43. Canones; at vix unum legimus, qui ad propositam quæstionem spectet.

De vetita alienatione bonorum Ecclesiæ.

Primo nescio qua occasione agit primis quinque Canonibus de vetita alienatione rerum Ecclesiasticarum & de pœna Prælatorum, indebite & sine causa, & non servata præscripta solemnitate, alienantium: ad quam materiam etiam spectant Canones 12. 13. & 15. ex pseudo-Decretalibus primorum Pontificum desumpti: item Canones 39. 40. & 41. inter quos notandus 40. ex Canone 59. Agathensi desumptus (quamvis verisimile sit, ex alia Synodo hujus Synodi Canonibus esse adjectum, uti monet Sirmondus in nota Synodo huic præfixa *tomo 4. Concil. general.* edit. Labb.) quo statuitur: *Mancipia Monachis donata ab Abbate non liceat manumitti*, notanda hac ratione subjuncta: *Injustum enim putamus, ut Monachis quotidianum opus rurale facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur.*

De asylo Ecclesiarum.

Agit & Gratianus hac quæstione de immunitate seu asylo Ecclesiarum, & pœnis, quæ Canonibus & legibus imponuntur his, qui confugientes ad Ecclesias & Monasteria violenter abstrahunt.

Huic rei impenduntur Canon 6. & sequentes usque ad undecimum. Item Canones 19. 20. 21. 32. 34. 35. & 36.

Circa hos Canones in primis notandum, plures inter eos reperiri, qui vel falsam, vel dubiam præferunt inscriptionem, vel mutilatis verbis referuntur, uti singillatim notavi in Dissertatione Canonica *de intercessionibus Episcoporum pro reis, & asylo templorum*, quæ inferius *Tom. IX.* hujus editionis extat.

Quousque hic asylus locum habeat respectu famulorum?

Postquam hæc pro asserendo Ecclesiarum asylo, & confugientium ad eas immunitate adduxisset; tandem *Canoni* 31. subjungit quasi per modum moderationis: „Verum ne reverentia religionis Dominos jure suo fraudaret, si famuli ad Ecclesiæ septa confugientes, inde nequaquam abstraherentur, sacris Canonibus est institutum, ait Gratianus, ut præstito a Domino sacramento impunitatis, ei etiam reddantur inviti„. Citantur hanc in rem Canones 32. 33. 34. 35. & 36.

Ulterius ex his concludit Gratianus ad calcem *Canonis* 36. occasione religionis servum Dominum suum contemnere, & ejus ministerium destituere non debere, prolatis duobus Canonibus Synodi Gangrensis. Hæc fusius deducta videri possunt in dicta dissertatione *de asylo templorum*.

Percussores Clericorum qua pœna puniendi?

Quia autem occasione confugientium ad Ecclesias sæpius contingebat, ut armis pugnaretur, & hinc cædes etiam Clericorum & Sacerdotum evenirent, ut patet ex *L. 4. Cod. de his, qui ad Eccl. conf.* intermiscet Gratianus aliquot Canones contra interfectores & percussores Clericorum, inter quos est famosissimus ille Canon; *Si quis suadente diabolo, in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat.* Quas modificationes circa hanc pœnam attulerint posteriores Pontifices refert hic glossographus, & exposui in tractatu *de Censuris*, qui inferius *Tomo IX.* exhibetur, & in *Jure Eccles. Tom. IV. part. 3. tit. 11. cap. 3.* hujus editionis adnotavi.

In Canonibus autem a Gratiano in hanc rem allegatis, præter pœnas Ecclesiasticas depositionis, excommunicationis vel pœnitentiæ, referuntur pœnæ quædam, sive emendationes, satisfactiones, & compositiones introductæ ex veteribus constitutionibus Francorum & Germanorum; necnon ex Capitularibus Regum Francorum, quæ in Conciliis probatæ fuerunt, quamvis incognitæ jure Romano, uti notat Franciscus Florens in commentario hujus quæstionis, qui erudite de his ibidem discurrit, ac notanter de compositione & emendatione, quæ in Canone 26. *Kuiregeldus* dicitur. Vide etiam Stephanum Baluzium in notis ad hos Canones, ubi notat, Canones 24. & 26. qui sub nomine *Paleæ* exhibentur, in multis Gratiani antiquis exemplaribus non haberi.

An sacrilegus habendus sit qui de judicio summi Pontificis disputat?

Porro quia percussores & interfectores Clericorum sacrilegii crimen incurrere dicuntur, captat Gratianus occasionem ostendendi, qui præterea pro sacrilegis sint habendi, puta, qui *de principali judicio disputant, an his dignus sit quem princeps elegerit*; hac occasione asserit Gratianus: *similiter de judicio summi Pontificis disputare non licet*, prolato Canone 30. sub nomine *Nicolai Papæ omnibus Episcopis*. Huic Canoni hanc notam appendit Correctio Romana: „Epistola, ex qua hoc caput est sumptum, non extat: aliquid tamen simile „habetur in Epistola prima ad Michaelem Imperatorem„: & Antonius Augustinus *l. 2. de emendat. Gratiani Dial.* 13. hoc caput incertum sibi esse asserit. Extat inter Decreta Nicolai I. e Gratiano per Cochlæum collecta *tit. 4. num.* 8. Hinc patet, Gratiani assertum non probari auctoritate hujus Canonis. Certum quoque simile quid non legi apud antiquos Patres. Profluxit verisimiliter ex asserto Gratiani, quod in moderna Ordinatione Episcopi omissa sit interrogatio consecratoris, an Episcopi Ordinandum præsentantes sciant esse dignum, *ne viderentur de SS. Pontificis judicio disputare, dubitantes an is dignus sit*, uti monuimus in *Jure Ecclesiast. Tom. I. parte 1. tit. 15. capite 3.* hujus editionis.

Nemo cum injuria filiorum Ecclesiam debet facere hæredem.

Cum autem hactenus nihil pene attulisset Gratianus ad præpositam a se quæstionem pertinens, adfert tandem *Canone ultimo* dictum S. Augustini: *quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alium, qui suscipiat, non Augustinum, immo Deo propitio, nullum inveniet*: laudatque Augustinus factum Aurelii Episcopi Carthaginensis: *quidam enim cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes (retento usufructu) donavit Ecclesiæ. Nati sunt ei filii postea, & reddidit Episcopus nec etiam opinanti illi, quæ donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli.*

An exeunti e Monasterio bona ab eo oblata sint restituenda.

Hinc concludendum videbatur, etiam sine licentia de Monasterio recedendi, reddenda esse quæ obtulerat. At negat consequentiam Gratianus: „Si, ait, S. Aurelius, degenti in Laicali habitu oblata reddit, qui post oblationem filios accepit, non ideo in apostasiam euntibus sua reddenda sunt, quibus utilius necessaria subtraherentur, ut coacti redirent ad ordinem, a quo recesserant. Sed sicut inimicis & persecutoribus jubemur necessaria subministrare, sicut ab Apostolo monemur tempus redimere, ut expeditius orationi vacemus: sic ne Ecclesia scandalum patiatur, ne discedens in deteriora præcipitetur, ne in perniciem Monachorum, aut incendium Monasterii occasione suorum exardescat, laudabilius sibi sua, non dico reddantur, sed auferri sinantur, quam ab illo ista inferantur.

Indubie in his reddendis vel retinendis summa opus est prudentia, ne vel retinendo avaritiæ nota incurratur, aut reddendo apostatis luxuriandi, aut in apostasia persistendi occasio detur.

CAUSA XVIII.

Casus propositus.

TRACTATUM de Monachis prosequens Gratianus pro *causa* 18. hunc casum fingit: „Quidam Abbas consecratus in Episcopum prius Monasterio multa contulit, postea in Episcopatu plura acquisivit: cui dum fratres successorem quærerent, Episcopus loci semet electioni volebat inserere, ut per ipsum Abbas in Monasterio ordinaretur; fratres renituntur„.

Ex hoc casu duas elicit quæstiones: prima quæritur: „An Monasterium possit petere, quæ ab Episcopo quæsita sunt: an Episcopalis Ecclesia possit sibi vindicare, quæ Monasterio fuerunt tradita„?

Quæstio I.

Hanc quæstionem absolvit unico Canone Concilii habiti apud Altheum (*a*) quo decernitur: ut Monachus, quem „Canonica electio a jugo regulæ Monasticæ professionis absolvit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres, paternam sibi hæreditatem postea jure vendicandi potestatem habeat„.

An monachus ad Episcopatum assumptus fiat capax successionis paternæ?

Ex hoc Decreto constat, Monachum per promotionem ad Episcopatum, quasi sæcularizari, capacemque successionis in hæreditatem paternam fieri: quod a moribus nostris alienum est; similiter & Gallicanis, uti notavit Antonius Bengæus Advocatus Parisiensis in suo tractatu de *Beneficiis c. 4. §. 30. nu. 6. & 7.* idipsum notavit D. de Hericourt in sua Analysi ad hanc quæstionem; cujus hæc sunt verba. *Il n'y a pas d'apparence qu'on suive jamais en France la décision de ce Concile, qui veut que le Religieux devenu Evêque succede à ses parens.*

Dein-

(a) Quapropter pro suo arbitrio excogitavit Gratianus distinctionem personarum notarum, quibus ante professionem Religiosam unus annus probationis sufficit, & ignotarum, quæ triennio indigent. In ea tamen fingenda id sibi proposuit, ut conciliaret Canones, quorum alii ante professionem Religiosam unico probationis anno contenti sunt, alii plures annos desiderant.

(a) Hoc Concilium an. 917. regnante Conrado I. in urbe Altheim in Germania habitum est. Id testatur Burchardus Lib. 1. c. 230.

Quidquid Monachus acquirit Monasterio acquirit.

Deinde hoc Canone decernitur: „ sed quidquid acquisierat (hic Monachus ad Episcopatum promotus) vel „ habere visus fuerat, Monasterio relinquat, & Abba- „ tis sui, qui fuerat secundum Regulam S. Benedicti, „ arbitrio. “ monet hic Franciscus Florens, recte dictum esse, *vel habere visus fuerit*, quia nihil proprium Monachus habere potest.

Acquisita ab Episcopo ex Ecclesia cedere debent Ecclesiæ.

Denique statuit Canon, ut ea quæ postquam Episcopus ordinatus fuit, acquirere potuerit, *ad altare* (id est Ecclesiam) *ad quod sanctificatur & titulatur secundum sacros Canones, restituat*: sed nec hic illud hodie, existentibus consanguineis, per omnia servatur, uti in *Jure Eccles. Tom. III. p. 2. sect. 4. tit. 1.* alias 32. *c. 7. & 8.* ostendi; prout nec in Gallia: quamvis optandum esset, uti hic monet D. de Hericourt, ut quoad Episcopum religiosum, hujus Canonis servaretur hic articulus, scilicet, ut temporalia per ipsum acquisita, Ecclesiæ cederent, utpote ab Ecclesia profecta. Ecce viri eruditi contextus: *Un Concile tenu en Allemagne en* 917. c'est celui d'Altheim) *partage ainsi la succession d'un Moine élevé à l'Episcopat: il veut que tout ce qu'il a acquis avant son sacre appartienne au Monastere, & que les biens qu'il a eu depuis qu'il a été délivré du joug Monastique, appartiennent à son Eglise. Il seroit a souhaiter qu'on suivit parmi nous* (en France) *cette Jurisprudence par rapport à la succession du Religieux Evêque* (a).

Quæstio II. A quo Abbas sit eligendus?

Quæstione secunda, id tantum proponit Gratianus: „ An per Episcopum Abbas sit eligendus & ordinandus, „ an tantummodo a propriis fratribus sit instituendus “? Verum Gratianus more solito a proposito exorbitans, generaliter tractat hac quæstione de Episcoporum in Monasteria, Abbates, & Monachos auctoritate; quin & in eorum bona, & reditus: admiscens præterea quosdam Canones de Monialibus, earumque disciplina tractantes.

Olim quibusdam in locis electio Abbatia spectabat ad Episcopum.

Quod autem ad Abbatis electionem spectat, certum est non eamdem semper & ubique disciplinam obtinuisse. Aliquando enim a Diœcesanis Episcopis Abbates fuisse constitutos secundum auctoritatem, quæ in Monachos & Monasteria Episcopis competebat, constat: atque ita in Hispania obtinuisse tempore Concilii Toletani IV. indicat Canon 50. relatus hic a Gratiano Canone 1. cum hac epigraphe: *Abbates & alia officia per Episcopos debent institui*; atque in ipso Canone aperte indicatur, Sacerdotibus, sive Episcopis competere, *secundum Canones Abbates, & alia officia instituere*.

Multis in locis Monachorum congregationi relinquebatur.

At sæpius, multisque in locis obtinuit, ut Monachorum congregationi electio Abbatis permitteretur; confirmatio vero ad Episcopum Diœcesanum pertineret, cui etiam liceb t rejicere indignum electum, uti habet *L. 47. Cod. de Episcopis & Cler.* & *Novella* 123. *c.* 34. Cui & concordat Regula S. Benedicti *cap* 4. aliæque Patrum Regulæ, quas in sua Regularium concordia retulit Benedictus Anianensis Abbas *cap.* 4.

Uti & plena bonorũ Monasterii administratio.

Utque hoc jus ipsis Monachis contra Episcoporum prætensiones firmius assererent eorum fundatores, solebant in fundationibus Monasteriorum plerumque adjicere, ut electio Abbatis ad congregationem Monachorum spectaret; necnon rerum ac proventuum plena administratio: hæcque a Regibus, Episcopis Diœcesanis, ac tandem etiam a Romanis Pontificibus confirmari petebant: quin & ultro ac sponte Episcopi Diœcesani religionis augendæ ac promovendæ gratia, vel in ipsa fundatione, vel post ipsam fundationem, ex mera liberalitate, Conciliis etiam in eam rem convocatis, liberam electionem & bonorum administrationem Monachis concedebant; quin & jura temporalia Episcopis competentia remittebant; aliquando tamen certa pensione, aut censu retento, seu, ut loquuntur Canones, certis *juribus, eulogiis*, & *servitiis* sibi nominatim reservatis, ut constat ex annotatis Gratiani ad *Canonem* 29. & 31.

De privilegiis Monachorũ sæculo IV.

Hæc erant pene illa jura, circa quæ versabantur privilegia sæculo VI. & aliquot sequentibus, vel in ipsa fundatione postulantibus fundatoribus, vel post fundationem ad postulationem Monachorum a Pontificibus, vel Episcopis, aut Regibus indulta: in reliquis ad Sacramentorum collationem, reformationem & jurisdictionem spectantibus, salva Episcoporum auctoritate, uti late ostendi in *Jure Eccles. Tom. IV. part. 3. tit. 12. c. 2.* hujus editionis.

Canones circa electionẽ Abbatis diversa statuentes facile conciliantur distinctione locorum & temporum.

His præmissis facilis erit conciliatio citati Canonis Toletani relati *Canone* 1. cum aliis Canonibus ibidem a Gratiano relatis, qui electionem Abbatis deferunt, non Episcopo, uti fit dicto Canone Toletano, sed congregationi Monachorum.

Oportet quippe duntaxat tempora & loca distinguere; nequaquam autem Canonem Toletanum restringere ad casum „ quo quidam Monachi essent indomitæ „ cervicis, & effrenatæ superbiæ, quos dum Abbates „ ad religionem cogere voluerint, in eorum dejectio- „ nem conspirant, & alium moribus sibi convenientem „ sibi præficere contendunt, quales erant illi, qui in „ necem beati Benedicti conspirasse leguntur “: uti loquitur Gratianus ad calcem Canonis 8. concludens: „ pro hujusmodi constitutum est, ut Abbates & alia „ officia per Sacerdotes instituantur “: nimirum citato Canone Toletano; sed contra mentem & verba Canonis.

Inepta conciliatio Gratiani.

Insuper notandum, quod illæ, quæ quibusdam Monasteriis specialiter indulta esse leguntur, tum apud S. Gregorium, tum per aliorum Pontificum, aut Episcoporum litteras, Gratianus *communia* fecerit omnibus Monachis, adducto eam in rem Decreto Concilii Lateranensis sub Gregorio I. quod fictitium esse, neque in regesto Gregorii reperiri, notavit & ostendit vir eruditus Franciscus Florens in commentario *cap. Auditis* ꝟ *de præscript. c. 2.*

Indulta quibusdam Monachis Gratianus fecit omnibus communia.

Interim auctoritate Gratiani fidentes antiqui interpretes supposuerunt, Monachis jure quasi communi Abbatis electionem rerumque temporalium dispensationem liberam, excluso Episcopo, competere, exemptaque esse Monasteria a juribus temporalibus Episcopo pendendis.

Nova distinctio circa subjectionem Monachorum respectu Episcoporum.

Hinc novam & antiquitus incognitam disciplinam inter legem *Diœcesanam* & *Jurisdictionis* comminisci cœperunt; ac primus meminisse videtur vetus glossographus Joannes Hugo dictus Teutonicus, qui ad initium *causæ* 10. dicit: „ Lex Diœcesana consistit in recipien- „ do vel Cathedraticum, vel tertiam partem decimatio- „ num, vel quartam, vel hospitium. Lex *Jurisdictio-* „ *nis* consistit in conferendo: potest enim conferre sa- „ cramenta, coercere delicta, de causis cognoscere “. Hac præmissa distinctione subjungit: „ quantum ad „ legem *Jurisdictionis* subsunt Episcopo & Ecclesiæ Mo- „ nasteria omnia: quantum ad legem *Diœcesanam*, so- „ læ Ecclesiæ *sæculares*: sed *regulares* Ecclesiæ & Mo- „ nasteria non “.

Hanc novam, nec in ullo antiquo Canone fundatam distinctionem probavit Honorius III. in *cap.* 18. ꝟ *de off. jud. ordinarii*, ac dein a Canonistis uno consensu recepta fuit.

Occasio hujus novæ distinctionis.

Ex Canonibus a glossographo citatis, nequaquam obscurum est, ipsum ad comminiscendam hanc distinctionem inductum fuisse, occasione Canonum hac quæstione a Gratiano allegatorum, quorum alii, Monasteria Episcopis subjecta esse, alii, ea a juribus quibusdam Episcoporum exempta pronuntiant, aut Episcopis ea in Monasteriis exerceri vetant. Nec advertit hæc pro quiete Monachorum, aut conservatione rerum temporalium Monasteriorum specialiter esse indulta; atque eatenus auctoritatem Episcoporum temperatam fuisse.

Ita Castorio Episcopo Ariminensi scribens b. Gregorius *lib. 4. Epist.* 43. ad instantiam Luminosi Abbatis Monasterii SS. Andreæ & Thomæ, prohibuit *Missas illic publicas per Episcopum fieri*, *ne*, ait, *in servorum Dei secessibus, popularibus occasio præbeatur conventibus, & simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat: frequentior quoque mulierum introitus arceatur*. Extat fragmentum hujus Epistolæ, necnon *Epist.* 41. ejusdem *lib. in Can. 3. & 6.* hac quæstione, sed verbis nonnihil mutatis, uti notant Correctores Romani.

Exemptione non subtrahebãtur olim Monachi Jurisdictioni Episcopi.

Tametsi quieti Monachorum & rerum temporalium conservationi provideri vellent Pontifices & Episcopi, ipsique fundatores; una tamen curam & jurisdictionem Episcoporum conservare voluerunt: unde nec ullum Monasterium, aut cellam Monachorum *extrui de novo sine consensu Episcopi Diœcesani* permiserunt, ut multis Canonibus hic probat Gratianus.

Similiter Abbates & Monachos, quantum ad morum correctionem & disciplinam regularem Episcopis subditos fuisse, probat *Canone* 15. 16. 17. & 18. Item *Canone* 29. statuitur, *ut Episcopus sæpius in anno visitet Monasteria Monachorum, & si aliquid corrigendum sit, corrigatur: sed sic*, ut ait Canon 28. *charitatis officium illic Episcopus impleat, ut gravamen aliquod Monasterium non incurrat*. Hoc & monet Canon 30.

Vetantur Monasteria duplicia, id est virorum & Virginũ.

Addit & Gratianus quædam de Sanctimonialium Monasteriis, ac præsertim ut ab illis frequens virorum accessus arceatur: quapropter & duplicia Monasteria, id est Sanctimonialium & Monachorum prohibentur, & ubi talia Monasteria extant, Sanctimoniales a Monachis per Episcopos separari jubentur. Canone 21. 22. & 23. de quibus duplicibus Monasteriis vide notata *Tom. VII. Schol. in Canonem* 21. Synodi VII. *hujus editionis*, qui in dicto Canone 21. a Gratiano refertur.

Ad eumdem scopum nimirum custodiam continentiæ, necnon Monachorum a Laicis separationem spectant Canones 25. 26. & 27.

CAUSA XIX.

Ratio adjectæ hujus causæ.

IN præcedenti 18. causa dictum est: „ quod nullus „ Abbas debeat recipere Monachum alienum, ait „ glossa, sed quia forte idem putaretur de Clericis sæ- „ cularibus, & Canonicis regularibus, ideo supponitur „ hic 19. causa, in qua quæritur: an Clerici sæcula- „ res & Canonici regulares, invitis Prælatis suis pos- „ sint ad regulam arctiorem transire “?

Casus hic propositus.

Hunc in finem hunc casum proponit: „ Duo Clerici ad

(a) Quæstionem, quæ spectat jus, quod parentes in hæreditatem bonorum Religiosi ad Episcopatum promoti sibi vendicarent, erudite pertractavit R. P. Marion Canonicus Reg. Ordinis Præmonstratensis. Hic in opere, cui titulum hunc fecit, l'*Abbé Régulier sacré Evêque*, &c. aperte demonstrat, quod sicut Episcopus ex ordine Religioso assumptus bonis suorum parentum non succedat; nec vicissim parentes ejus possint ejusdem Episcopi bonis succedere. Ubi vir Canonicus contrariam Cabassutii opinionem firmis rationibus confutat.

„ ad Monasterium transire voluerunt: uterque licen„tiam ab Episcopo suo petiit: unus relicta Ecclesia „ propria, eo invito, alter dimissa regulari Canonica „ cœnobio se contulit “.

Quæstio I. De licentia Episcopi debent clerici Monasterium ingredi.

Causam in tres quæstiones dividit. *Quæst.* 1. quærit: „ Si Episcopus debeat permittere, ut relicta propria „ Ecclesia, Clericus Monasterium ingrediatur “.

Ex uno Canone Concili Toletani IV. hanc quæstionem resolvit, dicens, quod Episcopus Clericis licentiam adeundi Monasterium dare debeat; *quia*, ait Canon, *meliorem vitam sequi cupiunt*.

Quæst. II. An invito Episcopo possit Clericus monasterium ingredi.

Quæstione autem *secunda* quærit: „ Si Episcopus li„ centiam dare noluerit, an eo invito Monasterium „ possit adire “? Relato Canone sub nomine S. Leonis ex *cap.* 9. *Epistolæ*, quæ est 12. in editione Quenelli, quo dicitur: *alienum Clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat*: subjicit Gratianus: sed subaudiendum est: „ nisi ad propositum *melioris vitæ* transire volue„ rit: tunc enim liberum est illi, ait, etiam Episco„ po *contradicente*, Monasterium ingredi “.

Fieri id potest si instinctu Spiritus S. ncti ducatur clericus.

Huic restrictioni probandæ impendit *Canone* 2. fragmentum Epistolæ Urbani II. quo ostenditur, legem privatam, *quæ instinctu sancti Spiritus in corde describitur*, præferendam legi publicæ sive humanæ; adeoque si Clæricus sæcularis, cui Episcopus populum regendum commiserat, hac privata lege, sive *instinctu Spiritus sancti afflatus*, in aliquo Monasterio, vel regulari Canonica salvare se voluerit, & Episcopus consentire noluerit, poterit, ipso etiam *invito*, vitam illam amplecti: *qui enim spiritu Dei aguntur, lege Dei ducuntur. Et quis est qui Spiritui sancto possit digne resistere? quisquis igitur hoc spiritu ducitur, ait, etiam Episcopo contradicente, eat liber nostra auctoritate.*

At cavendum ne hic interveniat dæmon.

Verum sicut satanas nonnunquam se transformat in angelum lucis; sic spiritus nequam in spiritum Dei: quare non omni spiritui credendum; nec quisquam facile prætextu *privatæ legis*, seu instinctus Spiritus sancti, a lege positiva & ordinaria lege Ecclesiæ debet recedere; proinde est necesse, ut & hic rite probetur, *si Spiritus ex Deo sit*. 1. Joan. *cap.* 4. *vers.* 1.

Porro limitatio legis vetantis alienum Clericum invito Episcopo ab alio suscipi, *nisi Monasterium ingredi voluerit*, a Gratiano allata, neque citatis Leonis verbis, nec disciplinæ ejus temporis conformis est: sed Gratianus more suo Canones ad disciplinam sui temporis contorquet. Quid vero recentior disciplina in hoc puncto habeat, ostendi in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1 *tit.* 27. *cap.* 5.

Quæst. III. Qui canonici sine licentia Episcopi fieri possint, monachi?

Cum enim sæculo IX. & sequentibus, Canonici, deserta vita communi, ad vitam singularem ac privatam (a qua sæculares dicti) transire cœperunt tunc & cœpit eis dari facultas ad Monachorum & Canonicorum in *communi viventium*, Monasteria etiam sine licentia Episcopi, migrandi: at Canonicis in *communi* viventibus, sive *regularibus* transitus ad Monachorum Monasteria permissus non fuit, quod *quæstione* 3. probat Gratianus; atque inter reliqua adducit *Canone* 2. fragmentum Epistolæ Urbani II. „ quo mandatur & „ universaliter interceditur, ne quis Canonicus regu„ lariter professus, nisi, quod absit, publice lapsus „ sit, Monachus efficitur “.

Vita Monachalis est pœnitentialis.

Hic per transennam nota, etiam sæculo XI. vitam Monasticam, sive Monachalem reputatam fuisse per vita *pœnitentiali*, ad quam *publice* lapsi redigebantur: quod pluribus Canonibus jam pridem sancitum fuit, uti observat Baluzius in notis ad Lupum Ferrariensem *pag.* 381. & 501. una observans, veteres existimasse Clericatum digniorem & sublimiorem gradum comparatione vitæ Monasticæ: *quam ob causam veteres illi*, ait, *ex eis, qui in Monasterio permanent, nonnisi probatiores & meliores ad Clerum assumere solebant*, ut docet Augustinus supra *causa* 16. *qu.* 1. *Canone* 36. & ibi notavimus.

Clericatus dignior vita monastica.

Qua pœna puniendus Canonicus regularis qui fit Monachus?

Præcipitur in eodem Decreto, „ quod si Canonicus „ regularis id tentaverit, ad ordinem Canonicorum re„ deat: & deinceps *memorialem cucullam deferat*, & „ ultimus in choro maneat “.

Per *cucullam* hic intelligitur operimentum capitis, quo Monachi utebantur, atque Canonicus regularis hic ferre jubetur in *memoriam* suæ defectionis & levitatis; unde *memorialis* vocatur, uti interpretatur Innocentius III. in *cap.* 12. ✠ *de ætate & qualit. ordin.* ubi citans præsentem Canonem, pro his verbis: Memorialem *cucullam deferat*, ponit: *Cucullam ad memoriam delaturus*: uti & *lib.* 13. *Epist.* 4. ad quam vide notam Bosqueti.

Loca sacra usibus profanis non sunt applicanda.

Sicuti Canonici regulares semel vitæ illi consecrati non possunt eam temere & sine licentia superioris mutare, prætextu propositi transeundi ad vitam perfectiorem; ita nec loca semel Deo, & in Monasteria dedicata, sunt profanis usibus applicanda, uti probat *Canone* 4. & 5.

De novitiatu, ejusque Episcopo.

Adjungit dein Canone 6. verba sancti Gregorii *lib.* 8. *Epist.* 23. ubi scribit Episcopo Neapolitano: *Omnibus Monasteriis interdicat, ut eos, quos ad conversionem susceperint, priusquam biennium in conversatione compleant, nullo modo audeant tonsurare*, id est, tonsura Monachali induere: ratione addit: *Sed hoc spatio vitæ moresque eorum sollicite comprobentur, ne quis eorum aut non sit contentus eo quod voluit, aut ratum non habeat, quod eligit*: en scopus & finis probationis seu novitiatus, Monasticæ professioni præmittendi.

Ob specialem rationem olim miles Monachus fieri non poterat sine consensu Episcopi.

Cæterum quod præter regulam sancti Benedicti, quæ annum probationi præfixerat, præcipiat sanctus Gregorius novitios per biennium in Diœcesi Neapolitana probari, casum particularem fuisse notant, & adstruunt Benedictini *lib.* 1. *vitæ S. Gregorii cap.* 13. in fine in sua editione.

Quod autem in fine Canonis additur: „ Miles ve„ ro si converti voluerit, priusquam nobis renuntie„ tur, nullus eum sine nostro consensu, qualicumque „ præsumat ratione suscipere. Hoc præcepit eo tem„ pore beatus Gregorius, ne omnino videretur conte„ mnere legem, quam Mauritius Imperator tulerat, „ ne milites ante completum militiæ tempus in Mo„ nasteriis recipi possent “: uti monent Correctores Romani, una notantes illa non intellexisse auctorem glossæ.

An Monachi possint testari?

Ostendit & hic extra ordinem Gratianus, quod post ingressum Monasterii, id est, *professionem*, nulli relinquatur libertas testandi: quam in rem etiam adducit quædam ex Novellis Justiniani; quibus præscribitur, qualiter ingredientes monasteria, de annis suis disponere queant, & ad quos, si ante ingressum non disposuerint, bona devolvantur; de quibus fusius egi *Tom. V. hujus editionis*, in dissertatione Canonica *de Simonia* circa ingressum Monasterii: eo quod Christianus Lupus has Justiniani leges ad justificandas hodiernas Monachorum ac Monialium dotium exactiones & pactiones assumeret.

Allegaverat Gratianus Canone 7. verba sancti Gregorii, quibus declaratur, quod ingredientibus Monasterium convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia: cumque contra hanc Gregorii definitionem objiceret sibi, quod „ Paulus Primus Eremita *in testa„ mento* colobium suum S. Athanasio Episcopo Alexan„ drino reliquit: tunicam vero beato Antonio “: „ Sed aliud est de his, qui Monasterium ingressi se & „ sua tradiderunt: aliud de his, qui solitariam vitam „ ducentes, se nulli Ecclesiæ tradiderunt: illi semel „ tradita nulli tradere possunt; isti nulli oblata libere „ testari possunt “.

Convenientior fuisset solutio, si antiquam Eremitarum disciplinam & vivendi rationem a recentiore distinxisset: scimus enim quam illa ab hac distincta sit.

CAUSA XX.

De impuberibus monasterium ingredientibus.

GRatianus tractatum *de Regularibus* prosequens, cum hactenus de *adultis* Monasterium ingredientibus tractasset, nunc supponit *causam* 20. ait glossa, ubi tractatur, *de impuberibus*.

Casus hic propositus.

De his hunc casum proponit: „ Duo pueritiæ annos „ agentes a parentibus Monasterio traditi sunt: unus „ invitus, alter spontaneus cucullam induit. Ad an„ nos pubertatis venientes, invitus ad sæcularem mi„ litiam rediit, spontaneus districtius Monasterium pe„ tiit “.

Quæstio I.

Ex hoc casu quatuor elicit quæstiones, quarum prima quæritur: *Si in pueritiæ annis traditi, cogantur religionis propositum tenere?*

An pueri religioni traditi teneantur adulti in ea perseverare?

Hic refert *Canone* 1. Decretum sub nomine Synodi *nonæ*; cum tamen nullibi Synodus, quæ simpliciter *nona* appelletur, extet. Notant quidem Correctores Romani in nonnullis veteribus exemplaribus esse, *octava*; verum ut iidem monent, nec in *octava* sub Hadriano II. habita Decretum hoc habetur.

Referuntur a Gratiano Canones in utramque partem.

Interim in hoc Decreto statuitur, quod *firma tunc erit professio Virginitatis, ex quo adulta jam ætas esse cœperit, & ea, quæ solet apta nuptiis deputari, ac perfecta*.

Videns Gratianus, hoc Decreto sufficienter insinuari, professionem Virginitatis tum demum dici *firmam*, si puella eam emittens *adultæ* sit ætatis, & ab alia parte pluribus Canonibus cautum reperiret, quod a parentibus *parvuli* religioni oblati, etiam facti adulti tenerentur in religione perseverare, monuit ad calcem hujus Canonis, hic „ de illa professione agi, quæ in „ annis pueritiæ *proprio* arbitrio Deo offertur, quam „ non confirmat parentum consensus. Cæterum, quæ „ a parentibus Deo offertur professio, inviolatam ser„ vari oportet “.

Verum si legatur integer Canon 18. Epistolæ Canonicæ sancti Basili ad Amphilochium (e quo hoc Decretum sumptum est, ut notat Antonius Augustinus *lib.* 2. *Dialog.* 8.) apparebit, hanc Gratiani restrictionem plane adversam esse sententiæ auctoris; cum in hoc Canone nominatim invehatur sanctus Basilius in *parentes*; qui filias suas „ *ante perfectam ætatem* „ offerebant, non ex seipsis, ait, ad cælibatum inci„ tatas; sed aliquid, quod ad victum pertinet, pro„ curantes, quas non facile admittere oportet, donec „ aperte *propriam* suam sententiam perscrutati fueri„ mus “.

Interim Gratianus propositum prosequens, profert nonnullos Canones, quibus probatur, quod pueri a

sparen-

parentibus religioni oblati etiam in eadem debeant, jam facti adulti, perseverare.

Citat hanc in rem *Canone* 2. responsum Gregorii III. ad Bonifacium Moguntinum, erronee a Gratiano attributum Gregorio I. ad Augustinum.

Quæsierat a Gregorio Bonifacius: „ Si pater aut „ mater filium filiamve intra septa Monasterii in *in-* „ *fantiæ* annis sub regulari tradiderint disciplina, u- „ trum liceat eis, postquam pubertatis annos impleve- „ rint, egredi, & matrimonio copulari ".

Respondit Gregorius: „ Hoc omnino devitamus, „ quia nefas est, ut oblatis a parentibus Deo filiis, „ voluptatis fræna laxentur ".

Plures similes auctoritates profert in hanc rem Gratianus, atque præ cæteris *Canone* 3. notandum vulgare hoc Decretum Concilii Toletani IV. *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit: quidquid horum fuerit, alligatum tenebit.*

His aliisque relatis concludit Gratianus ad calcem *Canonis* 7. „ Quod paterna professio pueros teneat ob- „ ligatos: nec licebit eos a proposito discedere, quod „ paterna devotione in puerilibus annis susceperunt ".

Non dubium, qui hæc disciplina olim fuerit recepta, multisque Canonibus stabilita, conformisque videatur Regulæ S. Benedicti *cap.* 59. multisque eam adstruit Hugo Menardus in notis ad cap. 66. concordiæ regularum: ibidem refutans glossatores & recentiores commentatores; qui hos Canones restringere volunt ad eos, qui post pubertatis annos oblationem a parentibus factam, ratam habent, manifeste a verbis & mente Canonum recedentes (*a*).

Quæ hodie sit disciplina circa illud punctum.

Verum est labentibus sæculis, hanc disciplinam mutatam esse; atque pueris a parentibus oblatis libertatem factam esse reclamandi, & ad sæculum redeundi, cum ad annos pubertatis pervenerint: hancque disciplinam in posteriorum Pontificum Decretalibus corpori juris inclusis, esse probatam.

In vanum conantur recentiores Canones veteres cum Decretalibus conciliare.

Harum autem auctoritate moti recentiores interpretes, antiquos Canones in eumdem sensum contorserunt, ne Decretales cum illis pugnare viderentur: non advertentes nihil fidei Ecclesiæ auctoritati decedere, tametsi Ecclesiæ disciplina temporum successu mutetur. Vide Emmanuelem Gonzalez ad *cap.* 12. *X. de Regularibus*, & ibi citatos. Notavit quoque Menardus, variam fuisse circa hoc punctum Ecclesiæ disciplinam: qui & idem asserit, quod nihil de ea oblatione ante tempora S. Benedicti, aut S. Leonis I. qui agit de puellis oblatis a parentibus, legatur.

De velandis virginibus, & de varia circa hoc disciplina.

Adjungit Gratianus nonnulla de ætate necessaria in Abbatissa: itemque de velandis Virginibus, circa quod punctum fuit pro temporum & locorum diversitate etiam varia disciplina, uti ex Canonibus a Gratiano relatis patescit.; & plura addit auctor notarum in *Epistolam* 11. *lib.* 3. S. Gregorii (hodie *lib.* 4. *Epist.* 11.) e qua desumptus est Canon. 12. hujus quæstionis.

Hoc autem & observandum, plura tum apocrypha, tum dubia hic a Gratiano immisceri: puta *Canone* 4. Isidoro adscribit, quæ in ejus libris non esse inventa monent Correctores Romani. Item *Canone* 10. sub nomine *Marcelli Papæ*, & *Canone* 15. adscripto *Pio Papæ*, quæ eorum non esse constat.

Quæstio II. Restringitur potestas parentum circa filiorum oblationem in Monasterio.

Quæstione secunda prosequitur Gratianus agere de potestate parentum circa filiorum oblationem; atque *Canone* 1. allegat Decretum Concilii Toletani X. celebrati anno 656. quo illa parentum libertas offerendi nonnihil restringitur: ut nimirum *parentibus filios suos religioni contradere non amplius, quam usque ad quartum decimum eorum ætatis annum* (in Concilio habetur, *annum decimum*, apud Burchardum & Ivonem, *usque ad annum* 12.) *licentia poterit esse: postea vero an cum voluntate parentum, an suæ devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum.*

Hoc autem *Canone* 4. cautum, quod nonnisi sub plurimorum testimonio pueri a parentibus oblati suscipi debeant: *Ut omnis occasio maledicti gratia excludatur pessimorum hominum.*

At hic Canon a Gratiano citatur ex *nona Synodo*, sed erronee, uti monent Correctores Romani, ac reperiri in libello S. Basilii *de istit. Monach.* Porro de hac cautione, aliisque ritibus hujus oblationis vide Hestenium in *disquisit. Monasticis*.

An & quando possunt parentes votum puellæ irritare?

Præterea allegat Gratianus *Canone* 2. Decretum sub nomine Concilii Triburiensis *cap.* 24. quod „ puella, „ si ante duodecim annos ætatis sponte sua sacrum „ sibi velamen assumpserit, possint statim parentes ejus „ vel tutores id factum irritum facere, si voluerint: „ at si annum & diem, id dissimulando consenserint, „ ulterius nec ipsi, nec ipsa mutare hoc poterunt: si „ vero in fortiori ætate adolescentula vel adolescens „ servire Deo elegerit, non est potestas parentibus

(a) Testatur Thomassinus *Discipl. Ecclesiast. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 45. in Ecclesia tum Latina tum Græca nunquam olim agnitum fuisse, quod parentibus competerent potestas liberos suos Domino dicandi ante pubertatis ætatem absque liberorum consensu.

„ prohibendi ". Ita legitur apud Gratianum, Burchardum, & Ivonem in Decreto: idque sub nomine Concilii Triburiensis *cap.* 24.

Extat hoc Concilium *tom.* 9. *Concil. General.* edit. Labb. sed nulla posterioris membri mentio fit; at prius membrum sic legitur: „ Quæcumque virgo sub patro- „ cinio ante annos 12. non coacta, sed propria volun- „ tate, sacrum velamen sibi imposuerit, annumque & „ diem, nullo repetente, velata permanserit, ab eo- „ dem sancto habitu ulterius non recedat, sed sponsa „ vero Regi Christo, immaculato agno, ulterius in- „ corrupta & immaculata deserviat: si vero idem pa- „ tronus post annum & diem sanctum propositum rum- „ pere, & velatam studuerit repetere, atque Christo „ suam sponsam rapere, secundum præstituta Cano- „ num præjudicamus, ut vires non obtineat, sed Chri- „ sto Regi suam sponsam relinquat ".

Haud obscurum est, Canonem agere de puella libera, sive manumissa, & sub patrono sive patrocinio constituta; & de jure, quod Dominus habet ad repetendam libertam: patetque Gratianum nequaquam Canonem ex fonte, sed ex aliis collectoribus sumpsisse.

Quæst. III. Nemo professionem Monasticã nisi metu extortam deserere potest.

Quæstione tertia tribus primis Canonibus probat Gratianus, neminem posse professionem Monasticam deserere, quam semel sponte emisit: secus si per metum & violentiam fuerit ad vovendum inductus, ut probat *Canon.* 4. in quo & ritus oblationis puerorum describitur.

Culpantur qui lucro inhiantes quosda ad religionem alliciunt.

Notandus Canon 5. hujus quæstionis ex Concilio Moguntino contra „ Episcopos & Abbates, qui non in „ fructum animarum, sed in avaritiam & turpe lu- „ crum inhiantes; quoslibet homines circumveniendo „ totonderunt, & res eorum tali persuasione surripue- „ runt. " *Hos pœnitentiæ Canonicæ* (*utpote turpis lucri sectatores*) *subjacere vult.* (*a*)

Similes his sunt quidam hodierni superiores Monasteriorum, qui in assumptione ad religionem, plus ad dotes inferendas, quam ad signa veræ vocationis attendunt.

Porro vult Canon citatus, ut „ qui sic illecti co- „ mam deposuerunt, in eo, quod cœperunt, perseve- „ rare cogantur: res vero eorum hæredibus reddan- „ tur ".

Visum fuit & hic in Belgio non ita pridem Monasterium condemnatum ad restitutionem hæredibus ingressi, quod a superioribus videbatur injuste, & supra modum honestum, extortum, uti notavi in *Dissertatione Canonica de Peculiaritate, & Simonia circa ingressum Religionis, Tom. V. part.* 2. *cap.* 2. *& seqq.* §. 1. *& seqq.*

Quæst. IV. An liceat ab uno Monasterio ad aliud transire?

Denique *quæstione quarta* quærit: *Si ab uno Monasterio in aliud artrictius liceat alicui transire.* Potissimum autem agit de Monachis & Monialibus ad aliud Monasterium transeuntibus, aut aliud votum emittentibus.

Et quidem *Canon.* 1. permittitur Virginibus sacris, *pro lucro animæ propter districtionem vitam ad aliud Monasterium pergere, ibique commanere: si vero*, ait, *fuga disciplinæ alium locum quæsierint, redire cogantur:* similiter & Canone 3. decernitur, Monachos de uno Monasterio ad aliud sine voluntate Abbatis migrare non posse. Item determinatur quando Monachis sit licitum ad privatas & solitarias cellulas migrare.

An & quando liceat vovere sine consensu Abbatis?

Denique *Canon.* 2. generaliter decernitur, Monacho non licere votum vovere, sine consensu Abbatis: si autem voverit, frangendum esse.

Monet autem Gratianus ad calcem quæstionis: „ Hoc „ intelligendum de Monachis *religiose* viventibus, qui- „ bus *vota* specialis abstinentiæ, vel alicujus districtio- „ nis, quæ generaliter consuetudinem suorum fratrum „ excedat, sine Abbatis consensu vovere non licet, „ ne super eos fratres scandalizentur ".

Verissimum est Gratiani monitum, si agatur de iis, quæ plane indifferentia sunt, nec ipsa religiosæ vitæ vel

(a) Notandum tamen est, quod Arrestorum Jurisprudentia in Galliis agnita permittat, ut regularibus fiant pensiones, modo sint modicæ, & earum denaria accepta declarentur a Quæstoribus domus religiosæ, ut pro arbitrio superioris in usum legitimum impendantur. Id enim legitur in quodam opere, quod Gallico idiomate in lucem editum est, quodque titulum hunc in fronte gerit: *Decisions de plusieurs notables questions de M. le Bret Avocat Général au Parlement de Paris.* lib. 1. edit. 1689. „ Il a été „ jugé sur mes Conclusions, dit M. le Bret, qu'un legs fait à „ un Cordelier, & un autre fait à un Carme, pour les entrete- „ nir aux études, & payer leur pension, leur seroient delivrés, „ encore qu'ils eussent fait vœu de pauvreté, à la charge que „ les deniers seroient reçus par les receveurs de leurs maisons, „ & distribués per l'ordre du Superieur: ce qui avoit aussi été „ jugé auparavant au profit d'une Veuve qui s'étoit faite Reli- „ geuse avec le meme vœu de pauvreté, ayant ordonné que son „ doraire lui seroit payé comme auparavant, parce qu'il lui „ étoit dû *Alimentorum causa*, qui est un droit perpètuel, qui „ ne finit qu'avec la vie ".

Arresta, quæ permittunt pensiones modicas, quæ moriente convictore aut convictrice debent desinere, reperiuntur in tomo 4. novorum Commentariorum Cleri Gallicani, col. 1383. 1384. &c.

Hæ autem decisiones intelligi hodie debent ad sensum edicti Regii, quod datum est anno 1749. Vide illud edictum ad calcem primi voluminis sub littera L. exaratum in hac operum B. Van-Espen editione.

vel Christianæ pietatis fundamenta attingunt: at velle impedire debitam observantiam votorum, aut eorum, quæ ad vitæ religiosæ substantiam pertinent, aut omnino conducunt, prætextu scandali accepti, vel murmurationis multorum, qui a votorum suorum ac vitæ religiosæ observantia recedunt, plane irreligiosum est: estque velle illos cogere, ut a via arcta, quam pauci ingrediuntur, recedant, & viam latam & spatiosam, quæ ducit ad perditionem, ingrediantur.

Addit & Gratianus: „ Causa illorum etiam statu„ tum est hoc (nimirum Monacho non licere vovere „ sine consensu Abbatis) qui regularem disciplinam „ subterfugientes peregrinationis vota sibi assumunt; „ quod nec Monacho, inquit, nec alicui Clerico li„ cet, nec hac occasione ad sæcularem conversatio„ nem redeat.

CAUSA XXI.

Connexio hujus causæ cũ præcedẽti juxta glossographum.

Facta interpositione in quinque causis de statu Monachorum, revertitur Gratianus ad tractatum de statu Clericorum; continuat autem suum tractatum ex fine Canonis ultimi præcedentis causæ, ubi „ dictum est, quod Abbas non debet habere plura Mo„ nasteria, sed quia idem servandum est in Clericis, „ scilicet, quod non debent habere plures Ecclesias, „ ideo hanc vigesimam primam causam subnectit, ait „ glossa, in qua ostendit, quod Clerici non debent ha„ bere plures Ecclesias, nisi in casibus exceptis ".

An hæc fuerit vera connectendi ratio, nescio: hoc ex sequentibus constabit, admodum pauca de vetita aut permissa Clericis pluralitate Ecclesiarum in hac causa a Gratiano adferri; quamvis casus, & prima quæstio ad hanc materiam spectare videantur.

Casus hic propositus.

Casus enim a Gratiano ita proponitur: „ Archipresbyter cujusdam Ecclesiæ præposituram alterius ac„ cepit, nec priorem vult dimittere; sæcularium ne„ gotiorum quoque procurator efficitur; claris & ful„ gidis vestibus se exornans, ab Episcopo suo corripi„ tur, relicto officio suo ad sæcularem judicem habet „ confugium ".

Quæstio I.

Ex hoc casu quinque elicit quæstiones, quarum prima quæritur: „ An Clericus in duabus Ecclesiis pos„ sit conscribi ".

De vetita pluralitate beneficiorum.

Hac quæstione *Canone* 1. adducit Decretum Synodi VII. *Canone* 15. quo absolute vetatur, Clericum connumerari in duabus Ecclesiis: adeo quidem, ut nec paupertatis seu insufficientis sustentationis titulo id permittatur: nam, ut ait Canon „ ad vitæ hujus ne„ cessitatem studia sunt diversa. Ex his ergo qui vo„ luerit acquirat corporis opportuna; ait enim Apo„ stolus; sed ea *quæ mihi opus erant, & his qui me„ cum sunt, ministraverunt manus istæ* " Vide *Tom. VII. Schol.* in citatum Canonem 15. ubi fusius ostensum est, pluralitatem beneficiorum eo penitus reprobari.

Restrictio Gratiani infundata.

At Gratianus Canonem hunc restringit ad duas duarum civitatum Ecclesias, in quibus nullus debet conscribi. Præcipuum hujus restrictionis fundamentum sumpsit Gratianus ex hac finali clausula citati Canonis Synodali VII. *Et hæc quidem in hac a Deo servanda urbe. Cæterum in* villis, *quæ* foris *sunt, propter inopiam hominum indulgeatur*. Verum clausulam hanc nequaquam pluralitati Ecclesiarum, sive beneficiorum favere in præfato tractatu ibidem ostensum est.

Similiter nec favet fragmentum Canonis 10. Chalcedonensis relatum Canone 2. uti videri potest *Tom. VII. Schol. in Can.* 10. *Chalcedonensem*.

Potest quis habere duas Ecclesias, unam titulatam, alterã commendatam.

Ad hæc producit Gratianus *Canone* 3. Decretum sub nomine Leonis IV. quo decernitur, ut, *qui plures Ecclesias retinet, unam quidem* titulatam, *aliam vero* sub commendatione *retinere debeat*; nullatenus ad pluralitatem Ecclesiarum seu beneficiorum pertinet.

Id enim unum voluit Leo, quod qui unam Ecclesiam parochialem in *titulum*, sive *titulatam* habet, possit & aliam habere *commendatam*; sive, ut hodie loquuntur, in *deservituram*.

Certum enim est quod ætate Leonis IV. & in hoc Decreto commendatio vel commenda coincideret cum hodierna deservitura, atque illa æque ac hæc ad certum tempus concederetur.

Quomodo hæc Ecclesiarum commendatio in origine laudabilis, tandem ad tegendam pluralitatem beneficiorum unice servierit, & in maximum ac perniciosissimum degeneravit abusum, ostendi in *Jure Eccles. Tom. III. part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 3. alias 20. *cap.* 2.

Quis sit Cardinalis Episcopus apud Gregorium?

Demum duos recitat Canones 5. & 6. ex *Epistola* 13. *lib.* 2. (hodie *lib.* 3.) sancti Gregorii desumptos. In hac Epistola Gregorius Agnellum Fundensem Episcopum constituit Episcopum *Cardinalem* Ecclesiæ Tarracinensis, hoc est, ipsum huic Ecclesiæ præfecit, ut *proprium & intitulatum* Episcopum, quod significat, juxta illius temporis phrasim, *Cardinalem Episcopum constituere*, uti hic, & ad Canonem *Fraternitatem*, *dist.* 71. notant Correctores Romani.

Declarat autem Gregorius, quod licet esset *Cardinalis*, seu proprius Episcopus Tarracinensis, tamen Fundensis Episcopus esse non desinat, sed utriusque Ecclesiæ Episcopus maneat: quod Gregorius permisit, quia *ob cladem hostilitatis, nec in Ecclesia Fundensi esset cuiquam habitandi licentia*, uti in Epistola legitur.

Quo sensu possit quis juxta Gregorium habere duos Episcopatus?

Monet autem Gratianus ad calcem *Canonis* 6. „ quod „ non potest utrique præsidere tamquam titulatæ, sed „ uti tamquam commendatæ, alteri vero tamquam ti„ tulatæ præesse valet "; id est tamquam deservitor, durante hostilitate, quamdiu proprium Episcopum habere nequeat, curam ejus gerere; quod textui Gregorii repugnare videtur.

Quæst. II. Adscriptus alicui Ecclesiæ eam deserere sine licentia Episcopi non potest.

Sicut Clericus duabus Ecclesiis adscribi non potest; ita nec illam, cui semel adscriptus est, sine licentia deserere, nec absque litteris dimissoriis sui Episcopi ad aliam transire potest: quod *quæst.* 2. probat Gratianus, adducto *Can.* 17. Synodi VI. additur *Canon.* 2. Decretum Concilii Hispalensis, quo declaratur convenire, ut *similis desertor Clericus cingulo honoris, atque ordinis sui exutus, aliquo tempore Monasterio relegetur, sicque postea in ministerium Ecclesiastici ordinis revocetur*.

Plures Sacerdotes eidem Ecclesiæ præfici non possũt.

Præterea sicuti nullus duabus potest præfici Ecclesiis; ita nec convenit, uni Ecclesiæ plures præfici Sacerdotes, quod unico adducto *Canone* 4. sub nomine Concilii Rhemensis probat Gratianus, in quo dicitur, quod „ Ecclesia una dividi nequeat inter plures Pres„ byteros; sed unum tantummodo habere Sacerdotem, „ qui eam caste & sincere regat: quia Ecclesia Christi „ uxor & sponsa debet esse, non scortum, sicut Ca„ lixtus Papa testatur ".

Alludit ad supposititiam Epistolam Calixti I. omnibus Galliarum Episcopis inscriptam, cujus longam fragmentum extat *causa* 7. *qu.* 1. *Can.* 39. Hinc habemus, hoc Concilium Rhemense, ut minus ad sæculum IX. referendum esse: ante enim illud sæculum pseudo-Decretales primorum Pontificum vix in Gallia notæ fuerunt.

Illud quoque constat, eo circiter sæculo invaluisse, ut cura animarum cujuslibet Presbyteri parochialis compararetur *conjugio carnali*, uti videri potest apud Lupum Ferrariensem *Epist.* 29. & sub idem tempus Chrodogandus Metensis Archiepiscopus *cap.* 63. Regulæ Canonicorum ait: *Presbyter non amplius quam unam Ecclesiam habeat, sicut & vir unam uxorem*. Plura testimonia vide relata apud Baluzium in notis ad citatam Epistolam Lupi Ferrariensis.

Quælibet Ecclesia debet habere suum proprium Sacerdotem.

Denique Gratianus in Canone 5. profert Decretum Innocentii II. in Synodo Romana *cap.* 10. quo præcipit, ne conductitiis Presbyteris Ecclesiæ committantur: & unaquæque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem. Abusus subsequentibus sæculis amplius invaluit, dictique fuere similes Presbyteri conductitii, Ecclesiis parochialibus præfecti *vicarii amovibiles ad nutum*, de quo abusu vide dicta in *Jure Eccles. Tom. III. part.* 2. *sect.* 4. *tit.* 3. alias 34. *cap.* 1.

Quæst. III. Sæcularia negotia Clerici fugere debẽt.

Cum in casu a Gratiano proposito diceretur, quod Archipresbyter sæcularium negotiorum procurator esset effectus, quærit Gratianus *quæst.* 3. *An procurationes sæcularium negotiorum Clericis liceat suscipere*.

Negativam adstruit, adductis eam in rem *Canone* 3. Chalcedonensi sub nomine *Paleæ*, & *Canone* 16. Codicis Africani, de quibus vide *Tom. VII. Schol.* in utrumque Canonem.

Addit varias sententias S. Cypriani, atque inter cætera *Canone* 4. illud vulgare & a multis celebratum statutum in Concilio Carthaginensi, teste Cypriano: „ Ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Cle„ ricum nominet: ac si quis hoc fecisset, non offerre„ retur pro eo; nec sacrificium pro dormitione ejus „ celebraretur: neque enim apud altare Dei meretur „ nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacer„ dotes & ministros voluit avocare ".

Quæst. IV. Fulgidis & pretiosis vestibus uti non debent Clerici.

Dictum erat in casu proposito „ quod Archipresby„ ter claris & fulgidis vestibus se exornans ab Episco„ po suo corriperetur: hinc quarto quærit, an claris „ & fulgidis vestibus Clericis ornari liceat?

Hoc non convenire Clericis, probat hic Gratianus, adductis Canonibus, quibus interdicitur, Clericis, fulgidis ac pretiosis vestibus, adinstar sæcularium, se ornare; jubeturque *Canone* 2. ex Decreto Synodi VI. *Ut nullus eorum, qui connumerantur in Clero vestimentum indecens habeat sive in civitate degens, sive in itinere ambulans: sed stolis utatur, quæ concessæ sunt Clericis*.

De forma vestium Clericaliũ.

Glossographus hic *stolam* non male interpretatur, *vestem talarem*, cujus fit mentio in *Canone* 32. *dist.* 23. atque hoc sensu coincidit cum ea veste, quæ *Canone* 3. dicitur *tunica Sacerdotalis*.

Eodem Canone vetatur Sacerdos ambulare sine *operimento*: „ quia, inquit, sicut *mulier orans in Eccle„ sia non velato capite, deturpat caput suum*, juxta „ Apostoli vocem; ita Sacerdos *sine operimento* detur„ pat Sacerdotium suum ".

Hoc genus vestimenti fuisse oblongum, sat innuit Canon, permittens, ut Sacerdotes sine illo incedant, *si in itinere longo ambulaverint*: quare glossa illud accipit pro *cappa*, vel *pallio*.

Cironius ad titulum *de vita & honestate Clericorum* putat accipi posse pro superpelliceo, quo non solum Pontifices in Ecclesia, & in publico uti jubebantur, sed & omnes Sacerdotes, ut ibidem probat.

Quid-

Clerici externo habitu modestia & simplicitatem debent ostendere.

Quidquid sit de vera harum vocum significatione, ac de harum vestium pristina forma, hoc certum est, unicum Canonum scopum esse, ut Clerici modestiam & simplicitatem Clericalem in vestibus servent, & externo habitu præferant: *ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant*, ut loquitur Synodus Trid. *sess. 14. c. 6. de reformat.* vide dicta in *Jure Eccles. Tom. I. part. 1. tit. 2. cap. 2.*

Quæstio V. An & quando vetitum sit Clericis ab Episcopo ad sæcularem confugere?

Debent insuper Clerici suis subesse Episcopis, neque adinstar Laicorum ad sæcularem judicem confugere, de quo agit Gratianus *quæstione 5.* quam ita proponit: „ An ab Episcopo correpti suum officium relinquere, „ & ad sæcularem judicem confugere valeant "?

Citat hunc in finem *Canone* 2. Decretum Synodi Antiochenæ ex versione Isidori, & rursus *Canone 3.* ex interpretatione Martini Bracarensis, & *Canone* 3. Synodi Carthaginensis V. Canonem 2. qui in Codice Africano est 104. sed præcipue hi Canones agunt de Episcopis a Synodis & Metropolitanis recurrentibus ad Principem; de qua re vide *Tom. VI. & VII. hujus editionis, Schol.* in Canones citatos.

Refert & *Canone* 6. fragmentum *Epist. 34. lib. 4.* S. Gregorii, quo conqueritur de Episcopis suis ad Imperatorem recurrentibus; „ Si Episcoporum causæ mihi commissorum, ait, apud piissimos Dominos aliorum patrociniis disponuntur, infelix ego in Ecclesia „ ista quid facio "?

Evidens apparet. S. Gregorium hic loqui de Episcopis speciali titulo curæ suæ commissis, quales erant qui jure Metropolico in Ecclesiis suburbicariis, ipsi Romano Pontifici suberant.

Cæterum ex contextu Epistolæ S. Gregorii, necnon Canonum improbantium recursum ad Imperatorem, intelligitur, hunc recursum improbari in illis, qui ordine judiciario, sive juxta regulas Ecclesiasticas a Synodis fuerant damnati; non autem de casu, quo via facti, sive neglecto ordine judiciario per judices Ecclesiasticos, sive superiores opprimuntur; & sic oppressi ad protectionem Regiam confugiunt, uti inferius *Tomo IX.* hujus editionis in tractatu *de Recursu ad Principem* ostendetur.

CAUSA XXII.

De juramento & mendacio.

„ SUPERIORI causa, ait glossographus, tractatum est „ de obedientia Clericorum erga suos Episcopos: „ sed quia quandoque quis *jurat*, se suo Prælato non „ obedire, ideo Gratianus hanc 22. " causam subnectit, in qua de juramento tractat, & de mendacio, & quot comites juramentum habeat.

Utrum fuerit Gratiani hæc vera connectendi ratio, nescio; hoc constat, Gratianum materiam juramenti, & varia ad eam spectantia, hac causa per quinque quæstiones tractare.

Casus hic propositus.

Casum ita proponit: „ Quidam Episcopus juravit „ falsum quod putabat verum; quo comperto Archidiaconus juravit, se nunquam ei præstiturum obedientiam. Compellitur Archidiaconus ab Episcopo „ ad exhibendam sibi consuetam reverentiam: accusatur Episcopus de duplici perjurio, & de eo quod „ falsum juravit, & quia Archidiaconum ad pejerandum compulit ".

Quæstio I. An & quando jurare sit licitum?

Quæstione prima quærit: „ An juramentum sit præstandum, an non "? Ac primo quidem auctoritate Scripturæ sacræ arguit, jurandum non esse, juxta illud Christi *Matth. cap. 5. vers. 37. sit sermo vester, est, est, non, non: quod autem amplius est a malo est.* Item illud Jacobi *cap. 5. vers. 12. Ante omnia, fratres mei, nolite jurare omnino.*

Respondet Gratianus: „ sed aliud est ad juramentum „ sponte accedere: aliud vel ad asserendam innocentiam suam vel ad pacis fœdera confirmanda, vel ad „ persuadendum auditoribus, quando pigri sunt credere, quod eis utile sit, juramentum offerre. Primum „ prohibetur, secundum conceditur: non enim jurare „ omnino peccatum est "?

Assertum suum probat auctoritate Concilii Toletani VIII. quo juramento in fœdere adhibitum probatur. Item auctoritate S. Augustini in expositione Epistolæ ad Galatas ad illa verba: *quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo; quia non mentior*: jurat utique; & quid sanctius hac juratione: sed non est contra præceptum juratio, quæ a malo est, non jurantis, sed incredulitatis ejus, cui juratur: nam hinc „ intelligitur, ita Dominum prohibuisse a jurando, „ ut quantum in ipso est, quisque non juret: quod „ multi faciunt, in ore habentes jurationem, tamquam magnum aut suave aliquid . . . Quantum ergo in ipso est, non jurat Apostolus: non enim appetit jurationem cupiditate aut delectatione jurandi ". „ Ita legitur apud Augustinum, a quo nonnihil recedit Gratianus, ut etiam notant Correctores Romani.

Plura ibidem ad eumdem sensum Gratianus adfert ex Augustino, atque inter alia *Canone 5.* „ Ita ergo „ præcepisse Dominum intelligitur, ne juretur, ne „ quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur: quapropter qui intelligit non in bonis, sed „ in necessariis jurationem habendam, refrænet se „ quantum potest, ut non ea utatur nisi necessitas „ cogat ".

His congruit illud Isidori in *Canone* 13. „ non est „ contra Dei præceptum jurare: sed dum jurandi usum „ facimus, perjurii crimen incurrimus ".

Ad calcem *Canonis* 14. ita concludit Gratianus: „ Ex „ præmissis colligitur, quod jurare non est peccatum: „ non tamen tamquam bonum est appetendum, ne consuetudine jurandi labamur in perjurium; sed cum „ dicatur procedere a malo non credentis, videtur, „ quod etsi jurare peccatum non sit, juramentum tamen recipere malum sit. Sed nomine mali non malitia, sed peccati pœna intelligitur. Ex pœnali enim „ infirmitate incredulitas ista processit, qua ad jurandum compellimur. Ipsum autem jurare sicut peccatum non est: ita juramentum ab aliquo recipere „ malum non est ".

Licite utimur fide ejus, qui per idola jurat.

Post hæc *part.* 4. quæstionis quærit: „ An sit utendum fide ejus, qui per dæmonia jurat " Pro resolutione hujus dubii adducit *Canone* 16. verba S. Augustini ex Epistola ad Publicolam, quæ est 47. in ultima editione. Hic respondet Augustinus, semper esse malum per fallos Deos jurare; „ Sed illud, ait, nemo „ recte reprehenderit, quia fidem servavit . . . ac per „ hoc qui utitur fide illius, quem constat jurasse per „ falsos Deos, & utitur, non ad malum, sed ad licitum & bonum, non peccato ejus se sociat, sed „ bono pacto ejus, quo fidem servavit; sed, pergit „ Augustinus, alia quæstio est, utrum non peccet, „ qui per falsos Deos sibi jurari facit, quia ille, qui „ ei jurat, falsos Deos colit ".

An licite petatur juramentum a juraturo per falsos Deos?

In hac quæstione dubius nonnihil hærebat Augustinus: motus tamen exemplis Isaac & Jacob, qui sibi a Laban & Abimelech jurari fecerunt, inclinare videtur in partem negativam.

Gratianus exemplis ab Augustino adductis addit: „ quod cum in libro Machabæorum Romani leguntur „ pacem firmasse cum Judæis, intelligendi sunt jurasse „ per falsos Deos; sicut & Judæi juraverant per Deum „ verum ".

An sit licitum jurare per creaturas?

Dicit & ibidem Gratianus, dictum de juramento per *falsos Deos*, etiam de juramento per creaturas intelligendum: nimirum, quod „ ipsum quidem jurare *per* „ *creaturas* malum sit; quia a Deo prohibitum; sed „ servare quod juratur, bonum est, ut evitetur peccatum mendacii & dolositatis.

Objicies autem sibi exemplum Joseph, qui *per creaturas* juravit, dum dixit fratribus suis: *per salutem Pharaonis non exibitis hinc*, „ respondet: sanctos, non „ tam per creaturas, quam per auctorem creaturarum „ jurasse . . . (a) Deus autem, inquit, per creaturas jurare prohibuit, ne vel more Gentilium aliquod „ numen Deitatis creaturis inesse crederetur, vel ne „ creaturas contemptibiles judicando, per eas promissa pro nihilo duceremus.

De gravitate unius juramenti comparati ad alterum.

Scripserat in citato Canone S. Augustinus, *sine ulla dubitatione minus malum est per* Deum falsum jurare *veraciter, quam per Deum* verum fallaciter; rationem addens: *quanto enim id, per quod juratur, magis est sanctum, tanto magis est pœnale perjurium.*

Ex hac ab Augustino allegata ratione concludit Gratianus, quod licet duplex peccatum admittat, qui contra prohibitionem & jurat per creaturas, & una jurat *mendaciter*; tamen appareat, quod *graviori se subjiciat pœnæ, qui per creatorem jurat mendaciter*, atque ita hoc unum peccatum perjurii gravius appareat, duplici peccato, quod commisit jurans illicite per creaturas mendaciter, de qua quæstione locutus non fuit Augustinus: unde & nonnisi dubitantes per verbum, *apparet*, resolvit Gratianus.

De gravitate & pœna perjurii.

Parte 5. hujus quæstionis probat Gratianus „ perjurii pœnam esse gravissimam: quam si quis timens „ ad confessionem venire noluerit, a fidelium consortio sit abjiciendus.

In hujus probationem adducit *Canone* 17. Decretum sub nomine Eutychiani Papæ, prout etiam apud Burchardum & Ivonem citatur.

Monent autem Correctores Romani, inventum esse inter quædam capitula Theodulphi Episcopi Aurelianensis ad suos Presbyteros scripta: quod & monent Pithæi notantes caput 26. dictorum Capitulorum, quæ habentur apud Labb. *tom. 7. Concil. general. col.* 1136. ubi & hoc Decretum reperitur.

Stephanus Baluzius monet in notis ad Reginonem, sub nomine hujus Pontificis Eutychiani relata a Gratiano Decreta nullatenus ei posse attribui, primumque a Bur-

---

(a) Quasi dixisset Joseph, per Deum qui auctor & conservator est vitæ, salutis, & dignitatis Pharaonis: immerito igitur reprehenderetur Josephi pietas, quasi per Deum alienum jurasset. Juramentum enim fecit, quod deinceps Christiani primitivæ Ecclesiæ peregerunt, cum jurare per salutem Cæsarum non dubitarent. *Juramus*, ajebat Tertullianus apolog. cap. 32. *non per Genios Cæsarum, sed per salutem eorum quæ est augustior omnibus Geniis*

Burchardo ipsi fuisse supposita: credit autem Baluzius (quod & verisimile, apparet ex tenore contextus) illa non esse ex Concilio quopiam, neque in Decretis alicujus Romani Pontificis, sed formulam fuisse, secundum quan Episcopi interrogare debebant Laicos in unaquaque parochia.

Retulit quidem Labbæus hæc Decreta *tom. 1. Concil. general. col.* 921. sub nomine *Eutychiani Papæ*, quamvis ab aliis Collectoribus Conciliorum essent omissa, una tamen insinuans se dubitare, an huic Pontifici sint tribuenda.

Quidquid sit de Decretorum istorum auctore, cum eorum meminerit Regino Abbas Prumiensis (licet sub nomine Eutychiani) apparet, quod saltem sæculo nono nota fuerint.

In hac igitur formula, seu Decreto dicitur, predicandum esse, *ut perjurium fideles caveant, & ab hoc summopere abstineant; scientes hoc grande scelus esse. Præterea, se audivisse, quosdam parvipendere hoc scelus, & levem quodammodo perjuris pœnitentiæ modum imponere.* Quam hoc hodie usitatum!

Declarat autem, quod illi nosse debeant, *talem de perjurio pœnitentiam imponi debere, qualem & de adulterio, de fornicatione, & de homicidio, sponte commisso, & de cæteris criminalibus vitiis.*

Denique si *quis de perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiam longam, ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus sit sive a communione & consortio fidelium.*

Cæterum Canon 10. Pio Papæ falso adscribitur, quod nequidem extat in Epistolis huic Pontifici ab Isidoro suppositis. Similiter Hieronymo falso abscribitur Canon 12. *Capitul.* 1. Caroli Magni de anno 789. relatus *lib. 1. Capitul. cap.* 16. Consule Baluzium *in notis ad hoc c.* 12.

Modus minuendi frequentiam perjuriorum.

Si hodie Episcopi, pastores, & confessarii cum falsum jurantibus ita procederent, iisque pro gravitate criminis pœnitentiam imponerent, sperandum esset frequentiam perjuriorum paulatim minuendam.

Quæst. II. An perjurus sit jurans falsum quod putabat verum.

Prosequendo Gratianus materiam juramenti *quæstione secunda* quærit „ si sit perjurus, qui jurat falsum, quod „ putaba verum.

Primo asserit, adductis duobus Canonibus, facile probari, quod *perjurium sit, falsum jurare*: sed id intelligendum monet ad calcem Canonis 2. de eo qui *scienter*, seu *mentiendo* in dolo jurat: „ sed aliud est, „ ait, falsum jurare, aliud jurare in dolo... Ille enim „ in dolo jurat, aut mendaciter promittit, in cujus „ mente est, non sic se facturum, ut promittit: ille „ autem qui promittit falsum, quod *putat verum*, nec „ in dolo jurat, nec mendaciter promittit.

Probat hanc distinctionem Canone 3. auctoritate S. Augustini, multis asserentis, perjurium esse, qui jurat, *quod falsum scit, aut saltem putat falsum esse*, licet reipsa verum sit: non esse autem, qui jurat falsum, quod *verum esse certe credit*: atque concludit: *Ream linguam non facit nisi mens rea.*

Ex hoc concludit Gratianus, non esse perjurium „ qui nec temere vel intelligenter, sed cum magna „ diligentia videbatur sibi deprendisse *verum*, quod „ juravit *falsum*.

Discrimet inter mentiri & falsum dicere. Item inter fallere & falli.

Quin & addit, nequaquam semper mentiri, qui falsum dicit; sed nec omnem qui mentitur, falsum dicere, uti probat *Canone* 4. verbis Augustini.

Ex dictis ulterius concludit, fallere, semper esse peccatum; cum fallere semper sit voluntatis: sed falli vel infirmitatis vel temeritatis: hinc ulterius concludit *parte secunda*, quod aliquando contingat, falli vel nullum, vel minimum esse peccatum: aliquando ex ipsarum rerum varia consideratione, minus esse fallere quam falli. Primum probat *Canone* 2. verbis Augustini in Enchiridio ad Laurentium *c.* 21. & alterum *Can.* 7 verbis ejusdem doctoris ex eodem Enchiridio *c.* 18. quæ mutilata refert, uti etiam monent Correctores Romani. Merito hi textus S. Augustini leguntur integri in ipso originali.

De variis mendaciorum generibus ex Augustino.

Parte 3. ostendit Gratianus varia esse mendaciorum genera, quorum alia aliis graviora, alia leviora sunt. Una probat, nulla de causa mendacium reddi licitum.

Adducit in hanc rem *Canone* 8. textum S. Augustini desumptum ex ejus libro de *mendacio cap* 14. & 21. Ubi priore capite, octo enumerat mendaciorum genera, & *cap.* 21. concludit, nullum eorum esse licitum: & quidem circa quinque prima genera nulla videbatur difficultas: at circa tria ultima nonnulli hærebant: verum auctoritatibus divinis, quæ mendacium prohibent, diligenter discussis; necnon iis, quæ in novo Testamento a sanctis facta sunt, *ubi morum imitandorum evidentissima commendatio est* ut loquitur Augustinus, concludit, nec tria hæc mendaciorum genera licita esse.

Nullum genus mendacii licitum esse probatur ex eodem.

„ Non est, ait, mentiendum sexto genere (quod „ nulli obest, & alicui prodest) neque enim recte „ etiam testimonii veritas, pro cujusquam temporali „ commodo ac salute corrumpitur.

Quin nec pro æterna alicujus salute mentiendum esse subjungit dicens: „ Ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est, opitulante mendacio.

Septimum mendacii genus est, cum sine ullius injuria mendacio meo vita alterius salva esse potest: sed nec hoc genere mentiendum esse, ait: „ Non enim „ cujusdam commoditas, aut salus temporalis perficiendæ fidei præferenda est „.

Octavum genus mendacii est, quod & nulli obest, & ad hoc prodest, ut ab immunditia corporali aliquem tueatur: „ Nec in hoc genere mentiendum est: quia „ & in bonis castitas animi pudicitiæ corporis præfertur: & in malis id quod ipsi facimus, eo quod „ fieri sinimus, nobis damnabilius est.

Concluditque his verbis: „ Quisquis autem esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet seipsum turpiter cum honestum se „ deceptorem arbitratur aliorum „.

Nullum ob finem licitum est mentiri.

Parte 4. ulterius pluribus auctoritatibus, notanter Sancti Augustini, probat, neque ad evitandam arrogantiam, conservandamque humilitatem esse mentiendum: „ Cum humilitatis causa mentiris, si non „ eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod evitaveras „: ait Augustinus *Canone* 9. & *Canone* 11. dicit: „ Non ita caveatur arrogantia, „ ut veritas relinquatur „.

Neque vitam temporalem, nec æternam proximi per mendacium nostrum esse procurandam docetur *Canone* 14. 15. & 17.

Potest tamen quandoque veritas occultari.

Parte 5. probat, quod etsi nunquam liceat mentiri, & contra veritatem loqui, possimus tamen subinde, causa exigente, veritatem occultare, Canone 21. (*a*).

De facto Abraham & Jacob.

Dein *Canone* 22. verbis Augustini solvit objectionem contra antedicta movendam ex facto Abrahæ, qui ad servandam vitam temporalem videtur mentitus, dicendo quod Sara, uxor sua, esset sua soror: sed monent Correctores Romani Canonem conflatum ex variis textibus Sancti Augustini in unum congestis.

Multis quoque respondet ipse Gratianus ad factum Jacob, dicentis se Esau, volens ostendere mentitum non fuisse.

Cum in proposito casu Episcopus juraverit falsum, quod putabat verum, concludit Gratianus ad calcem hujus quæstionis: „ Quod Episcopus non fuerit reus „ perjurii, juxta illud Augustini supra relatum: *Ream „ linguam non facit nisi mens rea* „.

Quæst. III.

Hinc ulterius resolvit quæstionem tertiam, quæ erat: „ si liceat Archidiacono denegare Episcopo con„ suetam obedientiam „: nullo adducto Canone dicens, quod consueta obedientia ab Archidiacono Episcopo denegari non debuit, & per consequens illicitum fuisse, quod ab Archidiacono erat juratum.

Quæst. IV.

Hinc *quæstione* 4. quærit: „ Si constiterit esse il„ licitum, quod juravit Archidiaconus, an sit servan„ dum „?

Juramenta de re illicita servanda non sunt.

Quod juramenta illicita servanda non sint, pluribus auctoritatibus adstruitur parte 1. quæstionis; atque in primis auctoritate Concilii Tolerani, cujus Canonis 2. fragmentum recitat *Canone* 1. sed integer Canon consulendus, cujus plura fragmenta extant apud Gratianum, ac signanter bina hac quæstione *Can.* 9. & 14. Idem ostenditur & variis aliorum auctoritatibus, adjunctis tamen nonnullis nonnihil immutatis ut notant Correctores Romani, & aliquibus dubiæ fidei, ut *Can.* 10. sub nomine Augustini, & *Canone* 16. sub nomine Soteris Papæ.

Ex his tandem concludit, juramenta de re illicita non esse servanda juxta illud Isidori *Can.* 5. In malis „ promissis rescinde finem, in turpi voto muta decre„ tum: quod incaute vovisti, ne facias „: impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.

Verum conclusionem illam, quod juramenta illicita laudabiliter solvantur, damnabiliter serventur, intelligendam esse dicit *parte* 2. subjecta Canoni 19. „ Quando juramentum illicitum deseritur, ut ad bonum re„ deatur. Cæterum, si propterea deseritur, ut in a„ liud malum transeatur, illicitum sacramentum da„ mnabiliter servatur, sed damnabilius contemnitur „. Probat hæc *Can.* 20. 21. & 22. auctoritate Sancti Augustini.

Quandoque licite præstatur, quod illicite juratum est.

Denique *parte* 3. occasione juramenti, quod Gabaonitis fecit Josue, probat quædam juramenta, quamvis *illicite* præstentur, tamen *postquam præstita* sunt, esse servanda: adducta etiam *Canone* 23. auctoritate Sancti Ambrosii, cui dein longum discursum annectit Gratianus, in quo exponit, quando juramenta illicita sint, vel non sint servanda, qui tractatus non inutiliter legetur.

(a) Quamvis veritatem occultare quandoque prudenter liceat; nefas tamen est mentiri, ut illa occultetur. Audiendus ergo non est P. Cataneus Jesuitas Italus, qui in sua adversus Patrem Orsi Dominicanum disputatione contendit licitum esse dicere *non*, aut *nescio*; ubi de secretis, quæ novimus, agitur; patri Cataneo suffragantur Auctore Diariorum Trivultianorum: horum suffragium legitur mense Novembri an. 1730. art. 102. & Decembri ejusdem an. art. 110. 111. & 112. interim, quod mirum est, suis in Diariis castigatores morum haberi volunt, ac prædicant: ipsi hanc contradictionem concilient.

Quæst. V.

Quæstio quinta e casu deducta erat: Si constiterit juramentum illicitum ab Archidiacono servandum esse, „ an Episcopus sit reus perjurii, qui contra juramentum Archidiaconum suum ire compellit.

Hanc quæstionem in septem partes dividit, quarum prima de pœna & gravitate perjurii tractat.

De pœnitentia imponenda perjuris.

Circa modum pœnitentiæ perjuris imponendæ adducit duos priores Canones sub nomine Pii Papæ: at certum est ea Pio I. tribui non posse, monentque Correctores Romani, ea ab aliis Collectoribus citari ex pœnitentiali Theodori, e quo & Canon 3. citatur.

In his Canonibus videmus, non eamdem omnibus perjuris pœnitentiam impositam; immo trium annorum pœnitentiam impontam ei, qui pejeravit in manu Episcopi, aut in cruce consecrata, & tantum unius anni, qui pejeravit in cruce non consecrata, quæ disciplina vel sola redolet recentiorem ætatem. Nihilominus advertat lector in his Canonibus pristinæ disciplinæ quædam occurrere vestigia, quibus confundantur confessarii, qui perjuris leviores, quam exigit gravitas criminis, pœnitentias imponunt.

Provocans ad jurationem falsam dupliciter homicida est.

Additur ex S. Augustino *Canone* 5. *&* 6. quod is, qui hominem provocat ad jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vincat homicidam: quia homicida corpus occisurus est, ille autem animam: immo duas animas, & ejus quem jurare procuravit, & suam.

Quomodo se gerere debeat, qui aliquem audit falsum jurare, ut criminis particeps non fiat, ostenditur *Canone* 8. ex verbis Sanctis Augustini.

Parte 3. inquirit: „ an perjurium evitet, qui verbo„ rum *calliditate* se circumvenire putat illum, cui „ juramentum defert, nisi servaverit quod jurasse cre„ ditur.

Perjurus est qui non jurat ad mentem exigentis juramentum.

Hic adducit *Canone* 9. vulgarem illum S. Isidori textum; quo funditus evertitur perniciosa illa restrictio„ num mentalium fallacia: „ Quacumque arte verbo„ rum, inquit, quisque juret, Deus tamen, qui con„ scientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui „ juratur, intelligit.

Huic congruit Augustinus in *Canone* 10. ubi docet perjurum esse, qui falsum jurat *per lapidem*, tametsi jurans credat, nihil esse per quod jurat, eo quod is, *cui jurat, illud sanctum putat: non enim*, ait, *quando juras, tibi juras, aut lapidi juras, sed proximo juras*. Videndus ipse textus Augustini *sermone* 180. *num.* 13. in editione Benedictinorum: nam apud Gratianum nonnulla mutilata sunt, ut etiam monent Correctores Romani.

Objectio ex S. Gregorio solvitur.

At his contraria apparent, quæ *Canone* 11. proferuntur ex S. Gregorio *lib.* 16. *Moralium cap.* 7.„ Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris so„ nant: divina vero judicia talia ea audiunt, qualia „ ex intimis proferuntur „.

Sed si integer textus Sancti Gregorii legatur, apparebit Sanctum Gregorium hic loqui de Patriarcha Job, qui soli Deo loquebatur: tunc enim satis est, ut sic loquamur, qualiter Deus, qui inspector est cordis nostri, verba intelligit, at quando proximo loquimur, sic verba accipienda sunt, sicut ille, cui juratur, intelligit.

De ætate ad jurandum requisita.

Post hæc Gratianus *parte* 4. inquirit, qua ætate quis ad præstandum juramentum sit capax?

adducit *Canone* 14. locum ex *lib.* 1. *Capitularium* Regum Francorum, in quo decernitur: *parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare*.

Ita hodie legitur *lib.* 1. *Capitularium cap.* 16. Item apud Reginonem *lib.* 2. *cap.* 313. & Ivonem *parte* 12. *cap.* 23. & his verbis exhiberat Gratianus: at Correctores Romani addiderunt ex originali, ut ajunt: *sicut Gunebodigni faciunt*: quemadmodum & hodie legitur apud Baluzium in *Capitulari* 1. *anni* 789. *cap.* 62. de qua lectionis varietate consule eumdem Baluzium in notis ad Reginonem ubi & una notat, Gunebodignos fuisse dictos, qui Gundebada lege utebantur, adversus quam legem librum scripsit sæculo nono Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, cui & notas addit citatus Baluzius, quas consule.

Additur dein *Canone* 15. sub nomine Concilii Eliberitani, & *Canone* 16. sub nomine Cornelii Papæ, ut pueri ante annos 14. non cogantur jurare: in posteriori quoque dicitur: *Honestum etiam videri, ut qui in sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate & timore*.

De reverentia in juramento adhibenda.

Certum est hæc non sapere disciplinam ætatis, qua vixit Sanctus Cornelius Papa, eique falso abscribi, uti notavit Antonius Augustinus *lib.* 1. *Dial.* 16. reperiuntur autem *lib.* 1. *Capitul. cap.* 61. ubi pro, *audet*, legitur, *habet*, uti & apud Reginonem *lib.* 2. *cap.* 312. quæ lectio apparet præferenda, ut hic monet Baluzius.

Interea hinc elucet, quanta cum reverentia & religione fieri voluerint juramenta auctores antiqui.

De tempore quo vetitum est jurare.

Adducit & Gratianus *Canone* 17. sub nomine Concilii apud Sanctum Medardum, Decretum, quo præcipitur, „ ut a Septuagesima usque ad octavam Paschæ, ab „ Adventu Domini usque in octavam Epiphaniæ, & „ in jejuniis quatuor temporum, & in litaniis majori„ bus, & in diebus Dominicis, & in diebus rogatio„ num (nisi de concordia & pacificatione) nullus „ super Sancta Evangelia jurare præsumat „.

De hoc Canone agens Antonius Augustinus citato *Dial.* 16. dicit, se fontes hujus Canonis non invenisse; verisimiliter, Gratianum sumpsisse ex Burchardo, qui illud retulit *lib.* 12. *cap.* 20. sed pro verbis, *usque in octavam Epiphaniæ*, legit, *usque post consecratos dies*, & in fine ad verba, *super sancta*, non addit, *Evangelia*.

Monet insuper Antonius Augustinus ibidem ex S. Antonino, hæc consuetudine esse abrogata: quod partim tantum verum est, nam etiamnum hodie aliquid illius disciplinæ superest, puta quod juramenta judicialia non recipiantur diebus Dominicis & Festis.

Nonnulla adducit Gratianus *parte* 5. de forma juramenti a Vassallis Domini directus præstandi, *Canone* 18. de quo vide Antonium Augustinum *lib. de emendat. Grat. Dial.* 9. Canon 19. Augustino tribuitur, sed apud illum non reperiri monent Correctores Romani, nec quidquam ibi de forma juramenti dicitur. De juramento a Vassallis præstando.

De emendacio in facto.

Ostendit *parte* 6. Auctoritate Ambrosii in Canone 20. quod non verbis duntaxat; sed etiam simulatis „ operibus mendacium committitur: Mendacium nam„ que est, ait Ambrosius, Christianum se dicere, & „ opera Christi non facere: mendacium est, Episcopum, „ Sacerdotem, vel Clericum se profiteri, & contraria „ huic ordini operari „.

An & quando clericus coram laico cogi possit ad jurandum?

Sub nomine Concilii Rhemensis *Canone* 22. statuitur: „ Nullus ex Ecclesiastico ordine cuiquam Laico quid„ quam *supra sacrosancta* Evangelia (Burchardus *supra* „ *sacra*) jurare præsumat; sed simpliciter cum veritate „ & puritate dicat, *est*, *est*: *non*, *non*. Sed si est ali„ quid quod sibi objiciatur (addunt Burchardus & Ivo, „ *ad Episcopum, in cujus territorio est, deferatur*, *&*) „ prout judicaverint, qui ejusdem ordinis sunt, aut „ corrigatur, aut expurgetur „.

Hæc in nullo Concilio Rhemensi hactenus reperi. Interim monet hic glossa: „ hoc caput intelligendum „ de juramento expurgationis, quod Clericus non de„ bet facere coram Laico, sed tantum coram Episcopo, vel ejus delegato, nisi hoc faciat auctoritate „ Papæ: si enim Clericus peteret aliquid coram Lai„ co, bene teneretur ibi præstare juramentum calum„ niæ: vel dic, ait, quod sine licentia Episcopi nul„ lum debet facere juramentum Laico; Imperatori ta„ men jurant Episcopi fidelitatem „.

Quidquid sit de hoc glossæ commento, illud evidens est, clausulam illam, *nisi hoc fiat auctoritate Papæ*, sapere falsas Decretales. Deinde & illud certum est, hodie ab hac disciplina non parum esse recessum. Nihilominus notet lector, quanta circumspectione procedendum crederet auctor hujus Decreti, ut Clericus ad jurandum cogeretur.

CAUSA XXIII.

Connexio hujus causæ cum præcedenti juxta glossographum.

GLOSSOGRAPHUS volens connectere hanc causam cum præcedenti ait: „ supra tractatum est de *Catholi*„ *cis*, & dictum est, quod non sunt cogendi *ad ma*„ *lum*: nunc vero subnectit Gratianus *causam vigesi*„ *mam tertiam*, in qua de *hæreticis* tractat, quærens, „ an ipsi sint cogendi ad bonum. Item quæritur, an „ militare sit peccatum, & quod bellum debeat dici „ justum, & quod injustum, & an vindicta sit feren„ da, & an peccatum sit judici, malos occidere, con„ demnando scilicet „.

Gratiano cura non ita fuit ordinem aut connexionem servare.

Verum ex hactenus dictis & dicendis quisque facile perspiciet, nullam aut certe exiguam Gratiano curam fuisse, ordinem aut connexionem materiæ servandi, sed opportune & importune, occasionem quæsivisse, omnia, quæ quacumque ratione ad disciplinam Ecclesiasticam & religionem spectare credebat, in suum opus conjiciendi.

Hac causa agitur de bello, ejus justitia, &c.

Itaque hac causa tractat & requirit de bello ejusque justitia, & causis, & an hæretici vi armorum ad fidem Catholicam sint cogendi, & Clericis eisdem (bellis) sint implicandi.

Casus in hac causa propositus.

Hunc in finem proponit hunc casum: „ quidam E„ piscopi cum plebe sibi commissa in hæresim lapsi „ sunt, circumjacentes Catholicos minis & crucia„ tibus ad hæresim compellere cœperunt: quo com„ perto Apostolicus Catholicis Episcopis circumjacen„ tium regionum, qui ab Imperatore civilem juris„ dictionem acceperant, imperavit, ut Catholicos ab „ hæreticis defenderent, & quibus modis possent eos „ ad fidei veritatem redire compellerent. Episcopi „ hæc mandata Apostolica recipientes, convocatis mi„ litibus, aperte, & per insidias contra hæreticos pu„ gnare cœperunt: tandem nonnullis eorum neci tra„ ditis, aliis rebus suis vel Ecclesiasticis expoliatis, „ aliis carcere & ergastulo reclusis ad unitatem Ca„ tholicæ fidei redierunt „.

Quæstio I. Varia adducit Gratianus, quibus videtur probari quod bellum sit vetitum Christianis.

Prima quæstione quærit: „ an militare sit peccatum „?

Sub initium quæstionis prolixo discursu profert ea, quibus videtur innui bellare vetitum esse Christianis: eo quod id videatur contrarium præcepto patientiæ, & mandato diligendi inimicos: atque ita militare alienum videri ab Evangelica doctrina, quæ ab omni vindicta nos alienos esse præcipit, & patientes esse contra omnes atrocissimas quasque injurias nobis a proximo illatas. Adducit eum in finem verba sub nomine Gre-

Gregorii, ſed quæ revera ſunt Origenis, ut in margine notatur.

At oſtendit illa in præparatione animi ſervanda eſſe.

Verum ad calcem *Canonis* 1. reſpondet Gratianus: „ præcepta patientiæ non tam oſtentatione corporis, „ quam præparatione cordis retinenda eſſe: " prolato eam in rem *Can.* 2. textu S. Auguſtini, in quo dicitur: „ paratus debet eſſe homo juſtus & pius patienter eo- „ rum malitiam ſuſtinere, quos fieri bonos quærit, ut „ numerus potius creſcat bonorum, non ut pari mali- „ tia ſe quoque numero addat malorum. Denique iſta „ præcepta magis ad præparationem cordis pertinere „ quam ad opus quod in aperto fit: ut teneatur in „ ſecreto animi patientia cum benevolentia, in mani- „ feſto autem id fiat, quod eis videtur prodeſſe poſſe, „ quibus bene velle debemus ".

Bellum gerere non eſt per ſe malum.

Adducit dein nonnulla *Can.* 3. 4. & 5. ex S. Auguſt. quibus doctor eximius oſtendit, bellum gerere & militare per ſe malum non eſſe, & quæ præcipue in bello vitanda ſint: ac tandem ad calcem quæſtionis concludit Gratianus: quod „ militare peccatum non eſt, & quod „ præcepta patientiæ in præparatione cordis, & non „ in oſtentatione corporis ſervanda ſint ".

An jubente Rege bellari poſſit, dum dubitatur de juſtitia belli?

Unum hic notandum, quod ex S. Auguſt. *l.* 22. *contra Fauſtum c.* 74. & 75. refertur *Can.* 4. quod vir juſtus militans ſub rege iniquo, poſſit illo jubente militare, *ſi vice* (alias *civicæ*) *pacis ordinem ſervans, quod ſibi jubetur* (alias *cui quod jubetur*) *vel non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt, ita ut fortaſſe reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi.*

Manifeſtum eſt Auguſtinum, militem hic excuſare ob juſtam ignorantiam factorum, quæ ipſi militi ſine ſua culpa ignota ſunt, & ad quorum notitiam ordinarie pervenire non poteſt, ex quorum proinde ignorantia ipſi quoque ignota ſit incu!pabiliter injuſtitia belli.

Quæſt. II.

Quæſtione ſecunda quærit Gratianus, *quod bellum ſit juſtum, & quomodo a filiis Iſrael juſta bella gerebantur.*

Bellum debet eſſe juſtum.

Hac autem quæſtione notatur verbis S. Auguſtini *Canone* 2. quod *nihil homo juſtus præcipue cogitare debeat in his rebus, niſi ut juſtum bellum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt; non enim omnibus fas eſt. Cum autem juſtum bellum ſuſceperit, utrum aperta pugna, utrum inſidiis vincat, nihil ad juſtitiam intereſt.*

Quæ ad juſti tam belli requirantur.

Additur autem quod unice ad quæſtionem ſpectat: *Juſta autem bella definiri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens, vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod a ſuis improbe factum eſt, vel reddere, quod per injurias ablatum eſt, ſed etiam hoc genus belli, ſine dubitatione juſtum eſt, quod Deus imperat, apud quem non eſt iniquitas, & novit quod cuique fieri debeat: in quo bello ductor exercitus, vel ipſe populus non tam auctor belli, quam miniſter judicandus eſt.*

Additur & *Canone* 3. ex Auguſtino, qua ratione Iſraelitæ juſtum bellum geſſerint.

Quæſt. III.

Quærit *quæſtione tertia*: „ an injuria ſociorum armis „ propulſanda ".

An & quo ſenſu injuria a proximo illata, armis ſit propulſanda?

Sub initium quæſtionis multis ac ſignanter exemplo Christi, probat, injuriam, a proximo illatam, armis non eſſe propulſandam. His relatis concludit: „ patet „ quod ad propulſandam injuriam non ſunt petenda ar- „ morum auxilia: quod autem petendum non eſt, illud „ jure præſtari non debet ".

Deinde quaſi ſe explicans addit: „ ſed e contra mul- „ ta rite præſtantur, quæ tamen jure non petuntur, „ bonus enim rite injuriæ vindictam petit, quia ma- „ lum pro malo redderet, quam tamen judex recte „ infligeret, nec niſi bonum pro malo redderet ".

In hujus probationem adfert *Can.* 1. verba S. Auguſtini, ſed admixtis nonnullis ex gloſſa ordinaria, ut notant Correctores Romani: ſententia autem Auguſtini eſt, quod diſcipulorum Chriſti non ſit, malum pro malo reddere, *non quia vitioſum eſt* (ait) *ut recipiat unuſquiſque quod fecerit, alioquin lex nequaquam id conſtitueret: ſed quia ulciſcendi libido vitioſa eſt, magiſque ad judicem pertinet, inter alios hoc decernere, quam bonum hominem ſibi expetere.*

Quid interſit inter hominem ſe vindicantem & judicem punientem.

Ita legitur apud Auguſtinum enarratione in *Pſalm.* 108. *num.* 4. & *nu.* 7. oſtendit, quantum interſit inter exoptantem vindictam pro injuria ſibi illata, & judicem punientem iniqua: „ ille quippe (ait) reddit „ malum pro malo, iſte autem etiam cum vindicat non „ reddit malum pro malo, quoniam juſtum reddit inju- „ ſto, quod autem juſtum eſt, bonum eſt, punit ergo „ non delectatione alienæ miſeriæ, quod eſt malum „ pro malo, ſed delectatione juſtitiæ, quod eſt bonum „ pro malo ". Licet verba Auguſtini a Gratiano non referantur, ſententia tamen refertur.

Quibus cauſis juſte peti poſſit auxilium ad propulſandam injuriam?

Addit autem ipſe Gratianus, quod interdum homo juſtus poſſit poſtulare auxilium ad propulſandam injuriam, non ad *propriam vindictam*, ſed ut malis facultas delinquendi adimatur, ut Eccleſia pacem adipiſcatur, ut aliquis multorum utilitati ſervetur.

Probat id auctoritate S. Auguſtini *Canone* 2. qui in Epiſtola ad Bonifacium hodie 185. poſtquam narraſſet, quod Maximianus Bagajenſis (apud Gratianum legitur Vagienſis) Epiſcopus multis vulneribus lethalibus ac prope occiſus eſſet, ſcribit num. 28. *auxilium ergo petivit ab Imperatore Chriſtiano, non tam ſui ulciſcendi cauſa, quam tuendæ Eccleſiæ ſibi creditæ; quod ſi prætermiſiſſet, non eius fuiſſet laudanda patientia, ſed negligentia merito culpanda.*

Adjungit dein *Canone* 3. verba S. Auguſtini Epiſtola ad Emeritum Donatiſtam, qua Catholicos contra obtrectationes Donatiſtarum defendit, oſtendens nihil illos contra Evangelium committere, *dum adverſus illicitas & privatas* (*Donatiſtarum*) *violentias a poteſtatibus ordinatis tuitionem petunt, non qua* (ait) *vos perſequantur, ſed qua ſe defendant.*

Diſcrimen inter perſecutionem Catholicorum & Hæreticorum.

Dein *Canone* 4. ex Auguſtino *lib.* 2. *contra Epiſtolam Petiliani cap.* 88. oſtendit, quid interſit inter perſecutionem Catholicorum & hæreticorum: merito integer Auguſtini textus legitur.

Intermiſcet *Canone* 8. & 9. bina Decreta apocrypha, alterum ſub nomine Anaſtaſii & Damaſi Papæ, alterum ex Epiſtola 2. Calixti.

Oppreſſis quilibet, quantum in ſe eſt, ſubvenire debet.

Oſtendit denique, oppreſſis eſſe ſubveniendum, atque unumquemque teneri, quantum in ſe eſt, injuriam a proximo avertere, adducto, *Canone* 10. Decreto Concilii Carthaginenſis quinti, quo reſolutum fuit *ab Imperatoribus poſtulandum eſſe, propter afflictionem pauperum ut defenſores eis adverſus potentias divitum cum Epiſcoporum proviſione delegentur.*

Quæſt. IV.

Quæſtio quarta, ex caſu deducta erat, an vindicta ſit inferenda.

Quandoque mali in Eccleſia tolerandi ſunt.

Hanc in octo partes diviſit Gratianus: prima parte oſtendit, in Eccleſia etiam malos eſſe tolerandos, nec bonos malorum conſortio maculari, ſi ipſis in crimine ſeu malitia non communicent.

In hujus aſſerti probationem plura adducit ex ſcriptis Sancti Auguſtini contra Donatiſtas, qui ſuſtinebant, eorum conſortio, culpam & reatum incurri, atque inde concludebant Eccleſiam Catholicam in ſola Donati parte integram remanſiſſe, cæterum in aliis terrarum partibus periiſſe: quaſi *contagionis communione extinctam*, nimirum propter ordinationem Cæciliani, cum quo aliæ Eccleſiæ communicaverant, prout latius exponunt PP. Benedictini in præfatione ad tom. 9. operum S. Auguſtini.

Non corporali ſed ſpirituali vindicta puniendi ſunt.

Relatis igitur variis textibus S. Auguſtini (ad quos merito videndæ notæ Correctorum Romanorum) concludit Gratianus ad calcem Canonis 12. „ Ecce quod „ mali tolerandi ſunt, nec corporali, ſed ſpirituali „ vindicta puniendi ".

Poſt hæc *Canone* 14. ex Auguſtino *lib.* 4. *de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 12. *quantus arrogantiæ tumor eſt, quanta humilitatis & lenitatis oblivio, arrogantiæ quanta iactatio, ut quis audeat, aut facere ſe poſſe credat, quod nec Apoſtolis conceſſit Dominus, ut zizania a frumento putet ſe poſſe diſcernere.* Verba hæc eſſe S. Cypriani citata ibidem ab Auguſtino, monent Correctores Romani.

Addita eamdem in rem *Canone* 15. ſententia S. Gregorii concludit. „ Ex his omnibus colligitur, quod ma- „ lorum vindicta Deo reſervanda eſt, nec ſunt corpo- „ raliter puniendi, ſed crebra admonitione, & chari- „ tatis beneficio ad correctionem invitandi ".

Diſcrimen quoad hoc inter legem veterem & Evangelicam.

Hinc eodem loco pluribus oſtendit, lege Evangelica inimicos eſſe diligendos. Deinde „ quod in lege veteri „ corporalis pœna ſtatuta ſit, in lege vero Evangelii, „ omni peccanti per pœnitentiam promittatur venia: „ unde illa (ait) a terrore incepit dicens: *Ego ſum* „ *Dominus Deus zelotes, viſitans peccata patrum in fi-* „ *lios uſque in tertiam & quartam generationem.* Hæc „ vero a lenitate manſuetudinis & miſericordiæ ita „ inquiens: *beati pauperes ſpiritu, beati mites, bea-* „ *ti miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſe-* „ *quentur* ".

Pluribus in probationem hujus diſtinctionis legis veteris ab Evangelica adductis, tandem ſubjicit: „ Et „ ut univerſaliter dicatur, in lege populus ille rudis „ ſervili timore pœnarum cogebatur, unde & legem „ in pedagogum accepit. In Evangelio autem populus „ gratiæ, liber & adultus, *filiali* amore & hæredita- „ tis certitudine, ad cultum divinæ ſervitutis invi- „ tatur ".

Quandonam mali in Eccleſia tolerandi ſint & quandonam puniendi?

Verum, ne quis hinc argueret, in nullos malos in Eccleſia eſſe corporalibus pœnis advertendum, monet ad calcem Canonis 16. quod ſint quædam mala: " quæ „ ſalubri duntaxat monitione ſunt corripienda, non „ corporalibus flagellis animadvertenda, ſed eorum „ vindicta divino examini tantum eſt reſervanda, „ quando in delinquentes videlicet diſciplinam exerce- „ re non poſſumus, vel quia non ſunt noſtri juris, „ vel quia illorum crimina, etſi nobis nota ſunt, ta- „ men manifeſtis indiciis probari non poſſunt ". Item „ ad calcem Canonis 17. „ quando multitudo eſt in „ ſcelere, nec ſalva pace Eccleſiæ mali puniri poſſunt, „ tolerandi ſunt potius, quam violata pace Eccleſiæ „ puniendi ".

Aſtruit hæc Gratianus Canone 18. & 19. citatis verbis S. Auguſtins ex libro *de fide & operibus cap.* 4. & 5. *lib.* 3. contra Epiſtolam Parmeniani *cap.* 2. quibus locis luculenter oſtendit Auguſtinus contra Donatiſtas, quandonam mali in Eccleſia ſint ex manſuetudine & amore unitatis tolerandi, & quando ex zelo juſtitiæ in eos diſciplina ſeverior exercenda.

Neque prædest. nat omnes ad vitã, neque præscientia ad mortẽ redditur correptio malorum inutilis.

Parte tertia subnexa Canoni 19. incipit ostendere, quod correptio vel verberum vel verborum non sit inutilis bonis aut malis, licet *prædestinati ad vitam sine correptione mutentur, sicut Petrus, & præsciti ad mortem inter flagella deteriores fiant, sicut Pharao.* Ex quibus objicit, quod bonis *superflua, damnandis, hæc inveniuntur esse inutilia.*

Cum hanc objectionem multis diluerit S. Augustinus in his, quæ adversus Semipelagianos, sive Massilienses scripsit, Gratianus ex his nonnulla decerpsit, ac notanter Canonem 20, ex libro de *Correptione & gratia cap. 5.* ubi ostendit Augustinus, quod *sicut non est cessandum ab orando pro eis, quos corrigi volumus, etiamsi nullo hominum pro Petro orante, Dominus respexit eum, & fecit eum peccatum suum flere, ita non sit negligenda correctio, licet Deus quos voluerit, etiam non correptos, faciat esse correctos: tunc autem* (inquit) *correptione proficit homo, cum miseretur atque adjuvat, qui facit quos voluerit, etiam sine correptione proficere.*

* Liber de prædestinatione & gratia non est Augustini, sed suspecti auctoris.

Canone 22. recitat verba desumpta ex libro *de Prædestinatione & gratia cap. 15.* quem Gratianus Augustini esse credidit.

At eruditi revisores operum Augustini librum hunc post Lovanienses, ut opus incerti ac suspecti auctoris, in appendicem *tom.* 10. ablegarunt, ea potissimum ratione, quod uti Bellarminus, Possevinus, aliique existimarunt, in eo libro quædam reperiantur doctrinæ S. Augustini contraria, quæ Cassiani sensus redolere videantur, & signanter in verbis ex capite 15. a Gratiano hic Canone 22. relatis, ubi quæstionem tractans, cur Dei flagellis Pharao durior effectus, Nabuchodonosor vero ad pœnitentiam adductus sit, dicit eos sortitos esse fines diversos, quod unus nempe Nabuchodonosor manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter nimirum Pharao, libero contra misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio, quasi scilicet pœnitenti bonæ voluntatis initium, Deo perfectionem tantum adsignari velit, uti hi eruditi Revisores annotarunt in admonitione huic libro præfixa dictæ appendicis.

Prædestinatio non nocet libero arbitrio neque voluntati necessitatẽ infert.

Canone 23. refert sat prolixum fragmentum conflatum ex locis SS. Fulgentii, Prosperi, Augustini, uti monent Correctores Romani: his autem ostenditur, prædestinationem Dei non officere libero arbitrio.

Unica causa prædestinationis est misericordia Dei.

Post hæc longum discursum subjungit Grtianus, quo ostendit, quod nec prædestinatio ullam inferat voluntati humanæ necessitatem, unicamque rationem prædestinationis ad gloriam esse Dei misericordiam, quod probat ex Augustino libro de *Prædestinatione sanctorum cap.* 14. seu etiam Prospero in responsionibus ad Genuensium excerpta, ad *excerptum* 8. ubi de Tyriis & Sydoniis uterque scribit: „ quid aliud dicere possimus, quam non esse eis datum, ut crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, virtutum signa vidissent “? Cur hoc factum non sit, & quare apud non credentes signa facta sint, ad profunditatem judiciorum Dei referendum censet, *quod divina clementia in electis misericorditer vertit ad bonum; in damnandis juste relinquit ad malum.*

Prædestinationis certitudo non tollit utilitatem correptionis.

Deinde concludit, quod „ quamvis certissime sciamus, neminem ultra terminum a Deo sibi præfixum victurum, omnibus tamen languentibus non incongrue medemur, sic quamvis nemo salvetur, nisi prædestinatus ad vitam, omni tamen delinquenti est adhibenda correptio, nec malorum est negligenda disciplina “.

Mali quandoque ad aliorum terrorẽ puniendi sũt.

Dein Gratianus quasi priora resumens, probat auctoritate S. Augustini *Epistola ad Bonifacium* 185. non semper in eos qui peccant vindictam esse exercendam: licet præcipuus scopus hujus Epistolæ sit, ostendere quod ad bonum mali subinde juste per potestatem sæcularem cogantur, justasque fuisse leges Imperiales contra Donatistas promulgatas: merito integra Epistola evolvenda.

Idem ostendit Augustinus Epist. 89. ad Festum, cujus fragmentum extat Canone 25.

Ex his concludit Gratianus parte 4. subjecta Canoni 25. „ quod aliquando delinquentium multitudo diu per patientiam ad pœnitentiam sit expectanda, aliquando in paucis sit punienda, ut eorum exemplo cæteri terreantur, & ad pœnitentiam provocentur: prolata hanc in rem Canone 26. auctoritate S. Ambrosii.

Episcopus non potest quemquam ob injuriã sibi illatam excommunicare.

Notat quoque Gratianus, Episcopum non posse aliquem excommunicare ob injuriam sibi illatam: idque probat Canone 27. auctoritate S. Gregorii *lib.* 2. *Epistola* 34. ubi ait Gregorius, *pro vindictam propriæ injuriæ maledictionem anathematis invehere sacris regulis prohiberi.* Merito integer textus legitur.

Objectio ex facto Eliæ solvitur.

Huic autem objici potest (ait Gratianus ad calcem Canonis 29.) illud Ambrosii „ *ad preces Heliæ descendit ignis de cælo*, ut Prophetæ vindicaretur injuria: respondet Gratianus: quo facto, non cujus meriti apud Deum esset, voluit ostendere, sed quod ille esset verus Deus, quem colebat, non ille, ad cujus culturam stupro proprii corporis Jezabel nonnullus provocabat, evidentissimis indiciis monstrare curavit: injuria ergo Prophetæ non alia, quam injuria Domini ipsius intelligitur: quæ in paucis vendicanda est, ut cæteri terreantur “.

Solvitur etiam objectio desumpta ex Epistola supposititia Silverii Papæ.

Post hæc adducit Canone 30. fragmentum Epistolæ Silverii Papæ ad Amatorem, cui hæc epigraphe præfixa est: *Apostolicus anathematizavit eos, qui eum ceperant, vel qui deinceps Episcoporum aliquem cœperint.*

Hanc Epistolam ut plane commentitiam rejiciunt hodie passim eruditi, & inter cæteros Labbæus in ultima Conciliorum generalium collectione *tom.* 5. *col.* 292.

At Gratianus, qui nec dubitabat de sinceritate hujus Epistolæ, sub nomine Silverii Papæ citatæ, credidit hinc saltem in speciem posse concludi, Episcopo licitum esse, *injuriam sibi illatam per censuras vindicare*, & ideo respondet, quod & hic Silverius *non suam*, sed *Ecclesiæ* injuriam sit ultus, unaque ostendit exemplo Moysis & aliorum, quod peccatum populi in paucis subinde ulcisci oporteat.

Peccata multitudinis deflenda potius quam punienda.

Auctoritate S. Augustini ostendit Canone 32. „ quod a multitudine peccatur, vel ab eo, qui multitudinem habet sociam, ab Ecclesia non punitur, sed defletur: nam (ait) consilia separationis plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos “: merito legendus integer Augustini contextus *lib.* 3. *contra Epist. Parmeniani cap.* 3.

Sic peccantibus est misericordia impendenda, ut eis peccandi impunitas non tribuatur.

Cum itaque multa dixisset Gratianus de non vindicandis injuriis, & diligendis etiam inimicis, & ab altera parte de puniendis malis, tandem ad calcem Canonis 32. ut hæc omnia conciliet exponatque, ait: „ Præcepta Evangelica de dilectione inimicorum, & misericordia impendenda proximis, exhortationes quoque Apostoli de cibandis & potandis inimicis, non catenus intelligenda sunt, ut peccandi relaxetur impunitas, sed ut delinquenti correctio, & naturæ ministretur subsidium, donec per sententiam judicis, adepta spe correctionis, malorum tollatur exercitium. In hoc ergo jubemur diligere inimicos & misereri eorum, ut de eorum perditione doleamus, eorum salutem desideremus, & per eorum correctione quotidie laboremus, & oremus, pœnitentibus solatia impendamus, alter alterius onera portantes, non ut pertinaces & in malo persistentes impunitate donemus. “

Hac occasione adducit nonnulla Patrum testimonia, quibus probatur, ita impendendam misericordiam, ne tribuatur peccandi impunitas; ac inter alia *Canone* 35. fragmentum sub nomine Augustini, quo quidem nonnulla ex variis scriptis Augustini excerpta continentur, sed integrum est apud Bedam in commentario Epistolæ ad Galatas *cap.* 6. ut monent Correctores Romani.

Hic docemur, homini esse miserendum, peccatori irascendum: „ nulli homini (ait) claudenda misericordia, nulli peccatori impunitas relaxanda “.

Ecclesia utiliter implorat leges Principum contra pertinaciã hæreticorum.

Subjungit dein *parte* 7. quomodo Ecclesia rationabiliter persequi possit hæreticos: idque confirmat pluribus Canonibus ex scriptis S. Augustini desumptis, quibus contra Donatistas ostendit, non inutiliter leges Imperiales ab Ecclesia contra pertinaciam hæreticorum implorari & impendi: easque non sine fructu, multorumque Donatistarum conversione adversus Donatistas impensas significat Epistola 93. ad Vincentium, e qua sumptus est Canon 37. & 41. merito integra legenda est.

Mala punienda non amore vindictæ, sed zelo justitiæ.

Denique ostendit *part.* 8. quod mala impunita relinquere nonnunquam provocet iram Dei: quod consequenter mala non tantum licite puniri queant, sed & debant: ac tandem ad finem hujus quæstionis ita concludit: „ Ex his omnibus colligitur, quod vindicta est inferenda, non amore ipsius vindictæ, sed zelo justitiæ, non ut odium exerceatur; sed ut pravitas corrigatur “.

Quæstio V

Quæstione quinta quærit Gratianus: „ an sit peccatum judici vel ministro reos occidere “. Hanc quæstionem in septem partes dividit.

Varia adducit Gratianus, quibus videtur probari non esse licitũ reos occidere.

Prima parte adducit, septem primis Canonibus, nonnullas auctoritates; idque præcipue ex S. Augustino desumptas, quibus probari videtur, malos non esse interficiendos, sed alia mitiore pœna castigandos.

In primis *Canone* 2. adducitur fragmentum ex Epistola Augustini 133. ad Marcellinum.

Pro intellectu autem hujus Epistolæ, & Canonis, notandum occasionem scribendi hanc Epistolam fuisse: Donatistas post collationem Cartaginensem contumaces plecti voluerat Honorius Imperator, sanciveratque in eos legem 30. Januarii 412. quæ extat *in L.* 52. *Cod. Theod. de hæreticis.* Porro hujus legis promulgatione (quam a Catholicis procuratam Donatistæ supponebant) in furorem ipsi acti, crudelius in Catholicos insurgere cœperunt.

Augustinus rogat Marcellinum, ut Donatistæ non occidantur, sed mitiori pœna puniantur.

Cum autem intellexit Augustinus, eorum quosdam judicibus exhibitos, simulque de homicidio in *Restitutum Presbyterum* patrato, deque Innocentii alterius Catholici Presbyteri cæde, de oculo ipsius effosso, digitoque absciso, esse convictos, scripsit ad Marcellinum Tribunum præsentem Epistolam, enixe eum rogans, ne iis mortis pœnam infligeret.

Dicit quod potuisset quidem *ab eorum interitu dissimulare*,

nu..ave, qui non accusantibus Catholicis, sed illorum notoria, ad quos tuendæ publicæ pacis vigilantia pertinebat, præsentati videantur examini, nolumus tamen (ait) passiones servorum Dei, quasi vice talionis paribus suppliciis vindicari, non quo sceleftis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri: sed hoc magis sufficere volumus, ut vivi, & nulla corporis parte truncati, vel ab inquietudine insana ad sanitatis otium legum coercitione dirigantur, vel a malignis operibus alicui utili operi deputentur.

Merito legenda integra Epistola, quæ ostendit, quanta charitate & mansuetudine Augustinus in Donatistas, licet in Catholicos feroces, & adversus veritatem contumaces, ferretur; nec aliud quam eorum intenderet salutem & correctionem.

Circumcelliones qui?

In hoc autem Canone fit mentio Circumcellionum, qui erant inter Donatistas velut satellites, & qui per nundinas, villas, vicosque, & *Circumcellas* (unde eis nomen *Circumcelliorum*) vagantes, armis instructi, intentatum nihil relinquebant, nihil non audebant, & in Catholicos præ reliquis sæviebant & grassabantur.

Hinc Clericorum Hipponensium ad Januarium Episcopum Donatistam querela: *Circumcelliones vestri novi generis & inauditæ crudelitatis persecutione in nos sæviunt*. *Epist.* 88. inter Epistolas Augustini.

Recte hic monent Correctores Romani pro *notoriis*, in Epistola Augustini legi *notoria*, ut supra exhibuit: *notoria* hic autem accipi apparet pro brevi & compendiaria scriptione: occurrit & ejus mentio in *L.* 6. *ff. ad Senatusconf. Turpilianum*, cujus ibidem notam consule.

Deprecatur iterum Augustinus, ne Donatistæ morte plectantur.

Adjungit Gratianus *Canone* 2. fragmentum *Epistolæ* 139. S. Augustini ad eumdem Marcellinum, eadem occasione, eumdemque in finem paulo post præcedentem date. *Pœna sane illorum*, ait, *quamvis in tantis sceleribus confessorum, rogo te, ut præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter Catholicam mansuetudinem commendandam: ipse enim fructus ad nos pervenit confessionis illorum: quia invenit Catholica Ecclesia, ubi suam erga* atrocissimos *inimicos servet, atque exhibeat lenitatem*.

Ad idem tendit ejusdem Augustini *Epist.* 100. Donato Proconsuli Africæ, cujus fragmentum extat *Can.* 3. in qua enixe rursus rogat, ne pro atrocitate criminum in Catholicos perpetratorum Donatistas puniat: *Neque enim*, ait, *vindictam de inimicis in hac terra requirimus, aut vero ad eas angustias animi non debent coarctare, quæ patimur, ut obliviscamur quid nobis præceperit, pro cujus veritate ac nomine patimur*. Hæc in Epistola a Gratiano cum nonnullis aliis omissa sunt: unde integra legenda.

Olim Episcopi intercedebāt pro reis, ut eos ad pœnitentiā perducerēt.

Ætate Augustini moris erat, ut Episcopi pro eis criminum apud judices sæculares intercederent, quo eos a mortis supplicio liberatos pœnitentiæ subjicerent, & ad sinceram vitæ emendationem perducerent: illudque officii sui esse credebant Episcopi, uti ad Augustinum scribebat Macedonius, petens utrum illud ex *religione descendat*. „Officium Sacerdotii vestri esse dicitis, inquit, intervenire pro reis, & nisi obtineatis, offendi, quasi quod erat *officii vestri* minime reportetis. Hic ergo vehementer ambigo, utrum istud ex religione descendat“?

Nequaquā ut eos a punitione eximerent.

Huic dubio respondet Augustinus *Epist.* 153. ad ipsum Macedonium, in qua multis propugnat hunc interveniendi usum *ex religione descendere*, neque ullatenus repugnare auctoritati, quam Deus potestatibus sublimioribus dedit, malos puniendi, & crimina vindicandi, etiam mortis supplicio. Hujus Epistolæ fragmentum extat *Can.* 4. at integra Epistola legenda, e qua plene cognoscetur, intercessionum illarum scopum fuisse, ut reus a morte corporali ad tempus liberatus, securus ad beatam mortem, & ad vitam æternam transire posset. *Ita formidetur ultio cognitoris*, ait, *ut nec intercessoris religio contemnatur, quia & plectendo & ignoscendo hoc solum bene agitur, ut vita hominum* corrigatur. Qui plura voluerit adeat Dissertationem Canonica *de Intercessione sive interventione Episcoporum pro reis, &c. c.* 1. *n.* 3. quæ inferius extat *Tom. IX.* hujus editionis.

Falsū consequens ex dicti Augustini male deductum.

Ad calcem Canonis 7. (qui est incertæ fidei, uti & Canon 5.) concludens Gratianus ait: „Hinc apparet, quod mali flagellis sint coercendi, non membrorum truncatione, vel temporali morte plectendi“.

Verum id nullatenus locis relatis voluit Augustinus, sed duntaxat mansuetudinem Ecclesiæ erga reos criminum ostendit.

Præcepto, non occides, non prohibetur, occasio facta auctoritate publica, sed duntaxat privata.

Illud verius est, quod ad finem conclusionis dicit Gratianus, quod illo præcepto, *non occides*, „prohibeatur quisque sua auctoritate in necem alicujus armari, non legis Imperio reos morti tradere. Qui enim publica potestate functus, ipsius legis Imperio malos perimit, nec illius præcepti trangressor, nec a cælesti patria alienus habetur“.

Sententia Augustini & Ambrosii est, nequidem ad vitam servandam licitum esse hominē occidere.

Hanc in rem profert Gratianus fragmentum *Epistolæ* 47. S. Augustini ad Publicolam, in qua scribit: *De occidendis hominibus ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit personæ*.

Hic aperte supponit Augustinus, licite occidi hominem a milite, scilicet in bello justo, & ab illo, qui publica functione tenetur.

Præterea sat aperte indicare videtur Augustinus, de occidendis hominibus non sibi placere consilium, dum quis pro se, hoc est, pro re privata, id facit. Sensum suum clarius exposuerat *lib.* 1. *de libero arbitrio cap.* 5. ubi *n.* 13. comprobavit sententiam Evodii, eos videlicet apud divinam providentiam haudquaquam a peccato esse liberos, qui pro eis rebus, quas contemni oportet, humana *cæde* polluti sunt. Dixerat ante Augustinum ejus magister S. Ambrosius *lib.* 5. *de officiis cap.* 4. non videtur „quod vir Christianus & justus & sapiens quærere sibi *vitam* aliena morte debeat: ut qui etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non possit: ne dum salutem defendit, pietatem contaminet“. Quam procul hi Patres erant a nefariis illis quorumdam Casuistarum opinionibus, qui ob defensionem honoris, aut bonorum temporalium, etiam sat exiguæ quantitatis, hominem interficere, licitum dicere non exhorruerunt.

Quāto minus id licitum est pro defensione honoris bonorū tēporalium, &c.

Nemini fas est seipsum occidere.

Parte tertia hujus quæstionis multis probat Gratianus, nemini fas esse seipsum occidere: merito hanc in rem legendum prolixum fragmentum relatum hic *Canone* 9. ex S. Augustino.

Suicidæ privantur sepultura Ecclesiastica.

Addit Gratianus ex Concilio Bracarensi *Can.* 12. „Placuit ut qui sibi ipsis voluntarie quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat: neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur“.

Potestatis publicæ utilitas.

Parte quarta adducit nonnulla, præsertim ex supra citata Epistola S. Augustini ad Macedonium, quibus probet, recte institutam regiam potestatem ad puniendos malos, atque per hanc potestatem nonnunquam terrorem exequendum, quod Prælati Ecclesiæ per disciplinam Ecclesiasticam perficere non valent. Principes *sæculi* (ait *Can.* 20. ex S. Isidoro) *nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi, ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem*.

Potestatibus sæcularibus reverentia exhiberda est.

Quinta parte dicit: „Ipsis Principibus & Potestatibus fidem & reverentiam servari oportere, quam qui non exhibuerit, apud Deum præmia invenire non poterit“.

Sed id non probant relata a Gratiano.

Etsi hoc Gratiani assertum verissimum sit, auctoritates tamen, quas ad id *Can.* 24. & 25. adfert, hoc nequaquam probare legenti facile patescet, si advertat, priore Canone tantum agi de obedientia, quam servi debent Dominis suis carnalibus: posteriore vero de hac a subditis exhibenda potestatibus sublimioribus obedientia non agatur, sed de mercede militantibus debita.

a Sæculares Potestates debent [illegible] Ecclesias, protegere pupi[illegible] viduas &c.

Interim sicut reverentia debetur potestatibus ita „sæcularium dignitatum administratoribus defendarum Ecclesiarum necessitas incumbit. Quod si facere contempserint, a communione sunt repellendi“: uti concludit Gratianus parte sexta.

Profert in hujus probationem *Can.* 26. Decretum sub nomine Joannis VIII. sed quo loco extet non significat, est autem Canon 13. Concilii Ravennatensis anno 877. Joanne VIII. præside celebrati.

In Decreto asseritur, administratores sæcularium dignitatum ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum, ac viduarum protectionem esse debere.

Ulterius horum officium esse, ut *eorum querimonias attentius audiant, & secundum quod necessitas expetierit, absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant, quoties ab Episcopis & Ecclesiasticis viris conventi fuerint*.

Denique additur: *quod si Dei timorem præ oculis non habentes, negligere post secundam & tertiam admonitionem inventi fuerint, omni se noverint communione usque ad condignam satisfactionem privatos*.

Non tamen potest judex Ecclesiasticus eo prætextu, quod Laici judicis officio suo desint, de causa judicare.

Ex hoc similibusque fragmentis perperam creditum fuit a nonnullis Canonistis Ecclesiastico judici fas esse præcipere judici sæculari administrare justitiam, & in casum denegatæ justitiæ, posse judices Ecclesiasticos de causa judicare: quin & hic notat glossographus, videri „quod ipso jure sit excommunicatus Princeps, qui non facit justitiam Clerico“.

Cæterum insulsa hæc asserta, tamquam & Canonum auctoritati, ipsique rectæ rationi contraria, a foro recesserunt, uti exposuimus in *Jure Eccles. Tom. IV. p.* 3. *tit.* 1. *cap.* 1. *& seqq.*

Non potest judex dici crudelis, quod malos puniat.

Parte septima, quæ incipit a Canone 27. multis probat Gratianus, recte a judice malos puniri, nec punientem judicem posse jure crudelem dici: *Sed crudelis ideo vocatur, quod crudelis patientibus esse videatur. Nam latro suspensus patibulo, crudelem judicem putat*: uti ex S. Hieronymo legitur *Can.* 28.

Profert *Can.* 33. fragmentum ex *lib.* 2. S. Augustini *cap.* 83. & 84. *contra litteras Petiliani*, quo refutatur querimonia Donatistarum de legibus Imperialibus adversus ipsos promulgatis, agnoscitque Augustinus, *ad fidem quidem nullum esse cogendum invitum, sed per severitatem, immo & per misericordiam Dei, tribulationem flagellis solet*, ait, *perfidia castigari: numquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur?* Dein mo-

per Donatiſtas, ut, dum adverſus ipſos leges eduntur, cogitent, quare illa patiantur: *Si propter juſtitiam, revera illi perſecutores veſtri ſunt*, ait, *vos autem beati, qui perſecutionem paſſi propter juſtitiam poſſidebitis regnum cælorum. Si autem propter iniquitatem ſchiſmatis veſtri, quid illi, niſi correctores veſtri ſunt?* Idem ex eodem Doctore aſſeritur *Canone* 34. *&* 35.

[illegible] miſericors, [illegible] vitiis parcat.

Poſt hæc *Can.* 36. 37. *&* 38. ex S. Auguſtino probat, quod non ſic dicendus miſericors, qui vitiis parcit, officiumque judicis eſſe crimina punire.

[illegible] ſchiſmati[illegible] poteſtas ſæcu[illegible] coercendi.

Probat dein, quod merito adverſus ſceleratos, ac notanter ſchiſma in Eccleſia foventes, poteſtas ſæcularis impendatur, eamque in rem *Can.* 42. 43. 44. *&* 45. profert aliquot Epiſtolas Pelagii I. ſcriptas circa annum 556. Narſæ Patricio, quibus ipſum exhortatur, ut ſchiſmaticos coerceat; multiſque oſtendere conatur, ſchiſmaticos ſive ab unitate Eccleſiæ diviſos, per ſæculares poteſtates coercendos.

Pro horum intellectu notandum, has omnes litteras pertinere ad reprimendum ſchiſma pernicioſiſſimum, quod occaſione *trium Capitulorum* exortum fuit, dum damnatio dictorum Capitulorum per *quintam* Synodum facta fuit.

[illegible] ſchiſ[illegible] quod [illegible] occaſione condemnationis trium Capitulorum exortum fuit.

Cum autem Pelagius anno 555. Pontifex factus, quintam Synodum probaſſet, major inde ſciſſura Occidentalium Epiſcoporum contigit: qui exhorrebant hanc Synodum, eo quod eam repugnare Synodo Chalcedonenſi „ exiſtimabant, ut nec potuerit Pelagius „ (inquit Baronius ad annum 556.) reperire Epiſco„ pos Romæ, a quibus conſecraretur, atque opus fue„ rit Presbyterum Oſtienſem (quod nunquam antea „ accidiſſet) loco Epiſcopi munus illud obire; ipſo Pe„ lagio ita jubente ".

Hæc minime præviderat Pelagius, ſenſitque difficile admodum ſibi futurum, Occidentales Orientalibus conciliare, eoſque inducere, ut quintam Synodum reciperent: „ Haud tamen a cœptis deſtitit, ſed perarduum „ opus ſemel aggreſſus, ait Baronius, illud perficere „ manibus (ut ajunt) pedibuſque conatus nervos om„ nes intendit, ut Occidentales Epiſcopos, potiſſi„ mum vero *Italos* ſibi in his obſequentes redderet. „ Verum omnes „ ferme reperit renitentes, tum ve„ ro præ cæteris refractarios illos invenit, qui in ea „ Italiæ erant regione, quæ hactenus Francis ſubdita „ fuit, nempe *Venetos*, *Iſtrios*, *Ligures*, quos ad Ca„ tholicam unitatem reducere feſtinans, eoſdem Apo„ ſtolicis litteris vocavit, & provocavit aliorum ex„ emplis. At cum penitus reſilirent, per Narſetem „ eos compeſcere atque coercere putavit. Narſes ve„ ro, quod pius admodum eſſet, vetitus eſt adverſus „ Epiſcopos aliquid agere, cum ad eum ita trepidan„ tem Pelagius hæc tunc ſcripſit ".

Itaque omnia, quæ in citatis Canonibus ex Epiſtolis Pelagii Papæ adducuntur, diriguntur adverſus defenſores trium Capitulorum, qui ob quæſtionem meri facti ab Eccleſiæ unitate ſeſe ſeparabant, & quintam Synodum hæc capitula damnantem recipere nolebant.

Hæc enim erat ſola quæſtio, utrum ſcripta Theodoreti, Theodori Mopſueſteni, & notanter Ibæ Epiſtola revera continerent errores, quos quidam illis contineri contendebant: porro Synodus Chalcedonenſis, etiam ipſam Ibæ Epiſtolam non obſcure ab errore declaraverat immunem, idque modicus tenebant Epiſcopi Occidentales, & præcipue Epiſcopi Iſtriæ. Cum vero quinta Synodus hæc tria capitula, ac notanter ipſam Epiſtolam Ibæ ut erroribus infectam damnaſſet, hanc Synodum quintam ut legitimam & œcumenicam admittere noluerunt, utpote quam ſuſtinebant in hoc contrariam Synodo Chalcedonenſi; immo tandem ſe a communione eorum, qui Synodum V. ut legitimam recipiebant, & ſic juxta illos videbantur rejicere Synodum Chalcedonenſem, ſubtraxerunt. Hi ſunt adverſus quos litteræ Pelagii primi ad Narſetem Patricium dirigitur, & quos tamquam ſchiſmaticos exagitat, & per Narſetem Patricium ad Eccleſiæ unitatem reduci poſtulabat. Porro Pelagius, ut hos Epiſcopos ad unitatem Eccleſiæ reduceret, totus in eo eſt, quod tametſi ſupponeretur, Synodum Chalcedonenſem hæc tria capitula ac notanter Epiſtolam Ibæ, eorumque auctores orthodoxos declaraſſe, nihil tamen quinta Synodus ea reprobando egiſſet contra definitionem fidei aut dogmatum in Concilio Chalcedonenſi definitorum, ſed duntaxat revidiſſet acta Concilii Chalcedonenſis in cauſa illorum Epiſcoporum, eorumque ſcriptorum, de quibus quæſtio, in quibus nullatenus de fide agebatur: unde & ipſe Pelagius expreſſe proteſtatur in Epiſtola Viatori & Pancratio inſcripta, *ſi enim etiam ipſi* (ſcilicet ſchiſmatici) *licet in ſuo ſenſu abundantes intra materna tamen poſiti viſcera, quærerent veritatem, a nobis repellendi non erant; donec apud eos ratione duce rei veritas claruiſſet: Tom.* 5. *Concil. General. col.* 806. edit. Labb.

Quod & ipſi Pontifices Pelagius I. & II. necnon S. Gregorius agnoverunt.

Idipſum urget Pelagius II. hujus immediatus ſucceſſor, & pluribus adſtruit, præcipue in Epiſtola tertia ad Epiſcopos Iſtriæ, in qua ſcribit inter alia *tom.* 5. *Conc. Gener. col.* 631. „ Cum vero & ſubjicitur: *Quid„ quid enim præter ſpeciales cauſas Synodalium Conci„ liorum ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam „ dijudicandi habere rationem:* aperte nobis licentia „ tribuitur ut quidquid illic extra fidei cauſas de per„ ſonis geſtum eſt, retractetur. Specialis quippe Syno„ dalium Conciliorum cauſa eſt fides. Quidquid ergo „ præter fidem agitur, Leone docente, oſtenditur, quia „ nihil obſtat, ſi ad judicium revocetur ". Et ſpeciatim de Epiſtola Ibæ, quæ præ aliis duobus notabiliorem difficultatem fecerat, ait: „ quamvis quia approbata „ ſit, aut difficulter, aut nullatenus demonſtretur, li„ center tamen uniſquiſque eam reprehenderet, etiamſi „ Epiſcopis in eodem Concilio reſidentes ſuis illam ſub„ ſcriptionibus approbaſſent; quia poſtquam, beato „ Leone ſcribente, jus retractandi & dijudicandi con„ ceditur, etiamſi qua eſſe poterat eorum, qui inter„ fuerant, in privatis negotiis auctoritas, vacuatur ".

Ex his proinde evidens eſt, Pelagium ſuſtinuiſſe, quod, licet hæ duæ Synodi eſſent ſibi contrariæ, hæc contrarietas niſi fidei per Synodum Chalcedonenſem expoſitæ detraheret; idque & S. Gregorius Pelagii II. ſucceſſor contra eos Epiſcopos Iſtriæ ſchiſmaticos acriter urſit, illis libertatem circa hanc quæſtionem meri facti relinquens, dummodo ſchiſma non facerent.

An interfectores excommunicatorum ſint rei homicidii?

Profert & Gratianus *Can.* 47. fragmentum Epiſtolæ ſub nomine Urbani II. *Godefredo Lucano Epiſcopo*, quo ſcribit interfectoribus excommunicatorum modum congruæ ſatisfactionis injungendum, *qua divinæ ſimplicitatis oculos adverſus ſe complacare valeant, ſi forte quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio incurrerint: non enim*, ait, *eos homicidas arbitramur quos adverſus excommunicatos zelo Catholicæ matris ardentes, aliquos eorum trucidaſſe contigerit.*

Petrus de Marca Canonem intelligit de ſolis excommunicatis ob violatas treugas.

Credit Petrus de Marca *lib.* 4. *de Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 14. *num.* 3. hoc Decretum intelligi de ſolis excommunicatis ob violatas inducias ſeu treugas, quæ ſæculo X. & XI. adverſus privata bella tunc uſitata fieri ſolebant.

Credit præterea de Marca, hac interpretatione, levari poſſe invidiam, quæ ob textum hunc male intellectum creari ſolet adverſus ſummos Pontifices.

At illa explicatio, neque contextui Canonis, neque menti Gratiani videtur congruere.

Utrum reſtrictio hæc contextui congruat, & an Decretum hoc revera ſit Urbani II. neſcio. In primis hactenus inter Epiſtolas iſtius Pontificis hanc non reperi: extat tamen præſens fragmentum apud Ivonem *p.* 10. *c.* 54. ſed paulo aliter, quam apud Gratianum. Circa reſtrictionem per de Marca factam, nulla in Canone, nec ejus veſtigium occurrit; ſed nec Gratianus hunc Canonem cum illa reſtrictione intellexiſſe videtur, ut innuit concluſio ejus ſubjecta *Can.* 48. nam ibi recolligens eos, qui occidendo non contraveniunt præcepto, *non occides*, inter alia dicit: „ Si illi, qui zelo „ Catholicæ matris accenſi excommunicatos interfi„ ciunt, homicidæ non judicantur, patet quod malos „ non ſolum flagellari, ſed etiam interfici licet ".

Quidquid ſit de auctore hujus Decreti, certum nihilominus eſt, hoc Decretum ita expreſſum, merito reputari ut admodum pernicioſum, & plane alienum a manſuetudine Chriſtiana, quam Chriſtus ſuis diſcipulis, ac præſertim Eccleſiæ miniſtris, tantopere commendavit.

Deus peccata punit quandoque per ſcientes, quandoque per neſcientes.

Quæſtionem abſolvens Gratianus, multis oſtendit ad calcem Canonis ultimi, quod Deus aliquando excitet populos aut principes ad puniendos homines.

Et quidem ſæpius per *neſcientes* ipſe Deus punit quos vult, eiſque utitur tamquam inſtrumentis, licet hoc neſciant. „ Tales autem in eo quod puniunt, ait, „ Deo ſervire dicuntur, in eo quod ignorantes ſe eſ„ ſe miniſtros iræ Dei, impia vanitate ſuperbiunt, „ mercedem ſuæ ſervitutis a Deo non niſi temporalem „ inveniunt, pœnam vero ſuæ ſuperbiæ non effugiunt ".

Interdum autem per *ſcientes* punit Deus, ſive Dei inſtinctu quidam aguntur ad puniendum peccata aliorum, uti populus Iſraeliticus excitatus fuit ad delendas gentes Amorrhæorum, &c. quando autem ita divino inſtinctu excitantur, tunc ſine culpa noxius ſanguis effunditur, ait ibidem Gratianus. Ejus integer diſcurſus utiliter legetur.

Quæſt. VI. Mali per Eccleſiam cogi poſſunt ad bonum.

Quæſtione ſexta oſtendit Gratianus, malos per Eccleſiam cogi poſſe ad bonum, idque potiſſimum auctoritate Sancti Auguſtini *Epiſtola* 185. ad Bonifacium, in qua Auguſtinus pluribus probat, nequaquam juſte queri Donatiſtas de legibus Imperialibus, quibus cogebantur ad unitatem Eccleſiæ redire, atque inter cætera reſpondet Donatiſtis ſchiſmaticis, qui *clamare conſueverant, liberum eſt credere, vel non credere: cui vim Chriſtus intulit? quem coegit?* reſpondet Auguſtinus: *Ecce habent Paulum Apoſtolum, agnoſcant in eo prius Chriſtum cogentem, & poſtea docentem; prius ferientem, & poſtea conſolantem.*

Mirum eſt autem (ait) *quomodo ille, qui pœna corporis ad Evangelium coactus intravit, plus illis omnibus, qui ſolo verbo vocati ſunt, in Evangelio laboravit, & quam major tunc compulit ad charitatem, ejus perfecta charitas foras miſit timorem.*

Hinc infert Auguſtinus, Eccleſiam etiam poſſe oves ſuas aberrantes cogendo revocare a ſchiſmate ad unitatem: Fatetur quidem *n.* 21. *melius eſſe ad Deum colendum doctrina homines duci, quam pœnæ timore vel dolore compelli. Sed non quia iſti meliores ſunt*, inquit, *ideo illi, qui tales non ſunt, negligendi ſunt: multis enim*

pro-

tales non sunt ; negligendi sunt : multis enim profuit (quod experimentis probavimus & probamus) prius timore vel dolore cogi, ne postea possent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari.

Deus variis modis errantes ducit ad fidem.

Can. 2. ex eodem Doctore ait , Deum variis modis corripiendo errantes docere ad fidem etiam *per potestatum temporalium leges*.

Sententia Augustini fuerat neminem posse cogi ad unitatem Christi, at postea eam mutavit.

Et *Can.* 3. refert fragmentum Epistolæ 93. Augustini ad Vincentium, in qua fatetur : *suam primitus fuisse sententiam, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum ; disputatione pugnandam , ratione vincendum , ne fictos Catholicos* (ait) *haberemus , quos apertos hæreticos noveramus: sed hæc mea opinio* (inquit) *non contradicentium verbis , sed demonstrantium superabatur exemplis.*

Ostendit dein ibidem Augustinus, quomodo multi ex Donatistis per legum severitatem paulatim ad unitatem Catholicam *veraciter & sincero* animo fuerint reducti , quod præcipue probat *c.* 1. *hujus Epistolæ*.

Hinc concludit in præsente Canone, *non esse considerandum quod quisque cogitur ; sed quale sit illud quo cogitur, utrum bonum an malum : non quod quisque bonus possit esse invitus, sed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animositatem , vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem , ut timens vel respuat falsum, de quo contendebat , vel quærat verum , quod nesciebat , & volens jam teneat , quod nolebat.*

Denique *Can.* 4. prolato fragmento *Epistola* 26. *l.* 3. S. Gregorii, in qua scribit Januario Episcopo Calaritano , Rusticum Paganum , si tantæ fuerit pertinaciæ & obstinationis inventus, *ut ad Dominum Deum venire minime consentiat , tanto pensionis onere gravandum esse , ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare .*

Notandum quod Rustici , de quibus in hac Epistola coloni essent seu servi Ecclesiæ Calaritanæ, in quo jure Dominico vindicabat Episcopus : non vero agitur generaliter de Diœcesanis , ita ut Episcopus instar proprietarii seu Domini , non vero tamquam Episcopus contra eos ageret, uti etiam constat ex integro contextu Epistolæ, quæ hodie est Epist. 26. lib. 4. concludit Gratianus ex his omnibus intelligi , *quod mali cogendi sint ad bonum .*

Contra jam dicta objicitur, quod inutiliter fiat id, ad quod quis cogitur.

Post hæc format objectionem " quod nemo sit cogendus ad id , ad quod inutiliter cogitur , ad bonum „ autem quisque inutiliter cogatur , cum Deus aspernetur coacta servitia . "

Ut autem hæc objectio magis stringat plura adfert testimonia e sacro textu , quibus probatur , opus , ut sit Deo gratum , debere esse *voluntarium , non coactum*. Deinde quod " etsi in veteri Testamento timore pœnæ „ homines cogebantur ad bonum , tamen in novo Te„ stamento sola libertate & dilectione justitiæ sint in„ vitandi ad fidem . "

Addit post hæc illud ex prima Epistola Joannis 1. *Epist. cap.* 4. *vers.* 18. *timor non est in charitate , sed perfecta charitas foras mittit timorem* : " qui autem „ cogitur (ait) timore illo ducitur , qui non est in „ charitate , qui manus comprimit; non animum mu„ tat , quo pœna timetur, non bonum diligitur. Por„ ro sine dilectione boni nullus Deo placere , vel in „ numero bonorum connumerari poterit ".

Respondetur præfatæ objectioni, scilicet id quod initio fiebat timore pœnæ, postea fieri amore justitiæ.

His autem respondet tandem Gratianus . " Si bonum „ ad quod mali coguntur , semper inviti tolerarent , „ & nunquam voluntarii servirent , inutiliter cogeren„ tur ad illud . Sed quia humanæ naturæ est , & ea „ quæ in desuetudinem ducuntur abhorrere , & con„ sueta magna custodia diligere , flagellis tribulationum „ mali sunt cohibendi a malo, & provocandi ad bo„ num : ut dum timore pœnæ malum in desuetudinem „ ducitur , abhorreatur : bonum vero ex consuetudine „ dulcescat . Unde Augustinus in *Ps.* 127. cum per ti„ morem gehennæ continet se homo a peccato , fit con„ suetudo justitiæ , & incipit quod durum erat amari : & „ incipit excludi timor a charitate, & succedit timor „ castus , de quo hic dicitur : quo timemus ; ne tardet „ sponsus , ne discedat, ne eo careamus ; ille utilis „ est , sed non permanet in æternum ut iste ",

Monent recte hic Correctores Romani , verba a Gratiano sub nomine Augustini , non esse per omnia Augustini , sed potius convenire cum glossa ordinaria : quoad sensum tamen conveniunt cum Augustino, cujus sunt verba in *Ps.* 127. *n.* 7. *Cum per timorem continent se a peccato , fit consuetudo justitiæ , & incipit quod durum erat amari , & dulcescit Deus : & jam incipit homo propterea juste vivere , non quia timet pœnas , sed quia amat æternitatem . Exclusus est ergo timor a charitate , sed successio timor castus .*

Quæst. VII. Hæretici possunt auctoritate legum juste suis & Ecclesiæ rebus spoliari.

Quæst. 7. ostendit Gratianus , quod hæretici suis & Ecclesiæ rebus juste spoliari possint, quodque Catholici eas auctoritate legum possidentes , nequaquam dicendi sint aliena possidere .

Probat hæc Gratianus auctoritate sancti Augustini *Can.* 1. 2. & 3. in quibus rebus refert nonnulla , quæ Augustinus scripsit contra Donatistas , clamantes quod Catholici imperrassent leges Imperiales adversus , ipsos, ex cupiditate res & Ecclesias ipsorum habendi & occupandi .

Cum de his quærerentur Donatistæ, sæpe ipsis respondit Augustinus.

Ipsis respondet Augustinus *Epistola* 93. ad Vincentium *nu.* 50. in primis ostendens , quod Donatistæ falso asserant , res & Ecclesias esse suas , postquam juste ipsis per leges Imperiales sunt ablatæ . Deinde addit : *sed tamen quisquis ex occasione hujus legis , quam Reges terræ Christo servientes , ad emendandam vestram impietatem promulgaverunt , res proprias vestras cupide appetit , displicet nobis* . Idipsum asserit de omni eo, qui ipsorum Basilicas , vel eorum pauperum res per avaritiam tenet .

Refellitur calumnia Donatistarum adversus Catholicos.

Idem probat Gratianus *Can.* 2. desumpto ex Augustino *l.* 2. *contra litteras Petiliani* , & *Can.* 3. *ex Epistola ejusdem* 185. ad Bonifacium , ubi multis probat Augustinus , calumniam esse Donatistarum , objicientium Catholicis, quod eos in suam communionem violento legem Imperio coarctari velint, ut res ipsorum auferrent : *utinam* (ait Augustinus) *Catholici fiant , & non solum quæ dicunt sua , sed etiam nostra in pace nobiscum & charitate possideant.*

Quin & ostendit , hæc inter se esse contraria , eos ad communionem compellere , & eorum res desiderare : *Quis avarus quærit compossessorem ? quis dominandi cupiditate inflammatus , vel fastu dominationis elatus desiderat habere consortem ?* ait Augustinus .

Provocat & ad Donatistas , qui ad Catholicam communionem redierunt , ut intelligant : *quemadmodum sua teneant , non solum quæ habebant , sed etiam* (ait) *nostra quæ non habebant .*

Concludit dein Augustinus , *quidquid ergo nomine Ecclesiarum partis Donati possidebatur , Christiani Imperatores legibus religiosis cum ipsis Ecclesiis ad Catholicam transire jusserunt .*

Alludit his Augustinus ad *L.* 52. *Cod. Theod. de hæreticis* promulgatam anno 412. quam exponit , prolatis testimoniis S. Augustini ex hac Epistola , Jacobus Gothofredus .

Latissime in citata Epistola ad Bonifacium ostendit August. id unice desiderare Catholicos , ut a schismate ad unitatem Ecclesiæ Donatistæ convertantur , & cum Catholicis unum hic corpus Christi constituant , ac una salutem æternam cum ipsis consequantur , uti patet ex fragmento ejusdem Epistolæ relato in *Can.* 4.

Quæstio VIII Etsi mali ad bonum cogi possint, nequaquam tamen Clerici in eum finem sua auctoritate arma arripera valent.

Cum hactenus probasset Gratianus malos per potestates sæculares posse cogi ad bonum , & hæreticos ad fidem , *quæstione octava* probat , quod „ Episcopi vel „ quilibet Clerici , nec sua auctoritate , nec auctoritate „ Romani Pontificis arma arripere valeant ".

In hujus asserti probationem reproducit in primis Gratianus dictum Christi ad Petrum , *converte gladium tuum in vaginam* : „ ac si aperte ei diceretur (ait) „ hactenus tibi tuisque prædecessoribus inimicos Dei „ gladio corporali licuit persequi : deinceps in exemplum „ patientiæ gladium tuum , id est , tibi hactenus conces„ sum , in vaginam converte : & tantum spiritualem „ gladium , *quod est verbum Dei* , in mactatione vete„ ris vitæ exerce . Omnis enim præter illum , vel au„ ctoritatem ejus , qui legitima potestate utitur ; qui „ (ut ait Apostolus) *non sine causa gladium portat* , „ cui etiam omnis anima subdita esse debet ; omnis , „ inquam , qui præter auctoritatem hujusmodi gladium „ acceperit , gladio peribit . Item Ambrosius , arma „ Episcopi lacrymæ sunt & orationes . Item illud Apo„ stoli : *nos vosmetipsos defendentes charissimi* , quam„ vis omnibus generaliter dicatur , specialiter tamen „ Prælatis dictum intelligitur ".

Arma clericorum sunt fletus, orationes , lacrymæ.

Adducit dein plures auctoritates , quibus interdicitur Clericis arma portare , atque inter alia *Can.* 3. hæc sub nomine Ambrosii : „ dolor , fletus , orationes , lacry„ mæ fuerunt mihi arma adversus milites . Talia enim „ munimenta sunt Sacerdotis ".

Possunt tamen clerici alios hortari, ut ad oppressorum defensionem arma arripiant.

Porro *parte* 2. subjecta *Canoni* 6. ostendit Gratianus: „ hæc intelligenda esse de Sacerdotibus propria manu „ arma arripientibus , sed alios ad arripiendum ad op„ pressorum defensionem , atque ad inimicorum Dei „ oppugnationem eis licere hortari ".

Probare id in primis nititur fragmentis Epistolarum Leonis IV. *Can.* 7. 8. & 9. sed has Epistolas non extare monent Correctores Romani , referentes quædam ad eamdem materiam pertinentia ex vetustis Pontificalibus : quæ , cujus sint auctoritatis , nescio . Ivo autem in Panormia *parte* 10. *Can.* 30. citat Canonem 9. sub nomine Nicolai Papæ .

Addit plura alia testimonia usque ad Canonem 18. quibus intendit probare , quod „ Sacerdotes etsi propria „ manu arma arripere non debeant , tamen vel his , „ quibus hujusmodi officia commissa sunt , persuadere, „ vel quibuslibet , ut ea arripiant , sua auctoritate va„ leant imperare ".

Videndæ autem sunt notæ Correctorum Romanorum, quibus indicantur variantes lectiones , & in quibus fragmenta a Gratiano relata a suis originalibus discrepent.

Refertur decretum Nicolai I. contra Episcopos militantes, quod videtur repugnare facto Leonis Papæ.

Post hæc per modum objectionis allegat *Can.* 19. partem Epistolæ Nicolai I. ad Ludovicum & Carolum Reges (de qua inscriptione videnda nota Correctorum Romanorum) in qua conqueritur, quod Episcopi , eorum jurisdictioni subjecti , ad Synodum non venerint , prætextu , quod cum fidelibus aliis contra piratas maritimos invigilarent , *cum militum Christi sit , Christo servire , & quid* (ait) *ad Episcopos & milites Christi, nisi ut vacent orationibus ?*

Et

Et *Can. 26.* refert *ex Epistola 1. lib. 7. S. Gregorii*, ubi scribit: *Si in morte Longobardorum me miscere voluissem; hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Ducem, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa: sed quia Deum timeo* (ait) *in morte cujuslibet hominis me miscere formido.*

Cum ergo Nicolaus improbet, Episcopos sæculari militia occupari, nec etiam contra maritimos piratas permittat eos ad pugnam accedere, videtur Gratiano, in speciem saltem contrariari Leoni Papæ, qui *adversus Saracenos urbem egreditur, & ut eos procul a litore arceat, populum undique convocat, & suarum injurias præsentialiter vindicat* (alludit ad Canonem 7.) *atque cum Gregorio milites ad arma invitat*. Ita Gratianus ad calcem Canonis 20.

Hæc conciliare nititur Gratianus.

Ut hæc conciliet, distinguit Gratianus Episcopos, in illos qui levitica tantum portione contenti, de solis decimis & primitiis vivunt, & illos qui his non contenti, & prædia & castella & civitates possident; ,, ex quibus (ait) Cæsari debent tributa, nisi Imperiali benignitate immunitatem ab hujusmodi promeruerint. Illis autem qui solis decimis & primitiis sunt contenti, nihil est (ait) commune cum principibus sæculi, quia temporalia penitus abjiciunt, ne occasione eorum legibus Imperatorum obnoxii teneantur ".

At ejus conciliatio congruens non apparet.

Neque pristinæ, neque hodiernæ disciplinæ hæc conciliandi ratio conveniens apparet: si tempora, loca, personas, aliasque circumstantias attendisset & hic Gratianus, non dubium, quin congruentiorem conciliandi rationem reperisset.

Circa immunitatem Ecclesiarum e clericorum quædam in speciem contraria allegat Gratianus.

Interim Gratianus *Can.* 21. profert aliqua fragmenta ex Epistola Ambrosii ad Marcellinam, & ex oratione contra Auxentium in unum congesta, (ut monent Correctores Romani) ut probet Ecclesias non esse subjectas Imperatoribus, & *Can.* 22. Decretum sub nomine Urbani Papæ, quo probetur Ecclesiam *de suis exterioribus solvere tributa*. Seb cujus Urbani, sint vel ubi habeatur, non scribit.

Attamen *parte quarta*, huic Canoni subjecta, contra hoc prætensum Urbani Decretum objicit, quod urgente fame in Ægypto suo Pharaone Sacerdotes liberi fuerint, *Domino ex tunc pronuntiante* (inquit) *Sacerdotes in omni gente liberos esse oportet*.

Hic subjungit Gratianus, quæ tum in legibus Imperatorum, tum in Conciliis præsertim *sæculo 9. & 10.* pro immunitate Clericorum indulta & sancita fuere; ac præ reliquis notandus Can. 25. ex Concilio Wormatiensi, quo sancitum est, *ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer* " absque ullo servitio attribuatur ": de quo vide notata in *Jure Ecclef. Tom. III. parte 2. sect. 4. tit. 4. cap. 1. n. 22.* & *cap. 2. num.* 1. *usque ad* 8.

Illa conciliare conatur, sed non conformiter ad canones.

Gratianus conciliationis causa notat ad calcem *Canonis 25.* quod " Ecclesia de his, quæ Imperiali beneficio, vel a quibuslibet pro beneficio sepulturæ possident, nullius juri, nisi Episcopi, teneatur adstricta: de his vero, quæ a quibuslibet emerit, vel vivorum donationibus acceperit, principibus consueta debet obsequia; ut & annua eis persolvat tributa, & convocato exercitu cum eis proficiscatur ad castra ". Conciliandi rursus similis ratio in Canonibus difficulter invenietur.

Juxta Gratianum Episcopi non possunt ad castra proficisci sine consensu Romani Pontificis.

Interim Gratianus pro limitatione ultimæ partis adducit hanc clausulam: *quod tamen hoc ipsum non sine consensu Romani Pontificis fieri debet*.

At in Canonibus quos citat in probationem illius clausulæ, fit tantum mentio Metropolitani.

In probationem hujus clausulæ limitativæ adducit fragmentum cujusdam Epistolæ sub nomine *Gelasii Papæ Elpidio Episcopo*. Item Canonem 11. Antiochenum, & octavum Sardicensem, in quibus tamen Canonibus nulla de Romani Pontificis, sed tantum de Metropolitani licentia ab Episcopis obtinenda decernitur, cum ad comitatum pergere volunt.

Concludit autem Gratianus ad calcem Can. 28. quod " Prælatis Ecclesiæ liceat ab Imperatoribus vel quibuslibet Ducibus defensionem fidelibus postulare, & etiam quoslibet ad sui defensionem contra adversarios sanctæ fidei viriliter adhortari: atque ad vim infidelium procul arcendam quosque excitare: effusionem vero sanguinis nulli Episcoporum sua vel Imperatorum auctoritate imperare licet ".

Prohibetur Sacerdotibus ne sint judices in causa sanguinis.

Pro tertio & finali membro suæ conclusionis, adducit Canone 29. Decretum Concilii Toletani IV. quo decernitur: " Sacerdotibus seu Episcopis, ne consentiant regibus fieri judices, nisi ubi jurejurando supplicii indulgentia promittitur; non ubi discriminis sententia præparatur; quia (*ait*) a Christo ad ministerium salutis electi sunt.

Sacerdos, qui Decreto contravenerit, declaratur, quod *sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum*.

Idque sub pœna depositionis, & perpetui carceris:

Affert & Canone 30. Decretum Concilii Toletani XI. quo statuitur, quod *his, a quibus Domini sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitur non liceat*.

Decernitur ulterius, quod si quis hæc præsumpserit, *aut quod morte plectendum est sententia propria judicare præsumat, aut truncationes quibuslibet personis per se inferat, aut inferendas præcipiat, concessi Ordinis honore privetur, & loco; sub perpetuo quoque damnationis teneatur ergastulo*.

Addit autem Concilium hanc moderationem: *cui tamen communio exeunti ex hac vita, non est neganda, propter Domini misericordiam, qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur & vivat*.

Subjicit dein *Can.* 31. pseudo-Decretum sub nomine Eutychiani Papæ, de quo vide supra notata.

Interim ex citatis Canonibus patet, quam enixe voluerint Patres, ab effusione sanguinis humani alienos esse Sacerdotes, de quo vide dicta in *Jure Ecclesiast. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 10. c. 4.* ubi de irregularitate ex defectu lenitatis profluente agitur.

Pœna incendiariorum.

Post hæc *parte sexta* agit Gratianus contra incendiarios, prolato Decreto Concilii Lateranensis sub Innocentio II. quo decernitur pœna excommunicationis contra incendiarios ex proposito, sive ex odio, & vindicta, & mortuis negatur Ecclesiastica sepultura, Statuitque *insuper, ut non absolvatur, nisi prius damno, cui intulit, secundum facultatem suam, resarcito, juret se ulterius ignem non appositurum. Pœnitentia autem ei detur, ut Hierosolymis, aut in Hispania in servitio Dei per annum integrum permaneat*.

Quale fuerit iter Hispanicum, ipsis loco pœnitentiæ impositum.

Recte hic notat Stephanus Baluzius, quod Hispanicum illud iter non esset simplex peregrinatio religionis ergo, sed ad pugnandum adversus Saracenos, qui tum Hispaniæ incubabant; adversus quos propterea institutum erat bellum sacrum, quod innuitur his verbis Canonis: *in servitio Dei*. Legitur in fine Canonis: *sane Regibus & Principibus faciendæ justitiæ facultatem, consultis Episcopis & Archiepiscopis non negamus*. Hæc clausula restringere videtur auctoritatem supremorum Principum, &c. notandum autem has voces, *consultis Episcopis & Archiepiscopis*, omitti in Canone 15. Concilii Rhemensis anno 1148. præside Eugenio III. ubi iste Canon renovatur.

Qui dicendus homicida?

Additur *Canone* 33. sub nomine S. Augustini quidem, at ex variis fragmentis diversorum auctorum conflato (ut notant Correctores Romani) esse velut homicidam judicandum, qui sine publica aliqua administratione, quemcumque criminosum interfecerit aut truncaverit, vel membris debilitaverit, *& tanto acrius* (ait) *quanto non sibi a Deo concessam potestatem abusive usurpare non timuit*.

Quis ex pluribus concurrentibus dicendus sit homicidii reus?

Denique *parte septima* Gratianus agit de homicidio commisso pluribus concurrentibus & præsentibus, qui eorum homicidii reus censeatur: atque profert unicum Canonem sub nomine Concilii *apud Vermerias* juxta Pithæos habito *anno 752. in Gallia*, at in Concilio Vermeriensi eo anno celebrato, nec præsens Canon, nec quidquam ei simile reperitur, neque in ullo, quod extat, apud Vermerias habito Concilio, hoc Decretum hactenus reperiri.

CAUSA XXIV.

Casus in hac propositus.

Cum *causa vigesima tertia* tractasset Gratianus de hæreticis, *causa vigesima quarta* eamdem materiam prosequens casum hunc proponit. ,, Quidam Episcopus in hæresim lapsus, aliquot de Sacerdotibus suis officio privavit, & sententia excommunicationis notavit, post mortem de hæresi accusatus damnatur, & sequaces ejus cum omni familia sua ".

Quæstio I. Hæreticus alium excommunicare aut officio privare non potest.

Ex hoc casu elicit tres quæstiones, quarum prima quærit: ,, an lapsus in hæresim possit aliquos officio privare, atque sententia notare ".

Id non posse facile probatur, ait Gratianus, ,, Omnis enim hæreticus aut jam damnatam hæresim sequitur, aut novam confingit: qui vero hæresim jam damnatam sequitur, ejus damnationis se participem facit ".

Ultimam asserti sui partem probat Gratianus aliquot fragmentis desumptis ex litteris Gelasii Papæ, notanter *Epistola* 13. ad Episcopos Dardaniæ, quibus scribit Acacium Constantinopolitanum Episcopum hæreticis pertinaciter adhæsisse, & a Sede Apostolica recessisse, & consequenter nova condemnatione opus non esse, eo quod damnatæ hæresi adhærens, in damnationem jam factam ipso jure incidat, & ab Ecclesia hac sua adhæsione recedat. De quo schismate Acacii videri potest *differt.* 19. sæculi 5. Natalis Alexandri. Item Nicole vir doctissimus in præstantissimo tractatu *de unitate Ecclesiæ contra ministrum Jurium lib. 2. c.* 10.

Quod autem excommunicatus alium excommunicare non possit, probat ulterius Gratianus *Can.* 4. prolato testimonio Alexandri II. scribentis Valeriano Episcopo; sed hæc Epistola non extat, referturque hoc fragmentum a Labbæo *Tom. IX. Concil. col.* 1552. inter fragmenta Epistolarum, quarum auctoritas non aliunde probatur, nisi quod apud varios Collectores sub nomine hujus Pontificis prostent. Canoni vero subjungit Gratianus longum discursum, quo pluribus probare contendit, lapsis in hæresim, sive etiam schismaticis, non competere potestatem ligandi vel absolvendi; ,, quia hæc potestas veris non falsis Sacerdotibus a Domino tradita est; Apostolis enim dicturus, *quorum remiseritis peccata*, &c. præmisit: *accipite Spiritum* ,, *san-*

,, sanctum: ut evidenter cunctis ostenderet, eum qui ,, Spiritum sanctum non habet, peccata non posse re- ,, nere vel remittere; porro Spiritum sanctum nemo ,, nisi intra Ecclesiam accipit, quia & ipsam unitatem ,, per gratiam facit. "

Dicta Gratiani non de quibuscumque hæreticis aut excommunicatis intelligi possunt.

Hæc aliaque hic a Gratiano afferta, indubie intelligenda sunt de hæreticis, sive prolapsis in hæresim, qui auctoritate legitima ut tales publice declarati, & ab Ecclesia abscissi sunt: quin enim occulte in hæresim prolapsi, possint auctoritate ligandi & solvendi, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, ac ei externe manent uniti, valide uti sua potestate nemo dubitaverit.

Ut autem probet Gratianus, hæreticos ligandi vel solvendi auctoritatem non habere, plurimas adducit auctoritates, nonnullas apocryphas, & nonnullas alienas a materia seu quæstione, quam tractandam susceperat.

Quandonam judicium Romani Pontificis censeri debet judicium Petri?

In primis *Can.* 5. profert vulgatissimam, multorumque annotationibus vexatam S. Leonis sententiam ex ejus *serm.* 3. in anniversario suæ assumptionis: *Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium, nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut solverit aut ligaverit.*

Ex hoc loco jam pridem statuerunt Hincmarus Rhemensis, aliique Episcopi Gallicani, ea judicia, quæ Canonica æquitate non nituntur, nullius esse momenti: utpote quæ privilegio Petri destituta essent, cujus privilegii perpetuo debet esse indivulsa comes beati Petri sinceritas & æquitas, uti notat Petrus de Marca *lib.* 4. *de Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 6. & 8. ubi & plura in eam rem adducit, quibus jungatur nota Paschasii Quenelli citato sermoni Leonis subjecta.

Ecclesiæ datæ sunt claves in persona Petri.

Et ne ex verbis Leonis concluderetur, soli Petro a Christo datam esse ligandi & solvendi potestatem, subjungit Gratianus *Can.* 6. verba S. Augustini ex *tract.* 50. *in Joannem n.* 12. quibus docet, claves a Christo datas *non soli Petro*, sed *Ecclesiæ in persona Petri: quia Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* Hoc pluribus locis inculcat Augustinus.

Gratianus probat Ecclesiam Romanam a fide non deviasse, sed præcipue ex apocryphis.

Canones dein profert, quibus probet, in causis fidei recurrendum esse ad Romanam Ecclesiam, atque hanc ab omni hæresi hactenus fuisse immunem.

At Canones illos, e quibus id præcipue evincere conatur Gratianus, nimirum 9. 10. 11. 13. 14. & 15. ex Epistolis apocryphis deprompsit, ut facile intelligi poterit, si fontes, quos referunt, conferantur cum illis, quæ circa supposititias pseudo-Isidori merces sæpius annotavimus.

De unitate Ecclesiæ ex Cypriano.

Post hæc incipit Gratianus probare unitatem Ecclesiæ, producit *Can.* 18. & 19. verba S. Cypriani *ex tractatu de unitate Ecclesiæ Catholicæ.*

Quædam omittuntur a Gratiano, quæ habentur apud Cyprianum.

Monent Correctores Romani in nota marginali ad initium *Can.* 18. omitti aliqua verba: scilicet post verba, *ædificabo Ecclesiam meam*, in Cypriano sequuntur reliqua sacri textus verba: *Et portæ inferorum non vincent illam, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris super terram erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solveris super terram erunt soluta & in cœlis.*

Quin & in vulgatis editionibus & exemplaribus, etiam hæc sequuntur: *Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas.*

Verisimiliter textui Cypriani inserta fuerunt.

Apud Gratianum, omissis cæteris, sola hæc habentur: *Super unum ædificat Ecclesiam*: creditque vir eruditus Nicolaus Rigaltius, integram hanc periodum esse recentiori manu textui Cypriani adjectam, eamque minime convenire proposito S. Cypriani, qui unice in hoc tractatu intendit ostendere Ecclesiæ Catholicæ unitatem.

Fundamentum unitatis Ecclesiæ ex Cypriano.

Ut hanc unitatem demonstret Cyprianus notat: *quod quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuens Christus dicat*, sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum; *tamen ut unitatem monstraret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.*

Apud Cyprianum in vulgata editione post verba, *Sed exordium ab unitate proficiscitur*, sequitur, *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.*

Horum rursus nihil occurrit apud Gratianum præter hæc: *ut Ecclesia una monstretur.*

Necessitas conservandæ unitatis & fugiendi scismatis.

Hanc *Ecclesiæ unitatem* (ait Cyprianus) *tenere firmiter & vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus*; rationem addit: *Ut Episcopatum ipsum unum atque indivisum probemus . . . Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.*

Docet autem Cyprianus, esse quasi ramum aridum a trunco arboris resciffum, qui hanc *unitatem* scindit, & ab ea se separat, ut patet ex fragmento relato in Canone 19.

Multa dein profert Gratianus, quibus unitatem Ecclesiæ, atque necessitatem ejusdem retinendæ demonstret, necnon hæreticorum consortia esse vitanda: item gravitatem & malitiam schismatis, inter quæ sunt nonnulla apocrypha, puta *Can.* 25. ex Epistola Hieronymi ad Damasum, & *Can* 32. ex Epistola *Liberii Papæ ad Athanasium*, & plura mutilata, uti notant Correctores Romani.

An hæreticus item schismaticus consecrare & excommunicare possit.

Profert autem bina, eaque sat extensa fragmenta *Can.* 33. & 34. sub nomine Pelagii Papæ, quorum prius hanc profert epigraphen: *Non consecrat, nec consecratur in schismate constitutus Episcopus.*

Posteriori autem est hoc summarium præfixerunt *Unitati non communicat sibi malitia consentiens.*

Dein ex diversis litteris Nicolai I. Papæ adstruit, quod Episcopus fidei contraria docens alium excommunicare non possit: item non habeantur excommunicati, qui ab hæreticis excommunicantur. Sed si litteræ Nicolai legantur, ac attendatur textus Cœlestini Papæ, quo nititur Nicolaus, apparebit nihil hinc aliud erui posse, quam Cœlestinum Imperatori scripsisse, non habendos pro excommunicatis, quos Nestorius injuste excommunicaverat orthodoxos.

Non videtur Gratianus assecutus sensum Canonum, quos citat.

Quare nimis generaliter ex his auctoribus conclusisse videtur Gratianus ad calcem *Canonis* 37. " Quod ex ,, quo aliquis contra fidem cœperit aliquid docere, nec ,, dejicere quemquam valet, nec damnare. "

Excommunicati ab hæreticis ob crimina sua pœnitentes a Catholicis fuscipiendi (?) non debent.

Subjungit dein *Can.* 38. & 39. verba S. Augustini scribentis, quod sibi displiceat, aliquos in communionem a Catholicis suscipi, qui apud Donatistas ob *crimina* aliqua fuerunt excommunicati: scribitque *Epistola* 35. (cujus verba extant *Can.* 39.) *Ego, si domino placet, istum modum servo, ut quisquis apud eos* (*Donatistas*) *propter disciplinam degradatus, ad Catholicam transire voluerit, in humilitate pœnitentiæ recipiatur, quo & ipsi eum forsitan cogerent, si apud eos manere voluisset.*

Ostendit Gratianus id non repugnare antedictis de hæreticis non habentibus potestatem excommunicandi.

Ut autem hæc conciliet Gratianus cum eo quod dixit, penes hæreticos non esse potestatem excommunicandi, eorumque excommunicationem esse spernendam, respondet, quod " illud Augustini intelligatur dictum ,, non propter sententiam, cujus potestas nulla est ex- ,, tra Ecclesiam, sed in detestationem criminum, quæ ,, in hæreticis sicut in Catholicis æque sunt punienda. "

Addit & alteram conciliandi rationem. " Potest ta- ,, men, ait, illud Augustini de potestate baptizandi ,, intelligi, non ligandi aut solvendi, vel cætera Sa- ,, cramenta ministrandi: baptisma namque sive ab hære- ,, tico, sive a laico ministratum fuerit, dummodo in ,, unitate Catholicæ fidei accipiatur, non caret effectu. ,, Alia vero Sacramenta, ut sacri corporis & sanguinis ,, Domini " excommunicationis, vel reconciliationis, si ,, ab hæretico, vel Catholico non Sacerdote ministren- ,, tur, vel nullum vel lethalem habebunt effectum; ,, unde & ab omnibus fidelibus nullatenus sunt reci- ,, pienda. "

Indubie dictum Gratiani de Sacramentis ab hæreticis collatis, cum grano salis intelligi oportet. Neque enim dubitandum, quin Sacerdos per hæresim aut schisma ab Ecclesia separatus, possit valide Sacramentum altaris conficere & administrare; sed & illud constat, neminem scienter & citra necessitatem posse ab hæreticis aut schismaticis Sacramenta recipere.

Licite baptismus suscipitur ab hæretico in necessitate.

Probat id Gratianus *Can.* 40. verbis Augustini *ex l.* 1. *de batismo contra Donatistas cap.* 2. ubi Augustinus docet, in necessitate posse licite a Donatistis baptismum suscipi, dum copia Catholici baptizantis haberi nequit. *Si quis autem*, ait, *cum posset in ipsa Catholica accipere, per aliquam mentis perversitatem eligit in schismate baptizari, procul dubio perversus & iniquus est, & tanto perniciosius, quanto scientius.*

Sed non communio.

Adducit & *Can.* 41. Decretum sub nomine Julii Papæ: Ivo autem illud nonnihil extensius consignat *parte* 15. *cap.* 117. sub nomine Eutychiani Papæ, uti & Burchardus *lib.* 19. *cap.* 105. sed nec inter Decreta Julio, & Eutychiano a pseudo Isidoro supposita reperitur. Pithæi monent: forte in pœnitentiali Theodori, quod & in margine a Correctoribus Romanis annotatum est.

Sed nec in hoc pœnitentiali hactenus reperi.

Modus agendæ pœnitentiæ præscriptus aliquatenus conformis est ei, qui sæculo II. & III. servabatur, sed verba, *missam celebrare*, multo recentiorem ætatem indicant.

Quod probat Gratianus exemplo Hermenegildi.

Denique *Can.* 42. refert *ex lib.* 3. *Dialog. S. Gregorii cap.* 31. exemplum S. Hermenegildi Wisigothorum regis filii, qui mortem maluit subire, quam de manu Episcopi Ariani sacram communionem accipere: uti latius ex S. Gregorio hodie legitur in hujus Sancti Regis solemni officio die 13. Aprilis.

Quæst. II. Nullus post mortem potest excommunicari aut absolvi.

Quæst. 2. quærit Gratianus: " an post mortem aliquis possit excommunicari? "

Id probat Gratianus ex Epistola S. Leonis, circa cujus lectionem est magna varietas.

Resolvit autem, quod, cum Christus duntaxat dederit Apostolis auctoritatem ligandi & solvendi super terram, de mortuis sententiam Episcopi ferre non possint.

Hunc in finem primo adducit *Can.* 1. verba S. Leonis in Epist. 2. editionis Quenelli, quibus respondit Rustico Episcopo Narbonensi interroganti de his, qui animo jam deficientes pœnitentiam accipiunt, & ante communionem moriuntur. " Horum causa, ait, Dei

„ judicio reſervanda eſt, in cujus manu fuit ut talium „ obitus non uſque ad communionis remedium differ- „ retur. Nos autem quibus viventibus non communi- „ cavimus, mortuis communicare non poſſumus. "

Ita legitur apud Gratianum, Burchardum *lib.* 11. *c.* 52. Ivonem *part.* 14. *Decreti c.* 62. & in Panormia *l.* 5. *c.* 118. at apud Reginonem *lib.* 1. *c.* 115. legitur ſine negatione: ſed notat Baluzius in margine, *lege non diff* & in notis amplioribus a idem caput *p.* 557 rurſus monet, ita indubie eſſe legendum. " Sit enim „ habent (inquit) vulgatæ editiones Epiſtolarum San- „ cti Leonis, & pleriquе Codices manuſcripti. "

Quas vulgatas editiones hic intelligat vir clariſſimus, neſcio: fallit ſaltem editio, quam *Tom. III. Concil. General.* exhibet Labbæus, quæ ſine *negatione* legit, adjecta tamen in margine vocula, *non*: quin & correctiſſima editio a Paſchaſio Quenello ſummo labore & exactitudine ad Codices manuſcriptos & editos collata, ſine ulla indigitata lectionis varietate legit ſine negatione ſicut apud Reginonem.

Equidem ſententia S. Leonis, & praxis Eccleſiæ Romanæ fuit, ut extra communionem mortuis ... non ... manifeſtatur.

Quidquid ſit de hac lectionis diverſitate, hoc conſtat, ſententiam Leonis fuiſſe, communicandum non eſſe poſt mortem cum his, qui in pœnitentia conſtituti moriuntur priuſquam gratiam communionis ſeu reconciliationis obtinuiſſent.

At hanc Eccleſiæ Romanæ morem ab aliis pleriſque Eccleſiis ſervatum non fuiſſe, oſtendit Quenellus nota 13. in hanc Epiſtolam: ſed in illis obſervatum fuiſſe, *ut & memoria talium in Eccleſiis commendetur, & oblatio pro eorum decreta ſpiritibus accipiatur*, ut loquitur Synodus Toletana XI. anno 675. *Can.* 12.

At hæc ... a pluribus ... Eccleſiis non obſervata.

Et cum hic de ſolo puncto diſciplinæ agatur, nihil obeſt fidei Catholicæ ſinceritati & unitati Eccleſiarum diverſa obſervantia.

Nonnulla poſt hæc refert Gratianus, quibus itidem oſtenditur, quod proprie nemo poſt mortem excommunicari, aut abſolvi queat, e quibus tandem ad calcem Canonis 5. concludit: " quod viventes, non mor- „ tuos, ſolvere poſſimus vel ligare. " Mox tamen „ concluſionem reſtringit dicens; " quædam tamen eſſe „ crimina, de quibus etiam poſt mortem accuſari poſ- „ ſet quilibet vel damnari, velut hæreſis (*a*). "

Excipitur a Gratiano tamen hæreſis.

Exceptionem iſtam probat ex V. Synodo.

In probationem hujus exceptionis profert Gratianus Decretum ſub nomine quintæ Synodi, quod e variis locis ejuſdem Synodi conflatum eſſe monent Correctores Romani, quibus probatur, mortuos etiam damnari & abſolvi poſſe.

Sed non recte ... intellecta fuit controverſia, quæ tum agitabatur.

Scitur ſuper hoc articulo ſummas fuiſſe contentiones, neque quæſtionem hanc ad certa crimina fuiſſe reſtrictam, quemadmodum hic prætendit Gratianus, non ſat perſpectam habens, qua de re controverſia tempore hujus quintæ Synodi fuerit.

Tertia quæſtione quærit Gratianus: " an pro pecca- „ to alicujus tota familia ſit excommunicanda "

Quæſt. III. Pro peccato alicujus tota familia excommunicari non poteſt.

Sub initium quæſtionis argumenta in utramque partem e ſacro textu proponit, quæ ut conciliet, diſtinguit inter pœnas temporales & pœnas ſpirituales, atque: " Pro peccatis parentum parvulos *corporaliter* flagellari ex verbis Evangelii apparet..., *ſpiritualiter* „ autem peccatis parentum parvuli non tenentur, ex „ quo per ſacramentum regenerationis ab originali pec- „ cato fuerint emendati. ..quia vero apud Deum non „ ſententia Sacerdotum, ſed vita eorum quæritur, pa- „ tet, quod non eſt notandus ſententia, quem peccati „ macula non inficit ... non ergo (inquit) pro ali- „ cujus peccato tota familia excommunicandum eſt. "

Id recte probat Gratianus ex Epiſtola Auguſtini ad Auxilium Epiſcopum.

Ut hanc concluſionem probet Gratianus profert *Can.* 1. longum fragmentum Epiſtolæ Auguſtini 250. *ad Auxilium Epiſcopum*. Conqueſtus fuerat apud Auguſtinum Claſſicianus, quod non ipſe duntaxat, ſed & tota ejus *domus* ſive familia ab Auxilio Epiſcopo fuiſſet *anathematizata*.

Litteris Claſſiciani perlectis non mediocriter æſtuans, cogitationibus magna cordis tempeſtate fluctuantibus, Auguſtinus ſcripſit Auxilio, eum rogans, *ut ſi haberet de hac re ſententiam certis rationibus vel ſcripturarum teſtimoniis exploratam, ipſum quoque docere dignetur, quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini ſervus, aut quiſquam in domo etiam nondum natus, ſi eodem tempore, quo univerſa domus eſt anathemate obligata, naſcatur, nec ei poſſit per lavacrum regenerationis in mortis periculo ſubveniri*.

Neque enim hæc (pergit Auguſtinus) *corporalis eſt pœna, qua legimus quoſdam contemptores Dei cum ſuis omnibus, qui ejuſdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos. Tunc quidem ad terrorem viventium mortalia corpora perimebantur, quandoque moritura. Spiritalis autem pœna, qua fit, quod ſcriptum eſt; quæ ligaveris in terra, erunt ligata & in cælo, animas obligat: de quibus dictum eſt, anima patris mea eſt, & anima filii mea eſt: anima quæ peccaverit ipſa morietur.*

Ita legitur in Epiſtola, at apud Gratianum omittitur negatio, diciturque: *ejuſdem impietatis participes fuerunt*, contra manifeſtum totius contextus ſenſum: unde haud obſcurum eſt, Gratianum hæc non eſt originali, ſed ex Ivone, apud quem idem error occurrit, deſumpſiſſe.

Interim merito legenda integra Epiſtola fortiter ſtabiliens ſententiam Gratiani, pro peccato alicujus totam familiam non eſſe excommunicandam: oſtenditque Auguſtinus nec Epiſcopis probroſum videri debere, revocare quod ſubinde tempore ab ipſis factum eſt. *Nec arbitreris* (inquit) *ideo nobis non poſſe ſubrepere injuſtam commotionem, quia Epiſcopi ſumus: ſed potius cogitemus, inter laqueos tentationum nos periculoſiſſime vivere, quia homines ſumus.*

Epiſcopo probroſum non eſt revocare, quod temere fecit.

Ex hac igitur Auguſtini auctoritate concludit Gratianus, quod *illicite excommunicetur quis pro peccato alterius, neque aliqua ratione nitantur, qui pro peccato unius in totam familiam ſententiam ferunt excommunicationis: addit inſuper, quod illicita excommunicatio notatum non lædat, ſed excommunicantem*.

Illicita excommunicatio non lædit excommunicatum.

Probat hoc poſtremum membrum conſtituens quæſtionis ſecundam partem, auctoritate S. Gregorii *Epiſt.* 26 *lib.* 2 permittens cuidam Laurentio, ut communionem ſine aliqua ſumat formidine, quem Epiſcopus, nullis ſuis culpis exigentibus, communione privaverat. Notandum apud Gratianum, inſcriptionem mendoſam eſſe, nam pro his vocibus, *Mediolanenſi Epiſcopo*, legendum eſt *Mediolanenſi Presbytero*, prout legitur apud Gregorium: & illud notandum quod cauſa *Magni* devoluta fuiſſe videatur ad Sedem Apoſtolicam, cum Papam inter & Epiſcopum Mediolanenſem nullus eſſet ſuperior intercedens.

Immo ipſum excommunicantem potius lædi probatur *Canone* 5. auctoritate Rabani Epiſcopi Moguntini, & *Can.* 6 auctoritate Concilii Pariſienſis VI. ubi tum ex Novella Juſtiniani 123. *c.* 11. tum aliis probatur, neminem ab Epiſcopo, niſi Canonicis de cauſis excommunicari poſſe, & ſecus facientem eſſe puniendum.

Sed potius excommunicantem.

Probat & Gratianus, quod Deum quemlibet *vita, non ſententia liget*, allegatis *Can.* 3. & 4. quibuſdam ſententiis ſub nomine Hieronymi, ſed quæ ſunt revera Origenis, uti monent Pithæi, cujus & aptiſſimus in hanc rem locus refertur *Can.* 7.

Apud Deum non ſententia ſed prava vita ligat.

Profert dein *Can.* 8. fragmentum aliquod ſub nomine S. Auguſtini, ut probet, vitam ſceleratam potius quam ſententiam ab Eccleſia reſcindere, at fragmentum parum convenire cum originali monent Correctores Romani; quod apparebit, ſi integer *ſermo* 71. S. Auguſtini in editione Benedictinorum fragmento conferatur.

Tandem adducto teſtimonio ex Synodo V. quo dicitur, quod qui *impius demonſtratus eſt, omni modo ſit ſeparatus a Deo, ſicuti etiam ille qui anathematizatus tamquam impius ſeparatus eſt*, concludit ex præmiſſis patere, quod illicita excommunicatio non lædat eum, qui notatur, ſed eum, a quo notatur: " ac per hoc, „ qui innocentes ſunt, ex alterius crimine condem- „ nari non poſſunt. "

Sed priuſquam quæſtionem finiat, hic ſibi objicit, quod " non ſolum innocentes, ſed nec etiam crimi- „ noſi ſententia maledictionis ſint feriendi. "

Objicit Gratianus quod nec criminoſi ſententia maledictionis ſint feriendi.

Hanc objectionem ſtabilit *Can.* 10. verbis S. Hieronymi in commentario ad *c.* 3. *Epiſtolæ ad Titum*, ubi oſtendit ex Epiſtola Judæ nos ab omni maledicto puros eſſe debere; & *Can.* 11. verbis Origenis ſub ejuſdem Hieronymi nomine falſo citatis.

At ipſum Deum primos parentes pro tranſgreſſione mandati maledicto mortis percuſſiſſe, nec non ſanctos viros, tam in veteri quam in novo Teſtamento, maledicto in quoſdam uſos fuiſſe demonſtrat ad calcem dicti *Canonis* 11. quæ ut inter ſe conciliet: " Diſtin- „ guendum eſt inter maledictum quod prohibetur, & „ maledictum quod a Domino, & ſanctiſſimis viris ra- „ tionabiliter profertur. Maledictum quod prohibetur, „ eſt illud, quod procedit *ex voto ultionis* & *odio* pro- „ ſequentis, non ex amore juſtitiæ: maledictum vero, „ quo ſancti maledicunt, eſt illud, quod procedit *ex amore juſtitiæ*, non ex livore vindictæ. "

Reſpondit, diſtinguendo duplex maledictum.

Hanc conciliationem probat auctoritate Sancti Gregorii, qui docet, quod *cum ſancti viri maledictionis ſententiam proferunt, non in hanc ex voto ultionis; ſed ex juſtitiæ examine prorumpant*. Notant Correctores Romani, non referre Gratianum omnino verba S. Gregorii, ſententiam tamen eamdem manere.

Deinde probat incorrigibiles excommunicari poſſe, adducta *Can.* 14. Epiſtola fictitia *Anacleti Papæ*.

Oves morbidæ ſi incorrigibiles ſint, ab Eccleſia ejiciendæ ſunt.

Plura dein profert *Can.* 15. 16. 17. & 18. quibus probet, oves morbidas e Chriſti ovili, ſive Eccleſia eſſe ejiciendas, ne ceteræ inficiantur, quando ſcilicet *nec æquanimiter ſuſtinentis, ac pie increpantis medela profecerit* (ſeu potius *profecerit*) *in eis; qui diu portati, & ſalubriter objurgati, corrigi noluerint, tamquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abſcindi*, uti loquitur *Can.* 18. verbis Proſperi, ſeu potius Juliani Pomerii *lib.* 2. *de vita contemplativa*.

Subjungit poſt hæc aliquot Canonibus quædam crimina excommunicationis ſententia punienda: ſed pleraque incertæ ac dubiæ auctoritatis ſunt, atque inter cætera Decretum relatum *Can.* 23. ſub nomine Calixti Papæ;

De quibuſdam criminibus excommunicatione puniendis.

(a) Aptius locutus fuiſſet Gratianus aſſerendo eos, qui hæc admiſerunt crimina, poſſe declarari excommunicatos, ſubjecta etiam ab eo exempla nihil aliud probant.

Papæ; quo *communione Christiana carere jubentur, qui Romipetas & peregrinos, & Apostolorum limina, & aliorum Sanctorum oratoria visitantes capere, seu rebus, quas ferunt, spoliare tentaverint*. Nullatenus Calixto I. attribui potest, sed reperitur in Concilio Lateranensi anno 1123. sub Calixto II. Can. 16. atque inde sumptum esse verisimile est.

Canonem 25. relatum sub nomine Nicolai Papæ omnibus Episcopis esse Nicolai II. qui sub medium sæculi undecimi sedit, notavit Baluzius: neque eum posse adscribi Nicolao I. hinc manifestissime colligitur, quod illic agatur de treuga & pace, quæ demum Nicolai II. ævo reperta (a), ætate Nicolai I. inaudita fuit.

Discrimen inter hæresim & schisma.

Parte 4. quæstionis ostenditur ex Hieronymo *Can.* 26. & 27. quid inter hæresim & schisma intersit, & unde proprie hæresis dicatur, atque inter cætera observat, quod „ nullum schisma non aliquam sibi confingat hæ„ resim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur. "

Qui proprie dicendi hæretici?

Tum *parte* 5. inquirit, qui proprie dicuntur hæretici? ubi *Can.* 29. ex S. Augustino notat, quod, *qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt ... quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi*, at illi, qui *pravum sapiunt, si correpti, ut sanum certumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt*, uti ex eodem Augustino ait *Can.* 31.

Intermiscet dein aliqua de hæreticis abjiciendis & evitandis, ac inter cætera quædam sub nomine *Urbani* Papæ *Can.* 32. & *Can.* 37. ex Epistola Urbani Papæ, quæ suspectæ fidei sunt, & *Can.* 35. tres Canones Concilii vulgo *Carthaginensis IV.* in unum conglomeratos.

De variis sectis hæreticorum eorumque dogmatibus.

Tandem *Can.* 39. refert singulatim omnes sectas hæreticorum ex S. Isidoro (qui sæculo VII. vixit) breviter indigitans, unde singulæ sectæ nomen sumpserint, & quæ præcipua eorum fuerint falsa dogmata: circa quæ nonnulla adnotarunt Correctores Romani, & si quis accuratiorem earum desideret notitiam, consulat auctores, qui de singulis aut earum saltem notioribus & famosioribus singulas historias scripserunt.

Quam ob causā Deus hæreses permittat?

Claudit Gratianus hanc quæstionem *juxta parte* prolato, *Can.* 40. textu S. Augustini, quo ostendit, qua de causa Deus permittat variis temporibus varias hæreses oriri.

CAUSA XXV.

„ EXPEDITO tractatu hæreticorum (ait glossogra„ phus) subjungit Gratianus causam vigesimam „ quintam, in qua tractat de privilegio Romanæ Ec„ clesiæ. "

Casus in hac causa propositus.

Thema sive casum hunc proposuit Gratianus: Sancta Romana Ecclesia quamdam baptismalem Eccle„ siam suis munivit privilegiis, decimationes suæ Diœ„ cesis ex integro sibi attribuens. Item quoddam Mo„ nasterium similiter munivit privilegiis propriis, de„ cernens, ut ex propriis prædiis nulli decimas per„ solveret. Accidit itaque, ut intra Diœcesim præmu„ nitæ baptismalis Ecclesiæ præfatum Monasterium alia „ emptione, alia donatione prædia sibi inveniret. „ Oritur itaque contentio inter Monachos & Clericos „ de decimis. "

Ex hoc casu duas format quæstiones, quarum *prima* quærit: „ an Clerici baptismalis Ecclesiæ, auctoritate „ privilegii decimas suæ Diœcesis ex integro sibi va„ leant vendicare. "

Quæstio I. Juxta Decreta sanctorum Patrum quatuor sunt portiones decimarā.

Prima parte quæstionis negativam hinc probari arguit Gratianus: " quia decimæ juxta Decreta SS Pa„ trum quadripartito dividuntur: quarum una pars „ Episcopis, secunda Clericis, tertia fabricis restau„ randis, quarta vero pauperibus est assignata. De„ creta vero sanctorum Canonum neminem magis quam „ *Apostolicum* servare oportet. "

Sedes Apostolica præ cæteris Decreta sanctorum Patrum servat & exequitur.

Hinc arrepta occasione, pluribus ostendere nititur, Sedem Apostolicam Decreta Patrum, & Conciliorum servare, ipsaque etiam Decreta Sedis Apostolicæ ab aliis esse servanda.

Profert ante omnia auctoritates, quibus ostendat, quod Sedes Apostolica præ reliquis exequatur Decreta Conciliorum, & quo ipsa est sublimior, eo magis ipsi incumbat invigilare, ne Decreta Patrum violentur. „ Si quidem reatu majore delinquit, qui honore po„ tiore perfruitur: & graviora facit vitia peccatorum „ sublimitas peccantium: " ut loquitur Hilarius Papa *Can.* 4.

Merito legenda quæ ex Gelasio & S. Leone referuntur *Can.* 1. 2. & 3. meritoque legetur integra *Epistola Leonis* 83. *ad Anatolium*, cujus fragmentum refertur *Can.* 3.

Quin & *Can.* 5. sub nomine Damasi Papæ dicitur, blasphemos esse in Spiritum sanctum, qui Canones violant.

(a) Obiit Nicolaus II. anno 1061.

Canone 6. sub nomine Urbani Papæ, non exprimendo, an primi an secundi: neque Correctores Romani notarunt, quin nec indicarunt unum alium Canonum Collectorem, apud quem hoc Decretum extet. Eruditi Pithæi hæc in titulo addiderunt: *forte circa annum* 1090. *Romæ*, quibus insinuarunt, verisimilius esse Urbani Papæ II. qui sub id tempus Pontifex sedit, sed cui inscripta sit, aut ubi extet, non indicant.

Romanus Pont. ex etsi novas leges condere possit, tamen adversus statuta Patrū nihil valet.

Hoc Decreto interim dicitur, Romano Pontifici semper licuisse novas leges condere, sed hoc, ubi aperte *Dominus, vel ejus Apostoli. & eos sequentes SS. Patres sententialiter nihil definierunt*, alias ubi id factum est, *non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optime custodierunt.*

In hoc Decreto tametsi apocrypho uti & in pluribus aliis, non obscure supponit Gratianus possibilitatem errandi in Pontifice, quemadmodum sæpius notavimus.

Citat *Can.* 7. verba Zosimi Papæ, quibus declaratur, quod *contra statuta, Patrum condere aliquid vel mutare nec hujus quidem Sedis (Apostolicæ) possit auctoritas. Apud nos enim* (ait) *inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui Decreta Patrum sanxere reverentiam.*

Hæc sumpta sunt ex Epistola Zosimi Papæ ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis II. qua acriter invehitur in Proculum, qui indebite videbatur sibi usurpasse auctoritatem ordinandorum Sacerdotum in Narbonensi secunda (a).

Idolim sæpius agnoverunt ipsi Romani Pontifices.

Hanc Epistolam primus evulgavit Baronius, & a Labbæo inserta est *Tom. II. Concil. General. col.* 1570. eamque se non vidisse fatentur Correctores Romani.

Huic dicto Zosimi apprime consonat Hormisda Papa *Can.* 9 dicens: *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & a constitutis Patrum nullatenus deviare.* Congruunt & quæ referuntur *Can.* 14. 15. & 16.

Utque Pontifices suam de recta fide & Patrum Decretis servandis sententiam amplius manifestarent, solebant sub initium suæ ad Pontificatum assumptionis facere professionem fidei, eamque etiam ad alias Ecclesias, quin & ad Reges & Principes mittere, ut hic *Can.* 10. exemplo Pelagii Papæ ostenditur, & pluribus adstruitur *Tom. I. probationum Libertatum Eccles. Gall. cap.* 2. idque signanter ex libro diurno Romanorum Pontificum.

Intermiscet quoque Gratianus apocrypha nonnulla, puta *Can.* 11. ex capitulis Hadriani (de quibus supra cap. 1.) quo declaratur, quod *anathema apud Deum fiat, qui censuram Romanorum Pontificum violat*, ut habeat titulus Canonis, qui tamen nec cum ipso capitulo congruit, ut intelligi potest ex notis Correctorum Romanorum.

Apocryphum quoque est, quod *Can.* 11. adducitur sub nomine *Damasi* Papæ in Epistola Prospero Episcopo sive Stephano, ut alii legunt, quam suppositītiam esse agnoscunt eruditi.

Ex his igitur concludendum videbatur, quod nec a Sede Apostolica contra statuta sacrorum Canonum privilegia concedi debeant. Vidit & id Gratianus, qui propterea ad calcem quæstionis longum discursum format, quo probare intendit, quod „ Sacr. Rom. Eccl. „ jus & auctoritatem sacris Canonibus impartiatur, „ sed non eis alligetur. Habet enim, ait, jus con„ dendi Canones, utpote quæ caput est & cardo om„ nium Ecclesiarum, a cujus regula nemini dissentire „ licet. Ita ergo Canonibus auctoritatem præstat, ut „ seipsam non subjiciat eis. Sed sicut Christus, qui „ legem dedit, ipsam legem carnaliter implevit, octa„ va die circumcisus, quadragesimo die in templo cum „ hostiis præsentatus, ut in seipso eam sanctificaret, „ postea vero, ut se Dominum legis ostenderet contra „ legis litteram leprosum tangendo mundavit. "

Deinde pluribus adhuc ostendit, quod Christus se legi nonnunquam subjecerit, ut legem impleret, & adimplendo hominibus exemplo præiret, sed tamen etiam sed Dominum legis monstravit, atque hinc concludit: „ sic & summæ Sedis Pontifices Canonibus sive a se, „ sive ab aliis sua auctoritate conditis reverentiam ex„ hibent, & eis se humiliando ipsos custodiunt, ut aliis „ observandos exhibeant, nonnunquam vero seu ju„ bendo, seu definiendo, seu aliter agendo se Decre„ torum Dominos, & conditores esse ostendunt. "

Hæc omnino ætatem Gratiani redolent, nec genuinis Decretis & Patrum sententiis ante relatis conveniunt, ut mirum non sit, nullum hic a Gratiano sincerum & pristinæ ætatis Canonem referri, sed falsas ac confictas Decretales impendi.

Quis

(a) Gallia Narbonensis secunda eadem olim fuit ac Gallia Viennensis tertia; extendebatur versus oram maris Mediterranei; primariam urbem habuit Aquas sextias, integram Aquensem Diœcesim complebatur, & Episcopatus ei suffraganeos pro majori parte.

Neque enim Romanus Pontifex dici potest Canonum Dominus, uti eum vocat Gratianus.

Quis enim Patrum unquam dixit, aut quis Canon declaravit, Pontifices Romanos esse Decretorum *Dominos* æque ac Christus homo Deus se *Dominum legis* esse dixit?

Sed tantum executor, & fidelis dispensator.

Conceditur quidem, penes Pontificem esse auctoritatem dispensandi, quando necessitas aut utilitas Ecclesiæ id postulaverit, at eum Dominum Canonum instituere, nec Patrum nec Conciliorum placitis consonat; sicut nec illud pristinis Ecclesiæ Decretis congruit, quod ibidem asserit: „ in nonnullis capitulis Conciliorum, cum aliquid observandum decernitur, statim „ subinfertur, *nisi auctoritas Romanæ Ecclesiæ aliter* „ *imperaverit, vel salvo tamen in omnibus jure san-* „ *ctæ Romanæ Ecclesiæ, vel salva tamen in omnibus* „ *Apostolica auctoritate.* " Immo nec dubito, si Decretum similem clausulam continens venerandæ antiquitatis titulum præferat, hoc vel apocryphum, vel manu recentiore adulteratum reperietur.

Unde Claudius Fleury in sua historia *lib. 70. n. 28.* agens de Gratiano ejusque Decreto, in primis notat, quod ubique faveat novis prætensionibus Curiæ Romanæ fundatis super falsis Decretalibus.

Post hæc affert in exemplum summatim hunc Gratiani discursum & assertum; ac dein subjicit: „ ita loquitur Gratianus, sed e suo sensu, nulla adducta „ auctoritate, qua doctrinam hactenus inauditam pro- „ bet. Et nihilominus (pergit hic historicus) subsecu- „ ta sæcula receperunt, ejus verbo quasi contenta. "

Praxis hodierna Romanæ Curiæ videtur conformis sententiæ Gratiani.

Et sane si quis attenderit hodiernam Curiæ Romanæ praxim, in danda dispensatione ex levissimis causis, immo & sine causa, ex plenitudine potestatis Pontificiæ, facile intelliget, eam novam & hactenus inauditam Gratiani doctrinam in Curia Romana videri receptam, atque Romanum Pontificem, ibidem non reputari ut executorem, & fidelem dispensatorem, sed verum *Dominum* sacrorum Canonum (*a*).

Quæstio II.

Quæstio secunda a Gratiano supra e relato casu elicita, est: „ an subsequenti privilegio Monachorum „ derogetur antiquioribus privilegiis baptismalium Ec- „ clesiarum? "

Privilegia Ecclesiarū inviolate servanda.

Occasione hujus quæstionis congerit Gratianus plures auctoritates, quibus probet, privilegia Monasteriorum vel quarumlibet Ecclesiarum inviolate esse servanda, etiam a Romanis Pontificibus, item ea, quæ contra leges fiunt, pro infectis habenda: at more suo nonnullos apocryphos, nonnullos mutilatos Canones producit.

Et *Canone* 2. fragmentum Epistolæ 78. S. Leonis ad Marcianum Augustum, additis his, *& Monasteriorum*, ac super nonnullis detractis, quæ ostendunt, hic unice agi contra Episcopum Constantinopolitanum, qui primum post Sedem Romanam locum prætendebat ante Alexandrinum, quod *Nicænis* Canonibus adversum prætendebat S. Leo, nullatenus autem spectat ad privilegia *Monasteriorum*, tunc necdum nota. Similiter ad conservationem jurium Metropolitanorum per Canones Nicænos fixorum spectat Canon 5. ex *Epistola* 12. Sancti Leonis ad Anastasium. Item Canon 3. ex sancto Gregorio, qui jura Ecclesiæ Arelatensis integra servari vult.

Ad idem tendit quod *Can.* 8. ex S. Gregorii *Epist.* 39. *lib.* 2. *ind.* 10. refertur, in qua apposite scribit hic sanctus Pontifex, quod privilegia Ecclesiarum non sint lædenda, & Romanæ Ecclesiæ jura ita defendenda, ut singulis quibusque Ecclesiis sua jura serventur.

Instituto Gratiani magis congruit quod ex eodem Gregorio *Epistola* 118. *lib.* 7. refertur *Canone* 9. scribit enim sollicitudinis curam adhibenda, ut ea, quæ pro quiete Monachorum religiosæque conversationis sunt ordinata, non perturbentur.

Exceptio Canone 9. addita Gratiani non est, sed in ejus textū aliunde irrepsit.

Additur in fine hujus Canonis: *nisi forte ubi major est auctoritas*, quæ inoubie ad auctoritatem Sedis Apostolicæ respicit: at notant Correctores, quod „ exceptio hæc absit a plerique vetustis, & Anselmo, & „ Codicibus Gregorii impressis & manuscriptis ". Quod & fusius notavit eruditus Petrus Gussanvillæus in notis ad hanc Epistolam.

Hinc firmatur quod supra notavi, similem clausulam redolere manum adultricem.

Notari meretur quod monent hic Correctores Romani, quod in uno exemplari Gratiani apposita esset dicta clausula tamquam *glossa*, quæ sensim in textum forte incuria Typographorum irrepsit: quemadmodum in aliis frequenter contigisse adverterunt eruditiores, multisque erratis occasionem dedisse.

Nulla habenda sunt, quæ contra Canones fiunt.

Subjungit Gratianus nonnulla, præsertim ex titulo Codicis, *de precibus Imperatori offerendis*, quibus probet, quod non tantum nulla & infecta habenda sint, quæ contra leges & Canones gesta sunt, sed quod nec juri contraria a Principe postulanda sint, rescriptaque similia a Principe impetrata, habenda esse ut subreptitia & obreptitia.

Rescripta contra jus elicita nullius sunt roboris.

Arrepta hinc occasione, apposuit hic Gratianus discursum de rescriptis, ostendens quod rescripta, sive sint adnotationes, sive Pragmaticæ Sanctiones, expressam in se debeant habere conditionem, *si preces veritate nitantur*: deinde rescripta contra jus elicita non valere, productis plerisque legibus contentis sub titulo Codicis, *si contra jus vel utilitatem publicam, vel per mendacium fuerit aliquid postulatum vel impetratum*: additis nonnullis ex titulo Codicis *de diversis rescriptis*.

Decreta Sedis Apostolicæ ab omnibus servanda.

Nonnulla dein addit, quibus evincat, Decreta Sedis Apostolicæ esse ab omnibus servanda, adducto inter alia *Canone* 18. Decreto Nicolai I. in Synodo Romana anni 863. in causa divortii Lotharii Imperatoris, qui repudiata legitima sua uxore Teutberga, superinduxerat Waltrudem pellicem suam.

In hac Synodo rescissa fuere acta Synodi Metensis in eadem causa celebratæ, necnon excommunicati ac depositi Teutgandus Trevirensis, & Guntarius Agrippinensis Archiepiscopi, contra quos & præsens Decretum dirigitur; eoque anathema pronuntiatur contra eos, qui Decreta a Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserint. De hac causa varii varia scripsere, atque inter cæteros tractatum specialem scripsit Hincmarus Rhemensis, qui sub id tempus vivebat. Vide quæ & de hac causa referuntur apud Labbæum *tom. 8. Concil. General. col.* . . . & sequentibus, & auctores ibidem citatos.

Si tamen salubriter promulgata fuerint.

Notandum est diligenter, non decerni hoc Canone, cuncta generaliter Præsulis Romani Decreta, mandata, &c. servanda esse, sed illa quæ ab illo *salubriter promulgata* fuerint: quin & illud notandum, ipsum Nicolaum I. hujus Canonis auctorem esse, qui tamen ex pseudo Decretalibus Isidori deceptus, in multis novas nonnullas prærogativas Sedi Apostolicæ conatus fuit vendicare.

Privilegia Ecclesiarū non violanda probat Gratianus ex legibus.

Privilegia vero Ecclesiarum non esse violanda, potissimum probat Gratianus auctoritate legum ab Arcadio & Honorio Imperatoribus promulgatarum, quæ extant in Codice Theodosiano *lib.* 29. *&* 30. *de Episcopis & Clericis*, quibus firmantur & renovantur privilegia jam pridem ab Imperatoribus indulta Ecclesia Consuli poterit commentarius Jacobi Gothofredi ad has leges.

Cum igitur privilegia singulis Ecclesiis sint servanda, & contra leges facta pro infectis habenda, videbatur consequens, quod „ posteriora privilegia anterioribus „ derogare non possint, nec eorum auctoritate eis ali- „ qua objici exceptio: cum etiam si contra illa spe- „ cialiter fierent, pro infectis essent habenda. Respon- „ dit Gratianus, quod sancta Romana Ecclesia sua „ auctoritate congregata valet disjungere, & disjun- „ cta congregare, rationis tamen æquitate consideran- „ da. Unde, ait, vel pietatis, vel necessitatis intui- „ tu semel a concessa valet vel in totum, vel in par- „ tem commutare ".

Quibusdā tamen casibus juxta Gratianum aut pro parte privilegia tolli possunt.

Deinde dicit, subinde ob *vitium personale*, tolli posse privilegium a persona sive personaliter: eo quod privilegium amittere mereatur, *qui permissa sibi abutitur potestate*.

Hoc licet verissimum sit, quæ tamen in probationem adducit aut apocrypha sunt, puta *Canone* 22. sub nomine Sylverii Papæ *Epistola* 2. quam ut *suppostitiam* rejicit Baronius, aliique: aut non probant intentum, ut relatum sub nomine Simplici Papæ *Canone* 23.

Denique ait, quod generaliter aliqui mereantur privilegium amittere: „ veluti dum civitati Episcopalis „ dignitas perpetuo subtrahitur, quæ suos Episcopos „ interimere consuevit ": prolato hanc in rem in Canone 25. prolixo fragmento sub nomine Gelasii Papæ, ad quod videndæ variantes lectiones Pithæorum.

Concludens tandem Gratianus ait: „ Serventur er- „ go privilegia Ecclesiarum cunctis inconcussa tempo- „ ribus, ne videlicet præter ejus auctoritatem, a quo „ data sunt, contra ea liceat ire alicui ".

In concessione privilegiorum monitum Gratiani merito attendendū.

Ac de privilegiis Monasteriorum (de quibus quæstio primario erat instituta) hæc sub finem quæstionis notandum monet, quod si privilegium circa decimas non solvendas propter instantem temporis necessitatem concedi nequiverit, nisi aliis derogetur „ ita privilegio- „ rum auctoritas videatur esse servanda, ut eorum „ (Monachorum) subveniatur inopiæ, non ut sua- „ rum divitiarum augmento, & possessionum non mo- „ dica extensione porrecta, baptismales seu parochia- „ les Ecclesiæ penitus destruantur ". Hoc utinam hodie attenderetur, non tot Ecclesiæ baptismales & parochiales, Monasteriis affluentibus, egerent.

CAUSA XXVI.

De sortilegio.

ABSOLUTA causa *vigesima quinta* incipit Gratianus tractare causa *vigesima sexta* de sortilegio, nulla connexionis indicata occasione, quam nec glossographus hic divinare potuit.

Casus in hac causa propositus.

Proponit autem casum sequentem, ex quo sex quæstiones elicit: „ Quidam Sacerdos Sortilegus esse, & „ divinus convincitur apud Episcopum: correptus ab „ Episcopo noluit cessare: excommunicatur: tandem

„ agens

(a) Gratianus ut conciliet hanc supremam prærogativam cum Canonibus antiquis, qui omnes Episcopos Conciliorum Decretis esse subjectos declarant; ait omnes Canones aut nominatim aut tacite continere sequentem clausulam, *salva auctoritate Sedis Apostolica*: sed hæc conciliatio non legitur in antiquis Canonibus; nullus enim hanc clausulam continet, nisi e pseudo-Decretalibus, aliisque actis suppositititiis petatur.

„ agens in extremis, reconciliatur a quodam Sacerdo-„ te, Episcopo inconsulto: indicitur sibi pœnitentia „ sub quantitate temporis a Canonibus præfixa “.

Quæst. I. Qui sint sortilegi?

Prima quæstione quærit, qui sint sortilegi? eamque uno Canone absolvit auctoritate Isidori sortilegos asserentis, *Qui sub nomine fictæ Religionis per quasdam, quas sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione, futura promittunt*.

Quæst. II.

Secunda quæstione quærit: „ an sit peccatum, esse „ sortilegum “.

Quædam adducūtur usui sortiū faventia.

Prima parte proponit exempla ex sacro textu, tum veteri, tum novo, quæ videntur usum *sortium* probare, adducitque *Canone* 1. illud Augustini *in Psalmum* 30. *Sors non aliquid mali est, sed res in dubitatione humana divinam indicans voluntatem*.

Usus tamē ille ji prohibitus est.

Porro parte secunda resolvit, quod licet sortibus nihil ex se mali insit, atque in veteri Testamento permitterentur, tamen „ prohiberi fidelibus, ac sub „ hac specie divinationis ad antiquos Idololatriæ cul-„ tus redirent “.

Ostendit dein *Canone* 2. auctoritate S. Hieronymi, & *Canone* 4. auctoritate venerabilis Bedæ, *non statim deberi sub exemplo Jonæ sortibus credere*, „ vel illud „ de actibus Apostolorum huic testimonio copulare, „ ubi forte in Apostolatum Mathias eligitur: cum „ privilegia singulorum non possint legem facere com-„ munem “. Addit Beda: *Si qui tamen necessitate aliqua compulsi Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis egisse*.

Præsertim in electione ad dignitates Ecclesiasticas.

Ob plura ex simili per sortes electione ad dignitates Ecclesiasticas provenientia incommoda, illæ absolute tandem vetitæ sunt, & in desuetudinem abierunt; de quo consulendi commentatores ad titulum Decretalium *de Sortilegiis*.

Sanctorum sortes quæ, & an licitæ?

Ostendit *Canone* 3. verbis S. Augustini, usum sortium non esse probandum: dicit enim Augustinus sibi displicere consuetudinem, qua nonnulli *de paginis Evangelicis sortes legunt, ad negotia sæcularia, & ad vitæ hujus vanitatem*.

Vocatæ sunt hæ *sortes Apostolorum* vel *Sanctorum*, quando scilicet ad libri sacri apertionem, vel ad *sacræ lectionis* auditionem, ex lectione inibi occurrente vaticinium futurorum captabatur; de quibus vide Christianum Lupum *tom. 2. Schol. in Canones Synodi VIII.* Item Emmanuel Gonzales ad *cap. 9. de Sortilegiis n. 7.* & ibi citatos.

Ennumerātur ab Augustino variæ genera superstitionum.

Profertur *Canone* 6. prolixum fragmentum ex S. Augustino *lib. 2. de doctrina Christ. cap. 20. 21. 22. & 23.* ubi varias istius ætatis superstitiosas observationes enumerat. Merentur legi integra capita, quæ mutilata a Gratiano producuntur.

Ostendit & ibidem Augustinus, quod non semel occulto Dei judicio permittatur evenire, ut istis superstitiosis & perniciosis divinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant, quam dicuntur, multaque observantibus secundum observantias suas eveniant; atque ita cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, & ut his implicati curiosiores fiant, & sese magis magisque inferant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris.

Quod refertur *Canone* 7. sub nomine Augustini in libris de *Civitate Dei*, apud Augustinum non reperitur, sed haberi in libro Rabani de *Magorum præstigiis* monent Correctores Romani; & quod habetur *Can.* 9. sub nomine *Hieronymi* esse *Origenis Hom. 5. ad c. 3.* Josue, quibus superstitiosæ illæ observationes reprobantur.

Priusquam finiat quæstionem Gratianus monet. „ Sortilegia non usque adeo detestanda esse a Christiano, „ ut si aliquid de area vel torculari dæmonibus fuerit „ immolatum, quod reliquum est, ideo credatur im-„ mundum, aut si ipsum quod oblatum fuerat, a no-„ bis ignorantibus sumi contigerit, ideo credamus nos „ deliquisse “.

Post hoc *Canone* 10. verbis S. Augustini, & *Canone* 11. sub nomine Ambrosii; sed notant Pithæi esse *Hilarii Diaconi*, quod & probant eruditi Monachi Benedictini operum S. Ambrosii Revisores, commentarios in Epistolas S. Pauli Ambrosio abjudicantes, & in Appendicem *tom. 2.* rejicientes.

Quæst. III. & IV.

Tertiam & quartam quæstionem conjungit Gratianus inquiens: „ A quibus genus divinationis sumpse-„ rit exordium, vel quot sint genera ejus, Augusti-„ nus exponit “.

De variis divinationum generibus, eorumque origine.

Varia divinationum genera recitat, & unde singula nomen acceperint, exponit *Canone* 1. adducto prolixo fragmento sub nomine S. Augustini lib. de *Natura*, seu potius divinatione dæmonum. Prima hujus fragmenti verba, ubi ex Varrone origo divinationum refertur, haberi apud Augustinum de *Civitate Dei lib. 6. cap. 35.* monent Correctores Romani: „ Reliqua vero „ capita (ajunt) sunt in libello Rabani de *Magorum* „ *præstigiis*, quem ipse ex variis Augustini & Isidori „ locis collegit, & Gratianus sæpe citat sub Augusti-„ ni nomine “. Et apud Ivonem in Panormia *part. 8. cap. 66.* citatur ex dictis *Augustini*, & *Isidori cap. 9. lib. 8. Etymolog.* in Decreto autem Ivonis simpliciter ex dictis Sancti Augustini, uti & apud Burchardum *lib. 10. cap. 43.* ut ignoretur, unde suum titulum hauserit Gratianus.

De natura dæmonum, eorumque vi ad cognoscendū futura.

Interim fat accurate multiplex genus divinationis hic describitur. Post hæc *Canone* 2. prolatis prolixis segmentis ex citato libro S. Augustini de *divinatione dæmonum, cap. 3. 5. & 6.* ostenditur, quæ sit natura dæmonum, & qua ratione futura prænoscere queant, & qualiter videantur futura adinstar Prophetarum prædicere, eaque prædictione homines fallant. Integer textus Augustini legi meretur.

Dixerat autem Augustino citato *c. 5.* (quod & refert Gratianus) *Dæmones aliquando & hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere*.

Verum postea re attentius considerata visum est & ipsi Augustino, rem se dixisse *occultissimam audaciore asseveratione, quam debuisset*, ut ipse de se humiliter fatetur *lib. 2. Retract. cap. 30. Nam*, ait, *pervenire ista ad notitiam dæmonum per nonnulla etiam experimenta, compertum est, sed utrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi, & ea spiritali ista cognoscant, aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inveniri*. Textum hunc recitat & Gratianus *Canon.* 3.

Hac Augustini auctoritate motus Gratianus ait: „ Quod autem hominum dispositiones *cogitatione* con-„ ceptas, per exteriora signa diabolus deprehendat, „ non firma ratione videtur approbatum “.

Quæst. V. Qua pœna puniendi sortilegi & divini.

Quæstione quinta probat Gratianus, quod sortilegi & divini, si cessare noluerint, sint excommunicandi: eo quod sit genus quoddam *culturæ Idolorum* ex dæmonum consultationibus futura prædicere.

Variis id auctoritatibus confirmare vult Gratianus, profertque, *Canone* 2. Decretum Synodi Ancyranæ Canone 23. Vide dicta in *Commentario in jus vetus Canonicum* ad calcem Canonum Ancyranorum (*a*).

Canones ex versione Martini Bracarensis sæpe citat Gratianus sub nomine Martini Papæ.

Adducit *Canone* 3. Decretum tamquam ex *Concilio Martini Papæ*, sed esse sumptum ex collectione *Martini Bracarensis*, monent Correctores Romani. Nosque sæpe notavimus. Gratianum sollicitum esse, adscribere Concilio *Martini Papæ*, quæ huic collectioni tribuenda erant.

Præsens autem Canon conflatus est ex diversis dictæ collectionis capitulis, iisque inverso ordine positis, ita ut evidens sit, Gratianum hæc non ex ipsa Martini collectione, sed aliunde sumpsisse.

Præterea etiam quandoque annotavimus, a Gratiano non fuisse animadversum, a Martino Bracarensi non fuisse edita & promulgata *nova* Decreta, sed duntaxat *antiqua*, eaque præcipue e Synodis Græcis collecta, & per ordinem disposita esse.

Ex quo fit ut quandoque bis eumdem Canonem recitet ex diversis versionibus.

Hinc contigit, ut eumdem Canonem, quem e versione Dionysii aut Isidori retulerat, rursus referat ex versione & collectione Martini Bracarensis, ut hic contingit.

Canonem enim Ancyranum retulerat *Canone* 2. ex versione Dionysii Exigui, & *Canone* 3. rursus eumdem producit ex dicta collectione Martini.

Quæ utilitas ex diversis illis versionibus habeatur?

Hoc tamen ex diversis ejusdem Canonis habetur versionibus, quod nonnunquam se mutuo juvent, ut verus Canonis sensus habeatur, ut hic præsens Canon Ancyranus exemplo esse potest.

In Canone enim ex versione Dionysii legitur, quod „ hi, qui divinationes expetunt . . . aut homines hu-„ jusmodi in domos suas introducunt exquirendi ali-„ quid arte magica, *sub regula quinquennii jaceant* “. Quæ verba quodammodo exponit, eorumque sensum aperit versio Martini Bracarensis, ea sic reddens: *quinque annis pœnitentiam agant*: quibus verbis sensum genuinum expressum esse notavit quoque Antonius Augustinus *lib. 1. dial. 10. de emend. Grat.* „ Illud „ enim jacere duplex est, ait, alterum generale om-„ nium pœnitentium, alterum speciem notat gradus „ pœnitentiæ. Alii ante fores erant, alii extra fo-„ res, sed cum cathecumenis exibant. Alii manebant „ jacentes, alii erecti, sed neque offerebant, neque „ communionis sacræ erant participes “.

Capitula, quæ hic Gratianus una cum Canone Ancyrano commiscuit, extant apud Ivonem in Decreto *part. 11. cap. 40. 46. & 47.* tanquam ex Concilio Bracarensi, & in margine notatur *cap. 73. & 76. Synod. Græcarum Martini Bracarensis Episcopi*.

Ut admodum verisimile sit, Ivonem hanc collectionem pro Concilio Bracarensi accepisse. Neque enim in aliquo Concilio Bracarensi reperiuntur.

Plura recitat Gratianus contra has magicas artes, ac præsertim contra Clericos has exercentes, aut foventes: refertque *Canone* 12. prolixum Decretum sub nomine *Concilii Anquirensis*, vel ut apud Burchardum & Ivonem legitur, *Ancyrensis*, sed in Concilio Ancyrano

(*a*) Extant præfati Canones Ancyrani *Tom. VI.* hujusce editionis.

cyrano Græco, aut Latino, sive impresso, sive manuscripto, non est inventum, inquiunt Correctores Romani. Neque huic Concilio tribui posse notavit Antonius Augustinus *lib. 1. de emend. Grat. dial. 14.* primumque hujus falsæ inscriptionis auctorem fuisse Burchardum notavit Stephanus Baluzius ad Reginonem, una indicans quæ errandi occasio Burchardo fuerit.

De illusionibus, quibus mulieres a dæmonibus decipiuntur.

Interim in hoc Decreto (quod Baluzius alicui capitulari inedito tribuendum auguratur) agitur de quibusdam sceleratis mulieribus, *quæ dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt & profitentur se nocturnis horis cum Diana dea paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, ejusque jussionibus velut Dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari.*

Hæc esse mera deliramenta & somnia a dæmone excitata solide ibidem ostenditur; quæ merito leguntur, cum & hodie non desint mulierculæ, quæ similibus incantationibus & diliriis infatuantur, & a dæmone falluntur (*a*).

Notant autem post Antonium Augustinum Correctores Romani, fere eadem haberi apud Augustinum *in lib. de Spiritu & anima cap. 28.* verum adverterunt eruditi librum hunc Augustino tribui non posse, eumque in Appendicem *tom. 6.* rejecerunt Benedictini, quorum monitio ad lectorem huic operi præfixa dictæ Appendicis videri poterit.

De maleficiis per res sacras ipsumque Missæ sacrificium.

Profert insuper Gratianus *Canone 13.* Decretum sub nomine Concilii Toletani XIII. contra quosdam Sacerdotes, *qui* (ut loquitur Concilium) *obstinatæ mentis dolositate confusi, cum aliqua eos molestia fraternorum jurgiorum pupugerit, insana illico temeritate abrepti, altaria nudantes sacratis vestibus exuunt, luminaria subtrahunt, ac divinorum sacrificiorum cultum, malitia intercedente, subducunt. Et quod in hominibus se vindicare non possunt, injuriam Deo* (quod pejus est) *inferunt*. Integer contextus Concilii *Canone 7.* merito legendus, quem truncatum retulit Gratianus, sensum tamen expressit his verbis Canoni præfixis: „Nonnulli inveniuntur, qui interno livore permoti, in perniciem suorum inimicorum altaria sacris vestibus exuunt, aut veste lugubri accingunt, vel consueta luminariorum obsequia Ecclesiis Dei subtrahunt".

Quod autem additur contra Sacerdotes, *qui sauciati inimicitiæ dolo missam pro requie defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis student celebrare, non ob aliud, nisi ut his, pro quo ipsum offertur sacrificium; ipsius sacrosancti libaminis interventu mortis incurrat periculum*, non reperitur in Concilio Toletano XIII. sed extat in Concilio Toletano XVII. *Can. 5.* qui merito integer legitur: Gratianus enim nonnulla omisit.

Incantationum variæ species.

Tandem quæstionem hanc concludit Gratianus notabili fragmento, quod sub nomine S. Augustini recitat, sed revera sumptum esse ex libello Rabani de magorum præstigiis monent Correctores Romani, quamvis plura ibidem relata extent apud Augustinum, e quo a Rabano descripta fuerunt; uti ea annotant, designatis locis Augustini, Correctores Romani.

Multa notanda circa magicas has incantationes, earumque diversas species ibi occurrunt, & quare eas facere, atque per eas illudi hominibus a dæmonibus Deus permittat, ex Augustino exponitur.

In themate seu casu a Gratiano sub initium hujus causæ proposito dicebatur, quod „Sacerdos, de quo in casu, esset ab Episcopo *excommunicatus*, quodque tandem agens in extremis, reconciliatus fuisset a quodam Sacerdote, inconsulto Episcopo". Hac occasione quærit Gratianus, *quæstione sexta*: „an excommunicatus ab Episcopo possit reconciliari a Presbytero, illo inconsulto"?

Quæst. VI.

Pœnitentium reconciliatio ad Episcopos pertinet.

Itaque primo ostendit Gratianus, reconciliare pœnitentes, Episcopalis officii esse, non Sacerdotalis: adducto eam in rem *Canone 1.* Decreto Concilii Carthaginensis I. quo placuit, *reconciliare quemquam in publica missa Presbytero non licere*.

Et *Canone 3.* refert ex Concilio Agathensi benedictionem quoque super plebem in Ecclesia fundere, „aut *pœnitentem* in Ecclesia benedicere Presbytero penitus non licebit".

De reconciliatione publica id intelligendum esse monet Gratianus.

Ad calcem hujus *Canonis 3.* ita concludit Gratianus: „Ecce quod ab Episcopo excommunicatus, per Sacerdotem reconciliari non potest. Sed notandum est, ait, quod reconciliatio alia est *publica*, alia *privata*: publica reconciliatio est, quando pœnitentes ante *Ecclesiæ ingressum* publice repræsentantur, & per impositionem manus Episcopalis, Ecclesiæ publice reconciliantur, hæc Sacerdotibus videtur esse prohibita. Unde circa finem illius capituli, non simpliciter prohibentur pœnitentes reconciliare, sed in *publica* missa; *privata* vero *reconciliatio* est, quando de occultis peccatis pœnitentes, vel in extremis agentes ad gratiam reconciliationis accedunt. Hæc reconciliatio potest fieri per Sacerdotem".

Quod hic de publica & privata pœnitentium reconciliatione asserit Gratianus, præsertim urgente necessitate, Canoni Carthaginnesi, & pristinæ disciplinæ consentaneum apparet; probatque vir avitæ disciplinæ diligens investigator Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis in notis ad citatum Canonem dicens: „Canon addit, *in missa publica*; quod per Sacerdotes pœnitentes extra septa Ecclesiæ *urgente necessitate*, in gratiam redire possit, ut plurima Canonum testimonia clare probant". Notatque insuper, quod privata hæc reconciliatio *extra septa* Ecclesiæ, quæ urgente necessitate Presbytero permittebatur, spectaret duntaxat simplicem absolutionem, non autem reconciliationem perfectam in sanctissimo Eucharistiæ sacramento.

Opinio Gratiani de reconciliatione privata ob peccata occulta non est conformis veteri disciplinæ.

Quod autem Gratianus generatim potestatem faciat Presbyteris privatam reconciliationem impertiendi, etiam *extra necessitatem*, quando de *occultis* peccatis agitur, nec Canoni, nec ætatis illius disciplinæ congruit; sed ex sui temporis moribus antiquos mores metiendo, de suo Gratianus addidit.

Decretum autem, quod in probationem adducit sub nomine *Evaristi Papæ*, huic pontifici nequaquam adscribi posse, sed manu recentiore ei affictum esse fatentur eruditi.

Pœnitenti moribundo non est neganda reconciliatio.

Post hæc pluribus Canonibus, præsertim Carthaginensibus, & Nicænis, probat Gratianus, beneficium reconciliationis non esse pœnitenti *moribundo* negandum: ita tamen ut si ex morbo convaluerit, tempus pœnitentiæ, quod superat absolvendum, absolvat. Quin & additur *Canone 11.* ex Synodo Epaunensi, quod *si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam sit confessus, & testimonium habeat bonum, & non potuerit venire ad Sacerdotem, ut reconciliaretur, sed præoccupaverit eum mors in domo aut in via, faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altare, & dent redemptionem pro peccatis*.

Hanc fuisse Ecclesiæ Gallicanæ, & plurium aliarum Ecclesiarum disciplinam, contrariam disciplinæ Ecclesiæ Romanæ, supra notavimus.

Juxta Canonē Carthaginensē hic relatum Presbyter pœnitentē moribundū reconciliare non potest, nisi consulto Episcopo.

Multum torquet Gratianum, quod in citato Canone Carthaginensi, quem retulit *Can. 5.* dicatur, quod Presbyter pœnitentiam in periculo mortis constitutum reconciliare *non possit*, nisi prius consuluerit Episcopum, si hic absens fuerit: quid igitur (ait Gratianus) si necessitate mortis peccator urgetur, & Episcopus ita remotus est, quod Presbyter eum consulere non possit, negabitur pœnitentia morienti, & beneficium reconciliationis non præstabitur pœnitenti, quem conversum Deus recipit ad veniam"? Plura ibidem adducens, quæ ostendunt, veniam peccatoribus, præsertim in periculo mortis eam postulantibus, nunquam ab Ecclesia negari: adductis quoque *Canone 12.* Decreto sub nomine Julii Papæ, sed apocrypho, quo Presbyter, *qui pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus animarum declaratur*; & *Canone 13.* Decreto Cælestini Papæ, ubi hic Pontifex scribit, *se horrere tantæ impietatis aliquem inveniri, qui pœnitentiam morientibus denegaret, nec illorum desideriis annueret*, qui obitus sui tempore *hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri*.

His relatis concludit Gratianus: „cui autem pœnitentia non negatur, nec reconciliatio sibi deneganda est: inconsulto ergo Episcopo pœnitentem Presbyter reconciliare non debet, nisi ultima necessitas cogat". Hoc probat *Canone 14.* auctoritate Concilii Carthaginensis III. quo decernitur: „Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo ultima necessitas cogat".

Hinc concludendum apparuit Gratiano, supra citatum Canonem Carthaginensem debere intelligi duntaxat de casu, quo *absens* Episcopus consuli potest, *si necessitas non urgeat*, eum prius absolvi non debere, quam Episcopus consulatur.

Canonem illum male intelligit Gratianus ex ignorantia pristinæ disciplinæ.

Verum minime advertit Gratianus priorem Canonem Carthaginensem non loqui de simplici & necessaria pœnitentis reconciliatione (de qua alii adducti Canones loquuntur); sed de *perfectissima*, qua pœnitens etiam sacræ & Eucharisticæ communionis particeps reddebatur: quod innuitur per hæc Canonis verba: *si reconciliari* divinis altaribus *petierit*: quam nec *necessitate* cogente pœnitentibus Presbyter *inconsulto* Episcopo, impartiri poterat, ut advertit & notat Albaspinæus.

Hic habemus, uti & in multis accidit, Gratianum a vero sensu Canonum deviasse, quia pristinam Patrum disciplinam ignorabat.

Quæst. VII.

Cum in casu a Gratiano sub initium causæ proposito supponeretur, quod Sacerdoti *in extremis* agenti indicta esset pœnitentia sub quantitate temporis Canonibus præfixa, quærit septimo, „si morientibus est indicenda pœnitentia sub quantitate temporis"?

Pro resolutione hujus quæstionis profert *Canone 1.* Decretum sub nomine Theodori Cantuariensis Archiepiscopi

(a) Quæ huc usque a Gratiano sunt exposita, & infra etiam adduntur, jam supra doctissimus D. Van-Espen *de Sortilegio, Magia, & aliis similibus*, & quibus subdantur pœnis magicas artes exercentes, fusius uberiusque pertractavit in *Jure Ecclesiast. Tom. IV. part. 3. tit. 4. cap. 5.* hujus editionis; integrumque Caput V. complexus est, quod consulere quemque de his perplura scire cupientem non pigebit.

parti, in suo pœnitentiali: ex quo & illud referunt Burchardus *l.* 18. *c.* 14. & Ivo *part.* 15. *cap.* 36.

Pœnitentia peccatis proportionata moribundis proponenda.

In hoc Decreto dicitur, *quod ab infirmis in periculo mortis positis per Presbyteros pura inquirenda sit confessio peccatorum, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum studiis, pondus pœnitentiæ sublevandum, & si forte migraverint, ne obligati a communione, vel consortio veniæ fiant alieni.*

Etsi convaluerint, eis imponenda.

Præterea decernitur, si a morbo convaluerit infirmus, *pœnitentiæ modum a Sacerdote, vel suo confessore, sibi impositum diligenter observet.*

Denique, ut *orationibus & consolationibus Ecclesiastici, sacra unctione olei inuncti, seu animati, secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.*

Si hoc Decretum genuinus sit Theodori Cantuariensis fœtus, ex illo docemur, sæculo septimo moris fuisse, ut etiam moribundis pœnitentia Canonica peccatis conveniens proponeretur, eamque si a morbo convaluissent, ab ipsis adimpleri debuisse: quemadmodum de pœnitentibus, qui nondum pœnitentiæ cursu expleto, ob instans mortis periculum, reconciliati fuissent, pluribus Canonibus jam pridem ordinatum erat.

Olim infirmis conferebatur extrema unctio ante viaticum.

Præterea Decretum illud evidenter supponit, ætate sua, unctionem olei infirmis impensam fuisse ante susceptionem viatici: quam disciplinam usque ad ultima sæcula constanter conservatam esse novimus in *Jure Ecclesiast. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *tit.* 4. *cap.* 4. & *tit.* 8. *cap.* 2.

Decretum hoc in pœnitentiali Theodori Cantuariensis evulgato per Jacobum Petitum non reperiri, neque inter capitula Theodori edita a Luca d' Acherio *tom.* 9. *Spicilegii*, & per Labbæum translata in Appendicem *tom.* 6. *Concil. general. col.* 1875. at dictus Petitus inter fragmenta ex quibusdam Codicibus MSS. collecta refert hoc Decretum ex pœnitentiali magistri Bartholomæi Oxoniensis Episcopi, sed cujus ætatis aut auctoritatis sit hoc pœnitentiale, non dicit: additur autem ex dicto pœnitentiali: *si peccatum mortale fuerit, sed occultum, inotescenda eis pœnitentia, quæ imponeretur, si peccatum publicum esset, sed nulla sunt imponenda, quæ observari absque peccati publicatione non possunt, quale est extra Ecclesiam pœnitere, & similia, quæ non nisi Laicis, & publice peccantibus sunt injungenda. Ex hoc vero intelligant, ad quid teneantur, vel quantum eis parcatur, eo quod per secretam confessionem facti sunt ipsorum primi accusatores, & ut pro erubescentia, quam sustinerent in publica pœnitentia, abundantiorem cordis contritionem & devotionem cum charitatis operibus recompensent.*

Peccatori occulto proponenda est pœnitentia, quæ publico imponi deberet.

Hinc habetur, quod ætate hujus pœnitentialis adhuc publica & Canonica pœnitentia imponeretur pro peccatis publicis, eamdemque peccatoribus occultis fuisse propositam, quod merito & hodierni confessarii imitabuntur.

Fatendum tamen est, hæc non præferre aut sapere ætatem Theodori, sed recentioris esse disciplinæ; cum ætate Theodori, id est sæculo *VII.* etiam pro peccatis *occultis* pœnitentia publica imponeretur, uti ex Morino ostendi in *Jure Ecclesiast. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *tit.* 6. *cap.* 2.

Pœnitentia criminum qualitati sine personarum acceptione attemperanda est.

Deinde *parte secunda* quæstionis ostendit Gratianus, quod præsidentium arbitrio tempora pœnitentiæ decernenda sint pro qualitate seu gravitate criminum.

Probat Gratianus assertum suum *Canone* 2. auctoritate Sancti Leonis in Epistola ad Nicætam Episcopum *cap.* 6. & *Canone* 4. ex Synodo Laodicena *Canone* 2.

Adducit *Canone* 3. Decretum sub nomine *Nicolai Papæ*, quod sub titulo *de pœnitentia num.* 2. inter Decreta a Gratiano Nicolao I. adscripta retulit Cochlæus, & *incertum* esse asserit Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emendat. Gratiani dial.* 18.

Profert *Canone* 6. Decretum sub nomine *Concilii Carthaginensis IV. cap.* 74. ex septem Canonibus hodie in dicto Concilio extantibus conflatum, sed inverso plane ordine. Credunt nonnulli hæc a Gratiano, aut aliquo Canonum Collectore, e quo Gratianus sua descripsit, decerpta esse ex aliquo pœnitentiali, in quo verisimiliter ea reperiebantur continua serie descripta: neque enim ad sic referenda & in unum conflanda materia capitis, compellebat, quandoquidem duntaxat probare vellet sine acceptione personarum imploranti pœnitentiam dandam esse: ad quod probandum solus Canon 74. subservire poterat, reliquis huic rei nullatenus convenientibus: adeoque non alia ratione in unum compacti apparent, nisi quod omnes ita subnexos reperit Gratianus.

Citat *Canone* 7. Decretum sub nomine *Synodi octavæ*, notant autem Correctores Romani: „ videri posse sumptum ex regulis brevioribus B. Basilii *cap.* 106. quod „ notatum alibi est (inquiunt) evenire in iis capitibus, quæ ex octava Synodo citantur „: uti & hic *Canone* 8. 9. 10. & 11.

Cæterum conclusio Gratiani de attemperanda pœnitentia pro gravitate criminum & dispositione pœnitentium, sacris Canonibus conformis est, eamque probavit Synodus Tridentina *sess.* 14. *c.* 8. *de Sacram. Pœnit.* monens Sacerdotes, quod „ debeant quantum spiritus & „ prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultates, salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne si forte peccatis conniveant, „ & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima „ quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, „ alienorum peccatorum participes efficiantur ".

Quo affectu pœnitentes suscipiendi & impœnitentes abjiciendi.

Deinde *Canone* 9. 10. & 11. probare vult Gratianus, quo affectu pœnitentem suscipere, & impœnitentem abjicere debeamus, nimirum *affectu intimo charitatis.*

Profert autem hos Canones, uti & septimum & octavum sub nomine Synodi VIII. sed nullus eorum inter Canones hujus Synodi reperitur, videnturque potius ex dictis Sancti Basilii excerpti, uti ex Correctoribus Romanis supra notavi, quibus addi potest Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emend. Grat. dial.* 7. idipsum observans.

De variis superstitionibus Gentilium a Christianis vitandis.

Denique Gratianus saltem in fine suæ causæ volens materiam præcipuam sibi initio propositam attingere, Canone 13. usque ad finem agit contra varias ac superstitiosas Gentilium observationes, quasi a Christianis vitandas ostendit.

De superstitiosa calendarum observatione.

Et quidem *Canone* 13. ex Martino Bracarensi refertur, quod *non liceat iniquas observationes agere calendarum, & otiis vacare Gentilibus, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos: omnis enim hæc observatio paganismi est.*

Unde hæc sumpserit Martinus nescio, citat quidem Doujatius tamquam hujus Capituli fontem Canonem 39. Laodicenum, sed nihil ibi de observatione *Canlendarum*, aut *lauro & viriditate arborum.*

Addit & Concilium Turonense II. *Canone* 22. quod cultus *Calendarum Januarii* quidem meminit, qui & reprobatur, at reliquorum nulla ibi mentio fit.

Hoc constat, publica & superstitiosa lætitiæ signa ipsis Calendis primum a Gentilibus, dein a Christianis fuisse exhibita, quæ & indecoris choreis, aliisque vanis & superstitiosis observantiis fœdebantur, uti pluribus ostendit Du-Cange in suo glossario latinitatis, verbo *Calendæ*, & verbo *Cervulus.*

Cum autem verisimile sit, diversa pro varietate locorum & populorum adhibita fuisse vana & superstitiosa lætitiæ signa, quidni dicamus, quod Martinus Bracarensis Canonem, quo *Calendarum* observantiæ prohibebantur, accommodaverit gentis suæ moribus, addendo quæ ibidem usitata erant, quod ipsi familiare fuisse pluribus ostendi potest.

Ejusdem festivitatis Calendarium Januarium meminit & *Canon* 14. sub nomine Zachariæ Papæ in Concilio Romano *cap.* 9. ubi & aliarum observationum, quæ eisdem Calendaris exhibebantur, mentio occurrit, atque inter cætera prohibetur quis *Brumam ritu Paganorum colere.*

Notat Antonius Augustinus quod *Canone* 62. *Synodi VI. in Trullo*, *Brumalia* prohibeantur, eaque videantur esse a *Bruma* dicta. Incidere autem *Bruma* solebat saturnalibus diebus, non longe a Calendis Januariis; unde appàret, Brumam coincidisse quodammodo cum Calendis Januariis: unde Canon hoc dicit: *si quis Calendas Januarias & Brumam ritu Paganorum colere præsumpserit.* Vide *Tomo VII. Schol. in Canonem* 62. *Trullanum.*

De magicarum artium inefficacia.

Docet *Canone* 15. Gratianus, magicas artes & incantationes nec morbis hominum, aut morbidis animalibus quidquam remedii posse adferre. Citatur hic Canon sub nomine Sancti Augustini, sed verba apud ipsum non reperiri monent Correctores Romani, qui una indicant loca unde desumpta apparent.

Dies Ægyptiaci qui?

Rursus *Canone* 16. sub nomine Augustini (sed penes quem rursus non reperitur) interdicitur observatio *Calendarum Januarii*, quibus adduntur *dies*, qui dicuntur *Ægyptiaci.*

De his diebus varii varia scripserunt, uti videre est apud Du-Cange in glossario latinitatis, verbo *dies Ægyptiaci*, apparetque sat verisimile, quod scribit Durandus in rationali *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 201. hos dies dici *Ægyptiacos*, qui ab Ægyptiis sunt inventi. *In Ægypto enim, ait, erant quidam Astrologi, qui quasdam constellationes nocivas humanis actibus in illis diebus invenerunt, ideoque illas notas hominibus esse voluerunt. Tamen illarum constellationum puncta scire propter errorem nostri computi non valemus: vel forte invenerunt dies bene constellatos, & ideo eos in Calendario notaverunt, ut in illis diebus potius quam in aliis, a tibus insistatur, quorum errorem ne Ecclesia sequi videatur, a talibus cavetur abstineri.*

De origine strenarum.

Describuntur & in eodem hoc Canone, inhonestæ & superstitiosæ observationes, quæ Calendis Januariis fieri solebant, atque inter alia scribitur: *Et ad invicem dona donantur, quasi in principio anni*, boni fati augurio: quod hinc ad Christianos dimanaverit mos, Calendis Januariis strenas donandi aut mittendi, admodum verisimile est. Hic mos, cum nihil videatur superstitionis continere, merito retinetur, quemadmodum & alia plura Religio Christiana Gentilibus accepta, rejecta eorum superstitione, religiosissime retinet, & etiam inter Ecclesiasticas cæremonias recepit, uti in *Jure Ecclesiastico* sparsim notavi, & signanter *Tom. III. part.* 2. *sect.* 4. *tit.* 7. alias 38. *cap.* 1.

Eo-

Eodem Canone, uti & Canone 17. ex Sancto Augustino ostenditur superstitiosum & enorme peccatum esse, observare dies & annos, aut lunæ, solisque cursum: variæque & aliæ superstitiosæ observationes describuntur.

C A U S A XXVII.

De matrimonio hic agi ... & cur?

GLOSSOGRAPHUS ad initium hujus causæ ait: *Tractato (vel tractatui) de negotiis & ministeriis Ecclesiasticis, adjungit de Sacramentis (Gratianus). Primo de matrimonio, licet alia sint digniora, & magis necessaria, & hoc ideo, cum matrimonium magnum sit in Christo & Ecclesia Sacramentum, & tempore antiquius est, & usu communius. Antiquius, quia ante peccatum institutum est; communius, quia cum Sacramenta omnia sint in Ecclesia Dei, hoc tamen apud gentes omnes est, sanctitas autem ejus non nisi in monte sancto ejus, id est, ubi Ecclesia ædificata est.*

Et quia de matrimonio (pergit glossographus) sæpe quæritur in judicio; ideo assignando multiplicia ejus impedimenta tractaturus de eo continuat decem causas (Gratianus).

Unde hic tractatus a causa vigesima septima usque ad causam trigesimam-sextam vocari solet tractatus de matrimonio.

Quæstio I. De impedimento voti.

Incipit autem Gratianus ab impedimento voti; quæritque primo: „ an conjugium possit esse inter vo„ ventes.

Quod voventes matrimonia contrahere non possint, multis auctoritatibus ostendere nititur *parte 1. suæ quæstionis*, quæ demum finitur ad *Canonem* 40.

Neque sane desunt auctoritates, quibus evincatur, post votum Virginitatis nemini licere, voto durante, ad matrimonium convolare.

Illud tamen e multis patet, jam pridem discrimen fuisse inter eas, quæ simpliciter Virginitatem Deo promiserant, & eas, quæ publice se Deo sacraverant, & ab Episcopo velamen, ut indicium suæ consecrationis, acceperant.

Et his quidem major diuturniorque pœnitentia, si votum violassent, imponebatur, quam illis, uti probat Canon 2. qui refertur sub nomine Gregorii ad Bonifacium, extatque apud Reginonem, itemque apud Burchardum & Ivonem, ex quo indubie illud descripsit Gratianus, neque apud Gregorium reperitur.

Quidquid sit, in hoc manifestissime indicatur distinctio inter Virgines velatas, & non velatas, circa pœnitentias illis injungendas, si a voto recedant.

Et sane hæc velatio arctiore quasi vinculo Virginem Deo consecrabat, & Christo quasi desponsabat: unde non nisi post diuturnam Virginitatis probationem velabantur: quin & quibusdam Canonibus cautum fuit, ne qua ante *quadragesimum* ætatis annum velaretur, uti notat Hugo Menardus ad *Sacram. S. Gregorii pag.* 21.

Distinctio inter velatas & non velatas expressis terminis probatur quoque ab Innocentio I. *Epist.* 2. *ad Victricium c.* 12. & 13. a Gratiano refertur utriusque capitis textus *Canone* 9. & 10. monetque glossographus ad *Canonem* 9. quod Virgines necdum sacro velamine tectæ, & votum solventes, minus peccent, quam velatæ.

De viduis continentiam promittentibus?

Nec tantum de puellis Virginitatem promittentibus, sed & de viduis, mortuis maritis, continentiam pollicentibus tractat Gratianus, earumque mentio etiam occurrit in citato *Canone* 2. refertque *Canone* 8. Decretum sub nomine Concilii Martini Papæ, qua inscriptione indicatur collectio Martini Bracarensis, quæ inscriptio falsa est, cum Canon hic sit *c.* 25. Concilii Triburiensis de an. 895. uti etiam monent Correctores Romani.

Viduæ velari prohibentur.

Viduas autem velare (inquit hic Canon) *Pontificum nullus attentet, prout statutum est in Decretis Gelasii Papæ cap.* 13.

Deinde adjicitur ex ejusdem Papæ Decretis *c.* 21. *Quod si propria fuerit voluntate continentiam professa, ejus intentio pro se reddat rationem Deo.* At in Decretis ita legitur: „ Nam de viduis sub nulla benedictione ve„ landis, superius late duximus disserendum, quæ si „ propria voluntate professam pristini conjugii castita„ tem mutabili mente calcaverint, periculi earum in„ tererit, quali debeant Deum satisfactione placare.

Post hæc ex dicto Concilio Triburiensi subjicitur: *Nos autem auctoritate Patrum suffulti, in hoc sancto Concilio sancimus, & libere indicamus, si sponte velamen, quamvis non consecratum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas Deo oblationem obtulerit, velit, nolit sanctimoniæ habitum ulterius habere debet, licet sacramento confirmare velit, eo tenore, & ratione sibi velamen imposuisse, ut iterum posset deponere.*

Quod Triburiense aliudve ejusdem aut recentioris ætatis Concilium decernit *de viduis, velamen, quamvis* non consecratum, sibi imponentibus, non apparet pristinis Canonibus aut Decretis Gelasii Papæ satis conforme. Olim enim solæ *Virgines* ab Episcopis *velatæ* leguntur: hinc plures sunt de velandis Virginibus Patrum tractatus, sed nullibi viduarum velatarum mentio occurrit.

Quæ velationis Virginum origo?

Virginum velatio originem habuisse videtur ex ritu antiquo apud pleraſque Gentes, etiam non Christianas recepto, quo novis nuptis flamen seu velamen imponebatur, quo faciem velarent: ut quemadmodum his imponebatur velamen in signum contracti *carnalis* matrimonii, ita verisimiliter invaluit, ut mulieribus in publica continentiæ professione velamen imponatur in signum contracti *spiritualis* cum Christo matrimonii.

Cur Virgines potius quam viduæ velatæ?

Quod solæ Virgines, non viduæ velarentur, ratio ex Apostolo, in secunda ad *Cor.* 11. *vers.* 2. sumpta apparet, ubi dicit: *Despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.*

Hinc enim concludendum apparebat, non posse proprie dici *desponderi* Christo ut *Virginem* castam, quæ alteri viro fuerat juncta.

Alia postea inter Virgines & viduas data distinctio, & cur?

Labentibus sæculis, cum sensim vera velationis origo & ratio in oblivionem abierit, creditum apparet, quod omnis inter consecrationem Virginum & viduarum distinctio esset penes solemnem Episcopi aut Sacerdotis benedictionem, adeo ut hæc solemnis benedictio solis Virginibus imponeretur, hæque solæ velamen *ab Episcopo benedictum* acciperent, viduæ vero sine illa *solemni benedictione* sibi velamen etiam *non consecratum* imponerent, & continentiam profiterentur, ad exemplum ejus, quod in nuptiis carnalibus contingit.

Scitur enim secundas nuptias, præsertim dum tales sunt ex parte mulieris, solemni benedictione Sacerdotis carere: quidni ergo similitudine quadam rationis hinc accepta, viduæ spiritualiter nubenti cum Christo, eadem benedictio negata?

Tandem in professione Virginum & viduarum omnis distinctio sublata est.

Tandem labentibus sæculis, veteri Patrum disciplina quasi oblivioni tradita, & velatione ac professione puellarum & viduarum ad simplices Presbyteros devoluta, omnis inter Virginum & viduarum professionem differentia evanuit, eodemque modo solemnem professionem emittunt, & velum religionis, si eas solemnem in religione professionem emittere contingat, recipiunt.

Exemplum tacitæ professionis.

Quod vero eodem Canone ex Concilio Triburiensi additur, quod vidua, quæ sponte sibi velamen *non consecratum* imposuit, & in Ecclesia inter velatas oblationem obtulit, debeat etiam velit nolit sanctimoniæ habitum retinere, evidenter *tacitæ* professionis, cujus in Decretalibus frequens mentio occurrit, exemplum est.

Verum hanc tacitam professionem ab usu recessisse scitur (*a*).

Quibus pœnis punienda violatio voti & professionis continentiæ?

Variæ pœnæ decernuntur in Virgines, aliasque, quæ continentiæ professionem vitio carnis violaverint.

Primo a fidelium communione & cœtu excluduntur, quin & recludi jubentur, præsertim viduæ, ut habet Canon 2. Item Monachi aut Monachæ, ut habetur in Canone 11. ex Concilio Triburiensi, de quibus ita statuitur: *Monachos atque Monachas, quæ abjecto proposito sanctitatis, illicita atque sacrilega contagione se miscuerunt, & in abruptum conscientiæ desperatione perductæ, de illicitis complexibus libere filios procrearunt, a Monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus lamentatione continua deflentes, purificatorio possint igne pœnitudinis decoqui, ut eis vel ad mortem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit subveniri.*

Qua pœna puniendus, qui sacratam Virginem ducit?

Nec tantum mulieres continentiam professæ, ac deinde nubentes, excommunicantur, sed etiam ille, qui sacro velamine consecratam in conjugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscuerint, *a sacra communione detrudi jubentur, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi. Si tamen digne pœnituerint, transeuntibus de sæculo viaticum non negetur.*

Et rursus *Canone* 30. ex *Novella Justiniani* 124. *cap.* 64. decernitur: „ ut si quis rapuerit, vel sollicitave„ rit, vel corruperit *Ascetriam*, vel *Diaconissam*, vel „ *Monacham*, vel aliam mulierem, religiosam vitam, „ vel habitum habentem, bona ipsius & eorum, qui „ hujusmodi sceleris communione contaminati sunt, „ Ecclesiæ vendicentur, ipsi autem *capitali periculo* sub„ jiciantur.

Porro notandum, non eamdem ubique, aut omni tempore circa hæc fuisse disciplinam, ideoque loca & tempora, quibus Canones editi fuerint, aut eorum auctores floruerint, diligenter distinguenda esse.

Insuper observandum, in præsenti quæstione, plurimos a Gratiano referri textus mutilatos, necnon alienis auctoribus inscriptos, uti pene ad singulos notarunt Correctores Romani, quibus adde Canonem 20. assignatum S. Augustino de *conflitu vitiorum & virtutum*, quem non esse Augustini a multis observatum erat, & pluribus præmonitione huic tractatui præfixa, in appendice *tomi 8. operum S. Augustini col.* 219. probant eruditi eorum operum revisores Monachi Benedictini.

Ex his interim auctoritatibus concludit Gratianus ad

(a) Saltem in Galliis ignorantur tacitæ professiones. Post Constitutionem Molinensem an. 1566. datam, desierunt supremi Galliarum Senatus eas agnoscere; secuti sunt effatum Clementi III. attributum, *cap. porrectum* 13. *x de Regularibus*. Monachum non facit habitus, sed professio Regularis.

Quædam a Gratiano allegantur pro invaliditate matrimonii contracti a voventibus.

,, ad calcem Canonis 40. quod ,, voventes prohibeantur ,, contrahere matrimonia, & quidam eorum, si contraxerint, separari jubeantur ,,. Hoc postremum membrum probat præcipue auctoritate *Canonis* 40. ex Concilio Romano sub Innocentio II. qui sæculo XI. sedit: quo sancitur, ut sacris Ordinibus initiati, *regulares Canonici, Monachi, atque Conversi, professi, si sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint*, separentur, *hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam*, matrimonium non esse censemus.

Quædam e contra pro validitate.

Post hæc allegat *Canones* 41. textum Sancti Augustini ex tractatu *de bono viduitatis*, quo aperte probat Augustinus, matrimonia post votum continentiæ, a virginibus & viduis quidem illicite contrahi, sed tamen non esse adulteria, immo esse veras nuptias: *Qui dicunt*, ait, *talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acute ac diligenter considerare quid dicant*.

Conatur illa conciliare Gratianus, sed male.

Gratianus pro conciliandis his in speciem diversis auctoritatibus ad calcem *Canonis* 43. ait: Quod voventes ,, præmissis auctoritatibus jubentur ab invicem discedere, ,, quorum vero conjugia auctoritatibus Augustini & ,, Theodori solvenda non sunt, in capitulo de ordinatione Clericorum evidenter ostenditur.

Evidens est, nos a Gratiano hic remitti ad *Distinctionem* 27. ubi hanc in speciem contrarietatem solvit per distinctionem voti simplicis & voti solemnis: quam distinctionem ætati Augustini aut Theodori non convenire ibidem notavimus, atque Gratianum fuisse primum auctorem distinctionis inter votum solemne & simplex in ordine ad impediendum vel dirimendum matrimonium (*a*).

Si Gratianus tempora & loca distinxisset, nequaquam ad novam hanc distinctionem inter *solemne* & *simplex* votum recurrere debuisset.

Quæst. II.

Altera quæstione hujus causæ quærit Gratianus: an ,, puellæ alteri desponsatæ possint renuntiare priori conditioni & transferre sua vota ad alium?

Priusquam quæstionem hanc resolvat, quærit, utrum solus consensus matrimonium faciat, & qualis debeat esse consensus.

Solus consensus matrimonium facit.

Quod solus consensus matrimonium faciat, & conjuges, probat in primis ex vulgata definitione matrimonii, quæ ad nuptias solum consensum requirit, juxta illud Isidori, *consensus facit matrimonium*. Item auctoritate auctoris operis imperfecti in Matthæum (quem hic *Canone* 1. & alibi sæpius falso citat Gratianus sub nomine S. Chrysostomi) qui dicit: *Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas*; & *Canone* 2. auctoritate Nicolai I. at notandum Correctores Romanos ex ipsis Nicolai responsis aliqua mutasse, quod fit, ut in Codicibus correctis, non amplius habeatur Decretum, prout a Gratiano editum fuit, sed ut a Correctoribus illis prætextum correctionis, mutatum est: ut sæpius ab ipsis factum esse monuimus.

Ex his ergo concludit Gratianus; cum solus consensus matrimonium faciat, etiam illos, inter quos talis consensus intercessit, veros conjuges esse.

Quis consensus matrimonium facit, an cohabitationis, an copulæ?

At nunc ulterius quærit: quis consensus matrimo- ,, nium faciat, an consensus cohabitationis an carnalis ,, copulæ, an uterque ,,?

Ratio dubitandi erat, quia si prior sufficeret tunc frater cum sorore matrimonium posse contrahere: si posterior, scilicet *carnalis copulæ* requiratur, *inter Mariam & Joseph non fuit conjugium*: ,, Voverat enim ,, Maria se Virginem perseveraturam.... si ergo con- ,, tra suum propositum postea consensit in *carnalem* ,, copulam, rea facta est voti Virginalis mente, etsi ,, non opere violati. Quod de ea sentire nefas est, sicut ,, Augustinus ait.,,

Tum subjicit prolixum discursum sub nomine Augustini, quo vult ostendere, quomodo sine violatione pudicitiæ, aut voti Virginalis, fuerit conjugium inter Mariam & Joseph: *Committens*, inquit, *Virginitatem suam divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo*. Discursum hunc non reperi apud Augu- ,, stinum ,, sed videri a Collectore ex variis locis beati ,, Augustini, potissimum ex libello de Virginitate con- ,, fectum ,, monent Correctores Romani.

Pluribus post hæc probat Gratianus consensum, non carnalem coitum conjuges facere.

Multa quoque hac quæstione miscet Gratianus, quæ sibi in speciem contraria videntur, variasque conciliandi rationes adducit.

An conjux sine alterius licentia possit continentiã profiteri?

In primis *Canone* 23. & sequentibus, probat, neutrum conjugum posse sine licencia alterius continentiam pro- ,, fiteri: ,, Sponsi vero (ait ad calcem *Canonis* 26.) ,, inconsultis, quas sibi desponsaverunt, exemplis & ,, auctoritatibus probantur continentiam posse servare,,. Probat id exemplo SS. Macharii & Alexii, qui initis *nuptiis*, sponsas suas deseruisse, & continentiam, vitamque eremiticam seu solitariam amplexi dicuntur: ,, atque ex his cuncludit: ,, Horum exemplo patet, ,, quod sponsi sponsarum suarum non exquisito consensu, ,, continentiam valeant profiteri ,,.

Famosa admodum est historia Sancti Alexii, cujus hic meminit Gratianus, at non æque eruditis apparet authentica, uti nec Decretum sub nomine *Eusebii Papæ*, hic a Gratiano *Canone* 27. in ejusdem essertionis probationem allegatum.

Interim ex allegatis sat probatum supponens Gratianus, desponsos posse sine mutuo consensu, se Deo in *Monasterio* consecrare, ad calcem *Canonis* 28. concludit, quod inter sponsum & sponsam conjugium non sit: quia conjuges sine mutuo consensu se Deo offerre non possunt, quod sponsis licet.

Quæ impotentia dirimat matrimonium, & quæ non?

Post hæc allegat *Canone* 29. Decretum sub nomine Gregorii de separatione conjugis ob probatam viri impotentiam: quod falso Gregorio attribui notat Stephanus Baluzius, probatque sumptum ex Epistola Rabani Mauri archiepiscopi Moguntini ad Heribaldum, quam cum brevi præfatione evulgavit ad calcem Reginonis Abbatis: exstatque præsens Decretum seu responsum *cap.* 29. hujus Epistolæ; sed Cœlestinus III. in *cap.* 5. ӿ *de frigidis & malefic.* citat hoc ipsum responsum sub nomine Gregorii, secutus nimirum, more aliorum Pontificum, auctoritatem Gratiani.

Interim ex hoc Decreto concludit Gratianus, quod impossibilitas commercii carnalis, si post carnalem copulam in aliquo inventa fuerit, non solvat conjugium: si vero ante carnalem copulam deprehensa fuerit liberum facit mulieri alium virum accipere, uti loquitur ad calcem dicti Canonis, concluditque: ,, inde ,, apparere, illos non fuisse conjuges; alioquin non ,, liceret eis ab invicem, discedere, excepta causa ,, fornicationis: & sic discedentes oportet manere in- ,, nuptos, aut sibi invicem reconciliari.

Matrimonium aliud est initiatum sive ratum, aliud consummatum.

Cum autem hæc contrariari viderentur illis auctoritatibus, quibus sponsi etiam *conjuges* dicuntur, antequam carnaliter commisceantur, pro conciliatione notandum monet ad calcem *Canone* 34. ,, Scriptum esse ,, quod conjugium desponsatione initiatur, commixtione ,, perficitur. Unde, ait, inter sponsum, & sponsam ,, conjugium est, sed *initiatum*, inter copulatos & ,, conjugium *ratum*.

Alludit hic Gratianus ad illud, quod sub nomine Ambrosii scriptum est *Canone* 5. & rursus paucioribus verbis repetitur *Canone* 35. *Cum initiatur conjugium, conjugii nomen asciscitur, non cum puella viri admixtione cognoscitur*.

Tum iterum concludit Gratianus: ,, Ecce quod in ,, desponsatione conjugium initiatur, non perficitur.

Hanc distinctionem latius extendit ad finem *Canonis* 39. docens, quod juxta hanc distinctionem intelligenda est illa auctoritas Augustini: *Non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse* (Canone 16.) *ad matrimonium perfectum*; ,, subintelligendum est, tale ,, videlicet, quod habeat in se Christi & Ecclesiæ ,, sacramentum .... cuncta ergo, ait, quæ de non ,, separando conjugio inducta sunt, de *perfecto* intelli- ,, guntur, quod sponsali conventione initiatum est, ,, & officio corporalis commixtionis est consummatum. ,, Illa vero, quibus separabile conjugium ostenditur, ,, de *initiato* intelliguntur, quod nondum officio sui ,, perfectum est ,,.

Ratum dissolvi potest, consummatum non item.

Et ad finem *Canonis* 45. concludit: ,, Sponsas con- ,, juges appellari spe futurorum, non re præsentium: ,, quomodo ergo conjuges a prima fide desponsationis ,, appellantur, si ista quæ asseritur sponsa, conjux esse ,, negatur? Sed a prima fide desponsationis, conjux ,, dicitur appellari, non quod in ipsa desponsatione fiat conjux, sed quia ex fide, quam ex despon- ,, satione invicem debent, postea efficiuntur conju- ,, ges ,,.

Ex his haud difficile est intelligere, triplicem distinctionem illam Canonistis & Theologis familiarem sponsalium de futuro, matrimonii rati, sive sponsalium de præsenti, & matrimonii consummati, Gratiano notam fuisse; immo forsan primo a Gratiano expressa & impensa, ejusdem auctoritate a Canonistis & Theologis recepta fuit.

Quæ sit illius distinctionis origo?

Ulterius quidni dicamus, eadem auctoritate Gratiani fuisse receptum, per matrimonium *consummatum* repræsen-

(a) Dicendum tamen est hanc Gratiani distinctionem veteri ac legitimo non carere fundamento: longe antequam suum Decretum conderet Gratianus, constare videbatur, quoddam esse continentiæ votum, quod matrimonii vinculum dirimeret; quoddam vero cui jus illud non tribuebatur. Sunt enim Canonistæ, qui vestigia voti matrimonium dirimentis deprehendunt in Concilio, quod in Hibernia an. 450. habuit Sanctus Patricius. Volunt jus illud deinde Romæ obtinuisse vertente seculo sexto, ac tandem an. 1138. declarante Concilio Lateranensi secundo, hoc jus in universa Ecclesia Latina fuisse observatum. Undenam tanta vis cuidam votum, cui negabatur? undenam illud discrimen? nisi quia prius solemni ritu an pubblice, posterius vero privatim fiebat: quod autem publice fit majore vi donare solet, quam id quod privatim peragitur. Quapropter conjicere licet distinctionem inter votum solemne & votum simplex esse Gratiano antiquiorem, aut saltem ab ipso sine fundamento non fuisse excogitatam.

sentari unionem *Christi* cum *Ecclesia*: per ratum vero, sive initum consensum de præsenti, duntaxat *initiatum*, repræsentari solam unionem Christi, cum *anima justi per charitatem*: atque hinc illud esse omnino indissolubile: hoc vero solvi posse saltem per professionem continentiæ, uti notavit Gratianus ad calcem Canonis 26. ad quam notam respexisse Alexandrum III. in *c.* 2. ⁂ *de convers. conjug.* indicat clausula parenthesi inclusa, *sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt*, & observavit Franciscus Florens in commentario ad hanc quæstionem.

Sponsalia alia sunt de præsenti, alia de futuro; quæ sit inter illa differentia?

Denique *Canone ultimo* sub nomine *Augustini* evidenter expressit distinctionem inter sponsalia de futuro, & de præsenti. Asseritur enim quod *duobus modis dicatur fides, pactionis & consensus: si quis* (inquit) *alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere; si aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa quam duxit, non enim rescindi debet tantum sacramentum. Si autem fecerit fidem consensus, non licet aliam ducere, si autem duxerit, dimittet eam, & adhærebit priori.*

Hic evidenter Gratianus expressit, sponsalia de futuro solvi per sequens matrimonium, licet illicite contractum contra fidem datam: nihilominus sic contractum esse verum & validum matrimonium. Sponsalia autem de præsenti non dissolvi, sed contractum secundum matrimonium esse invalidum, propter sponsalia de præsenti.

Sponsalia de futuro per copulam sequentem olim transibant in sponsalia de præsenti.

Quod autem Canoni adjungit Gratianus: „ est autem „ haec pactionis, quando aliquis promittit fidem alicui, quod eam ducet, si permiserit ei rem secum „ habere: „ vel etiam pro consensu, videtur eam habere sententiam, ut qui post sponsalia *concubitus* atque congressus sequitur, sit *pro fide consensus*, atque ita pro matrimonio *præsumpto*: quod & auctoritate Gratiani receptum fuit, & in Decretalibus præsumptum matrimonium appellatur, in *cap.* 20. & *fin.* ⁂ *de sponsal.* quibus declaratur, sponsalia de futuro per subsecutam copulam carnalem transire in sponsalia de præsenti: *quia licet præsumptum matrimonium videatur, contra præsumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda*, ait citatum c. 20.

Plura hic mutilata & supposititia a Gratiano allegantur.

Circa auctoritates præsenti quæstione a Gratiano adductas, speciatim notandum pleraque vel mutilatas esse, vel auctoribus non suis inscriptas, uti & ad singulos pene Canones notarunt Correctores Romani, & Stephanus Baluzius.

Pluribus exemplis ostenditur decretalium Collectores cæco modo Gratianum fuisse secutos.

Porro sicuti Gratianus simpliciter secutus fuit fidem præcedentium Collectorum, atque ita & eorum errata mutuavit; sic & subsequentes Collectores, quin & Romani Pontifices in suis responsis & Decretalibus fidem Gratiani secuti sunt: ac signanter ex hac quæstione jam supra monui referri sub nomine Gregorii fragmentum Epistolæ Rabani Mauri, & rursus refertur in *cap.* 2. ⁂ *de Reg. Jur.* sub nomine Joannis Chrysostomi: *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, quia hic *Canone* 4. sub ejus nomine extant, quæ tamen non Chrysostomi sed incerti auctoris *operis imperfecti* in Matthæum esse, monent Correctores Romani.

Similiter quæ *Canone* 8. referuntur ex Concilio Africano, extant sub nomine ejusdem Concilii in *cap.* 1. ⁂ *de condit. appositis*, &c. quamvis in nullo Concilio Africano inveniantur.

Rursus, quæ Canone finali falso attribuuntur Augustino, eidem inscribuntur in *cap.* 1. ⁂ *de sponsa duorum*: & quod amplius, verba Gratiani explanationis gratia Canoni subjecta, hic tanquam verba Canonis referuntur; quia scilicet hæc Gratiani verba irrepserant per errorem in ipsum textum, uti monet Franciscus Florens.

Ut inde appareat, quam cæco modo auctoritatem Decreti Gratiani sequuti fuerint Decretalium Auctores & Collectores.

CAUSA XXVIII.

De impedimento infidelitatis.

Casus in hac causa propositus,

PROSEQUENS Gratianus materiam matrimonialem, ac notanter impedimentorum, hac causa agit de impedimento infidelitatis, eumque in finem proponit hunc casum: „ Quidam infidelis in conjugio positus, ad „ finem conversus est, uxor vero odio fidei Christianæ „ ab eo discessit. Ille quamquam fidelem uxorem ac„ cepit, qua mortua Clericus efficitur. Tandem vitæ „ & scientiæ merito in Episcopum eligitur „.

Quæstiones ex casu elicitæ.

Ex hoc casu tres elicit quæstiones, quarum *prima* quærit, an conjugium sit inter infideles; secunda an si alter infidelium convertatur ad fidem, altero manente in infidelitate, liceat fideli ab infideli recedere, & alias nuptias, eo adhuc vivente, contrahere: tertia, an sit reputandus bigamus, qui ante baptismum habuit unam, & post baptismum alteram.

Quæstio I. & II.

Duæ primæ quæstiones vix separari possunt, cum auctoritates ad utramque pertinentes inter se misceantur.

Immo nec nisi unicus Canon 2. ad decisionem secundæ quæstionis pertinens sub illa quæstione referatur:

Verum est matrimonium inter infideles.

Gratiani resolutio circa has quæstiones hæc est. Primo inter infideles & inter Judæos esse & fuisse verum ac legitimum matrimonium, quemadmodum concludit ad calcem *Canonis* 14. una respondens eis, quæ in speciem contrariari videbantur.

Matrimonium fidelis cum infideli vetitum est.

Secundo, matrimonium fidelis cum infideli aut Judæo esse utroque Testamento veteri & novo vetitum, uti multis auctoritatibus ac signanter S. Augustini *Canone* 9. ex *lib.* 1. *de adulterinis conjugiis* probat.

Matrimonium infidelium non habet vim sacramenti, ideoque nec indissolubile est.

Tertio, matrimonium duorum infidelium vel Judæorum inter se, non esse, *ratum*, neque habere effectum & vim *sacramenti*: adeoque neque esse indissolubile.

Gratianus distinguit triplex conjugium, legitimum & non ratum, ratum & non legitimum, legitimum, & ratum.]

Hinc ad finem *Canonis* 17. ait: „ conjugium aliud est „ legitimum & non ratum, aliud ratum & non legiti„ mum, aliud legitimum & ratum. Legitimum conju„ gium est, quod legali institutione vel provinciæ „ moribus contrahitur. Hoc inter infideles ratum non „ est, quia non est firmum & inviolabile conjugium „ eorum: dato enim libello repudii, licet eis recedere „ ab invicem, & aliis copulari lege fori, non lege poli, „ quam non sequuntur. Inter fideles vero ratum con„ jugium est, quia conjugia semel inita inter eos, ulte„ rius solvi non possunt, Horum quædam sunt legiti„ ma, veluti cum uxor a parentibus traditur, a sponso „ dotatur, & a Sacerdote benedicitur „.

„ Hæc talia conjugia legitima & rata appellantur: „ Illorum vero conjugia, qui contemptis omnibus illis „ solemnitatibus, solo affectu aliquam sibi in conjugem „ copulant, hujusmodi conjugium non legitimum, sed „ ratum tantummodo esse creditur „.

Cum ergo infidelium matrimonium non sit *ratum*, nec *indissolubile*, quæritur, an uno eorum ad fidem converso, liceat huic ab infideli recedere, & ad alias nuptias transire.

Hanc quæstionem fuse discutit Sanctus Augustinus *lib.* 1. *de adulterinis conjugiis*, e quo desumpti sunt Canones 8. & 9. hujus primæ quæstionis, quibus jungendus Canon 4. ex eodem Doctore *de fide & operibus cap.* 16. præsertim si ipse locus Augustini legatur, quem ad calcem Canonis junxerunt Correctores Romani.

Quandonam conjux fidelis ab infideli discedere possit, & ad alias nuptias transire?

Docet autem Augustinus, quod unus infidelium ad fidem conversus ab infideli discedere nequeat, si infidelis sine contumelia creatoris fideli cohabitare velit, conformiter ad monitum Apostoli 1. *ad Corinth. cap.* 7. *vers.* 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*, &c. *Non propter vinculum cum talibus conjugale servandum, sed ut acquirantur Christo, recedi ab infidelibus conjugibus Apostolus vetat.* Quod pluribus ibidem prosequitur Augustinus, qui & illic exponit rationes cur fideli non liceat infidelem dimittere, eo scilicet casu, quo uterque conjux unius erat infidelitatis tempore initi matrimonii, & postea unus illorum ad fidem est conversus, & consentit infidelis sine periculo perversionis cum fideli cohabitare (*a*).

Si vero infidelis nolit absolute cum fideli cohabitare, sed recedere velit, aut saltem nolit, nisi sub conditione fidei Christianæ adversante, tunc liberum est fideli recedere, & ad alias nuptias transire, prout locis citatis late docet S. Augustinus: reflectens enim ad Apostoli verba: *quod si infidelis discedit, discedat: non est enim frater aut soror subjectus in hujusmodi, id est* (ait) *ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor legitima societate conjuncta, sine ulla culpa relinquatur, si cum viro Christiano propter hoc, quod Christianus est, permanere noluerit.*

Similiter citata verba Apostoli exponit Ambrosiaster: ejus verba nonnihil mutilata referuntur *Can.* 2. *quæst.* 2. falso attributa S. Gregorio. *Non enim ratum est matrimonium, quod sine Dei devotione est, ac per hoc non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii se junxerit: contumelia enim Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur, ne accusetur, si alii copuletur.* Ita legitur apud Ambrosium.

Ex his concludit Gratianus sub finem citati *Canonis* 2. *quæstionis* 2. quod infidelem discedentem fidelis sequi non debeat, liceatque ei aliam ducere.

At una monet: „ hoc non nisi de his intelligendum „ esse, qui in infidelitate copulati sunt. Cæterum, „ inquit, si ad fidem uterque conversus est, vel si „ uterque fidelis matrimonio junctus est, & procedente „ tempore alter eorum a fide discesserit, & odio fidei „ conjugem dereliquerit, derelictus discedentem non „ comitabitur: non tamen illa vivente alteram ducere „ poterit: quia ratum conjugium fuerat inter eos, „ quod nullo modo solvi potest. „

Sententiam Gratiani sequuti sunt uno consensu Theologi & Canonistæ: quin & ipsi Romani Pontifices eam in omnibus adoptarunt, uti videre est in Decretalibus Clementis III. & Cœlestini III. quæ extant sub titulo de *conversione infidelium* in secunda collectione apud Antonium Augustinum, & quod notandum, sequuti Gratianum, verba Ambrosii tribuunt S. Gregorio, quia, uti notavi, ea a Gratiano *Canone* 2. huic Pontifici fuerant assignata.

Si-

(a) Nostra ætate ea disciplina Romæ observatur; scilicet conjugi Judæo spatium 40. dierum assignatur ad fidem amplectendam, ut deinde cum fideli conjuge possit habitare; quod si elapso eo tempore nolit Judaismum deserere, tunc Ecclesiæ auctoritate separantur conjuges quoad torum & habitationem, illæso tamen matrimonii vinculo, quamvis conjux infidelis habitare vellet sine injuria Creatoris.

Similiter & Innocentius III. ſententiam Gratiani quoad utrumque diſtinctionis membrum adoptavit *in cap. 7.* ✠ *de divortiis.*

An ſit bigamus, qui duas uxores, unam ante, alteram poſt baptiſmum habuit? Quæſt. III.

In caſu ſive hypotheſi ad initium cauſæ propoſito, ſuppoſuerat Gratianus, quod infidelis, qui in infidelitate acceperat uxorem infidelem, poſtmodum converſus & baptizatus, ſecundam duxerit uxorem fidelem. Hinc quærit, an hic cenſendus ſit bigamus, & ea ratione excludendus a Clericatu; utraque difficultate propoſita concludit quæſtione tertia Gratianus, munitus auctoritate S. Auguſtini & Innocentii I. illum habendum pro bigamo: de quo latius autem *diſt.* 26.

C A U S A XXIX.

De impedimento erroris. Quæſtio I. Error triplex, perſonæ, qualitatis, & conditionis.

HAc cauſa tractat Gratianus de impedimento erroris, eamque in duas quæſtiones dividit.

Priorem nulla adducta auctoritate ſolvit, aitque errorem verſari vel circa *perſonam*, vel circa *fortunam* aut *qualitatem*, vel denique circa *conditionem*, puta quod ſit conditionis ſervilis, qui putabatur liber; ac dein expoſita natura ſingulorum errorum, reſolvit hac quæſtione, errorem antecedentem, quæ verſatur circa *perſonam*.

Quis error matrimonium impediat?

☞ Ait hoc errore impediri matrimonium, id eſt illud irritum reddi, quia error ejuſmodi tollit conſenſum, qui eſt de eſſentia matrimonii: nihil enim eſt conſenſui tam contrarium, quam iſte error antecedens; v. g. ſi quis intenderet contrahere matrimonium cum Anna, & ex errore antecedente contraheret cum Catharina, error ille invalidum redderet matrimonium, quia tolleret conſenſum in materiam naturalem contractus conjugalis; quod error *fortunæ* aut *qualitatis* non efficit jure naturali, ut docet S. Thomas *in 4. ſent. diſt. 12. qu. 6.* „ Error fortunæ, vel qualitatis, „ non irritat matrimonium, quia non excludit con- „ ſenſum, non ſecus ac ſi quis emerit vineam, quam „ putabat eſſe uberrimam, quamvis ille erraret circa „ qualitatem rei minus fertilem emendo, non poteſt „ tamen venditionem reſcindere, quia eſſe diverſitatis „ qualitatis non variat aliquid eorum, quæ ſunt de „ eſſentia contractus. „ ☜

At Gratianus errorem conditionis propoſuit ut impedimentum, quod matrimonium dirimit.

Quæſt. II.

Quæſtione enim ſecunda quærit Gratianus, an error *conditionis* ponat impedimentum, ac tribus primis Canonibus probat, inter omnes cujuſcumque conditionis homines poſſe conſiſtere matrimonium, quod hodie etiam receptum eſt, & probatum, licet fatendum ſit Decreta hic a Gratiano relata eſſe apocrypha.

Poſt hæc adductis nonnullis auctoritatibus, concludit, quod ſi ingenuus acceperit in conjugem aliquam ſervilis conditionis, aut ingenua ſervum, cum crederetur *liberæ conditionis*, non cogatur cum ea remanere, quod potiſſimum probat Decreto relato in *Can.* 5. ſub nomine Concilii apud Vermeriam, *cui interfuit Rex Pipinus cap.* 8. „ cum enim ibi dicitur, *ſciens il-* „ *lum ſervum*, datur intelligi (inquit) quod ſi neſciret „ illum ſervum eſſe, non cogitur cum eo manere. "

Extat *Tom. VI, Concil. gener. col.* 1656. Concilium Vermerienſe celebratum anno 752. temporibus Regis Pipini, ſed Decretum hoc inter illius Canones non reperitur, quamvis *Can.* 6. aliqua occurrant eorum, quæ ſub nomine ejuſdem Concilii apud Vermeriam refert hic Gratianus *Can* 4. ſed non parum mutilata.

Monent ad calcem citati *Canonis* 4. Correctores Romani: „ ſcriptum eſt nomine totius Univerſitatis Lo- „ vanienſis ad S. D. N. Gregorium XIII. extare in „ Bibliotheca B. Trudonis librum manuſcriptum ſub „ titulo: *Excepta Decretorum*, in quo inter alia capi- „ tula iſtius Concilii apud Vermeriam, habentur hoc, „ & ſequens caput. "

Etſi adducta a Gratiano non videantur ſolide probare errorem conditionis ſervilis dirimere matrimonium, ejus tamen opinio recepta eſt.

Sed cum non dicatur, cujus ætatis aut conditionis ſit hic liber manuſcriptus, nihil quoque de auctoritate Decreti ex hoc manuſcripto certi ſtatuere poſſumus.

Sane ſi ad incudem revocarentur a Gratiano adducta, neſcio num ſat ſolido fundamento niteretur Gratiani reſolutio de errore conditionis dirimente matrimonium. Hoc ſcimus, auctoritate Gratiani, a Theologis & Canoniſtis receptam eſſe reſtrictionem hic per Gratianum factam, nimirum quod error conditionis ſervilis inducat impedimentum dirimens, non autem error circa aliam qualitatem ſeu conditionem, notanter poſtquam Pontifices juxta eamdem reſponderunt, eorumque reſponſa in Decretales ſub titulo *de conjugio ſervorum*, & alibi relata fuere.

☞ Sed prædicti Theologi ajunt per ignoratam ſervitutem dirimi matrimonium jure humano, non autem naturali; quia ſecundum jus naturæ, objectum conjugalis conſenſus non eſt qualitas perſonæ, ſed ipſa perſona, quæ natura ſua non eſt ſervus; nemo enim jure naturali ſervus eſt: ut diſerte probarunt Grotius *lib.* 3. *de Jure belli & pacis*, & Samuel Puffendorf in opere, cui hunc fecit titulum *Jus Naturæ & Gentium lib.* 3. *cap.* 2. ☜

C A U S A XXX.

De impedimento cognationis ſpiritualis.

GRATIANUS pergens in exponendis impedimentis matrimonii, hac cauſa agit de impedimento *cognationis ſpiritualis*, intermiſcens tamen more ſuo nonnulla ab hoc articulo aliena; ſcilicet, *quæſt.* 2. nonnulla dicit *de ætate* ad matrimonium neceſſaria, & *quæſt.* 5. obiter quædam perſtringit de vetitis matrimoniis *clandeſtinis*.

Caſum hunc proponit: „ quidam populorum frequen- „ tia impeditus, filium ſuum de baptiſmate ſuſcepit, „ dum crederet ſe alienum ſuſcipere, uxor autem ejus „ dum callide vellet ſuſcipere proprium, ſuſcepit alie- „ num, quem vir ſibi adoptavit in filium, & ex uxo- „ re ſibi filia naſcitur, quam filio ſuo adoptivo, ſpi- „ rituali uxoris, dum uterque eſſet in cunabilis, tra- „ dit. Poſt triennium uxor moritur, & compater ejus „ relictam compatris uxoris ſuæ clam ſibi deſponſavit: „ aliquantulum temporis effluxit, & alius eam duxit „ in uxorem. "

Ex hoc quinque quæſtiones efformavit Gratianus.

Quæſtio I. An conjux levans proprium filium de ſacro fonte debeat a conjuge ſeparari. Quædam allegantur a Gratiano pro parte affirmativa.

Quæſtione 1. quærit: „ an uxori ſuæ debitum red- „ dere valeat, qui proprium filium de ſacro baptiſma- „ te ſuſcepit? "

Parte 1. allegat duos Canones, quibus negativa probari videtur.

Et quidem *Can.* 3. refert fragmentum Epiſtolæ ſub nomine *Deuſdedit ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi*, quo dicitur in quodam Concilio conſtitutum, ut *nullo modo ſe in conjugio reciperent mulieres, ac viri, quicumque aliqua ratione ſuſceperint natos proprios, ſed ſepararent ſe, ne ſuadente diabolo tale vitium innoteſcat.*

Verum Concilii vel conventus, cujus hic mentio fit, nulla extat memoria, multaque alia in hac Epiſtola occurrunt, quæ eam ut ſpuriam rejiciendam eruditis perſuaſerunt, eamque uti ſuſpectam notat Labbæus *Tom. V. Concil. general. col.* 1648.

Adde & Papebrochium in conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum in hoc Pontifice.

Adducit præterea Gratianus *Can.* 2. Decretum ſub nomine Concilii *apud Vermerias*, ſed in Concilio Vermerienſi anni 752. inſerto *Tom. VI. Concil. gener.* non extat; ſed reperitur in Concilio Compendienſi anni 757. *Can.* 12. ubi & præſens Canon in margine notatur.

Hoc *Canone* Decretum legitur: *Si quis filiaſtrum vel filiaſtram ſuam ante Epiſcopum tenuerit ad confirmationem, ſeparetur ab uxore ſua, & nunquam aliam recipiat.*

Gratianus ſupponere videtur, hæc ſat aperte probare, quod is, qui proprium filium in ſpiritualem ſibi transferens, uxori ſuæ debitum reddere non valeat.

Additur in Epiſtola Deuſdedit relata Canone 1. quod poſt annum poſſit aliam uxorem ducere.

Sed notandum quod poſt verba dicti *Canonis* 1. ex Gratiano jam relata, addatur in ipſa Epiſtola *Deuſdedit*, prout integra inter Decretales Romanorum Pontificum edita eſt, & hodie extat apud Labbæum hæc clauſula: „ mulieres vero, cum ſeparatæ fuerint pro „ hac illicita re, a propriis viris totam præcipimus „ recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt, & „ poſt expletum annum recipiant *alium virum*, ſimili- „ ter & *vir uxorem*. "

Mirum quantopere hæc Decretalis ſic concepta vexaverit doctores, quod hic viderent matrimonium *legitime* contractum & *conſummatum diſſolvi*, quoad *vinculum*, ob ſuperveniens impedimentum ſolo jure humano inductum.

Sed non reflexerunt, quod vel hoc ex capite merito tamquam fictitia hæc Epiſtola eſſet rejicienda, præterquam quod nec alia ſuppoſitionis deſint indicia.

Interim qui hanc ſuppoſititiam Epiſtolam ut authenticam reputarunt, & inter Decretales Pontificum retulerunt, nequaquam dubitaſſe videntur, quia Pontifices ſimilem errorem in ſuis Decretalibus proponere poſſent.

Tum plures auctoritates adducit pro parte negativa.

Porro Gratianus *parte* 2. ſuæ quæſtionis adducit plures auctoritates, quibus probari videtur, conjuges propter ſuperveniens ſimile impedimentum ſeparari non debere, ac ſignanter *Can.* 3. reſponſum Nicolai I. qui interrogatus, utrum *mulier, quæ viri filium ex alia fœmina genitum de ſacro fonte levaverit, poſtmodum poſſit cum eodem viro copulari, reſpondit, ideo eos fungi poſſe, quia ſecundum ſacros Canones, niſi amborum conſenſu, nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem.*

Extat hoc Nicolai reſponſum apud Cochlæum inter Decreta a Gratiano collecta *tit.* 19 *cap.* 5. illudque incertis annumeraverat Antonius Auguſtinus *lib.* 2. *de emend Grat. Dial.* 19.

Si tamen id per fraudem aut fallaciam contigerit, pœnitentiam injungendam eſſe indicat idem Nicolaus in Epiſtola Bituricenſi Epiſcopo, cujus fragmentum extat *Canone* 6. Extat & apud Cochlæum eodem titulo *cap.* 2. pronuntiatque & de hoc Antonius Auguſtinus eodem Dialogo: *hoc etiam caput in incertis numeratur.*

Refertur quoque de uxore, quæ filium ſuum coram Epiſcopo tenuit ad confirmationem, *Canone* 4. ex

Concilio Cabillonenſi II. *ſi fraude aliqua*, ut a viro ſuo ſeparetur, id egerit, *propter fallaciam ſuam, aut propter fraudem, quamdiu vivet, agat pœnitentiam, a viro ſuo tamen non ſeparetur.*

Tum addit *Canon* 7. fragmentum Epiſtolæ Joannis VIII. quo ſcribit, virum, qui in *neceſſitate* propriam prolem baptizavit, *ſuæ uxori ſibi jam legitime ſociatæ, impune quamdiu vixerit, manere conjunctum.*

Eſt etiam quædam cognatio ſpiritualis inter confeſſarium & pœnitentem.

Cum autem non tantum per baptiſmum quis dicatur regenerari, ſed etiam per Sacramentum pœnitentiæ, tamquam per ſecundas naufragii tabulas, hinc & creditum jam pridem fuit, inter pœnitentem & Sacerdotem ſpiritualem quamdam cognationem oriri, aitque Gratianus ad calcem *Canonis* 7. „ dicitur etiam ſpiritualis filia Sacerdotis, quæ ei peccata ſua confitetur “.

Unde peccatum carnis inter illos gravius eſt, graviuſque punitum.

In hanc rem profert *Can.* 8. Decretum ſub nomine Symmachi Papæ, quo agitur contra Sacerdotes fornicantes cum ſuis pœnitentibus, diciturque, quod *Silveſter docens admoneat unumquemque Sacerdotem, ut nullus cauſa fornicationis ad ſuam pœnitentialem accedat: quia ſcriptum eſt: omnes, quos in pœnitentiam accipimus, ita filii noſtri ſunt, ut in baptiſmate ſuſcepti; quapropter hoc ſcelus ſi quis perpetraverit, non ſolum dignitatis honorem amittat, verum etiam uſque ad exitum vitæ ſuæ jugi pœnitentiæ ſe ſubdat.*

Et *Canone* 9. ſub nomine Cœleſtini decernitur, *ut ſi quis Sacerdos cum filia ſpirituali fornicatus fuerit, ipſa fœmina ſi laica eſt, omnia derelinquat, & res ſuas pauperibus tradat, & converſa in Monaſterio Deo uſque ad mortem ſerviat. Sacerdos autem, qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, & peregrinando 12. annis pœniteat: poſtea vero ad Monaſterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ ſuæ Deo ſerviat.* Canone 10. autem ſub nomine ejuſdem, injungitur Epiſcopo, ſcelus hoc perpetranti, pœnitentia quindecim annorum.

Quamvis de veritate ſeu ſinceritate horum Decretorum reſpondere non auſim, hoc autem aſſerere non dubitem, pœnitentiam Sacerdotibus hic injunctam, non eſſe ſcelere majorem.

Relatis utrimque auctoritatibus concludit Gratianus non eſſe ſeparandos prælatos conjuges.

Ex omnibus autem concludit Gratianus, quod „ ſive „ proprium, ſive tantummodo viri filium de ſacro „ fonte ſuſceperit, non ideo a viro ſuo ſit ſeparanda: „ quod & de viro ſimiliter oportet intelligi. “

Ejuſque ſententiam ſecuti ſunt Pontifices,

Hanc Gratiani concluſionem ſequuti Pontifices, ac ſignanter Alexander III. in c 2. ✠ *de cognat. ſpirit.* reſpondit, quod „ ſive ex ignorantia, ſive ex malitia, „ proprium filium de ſacro fonte ſuſceperint, non eſ- „ ſe ab invicem ſeparandos, nec alter alteri debitum „ debere ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam „ poſſint induci. “

Præmittit autem: „ Quod quamvis generaliter ſit „ inſtitutum, ut debeant ſeparari, quidam tamen hu- „ manius ſentientes, aliter ſtatuerunt. “

Nequaquam obſcurum eſt, Alexandrum hic reflectere ad apocryphum Decretum ſub nomine *Deuſdedit*, relatum a Gratiano *Can.* 1. ipſumque expreſſe ſecutum auctoritatem Gratiani.

Quæſt. II. De ætate & conſenſu ad ſponſalia requiſito.

Quæſtione ſecunda qua quæritur, „ an ſponſalia contrahantur inter infantes. „ Hoc unum reſolvit Gratianus, quod ſponſalia ante *ſeptennium* contrahi non poſſint. “ Solo enim conſenſu contrahuntur, qui in- „ tervenire non poteſt, niſi ab alterutra parte id in- „ telligatur, quod inter eos agitur. Probatur ergo ſpon- „ ſalia non poſſe contrahi inter pueros, quorum æta- „ tis infirmitas conſenſum non admittit. “

In probationem hujus ſui aſſerti adducit unicum Canonem ſub nomine Nicolai I. his verbis: „ Ubi non „ eſt conſenſus utriuſque, ibi non eſt conjugium. Ergo „ qui pueris dant puellas in cunabilis & e converſo, „ nihil faciunt, niſi uterque puerorum, poſtquam ve- „ nerit ad annos diſcretionis, conſentiat: nec eſt con- „ jugium, niſi ſit conſenſus utriuſque, etiam ſi pater „ & mater hoc voluerint, & fecerint. “

Hoc autem Decretum extat apud Cochlæum inter Decreta Nicolai I. e Gratiano collecta *tit.* 18. *cap.* 3. monetque Antonius Auguſtinus *lib.* 2. *de emendat. Grat. Dial.* 18. quod fons hujus capitis *Niſi fontibus obſcurior ſit:*

Interim in prima Decretalium collectione apud Antonium Auguſtinum, *tit. de deſponſat. impuberum cap.* 4. legitur initium hujus Decreti cum clauſula *&c.* additurque, *hujus ergo Decreti auctoritate diſtrictius inhibemus; ne de cætero aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem legibus vel Canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur.*

Hinc evidens eſt, non eumdem fuiſſe hujus Decreti & verborum adjectorum fontem, uti putarunt Correctores Romani, reflectentes duntaxat ad ea; quæ habentur in *cap.* 2. ✠ *de deſponſ. impub.* ubi initium quoque hujus Canonis cum adjectis verbis refertur, ſed his omiſſis, *hujus ergo Decreti auctoritate.*

Nequaquam obſcurum eſt, auctorem Decretalis apud Antonium Auguſtinum per adjectam clauſulam, *&c.* voluiſſe indicare Decretum integrum, prout extabat apud Gratianum ſub nomine Nicolai I.

Inſuper cum in Decreto Nicolai I. apud Gratianum exprimeretur ætas ſeptem annorum; non dubium quin per ætatem legibus & Canonibus determinatam, auctor hujus Decretalis, conformiter ad Decretum a Gratiano relatum, intellexerit ætatem ſeptem annorum.

Itaque auctoritate Gratiani, & hujus Decretalis, communi conſenſu tandem receptum fuit, ad ſponſalia requiri ætatem ſeptem annorum.

Quæſt. III. De impedimento cognationis ſpiritualis.

Tertia quæſtione tractat Gratianus de cognatione ſpirituali, & ex ea reſultante impedimento, quæ *fraternitas* dicitur: pateque ex reſponſo Nicolai Papæ in Canone 1. hanc cognationem ad ſimilitudinem cognationis carnalis & legalis eſſe inductam.

Ad hæc ex dicto *Can.* 1 & *Can.* 2. qui eſt ex Epiſtola Zachariæ ad Theodorum (quam exhibet Baluzius in appendice auctorum ad Reginonem) & *Can.* 3. ſub nomine Zachariæ & *Deuſdedit* (quod non extat) colligitur, quod cenſeretur cognatio ſpiritualis generans impedimentum matrimonii, non tantum inter ſuſceptum aut ſuſceptam de ſacro fonte, & proles natas ante vel poſt ſuſceptionem ex *ipſo ſuſcipiente*, ſed etiam inter proles patris vel matris *naturalis* ipſius ſuſcepti, id eſt, inter fratres & ſorores ſuſcepti; perinde ac ſi eſſent ex eiſdem parentibus geniti, quoniam utrique parentes invicem ſe compatres & commatres appellabant.

Cognatio illa reſtringitur Canone 4.

Verum *Can.* 4. qui refertur ſub nomine Urbani, ſcilicet ſecundi, qui ſub finem ſæculi XI. ſedit, dicitur quod *ſpiritualium parentum filii vel filiæ ante vel poſt compaternitatem geniti, poſſint legitime conjungi præter illam perſonam, per quam compatres ſunt effecti.*

In quo Gratianum ſecutus eſt Alexander III.

Hanc reſtrictionem amplexus eſt Alexander III. *cap.* 1. ✠ *de cognat. ſpirit.* quamvis expreſſe notet, quod *Canones ſecundum diverſorum locorum conſuetudines contrarii inveniantur, & licet, ait,* primus Canon *exinde* editus, poſt *compaternitatem natos ad invicem copulari probibeat, alter tamen Canon poſterius editus primum videtur corrigere.*

Tum recitat verba dicti Canonis, unde ruſſus patet, quam exacte in omnibus Gratiani auctoritate uſus fuerit Alexander III.

Quæſt. IV. De impedimento cognationis ſpiritualis, quæ compaternitas vel commaternitas dicitur.

Quæſtione quarta, quæ erat: „ An uxorem compa- „ tris uxoris ſuæ alicui ducere liceat? “ Agit Gratianus de cognatione ſpirituali impedimentum conſtituente, quæ *compaternitas* vel *commaternitas* appellatur. Cumque vir & uxor *ſint duo in carne una*, oriebatur hoc impedimentum non tantum inter ſuſcipientem maritum, vel ſuſceptricem uxorem & parentes ſuſcepti, ſed & inter utroſque conjuges, licet unus duntaxat ſuſcepiſſet: ita ut vir non poſſet mortua ſua uxore ducere matrem ſuſcepti, tametſi non ipſe, ſed uxor ſua filium hujus de fonte ſuſcepiſſet: atque hoc eſt, quod dicitur *Can* 1. quod unus *duas commatres* habere nequeat in conjugem unam poſt alteram: *Quia, ait, vir & mulier una caro per connubium efficiuntur, reſtat nimirum, virum compatrem conſtitui illi mulieri, cujus matrimonio aſſumpta uxor commater eſſe videbatur.*

Inter quas perſonas olim reperiebatur?

Quæ Gratianus adducit ad adſtruendum illud impedimentum parum authentica ſunt.

Canon hic adſcribitur Nicolao Papæ ſcribenti Conſtantienſi Epiſcopo Salomoni, extatque apud Cochlæum *tit.* 17. *cap.* 5. reponiturque ab Antonio Auguſtino *lib.* 2. *de emend. Grat. Dial.* 19. inter *incerta*.

Similiter Decretum adſcribitur *Canone* 2. Concilio Chalcedonenſi; at recte monent Correctores Romani: „ in Concilio Chalcedonenſi nihil hujuſmodi extat tra- „ ctatum, aut definitum. “

Similiter quod *Can.* 3. exhibetur tamquam ex Epiſtola Innocentii Exuperio Toloſano Epiſcopo, non haberi in hac Epiſtola dicti Correctores annotarant.

Interim ex his aliiſque parum authenticis fragmentis; auctoritate Gratiani ultra modum extenſum fuit hoc impedimentum, uti oſtendi in *Jure Eccleſ. Tom. II. parte* 2. *ſect.* 1. *tit.* 13. *cap.* 7. ubi & expoſui quam reſtrictionem induxerit Concilium Tridentinum.

Quæſt. V. De matrimoniis clandeſtinis.

Quinta & finali *quæſtione*, quæ erat: „ An clande- „ ſtina deſponſatio manifeſte præjudicet? “ agit Gratianus de matrimoniis clandeſtinis, ſeu furtivis, producitque *Canone* 1. fragmentum Epiſtolæ Evariſti Papæ ad Epiſcopos Africanos, in qua declarantur eſſe *adulteria*, vel *contubernia*, vel *ſtupra*, aut *fornicationes potius quam legitima conjugia, niſi ab his, qui ſupra fœminam dominationem videntur habere, & a quibus cuſtoditur, uxor petatur, & a parentibus & propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore Sacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur, & a paranymphis, ut conſuetudo docet, cuſtodita & ſociata, a proximis congruo tempore petita legibus detur, ac ſolemniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant.*

Videtur declarari invalida Can. 1. ex Epiſtola Evariſti Papæ.

Mirum quantopere hoc Decretum quoſdam Theologos vexaverit, quaſi hinc concluderetur, ad *validitatem* matrimonii deſiderari *conſenſum parentum*, aliaſque ibidem expreſſas cæremonias, præſertim quia in Epiſtola additur, *ut a patribus accepimus, & a ſanctis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus traditum invenimus.*

At illa Epiſtola ſuppoſititia eſt.

Verum nihil aut parum nos hujus Epiſtolæ auctoritas movere debet: quia hodie eruditis nota & pro-

bata

[illegible] est ejus suppositio, quæ etsi aliunde non probaretur; eam vel solum hoc fragmentum plene evinceret (a).

Ecclesia ejusmodi matrimonia semper improbavit.

Non majoris auctoritatis habenda, quæ sub nomine ejusdem Evaristi refert Gratianus Canone 10. & sub nomine Eleutherii Papæ Canone 11.

Interim ex omnibus relatis concludit Gratianus, matrimonia clandestina ab Ecclesia semper fuisse improbata, neque eorum in foro externo a judice rationem haberi posse, ob defectum *legitimorum* testium: neque tamen negari esse vera conjugia, nec ea dissolvi posse: immo tamquam *vera* matrimonia debere agnosci, si conjuges ambo *coram judice* fateantur, se *clandestina* inter se contraxisse. *Conjugia* (*ait ad calcem Canonis 9.*) *quæ* clam *contrahuntur, non negantur esse* conjugia: *nec jubentur dissolvi, si utriusque confessione probari poterunt*.

Olim tamen fuerunt coram Deo valida.

His itaque significare voluit Gratianus, clandestina matrimona a judice, seu Ecclesia nullatenus pro *legitimis* conjugiis, ob defectum probationis, agnosci, nisi *utriusque conjugis confessione* coram judice seu Ecclesia matrimonium ante contractum agnoscatur: quo casu supponit, matrimonium tamquam ab initio rite contractum, ob consensum utriusque interpositum, esse reputandum; quod ad calcem *Canonis* 2. probari dicit finali clausula Canonis 1. ex Epistola Evaristi, ubi postquam dictum esset, *aliter præsumpta non esse conjugia, sed adulteria*, additur, *nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima*.

An hæc clausula hujus spuriæ Decretalis bene a Gratiano intellecta fuerit, dubito. Interim Alexander III. in c. 2. *de clandest. despon.* motus auctoritate Gratiani, respondit: *Si matrimonia ita occulte contrahuntur, quod exinde legitima probatio non appareat, ii qui ea contrahunt, ab Ecclesia non sunt aliquatenus compellendi*: nimirum ad consummationem matrimonii.

Verum (*ait Alexander*) si personæ contrahentium *hæc voluerint publicare, nisi rationabilis causa præpediat, ab Ecclesia recipienda sunt & comprobanda, tamquam a principio in Ecclesiæ conspectu contracta*.

Hinc communi consensu concludere Theologi & Canonistæ, de jure communi matrimonia clandestina quidem improbari, sed tamen a principio valida esse *apud Deum*, licet non apud Ecclesiam; sed tunc primum declarari valida, postquam contrahentes voluerint publicare, uti ad citatum capitulum verbo, *a principio*, loquitur glossographus.

Quid hac in parte mutaverit Synodus Tridentina, & qualiter matrimonia clandestina irritaverit, dixi in *Jure Eccles. Tom. II. parte 2. sect. 1. tit. 12. cap. 5.* & eodem titulo *cap.* 6. egi de ritibus nuptiarum eorumque significatione, quorum meminit hic Gratianus *Canone 3. & 7.*

CAUSA XXXI.

Casus in hac causa propositus.

GRATIANUS hac causa tractat de impedimento matrimonii, quod præstat adulterium, casu ita proposito: *Uxorem cujusdam alius constupravit: eo mortuo, adulter adulteram sibi in uxorem accepit, filiam ex ea susceptam cuidam in conjugem daturum juravit, illa assensum non præbuit; deinde pater alii eam tradidit: a primo reposcitur.*

Quæstio I.

Ex hoc casu tres elicit quæstiones, quarum prima quærit: *An possit duci in conjugium, quæ prius est polluta per adulterium?*

Olim adulterium quodcumque impediebat matrimonium inter adulterum & adulteram.

Primo refert *Canone* 1. Decretum sub nomine Leonis Papæ, quo cavetur, ut *nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit adulterio*.

Similiter & *Can.* 3. Sinodali Decreto declaratur, Christianæ religioni non convenire: *ut ullus ducat in conjugem, quam prius polluit per adulterium*.

Hic Canon citatur ex Concilio apud Althæum (Altheim) habito præsente Conrado I. Rege Germaniæ; at hactenus Concilium hoc non reperi.

Hæc eadem interim habentur Canone 40. Concilii Triburiensis anni 895. atque applicantur speciali casui, qui Patribus fuerat propositus, nimirum de quodam *qui alterius uxorem stupro violaverat, & insuper mœchæ, vivente viro suo, juramentum dedisse dicebatur, ut post legitimi mariti mortem, si supervixisset, duceret uxorem*.

Hoc connubium prohibent & anathematizant Patres Triburienses, ac dein Decretum suum concludunt his verbis: *Non licet ergo nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio*.

Hinc non obscurum est, Patres Triburienses nequaquam impedimentum matrimonii restrinxisse ad hunc casum particularem ipsi Concilio propositum, sed generaliter reputasse, adulterium pro impedimento inter adulterum & adulteram.

Gratianus male Canonem Concilii Triburiensis intelligens, id restrinxit ad adulterium certis circumstantiis vestitum.

Nihilominus Gratianus, Decreta non ex ipsis originalibus & primitivis auctoribus, sed ex aliis Collectoribus desumens, fragmentum duntaxat illius Canonis Triburiensis, prout apud Burchardum & Ivonem extabat, vidit & retulit, quo casus ille separatim a generali hac clausula referebatur: e quo Gratianus conclusit, hoc speciali casu duntaxat, adulterum inter & adulteram oriri impedimentum, addito & altero, quo adulter aut adultera in viri aut uxoris mortem fuerint machinati; quem casum addidit occasione Decreti Concilii Meldensis anni 845. quod sub nomine Concilii Triburiensis retulit *Can.* 5.

Hanc restrictionem proposuit ad calcem *Canonis* 3. Cum enim hoc Canone dictum esset: *Nolumus enim, nec Christianæ religioni convenit, ut ullus ducat in conjugium, quam prius polluit per adulterium*, subjungit per modum explanationis: " hic subaudiendum „ est, nisi peracta pœnitentia, & si *nihil in mortem* „ *viri machinatus fuerit*; vel si, *vivente viro, fidem* „ *adulteræ non dedit se sumpturum eam sibi in con-* „ *jugem*, si viro ejus superviveret. "

Aperte hic docet Gratianus, adulterum posse adulteram habere in conjugem, *peracta pœnitentia*, modo neutrum illorum, quæ ibi describuntur, intervenerit.

Hæc restrictio etsi ante Gratianum ignota a Pontificibus probata fuit.

Quamvis hæc restrictio ante Gratianum nullibi reperiatur expressa, multisque sæculis adulterium fuerit impedimentum inter adulterum & adulteram; neque ullus authenticus Canon sciatur, quo hæc modificatio ante Gratianum sit probata, nihilominus auctoritate Gratiani invaluit, eamque Pontifices in suis Decretalibus probarunt, uti videri potest in *cap.* 3. 5. *& 6. ☩ de eo qui duxit, &c.* citatque Pontifex in citato *cap.* 5. Canonem Meldensem sub nomine Concilii Triburiensis: quia ita apud Gratianum extabat, ut hinc rursus pateat, quod passim immo pene in omnibus ipsi etiam Pontifices in suis responsis Gratianum sequerentur, & disciplinam, tametsi a Gratiano contra antiquiores Canones primum inductam, amplecterentur. Vide plura de hoc impedimento in *Jure Eccl. Tom. II. parte 2. sect. 1. tit. 13. cap.* 8.

Respondet Gratianus ad exemplum Davidis.

Post hæc objicit sibi Gratianus exemplum Davidis: *qui cum Betsabee adulterium commisit, & in mortem viri Uriæ machinatus est: & tamen tandem eamdem Betsabee postea duxit in uxorem. Respondet Gratianus in veteri Testamento multa permittebantur propter infirmitatem, quæ in Evangelii perfectione eliminata sunt*.

Addit & hanc rationem, ob quam uxor defuncti huic nubere non possit: *generaliter enim prohibentur viri & mulieres frequenter matrimonia contrahere*.

An & quo sensu a Patribus improbatæ secundæ nuptiæ?

Hinc arrepta occasione refert Gratianus *Can.* 8. 9. & 10. auctoritates, quibus secundæ nuptiæ improbari videntur, dicitque Gratianus ad finem *Canonis* 10, hoc videri dictum in exhortationem *vidualis continentiæ*, non in condemnationem secundarum & deinceps nuptiarum.

Verum hæc solutio convenire non videtur verbis, quæ sub nomine S. Chrysostomi recitat Gratianus *Can.* 9. ubi aperte pronuntiatur, quod *accipere secundam uxorem, secundum veritatis rationem, vere fornicatio sit. Sed dum, permittente Deo, publice & licenter committitur, honesta fornicatio est*.

Sed hæc non sunt ipsius Chrysostomi, prout existimavit Gratianus, sed auctoris *operis imperfecti in Matthæum*, ut post Correctores Romanos observarunt viri eruditi; notantque opus illud, aut ab hæretico aliquo compositum fuisse, aut ab hæretico aliquo corruptum: quamvis alioqui liber sit doctus, & minime spernendus, uti loquitur Bellarminus *de Scriptoribus Eccles. in Chrysostomo*.

Merito reflectetur ad variantes lectiones, quas Canonibus hujus quæstionis subjecerunt Correctores Romani, & notas Stephani Baluzii ad aliquot ex his Canonibus; poteruntque etiam consuli *Tom. VI. Schol. in Canones 3. & 7.* Neocæsarienses, quos recitat Gratianus *Can.* 9. ubi ostendi, secundas nuptias quidem fuisse Patribus odiosas, atque ipsis aliquando pœnitentiam bigamorum fuisse impositam, nunquam tamen esse reprobatas, aut reputatas pro fornicatione.

Quæst. II.

Quæst. 2. quæ erat: *an filia invita sit tradenda alteri?* probat Gratianus, quod ad matrimonium requiratur *liber* contrahentium consensus.

An sponsalia sine libero contrahentium consensu sint valida?

Et quidem *Can.* 1. reprobantur sponsalia, *si pater ipse coactus & dolens filiam infantulam, nolentem, flentem, & pro viribus renitentem, non assentientibus, sed valde dolentibus matre & parentela desponsavit*.

Canonem hanc recitat Gratianus sub hac inscriptione: *item judicium Urbani Papæ*, apud Ivonem autem

tam

(a) Fatentur quidem Jurisconsulti Galli hanc Epistolam, quæ Evaristo tribuitur, esse supposititiam; at non idcirco inficiantur doctrinam, quam de consensu parentum ad matrimonium celebrandum docet. Suam mentem ita exponunt; quasi defectus consensus parentum comitem semper habeat seductionem aut clandestinitatem, ubi agitur de matrimoniis filiorum minorum. Id profecto supponunt Arresta Parlamentorum, & forenses orationes, in quibus seductio & clandestinitas habentur impedimenta, quæ matrimonium dirimunt.

tam in Decreto, quam in Panormia, additur: *de filia Jordani principis*: quomodo etiam legi in veteri Canonum collectione MS. in Bibliotheca regia monet hic Baluzius.

Refertur decretum pro validitate dictorum sponsalium,

Notandum autem hic dici, quod *pater coactus & dolens* filiam desponsaverit: cum enim de filia *impubere seu infantula* agatur, videbatur quod pater ejus, cui voluisset, eam, etiam sine filiæ consensu, desponsare poterat; quemadmodum de filio *nondum adulto*, *cujus voluntas nondum discerni potest*, dicitur *Can.* 2. legitur enim in hoc Canone: *potest autem de filio nondum adulto, cujus voluntas nondum discerni potest, pater eum, cui vult, in matrimonium tradere.*

Quin & additur: & *postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino observare & adimplere debet.*

Concluditur Decretum his verbis: *hoc ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus sancitum, a nobis tenendum mandamus.*

At illud apocryphū est.

Decretum hoc a Gratiano, uti & in prima Decretalium collectione, refertur sub nomine Hormisdæ Papæ, & apud Gregorium IX. *cap.* 1. ✠ *de desponsat. impub.* extat, omissis verbis conclusionis, sub nomine *Honorii Eusebio Episcopo*, uti monent Correctores Romani, sed hactenus, nec inter hujus, nec inter illius Epistolas aut scripta repertum est: ut proinde merito inter apocrypha reponatur, & solius Gratiani auctoritate per Pontifices assumptum.

Plurimum in præfacto decreto explicando laborandus commentatores.

Interim laborant hic commentatores, qua ratione *filius nondum adultus, voluntas cujus nondum discerni potest*, possit ita a patre tradi alicui filiæ in matrimonium, ut *postquam pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debeat hoc adimplere*, uti legitur in citato *c.* 1. *de despons. impub.*

Glossographus ait, hoc de honestate esse intelligendum, non autem de necessitate; sed verba tam apud Gratianum, quam in Decretalibus inanem & falsam hanc solutionem evincunt, uti recte monet Franciscus Florens in commentario ad præsentem quæstionem, nam nihil evidentius, quam verba illa, *omnino debet adimplere*, necessitatem absolutam imponere. „ Et dicendum (ait Florens) filium puberem non „ posse dissolvere matrimonium, quod eo impubere „ pater elegerat. Nam sicut dicitur in *lege Quamvis* „ §. *penult. ff. de acquirenda possessione*, judicium im„ puberis pupilli infirmum suppleri auctoritate & con„ sensu tutoris, ita pariter in hac specie, multo ma„ gis dicere possumus, infirmum impuberis filii judi„ cium suppleri & confirmari auctoritate & consi„ lio patris, perinde ac si ipse plenissime consensis„ set “.

Sed vereor ne hæc solutio sat firmo fundamento nitatur; neque ea apparet danda potestas tutori aut patri in matrimonium filii, sicut in ejus res temporales.

Verissimile admodum est, auctorem hujus Decreti, quisquis ille fuerit, præ oculis habuisse Canones, qui filium adstringunt regulæ & vitæ Monasticæ, cui à patre impubes oblatus & addictus fuerat, uti supra ad causam vigesimam *quæst.* 1. notavimus: atque credidisse, a professione Monastica ad matrimonium carnale argumentum duci posse.

Quidquid sit, hoc constat, quod sicut filius impubes paterna pietate Monasterio oblatus, posmodum pubes factus, hodie in Monasterio perseverare non tenetur, ita nec a patre desponsatus teneatur, postquam ad pubertatem pervenit, sponsalibus illis stare.

Canon 4. constat ex verbis commonitorii, quod Nicolaus I. dederat duobus suis Legatis, quos in Gallias dixerat, ut sua auctoritate interessent Synodo celebrandæ in negotio divortii Lotharii II. Lotharingiæ Regis & Thetbergæ uxoris suæ, quam dimiserat, uti monent Correctores Romani, de qua lite plures sparsim Canones apud Gratianum extant, eamque in rem insignem tractatum edidit Hincmarus Rhemensis *de divortio Lotharii & Thetbergæ.*

Quis metus coactas faciat nuptias?

Interim ex commonitorio habemus, non quemlibet metum fecere coactas nuptias, quæ ob coactionem dissolvi queant, sed duntaxat metum gravem, qui cadat in *constantem virum*, sicut declarant hæc verba commonitorii: *metu unius hominis tantum Rex non debuit, &c.*

Quæst. III. An & quādo parentes sponsalia filiorū frangere possint?

Quæst. 3. unicum refert Gratianus Canonem Concilii Eliberitani, quo parentibus imponitur pœnitentia trienii, qui fidem sponsalium filiorum suorum fregerint; excusantur autem, si liberi ipsi absque eorum consensu ea fregerint, quod his verbis significare voluit Concilium: *Si tamen iidem sponsus vel sponsa in illo gravi crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes*: quemadmodum legitur in originali, & apud Ivonem, quamvis apud Gratianum legatur cum negatione *non fuerint deprehensi*: quæ lectio genuinum sensum Canonis pervertit.

Post relatum Canonem ita concludit Gratianus: „ Ecce quod non licet parentibus sponsalia filiorum „ suorum frangere. Verum hoc de illis intelligendum „ est, qui illorum consensu contrahuntur “.

Duodecimo sæculo consensu parentum necessarius ut valiuum contrahatur matrimonium.

Finalis clausula non obscure insinuat, ætate Gratiani matrimonia filiorum-familias sine consensu parentum inita, fuisse invalida, quod & notavit de Héricourt in Analysi hujus quæstionis.

Consensus istius necessitas desiit decimo-tertio sæculo,

☞ At decimo tertio sæculo ineunte, consensus parentum ad valorem matrimonii a minoribus contrahendi necessarius absolute non judicabatur: id enim clare ostendit Innocentius III. *cap. Cum apud* 23. ✠ *de spons. & matrim.* his verbis: „ Sufficit ad matri„ monium consensus illorum, de quorum quarumque „ conjunctionibus agitur “. Maximam huic opinioni conciliavit auctoritatem S. Thomas *in* 4. *sent. dist.* 28. *art.* 3. *ad* 1. cujus hic est contextus. „ Puella potest „ se in potestatem alterius absque consensu patris da„ re, sicut potest intrare Religionem absque consensu „ parentum, cum ipsa sit libera.

Incommoda, quæ ex illo defectu consensus, deinceps orta sunt.

Cette nouvelle discipline, inquit D. le Merre, *parut très favorable à cette pleine libertè avec laquelle Gregoire IX. au chapitre* Gemma, *dit que le mariage doit être acceptè, mais elle causa de grands maux à l'Eglise & à l'Etat: elle donna lieu, aux enfans de famille de dèsobeir à leurs parens en contractant des alliances indignes de leurs naissance, & prèjudiciables à l'honneur & au bien de leurs familles; l'un en èpousant la servante de son pere, l'autre en prenant clandestinement, ou même ouvertement pour femme une fille dèbauchèe; l'un en supposant ètre le paroissien d'un Curè ètranger, l'autre en sèduisant une fille d'honneur, s'exposant par-là au danger d'être puni, & d'en faire tomber l'infamie sur ses parens.*

Tot mala, quæ Ecclesiæ & Imperii Germanici faciem deformabant conquesti sunt Patres Concilii Coloniensis ann. 1536. celebrati; quocirca desiderarunt, ut consensus parentum filiis minoribus ad inuenda matrimonia necessarius declararetur) eædem fuere in Galliis querelæ eadem vota. Quapropter Henricus II. Rex Francorum legem tulit, qua parentibus potestatem faceret exhæredandi filios, qui adversus parentum consensum uxores ducerent.

Francorum Reges his malis mederi conantur.

Verum clarissimus Pasquier in sua ad Jurisconsultos Aurelianenses *Fournier & Robert* Epistola observavit edicto Henrici malum integrum sanatum non fuisse: optabat, ut Regia declaratione haberentur irrita matrimonia, quæ sine parentum consensu a minorennibus contraherentur.

Visus est Henricus II. votis Jurisconsultorum annuisse in edicto Blesensi, cujus hæc verba articulo 4. leguntur, *Enjoignons aux Curès, Vicaires, ou autres, de s'enquerir soigneusement de la qualitè de ceux qui se voudroient marier, & s'ils sunt enfans de famille, ou enfans, dans la puissance d'autrui, nous leur dèfendons de passer outre à la cèlèbration desdits mariages, & s'il ne leur apparoît du consentement des pere & mere, tuteur ou curateur, sous peine d'ètre punis comme fauteurs du crime de rapt.* Ubi Rex, inquiunt Jurisconsulti, in defectu consensus parentum includit raptum seductionis; porro raptus seductionis habetur impedimentum dirimens matrimonium; unde concludunt sine consensu parentum filios minorennes non posse valida contrahere matrimonia.

Quid hac de re decreverit Ludovicus XIII. innotescet ex edicto, quod ann. 1639. emisit. *Le contenu en l'Edit de* 1556. ait Rex, *& aux articles* 41. 42. 43. *&* 44. *de l'Ordonnance de Blois sera observè; & y ajoutant nous ordonnons que la peine de Rapt demeure encourue nonobstant les consentemens qui pourroient intervenir puis aprés de la part des peres & meres, tuteurs & curateurs; dérogeant expressèment aut coutumes qui permettent aux enfans de se marier aprés l'âge de* 20. *ans sans le consentement des peres, &c. & avons declarè & declarons les veuves, fils & filles moindres de* 25. *ans qui auront contractès mariage contre la teneur desdites Ordonnances, privès & dèchûs par le seul fait, ensemble les enfans qui en naîtront, & leurs hoirs indignes & incapables à jamais des successions de leurs peres.* Qui plura de Galliarum praxi voluerit, consulat opus, quod sub auspiciis Eminentissimi Cardinalis Noallii factum est juris publici; hic est hujus operis titulus: ***Conferentes de Paris sur le mariage*** (a). ☜

CAUSA XXXII.

Casus in hac causa propositus.

GRATIANUS materiam matrimonialem prosequens hunc casum proponit: „ quidam vir, „ cum non haberet uxorem, quamdam meretricem „ sibi conjugio copulavit, quæ erat sterilis, neptis „ ingenui, filia originarii: quam cum pater alii vel„ let tradere, huic avus eam copulavit, causa so„ lius incontinentiæ. Deinde hic pœnitentia ductus, „ ex ancilla propria filios sibi quærere cœpit; po„ stea de adulterio convictus & punitus, quem„ dam rogavit, ut vi uxorem opprimeret suam, „ ut sic eam dimittere posset: quo facto quamdam „ infi-

(a) Quæ intra duas manus inclusa leguntur, deducta fuerunt ex fragmento manuscripto D. Van-Espen.

„ infidelem sibi copulavit ; ea tamen conditione, ut ad Christianam religionem transiret ".

Quæstio I.

Quæst. 1. quærit: an meretrix licite ducatur in uxorem "?

An licite matrimonium contrahatur cum meretrice?

Sub initium quæstionis, pro parte negativa sic arguit: „ quod autem meretrix in conjugem duci non debeat, multis auctoritatibus & rationibus probatur. Illa enim, quæ adulterii rea convincitur, nisi post peractam pœnitentiam, in conjugii consortio retineri non potest ".

Quædā pro parte negativa adducit Gratianus.

At monet ea intelligenda de casu, quo meretrix nolit se corrigere.

Occasione hujus asserti de non retinenda adultera in conjugii consortio, plures auctoritates, sed plerasque sub falsis nominibus adducit, quibus videtur probari, quod vir uxorem de adulterio convictam retinere aut recipere nequeat. Verum ad calcem *Can.* 4. auctoritates generaliter & indefinite loquentes monet intelligendas: „ nisi ab adulterio mulier recedere voluerit: quo casu, ait, uxorem suam vir recipere potest, nullum periculum ei illaturus ".

Quam restrictionem nonnullis dein testimoniis probat, ac signanter Sancti Augustini *Can. 7. ex lib. 2. de adulterinis conjugiis cap.* 6. Pollentio *enim durum videbatur, ut post adulterium reconcilietur conjugi. At si fides adsit* (respondet Augustinus) *non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel baptismate ablutos, vel pœnitentia credimus esse sanatos?*

Ejusmodi matrimonium cum meretrice legibus Romanis erat vetitum.

Admodum verisimile est, Pollentium non tantum veteris Testamenti lege motum fuisse, sed etiam legum Romanarum, quas Ecclesia quoque suscipiebat, auctoritate, quibus sancitum erat, marito non licere deprehensam in adulterio, vel damnatam reducere, nec alteri cuilibet uxorem ducere: alioquin maritus in crimen lenocinii incidebat, & in pœnas legis Juliæ *de adulteriis*, uti & extraneus eam in uxorem ducens, *L. 29. ff. ad legem Juliam de adult.* & *L. 2. Cod. eodem*; cujus & meminit Gratianus ad calcem Canonis 10. quam restringit ad eam, quæ in adulterio *perseverare elegerit*: quo casu juxta citatam *legem* 2. dicit, quod „ Patronus turpitudinis, & lenocinii reus maritus habebitur, nisi eam adulterii ream facere voluerit ".

Hinc ulterius concludit, pro resolutione propositæ quæstionis, quod „ si adulteram nulli retinere permittitur, multo minus in conjugium duci licebit, cujus pudicitiæ nulla spes habetur ".

Auctoritates, quas hanc in rem allegat Canone 11. 12. & 13. nihil simile probant; citatque verba S. Hieronymi sub nomine S. Ambrosii, uti ad Canonem 12. notant Correctores Romani.

Juxta Gratianum licitum est cum meretrice conjugium, dum per illud ad castitatem revocari potest.

Interim resolvit propositam quæstionem ad calcem *Can.* 13. dicens, licere „ accipere in conjugem meretricem, vel retinere adulteram, quam (ait) tua consuetudine, castitate, & pudicitia exornes: non autem aliquam earum habere, quam *nullo pacto* a luxu carnis suæ revocare valeas ".

Quin immo Pontifices Gratianum secuti ejusmodi conjugium tamquā val. de meritorium laudant.

Hac Gratiani resolutione ducti Pontifices, non tantum nuptias cum publicis meretricibus non improbarunt, sed & laudarunt, tamquam opus summe meritorium; de quo notanda est Decretalis Clementis III. prout integra extat in secunda collectione apud Antonium Augustinum: & fragmentum refertur in *cap.* 20. *de sponsalib.* „ Scribit enim, inter opera charitatis non minimum esse, errantem ab erroris sui semita revocare, ac præsertim mulieres voluptuose viventes, & admittentes indifferenter quoslibet ad commercium carnis, ut caste vivant, ad legitimum tori consortium invitare. Hoc igitur attendentes (ait) auctoritate Apostolica statuimus, ut omnibus, qui publicas mulieres de lupanari extraxerint & duxerint in uxores, quod agunt, in remissionem proficiat peccatorum ".

Sed in hoc puncto a legibus civilibus, & pristina disciplina recessum est.

Non dubium quin hac in parte a legibus civilibus procul recessum fuerit, utpote quæ similes nuptias omnino improbabant, uti videre est *L. 41. & seq. ff. de ritu nupt.* & *L. 7. cod. de incestis nupt.*

Quin & Patres jam pridem has nuptias ut minus honestas existimasse evincitur, quandoquidem qui cum meretrice contraxerant, post mortem uxoris ad Ordines promoveri vetarent *Can. 2. dist. 33. & Can. 9. dist.* 34.

Hic rursus videmus quomodo Pontifices auctoritate Gratiani a Patrum ac pristina disciplina recesserint.

Quæst. II.

Secunda quæstione quærit Gratianus: „ an ea, quæ causa incontinentiæ ducitur, sit conjux appellanda "?

Quis sit finis matrimonii?

Pro quæstionis resolutione monet ad finem *Canonis* 2. „ ex prima institutione conjugii in paradiso, debere esse torum immaculatum, & honorabiles nuptias, ex quibus sine ardore conciperent, & sine dolore parerent. " At post lapsum extra paradisum institutio conjugii facta est (ait) „ ut infirmitas prona in ruinam turpitudinis, honestate exciperetur conjugii, *juxta illud* Apostoli *propter fornicationem unusquisque suam uxorem, & unaquæque virum suum habeat.* 1. Corinth. *cap. 7. vers.* 2. "

Concludit ergo Gratianus, quod licet prima conjugii institutio sit, ut duntaxat ob filiorum procreationem actus conjugalis adhibeatur, non tamen nuptiæ malæ judicentur, tametsi præter generandi intentionem adhibeatur: „ quod enim (ait) præter intentionem generandi fit, non est nuptiarum malum, sed est veniale propter nuptiarum bonum, quod est tripartitum: fides videlicet, proles, & Sacramentum. "

Hoc probat *Can.* 3. auctoritate S. Augustini docentis, quod *in ipsa quoque immoderata exactione debiti carnalis, quam eis non secundum imperium præcipit, sed secundum veniam concedit Apostolus, ut etiam præter causam procreandi sibi misceantur, etsi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio, seu fornicatione defendunt: neque enim* (ait) *illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur*, ut scilicet hujusmodi concubitus in crimen adulterii seu fornicationis non reputetur; sive, ut loquitur Gratianus, ut sit *veniale* malum propter nuptiarum bonum.

Intermiscet hic Gratianus *Can.* 13. & sequentibus aliqua de consensu parentum in nuptiis filiorum, videturque hisce probari, quod antiquitus ad validitatem matrimonii, conformiter ad jus civile, consensus parentum fuerit necessarius: at hodie scitur non esse omnino necessarium ad validitatem matrimonii. In Belgio, in Italia, & Germania, quid vero Gallorum Jurisprudentia doceat superius dictum est.

Cujus consensus ad matrimoniū requiratur, an avi liberi, an patris servi?

Quæstionem tertiam, quæ erat: „ cujus arbitrium aliqua sequatur, an liber, avi, an originarii patris "? resolvit Gratianus relato unico Canone sub nomine Pelagii: quod si filia sit in potestate avi ingenui, cujus pater est *servus*, debeat habere consensum *avi*: quia pater utpote servus, videtur civiliter mortuus, cujus nullo modo liberum potest esse arbitrium, ait Canon.

Hactenus responsum hoc inter Epistolas aut Decreta Pelagio primo vel secundo assignata non reperi, ideoque nihil certi inde concludi potest, neque hodie hic usui venit; utpote qui veros servos non cognoscimus.

Quæst. IV.

Quæstione quarta quærit Gratianus: „ si vivente uxore liceat alicui filios ex ancilla quærere "?

Polygamia licita fuit in veteri lege?

Dubitandi ratio oriebatur propter Abrahæ, Jacob, & aliorum Patriarcharum exempla, qui propter uxorum sterilitatem, prolis procreandæ causa ad ancillas accesserant, uti ad initium hujus quæstionis arguit Gratianus.

Verum auctoritatibus, quas *Can. 3. & seq.* refert Gratianus, ostenditur, Patres advertisse, ea ante legem *Moysis*, & post diluvium permissa fuisse.

Primum quidem ob generis humani raritatem Patriarchæ conjugibus miscebantur (ait Augustinus *Can.* 7.) non concupiscentia percipiendæ voluptatis, *sed providentia propugnandæ successionis.*

Secundo ob mysticam & occultam quamdam rationem, & quod pro varietate temporum dispensatio illa divina locum habuerit: ut enim (ait) Hieronymus *Can. 6. servivit ille* (Abraham) *legi & tempori suo: serviamus & nos Evangelio & tempori nostro, in quos fines sæculorum decurrerunt.*

In nova lege omni casu est illicita.

Pluribus dein Canonibus evincit Gratianus, nullo fine, nullaque de causa hodie licitum esse, vivente legitima uxore, ad aliam ingredi: *Satius est defungi sine liberis, quam ex illicito coitu stirpem quærere*, ait Augustinus Canone 8. & rursus Canone 10. *sic non sunt facienda adulteria, etiam voluntate generandi regenerandos; quemadmodum nec furta facienda sunt, etiam voluntate pascendi pauperes sanctos.*

Hinc ad calcem hujus Canonis concludit Gratianus: „ ecce, quod nullo modo licet alicui, vivente uxore sua, vel ex ancilla, vel ex alia qualibet quærere filios: qui etiam suscepti, filiorum nomine judicantur indigni ".

Quid dicēdum de immunditiis cū propriis uxoribus?

Addit autem Gratianus: „ simplex etiam fornicatio in sacra Scriptura prohibetur ". Probat id *Can.* 11. auctoritate S. Augustini, & *Can.* 12. verbis S. Hieronymi, qui & docet, damnari, & in propriis uxoribus voluptates extraordinarias & immunditias, *ipsarum quoque opera nuptiarum* (ait) *si non verecunde & cum honestate quasi sub oculis Dei sunt, ut tantum liberis serviatur, immunditiam & luxuriam nominavit.*

Non dubium tamen quin immunditias cum propriis uxoribus, quæ extra legitimas uxores essent mortales, ipsæ nuptiæ facere possint interdum *veniales*, uti supra notatum est.

Quæst. V.

Virgo vim patiens pudicitiā non amittit, neque uxor fit rea adulterii.

Quinta quæstio a Gratiano proposita est, si ea quæ vim patitur, pudicitiam amittere comprobetur? multis Patrum auctoritatibus, sed nonnullis mutilatis, uti notant Correctores Romani, probat Gratianus usque ad Canonem 14. Si Virgini vel nuptæ stuprum aut adulterium *per vim* inferatur *omnino reluctanti & invitæ*, nec pudicitiam amittere Virginem, nec adulterii ream esse uxorem. *Proposito enim animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentiæ suæ*, ait Augustinus Can. 4. & Can. 6. *de pudicitia quis dubitaverit, quin ea sit in animo constituta, quandoquidem virtus est? unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest.*

Hac

Hac quæstione a *Can.* 15. incipit Gratianus de adulterio agere: cumque *Canone* 14. & 16. dictum esset, eum esse adulterum, qui vivente uxore ad *explendam libidinem*, vel alia de causa ad aliam accessit, concludit ad finem *Canonis* 16. non posse dici adulteram, nec fornicariam, quæ *violenter aliena libidine oppressa vim pertulit.*

Nulla ex causa potest dimitti uxor, nisi ob fornicationem.

Dein relatis verbis Evangelii, quibus Christus respondit discipulis, neminem posse uxorem dimittere, *excepta causa fornicationis*, infert: „ unde datur intelligi, quod qualescumque fuerint vir & uxor, ex „ quo conjugali affectu sibi adhæserint, ulterius ab „ invicem discedere non valent “.

Pluribus igitur auctoritatibus adstruit, nulla quacumque ex causa, excepta *causa fornicationis*, conjuges a se mutuo recedere posse, immo quidquid (*excepta fornicatione*) *cogitari potest vehementer horribile, pro fide & societate sustineat*, inquit Sanctus Augustinus *Can.* 18.

Æquale est jus mariti & uxoris ad dimittendã comparem adulteram.

His quoque auctoritatibus probatur, quod sicuti vir uxorem de adulterio accusare potest, id similiter uxori liceat respectu mariti: *apud nos* (ait Hieronymus Can. 20.) *quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur.*

Quæst. VI.

Post hæc *quæstione sexta* quærit: „ si adulter possit „ dimittere adulteram “.

Adulter cõpartẽ adulteram dimittere non potest.

Tribus primis Canonibus auctoritate Augustini probat Gratianus, *nihil inquius esse quam fornicationis causa dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari: occurrit enim illud: in quo enim alterum judicas, temetipsum condemnas, eadem enim agis quæ judicas: quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus. Quod similiter etiam de fœmina dixerim, uti habetur Can.* 1. præterea gravius puniendos viros adulterantes, quam mulieres, eo quod *magis ad eos pertineat & virtute vincere, & exemplo regere uxores*, uti loquitur *Can.* 4.

Allegat *Can.* 5. fragmentum ex libro de decem chordis sub nomine Augustini: sed Augustini non esse notant Benedictini.

Quæst. VII.

Quæst. 7. quærit Gratianus: „ si vir dimissa uxo- „ re ob adulterium possit ea vivente aliam accipe- „ re “?

Nullo casu matrimoniũ per adulterium dissolvitur.

Can. 1. usque ad decimum sextum profert auctoritates, præsertim S. Augustini, licet nonnihil mutilatas, ut ad Canonem 3. monent Correctores Romani, e quibus ad calcem Canonis 16. monstrari ait: „ quod quicumque causa fornicationis uxorem suam dimiserit, „ aliam illa vivente ducere non poterit, & si duxe- „ rit, reus adulterii erit “.

Restrictio a Gratiano adducta falsa est & inepta.

Verum post factam generalem ac indefinitam conclusionem, immediate subjungit Gratianus, has auctoritates de his loqui: „ quorum continentiam carnalis „ infirmitas non impedit, vel de his, qui præstantes „ causam dissidii, aliorum conjunctione se reddiderint „ indignos “.

Hanc restrictionem parum convenientem relatis auctoritatibus excogitasse videtur Gratianus, ut eas in speciem saltem conciliaret cum textu, quem sub nomine Sancti Ambrosii refert *Canon.* 17. ubi relatis verbis Apostoli 1. *ad Corinth. cap. 7. uxor a viro non discedat*, &c. additur, *ideo non subdit* (Apostolus) *de viro, quod de uxore præmisit, quia viro licet ducere aliam.*

Merito ad illa verba sub nomine Ambrosii hic relata notandum monitum Correctorum Romanorum; ipsamque conciliationem a Gratiano adductam esse ineptam & falsam Catholici fatentur, utpote negantes matrimonium ob adulterium alterutrius partis dissolvi, ita ut alteri parti innocenti liberum esset ad alias nuptias transire (*a*).

Responsũ Gregorii relatũ Canone 18. falsum est.

Post hæc *Can.* 18. refert Gratianus responsum Gregorii junioris datum Bonifacio Episcopo. Quæsierat Bonifacius, *si mulier infirmitate correpta non potuerit viro debitum reddere, quid ejus faciat jugalis?* respondet Gregorius, *bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vocaret: sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis, non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit.*

Epistola hæc a Gratiano tribuitur Gregorio *juniori*, qui vulgo creditur *Gregorius III.* unde & in Decreto correcto simpliciter tribuitur huic Gregorio, at probat Jacobus Sirmundus in nota ad hanc Epistolam non posse eam tribui Gregorio III. sed adscribendam Gregorio II. ait, & in editione Conciliorum *tom.* 6. tribuitur a Labbæo.

Vidit Gratianus, hoc Gregorii responsum nulla specie conciliari posse cum relatis auctoritatibus & doctrina ab Ecclesia circa indissolubilitatem vinculi matrimonialis recepta: ideo ad calcem hujus Canonis 18. dicere non dubitavit: „ illud Gregorii sacris Canoni- „ bus immo Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ peni- „ tus invenitur adversum “.

Id fatetur ipse Gratianus.

Evidens est Gratianum nequaquam dubitasse, quin Gregorius in hoc suo responso a veritate Evangelica recesserit, adeoque manifeste supposuerit Pontifices in suis responsis & Decretis circa fidem sive Evangelicam veritatem posse errare, quod & aliis locis ac notanter in Canone *si Papa dist.* 40. supposuisse & non obscure declarasse in his reflexionibus notavimus.

Idem post Gratianum supposuerunt veteres Canonistæ, & Theologi.

Et quidem glossographus secutus Gratianum, uti & veteres passim Canonistæ & Theologi idipsum supposuerunt, unde & ad hunc Canonem verbo, *adversum*, notavit glossographus, quod in hoc responso aberraverit sive non bene dixerit Gregorius. Objiciens enim sibi, *quod Leo IV. dicta Gregorii minoris sine exceptione mandavit tenenda*, respondet, *sed illud in aliis, in quibus bene dixit*, manifeste indicans Gregorium hic non bene dixisse, & ideo observari non debere.

Nulla hic apud ipsos reperitur distinctio inter Decreta Cathedratica, & non Cathedratica.

Insuper notandum, quod Gratianus, dum dixit & supposuit Pontificem in suis Decretis & responsis posse a veritate Evangelica recedere, nullam adhibuerit unquam distinctionem inter Decreta *Cathedratica*, sive, ut hodie nonnulli loquuntur, *ex Cathedra* prolata: & non *Cathedratica*, seu non pronuntiata ex *Cathedra*, neque eam apud veteres Canonistas aut Theologos Gratianum secutos adhibitam legimus, ut proinde hæc distinctio videatur a recentioribus nonnullis postremis his sæculis, pro asserenda Pontificis in fidei & morum dogmatibus infallibilitate adinventa.

Præfatũ responsũ Gregorii, etiã juxta modernos debet dici Cathedraticũ.

Verum quidquid recentiores hi sive Theologi sive Canonistæ, etiam adstruendæ huic Pontificum infallibilitati studiosissimi, requirunt, ut Decretum aliquod dicatur per Pontificem pronuntiatum ex Cathedra, nequaquam negabit esse circa hoc Decretum a Gratiano hic relatum, qui integram Epistolam hujus Pontificis, e qua hoc Decretum desumptum est, serio attenderit.

Ex hac enim Epistola, quæ integra extat apud Labb. *tom. 6. Concil. General. col.* 1448. habetur, & signanter ex ejus præfatione, Bonifacium postulasse a Gregorio Papa, non quid ipse Gregorius tamquam doctor & singularis Episcopus de capitulis in Epistola per Bonifacium propositis sentiret, *sed qualiter teneat vel doceat hæc sancta Apostolica Romana Ecclesia.*

Præterea ex eadem præfatione habetur, Gregorium conformiter ad postulationem Bonifacii respondisse: relato enim prædicto Bonifacii postulato, subjungit: „ bene satis, quia beatus Petrus Apostolus & Apo- „ stolatus & Episcopatus principium extitit: & con- „ sulenti tibi de statu Ecclesiæ, non ex nobis, quasi „ ex nobis, sed ejus gratia, qui aperit os mutorum, „ & linguas infantium facit disertas, qualiter tenere „ debeas Apostolici vigoris doctrinam dicimus “.

Ulterius constat Gregorium non voluisse solummodo Bonifacium, suum per Germaniam Legatum, instruere, quid ipse tenere debere de articulo hic proposito, sed qualiter populos quoscumque instruere teneretur.

Habetur enim ex Epistola 3. hujus Pontificis ad Episcopos, & alios omnium ordinum tum Clericos tum Laicos, quod Bonifacium miserit ad convertendos populos ubicumque eos reperiret: igitur censendus est Pontifex voluisse, ut Bonifacius super articulis propositis (inter quos erat hic a Gratiano relatus) ita populos instrueret, & ita ab ipsis tenendum qualiter non ipse, sed ejus gratia qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit disertas, ipse in hoc responso tenere deberet Apostolici vigoris doctrinam, dixerat: adeoque ipse Gregorius juxta hanc resolutionem super articulo proposito universos populos, ubicumque eos reperiret Bonifacius, instruendos censuerit.

Hæc occasione eorum, quæ Gratianus de Decreto Gregorii Papæ dixit.

Locus S. Ambrosii relatus Canon. 17. inepte a Gratiano explicatus.

Cæterum circa sententiam S. Ambrosii relatam Canone 17. in qua Ambrosius aperte videtur dicere, viro licitum esse ob adulterium uxoris ad aliud matrimonium transire, varias reconciliandi rationes eodem loco aducit Gratianus, sed parum convenientes, immo a mente auctoris plane alienas.

Verisimilior responsio.

Verisimilius apparet, quod sub initium sui discursus ex quorumdam opinione refert Gratianus, scilicet: *illud Ambrosii a falsatoribus dicitur insertum.* Notatur enim in recentiore & accuratiore operum S. Ambrosii editione a Benedictinis procurata, hæc verba: *ideo non subjecit*, &c. abesse a Codice Remigii uno, & adjectum contendit P. Lombardus *lib.* 4. *dist.* 35.

Monent quoque Correctores Romani pluribus locis ibi citatis contrariam sententiam ab Ambrosio asseri, supponunt tamen citatam sententiam esse revera S. Ambrosii ex ejus in Epistolas Pauli commentariis.

Verum hæc commentaria falso attribui S. Ambrosio notant prædicti operum illorum Revisores in admonitione his commentariis in appendice operum S. Ambrosii

brosii

(a) Notandum tamen est, quod indissolubilitas matrimonii in casu adulterii tamquam de fide non fuerit definita: quippe in Canone quem sess. 24. condidit Tridentinum Concilium, id unum docuit *de fide esse Ecclesiam non errare, cum juxta Evangelicam veritatem docet matrimonii vinculum propter adulterium dissolvi non posse.* Porro aliud est definire de fide esse Ecclesiam non errare, cum docet vinculum matrimonii non posse dissolvi; aliud vero definire de fide esse vinculum matrimonii solvi non posse.

...ſtudii præfixa, in qua & in verum hujus operis auctorem inquirunt.

Deinceps.

Nonnulla addit dein Gratianus de adulterino & ſacrilego concubitu cum conſanguineis, aut affinibus, pœnitentiiſque eis peragendis.

Inter adulteros inceſtuoſos nullu erat matrimonium.

Porro ex *Canone* 19. 20. *& ſeqq.* probari videtur, nullum tunc temporis inter adulteros, inceſtuoſos matrimonium conſiſtere potuiſſe, perpetuamque pœnitentiam agere debuiſſe.

Nonnulla apocrypha aut ſaltem dubiæ fidei hic a Gratiano impendunt, ac notanter *Canone* 20. 23. *&* 26.

Vinculum conjugale manet etiã facta ſeparatione ob adulteriũ.

Cum autem præcipue hac quæſtione quæreret Gratianus, cum dimiſſa ob adulterium poſſet vivente viro, aut vir, vivente uxore, alteri jungi, reſolvit ſimpliciter Gratianus ad calcem Canonis 26. id nequaquam licere: „ manet enim (ait) inter eos quoddam „ vinculum conjugale, quod nec ipſa ſeparatione diſ„ſolvitur “.

Qu. VIII. Unde nec tunc aliud matrimonium etiam ob finem optimum contrahi poteſt.

Quin & *quæſtione octava*, prolata Auguſtini ſententia, ſed paulo aliter, quam apud Auguſtinum exprimitur, dicit, quod nec poſt dimiſſam conjugem *ream adulterii* liceat, ea *vivente*, ducere aliam etiam *infidelem*, ut *faciat Chriſtianam*, quemadmodum, *qui non alligatus uxori continentiam Deo voverit, nullo modo debet iſta compenſatione peccare, ut ideo credat uxorem ſibi eſſe ducendam, quia promiſit, quæ nuptias ejus appetit, futuram ſe eſſe Chriſtianam.*

CAUSA XXXIII.

Caſus in hac cauſa propoſitus.

GRATIANUS matrimonialem materiam proſequens, caſum hunc proponit: „ quidam vel maleficiis „ impeditus, uxori ſuæ debitum reddere non poterat, „ alius interim clanculo eam corrupit, a viro ſuo ſe„parata corruptori ſuo publice nubit, crimen, quod „ admiſerat, corde tantum Deo confitetur: redditur „ huic facultas cognoſcendi eam: repetit uxorem ſuam: „ qua recepta, ut expeditius orationi vacaret, & ad „ carnes agni purius accederet, continentiam ſe ſerva„turum promiſit: uxor vero conſenſum non adhibuit “.

Quæſtio I.

Quinque hinc quæſtiones format, quarum prima quærit: „ An propter impoſſibilitatem coeundi, a viro „ ſuo aliqua ſit ſeparanda “?

Fragmenta quædam refert Gratianus *Canone* 1. *&* 2. ſub nomine *Gregorii Joanni Ravennati Epiſcopo*, at hæc apud S. Gregorium non reperiuntur.

Notat Stephanus Baluzius, prius fragmentum eſſe deſumptum ex *cap.* 29. Epiſtolæ Rhabani ad Heribaldum, quam edidit in appendice ad Reginonem; apud quem etiam hoc fragmentum ſub nomine Rhabani extat *lib.* 2. *cap.* 242.

Interim ex his auctoritatibus Gratianus ad calcem Canonis 3. concludit, quod „ impoſſibilitas reddendi „ debitum ſolvit vinculum conjugii. Addit autem ſed „ hoc de naturali impoſſibilitate ſtatutum eſſe. “

Aliud eſt de impotẽtia ſuperveniente poſt contractum matrimonium.

Hoc dictum Gratiani indubie intelligendum de impoſſibilitate ſive impotentia naturali reddendi debitum, quæ erat tempore contracti conjugii, non autem de *ſuperveniente impotentia* poſt contractum legitime matrimonium.

Hanc enim non diſſolvere matrimonium contractum probat Auguſtinus in Canone 27. & 24. *Cauſ.* 32. *q.* 7. nec de hoc quæſtio eſt.

Olim in Eccleſia Romana impotentia non erat impedimentum dirimens.

Verum *impotentiam* reddendi debitum nec tempore Alexandri III. id eſt ſæculo XII. fuiſſe ubique & generaliter impedimentum dirimens, conſtat ex ejus Decretalibus, prout extant in *c.* 2. *&* 3. *de frigidis & maleficiatis* in prima Decretalium collectione apud Antonium Auguſtinum, reſponditque, „ quod diverſa ſunt „ inde Decreta, & diverſæ ſententiæ: ſed conſuetudo „ eſt (inquit) Romanæ Eccleſiæ in ſimilibus taliter „ tenere, quod ſi non poteſt eam ſicuti uxorem habe„re, ipſam habeat ut ſororem, & in dicto *cap.* 3. „ quod, ſi conſuetudo generalis Eccleſiæ Gallicanæ ha„beat, ut hujuſmodi matrimonium diſſolvatur, nos, „ ait, patienter tolerabimus, ſi ſecundum illam con„ſuetudinem eidem mulieri, cui voluerit, in Domi„no nubendi conceſſeris facultatem “.

Alia erat diſciplina Eccleſiæ Gallicanæ.

Quam tandẽ Romana totaque Eccleſia amplexa eſt.

At ſenſim Eccleſia Romana aliarum Eccleſiarum conſuetudini ſe conformavit, atque ita per totam Eccleſiam impotentia naturalis & abſoluta impedimentum *dirimens* matrimonium conſtituit, uti patet ex titulo Decretalium, Gregorii IX. *de frigidis & malefic.* ubi dictæ Decretales referuntur, reſciſſis iis, quæ contrariam Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem indicabant. Hinc rurſus videmus etiam tempore Alexandri *III.* Eccleſiam Gallicanam diverſam diſciplinam a diſciplina Romanæ Eccleſiæ retinuiſſe, neque hanc unquam recepiſſe, ſed e contrario Eccleſiam Romanam diſciplinam Eccleſiæ Gallicanæ acceptaſſe.

Quandonã impotentia ex maleficio dirimat matrimonium?

Profert denique Gratianus *Can.* 4. fragmentum Epiſtolæ Hincmari Rhemenſis, quo aſſeritur, ſi per ſortiarias & maleficas factum ſit, ut concubitus non ſequatur, neque adhibitis orationibus ac eleemoſynis, exorciſmis, aliiſque mediis ſanari potuerunt, *tunc ſeparari valebunt, ſed poſtquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant prioribus, quos reliquerant, etiamſi poſſibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.*

Ad calcem hujus Canonis monet Gratianus: „ hoc vi„deri contrarium præmiſſo capitulo Gregorii (in Ca„none 2.) ibi enim poſt poſſibilitatem redditam jube„tur ſeparari ab ea, cui ſecundo nupſerat, & redire „ ad primam. Hic autem vivente eo, cui ſecundo co„pulata fuerat, primo reconciliari non poterit “.

Circa diſſolutionem matrimonii ratione impotẽtiæ aut adulterii, non fuit ſemper eadẽ opinio.

Certum eſt circa diſſolutionem matrimonii, ſive ob impotentiam, ſive ob commiſſum adulterium, non fuiſſe eamdem ſemper diſciplinam & opinionem, uti etiam ex ipſo Gratiano intelligi poteſt.

Quæſtio II. Gratiani opinio de diſſolutione matrimonii per divortium factum auctoritate Eccleſiæ.

Hic enim rurſus ſub initium *quæſtionis ſecundæ* ait: „ quod autem ei, cum quo prius fornicata fuerat, „ poſt ſeparationem nubere poſſit, ſuperius probatum „ eſt. Mortuus enim eſt ſibi vir ejus, ex quo judicio „ Eccleſiæ ab eo ſeparata, ab ejus lege ſoluta eſt, un„de juxta Apoſtolum, *nubat cui vult tantum in Do„mino*: ſed quæritur, ſi ſine Eccleſiaſtico judicio, „ nulla cauſa diſſidii rationabiliter probata ab ea di„ſceſſiſſet, an eſſet cogendus redire ad eam “.

Non licet ſine ſententia Eccleſiæ facere divortium.

Nequaquam obſcurum eſt, quod Gratianus non dubitaverit, quin conjuges in cauſa fornicationis judicio Eccleſiæ ab invicem ſeparati, poſſint libere alteri jungi, ſed præſenti *quæſtione ſecunda* quærit de eo, qui ſine judicio Eccleſiæ dimiſit uxorem, & *priore parte* probare vult, non licere viro ſine judicio & ſententia Eccleſiæ ex qualibet cauſa dimittere uxorem, vel uxori virum relinquere, alioquin per cenſuras redire compelli poſſint.

Et quidem *Canone* 1. citat Canonem ſub nomine Concilii Carthaginenſis, cui interfuit Auguſtinus, ſed revera eſt Synodi Agathenſis, ut notant Correctores Romani, in quo decernitur, quod „ ſi mariti ante„quam apud Epiſcopos comprovinciales diſſidii cauſas „ dixerint, & priuſquam in judicio damnentur, uxo„res ſuas abjecerint, a communione ſanctæ Eccleſiæ, „ & populi cœtu, pro eo quod fidem & conjugia maculant, excludantur.

Profert & *Canone* 3. fragmentum ſub nomine Nicolai Papæ Carolo Regi; ſed recte monet Antonius Auguſtinus *lib.* 2. *de emend. Gratiani Dial.* 12. non eſſe Nicolai, ſed eſſe *Iſidori Mercatoris* in præfatione Conciliorum, refertur que in eo fragmento quoddam excerptum ex hiſtoria *Euſebii lib.* 7. *Hiſt. cap.* 17. editionis Valeſianæ, ubi hiſtoria de muliere a viro de adulterio accuſata fuſius deſcribitur.

Addit *Canone* 4. fragmentum ex Epiſtola Nicolai I. ad Carolum Calvum in cauſa divortii Lotharii cum Thietberga, e qua Epiſtola plura fragmenta a Gratiano relata ſunt, uti loco citato monet Antonius Auguſtinus: de quo divortio ſpecialem tractatum ſcripſit Hincmarus Rhemenſis, ut ſupra monuimus.

Ex his igitur concludit Gratianus, viro non licere ſua auctoritate uxorem dimittere. „ Et quia ſeparatio „ pœna eſt, & pœna nulli inferenda, niſi per judicem, „ generaliter hoc, ait, intelligendum eſt, ut ſive ob „ cauſam præmiſſam, ſive nulla cauſa exiſtente, non „ liceat alicui ſua auctoritate uxorem dimittere “.

De interfectoribus uxorum, & pœnitentia ipſis imponenda.

Poſt hæc agit Gratianus de interfectoribus uxorum propriarum ob commiſſum adulterium, profertque in eam rem *Canone* 5. *&* 6. nonnulla ſub nomine Nicolai Papæ, ſed utrumque fragmentum *incertum* eſſe monet Antonius Auguſtinus *lib.* 2. *Dial.* 18. quod autem *Canone* 7. citat ſub nomine Pii Papæ, apocryphum eſſe, hodie exploratum eſt.

Agit dein de pœnitentia interfectoribus uxorum imponenda, eamque in rem adfert prolixum fragmentum ſub nomine *Stephani Papæ Haſtulpho*, at Burchardus *lib.* 6. *cap.* 40. illud allegat ex Epiſtola *Paulini Forojulienſis Epiſcopi ad Heiſtulfum*, quam eſſe genuinam inſcriptionem probat hic Stephanus Baluzius; extantque hæc Paulini Epiſtola *tom.* 7. *Conc. Gener. col.* 1064. edit. Labb.

Interim ex hoc fragmento & Epiſtola apparet, quod etiam ſub finem ſæculi VIII. pœnitentia publica pro enormibus criminibus eſſet agenda, duraque & diuturna opera pœnitentiæ ſubeunda.

Pœnitentes poſt ſeptennẽ pœnitẽtiã in priſtinũ gradũ reſtituti.

Parte 5. hujus quæſtionis quærit Gratianus: „ quare „ ſacris Canonibus ſit inſtitutum, ut poſt ſeptem an„nos pœnitentes in priſtinum ſtatum revocentur “? ſuppoſitum autem probat unico Canone 11. ſub nomine Iſidori ad *Maſſonem* ſive *Maſſanum Epiſcopum*; abſtruitur que ibi, quod cum Maria ſoror Aaron peccaſſet contra Moyſen, lepra perfuſa, *ſeptem diebus* pro emendatione extra caſtra egendi debuerit, atque poſt *ſeptem dies* regredi juſſa ſit. *Maria ergo ſoror Aaron* (inquit) *caro intelligitur Sacerdotis, quæ dum ſuperbia debita, ſordidiſſimis cogitationum maculatur contagiis, extra caſtra ſeptem diebus, hoc eſt extra collegium ſanctæ Eccleſiæ ſeptem annis projicitur; ut poſt emendationem vitiorum loci vel priſtinæ dignitatis recipiat meritum.*

Hinc ergo concludit Gratianus, quod „ quamquam „ de Sacerdotibus videatur ſpecialiter dictum, genera„liter tamen de omnibus pœnitentibus oportere in„telligi: . . . ut majorum criminum pœnitentia ſe„ptem annorum ſpatio concludatur. niſi vel officii „ excellentia, vel criminum magnitudo vulgarem con„ſuetudinem excedens, præmiſſum ſpatium tranſcen„dere cogat “.

[Id procul ... Canones apocryphos.] Verum notarunt eruditi, hanc Epistolam non esse legitimum S. Isidori Hispalensis fœtum, sed putridam *Isidori Mercatoris* mercem. De illa loquens Joannes Morinus dicit, eam plane *commentitiam* esse: idque pluribus probat Natalis Alexander *in Histor. Eccles. sæculi 7. cap. 4. de Script. ejusdem sæculi art. 4. de S. Isidoro*.

[Ex quidē hac occasione mutari cœpit disciplina circa restitutionem Clericorū lapsorum.] Interim hujus similiumque suppositorum fragmentorum auctoritate cœpit sæculo IX. collabi disciplina pristinis Canonibus stabilita, & per octo sæcula constanter conservata, de non restituendis ad sacras functiones Clericis in crimen præsertim carnis prolapsis.

Horum quoque occasione inducta fuit a Gratiano distinctio inter prolapsos *publice & occulte*, uti latius ostendi *Tom. V.* in dissertatione *de instituto Canonicorum p. 2. cap. 2. §. 7.* ubi fuse hanc disciplinam adstrui, & quid circa eam hodie Ecclesia tolerare videatur ostendi.

[An & quando fuerit olim licitū post pœnitentiā conjugiū contrahere?] Denique quærit sexta parte Gratianus de pœnitentibus: „ An eis generaliter post pœnitentiam peractam conjugia concedantur “.

Auctoritate Siricii Papæ *Canone* 12. & S. Leonis in Epistola ad Rusticum Episcopum Narbonensem *Can.* 14. videtur probari, quod pœnitentibus generaliter inhibitum fuerit, etiam post *peractam* pœnitentiam conjugium contrahere: excipit autem S. Leo, eum, *qui in adolescentia constitutus, si urgente, aut metu mortis, aut captivitatis periculo, pœnitentiam gessit, & postea timens lapsum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fuisse venialem, si præter conjugem nullam aliam cognoverit*.

Addit autem Leo: *in quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus*. Quæ sat ostendunt, ex regula generali, pœnitentibus conjugium non fuisse permissum; quod & amplius probant verba sequentia Epistolæ, sed a Gratiano omissa. „ Nam secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit, „ qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans „ & mentis & corporis “.

[Quæst. III. Refertur a Gratiano tractatus *de Pœnitentia*, de quo postea.] *Quæstione tertia* quærit Gratianus: „ si sola confes„ sione cordis crimen possit deleri “.

Gratianus ad explicandam hanc tertiam quæstionem multa attulit, ad Sacramentum pœnitentiæ spectantia, quæ cum prolixum admodum tractatum conficerent, & ob confessionem admodum obscurum; qui Gratianum postmodum secuti sunt, in septem distinctiones eum diviserunt, uti notant Correctores Romani ad initium hujus quæstionis, vocaturque tractatus *de Pœnitentia*, cujus annotationes dabimus post absolutam integram hanc secundam partem Gratiani.

[Quæst. IV. De tempore quo ab actu cōjugii abstinendum.] *Quæstione quarta* discutit Gratianus: „ si tempore „ orationis quis valeat reddere conjugii debitum “.

Plures recitat auctoritates: quibus probatur, diebus orationis & jejuniorum ab actu conjugii esse abstinendum, sed pleræque auctoribus non suis adscribuntur: sic *Canone* 1. refertur fragmentum sermonis sub nomine Hieronymi, quem ejus non esse monent Correctores Romani.

Sermonem S. Augustino adscriptum, cujus verba extant *Canone* 2. non esse ipsius, notant patres Benedictini in monitione præfixa sermoni 116. in appendice ad *Tom. V.* operum Augustini.

Verba Canonis 3. non esse Ambrosii, aut saltem mutilata esse, monet Correctio Romana, quæ autem *Canone* 4. referuntur ex commentario ejusdem *in 1. Epistolam* ad Corinthios falso ipsi adscribi supra monuimus.

Librum quæstionum veteris & novi Testamenti, e quo desumptus est Canon 5. Augustino tribui non posse, hodie compertum est.

Canonem 6. non inveniri apud Chrysostomum, cujus nomini inscribitur, monent Correctores Romani.

Circa ea quæ ex responso S. Gregorii ad *interrogationem* 10. Augustini Anglorum Apostoli referuntur *Canone* 7. merito consulentur recentiores notæ in Epistolam S. Gregorii.

His nihilominus sat probatum credidit Gratianus; quod *orationis tempore conjugali operi vacare non liceat*.

[De tempore quo nuptiæ celebrari non debent.] Immo ex his ulterius concludit ad calcem Canonis 7. „ Hinc etiam in diebus abstinentiæ nuptias celebrari „ prohibentur “.

In hujus probationem subjicit quatuor Canones, quorum præcipuus est Canon 52. Laodicenus, quem *Canone* 8. refert ex versione vulgari, & rursus *Canone* 9. tamquam ex Concilio Martini Bracarensis, sed revera ex collectione hujus Martini.

Quod *Canone* 10. ex Concilio Ilerdensi refertur, recentioris ætatis apparet: decernitur enim: *Non oportet a Septuagesima usque ad octavas Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, & ab adventu Domini usque post Epiphaniam, nuptias celebrare: quod si factum fuerit, separentur*. Nihil simile apud antiquos determinatum legimus.

His interim non parum consonat hodierna disciplina nostra circa tempus quod *clausum* vocant. . . .

Gratianus videtur hanc nuptiarum prohibitionem intellexisse duntaxat in ordine ad actum conjugalem, nam ad calcem Canonis 11. ait: „ hæc autem servanda sunt, si uxor consensum adhibere voluerit; cæ„ terum sine ejus consensu, nec causa orationis con„ tinentia servari debet “.

[Quæstio V.] Huic conclusioni stabiliendæ impendit hic duos Canones; & ulterius prosequitur *quæstione quinta*, in qua quærit: „ utrum vir sine consensu uxoris conti„ nentiam vovere possit “.

Probat Gratianus, conjuges non posse sine mutuo consensu votum continentiæ emittere, sed si vir uxori, aut uxor viro suo *semel* permiserit continentiam vovere; „ si postmodum in irritum deducere voluerit, „ qui permisit, non tamen valet: quia in debito con„ jugii æque mulier habet potestatem viri sicut & vir „ mulieris, ut loquitur Gratianus ad calcem Canonis 11.“

[De potestate viri in uxorem, & vota ab ea emissa.] Porro a Canone 12. usque ad finem agit de potestate & superioritate viri in mulierem, & de hujus subjectione.

Plura adducit hanc in rem ex S. Augustino, sed nonnulla admodum mutilate uti notant Correctores Romani ad *Canones* 1. 4. 5. 12. 13. 16. Canon autem 17. citatur sub nomine S. Augustini *ex libro quæstionum veteris Testamenti*, quem non esse Augustini supra monuimus.

Cæterum præ relatis reliquis ex S. Augustino, notandus Canon 4. desumptus *ex Epistola ad Ecditiam*, quæ integra pro resolutione hujus quæstionis merito legitur.

Citatur Canon 10. ex Concilio Remensi, ubi non reperitur, sed habetur in Concilio Vermeriensi anni 752. e quo eum citat Regino *l. 2. cap. 125.* at Burchardus substituit Rhemense, additque hæc finalia verba: *sed similiter convertatur*, quæ nec in Concilio, nec in Reginone leguntur. Gratianus secutus est Burchardum, addita eadem clausula, *similiter convertatur*; cujus in Concilio nulla mentio fit.

Moderna disciplina circa conversionem conjugatorum sat congruit lectioni, quam hic exhibet Gratianus; uti videre est ad titulum Decretalium *de conversione conjugatorum*.

Canon 19. citatur ex Ambrosio supra primam Epistolam ad Corinthios, at commentarium illum non esse Ambrosii, supra monui.

Ex omnibus autem tandem concludit Gratianus: „ evidentissime itaque apparet, ita virum esse caput „ mulieris, ut nulla vota abstinentiæ, vel religiosæ „ conversationis liceat sibi sine ejus licentia Deo of„ ferre; etiam si viro permittente repromissa fuerit, „ non licet ei votum opere complere, cum vir volue„ rit revocare permissum. Vota vero continentiæ ita „ alterius permissu ab altero valent offerri, quod post „ permissionem non valent in irritum deduci “.

CAUSA XXXIV.

HAc causa in duas quæstiones divisa, quas junctim resolvit, examinat: „ an sit ista rea adulterii, „ quæ viro suo in captivitatem ducto, alteri nupsit? „ & an redeunte primo sit cogenda recedere a secun„ do, & redire ad primum “.

[Matrimoniū ob captivitatem vel absentiā unius conjugis non dissolvitur.] Utramque quæstionem terminari auctoritate S. Leonis in Epistola ad Nicætam Aquilejensem Episcopum (cujus verba extant *Canone* 1.) asserit Gratianus.

Et sane clarissime citato loco resolvit S. Leo, matrimonia ob captivitatem virorum non dissolvi, nec posse mulieres viventibus viris in captivitate, alteri jungi, & si alteri junctæ sint, eo quod viros suos mortuos crederent, debeant redeuntibus viris, a secundo recedere, & ad primum redire.

Plura eamdem in rem citat hic Gratianus, at inter cætera notandus Canon 4. ex Concilio apud Vermerias anni 752. Can. 17. ubi decernitur: *Si quis necessitate inevitabili cogente ad alium Ducatum seu Provinciam fugerit* (in Concilio additur: *aut seniorem suum, cui fidem mentiri non poterat, secutus fuerit*) *& uxor ejus, non valet & potest, amore parentum & rerum suarum, eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quamdiu vir ejus, quam secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat*.

[Refertur Canon, qui in eo casu permittit quandoque aliam conjugem ducere.] Hic Canon non obscure innuit, non omni casu, mulierem, cujus vir ad *aliam provinciam* fugerit, *vivente* viro, debere manere innuptam, quod manifestius significant verba finalia Canonis a Gratiano omissa, sed relata a Burchardo *l. 9. c. 54.* Verba Canonis sunt: *Nam ille vir ejus, qui necessitate cogente in alium locum fugit* (Burchardus legit: *in* alia patria manet, *si nunquam in suam patriam se reversurum sperat*) *si se abstinere non potest, aliam uxorem cum pœnitentia potest accipere*. Habetur Canon apud Labbæum *Tom. 6. Conc. Gener. col.* 1658.

Nequaquam obscurum est, hoc Canone permitti viro, ut ad alias nuptias transeat ob diuturnam conjugis absentiam: non igitur mirum quod simile interdum permissum fuisset & uxori.

[Ratio illius Canonis.] Pro quo notandum legibus civilibus ob multiplices causas, ac signanter ob *diuturnam* conjugis *absentiam divortium* permissum fuisse.

Porro Ecclesia in imperio nata, has leges simul & semel abrogandas non duxit, sed sensim atque uno in loco citius, in alio serius: quemadmodum circa dissolutionem matrimonii propter adulterium contigisse, alibi notavimus: ut mirum non sit, si divortium & libertas transeundi ad alias nuptias, sub quadam moderatione permittatur hoc Canone, qui alibi absolute tunc etiam

pro-

prohibitus erat; & ſenſim tandem generaliter interdictus fuit, uti oſtendimus in *Jure Eccleſ. Tom. II. p. 2. ſect. 1. tit. 15. cap. 3.*

CAUSA XXXV.

De impedimento conſanguinitatis & affinitatis.

Caſus in hac cauſa propoſitus.

GRATIANUS materiam matrimonialem proſequens, hac cauſa de impedimento conſanguinitatis & affinitatis diſcurrit, hunc caſum proponens: „ Quidam „ vir, mortua uxore ſua, aliam ſibi in matrimonio „ copulavit, quæ uxori defunctæ quarto gradu con„ ſanguinitatis, viro autem ſexta linea adhærebat: „ poſt triennium vero, liberis ex ea ſuſceptis, accu„ ſatur apud Eccleſiam: iſte prætendit ignorantiam.

Quæſtio I.

Hinc decem quæſtiones educit Gratianus, quarum prima quærit: „ ſi liceat aliquam ex propria cogna„ tione duci in uxorem. "

Rationes hujus impedimenti ex Auguſtino.

Hic auctoritate S. Auguſtini reſolvit, cur in novo Teſtamento conjugia inter conſanguineos & affines ſint vetita, quæ in veteri Teſtamento permittebantur. „ Habita eſt (ait Auguſtinus hic Canone unico) ratio „ rectiſſima charitatis, ut homines quibus eſſet utilis „ atque honeſtiſſima concordia, diverſarum neceſſitu„ dinum vinculis necterentur, nec unus in una mul„ tas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos, ac „ ſic ad ſocialem vitam diligentius colligandam pluri„ mos obtinerent. "

Deſumptum eſt hoc fragmentum Auguſtini ex *lib. 15. de civitate Dei cap. 16* ubi & hanc, a Gratiano omiſſam, rationem dictæ prohibitionis reddit: „ Quia ne„ ſcio quomodo ineſt (inquit) humanæ verecundiæ „ quiddam naturale, atque laudabile, ut cui debet cauſa „ propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat, „ quamvis generatricem libidinem, de qua erubeſcere „ videmus & ipſam pudicitiam conjugalem. ".

In linea recta matrimonia in infinitum vetita ſunt.

Hæc ratio potiſſimum militat in linea recta ſeu aſcendentium & deſcendentium, inter quos propterea matrimonia uſque in infinitum vetita eſſe pronuntiavit Nicolaus I. *c. 39. reſponſionis ad articulos Bulgarorum*, uti notavi in *Jure Eccl. Tom. II. p. 2. ſect. 1. tit. 13. c. 6.*

Quæſt. II. & III.

Quærit Gratianus *Quæſtione ſecunda & tertia*: „ uſ„ que ad quem gradum a conſanguineis propriis abſti„ nere oporteat, vel ſi ex cognatione propriæ uxoris „ aliquam duci in uxorem liceat?

Uſque ad quem gradum impedimentum conſanguinitatis extendatur?

Gratianus auctoritate Decretalium a pſeudo-Iſidoro primis Pontificibus affictarum, probare videtur, primis etiam Eccleſiæ ſæculis prohibitionem hanc extenſam fuiſſe ad *ſeptimum* gradum, at eam protenſionem nullatenus convenire illis ſæculis notavimus in *Jure Eccleſ. Tom. II. p. 2. ſect. 1. tit. 13. c. 6.* ac una oſtendimus, pluribus ſæculis Eccleſiam in hac prohibitione ſe confirmaſſe *legibus* Imperialibus, nec impedimentum hoc ultra terminos legibus conſtitutos protendiſſe, at demum ſæculo octavo & nono eam extenſionem uſque ad *ſeptimum* gradum ſenſim invaluiſſe.

Admodum confuſe & parum ſolide hanc materiā tractat Gratianus.

Cum autem diſciplinam priſtinam & recentiorem non ſatis diſtinguat Gratianus, Canoneſque hanc & illam diſciplinam repræſentantes inter ſe nullo temporis ordine ſervato, miſceat, confuſe admodum hanc materiam tractat, præſertim, quia nec apocrypha a ſinceris monumentis ſufficienter ſegregat.

Quæſt. IV. Ratio parū ſolida impedimenti conſanguinitatis uſque ad ſextū gradum.

Quæſtione quarta quærit Gratianus: „ Quare ad ſex„ tum gradum conſanguinitatis conjunctio prohibeatur.

Ex Iſidoro ideo id factum pronuntiat: *Ut ſicut ſex ætatibus mundi generatio, & hominis ſtatus finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur.*

De hac reſtrictione uſque ad ſextum gradum alibi me legiſſe non memini, multo minus rationem adductam ab ullo probatam ſcio.

Quæſtio V. De modo computandi gradus conſanguinitatis & affinitatis.

Multis diſcurritur *quæſtione quinta* de computatione graduum conſanguinitatis & affinitatis, regulæque aſſignantur, & explanantur, juxta quas, tam de jure civili quam Canonico, graduum computatio ineunda eſt, ſive in linea recta, ſive collaterali.

Hæ regulæ hodie paſſim notæ ſunt, eaſque breviter expoſui in *Jure Eccleſ. Tom. II. p. 2. ſect. 1. tit. 13. c. 6.* unaque notavi, quo tempore invaluerit Canonica computatio graduum diverſa a civili linea collaterali.

Porro circa Canones hujus & præcedentium quæſtionum merito reflectitur ad notas Correctorum Romanorum, eo quod multa admodum mutilata, & falſo auctoribus aſſignata refert Gratianus.

Præterea merito obſervationibus Correctorum Romanorum in Canonem 20. quæſtione tertia adducuntur notæ recentiores in reſponſionem S. Gregorii ad interrogationem ſextam Auguſtini Anglorum Apoſtoli, e qua hic Canon deſumptus eſt.

Quæſt. VI. Qui poſſint eſſe accuſatores & teſtes, ubi de conſanguinitate agitur?

Tractat ulterius Gratianus, *quæſtione ſexta*, quibus accuſantibus vel teſtificantibus conſanguineorum conjunctio dirimenda ſit.

Et quidem *Canone 1.* profert ſuppoſitum Decretum Fabiani Papæ, quo decernitur: *Conſanguineos extraneorum nullus accuſet, vel conſanguinitatem in Synodo computet, ſed propinqui, ad quorum notitiam pertinet.*

Ad hoc Decretum indubie reflexit auctor Decretalis, quæ hic *Canone 2.* refertur ſub nomine Cæleſtini Papæ, & in *cap. 3.* 𝔛 *qui matrimonium accuſare poſſunt*, ſub nomine Clementis III. Papæ, ubi dicitur, quod

„ parentes, fratres & cognati utriuſque ſexus, in te„ ſtificatione ſuorum ad matrimonium conjungendum, „ vel dirimendum admittantur, tam *antiqua conſuetu„ dine*, quam *legibus* approbatur.

Formula juramenti pro accuſatore & teſtibus.

Poſt hæc refert *Canone 5.* & ſequentibus formulam juramenti, ſecundum quam primum accuſator, item teſtes, qui conſanguinitatem probare debent, jurare coguntur.

Formula juramenti pro ſeparandis ob conſanguinitatem.

Dein *Canone 9.* profert juramentum ſeparationis præſtandum ab iis, qui ob conſanguinitatem detectam auctoritate Epiſcopi ſeparantur.

Divortium ob conſanguinitatem propria auctoritate fieri non poteſt.

Poſt hæc *Canone 10.* probatur, neminem propria auctoritate uxorem ſuam occaſione *conſanguinitatis* dimittere poſſe, *donec* Epiſcoporum religioſorum Concilium cauſam iſtam examinaverit: hodie officialis auctoritas ſufficit; immo ſi nota ſit ipſis conjugibus conſanguinitas, ſaltem ab actu conjugali abſtinere debent, licet publice ſeparari, & ad illud matrimonium tranſire ante ſententiam judicis non poſſint.

Formula juramenti dum recipitur uxor injuſte dimiſſa.

Denique *Canone 11.* proponitur juramentum præſtandum, dum vir recipit eam, quam injuſte dimiſit.

Notandum autem fontem Canonis 5. 6. & 9. eſſe collectionem Reginonis, apud quem referuntur *lib. 12. cap. 231. 232. & 233.* e quo illa deſumpſiſſe videtur Burchardus *cap 25. 26. & 27. lib. 7.* additis in fine his verbis: & *iſtæ Sanctorum Reliquiæ*, quæ apud Regionem deſiderantur, ſimpliciterque legitur, *ſic te Deus adjuvet*. Cum autem Gratianus referat Canones cum prædicta clauſula, haud obſcurum, non e Regione, ſed e Burchardo deſumpſiſſe Gratianum.

Formula interrogandi Laicos dum Epiſcopus viſitat.

Similiter Canon 7. extat apud Regionem *lib. 2. c. 2. & 3.* apparetque fuiſſe formulam, juxta quam Epiſcopi viſitantes interrogare debebant *Laicos*, quæ Burchardus inepte attribuit Eutychiano Papæ, quem errorem poſteriores collectores, ac ſignanter Gratianus ſecuti ſunt; cum certum ſit, hæc huic Pontifici adſcribi non poſſe, multaque eis contineri, quæ diſciplinæ iſtius ætatis non conveniunt, uti ſupra monuimus, & pluribus probat Stephanus Baluzius in notis ad Reginonem.

Quæſt. VII. An nati ex inceſtu filii reputētur?

Quæſtione ſeptima refert Gratianus verba ſancti Auguſtini *ex quæſtione 76. ſuper Leviticum*, ubi Auguſtinus exponit, quid ſacer Textus velit per hæc verba: *Sine filiis morietur*, nimirum quicumque dormierit cum cognata ſua: „ Cum filii ex hujuſmodi conjunctioni„ bus & ante nati ſint, hodieque naſcantur: an hoc „ intelligendum eſt lege Dei conſtitutum, ait, ut qui„ cumque ex iis nati fuerint non reputentur filii, id „ eſt, nullo parentibus jure ſuccedant "?

Sicuti hic nihil reſolvit Auguſtinus, ita nec Gratianus, ſed ſimpliciter hæc Auguſtini verba refert.

Plura circa ſucceſſionem hanc tum legibus Romanis, tum Principum poſteriorum edictis ordinata fuere.

Qu. VIII. Ignorantes conjūcti in gradu prohibito quādonam ſeparandi.

Octava quæſtione quærit Gratianus: „ De his qui „ ignoranter conjuncti ſunt, in quo gradu conſangui„ nitatis vel affinitatis ex diſperſatione Eccleſiæ, re„ linquantur ".

Poſt reſolutione hujus quæſtionis refert Gratianus bina potiſſimum fragmenta ſub nomine Gregorii ex plurimorum auctorum centonibus conflata, uti notant Correctores Romani.

Ex his equidem concludit Gratianus: „ Qui in „ quarto, vel in quinto gradu conſanguinitatis con„ juncti inventi fuerunt, ab Eccleſia ſeparari juben„ tur ".

Diſpenſatio olim, etiam ignoranter conjunctis difficillime concedebatur.

Docent & hæc qualiacumque Decreta, admodum ægre tunc temporis, etiam in contractis matrimoniis inter conſanguineos, quamvis ignoranter, fuiſſe diſpenſatum. Dicitur enim *Canone 1.* quod, *qui infra ſeptimam generationem in matrimonio ſunt inventi, ſi neſcientes fuerint, & jam multa curricula annorum ſint revoluta, ita ut* filios *habeant, in* ſexto *qui inventi ſunt, aut fortaſſe in* quinto, *hujuſmodi non ſeparentur, donec nos Domino permittente, ore ad os loquamur: hoc autem* (inquit) *dico* ſecundem indulgentiam, *non ſecundum Imperium.*

Quæſt. IX. Conjugium per errorem cauſa conſanguinitatis ſeparatum, detecto errore, redintegrari debet.

Quoad contrahenda autem matrimonia, nunquam licentiam dari, licet impedimentum ad ſeptimum gradum extendatur, declaratur in Canone 2. *Quoniam* (inquit) *uſque ad ſeptenarium numerum parentelæ, nulli unquam copulam contrahere licentiam damus*: de quo priſtino in diſpenſando rigore vide dicta in *Jure Eccleſ. Tom. II. part. 2. ſect. 1. tit. 14. cap. 1.*

Quæſtio X. Affinitas a Gratiano multū extenſa.

Inquit Gratianus *quæſtione nona*: quid ſi contigerit Eccleſiam decipi, & cauſa conſanguinitatis aliquam a viro ſuo ſeparare, quæ poſtea nuptiis hinc inde celebratis deprehenditur non eſſe conſanguinea prioris, an ſecunda conjugia ſint reſcindenda, & priora ſint redintegranda? reſolvit pro affirmativa, eumque in finem profert plura, quibus oſtendat, quod ſententia etiam *Romanæ Sedis* poſſit in melius commutari, cum ſibi aliquid ſubreptum fuerit. „ Suum *errorem* cuique corri„ gere licet (ait Gratianus) atque ideo quæ a quoli„ bet illicite committentur, ſive a prædeceſſoribus ad„ miſſa inveniuntur, *in melius revocari* oportet ".

Decima quæſtione reſolvit Gratianus, quod ſi mulier defuncto viro ad ſecundas nuptias tranſeat, & ex his proles ſuſcipiat, non poſſe has proles conjungi cum conſanguineis prioris viri, hac unica ratione: quia

vir & mulier una caro ſunt, ac per conſequens, conſanguinei viri neceſſario reputandi ſint conſanguinei uxoris & prolitum ejus.

Profert hanc in rem *Canone* 1. prolixum fragmentum ſub nomine Gregorii Papæ, Venerio Epiſcopo Caralitano, ſed ſtylum Gregorii non refert, neque inter Epiſtolas Gregorii reperiri monet Stephanus Baluzius; nec majoris auctoritatis reliqua adducta Decreta videntur, quæ & incertas inſcriptiones præferunt.

A Concilio Lateranenſi reſtricta fuit.

Ex hac interim Gratiani ratiocinatione tandem receptum fuit triplex genus affinitatis, quod rurſus ad unicum reducit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. in *cap. penult.* ✠ *de conſang. & affinit.* de quo plura in *Jure Eccleſ. Tom. II. part.* 2. *ſect.* 1. *tit.* 13. *c.* 6.

CAUSA XXXVI.

Caſus in hac cauſa propoſitus.

GRATIANUS hac cauſa agit de crimine raptus, caſum ita exprimens: „ Filiam cujuſdam, ignorante patre, quidam muneribus illexit, & ad convivium invitavit: finito convivio juvenis virginem „ oppreſſit. Quo comperto a parentibus juveni puel„ la traditur, ac more nubentium a juvene dotatur, „ & publice in uxorem ducitur“.

Quæſtio I. Quid ſit raptus, & quandonam committatur?

Binas hinc quæſtiones format Gratianus, quarum *prima* potiſſimum diſcutit, quandonam cenſeatur raptus committi: eumque ad calcem Canonis 2. aſſerit admitti, cum puella *violenter* a „ domo patris abdu„ citur, ut corrupta in uxorem habeatur: ſive puellæ „ ſolumodo, ſive parentibus tantum, ſive utriuſque „ vis illa conſtiterit“.

De duplici raptu.

Et poſt Canonem 3. dicit rapinam fieri dupliciter. „ Aliquando enim res ipſa rapitur (inquit) aliquando „ ipſius rei uſus tantummodo violenter eripitur. Res „ ipſa tunc rapitur, cum violenter domino eripitur, „ ut in perpetuum teneatur. Aliquando vero non res „ ipſa affectatur, ſed uſus ejus domino prohibente vio„ lenter eripitur“: puta dum quidem puella *violenter* non abducitur matrimonii cauſa, ſed duntaxat *violenter* opprimitur, atque flos virginitatis ipſi renitenti violenter eripitur, ut loquitur Gratianus. Sed hic proprie non eſt raptus, ſed potius ſtuprum.

De hoc impedimento raptus, & quid hodie intelligatur per raptum, ut conſtituat impedimentum dirimens, dixi in *Jure Eccleſ. Tom. II. part.* 2. *ſect.* 1. *tit.* 13. *cap.* 11.

Quæſt. II. An & quando inter raptorem & raptam matrimonium eſſe poſſit?

Secunda quæſtione inquirit Gratianus: „ An purgato „ vitio rapinæ, raptor in uxorem poſſit raptam acci„ pere“?

Gratianus primo adducit auctoritates, quæ matrimonium raptorem inter & raptam abſolute & ſimpliciter interdicere videntur.

Verum reſolvit, has auctoritates intelligendas de raptore, qui nondum crimen rapinæ per *pœnitentiam* abolevit: at purgato hoc vitio, matrimonium inter raptorem & raptam admittit, idque præcipue, ut apparet, auctoritate verborum, quæ ſub nomine S. Hieronymi refert *Canone* 8. quæ tamen apud Hieronymum non inveniri notarunt Correctores Romani ad *Canonem* 13. *cauſ.* 27. *quæſt.* 2.

Jure legum & Canonũ raptus erat impedimẽtum perpetuum.

Gratianus hic a vero ſenſu legum & Canonum deviavit: conſtat enim, jure civili, ac nominatim *L. unica Cod. de raptu virginum*, hoc impedimentum fuiſſe *perpetuum*, quale & perſeveraſſe ſæculo VIII. probant Capitularia Regum Francorum, ubi *lib.* 6. *cap.* 96 decernitur, ut raptor virginem, quam rapuit, nunquam uxorem habeat: & expreſſius *lib.* 7. *cap.* 395. cujus verba ſub nomine *Concilii apud Aquiſgranum* etiam recitat Gratianus *Canone* 11.

Ab his receſſit Gratianus.

Neque obſcurum eſt, Gratianum vidiſſe his verbis raptum declarari impedimentum *perpetuum*: dicit enim: „ ſed hæc auctoritas non præjudicat auctoritati Sancti „ Hieronymi, maxime cum illa teſtimonio *divinæ le*„ *gis* nitatur“.

Hæc verba immediate huic Canoni ſubjiciuntur, ac dein infert: „ Legitime igitur poſt pœnitentiam pe„ ractam raptor ſibi poterit copulare quam rapuit, „ niſi pater puellæ illam raptori detrahere volue„ rit“.

Hic haud obſcure innuebat Gratianus, inter raptam & raptorem poſſe conſiſtere matrimonium, ſi raptæ vel parentum conſenſus accedat.

Ita rurſus hic auctoritate Gratiani invaluit, ut hoc impedimentum in tantum fuerit relaxatum, ut inter raptorem & raptam matrimonium poſſe conſiſtere crederetur, *Si prior diſſenſio tranſeat poſtmodum in conſenſum, & quod ante diſplicuit, tandem incipiat complacere*, ut loquitur Innocentius III. in *cap.* 7. ✠ *de Raptoribus*.

Quouſque inpedimentum hoc reſtituerit Synodus Tridentina *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformat. matrim.* expoſui in *Jure Eccleſ. Tom. II. part.* 2. *ſect.* 1. *tit.* 13. *cap.* 11.



O B-



OBSERVATIONES AD TRACTATUM DE PŒNITENTIA.

GRATIANUS integrum hunc tractatum continuata ſerie inſeruerat poſt *Canonem* 18. *cauſæ* 33. *quæſt.* 2. ſine ulla partitione in diſtinctiones, uti notatum eſt ſupra in præfatione ad Gratianum *cap.* 3. ubi etiam dictum fuit eumdem tractatum ſenſim fuiſſe diſtinctum in ſeptem diſtinctiones, ac poſtmodum ab interpretibus vocatum tractatum de pœnitentia, quem poſt abſolutam ſecundam partem Gratiani, confuſionis vitandæ cauſa, ſubjiciendum judicavi, & brevibus reflexionibus illuſtrandum.

DISTINCTIO PRIMA.

An ſola contritione ſine confeſſione remittantur peccata?



DISTINCTIONE hac in utramque partem diſcutit quæſtionem ſupra propoſitam: „ Utrum ſcilicet, ſola cordis „ contritione, & ſecreta ſatisfactione, abſque oris „ confeſſione quiſque poſſit „ Deo ſatisfacere “?

Verum plura immiſcet, quæ ad quæſtionis reſolutionem nihil aut parum faciunt.

A *Canone* 1. uſque ad *Canonem* 5. incluſive, profert nonnulla, quæ probant peccata fletu, ſeu cordis contritione lavari.

Dein *Canone* 6. uſque ad *Canone* 21. proferuntur ex jure civili, quæ in criminalibus ſolum conatum ſubinde puniendum decernunt.

Et a *Canone* 22. uſque ad *Canonem* 30. oſtendit, quod peccatum committatúr non tantum actu externo, ſed etiam ſola voluntate & conſenſu interno.

Ex variis Canonibus perperam concludit Gratianus cōtritione non confeſſione peccata dimitti.

Interim ex his ad calcem Canonis 30. ita concludit Gratianus: „ luce clarius conſtat, cordis contritione, „ non oris confeſſione, peccata dimitti “.

Sed falſo id concludi facile quiſque advertere poteſt: hiſce enim Canonibus id unum evincitur, quod peccatum, puta homicidium, adulterium, aut furtum committat is coram Deo, ejuſque criminis reus eſt, qui voluntatem illud perpetrandi corde conceperit, licet opere externo non compleverit. *Si propterea non facis furtum, quia times ne videaris, intus feciſti, in corde feciſti: furti teneris, & nihil tuliſti*: ait Auguſtinus hic *Canone* 29.

Bini *Canones* 31. & 32. immediate prædictæ concluſioni ſubjecti ex *lib.* 1. *de vita contempl.* Juliani Pomerii (quem falſo Gratianus tribuit Proſpero) propius concluſionem attingunt. Hic enim ac ſignanter poſteriore docetur, quod facilius remiſſionem peccatorum recipient, qui coram Deo peccata ſua ultro agnoſcunt, & in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiam ferunt.

Idem prætendit parte 7. diſtinctionis ſubjecta Canoni 32. probari auctoritate illa Prophetica Ezech. *c.* 33. *verſ.* 12. *in quacumque hora*) vel die) *peccator fuerit converſus, & ingemuerit*, &c. non enim dicitur, *ore* confeſſus fuerit, ſed tantum *converſus fuerit, & ingemuerit, vita vivet, & non morietur*.

Tum *Canone* 33. adductis verbis Prophetæ Joelis *c.* 2. *v.* 13. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta*, ſubjicit: „ oſtendens in *contritione cordis*, quæ in ejuſdem „ ſciſſione intelligitur, *non in confeſſione oris*, quæ pars „ eſt exterioris ſatisfactionis, quam ſciſſuram veſtium „ nominavit, a parte totum intelligens, peccata di„ mitti “.

Et *Canone* 34. relatis his verbis Joelis *cap.* 2. *v.* 12. & Zachariæ *cap.* 1. *verſ.* 3. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, & convertar ad vos*, prolixo diſcurſu idem adſtruere conatur.

Oſtendit præterea ad calcem Canonis 35. quod anima vivere nequeat ſine Deo, *cum Deus ſit vita animæ*: „ habet itaque anima, ait, ſibi Deum præſen„ tem per gratiam, quæ vivens peccatum ſuum con„ fitetur, eamque vita, quæ Deus eſt, inhabitat ... „ ergo templum Spiritus Sancti facta eſt “ &c.

Relatis dein *Canone* 36. his verbis 1. Epiſt. Joannis *c.* 3. *v.* 9. *qui natus eſt ex Deo, non peccat* (ſeu ut in textu legitur *peccatum non facit*) concludit: „ ergo „ non eſt filius diaboli: ſolo enim peccato diaboli fi„ lii ſumus, ergo de ejus regno translati ſumus in re„ gnum charitatis filii Dei, & ſumus recepti de pote„ ſtate tenebrarum & facti filii lucis. “

Hinc ulterius ita concludit: „ cum ergo *ante confeſ„ ſionem*, ut probatum eſt, ſimus reſuſcitati per gra„ tiam, & filii lucis facti, *evidentiſſime* apparet, quod „ *ſola cordis* contritione ſine confeſſione oris peccatum „ remittitur. “

Denique idipſum oſtendere vult ex his verbis 1. Epiſt. Joannis *cap.* 3. *verſ.* 14. citatis Canone 37. *omnis qui non diligit, in morte manet*, atque finaliter concludit: „ non ergo in confeſſione peccatum remittitur, quod „ jam remiſſum eſſe probatur. Fit itaque confeſſio ad „ oſtenſionem pœnitentiæ, non ad impetrationem ve„ niæ: & ſicut circumciſio data eſt Abrahæ in ſignum „ juſtitiæ, non in cauſam juſtificationis, ſic confeſſio „ Sacerdoti offertur in ſignum veniæ acceptæ, non in „ cauſam remiſſionis accipiendæ “.

Sed hoc enū probat, oris confeſſionem non ſufficere, ſed præcipue requiri converſionē cordis.

Si Gratianus ex his, quæ adduxerat id unum concluſiſſet ad remiſſionem peccatorum non tantum requiri *oris* confeſſionem, ſed præcipue ac neceſſario requiri *cordis* converſionem ſive contritionem, recta ac legitima eſſet concluſio: at nullatenus ex his concludi potuit, uti conformiter ad quæſtionem propoſitam innuere viſus eſt Gratianus, quod ſola cordis converſio, ſine *oris* confeſſione eſſet ſufficiens (*a*).

Tum ſubjicit varia ad probandum neceſſariam eſſe confeſſionē oris & ſatisfactionē operis.

Poſt hæc nihilominus quaſi in dubio hærens a *Canone* 38. uſque ad *Canonem* 89. ea profert, quibus probari videtur, *ſine confeſſione* oris *& ſatisfactione* operis *neminem a peccato poſſe mundari*: atque ad calcem *Canonis* 87. concludit: „ his auctoritatibus aſſeritur, ne„ minem

(*a*) Ut in tenebris Gratiani micare liceat, oportet ſubjicere quæſtionem, quam iſte Canoniſta ſibi propoſuit; nimirum induxit mulierem, quæ adulterii crimen a ſe commiſſum dicitur Deo corde confeſſa. Porro adducta eſt hæc mulier in occaſionem inſtituendæ quæſtionis, non in exemplum. Cum ergo fictitia illa mulier ſtatueretur ſoli Deo confeſſa eſſe ſuum flagitium, inde anſam arripuit Gratianus diſputandi, an confeſſio facta Deo ſatis huic mulieri eſſe potuerit ad impetrandam illico veniam; non admodum ſollicitus, an Sacerdoti deinceps ſcelus confeſſa fuerit, an confiteri debuerit; quia ad præſens argumentum id non faciebat.

„ minem sine pœnitentia & *confessione propriæ vocis* „ posse mundari „ : subjungitque prolixum discursum, quo argumenta pro hac parte exponit, & contrariæ partis rationes solvere conatur.

Tandem lectoris judicio relinquit utri sententiæ sit adhærendum.

Dein *Canone* 88. prolixo fragmento ex libro *de vera & falsa pœnitentia*, quam falso adscribit Augustino, & *Canone* 89. ex S. Leone ita finaliter concludit: „ quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis, utraque sententia satisfactionis & con„ fessionis innitatur, in medium breviter exposuimus: „ cui autem harum potius adhærendum sit, *lectoris ju*„ *dicio* reservatur. Utraque enim fautores habet sapien„ tes & religiosos viros (*a*) „.

Opinio illa Gratiani Tridentino contraria.

Sed ad hæc verba *lectoris judicio* Correctores Romani hoc monitum appendendum censuerunt: „ certissi„ mum est, & pro *certissimo* habendum, peccati mor„ talis necessariam esse confessionem sacramentalem, „ eo modo ac tempore adhibitam, quo in Concilio „ Tridentino post alia Concilia est constitutum „.

Dubiæ hujus Gratiani sententiæ occasio.

Gratianus autem videtur prædictam suam in bivio hærentem conclusionem formasse occasione verborum, quæ sub nomine *Theodori Cantuariensis* refert Canone 90. immediate huic conclusioni subjecto, & ex Burchardo aut Ivone, apud quos etiam referuntur, verisimiliter deprompsit. Hic enim dicitur: quidam Deo solummodo *confiteri debere peccata dicunt*, *ut Græci*: quidam *vero* Sacerdotibus *confitenda esse percensent*, *ut tota fere sancta Ecclesia* .... *confessio itaque*, *quæ soli Deo fit*, *quod est justorum*, *purgat peccata*, *quæ sacerdoti fit*, *docet qualiter ipsa purgentur peccata*.

Referuntur & hæc in Concilio Cabilonensi II. anno 813. Canone 33. sed omissis his verbis, *ut Græci*, item, *ut tota fere sancta Ecclesia*, uti notant Correctores Romani, qui & alias variantes lectiones indicant.

Decretum hoc in Concilio Cabilonensi *tom. 7. Concil.* editionis Labbæanæ *col.* 1279. extat his verbis expressum: „ Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt „ peccata, quidam vero Sacerdotibus confitenda esse „ percensent, quod utrumque non sine magno fructu „ intra sanctam fit Ecclesiam; ita duntaxat ut & Deo, „ qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata „ nostra, & cum David dicamus: *delictum meum co*„ *gnitum tibi feci*, *& injustitiam meam non abscondi*: „ *dixi confitebor adversum me injustitias meas Domi*„ *no*, *& tu remisisti impietatem peccati mei*: & secun„ dum Apostoli institutionem, confiteamur alterutrum „ peccata nostra, & oremus pro invicem ut salvemur. „ Confessio itaque, quæ Deo fit, purgat peccata, ea ve„ ro, quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur „ peccata. Deus namque salutis & sanitatis auctor & „ largitor est, plerumque hanc præbet suæ potentiæ „ invisibili administratione, plerumque medicorum „ operatione „.

In varias abeunt Theologi sententias circa mentem Gratiani de confessione.

☞ Eo loci omitti non potest quid veteres, quid recentiores Theologi senserint de mente Gratiani circa confessionem.

Non una hac de re versatur sententia.

Prima est D. Thomæ, S. Bonaventuræ, S. Antonini, & Estii; hi fatentur Gratianum de necessitate confessionis nihil certi habuisse.

Secunda dubium Gratiani rejicit in effectum non in necessitatem confessionis; quasi dubitaverit Gratianus de remissione peccatorum, quam meretur confessio cordis, non vero de necessitate confessionis oralis ad illam remissionem obtinendam.

Tertia dicitur esse Antonii Augustini: hic *lib.* 1. *de emend. Grat. Dial* 18 contendit *tract. de Pœnit.*, & alterum non esse genuinum Gratiani fœtum.... *tractatus hic de Pœnitentia*, inquit, *non videtur esse Gratiani*, *sed alicujus paulo antiquioris*, *& totus videtur huc translatus*; *deestque in exemplaribus antiquis*.

Quidquid sit de mente Gratiani circa confessionis oralis seu sacramentalis necessitatem, tanta non est hujusce Scriptoris auctoritas, ut inde veritas dogmatis Catholici aliquid detrimenti pati possit. Quod si erraverit Gratianus, error ejus fuit sine nota hæreseos, quia necessitas confessionis sacramentalis nondum clare & expresse ab universa Ecclesia definita fuerat (*b*).

DISTINCTIO II.

An pœnitentia reiterari possit?

DISTINCTIONE secunda multis utrimque auctoritatibus discutit, an pœnitentia reiterari queat? „ alii „ dicunt (ait) pœnitentiam semel tantum esse utilem, „ unica est enim, nec reiterari potest. Si vero reite„ ratur, præcedens pœnitentia non fuit. Et si de sen„ tentia judicis ejus merito peccata videntur esse re„ missa, apud tamen ejus præsentiam, cui omnia fu„ tura præsentia sunt, nunquam habentur remissa, quia

„ non est servata illa sententia veri Sacerdotis Joannis „ c. 8. *vers.* 11. *vade & jam amplius noli peccare*. „ Item *ecce sanus factus es*, *jam amplius noli peccare* „ *ne deterius aliquid tibi contingat*. Joannis *c.* 5. *vers.* 14.

Varia adducit Gratianus, quæ videntur probare inamissibilitatem charitatis.

Tum *Canone* 1. producto fragmento sub nomine octavæ Synodi, quod ex Basilio esse monent Correctores Romani, mox subjicit Gratianus: „ Item sine charitate „ nulli adulto peccatum remittitur, non autem habet „ charitatem, qui aliquando peccaturus est crimi„ naliter „.

Plura hac occasione profert Gratianus, quibus probari videtur, charitatem semel habitam amitti non posse.

Inter cætera allegat *Canone* 2. sub nomine Augustini ad Julianum comitem hanc sententiam, *charitas*, *quæ deseri potest*, *nunquam vera fuit*.

Monet Correctio Romana hanc sententiam extare apud Augustinum in tractatu *de salutaribus monitis ad quemdam comitem c.* 7.

Hunc tractatum non esse Augustini, a multis nunc observatum est, eumque in appendicem *t.* 6. tanquam opus apocryphum rejecerunt Benedictini, quorum prævia ad lectorem monitio consulenda.

Profert quoque Gratianus *Can.* 5 prolixum fragmentum ex Juliano Pomerio *de vita contemplativa*, quem hic & alibi sæpius Gratianus citat sub nomine *S. Prosperi*. In hoc autem fragmento multa de charitate Dei, & dilectione proximi dicuntur: monentque Correctores Romani, quod „ operæ pretium fuerit, inte„ grum locum apud ipsum Prosperum (seu potius Ju„ lianum Pomerium) legere; copiose enim & orna„ tissime explicatur, scilicet in quo consistat charitas „ Dei & dilectio proximi „.

Et tandem *Canone* 12. sub nomine Ambrosii *super Epistolam* 2. *ad Corinth. ad c.* 6. (qui tamen Ambrosii non est) refert, *ficta charitas est*, *quæ deserit in adversitate*.

Notatur hic a Correctoribus Romanis relata verba esse glossæ ordinariæ, apud Ambrosium vero ita legi: *simulata charitas in his est*, *qui in necessitate deserunt fratres*.

Interim huic Canoni Gratianus subnectit hanc conclusionem. „ Ex præmissis itaque apparet, quod chari„ tas semel habita ulterius non amittitur: qui enim „ charitatem semel habuerit, criminaliter ulterius pec„ care non poterit, ut ad gratiam non ad naturam „ impossibilitas referatur „.

In hujus sui asserti probationem allatis *Canone* 13. verbis Sancti Augustini ulterius concludit: „ Cum er„ go, qui criminaliter peccat, charitatem nunquam „ habuisse probetur, evidenter colligitur, pœnitentiam „ non agere, qui quandoque criminaliter peccat „.

Plura in hanc rem adducit in prolixo discursu subjecto Canoni 14. conflato ex verbis sub nomine Augustini, quæ apud Augustinum non reperiuntur.

Dicta de inamissibilitate charitatis intelligit Gratianus de charitate perfecta.

Verum dicta sua de *inamissibilitate* charitatis restringit, *parte* 3 hujus dictionis prædicto discursui subjecta, ad *charitatem* perfectam: „ quæ (ait) semel habi„ ta nunquam amittitur: exordia vero charitatis enu„ triuntur ut crescant, & conculcantur ut deficiant, „ nemo enim repente fit summus, sed in bona conver„ satione, quæ sine charitate nulla est, a minimis „ quisque inchoat, ut ad magna perveniat. Sunt ita„ que gradus non solum inter virtutem & virtutem, „ sed & in eadem virtute „.

Charitas alia est perfecta, alia imperfecta.

Plura dein profert, præsertim ex S. Augustino, quibus probet, charitatem in homine paulatim crescere, ac inter alia Canone 16. *ex libro de gratia & libro arbitrio*, dicit, *ipsam charitatem Apostolus Petrus non dum habuit*, *quando timore Dominum ter negavit*; timor enim non est in charitate, *sicut ait Joannes Evangelista in Epistola sua*, Sed perfecta charitas foras mittit timorem. *Et tamen*, *quamvis parva & imperfecta*, non deerat, quando dicebat: *Domine animam meam pro te ponam*. Joannis *cap.* 13. *vers.* 37.

Imperfecta amitti potest, & reparari.

Dein quibusdam interpositis, de hac parva Petri charitate pronuntiat ad calcem Canonis 24. Hæc itaque „ charitas, quæ in Petro ante negationem herba fuit, „ & in singulis nascitur, antequam roboretur, ante sui „ perfectionem amittitur, & reparatur „.

Et ibidem verbis Augustini affirmat: *quicumque ab illa originali damnatione*, *ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt*, *non est dubium quid & procuratur eis audiendum Evangelium*, *& cum audiunt*, *credunt*, *& in fide*, *quæ per dilectionem operatur*, *usque in finem perseverant*, *& si quando exorbitabant*, *correpti emendantur*, *& quidam eorum*, *etsi ab hominibus non corripiantur*, *in viam*, *quam relinquerant*, *redeunt*.

An in electis charitas sit amissibilis?

Nonnulla & hic adducit, quibus probari videtur, quod electi a Deo charitatem non amittant: attamen ad calcem Canonis 40. prolixum admodum super hoc puncto discursum claudens, ait: „ Sed quia de *præde*„ *stinatis* ad *vitam* a nonnullis conceditur, quod cha„ ritatem amittant, & amissam recuperent, de reprobis (ait) etiam videndum est, an ipsi charitatem habeant, qua amissa postea damnentur „.

Est quandoque charitas in reprobis.

Posteriorem partem de *reprobis* probat prolatis nonnullis ex S. Augustino, atque ad finem Canonis 44. ait: quod vero *reprobi* negantur comedere panem,

„ qui

(*a*) Forsan inter istos fautores collocantur Ivo Carnotensis, Goffridus Vindocinensis, Hugo a S. Victore, & Petrus Lombardus, qui Gratiano fuerunt aut fere æquales, aut omnino coætanei.

(*b*) Hæc desumpta sunt ex Epistola, quam D. Van-Espen direxit 10. Maji an. 1699. ad Dominum Jans parochum S. Martini, Parisiis, in suburbio S. Marcelli.

„ qui de cœlo descendit ; vel bibere aquam vivam, „ non sic accipiendum est, ut a charitate penitus credantur alieni, sed ut in charitate radicem figere non „ intelligantur, quod ibidem latius prosequitur „.

Tandem *parte* 6. distinctionem finiens ostendit, quod charitas, quæ in adversitate deseritur, quodam sensu possit dici ficta & *vera nunquam* fuisse, & alio sensu recte dicatur suo modo *vera* & *bona*: „ alioquin (inquit) a nullo desereretur, si nullo modo in eo esset. „ Quod enim nullo modo vere est, nullo modo deseri „ potest. Quod si aliquo modo vere deseritur: & aliquo modo id vere esse oportet „.

Quod moverit Gratianum, ut hac secunda Distinctione egerit de charitate; aperit in prœmio Distinctionis tertiæ dicens: „ Hæc de charitate breviter scripsimus, propter eos qui pœnitentiam negant reiterari „ posse, asserentes quod sicut charitas semel habita „ nunquam amittitur, ita pœnitentia semel vere celebrata, nulla sequenti culpa maculatur: si vero criminalis culpa illam aliquando sequitur, vera pœnitentia non fuit, nec veniam unquam a Domino „ impetravit; quod ex definitione ipsius pœnitentiæ „ & multorum auctoritatibus probare contendunt „.

DISTINCTIO III.

ITAQUE hac *tertia distinctione* inquirit: „ num „ pœnitentia semel acta reiterari queat „?

Primis 21. Canonibus varia allegat Gratianus, quibus probari videtur, quod falsa illa monstretur fuisse pœnitentia, quam aliquando grave peccatum sequatur, juxta illud sub nomine Ambrosii relatum *Can.* 1. *Pœnitentia est & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.*

Et similia Canone 3. sub nomine Augustini *lib. de dogmat. Eccles.* & Canone 4. sub nomine 4. ejusdem, *libro de vera & falsa Pœnitentia*, quæ opera Augustino falso attribui notum est.

Interim ad calcem Canonis 17. monet, quod hæc verba definitionis (scilicet pœnitentiæ) non ad *diversa* tempora, sed ad idem tempus referantur: „ videlicet, ut tempore, quo deflet mala, quæ committit, non committat; quod adhuc eum flere „ oporteat „.

Præterea *Canone* 21. refert ex supposititia Epistola 1. Pii Papæ, hæc verba: *Nihil prodest homini jejunare & orare: & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur.*

Verissima & a Patribus probata sententia, licet Pio Papæ falso adscripta.

His relatis monet, ex persona hujusmodi pœnitentis etiam intelligendas plerasque auctoritates, quæ falsam & inanem dicunt pœnitentiam, quam sequens culpa coinquinat.

Verum si auctoritates illæ attentius expendantur, apparebit, parum convenientem esse hanc Gratiani expositionem. Fateturque ipse Gratianus eam congruere non posse verbis Ambrosii ex *libro* 2. *de Pœnitentia cap.* 10. relatis *Can.* 2. quare aliam adjungit dicens: „ Illud „ Ambrosii non secundum generalem, sed secundum „ specialem consuetudinem Ecclesiæ de solemni Pœnitentia dictum intelligitur, quæ apud quosdam semel „ celebrata non iteratur „.

Eamdem solutionem applicandam ait verbis Augustini ex Epistola ad Macedonium, cujus fragmentum recitatur *Canone* 22. in qua Augustinus expressis verbis docet, *ante & salubriter provisum esse, ut locus illius humillimæ Pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis.*

Sed ex textu Augustini evidens est, Augustinum loqui generaliter de publica Pœnitentia, quæ tum temporis pro omnibus gravioribus peccatis agebatur; uti de eadem loqui Ambrosium contextus evincit, præsertim si ipsum originale, quod truncatum refert Gratianus, consulatur: Gratianus enim ita legit: *quia sicut unum baptisma, ita & unica Pœnitentia*, quibus addit originale: *quæ tamen* publice *agitur* (a).

Dein pergit in eodem Canone 2. Gratianus. *Verum præteriti semper nos debet pœnitere peccati: sed hoc delictorum leviorum*: at originalis lectio habet: *nam* quotidiani *nos debet pœnitere peccati, sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.*

Evidens est Ambrosium hic duas duntaxat species Pœnitentiæ agnoscere, unam *publicam* non iterandam, eamque *delictorum graviorum*: & aliam *secretam & quotidianam quotidiani peccati* sive *delictorum leviorum*.

Exponit dein ad calcem Canonis 22. quod sicuti charitatem imperfectam & perfectam, ita & Pœnitentia recte dividatur in perfectam, ut scilicet imperfecta ad exemplum charitatis imperfectæ dicatur „ quæ quidem „ sufficiat, impetrandæ peccatorum veniæ, „ & quadam „ ratione perfecta potest dici: quia *toto corde gemit & dolet*, licet & alia ratione potest dici imperfecta, „ quia non usque ad finem duratura „.

(a) Iste contextus desumitur ex c. 10. libri de Pœnitentia, qui fœtus est genuinus Sancti Ambrosii.

Igitur proprie *perfecta* Penitentia ex opinione Gratiani est illa, quæ usque *in finem* durat: atque de hac intelligi vult Augustinum.

Verum inspici duntaxat textus debet, ut appareat, inepte ad hanc Pœnitentiæ speciem verba Augustini restringi.

Subjicit Gratianus varia quibus probatur, sæpius per Pœnitentiam remitti peccata.

Post hæc contrariam multorum opinionem proponit, adductis auctoritatibus, quibus probari videtur, quod per Pœnitentiam non semel tantum, sed sæpissime peccata remittantur.

Intermiscet autem Gratianus quædam, quibus ostendat, quæ sit dicenda vera vel falsa Pœnitentia. Item Pœnitentiam veram agi non posse de uno solo peccato ab illo, qui pluribus est irretitus.

Sententia Gratiani de reiteratione Pœnitentiæ.

Tandem ad finem distinctionis super principali quæstione de reiteratione Pœnitentiæ ita concludit: „ Pœnitentia ergo, ut ex præmissis apparet, nulli in peccato perseveranti utilis est, non tamen alicui denegLanda est, quia sentiet fructum ejus, cum alterius „ criminis egerit Pœnitentiam. Sic itaque Pœnitentiæ „ definitio, & cæteræ auctoritates sibi consonantes negant eum agere Pœnitentiam, qui perseverat in crimine, utilem videlicet sibi, & fructuosam „.

Repetit dein, Ambrosii dicta, de non *reiteranda Pœnitentia*, esse intelligenda de Pœnitentia *solemni, secundum consuetudinem quarumdam Ecclesiarum, apud quas Pœnitentiæ solemnitas non iteretur.*

Ratio, ob quam decepti fuerint Scholastici circa reiterationem Pœnitentiæ

Hanc de *solemni* Pœnitentia restrictionem non congruere dictis Ambrosii jam monuimus: notantque eruditi operum Ambrosii Revisores ad citatum *cap.* 10. hic agi de *publica* Pœnitentia, monentque „ hac in re „ deceptos esse Scholasticos, quod eos, qui peracta „ *publica* Pœnitentia, rursum in peccatum essent delapsi, „ ad *secretam* Pœnitentiam admissos putaverint; etenim qui ad pristina scelera quasi canes ad vomitum „ revertebantur, jam *sibi ipsi* relinquebantur, ut Deum „ qua potiori via visum fuisset placerent „. Vide Morinum *de Pœnitentia lib.* 9. *cap.* 29.

Modus conciliandi auctoritates in hac materia apparenter contrarias.

Facilis & genuina fuisset auctoritatum conciliatio, si loca & tempora distinxisset Gratianus; attendissetque, Patres nullatenus velle, quod Pœnitentia illius, qui relabitur, fuerit simpliciter falsa, aut sine fructu, sed duntaxat, quod relapsus præsertim in eadem crimina sit indicium non obscurum falsæ Pœnitentiæ; neque sic relapsus ad publicam & Canonicam Pœnitentiam reiterandam admitteretur.

Distinctio inter Pœnitentiam solemnem & publicam auctoritate Gratiani recepta.

Interim auctoritate Gratiani tandem recepta fuit distinctio inter Pœnitentiam publicam & solemnem: & quæ Patres de publica dixere, huic fere solemni appropriata sunt, uti notavi in *Jure Eccles. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *tit.* 6. *cap.* 2. ubi una ostendi quantopere recessum sit a pristina Patrum disciplina in hac materia Pœnitentiæ.

DISTINTIO IV.

SUB initium Distinctionis quartæ ait: „ multis auctoritatibus supra monstratum est, Pœnitentiam „ vere celebrari, & peccata vere dimitti ei, qui aliquando in crimen recasurus est „.

Hinc educit aliam quæstionem, quam discutit *distinctione quarta*, scilicet *an peccata dimissa redeant?*

An & quo sensu peccata dimissa redeant?

Pro resolutione hujus quæstionis plures adducit auctoritates in speciem sibi contrarias, pro quarum conciliatione fuse discurrit, ac tandem ad calcem Distinctionis concludit: „ Sicut bona, quæ peccato moriuntur, per Pœnitentiam reviviscunt ad præmium: „ sic, & mala, quæ per Pœnitentiam delentur, reviviscunt ad supplicium „.

Quo sensu autem hoc posterius membrum intelligi debeat, luculentius exposuerat ad calcem Canonis 14. dicens, quod assertores ejus sententiæ, quod peccata reviviscant, auctoritates sibi contrarias ita determinent: „ Peccata dimissa redire dicuntur, quia quisquis „ post acceptam peccatorum remissionem ad vomitum „ redierit, tanto gravius punietur, quanto magis benignitate Dei abusus, singulorum remissionis acceptæ ingratus extitit „.

DISTINCTIO V.

Quæ peccator considerare debeat, & a quibus abstinere?

DISTINCTIONE quinta exponit Gratianus: „ in Pœnitentia, quæ peccatorem considerare oporteat?

Prolixum in hanc rem fragmentum *ex libro de vera & falsa Pœnitentia* sub nomine Augustini profert *Canone* 1. in quo fuse & distincte exponitur, quid circa circumstantias peccatorum, aliaque expendere oporteat Pœnitentem.

In reliquis auctoritatibus unice pene agitur de interdicta negotiatione & militia ipsis Pœnitentibus, citaturque *Canone* 4. in hujus probationem. *Canon* 11. *Nicænus*, ad quem consulenda nota Correctorum Romanorum, e qua etiam habemus, non exiguo in pretio apud ipsos fuisse Zonaræ & Balsamonis Commentarios.

Quæ juxta Gregorium VII. dicenda falsa Pœnitentia?

Addit dein Gratianus aliqua, quibus ostendat, quæ sit falsa Pœnitentia inter quæ notandus textus Gregorii VII. relatus *Canone* 6. quo *falsas Pœnitentias* dicit,

cui, quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur.

Si vera sit hæc sententia, nemo non videt, quam rara sit hodie vera Pœnitentia.

DISTINCTIO VI.

Quærit ulterius Gratianus Distinctione sexta: „ cui debeat fieri confessio, vel qualem illum oporteat „ esse, qui aliorum crimina judicat „?

De dotibus confessarii

Profert hanc in rem prolixum fragmentum ex eodem *libro de vera & falsa Pœnitentia*, sub nomine sancti Augustini, quo præ cæteris inculcatur. *Qui vult confiteri peccata, ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare & solvere: ne cum negligens circa se exstiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet & petit, ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit.*

Inculcatur insuper, debere Sacerdotem, qui alium judicare præsumit, esse immunem a crimine, de quo alterum judicare intendit: *Sacerdos, cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit judicandus, quæ in alio, judicare est promptus. Judicans enim alium qui est judicandus, condemnat seipsum . . . . in hoc itaque patentissimum est crimen Sacerdotum, & ultra modum detestabile, qui non prius se judicant, & alios alligant, deberent enim in se timere crimen, quod in aliis timuerunt, & detestabile senserunt.*

Ulterius monet, *ut caveat spiritualis judex, ut sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ, oportet enim ut sciat cognoscere quidquid debet judicare*. Merentur legi, quæ hic de scientia spiritualis judicis seu confessarii notat & adducit Gratianus, quomodo cum pœnitente agere debeat, & non nisi omnibus circumstantiis rite perpensis pœnitenti indulgentiam indulgere. Sed illud absonum est, quod hic in fine a Gratiano additur. *Nisi statutum fuerit a Romano Pontifice.*

De sigillo confessionis

Post hæc subjungit Gratianus cavendum esse Sacerdoti, ne peccata pœnitentium aliis manifestet, prolato *Canone* 2. Decreto sub nomine *Gregorii* absque specificatione *quis* sit, vel e quo opere sit sumptum, quæ nec a Correctoribus Romanis indicata sunt.

An & quando relicto confessario liceat alterum accedere?

Denique *Canone* 3. profert sub nomine Urbani II. Decretum, quo cautum legitur, ut „ deinceps nulli „ Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti „ ad Pœnitentiam suscipere sine ejus consensu, „ cui prius se commisit, nisi pro ignorantia illius, cui „ Pœnitens prius confessus est „.

Cum hoc Decretum contrariari videretur verbis sub nomine Augustini relatis *Canone* 1. quibus dicitur, ut Pœnitens eligat Sacerdotem scientem ligare & solvere, pro conciliatione dicit Gratianus ad calcem Canonis „ 2. „ Sed aliud est favore vel odio proprium Sacerdotem „ contemnere, quod sacris Canonibus prohibetur, „ aliud cæcum vitare, quod hac auctoritate quisque „ facere monetur, ne, *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadant* „. Matthæi *cap.* 15. *vers.* 14.

Sollicite autem præcavendum, ne quis *sub obtentu ignorantiæ, relicto proprio Sacerdote, extraneum eligens Sacerdotem, in cæcum incidat, qui se & Pœnitentem in foveam præcipitet.*

Hæc ex libro de vera & falsa Pœnitentia, quem passim sub nomine sancti Augustini citat Gratianus.

DISTINCTIO VII.

De tempore agendæ Pœnitentiæ.

Distinctione septima agit Gratianus de tempore Pœnitentiæ agendæ, asseritque: tempus Pœnitentiæ „ esse usque ad ultimum articulum vitæ „.

Pœnitentia in fine vitæ admodum incerta.

Id probat pluribus relatis auctoritatibus ex Sancto Augustino, e quibus patet, Augustinum judicasse, Pœnitentiam esse dandam, eam petenti in extremo vitæ, sed securitatem dari non posse. *Si quis positus* (ait Canone 2.) *in ultima necessitate* ægritudinis *suæ voluerit accipere Pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quod bene hinc exit. Si securus hinc exierit, ego nescio: Pœnitentiam dare possumus, securitatem autem dare non possumus, numquid dico, damnabitur? sed non dico, liberabitur. Vis ergo a dubio liberari? vis, quod incertum est evadere? age Pœnitentiam, dum sanus es.*

Cur autem Augustinus id dixerit (ait Gratianus) ostendit Cyprianus *lib.* 4. *Epist.* 2. ad Antonianum, cujus fragmentum refert *Canone* 5. rationemque incertæ conversionis ejus, qui in articulo mortis petit Pœnitentiam, in hoc refundit: *quia rogare illos non delicti Pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio, compellit.*

Concludit tandem *Canone* 6. hunc tractatum prolixo fragmento ex libro, *de vera & falsa Pœnitentia*, in quo multis adstruitur falsam videri Pœnitentiam & reputandum esse, quæ usque ad finem vitæ differtur.



O B



OBSERVATIONES IN TERTIAM PARTEM GRATIANI DE CONSECRATIONE.

Tertia pars Decreti Gratiani inſcribitur de Conſecratione, eamque in quinque Diſtictiones diſtribuit.

DISTINCTIO PRIMA.

De Conſecratione Eccleſiarū, earumque pollutione, profanatione, ac reconciliatione.



RIMA diſtinctione præcipue agitur de Conſecratione Eccleſiarum, ejuſque ritibus; necnon earum pollutione vel profanatione, ac demum earum reconciliatione.

Et quia Conſecratio Eccleſiarum ſolet fieri præviis jejuniis, & inter miſſarum ſolemnia, intermiſcet hic Gratianus nonnulla de jejuniis & temporibus jejuniorum, necnon celebratione miſſarum.

Plura hic refert Gratianus ſuppoſititia.

Notandum autem, quod Gratianus hac diſtinctione plura referat, ſub nomine primorum Pontificum, quæ ex ipſâ materia convincuntur ſuppoſititia: eo quod illa, de quibus agitur, ſciantur ætate horum Pontificum in Eccleſia fuiſſe ignota, ac demum pluribus poſt ſæculis introducta.

Hoc titulo merito rejicitur Epiſtola, quæ legitur ſub nomine Felicis Papæ IV. cujus prolixum fragmentum recitat Gratianus *Can.* 1. *&* 2. quo dedicatio & conſecratio Eccleſiæ exhibetur cum omnibus ſuis ritibus, quos recentior ætas adjunxit, & prima ſæcula ignorarunt.

Eodem titulo rejicitur ut ſpurium Decretum ſub nomine Hygini Papæ exhibitum *Can.* 3. quo præcipitur, ut omnes Baſilicæ cum miſſa debeant ſemper conſecrari, qui ritus Hygino recentior eſt.

Ad quem pertineat novæ Eccleſiæ conſtructio?

Can. 4. & ſequentibus auctoritate Gelaſii Papæ adſtruere vult, nullam Eccleſiam de novo conſtrui poſſe abſque præcepto *Sedis Apoſtolicæ*.

Et quidem *Canone* 5. hoc apponit ſummarium: *Sine auctoritate ſummi Pontificis nova non dedicatur Eccleſia.*

Verum intelligenda hæc videntur de Eccleſiis duntaxat ſuburbicariis, ut obſervat D. Fleury *Hiſt. Eccleſ. lib.* 30. *num.* 34. utpote aperte ſacris Canonibus contraria, qui hanc auctoritatem ſingularum Diœceſium Epiſcopis attribuunt, conſtatque ex Glabro Rodulpho *lib.* 2. *cap.* 4. *Hiſt. Eccleſ.* quanto fervore ſe oppoſuerint Epiſcopi Gallicani, etiam ſæculo undecimo cuidam comiti Fulconi, qui Joannem Papam induxerat, ut Petrum Cardinalem mitteret in Galliam, ut auctoritate Papæ conſecraret Eccleſiam a dicto Fulcone in proprio ſuo fundo exſtructam in Diœceſi Turonenſi, & quam Epiſcopus Turonenſis conſecrare recuſabat. „ Hoc factum univerſi Epiſcopi Gallicani deteſtabantur (ait Glaber) quoniam nimium indecens videbatur, ut is, qui Apoſtolicam regebat Sedem, Apoſtolicum primitus ac Canonicum tranſgrediebatur tenorem, cum inſuper multiplici ſit antiquitus auctoritate roboratum, ut non quiſpiam Epiſcoporum in alterius Diœceſi iſtud præſumat exercere niſi Præſule, cujus fuerit, compellente ſeu permittente". Videri poſſunt, quæ hac de re dicta ſunt in *Jure Eccleſ. Tom. II. part.* 2. *ſect.* 2. *tit.* 1. *cap.* 4. alias *tit.* 16. *capit.* 3.

Dum conſtruitur Eccleſia, dos ſufficiens ei aſſignari debet.

Sub nomine Concilii Aurelianenſis profertur *Can.* 9. Decretum, quo inhibetur ædificatio Eccleſiæ *antequam Epiſcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publice atrium deſignet, & ante præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad cuſtodiam, & ad ſtipendia cuſtodum, ſufficiant, & oſtenſa donatione, ſic domum ædificet.*

Hoc Decretum in Concilio Aurelianenſi non reperitur, ſed pene iiſdem verbis legitur *lib.* 5. *Capitularium cap.* 382. niſi quod omittantur hæc verba, *atrium deſignet*, item pro his, *oſtenſa donatione*, legitur *facta donatione*.

Eccleſia conſecrata debet aqua ſancta aſpergi.

Addit dein Gratianus in fine hanc clauſulam, cujus in capitularibus nulla fit mentio: *Et poſtquam conſecrata fuerit, atrium ejuſdem Eccleſiæ ſancta aqua conſpergat*: quæ ſimiliter occurrit apud Burchardum & Ivonem; ut admodum veriſimile ſit ex his potius, quam e capitularibus deſumptum, & clauſulam de conſperſione *aquæ ſanctæ* recentiori manu, juxta ritum recentioris ævi fuiſſe adjectam.

Idem Decretum cum dicta clauſula extat in ordine Romano, uti monent Correctores Romani, qui & verba referunt, ſed cujus ſit ætatis ordo iſte, incertum eſt, ut proinde hinc nihil pro antiquitate hujus ritus ſtatui poſſit.

Varia refert Gratianus ex apocryphis, de locis, in quibus miſſæ celebrandæ ſunt, de dedicatione, reconſecratione, & reconciliatione Eccleſiarum, &c.

Poſt hæc ſubjiciuntur nonnulli Canones, quibus decernitur, non niſi in locis ſacratis miſſarum ſolemnia eſſe celebranda, idque fere ex pſeudo-Epiſtolis primorum Pontificum, quorum ætate hæc diſciplina adhuc ignota erat.

Uti & annua dedicationis Eccleſiæ celebranda ſolemnitas, ſicuti & reiteratio conſecrationis, quoties de ea *dubitatur*, ut in Canone 16. ſub nomine Felicis Papæ omnibus orthodoxis. *Epiſt.* 1. *cap.* 1. *&* 2. deciditur: quam Epiſtolam (e qua plura fragmenta refert Gratianus) ut apocrypham omnes paſſim rejiciunt.

Nec majoris ponderis ſunt, quæ *Can.* 19. 20. *&* 21. referuntur de reconſecratione vel reconciliatione Eccleſiarum ſub nomine Hygini Papæ, apud quem nihil ſimile extat, & ex Canone Nicæno, in quo nihil tale legitur, & ex Joannis Papæ Epiſtola Epiſcopis Italiæ inſcripta, quæ refertur *tom.* 4. *Concil. Gener.* ſed quod eam *ſuppoſititiam multa evincant*, recte notavit Labbæus. Neque ſane, quæ ex his refert Gratianus, ullatenus congruunt ætati illorum, ſub quorum nomine ea notantur, uti agnoſcunt, paſſim, qui de his ritibus ſcripſerunt; quamvis dubitandum non ſit, quin eorum auctoritate, maxime poſtquam Decreto Gratiani inſerta fuere, ritus ille reconciliationis, prout ibidem præſcriptus eſt, multum invaluerit, & ſtabilitus fuerit.

Refertur a Gratiano *Canon.* 24. fragmentum ſub nomine Juliani Papæ: at Correctores Romani id reſtituerunt *Vigilio Papæ* ad *Eucherium Epiſt.* 1. *cap.* 4. ſeu potius ad Eutherium, quæ integra extat apud Labb. *tom.* 5. *Concil. General. col.* 311. locumque ſecundum inter Epiſtolas occupat ſub titulo hoc: *Epiſtola* 2. *Vigilii adhuc pſeudo-Papæ ad Eutherium.*

Notandum in hoc Vigilii reſponſo, quod *ſi qua Sanctorum Baſilica a fundamentis etiam fuerit innovata ſine altaris motione, ſine aliqua dubitatione, cum in ea*

fuerit missarum solemnitas celebrata, totius consecrationis sanctificatio implebitur.

Rationem præmisit: quia nimirum tanta est missarum solemnitas, ut vicem suppleat consecrationis, uti hi recte interpretatur glossographus; qui reflectens ad usum sui temporis, inepte restringit resolutionem ad casum, quo muri fabricæ per partes deciderunt, & reparati fuerunt.

De altaribus, & eorum consecratione.

Nonnulla de consecratione altarium hic quoque adducuntur, notanter *Can.* 25. 26. & 31. quorum ultimo ex Concilio Epaunensi refertur: *Altaria, si non fuerint lapidea, chrismatis unctione non consecrentur.*

Et *Canon.* 32. ex Concilio Agathensi, *ut non solum unctione chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrentur.* Vide *Tom. II. in Jure Eccles. part.* 2. *sect.* 2. *tit.* 1. *cap.* 4. alias *tit.* 16. *cap.* 4. ubi de variis ritibus consecrationis altarium & Ecclesiarum agitur.

Dein *Can.* 33. 34. & 35. agitur de oratoriis privatis, in quibus sacras functiones peragere sine licentia Episcopi inhibetur; additurque, quod si quis extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, oratorium in agro habere voluerit, debeat in præcipuis anni festivitatibus, non nisi in civitatibus aut in parochiis missas audire: quæ moderatio etiam hodie in concessione similium oratoriorum inseritur, uti notavi *in Jure Ecclesiast. Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 5. *cap.* 8.

An & qua auctoritate corpora Sanctorum de loco in locum transferri possint?

Canon. 36. sub nomine Augustini nullo loco indicato dicitur, *tribus ex causis loca Sanctorum transmutanda sunt.*

Et *Can.* 37. ut *corpora Sanctorum de loco ad locum nullus transferre præsumat sine consilio Principis, vel Episcoporum, sanctæque Synodi licentia.*

Glossographus ad hunc Canonem verbo, *Principis*; ait, id est *Papæ*. „ Et hoc verum est, ait, cum cor„ pus traditum est jam perpetuæ sepulturæ, nisi ne„ cessitas immineat, tunc sufficit auctoritas præsidis „ Provinciæ: si autem non est traditum perpetuæ se„ pulturæ, bene potest transferri sine auctoritate ali„ cujus ad alium locum " Bella sane Canonis expositio.

Citatur Canon ex *Concilio Moguntinensi Primo c.* 51. at in Concilio Moguntino primo prout extat *tom.* 8. *Concil. General.* edit. Labb. nihil simile reperi. Interim scimus circa similia variam fuisse disciplinam, variaque pro casibus occurrentibus fuisse Decreta: plurimum propterea aberrare, qui pristino Canones ad hodiernos mores & jura detorquent.

De ornamentis & vasis sacris nec non materia ex qua conficienda sunt.

Dein Gratianus aliquot subsequentibus Canonibus agit de non impendendis vestibus & ornamentis sacris in usus profanos, deque vetita contrectatione vasorum sacrorum a non sacratis hominibus.

Verum ex suppositiis plerumque Decretalibus Romanorum Pontificum desumpta sunt.

Insuper inquirit, qua ex materia vasa & ornamenta Sacerdotalia & sacra sint conficienda, referturque *Canone* 44. Decretum Concilii Triburiensis anni 895. cui inseritur vulgare illud dictum Bonifacii Martyris & Episcopi: *Quondam Sacerdotes* aurei ligneis *calicibus utebantur: nunc e contrario* lignei *Sacerdotes* aureis *utuntur* calicibus.

Ita legitur in Concilio, & etiam apud Gratianum in corpore correcto. At in antiquis editionibus Gratiani ita legitur: „ quondam Sacerdotes non aureis, „ sed ligneis calicibus utebantur ". Reliqua videntur a Correctoribus Romanis addita ex Concilio, cujus tamen additionis nullam mentionem fecerunt. Interim

Major debet esse sollicitudo de Sacerdotum moribus, quã de ornamentis aut vasis.

dicto Bonifacii jungi potest sententia Petri Damiani *opusc.* 31. *cap.* 6. ubi ostendit, quod „ Sacerdotii me„ ritum non nitor efficiat vestium, sed spiritualium „ norma virtutum, & non micantia margarita, & „ gemmæ, sed mores aurei deceant Sacerdotes ".

De Liturgia.

Post hæc *Canone* 47. ex Synodo VI. *cap.* 32. refert, a quibus fuerit tradita missarum celebratio, quo Decreto probantur Liturgiæ, quæ sub nomine sancti Jacobi, & sancti Basilii extant: in quibus multa occurrunt, quæ recentiorem redolent ætatem, meritoque viris etiam Catholicis dubium ingenerant, num his sanctis tamquam earum auctoribus adscribi queant.

De tempore celebrandi missarum solemnia.

Ex pseudo-Decretali *Telesphori Papæ* asseritur *Canone* 40. *excepta nocte nativitatis Domini*, missarum solemnia celebranda non esse *ante horam diei* tertiam: quia *& eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos spiritus sanctus descendisse legitur*: hæc nimis aperte recentiorem ætatem referunt, ut vel hoc solo titulo hæc Decretalis merito supposititia rejiciatur.

De jejunio præmittendo celebrationi.

Sub nomine Concilii Africani dicitur *Canone* 49. sacramenta altaris a *jejunis* esse celebranda, *excepto uno die anniversario, quo Cæna Domini celebratur*, de qua exceptione consuli potest tractatus Historico-Canonicus *part.* 2. §. 5. *ad Canonem* 41. *Codicis Africani*, *Tom. VII.*

Quo tempore jejunium quadragesimale solvi possit?

Agitur Canone 50. contra illos, qui jejunium *quadragesimale* solvebant mox ut signum audierint *ad horam nonam*, quæ modernæ nostræ horæ *tertiæ pomeridianæ* correspondebat: vult autem ut jejunium protrahatur usque ad finitum officium *vespertinum*, Gratianus Decretum hoc assignat Concilio *Cabillonensi*: at monent Correctores Romani illud haberi in capitulis *Theodulphi Aurelianensis Episcopi* cumque hic vixerit sæculo VIII. sequitur, eo adhuc tempore, jejunium quadragesimale, in Gallia saltem, protractum fuisse usque ad *vesperam*, sive usque ad absoluta officia *vespertina*.

Olim ob multitudinem populi plures in eadem basilica celebrabatur.

Profert *Canone* 51. fragmentum Epistolæ S. Leonis Dioscoro Alexandrino Episcopo cum hac epigraphe: *Etiam prima parte diei missas celebrare licet.* Verum si contextus Epistolæ inspiciatur, apparebit, unicum Leonis scopum fuisse, inducere Alexandrinum Episcopum, ut in Ecclesia Alexandrina observaretur consuetudo Romanæ Ecclesiæ ex forma paternæ traditionis descendens: „ ut cum solemnior quæque festivitas con„ ventum numerosioris populi indixerit, & ea fide„ lium multitudo convenerit, quam recipere Basilica „ simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter „ iteretur . . . . . cum plenum pietatis atque rationis „ sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia „ novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens „ offeratur ".

Hinc remansisse consuetudinem bis vel ter celebrandi in aliquot solemnitatibus, puta S. Joannis Baptistæ, in nativitate Domini, in natalitiis Apostolorum, &c. non tantum in eadem Basilica, eodemque altari, sed & ab eodem Sacerdote, credit Paschasius Quenellus *nota* 4. ad hanc Epistolam, qui & alias eruditas, more suo, adjungit reflexiones ad hanc Leonis Epistolam.

De missis privatis.

Canone 52. adducitur Decretum sub nomine *Augustini, ut missæ particulares, quæ per dies solemnes a Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eas populus a publicis missarum solemnibus, quæ hora tertia Canonice fiunt, abstrahatur.*

Cum Augustini ætate missæ illæ *privatæ* nondum invaluissent, recte notatur in margine, id haberi in *Capitulis Theodulphi* Episcopi Aurelianensis, Augustino pluribus sæculis posterioris.

An & quando Sacerdoti liceat plusquam unam missam in die celebrare.

Decretum relatum *Canone* 53. edicit sufficere Sacerdoti unam missam in die celebrare, adducta notanda, & vulgo nota ratione: *non modica res est, unam missam facere, & valde felix est, qui unam digne celebrare potest.*

Videtur tamen permittere, ut *quidam pro defunctis unam faciant, & alteram de die, si necesse fuerit, hoc & una declarans, quod qui pro pecuniis aut adulationibus sæcularium una die præsumunt plures missas facere, non evadent damnationem.*

Citatur hoc Decretum sub nomine *Alexandri secundi*, sed ubi id habeat hic Pontifex hactenus non inveni.

Culpanda decimatorum tenacitas, qua cogi Sacerdotes *binare*.

Hodie vix inveniuntur Sacerdotes, qui propria auctoritate plures eadem die missas quæstus causa celebrare attentarent, sed non pauci reperiuntur, qui ex tenacitate & avaritia decimatorum ad id adiguntur, sive, uti hodie loquimur, *binare* coguntur. Num hi decimatores *damnationem* evadent, ipsi viderint.

De canendo Hymno, *Gloria in excelsis* in Cœna Domini.

Tribus sequentibus Canonibus agitur de canendis Hymnis, præsertim Angelico *Gloria in excelsis*; præcipiturque *Canone* 56. ut hic hymnus ab Episcopo: „ *in cœna Domini* inter missarum solemnia dicatur ": quod & hodie observatur, non tantum ab Episcopis, sed ab omnibus Sacerdotibus celebrantibus. Refertur hic Canon sub nomine *Nicolai Papæ Rodulpho Archiepiscopo Bituricensi*, sed de eo dicit Antonius Augustinus *lib.* 2. *dial.* 6. *fontes inquirimus*, sat innuens, hactenus non inventos.

De ministris, qui Episcopo sacrificanti assistere, & de sacrificio participare debēt.

Canone 59. & 60. agit de numero testium, scilicet Presbyterorum, aliorumque, qui Episcopo in sacrificio assidant, *custodientes eum a malevolis hominibus, & consensum ejus præbeant sacrificio: peracta autem consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus.*

Adscribitur *Anacleto Epistola* 1. sed Decretum una cum Epistola supposititium esse norunt eruditi, neque ibidem præscripta ad *Anacleti* tempora posse referri: uti nec quod *Can.* 60. refertur sub nomine Lucii Papæ, & *Can.* 58. relatum *ex Decretis Soteri Papæ.*

De missa solitaria.

Similiter relatum *Can.* 61. quo decernitur, ut nullus Presbyterorum missarum solemnia celebrare præsumat, *nisi duobus præsentibus sibique respondentibus ipse tertius habeatur*, falso attribui *Sotero Papæ*, vel ab aliis Anacleto, recte notavit Cardinalis Bona *lib.* 1. *rerum liturg. cap.* 13. *num.* 6. „ nihil enim magis alie„ num (ait) a praxi & disciplina illius sæculi, quam „ *solitariæ* missæ celebratio, nec puto, voluisse san„ ctos illos Pontifices edita lege abusum tollere, qui „ nonnisi post aliquot sæcula inter Monachos irre„ psit ".

Prohibentur fideles egredi ante benedictionem Sacerdotis.

Plures dein profert Canones Gratianus, quibus jubentur fideles ad missarum solemnia accedentes, ad finem usque permanere, vel saltem ante *benedictionem Sacerdotis* non egredi. Vide Card. Bona in loco citato *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 3. plura ibidem de hac benedictione, qua forma, & in qua parte missæ pronuntiaretur, observans.

De oblatione in missa.

De oblatione a fidelibus inter missarum solemnia facienda, agitur *Canon.* 69. & de offerentium nominibus reci-

facienda, & de recitandis offerentium nominibus.

recitandis &c. 73. de quibus consule late & erudite tractantem Card. Bona in citato opere *lib.* 2. *c.* 8. *&* 9.

De ritu *sursum corda*.

De ritu quo præparantur corda fidelium a Sacerdote proclamante, *sursum corda*, ut dum populus respondet *habemus ad Dominum*, *admoneatur*, *nihil se aliud*, *quam Dominum cogitare debere*, agitur *Can.* 70.

De novenario numero præfationum.

Extat *Can.* 71. Decretum sub nomine Pelagii II. de novenario numero *præfationum*, verum illud huic Pontifici adscribi non posse, sed recentioris esse ætatis pluribus solidisque argumentis ostendit Bona loco citato *cap.* 10. *num.* 3. idipsum late probat Baluzius in notis ad hunc Canonem.

Olim quodlibet pene festum suā præfationē habet.

Interim Romani Pontifices more suo secuti Decretum Gratiani, e missali suo, quod *Romanum* dicitur, omnes præfationes, exceptis his novem in hoc Canone expressis, sustulerunt, cum in antiquis Sacramentariis singula pene festa, suam haberent præfationem, uti potest videri in Sacramentario S. Gregorii per Hugonem Menardum notis illustrato.

In missa orandum pro defunctis.

Denique *Can.* 72. ex Concilio Cabillonensi II. refertur in omnibus missarum solemnibus pro defunctorum spiritibus esse orandum.

DISTINCTIO II.

In sacrificio panis, vinum & aqua solū offerēda sunt.

Distinctione secunda tractat Gratianus de Sacramento Eucharistiæ. Primis Canonibus ostendit, in hoc Sacramento tantum esse offerenda panem & vinum & aquam, atque hanc vino permiscendam: quod postremum probat potissimum auctore Sancti Cypriani *Canon.* 2. *&* 3. quæ enim eam in rem profert *Can.* 1. ex Alexandro Papa, & *Canon.* 7. sub nomine Julii Papæ, parum authentica esse norunt eruditi. Monent hic Correctores Romani multa hisce Canonibus esse addita: ut hic rursus pateat, hodie non haberi hoc opus Gratiani, prout ab eodem editum fuit.

Vetantur offerri uvæ.

De abusu offerendi uvas in sacrificio missæ, de quo agitur *Can.* 6. consuli potest *Tom. VII.* Canone 28. Synodi Trullanæ, quo abusus hic proscribitur.

De tempore dandæ pacis in sacrificio.

Reprobatur *Can.* 9. ritus, qui in quibusdam Ecclesiis invaluerat, & mos quorumdam dandi pacem ante confecta mysteria, de quo vide Card. Bona *lib.* 2. *rerum liturg. cap.* 16. *num.* 6. ubi multa tradit circa ritum, qui in variis Ecclesiis, variisque temporibus fuit circa impartitionem *pacis*.

Hodie solet in missa solemni pax dari post confecta mysteria sive post consecrationem ante communionem, conformiter ad hunc Canonem.

Sacerdos sacrificās debet communicare.

Sacerdotes sacrificantes, quoties celebrant, debere communicare probat *Can.* 11. auctoritate Concilii Toletani XII. & *Can.* 10. ex Decretali supposititia Calixti vel Anacleti Papæ, sed quæ de omnibus fidelibus missæ adstantibus loqui videtur, de qua disciplina vide dicta in *Jure Ecclesiast. Tom. II. part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 5. *cap.* 3.

Quandonā fideles ad communionem accedere debeant.

Adducit dein plures auctoritates quibus ostendat, quoties fidelis populus ad communionem accedere debeat, sed plura e scriptis apocryphis, & auctoribus, sub quorum nomine allegantur, falso adscriptis, puta quod *Can.* 13. tribuit Augustino, ipsius non esse monent Monachi Benedictini in monitione prævia ad librum *de Ecclesiasticis dogmatibus*, quem in appendicem *tomi* 6. operum Augustini relegerunt: pariter relatum *Can.* 14. *ex lib. de sacramentis cap: finali* perperam Ambrosio attribui pluribus persuasum est, & verba Canonis 15. apud Hilarium, cui adscribuntur, non inveniuntur, sed potius apud Augustinum, uti monent Correctores Romani.

Quæ *Can.* 16. *&* 17. Fabiano & Sotero attribuuntur, pseudo-Isidori esse hodie non ambigitur.

Interim ex Decreto Synodi Agathensis in Canone 16. habemus, quod saltem in aliquibus Ecclesiis esset disciplina sæculo quinto, quod fideles ut minus ter in anno, scilicet in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste communicare deberent, ut *qui non communicaverint*, *Catholici non credantur*, *nec inter Catholicos habeantur*.

Quin & hoc scitur, primis sæculis eam fuisse praxim, ut qui missæ sacrificio assisterent, etiam sacramentaliter communicarent.

De abstinentia ab uxoribus ante communionem.

Quod *Can.* 21. de abstinentia aliquot dierum *a propria uxore* allegatur, id perperam Concilio Eliberitano assignari probat Ludovicus Mendoza *lib.* 1. *de Concil. Eliberit. cap.* 6. & Stephanus Baluzius in notis ad hunc Canonem 21. quamquam certum sit, quod Patres ad eam abstinentiam ante sacram communionem sæpius fideles hortati sint.

De divisione hostiæ in tres partes.

Refertur *Can.* 22. Decretum sub nomine *Sergi Papæ*, sed quis sit, non dicitur, Notatur ad marginem: Glossa ordinaria in primam Epistolam ad Corinthios, Magister sententiarum, aliique, qui sæculo IX. & sequentibus de officiis & ritibus Ecclesiasticis scripsere, apud quos saltem in substantia hoc Decretum reperitur: ex quo Decreto habemus, quod saltem tempore istorum Scriptorum Hostia consecrata in *tres* partes divideretur, quarum una mitteretur in Calicem, altera consumeretur, tertia vero in altari usque ad finem missæ remanerent, eaque communicaturis sive infirmis (ait Micrologus *de Eccles. observat. cap.* 17. necessario dimittitur.

Quod autem fuerit, & etiamnum hodie sit, varius ritus fractionis sacræ Hostiæ, late exponit Cardinalis Bona *lib.* 2. *rer. liturg. cap.* 15. *n.* 4.

Quod *Canon.* 23. refertur exorbitans sub nominis *Clementis Papæ*, de abstinentia a *communibus* cibis servanda certo tempore ab iis, qui *residua* Corporis Domini, quæ in sacrario sunt, comedunt, esse apocryphum, nemo hodie dubitat, ut omnes *Clementis* I. Decretales: quarum sæpius Gratianus meminit, quarumque fragmenta sparsim in hoc opere occurrunt.

Occurrit rursus *Can.* 25. error sat familiaris Gratiano, ut nimirum verba S. Basilii atribuat octavæ Synodo, cujus erroris originem hactenus ignoro, quamquam errorem ipsum sæpius notarint Correctores Romani, nec tamen erroris occasionem indicarint.

Quæ pœnitentia imponenda illi, cujus negligentia aliquid de sāguine Domini ecciderit.

De pœnitentia ejus, cujus negligentia aliquid de *sanguine* Domini distillaverit in *terram*, vel super altare, relatum *Can.* 27. Decretum *Pii Papæ* apocryphum agnoscitur ab omnibus: tametsi ejus mentio etiam fiat in Breviario Romano ad diem 11. Julii, quo hujus Pontificis festum recolitur.

Interim ex hac supposititia Decretali verisimile evadit, tempore confictionis harum Decretalium, id est, circa sæculum IX. adhuc in usu fuisse, ut fideles sub specie *vini* communicarent. Hinc enim facile contingebat, ut negligentia Sacerdotis aliquid de *sanguine* in terram aut altare caderet.

Reprobatur abusus circa delationē Eucharistiæ ad infirmos per Laicum.

Canon 29. desumptus ex Concilio Rhemensi sat indicat abusum aliquando fuisse, ut Eucharistia deferenda ad infirmos traderetur Laico, aut etiam fœminæ, qui & hic reprobatur, de quo vide Baluzium in notis ad Reginonem *pag.* 536. in fine. Insuper ex hoc Decreto habemus, quod tempore hujus Synodi mulieres non permitteretur ingredi sanctuarium, neque ad altare accedere: dicit enim Canon: „ quod quidam „ Presbyteri in tantum parvipendant divina myste- „ ria, ut Laico vel fœminæ sacrum Corpus Domini „ tradant ad deferendum infirmis: & quibus prohi- „ betur, ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare „ appropinquent, illis sancta sanctorum committun- „ tur: quod quam sit horribile, quamque detestabi- „ le, omnium religiosorum animadvertit prudentia. „ Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis te- „ meraria præsumptio ulterius fiat, sed omnimodo „ Presbyter per semetipsum infirmum communicet: „ quod si aliter fecerit gradus sui periculo subja- „ cebit ".

De arcendis Laicis a sacrario, tempore quo sacra celebrantur.

Decretum *Canon.* 30. de arcendis Laicis a sacrario, dum sacra per Sacerdotes celebrantur, falso attribui *Clementi Papæ* certum est, monentque Correctores Romani, extare in Synodo Leonis IV. *cap.* 33. & *in* 7. *libr. Capitular. cap.* 278.

Hoc Decretum sæpius renovatum scitur, sed non sat observatum fuisse, nec hodie servari, signanter quoad mulieres, merito deploratur.

Liturgia Metropolitanæ Ecclesiæ servāda in comprovincialibus Ecclesiis.

Cavetur *Canon.* 31. ex Synodo Gerundensi anni 517. ut ordo missarum sicuti in Metropolitana Ecclesia, ita servetur in *omnibus Provinciis*, seu potius in *omnibus Provincialibus* Ecclesiis, uti legitur apud Burchardum & Ivonem, id est, omnibus Ecclesiis Metropolitanæ Ecclesiæ subjectis, quod coincidit cum eo, quod in ipsa Synodo legitur, *in omni Provincia Tarraconensi*.

De veritate sacramenti Eucharistiæ, & præparatione ad illud requisita.

A *Can.* 32. usque ad *Can.* 93. agit potissimum de veritate & substantia sacramenti Eucharistiæ, ostendens, in ea revera contineri corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini, & qua præparatione a fidelibus hoc sacramentum sit sumendum; nonnulla tamen hinc inde apocrypha, ac mutilata intermiscens: ut ad nonnullos notarunt Correctores Romani.

De reservāda Eucharistia pro infirmis.

Refertur *Canon.* 93. Decretum Concilii Wormatiensis, quo præcipitur, ut Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.

Olim parvulis infirmis Eucharistia data fuit.

Observant Correctores Romani apud Burchardum & Ivonem per verbum, *infirmatus*, interponi hæc: *aut parvulus infirmus fuerit*, quemadmodum & apud Reginonem *lib.* 1. *c.* 69. & in Capitularibus *lib.* 1. *c.* 155. legitur.

Neque contemnenda hæc posterior lectio, quia scitur, multis sæculis etiam *parvulis* mox a baptismate, necnon *infirmantibus*, sacram communionem datam fuisse: admodum verisimile est, Gratianum verba illa omisisse, eo quod mos distribuendi *parvulis* Eucharistiam sua ætate in Ecclesia saltem Latina, exolevisset.

Pœnitentia Presbyteri non custodientis Eucharistiam.

De pœnitentia Presbyteri, qui non bene custodierit Eucharistiam, agitur *Canon.* 94. sed sapit recentiorem ætatem.

Locus Cypriani male intellectus a Gratiano de Eucharistia.

Quod *Can.* 95. allegatur ex Sancto Cypriano in Epistola ad *Eucratium* inepte a Gratiano ad Eucharistiam trahitur, ineptiusque ei appenditur hæc epigraphe: *Histrionibus sacra non committantur mysteria*: manifestum

enim est ex contextu Epistolæ, unice hic agi de repellendis histrionibus a communione Ecclesiæ, sive fidelium.

Id unum enim Eucratius quæsierat a Cypriano, num histrio in sua arte perseverans, *debeat nobiscum communicare: quod ego* (ait Cyprianus) *puto nec majestati divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere.*

Uti & Decretū Concilii Carthaginensis de non neganda recōciliatione histrionibus conversis.

Similiter errorem incurrisse videtur Gratianus adducendo hic *Can. 96.* Decretum Concilii Carthaginensis III. quo præcipitur, ut histrionibus & similibus conversis ad Dominum *gratia vel reconciliatio non negetur.* His enim verbis simplex *reconciliatio* significatur; nequaquam vero *sacra Eucharistia*, uti putasse Gratianum apparet, tum quod ei hoc summarium præmiserit: *Post conversionem non est deneganda gratia communionis.*

Non sunt eadem die in eodē altari celebrandæ duæ missæ.

Denique *Can. 97.* sub nomine Concili *Urbici* refert Decretum, quo interdicitur Presbytero missam celebrare in altari, in quo *eodem* die *Episcopus* missam cantavit.

Quod sit hoc Concilium Urbicum hactenus ignoratur, sed in margine notatur *Concilium Antissiodorense Can. 10.* hocque celebratum anno 578. legitur, in quo verba hujus Decreti leguntur, sed præmissis verbis sequentibus, *non licet super uno altario in una die duas missas dicere;* ac tum immediate subjungitur Decretum, cujus meminit Gratianus: ut appareat, Decretum fundatum esse super unitate sacrificii in uno altari servanda, sive quod eodem die non possent in eodem altari plura sacrificia offerri. Prout autem a Gratiano recitatur, videretur id singulare fuisse respectu Episcopi qui in illo altari celebrasset.

DISTINCTIO III.

De diebus festis.

AGIT Distinctione tertia Gratianus in primis de feriis, sive diebus festis, quibus populo feriandum est, seu ab operibus servilibus abstinendum.

Formula publicandi festa.

Profert huc in finem *Can. 1.* Decretum sub nomine Concilii Lugdunensis, quod potius sapit formulam quamdam indicendi, seu publicandi festa per annum celebranda, quam alicuius Concilii Decretum, uti notat Ludovicus Thomassinus in suo tractatu historico de celebratione festorum *lib. 1. cap. 7. n. 12.* monetque hoc formulare apperere magis proprium *Ecclesiæ Romanæ*, quam aliis Ecclesiis, eo quod ibi memoria occurrat festorum Sancti *Silvestri*, & Sancti *Laurentii*, quæ pridem huic Ecclesiæ propria fuere.

Cujus sit instituere festa?

Generaliter dein ibi declaratur: *& illæ festivitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudaverint, indicendæ sunt.* Hæc eadem verba suæ Decretali relatæ in *cap. 5. ✠ de feriis* inseruit Gregorius IX. Videri possunt, quæ de auctoritate Episcoporum instituendi dies festos, nec non approbatione magistratus seu Principis, populum repræsentantis, annotavi in *Jure Eccl. Tom. II. p. 2. sect. 2. tit. 3.* alias *17. c. 1.*

Reprobatur consuetudo saltadi diebus festis.

Citatur *Can. 2.* Decretum Concilii Toletani III. quo reprobatur *consuetudo, qua populi per sanctorum solemnitates, cum deberent officia divina attendere, saltationibus & turpibus invigilabant canticis: non solum sibi nocentes, sed & religiosorum officiis perstrepentes.* De simili etiam vigente perniciosa ac sacrilega festorum dierum profanatione plura notavi in *Jure Eccles. loco citato cap. 5.*

De diebus jejuniorum, & varia hac in re disciplina.

Post hæc a *Can. 3.* usque ad *Can. 17.* agit de ritibus jejuniorum. Variam fuisse hac in re Ecclesiarum & temporum exteriorum disciplinam, probant tum auctoritates hic adductæ (licet nonnullæ apocryphæ misceantur, puta *Can. 14.* Decretum Melchiadis Papæ) tum auctores, qui de jejuniis ex professo scripsere, ac nominatim recentissime Ludovicus Thomassinus, in suo tractatu Gallice conscripto *de Jejuniis.*

De renovādo chrismate in Cœna Domini.

Sub nomine Fabiani Papæ extat *Can. 18.* Decretum de renovando per singulos annos sacro chrismate in Cœna Domini. Licet sciatur hoc Decretum falso adscribi huic Pontifici Fabiano, non dubium tamen, quin Decretum hoc apocryphum plurimum conduxerit, ut disciplina moderna de innovando chrismate in Cœna Domini stabiliretur, prout hodie in Ecclesia, saltem Latina servatur.

De festo inventionis S. Crucis.

Decretum sub nomine *Eusebii Papæ Can. 10.* de celebrando festo *inventionis sanctæ Crucis* quinto nonas Maji, aperte apocryphum est: cum certum sit tempore hujus Pontificis, necdum hoc festum fuisse institutum.

De benedictione aquæ sale conspersæ.

Neque majoris auctoritatis est Decretum sub nomine Alexandri Papæ *Can. 20.* quo præcipitur, *aquam sale conspersam populis benedici, ut ea cuncti aspersi sanctificentur & purificentur:* scitur enim ritum hunc ætatem hujus Pontificis esse recentiorem.

De celebrādo Paschate die Dominico.

Agit *Can. 21.* & sequentibus de celebrando Paschate in die Dominico, ejusque indictione, sed duo priora Decreta, unum *Pio Papæ*, & alterum *Victori Papæ* adscriptum, certo sunt supposititia, quamvis sciamus tempore *Victoris Papæ* acrem fuisse in die celebrationis Paschæ disceptationem.

De utilitate imaginum, & vetita earum adoratione.

Post hæc *Can 27.* refert fragmentum Epistolæ S. Gregorii Severo Episcopo Massiliensi, in quo de cultu imaginum agitur; laudatque Episcopum, *quia eas adorari vetuisset;* reprehendit autem, *quod eas fregisset: aliud est enim* (ait) *picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum, addiscere: nam quod legentibus præstat scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa etiam ignorantes vident, quid sequi debeant: in ipsa legunt, qui litteras nesciunt: unde & præcipue Gentibus pro lectione pictura est.*

Optandum esset, ut Episcopi & Pastores intra justos hos præscriptos limites cultum imaginum continere studerent.

Nam & Concilia usum imaginum probantia, hunc esse earum scopum significant, quorum Decreta *Can. 28. & 29.* a Gratiano referuntur.

De fide mysterii SS. Trinitatis.

Denique *Can. 30.* plane extra ordinem recitat Gratianus verba S. Augustini, quibus exponit, quid de mysterio SS. Trinitatis fide credendum sit, de quo ex professo agit hic S. Doctor in libris de Trinitate.

DISTINCTIO IV.

De necessitate baptismi, ejusque effectu.

TRACTAT *distinctione quarta* fuse Gratianus de Sacramento baptismi.

Prima quidem *parte* de necessitate baptismi, ejusque effectu, qui est purgatio hominis a peccato originali, allatis eam in rem pluribus auctoritatibus, signanter ex S. Augustino, ad quas merito notandæ reflexiones Correctorum Romanorum.

De tempore conferendi solemniter baptismū.

Secunda distinctionis *parte*, quæ incipit a *Can. 11.* præcipue tractat de tempore, quo solemnis baptismus conferendus sit, atque duo esse tempora scilicet Paschæ & Pentecostes probat ex S. Leone: de qua disciplina latius egi in *Jure Eccles. Tom. II. p. 2. sect. 1. tit. 2. cap. 3. num. 18.*

De ministro baptismi.

Parte tertia incipiente a *Can. 19.* agit de ministro hujus Sacramenti, multaque adducit, signanter ex Augustini scriptis contra Donatistas, de quo articulo late egi in *Jure Eccl. loc. cit. c. 3. n. 1. & seqq.* atque nonnulla circa Canones a Gratiano hic adductos observavi.

An valide a non baptizato baptismus conferatur?

Quærit dein *parte quarta:* „an approbetur baptisma, quod a non baptizato præstatur?" hunc in finem adducit *Can. 31.* verba Augustini, quibus apparet, Augustinum propendisse ad validitatem hujus baptismi, quamtumvis ex integro contextu (quem mutilavit Gratianus) evidens sit, in hac quæstione Augustinum hæsisse dubium, neque positive aliquid voluisse resolvere:

In ea quæstione dubius hæsit Augustinus.

„nobis (ait) tutum est, in ea *non progredi* aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt: id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri & Salvatoris Jesu Christi, *universalis* Ecclesiæ consensione roboratum est." Hæc ille *lib. 7. de baptism. contra Donatistas cap. 53. n. 102.* ubi merito in margine apposite eruditi Revisores: *Augustini in definiendo modestia.*

Utinam in hac modestia imitatores multos haberet Augustinus: non tam multæ a multis fabricarentur imaginariæ hæreses, aut novi cuderentur fidei nostræ articuli (*a*).

De valore baptismi ab hæreticis collati.

Nonnulla post hæc circa baptismum, ejusque virtutem & valorem, admodum confuse miscet Gratianus, hoc inter alia ex Augustini scriptis contra Donatistas ostendens, baptismum etiam ab *hæreticis & schismaticis*, sed tamen *baptizatis*, collatum, esse validum, modo in nomine *sanctissimæ Trinitatis* rite conferatur.

Insuper ostendit Christum baptisma conferre, sive virtute Christi baptismum conferri, sive boni sive mali baptizent, neque malitiam ministri sanctitati baptismi officere.

Baptismus sanguinis, & flaminis supplet vicem baptismi aquæ.

De his omnibus pene agit usque ad *Can. 53.* intermiscens tamen *Can. 34.* ex Augustino, quod effusio sanguinis, necnon conversio cordis cum desiderio baptismi, suppleant baptismum aquæ; atque hinc triplex species baptismi recepta, scilicet aquæ, sanguinis, & flaminis.

De exorcismis super Catechumenos.

A *Can. 53.* agit de exorcismis & exsufflationibus, quæ super Catechumenos, ante baptismum fiebant. Plura hanc in rem allegat, ac notandus specialiter *Canon 73.* ubi ex Augustino exponitur, quid significent mysteria, quæ in fonte baptismatis celebrantur.

De examine Catechumenorum.

Post hæc de examine ac instructione, aliisque nonnullis ritibus circa Catechumenos sive baptizandos fieri solitis, de quibus egi in *Jure Eccles. Tom. II. p. 2. sect. 1. tit. 2. cap. 4.*

De Baptismo parvulorū, & infirmorum.

Agit *Can. 74. 76. & 77.* de baptismo parvulorum, & qualiter eis aliena professio prodesse queat: & *Can. 75.* agitur de baptismo ægrotantium, qui pro se respondere non possunt, referturque eam in rem Decretum Concilii Carthaginensis, pro cujus intellectu merito consuli poterit Albaspinæus ad dictum Canonem, ubi monet hic non agi de iis, qui erant in Catechumenatu jam ante morbum constituti, sed de Gentilibus in gentilitate existentibus, qui tamen in ægritudine constituti baptismum expetierant.

Dein.

(a) Legatur opus Gallico idiomate conscriptum, cujus hic est titulus: *Examen des défauts Théologiques, Tom. II. sect. 7. cap. 6. 9. & 10.* demonstrat auctor hanc fuisse Theologorum indolem, ut suas opiniones ad auctoritatem & dignitatem dogmatum fidei quandoque erigerent.

Ritus unius vel trinæ immersionis in baptismo est tantum disciplinæ.

Dein nonnullis Canonibus agitur de *una* vel *trina* baptizandi immersione, de quo ritu actum in *Jure Eccles. loc. cit. cap. 1. num. 28.* relatis auctoritatibus a Gratiano recitatis: ex quibus apparet, ritum quidem *tertio immergendi* esse antiquum, non tamen institutionis divinæ, aut ad integritatem baptismi spectare, sed duntaxat esse externæ disciplinæ mutationi subjectæ, prout & revera *trina* immersione abrogata, unicam adhiberi non tantum permissum, quin & præceptam fuisse constat ex Concilio Toletano V. *Can. 6.* ubi & ratio hujus præcepti & mutationis additur, hujusque mutationis rationem ex citato Concilio Toletano allegavi ibidem.

De unctione baptizandi, & veste candida.

Tractat *Can. 87.* & sequentibus de *unctione* baptizandi, & quare baptizato imponatur vestis *candida*, de quibus consule similiter dictum *cap. 24. num. 28. & seqq. in Jure Eccles. loco superius citato.*

De abrenuntiationibus a Catechumeno faciendis.

De renunciatione *diabolo*, & operibus ejus a Catechumeno ante baptismum facienda, & qualiter tempore sui Catechumenatus vivere debeat, agitur *Can. 95. & seqq.* de quibus pariter actum *dicto cap. 4.*

De patrinis, eorumque obligatione.

Incipit *Can. 100.* agere de patrinis seu susceptoribus in baptismo adhibendis, eorumque conditione & obligatione, quæ fusius exposita sunt in *Jure Eccl. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 2. cap. 5.* annotatis quoque nonnullis apocryphis scriptis, quorum auctoritate hic usus est Gratianus.

An & quando rebaptizatio sit vetita?

De vetita rebaptizatione, ejusque pœna, & quando in dubio rebaptizandi sint, tractat *Can. 107.* & sequentibus. De qua re in *Jure Eccles. Tom. II. p. 2. sect. 1. tit. 1. cap. 1. num. 14.* ostentumque ibi est, formulam baptizandi sub conditione dubie baptizatos olim usitatam non fuisse.

De Chrismate, quo inungendi baptizati.

Post hæc *Can. 119. & seqq.* tractat de Chrismate, & an Presbyteris liceat baptizatos Chrismate inungere, & per quem Chrisma conficiendum & distribuendum sit, de quibus videri possunt dicta in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 2. cap. 4. num. 45. & 46.* item *tit. 3. cap. 3.* ubi & notatum nonnullos Canones apocryphos aut mutilatos a Gratiano in hac materia adductos.

De dilatione baptismi.

Agit *Can. 128.* verbis S. Chrysostomi contra eos, qui ad mortem usque baptismum differebant, ut liberius peccarent: *Multos novi*, ait, *qui hoc passi sunt, qui spe baptismatis multa peccabant, circa diem autem mortis discesserunt vacui. Deus enim propter hoc baptisma tribuit, ut solvat peccata, non ut addat.*

De omnimoda necessitate baptismi respectu parvulorum.

Sequentibus Canonibus rursus agit, adducta auctoritate Augustini, de baptismo parvulorum, & quare etiam de baptizato nati, debeant baptizari, quodque præter baptisma Christi parvulis nulla salus promittatur, *quia infantes, si per Sacramentum, quod ad hoc divinitus est institutum, in credentium numerum non transeat, profecto in tenebris menent*, ait *Can. 142.* ex Augustino.

De effectu baptismi.

Ac tandem tractat de effectu baptismi præsertim quoad remissionem peccati *originalis*: hocque peccatum non tantum quoad *pœnam*, sed etiam quoad *culpam* transire in infantes docet auctoritate Canonum Concilii Milevitani, quibus & docetur contra Pelagianos, quid Christi gratia in nobis operetur, de quibus etiam consule *Tom. VII. Schol. in Can. 109. & seqq.* Codicis Africani, ubi hi Canones repræsentantur, quamvis non sint revera Concilii *Milevitani*, cui eos attribuit Gratianus, sed Concilii *Carthaginensis* habiti Calendis Maji 418.

DISTINCTIO V.

De dignitate, ministro, & effectu Sacramenti Confirmationis.

TRACTAT distinctione quinta de Sacramento Confirmationis, prolatis *Can. 1. 2. 3. & 4.* fragmentis ex falsis Decretalibus primorum Pontificum, in quibus plura admodum notanda de effectu & dignitate hujus Sacramenti occurrunt, atque præcipue urgetur, hoc Sacramentum jam pridem per Apostolos fuisse administratum, neque hodie nonnisi per Episcopos, eorum successores, administrari posse, atque in illo dari plenitudinem Spiritus sancti.

Duplex Chrismatio, altera per Sacerdotē, altera per Episcopū.

Referuntur *Can. 5.* verba Rabani Mauri ex *lib. 1. de instit. Cleric.* in hoc autem Canone fit mentio duplicis Confirmationis: *Signatur enim baptizatus*, ait, *cum Chrismate per Sacerdotem in capitis summitate; per Episcopum vero in fronte, ut in priore unctione significetur Spiritus sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & scientiæ, & virtutis venire in hominem declaretur.*

Duplex illa Chrismatio est recētioris disciplinæ.

Duplicem hanc Chrismationem recentioris esse disciplinæ, prioremque, scilicet Sacerdotalem, demum invaluisse, postquam recens baptizati, mox a collato baptismo, desierunt per Episcopum in fronte chrismari seu confirmari, notavi in *Jure Eccles. Tom. II. p. 2. sect. 1. tit. 2. cap. 4. n. 45.*

Extat *Can. 6.* Decretum sub nomine Concilii Aurelianensis *cap. 3.* sed hactenus inter Decreta ullius Concilii Aurelianensis non reperi.

De jejunio & confessione ante Confirmationem.

Interim in hoc Decreto inter cætera decernitur, *ut jejuni ad Confirmationem veniant, perfectæ ætatis, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum sancti Spiritus valeant accipere.* Hæc sane recentiorem sapiunt disciplinam.

De tempore celebrandi Confirmationem.

Ex Concilio Meldensi decernitur *Can. 7.* quod adinstar baptismatis Confirmationem celebrari conveniat *duobus temporibus*, Paschæ videlicet & Pentecostes: quod Decretum respicere videtur ad pristinam & pluribus sæculis continuatam disciplinam confirmandi recenter baptizatos, sive hæc duo Sacramenta combinandi.

De non reiterādā Confirmatione.

Deinde probat *Canon. 8. & 9.* Confirmationem non reiterandam.

Crucis signaculo Sacramenta perficiūtur.

Citatur *Can. 10.* Decretum sub nomine Stephani Papæ V. quo declaratur, omnia Sacramenta Crucis signaculo perfici: sed fons ejus non invenitur.

Profert & extra ordinem *Can. 11.* sub nomine Concilii Carthaginensis IV. *Omni die exorcistæ energumenis manus imponant; energumeni vero pavimenta domorum Dei verrant, quibus assidentibus in domo Dei victus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur.*

Hæc in tres Canones distincta hodie in Concilio Carthaginensi IV. leguntur, verisimiliter a Gratiano in unum conflata in aliquo Pontificali libro reperta fuerunt, uti supra notavimus.

De Ordine officiorum.

De ordine officiorum agit *Can. 13. 14. & 15.* & quidem *Can. 15.* sub nomine Gregorii VII. ordinatur numerus Psalmorum ad nocturnos secundum distinctionem officii, & dierum, prout hodie ritu Romano recitatur. Verisimile est conformiter ad hoc Decretum, numerum & ordinem hunc fuisse ordinatum, & hactenus conservatum in Ecclesiis, quæ usum Breviarii Romani receperunt, neque antiquitus eum institutum reperimus.

De quadragesima, & aliis jejuniis eorumque utilitate.

Agit *Can. 16. & seqq.* de observatione quadragesimæ, & diebus jejuniorum, ac præsertim de jejunii utilitate & effectu: atque *Can. 25.* ex Augustino ait: *Jejunium autem magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium.*

Intermiscet & nonnulla de Monachorum specialibus jejuniis, & exercitiis, ac signanter *Can. 33.* ex S. Hieronymo ad *Rusticum* Monachum.

De vita Canonicorum in communi.

Et *Can. 34.* aliqua habet de vita Canonicorum sub Prælati obedientia in communi viventium.

Sub nomine Concilii Nannetensis refertur *Can. 35.* Decretum contra nonnullos abusus Presbyterorum, dum ad collectas, seu convivia conveniebant, de quibus vide notas Baluzii ad hunc Canonem, & latius in notis ad Reginonem.

De pigmentis mulierū.

Can. 38. verbis Augustini agit contra mulieres faciem suam pigmentis fucantes, dicens: *Fucare pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est.*

Fides de Spiritu sancto.

Denique distinctionem hanc claudit duobus Canonibus, quibus exponit fidem Ecclesiæ nostræ de Spiritu sancto, ejusque processione a Patre Filioque.

COM-

COMMENTARIUS
IN JUS
NOVUM CANONICUM.

PARS SECUNDA.

SECTIO SECUNDA.

DE COLLECTIONIBUS DECRETALIUM POST GRATIANUM CONFECTIS.

DISSERTATIO
In quinque Libros Decretalium Gregorii IX.

§. I.

De quinque veteribus Decretalium Collectionibus, e quibus Decretales Gregorii IX. desumptæ sunt.

Prima Decretalium Collectio Bernardi Circa.



RIMUS post Gratiani collectionem Bernardus *Circa* Papiensis Præpositus, ac postmodum Episcopus, Faventinus, collectionem fecit, quam & ipse *Breviarium Extra*, sive *Extravagantium* appellat; eo quod collectum sit ex iis, quæ *extra* Decretum Gratiani *vagabantur*; unde & supplementum quoddam est ipsius Gratiani.

Ea ratione omnes post Gratianum Decretalium collectiones citari solebant per vocabulum *extra*; quo & hodie Decretales Gregorii IX. indigitantur.

Quis ordo Collectionis?

Præter antiqua a Gratiano omissa monumenta, Romanorum Pontificum Epistolas Decretales & Decreta, ac signanter Alexandri III. & Decreta Concilii Lateranensis III. & Turonensis III. quæ sub eodem Pontifice celebrata sunt, collegit idem Bernardus: atque eodem pene ordine librorum & titulorum materias distribuit, quo hodierna Gregoriana Decretalium collectio composita est; sed sine numeris Capitum aut Titulorum, quos se addidisse monet Antonius Augustinus in notis ad *cap. 1. de Constitut.* in hac compilatione.

Secunda Collectio Joannis Gallensis.

Duodecim circiter annis post factam Bernardi Papiensis Decretalium collectionem, aliam compilationem aggressus est Joannes Gallensis sive Vallensis ex eorumdem Pontificum Decretalibus in prima omissis; quibus quasdam Cœlestini III. Decretales adjunxit; antiquiores quoque nonnullas, a Gratiano prætermissas, intermiscens.

Ordinem Librorum & Titulorum in distributione materiæ eumdem, quem Bernardus Papiensis, servavit: nisi quod illa collectio multo prolixior sit, quam hæc.

In quibus hæ duæ Collectiones conveniant?

Utraque hoc commune habet, quod varii Canonistæ, cum primum editæ fuerunt, suas notas & Glossas addiderunt; uti testatur Antonius Augustinus in proœmio de quinque veteribus collectionibus; eas se vidisse affirmans. Quod sane ostendit, illas apud eruditos in pretio fuisse.

Publicam auctoritatem neutra obtinuit.

Constat tamen nunquam publica auctoritate probatas fuisse, sed ut privata Doctorum opera habitas; quemadmodum monet loco citato Antonius Augustinus, & vetus interpres Tancredus, cujus fragmentum refert Franciscus Bosquetus in *notis ad Epistolam 71. regesti 13. Innocentii III.*

Unde in *cap. 40.* ※ *de sentent. excomm.* dicitur: *verum ex verbis cujusdam Epistolæ, quam Scholastici ab Alexandro Papa emanasse proponunt, &c.* quo alluditur ad *c. 2. de offic. & potest. Prælati & Jud. ord.* in prima compilatione, ut ex textu manifestum est. Quare & in margine dictum *cap. 40.* notatur.

Cum ergo tamquam opus *Scholasticorum* a Pontifice citetur, nonnisi opus privatum habitum fuisse evincitur.

Utramque edidit Antonius Augustinus; priorem doctissimis notis illustravit, ac præcipue variantes lectiones Capitulorum ex originali, & aliorum collectionibus exacte multoque labore annotavit.

De multiplici harum compilationum utilitate, ubi de tribus reliquis prius egerimus, uno contextu dicemus.

Tertia Collectio Petri Beneventani.

Magister Bernardus Compostellanus Archidiaconus, ait Tancredus apud Bosquetum loco supra citato, *in Romana Curia moram faciens aliquantum, de registris Domini Papæ Innocentii III. unam fecit Decretalium compilationem, quam Bononiæ studentes Romanam compilationem aliquamdiu vocaverunt: Verum quia in ipsa compilatione quædam reperiebantur Decretales, quas Romana Curia refutarat, sicuti hodie quædam sunt, quas Curia ipsa non recipit, ideirco felicis record. Dominus Innocentius Papa III. suas Decretales usque ad annorum 12. spatium per Magistrum Petrum Beneventanum Notarium suum in præsenti opere compilatas Bononiæ studentibus destinavit.*

Eam probavit Innocentius III.

Hanc collectionem Innocentius III. misit ad Doctores & Scholares Bononienses cum hac epigraphe: *Innocentius Episcopus servus servorum Dei, universis Magistris & Scholaribus Bononiæ commorantibus salutem & Apostolicam benedictionem. Devotioni vestræ insinuatione præsentium innotescat, Decretales Epistolas a dilecto filio Magistro P. Subdiacono & Notario nostro compilatas fideliter, & sub competentibus titulis collatas in nostris usque ad 12. annum continuis registris, quas ad cautelam vobis sub Bulla nostra duximus transmittendas: ut eisdem absque qualibet dubitationis scrupulo uti possitis, cum opus fuerit, tam in judiciis, quam in Scholis.*

Hæc compilatio, rejecta Bernardi Compostellani collectione, *tertia* Decretalium compilatio vocatur.

Notat Antonius Augustinus, hanc primam fuisse, quæ auctoritate publica facta fuit Juris Pontificii collectio. *Nam superiores omnes,* inquit, *sive Decretorum, sive Decretalium collectores privata auctoritate scripserunt, & Rescripta ab eis relata negari poterant, nisi a Scriniariis Romanæ Ecclesiæ comprobarentur.*

Unde desumpta?

Desumpta est hæc compilatio ex solis Epistolarum Registris Innocentii III. nihilque præter Epistolarum illarum fragmenta continet. Ordinem Librorum & Titulorum in dispositione materiæ præcedentium Col-

Collectionum sequutus est etiam hujus collectionis auctor.

Eam cum duabus præcedentibus edidit Antonius Augustinus asseritque in Præfatione se eadem nomina in Scholiis hujus collectionis vidisse, quæ in aliis collectionibus.

Quarta Collectio.

Elapso quinquennio ab edita tertia collectione, quarta prodiit.

Quid huic Collectioni causam præbuit?

Huic collectioni causam præbuit Concilium generale Lateranense IV. in quo idem Pontifex Innocentius III. capita 71. ediderat: & illo quinquennii spatio post tertiam collectionem aliquot insuper ediderat constitutiones. „ Ista duplex editio extat „ (ait Antonius Augustinus in prooemio de quinque antiquis Collectionibus) „ altera Canones ejus Concilii tantum „ continet, alia alias quoque Constitutiones. „

Posteriorem duntaxat, quæ „ multa Innocentii III. „ post tertiam collectionem Rescripta, omnesque Concilii generalis Lateranensis Constitutiones ejusdem „ Pontificis auctoritate & præsentia confirmatas complectitur: „ edidit Antonius Augustinus, ut ipse in prooemio hujus collectionis refert: ibidem una monens: „ in hac permulta esse, quæ in superioribus collectionibus duriora aut obscuriora videbantur, mutata „ rectius; & maxima cum prudentia atque æquitate „ moderata. „

Hæc Collectio priores excedat.

Addidit huic collectioni Scholia veteris interpretis Joannis Teutonici, & quorumdam aliorum.

Idem rursus hujus collectionis, atque præcedentium Librorum & Titulorum ordo.

Quinta Collectio.

Honorius III. immediatus successor Innocentii III. in multis eum imitatus, Epistolas edidit Decretales decem libris comprehensas, juxta numerum decem annorum, quibus Ecclesiam rexit; quemadmodum Innocentius III. juxta sexdecim annos, quibus in Pontificatu sedit, in totidem libros Epistolas digesserat.

Hæc Collectio ex Epistolis Honorii III. conflata, auctoritate eisdem promulgata.

Porro sicuti Innocentius ex suis Epistolis & Decretis duas collectiones in quinque libros & varios titulos distinctos confici jussit; easque suo nomine publicari fecit; ut in Scholis ac judiciis illarum esset usus; ita & Honorius collectionem e suis Epistolis servato simili Librorum ac Titulorum ordine confici jussit; ac per Magistrum Tancredum Bononiensem Archidiaconum solemniter publicari; mandavitque ei, ut publicata ab omnibus recipi faceret tam in judiciis, quam in Scholis: atque hæc est, quæ vocatur, quinta Decretalium Collectio.

Hæc omnia manifesta sunt ex Epistola Tancredo inscripta, quæ his verbis concepta conficit Capitulum primum hujus Collectionis.

Bulla promulgationis.

Honorius Episcopus servus servorum Dei dilecto Filio Magistro Tancredo Archidiacono Bononiensi salutem & Apostolicam benedictionem. Novæ causarum emergentium quæstiones novis exigunt decisionibus terminari, ut singulis morbis, competentibus remediis deputatis, jus suum cuique salubriter tribuatur. Licet igitur a quibusdam prædecessoribus nostris, per ea, quæ suis temporibus sunt decisa, forma futuris negotiis provide sit relicta: quia tamen prodiga rerum natura, secundum varietates multiplicium casuum parit quotidie novas causas, nos quasdam Epistolas Decretales super his, quæ nostris suborta temporibus, per nos vel Fratres nostros decidimus, vel etiam aliis de ipsorum consilio commisimus decidenda, compilari fecimus; & tibi sub Bulla nostra duximus destinandas: quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus; quatenus eis solemniter publicatis absque ullo scrupulo dubitationis utaris, & ab iis recipi facias, tam in judiciis quam in Scholis.

Hujus Collectionis jam pridem Canonum interpretes meminerant, ut Antonius Contius, variis locis; & Cujacius ad titulum Decretalium *de frigidis & maleficiatis* in fine. Item Antonius Augustinus, qui in prooemio de antiquis Decretalium collectionibus, hæc habet, *Quinta Collectio Honorii III. Constitutiones habet a Tancredo Bononiensi Archidiacono, sub ipsius Pontificis Maximi nomine collectas. Ejus interpres fuit Jacobus Albanus Faventinus Episcopus Henrici Ostiensis præceptor.*

Quin igitur hujus Collectionis aliquam habuerit notitiam Antonius Augustinus, ambigi nequit; sed an exemplar illius nactus sit, dubitare facit, quod publicatis quatuor prioribus Decretalium antiquis collectionibus, hanc non adjunxerit: adjuncturus indubie, si ejus copiam habuisset: quandoquidem non minor ex hac, quam ex præcedentibus utilitas speranda esset, ut mox videbimus.

Quis eam primus ediderit?

Primus itaque ex vetustis Codicibus manuscriptis Bibliothecæ Albiensis eam evulgavit anno 1645. Innocentius Cironius Juris utriusque Professor, & Ecclesiæ & Academiæ Tolosanæ Cancellarius, adjectis doctissimis Scholiis, in quibus multa ad Decretalium notitiam assequendam, ex historiis & aliis antiquis monumentis erudite explicat.

Harum Collectionum utilitas præcipua.

Harum Collectionum præcipua utilitas & quasi necessitas eas consulendi, hæc est, quod Decretales Gregorii IX. maxima ex parte ex his præexistentibus collectionibus sint desumptæ,

Porro & hoc scitur, quod Raymundus Decretalium Gregorii IX. Collector, Decretales non retulerit integras, prout extabant in præcedentibus Collectionibus; sed multa resciderit, & nonnunquam immutaverit, & aliqua subinde addiderit, quæ sensum Decretalis vel immutant, vel obscuriorem reddunt (*a*).

Hinc peritiores Canonistæ, ut genuinum & verum sensum Decretalium assequerentur, utile quin & subinde necessarium esse judicarunt recurrere ad antiquas illas Decretalium Collectiones, summamque earum utilitatem esse recognoverunt. Atque inter alios novissime vir clarissimus, multæque eruditionis Franciscus Florens in oratione *de recta juris discendi ratione* monet, quod antiquiores Decretalium interpretes Collectionem Decretalium Gregorii IX. interpretantes, ad alias etiam antiquiores animum adjecerint, sine quibus novas intelligi non posse verissime judicabant. Quam verum sit illud Florentis, pluriumque eruditorum Canonistarum in hac re judicium multis prolatis exemplis ostendam §. sequenti, ubi de Decretalibus Gregorii IX. tractabitur.

§. II.

Occasio, Scopus, & Auctor Collectionis Decretalium Gregorii IX.

POst Decretum Gratiani; tum privatorum opera tum Pontificum auctoritate Decretales Epistolæ Romanorum Pontificum, eorumque in Conciliis, sive extra illa, variis temporibus edita Decreta in unum collecta sunt.

Quinque veteres Collectiones jam supra retulimus, notatumque fuit, tametsi duæ priores nec publica auctoritate essent confectæ, nec probatæ; nonminus tamen quam tres posteriores in Scholis fuisse prælectas, atque Doctorum Commentariis illustratas.

Cum vero ex hac multiplici Collectionum varietate, atque Doctorum Commentariis non exigua obscuritas & confusio, immo in nonnullis contrarietas occurreret, desiderari cœpit nova Collectio, ut colligitur ex auctore *Tripartiti opusculi*: *Valde bonum esset, inquit, quod fieret per viros sapientes aliquod opus continens breviter totum Jus Canonicum, cui Papa præstaret auctoritatem, in quo determinarentur contrarietates opinionum. Habetur Tom. 11. Concil. editionis Coloniensis.* Occasio Collectionis. Scopus.

Similis extat querela Auctoris anonymi in fine *Notitiæ utriusque Imperii*, qua Imperatorem Theodosium post editiones Gregoriani & Hermogeniani Codd. ad expurganda contraria & confusa jura excitat. *Restat unum de tua Serenitate remedium ad civilium curarum medicinam, ut confusas legum contrariasque sententias, improbitatis rejecto litigio, judicio augustæ Dignationis illumines.*

Præstitit id primum Theodosius Imperator, Constitutiones Imperatorum in unum Codicem per 16. libros distinctas redigens. Qui Codex ab ipso auctore nomen mutatus *Theodosianus* dictus est.

Hunc secutus Justinianus Imperator ex tribus præcedentibus Codicibus, additis nonnullis propriis suis Constitutionibus, unum compilari jussit, quem hodie *Justinianæum* dicimus.

Horum exemplo Gregorius IX. ex quinque antiquis Decretalium Collectionibus, additis nonnullis quoque propriis Decretalibus, unam compilari jussit, usus præcipue opera Raymundi de Pennafort sui Cappellani & Pœnitentiarii.

Hæc breviter expressit Matthæus Parisiensis in Henrico III. Anglorum Rege ad ann. 1232. (*b*). „ His „ temporibus, inquit Gregorius IX. videns tædiosam „ Decretalium prolixitatem, sub quodam compendio „ eas eleganter abbreviatas & collectas, solemniter & „ authentice per totius mundi latitudinem legi præcepit & promulgari. Illas autem ab auctore *Gregorianas* appellamus „.

Et Martinus Polus de Gregorio IX. loquens ait. „ Hic Papa per Raymundum Ord. Prædic. Pœnitentiarium & Cappellanum, ex pluribus voluminibus „ Decretalium compilavit unum volumen, mandans, „ ubique Doctoribus illo uti.

Raymundus a Pennaforti jussu Gregorii IX. hanc Collectionem fecit.

Quæ omnia latius ipsemet Gregorius exponit in Epistola suæ Collectionis confirmatoria, quæ incipit *Rex pacificus*, ut ex mox dicendis patebit.

Fontes, e quibus potissimum hæc Collectio conflata sit.

Fontes, e quibus Collectionem suam conficiendam jusserat Gregorius, suumque in ea conficienda scopum, expressit in Epistola hujus suæ Collectionis confirmatoria his

(*a*) Sunt Decretales Epistolæ, in quibus argumentum, quod præcipue erat tractandum, quandoque negligitur, ut alterum discutiatur, quale est caput *ex litteris* extra, id est, lib. 2. Decretalium.

(*b*) „ Raymundus (inquit Pithæus in sua Synopsi Historica ad Jus Canonicum) „ Libros quinque Decretalium... servato „ temporum ordine, qui in antiqua Collectione neglectus fuerat, digessit in ea forma, qua hodie utimus, circa annum „ Christi 1230.

his verbis: „ Sane diversas Constitutiones & Decre-
„ tales Epistolas Prædecessorum nostrorum in diversa
„ dispersas volumina, quarum aliquæ propter nimiam
„ similitudinem, & quædam propter contrarietatem,
„ nonnullæ etiam propter suam prolixitatem, confu-
„ sionem inducere videbantur, aliquæ vero vagaban-
„ tur extra volumina supradicta, quæ tamquam in-
„ certæ frequenter in judiciis vacillabant: ad com-
„ munem & maxime studentium utilitatem, per præ-
„ dictum filium Fr. Raymundum Cappellanum & Pœ-
„ nitentiarium nostrum, illas in unum volumen, re-
„ secatis superfluis, providimus redigendas, adjicien-
„ tes Constitutiones nostras & Decretales Epistolas,
„ per quas nonnulla, quæ in prioribus erant dubia,
„ declarantur „.

Primus fons.

Primum itaque confecta est ex diversis Pontificum Epistolis Decretalibus & Constitutionibus, quæ in diversa volumina jam tum erant dispersæ. Quibus indicare voluit præcedentes Decretalium Collectiones, de quibus §. præcedenti actum est, e quibus magna ex parte hanc Collectionem conflatam esse manifestum est.

Cum autem in his Collectionibus non tantum Pontificum Constitutiones & Decretales Epistolæ continerentur, sed insuper nonnulla e Scriptura sacra, antiquis Conciliis, & sanctis Patribus; etiam in hac Gregoriana Decretalium compilatione, plurima sub eorum nominibus reperiuntur,

Secundus.

Secundo Collectioni huic subservierunt, ut dicitur in præfatione, Epistolæ Decretales, & Constitutiones Pontificum prædecessorum Gregorii, quæ extra ipsas veteres Decretalium Collectiones adhuc vagabantur; quæ ob id tamquam incertæ in judiciis frequenter vacillabant.

Unde ait Glossa ad dictam Epistolam Gregorii verbo *vagabantur*. „ Illæ non erant in antiqua compilatio-
„ ne, & sunt istæ infra *de servis non ordinandis cap.*
„ Miramur: & *de Bigamis cap.* A nobis; & ita de
„ aliis „.

Tertius.

Tertio additæ sunt huic Collectioni Decretales & Constitutiones variæ ipsius Gregorii. „ Et quidem ut
„ notat Cujacius, ad *cap. ult.* X *de re judicata*, hic,
„ ut in hac Collectione aliquid de suo insereret, e ju-
„ re civili ultro non aditus a Consultoribus ullis vel
„ litigatoribus, pleraque sumpsit & inseruit, quo fit,
„ ut in ejus Constitutionibus plerumque nemo inscri-
„ batur, ad quem Constitutiones dirigantur „.

Quam vera sit hæc Cujacii reflexio, qui hanc Decretalium compilationem vel leviter inspexerit, facile advertit, cum fere sub singulis titulis quædam sub Gregorii IX. nomine simpliciter referantur, quæ nec Epistolam, nec alium locum, e quo desumpta sint, adscriptum habent, uti in aliorum Pontificum Decretis fieri solet.

Hinc ulterius contingit, ut aliorum quidem Pontificum integras Epistolas, e quibus Raymundus, aliique Collectores fragmenta desumpserunt, frequenter non sine magno commodo consulere possimus, nihil vero Gregorii, præter ea quæ Raymundus retulit, non raro obscura, habeamus, e quibus eorum elucidationem accipiamus; ni forte ipsas Leges civiles, quibus Gregorius usus fuit, ut infra latius ostendetur.

Quis ordo in Collectione Gregoriana servatus?

In Decretalibus concinnandis sequutus est eam methodum Raymundus, quam in antiquis Decretalium Collectoribus servatam deprehendit.

Hi vero Justinianæi Codicis, cujus tunc auctoritas invalescebat, artem secuti sunt. Unde & hic Gregorianus Codex, quoad materiæ dispositionem Codicem Justinianæum imitatur. Statim enim, uti Codex Justiniani, a Titulo *de summa Trinitate* initium sumit. Post hunc partes & species Juris Canonici scripti & non scripti, tribus titulis explicantur, *de Constitutionibus, de Rescriptis, & de Consuetudine*.

A quinto vero titulo usque ad titulum *de Pactis, & de Constitutione, Qualitate Clericorum, Ordinationibus, Electionibus, & Dignitatibus* tractatur, & pars illa prima, *de Personis* appellari potest.

A titulo *de pactis* usque ad finem libri secundi, tractatur plenissime de judiciis civilibus instituendis, instruendis, & perficiendis: ex qua parte viri docti observant, praxim fere omnem fluxisse.

In tertio & quarto libro de rebus Ecclesiasticis agitur, tam spiritualibus, qualia sunt Sacramenta, quam temporalibus, v. g. *de Bonis Ecclesiasticis, Contractibus, Testamentis*. Item, *de Ministris, de Præbendis*, aliisque *Dignitatibus, jure Patronatus*, & reliquis. Quia tamen Beneficia Ecclesiastica & Bona non in personæ gratiam conferuntur, sed propter officium confertur Beneficium, ut vulgo dicitur; Clerici enim divino cultui, Ministerio Religionis se debent impendere: breviter antequam *de Præbendis* tractetur, in quatuor primis titulis libri tertii traditur, quid desideretur in Clericis, ut recte munus suum peragant, & officii sui admoneantur.

Postremo in quinto libro *de Criminibus* Ecclesiasticis agitur, de accusatione, de persecutione, instructione & *forma judiciorum criminalium*; ultimo *de Pœnis, & Censuris Ecclesiasticis*.

Si quis hunc ordinem cum Codice Justinianæo contulerit, videbit in hac Collectione ipsam Justiniani methodum fuisse servatam: si tres tamen posteriores Codicis Justiniani libros, in quibus de Jure publico tractatur, neque in Scholis exponi consueverunt, exceperis; de hoc enim jure nihil in Decretalibus occurrit.

§. III.

Ostenditur utilitas præcedentium Collectionum pro assequendo sensu Decretalium Gregorii IX.

In quibus Collectio Raymundi deficiat?

PRÆCEDENTIBUS Decretalium Collectionibus in hac concinnanda Collectione usum fuisse Raymundum supra notavimus; ipseque Gregorius IX. in sua Epistola Collectioni præfixa testatur, se voluisse, ut per Raymundum Prædecessorum suorum Decretales, & Constitutiones per diversa sparsæ volumina, in unum volumen, *resectis superfluis*, redigerentur.

Verum Raymundus Pontifici obsequi intendens, atque *superflua resecare* volens, nonnunquam superflua credidit, quæ utilia, & summe necessaria erant; ut minus ad assequendum ipsius Decretalis sensum.

Hinc ad illa verba Epistolæ Gregorianæ, *resecatis superfluis*, hæc extat nota Contii, etiam in editione Romana: *interdum & utilibus, quod & de Triboniano dicitur, qui fuit Raymundo isto doctior*.

Adhæc Raymundus interdum unam Decretalem divisit, qua divisione sensus Decretalis vel alius, vel saltem obscurior redditur,

Ulterius Raymundus nonnunquam unam Decretalem retulit, omissa præcedenti aut sequenti Decretali; quæ cum priore aut sequente relata alium plane sensum eumque planum habet, quo caret, cum separata a præcedenti & consequenti legitur,

Quin non semel Decretales volens suo quasi tempori accommodare, alia de proprio admiscuit, quæ alienum omnino sensum ipsi Canoni aut Decreto affingunt.

Monitum Francisci Florentis circa hanc Collectionem.

Hinc vir eruditus Florens in oratione *de recta Juris Canonici discendi ratione*. „ Diligentiorum Canoni-
„ starum exemplo auditores suos commonuit, ut in
„ Gregorii Collectione legenda antiquas Collectiones
„ semper adhibeant; in quibus constitutiones Pontifi-
„ cum integriores reperient, quas Raymundus a Pen-
„ naforti Barcinonensis Gregorii IX. Tribonianus,
„ passim interpolavit, rescidit, & immutavit; ac sæ-
„ pe contra mentem auctorum „. Hæc ille. Ut vero pateat, quam fundata ac necessaria sit viri clarissimi monitio, juvabit ea, quæ in genere hic dicta sunt, quibusdam exemplis ostendere & evincere,

Ob omissa a Raymundo verba sensus alteratus.

Primo itaque paucis e pluribus desumptis exemplis ostendemus, ob rescissa aut omissa a Raymundo verba, alium vel obscurum ipsius Decretalis sensum reddi, ex ipsius integræ Decretalis lectione elucidandum.

Primum hujus rei exemplum.

Exempli gratia in *cap.* X *de consuet.* sub nomine Honorii III. refertur hoc responsum Parisiensi Capitulo: „ Cum consuetudinis ususque longævi non levis
„ sit auctoritas, & plerumque discordiam pariant no-
„ vitates, auctoritate vobis præsentium inhibemus,
„ ne absque Episcopi vestri consensu immutetis Ec-
„ clesiæ vestræ Constitutiones & consuetudines appro-
„ batas, vel novas etiam inducatis. Si quas forte fe-
„ cistis, irritas decernentes „.

Hoc responsum ita expressum, quid aliud insinuat, quam Capitulum non posse sine consensu Episcopi, novas condere Constitutiones? Quod generaliter sic intellectum, falsum esse nemo dubitat. Hinc sensus hujus Capituli Canonistis obscurus & difficilis apparuit; quæ difficultas omnis invanuisset, si ipsam integram Decretalem consuluissent, quæ extat in quinta collectione *cap.* 1. *eodem titulo*; in quo pro his verbis a Raymundo relatis: *Si quas forte* (Constitutiones) *fecistis, irritas decernentes*, legitur; *irritas decernentes* (novas institutiones) *si quas forte fecistis in ipsius Episcopi præjudicium, postquam est regimen Parisiensis Ecclesiæ adeptus*.

Nonne hæc clausula a Raymundo omissa manifeste ostendit, Honorium III. irritas duntaxat declarasse novas Constitutiones a Capitulo factas sine consensu Episcopi, *in ipsius præjudicium*? Quod responsum nulla elucidatione eget.

Secundum exemplum.

Alterum exemplum peti potest ex *cap.* 3. X *de Appellat.* quod a Raymundo quibusdam resectis ita exprimitur: „ Ad nostram. *Et infra*: quia vero remedium
„ appellationis non ideo est inventum, ut alicui a
„ Religionis & Ordinis observantia exorbitanti debeat
„ in sua nequitia patrocinium exhibere, mandamus
„ quatenus, si quando quilibet subditorum tuorum ad
„ remedium appellationis convolaverit, non ideo mi-
„ nus eum juxta tenorem mandati, quod in prædicta
„ Regula continetur, & institutionem Ordinis, corri-
„ gas, & castiges „.

Responsum ita expressum insinuat, quasi de jure Canonico inhibitum esset appellare, quandocumque Superiores subditos suos inflictis pœnis corrigere volunt. At si integrum legatur ex prima Decretalium Collectione, apparebit, agi duntaxat de casu, quo Abbas juxta ipsum Regulæ præscriptum, aut Ordinis institutionem subditos corrigere intendit.

Inte-

Integra Decretalis ita habet: „ Ad nostram noveris „ audientiam pervenisse: quod si quando subditos tuos „ vis pro excessibus suis secundum Regulam S. Benedicti, & institutionem tui Ordinis, corrigere & castigare, ipsi, ut malitiam liberius suam valeant exercere, ad remedium appellationis confugiunt; quia „ vero remedium appellationis non ideo fuit inventum, ut alicui a Religionis & Ordinis observantia „ exorbitanti, debeat in sua nequitia exhibere patrocinium: d. t. per A. S. mand. quat. si quando quilibet subditorum, ne ipsum pro suis excessibus corrigas & castiges, ad remedium applicationis convolaverit, non ideo minus eum juxta tenorem mandati, quod in prædicta Regula continetur, & institutione, corrigas & castiges “.

Omissio unius voculæ obscurũ sensũ reddit.

Quinimmo interdum una vocula omissa vel immutata a Raymundo obscurum, immo non intelligibilem facit ipsius Decretalis sensum, qui in ipsa antiqua Decretali planus est & perspicuus.

Exemplũ.

Exempli gratia in *cap.* 2. X *de Judiciis* ita legitur: „ Decernimus ut Laici Ecclesiastica tractare negotia „ non præsumant, sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, & alii Ecclesiarum Prælati de negotiis Ecclesiasticis (maxime de illis, quæ spiritualia esse noscuntur) Laicorum judicio non disponant „.

Hic duo obscura admodum sunt; Primum quomodo *Archiepiscopi*, Episcopis & Abbatibus postponantur: quæ obscuritas dispellitur e prima collectione, in qua pro *Archiepiscopi* legitur, *Archidiaconi*, quod & Glossa advertit, cum notat in margine Archiepiscopi, *alias est* Archidiaconi, *& melius*.

Alterum obscurum est, quod dicatur, *ut Prælati de negotiis Ecclesiasticis*, maxime de illis quæ spiritualia *esse noscuntur*, *Laicorum judicio non disponant*; quasi de aliquibus Ecclesiasticis negotiis ita disponere possent: quæ rursus obscuritas ex lectione integræ Decretalis tollitur, ubi loco vocis *maxime*, ponitur disjunctiva *vel*, ut sit sensus; *vel de illis, quæ spiritualia esse noscuntur*, &c. quæ sensum habent planum & minime obscurum.

Si *cap.* 6. X *de probationibus* legas, ut a Raymundo relatum: vix illud conciliabis cum *cap.* 26. X *de Testibus*; at si primum legas, sicuti in antiqua Collectione refertur, obvia erit eorum conciliatio, idque propter hæc a Raymundo omissa verba: *nec de unius* testimonio tantum *curandum est*. Vide Cujacium ad dictum Capitulum 6.

Plurima similia reperiet, qui Gregorianam Collectionem cum antiquis conferre voluerit; fatebiturque, verissimum esse quod jam primum notavit magnus ille Canonista Antonius Augustinus in præfatione ad antiquas Collectiones: *multa sunt a Raymundo detracta, quæ nisi legantur, vix relictorum sententiam deprehendimus*:

Obscuritas ex omissione aliquarũ Decretaliũ.

Ulterius, quia non omnes antiquas Decretales suæ Collectioni inserendas censuit Raymundus; sed aliquas, quas inutiles aut superfluas credebat, omisit: factum est, ut interdum integram Decretalem, ut in antiqua Collectione extabat, referat; sed cujus redditur plane obscurus aut alius, eo quod a reliquis, quæ præcedebant, vel sequebantur, Decretalibus, & a Raymundo omissæ sunt, sejuncta sit.

Exemplũ.

Exemplum sit *cap.* 3. X *de Constit.* quod desumptum est ex *cap.* 4. *eod. tit.* in prima compilatione; atque ita legitur in utraque Collectione. *Translato Sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat* „. Quia enim simul & ab eodem & sub eadem sponsione utraque „ data sunt, quod de uno dicitur, necesse est ut & „ de altero intelligatur “.

Hoc fragmentum ita simpliciter expressum, quemadmodum apud Raymundum extat, apparet obscurum; nec intelligitur qua parte Legis translatio facta sit; at si conferatur cum *cap.* 3. & 5. in prima Collectione, quæ Raymundus omisit, sensus planus & vera species facti a pristino Collectore proposita habebitur: nimirum præcepta Legis veteris, verbi gratia Sabbati & Circumcisionis, de quibus in dicto *cap.* 3. & Legalia; quorum meminit *cap.* 5. sublata esse per Legem Gratiæ: quia, cum Sacerdotium & Lex antiqua, simul eodem tempore, & sub eadem promissione data sint, ut legitur in hoc nostro Capitulo, sequitur, ut *translato Sacerdotio*, & novo Sacerdote dato, id est, Christo, per consequens simul etiam nova Lex daretur, & abrogaret antiquam; quoad cæremonialia scilicet & Legalia, de quibus in citatis Capitulis. Ita Franciscus Florens.

Hinc iterum evincitur, quam merito eruditiores Canonum Interpretes ad antiquas Collectiones, pro eruendo vero sensu Decretalium Gregorii IX. recurrerint.

Raymũdus dividẽs Decretalem, reddit sensum obscurum.

Adhæc, Raymundus unam interdum Dectetalem in duas tresve partes divisam sub diversis titulis collocavit, quæ nisi integra legatur, intelligi nequit, neque vera species facti, quæ Pontifici proposita fuit, haberi.

Exẽplum.

Ita *cap.* 5. *de foro competenti* in tertia compilatione, in tres partes divisit; quarum una refertur in *cap.* 10. X *de Constitutionibus*; altera in *cap.* 3. X *ut lite pendente nihil innovetur*; & tertia in *cap.* 4. X *eod. tit.* quæ separatio plane obscurum *Capitulorum*, uti apud Raymundum extant, sensum efficiunt, neque intelligi queunt, ni integræ & simul junctæ quemadmodum in antiqua Collectione extant, legantur; ut jam pridem bene advertit & monuit Abbas ad dictum *cap.* 3. cujus hæc notanda sunt verba. „ Hæc Decretalis & sequens de eodem facto loquuntur, & aliqua [illegible]untur ibi, quæ præcesserunt tempore, aliqua [illegible]ita „ hic. Et de eodem facto loquitur *cap. Ecclesiæ S. Mariæ de Constitut.* & male potest intelligi una sine „ aliis. Et ideo Glossa hic ponit casum & seriem facti ad omnes Decretales “.

Addendo propria verba, sensũ invertit.

Quod Raymundus propria sua verba nonnunquam interseruerit; atque ita vel diversum, vel obscurum sensum reddiderit, ex multis compertum est.

Exẽplum.

Pro exemplo sit *cap.* 2. X *de Elect. & Electi potestate*; quod refert ex prima Collectione sub nomine Concilii Sardicensis addita parenthesi, *nisi de hoc pœnituerit*; quæ nec in Canone Sardicensi, neque in antiqua Collectione legitur, ipsumque Canonis sensum non tantum invertit, sed plane ridiculum reddit. Quis enim pœnam esse dicat, ad communionem non recipi, si de suo commisso peccato non pœnituerit? Vide Scholion ad Canonem II. Sardicensem, *Tom. VII.* hujus editionis.

Aliud exemplum.

Rursus in *cap.* 1. X *de Judiciis* addit hanc clausulam, *donec satisfactione præmissa fuerit absolutus*; quæ neque in Canone Africano, e quo primitus desumpta est Decretalis, neque in antiqua Collectione habetur: ipsique Canoni alium plane sensum affingit.

In ipso quippe Canone, uti & in antiqua Collectione, legitur: *nullus eidem Quod-vult-Deo communicet, donec causa ejus, qualem potuerit, terminum sumat*: quibus verbis innuitur jus, quo olim utebantur, ut bene advertit Cujacius ad hoc Capitulum: ne scilicet quis excommunicatus absolveretur ante discussum crimen, cujus reus postulabatur, & ante discussam finitamque excommunicationis causam. At posterioribus sæculis obtinuit, ut excommunicatus ob contumaciam statim absolvatur atque satisfecerit, puta præstita cautione judicio sisti; etiamsi causa nondum peracta sit: *& ob id*, ait Cujacius, *Raymundus verba antiqui Canonis immutavit*. Repete Scholion ad Canonem LXXXVII. Codicis Africani, *Tom. VII.* hujusce editionis.

Infinitum esset notare omnia, quæ Raymundus ex antiquis Decretalibus detraxit, aut immutavit, quæ vel ad elucidationem Decretalis, vel etiam ad adstruendum alicujus disciplinæ notabile punctum conducunt; quæque Cujacius, Franciscus Florens, aliique eruditiores Decretalium Commentatores, ac præ reliquis Antonius Augustinus in notis ad primam Collectionem, exacte notarunt.

§. IV.

Convenit subinde consulere primos Decretalium fontes.

Veteres Decretalium collectiones non semper eas integras exhibent.

IN præcedenti §. ostendimus, non uno titulo utile esse pro assequendo genuino sensu Decretalium „ quæ in Collectione Gregorii IX. continentur, consulere antiquas Decretalium Collectiones, e quibus hæc Collectio confecta fuit.

Cum vero videamus, quod & antiquarum Collectionum auctores parum sincere ipsas Decretales referant, sed quibusdam subinde omissis, aut immutatis, vel etiam additis, quæ Decretalibus alium aut saltem obscurum sensum adferunt: ideo meliores & exactiores Canonistæ solent non tantum ad pristinas Decretalium Collectiones, sed etiam ad primævos & originales fontes recurrere, atque hinc genuinum Canonum sensum eruere.

Plurima illius rei reperiet exempla, qui Cujacium, Franciscum Florentem, Janum a Costa, aliosque eruditiores Canonistas revolvere voluerit; unum alterumve exemplum magis obvium hic vice speciminis proferam.

Primũ exemplu circa c. 5. X de Testamentis.

Nemo hodie inter juris studiosos ignorat, quanto fervore frequenter agitetur hæc quæstio: *utrum Legatum rei alienæ valeat de Jure Canonico?* idque unice propter decisionem, *cap.* 5. X *de Testamentis*, qua Leges sæculi, quæ hujusmodi Legatum probant: reprobari videntur: „ Et quidem Leges sæculi hoc habent, „ inquit Decretelis, ut hæres ad solvendum cogatur, „ si auctor ejus rem legaverit alienam: sed quia lege „ Dei, non autem lege hujus sæculi vivimus, valde „ mihi videtur injustum, ut res tibi legatæ, quæ cujusdam Ecclesiæ esse perhibentur, a te teneantur, „ qui aliena restituere debuisti “.

Quantopere se torqueant Doctores, ut Leges Civiles, quas nihil in hac re iniquitatis habere notissimum est, cum hac decisione concilient, utque probent Jus Canonicum a Jure Civili nequaquam in hac parte dissentire, sciunt omnes: idque sane non aliunde, quam quod ad fontem Decretalis non recurrant.

Hæc itaque Decretalis fragmentum est *Epistolæ* 4. *lib.* 7. S. Gregorii; quæ si integra legatur, satis patebit aliud noluisse S. Gregorium, quam ut Episcopus, cujus Ecclesiæ Legatum relictum erat sepulturæ gratia,

Van-Espen Tom. VIII. Q non

non cum omni rigore illud ab hæredibus exigeret, quia licet sæculi Leges, idest, Justinianæ, id habeant, ut hæres Legatum rei alienæ præstare teneatur, id est, rem illam a Domino emendo, aut si is eam vendere nolit, ei s æstimationem dando, tamen quia, ait Gregorius, *Nos lege Dei, non sæculi vivimus*, id est, non rigorem Legis civilis, sed charitatis & æquitatis sequi debemus, æquum non est, tale legatum in hoc casu exigere; eo quod, uti in Epistola satis insinuatur, charitatis parum congruum videretur, legata sepulturæ gratia ab Ecclesia rigorose exigi, ubi adhuc non constabat, num liberi, quos testator relinquerat, satis unde sustentarentur essent habituri, si Legata illa fuissent soluta.

Aliud exempli circa c. 13. ✠ de Testamentis.

Obvium quoque est hodie admodum usitatam esse quæstionem, *num de Jure Canonico institutio hæredis conferri possit in arbitrium tertii*; difficultatemque moveri ratione *cap. 13.* ✠ *de Testam.* Quod habet: *Cum tibi de benignitate*, & infra *in secunda quæstione dicimus, quod qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus*.

Hæc sane Decretalis ita expressa primo intuitu decidere videtur, *institutionem hæredis in alterius arbitrium posse conferri*; quandoquidem talis *non videatur decedere intestatus*. Neque difficultas ex antiqua Collectione tolli potest, cum eisdem verbis ibidem referatur; at si cum ipsa integra Decretali conferatur, quæ extat apud Innocentium III. *lib. 3. epist. 38.* mox difficultas evanescet: nam ex illa patebit, Innocentium tantum decidere, similem non decedere intestatum ad eum effectum, de quo erat quæstio, nimirum ad hoc ut cesset Indultum Episcopo concessum disponendi de rebus Clericorum, qui intestati decedunt. Nam cum Clericus decedens, alterius arbitrio ultimam suam voluntatem committit, satis dicitur testari, ac declarare se nolle, ut ea potestas sit penes Episcopum, verum penes alium, cujus providentiæ & arbitrio totum committit. Ecce ex integra Decretali difficultas soluta, quod & advertit Facchinæus *lib. 5. controv. cap. 57.*

Veteres Decretaliam Collectores vera ab apocryphis non distinxerunt, & inde in hac Collectione irrepta errata.

Veteres Collectores Decretalium hoc insuper habuere cum aliis Canonum Collectoribus mediæ ætatis commune, quod non ad fontes recurrerint, nec studiose inquisierint, an sincera, an apocrypha essent, quæ occurrebant: an revera eorum auctorum, quorum nomina præferebant, an suppositia.

Hinc plurima apocrypha, & suppositia pro sinceris, & veris monumentis in Decretalium Collectionibus præsertim prima & secunda occurrunt; quarum fidem secutus Raymundus in similes errores incidit, unde non pauca apud ipsum videre est SS. Patribus, aut antiquis Conciliis, vel Pontificibus adscripta, quæ illorum non esse apud omnes exploratum est.

Primum genus erratorum.

Capitula 3. & 4. ✠ *de Constitut.* inscribantur Sancto Augustino, & *cap. 5. Cod.* Sancto Hieronymo; quæ nec Augustini, nec Hieronymi sunt; sed ut notatur in editione Romana, *hæc verba leguntur in Glossa ordinaria*. Et *c. 1.* ✠ *de sponsa duorum*, citatur Augustinus *de bono pactionis & consensus*, cum hujusmodi librum ed. dicte Augustinum nunquam audi tum sit; unde & in margine notat Antonius Augustinus: *in B. Augustini voluminibus hæc nondum inveni*.

Secundum.

Similia multa Augustino, Hieronymo, aliisque Ecclesiasticis auctoribus supposita fragmenta occurrunt.

Tertium.

Nonnulla etiam ex falsis veterum Pontificum Decretalibus, ut v. gr. in *cap 1.* ✠ *de Accusat.* & *cap. 1.* ✠ *de Hæreticis*, & aliis, similiter non pauca antiquis Synodis attribuuntur, quæ illarum non sunt sic, exempli gratia *c. 3.* ✠ *de Adulteriis* tribuitur etiam in prima Collectione Concilio Arelatensi, cui tribui non posse notat Antonius Augustinus de emend. Gratiani *lib. 1. Dial. 6.* sunt autem verba desumpta ex libro *Hermæ*, vulgo *Pastoris*, & sub ejus nomine extant tamquam *palea* apud Gratianum 34. *quæst. 1. Can. 7.* in *cap. Audivimus 2.* ✠ *de Clerico excommunicato*, dicitur desumptum ex Concilio Antiocheno; cujus tamen nihil in illo Concilio simile occurrit; nisi forte aliquid in Canone 4. qui tamen quam differat ab hac Decretali, ex sola inspectione illius Canonis Scholiis in Canones Antiochenos relati patebit (*a*).

Plura alia diligentiori lectori facile occurrent, maxime si quis consulat notas Antonii Augustini ad primam Collectionem. Ex hac enim Collectione pleraque falso inscripta in hanc Decretalium Collectionem dimanarunt.

Duplex cōtra antedicta objectio.

Sed opponet quis: quid opus est ad fragmentorum fontes recurrere; aut quid necesse scrupulose indagare num relata sint sincera, an apocrypha; utrum genuina auctorum, quibus tribuuntur opera, an suppositia? Sicuti enim Justinianus licentiam tribuit sui novi Codicis confectoribus, ut anterioribus constitutionibus ea, quæ opportuna & utilia viderentur, adderent vel demerent; atque iis ita immutatis plenam legum vim impartitus est; nemini concedens *ex libris veterum Juris* Interpretum aliter eas habentes recitare *L. Unic. Cod. de Justinianæo Cod. confirm.* Ita quoque Gregorius voluit per S. Raymundum prædecessorum suorum Decretales in diversa sparsas volumina in unum colligi, *resecatis inquit, superfluis*; atque Collectionem factam & sibi oblatam approbavit: „ Volens ut hac tantum „ compilatione universi utantur in judiciis & Scholis, „ districtius prohibens, ne quis præsumat aliam facere „ absque auctoritate Sedis Apostolicæ ".

De auctoritate & approbatione hujus Collectionis agemus infra, postquam de reliquis corporis Canonici partibus egerimus; interim data hac approbatione, nequaquam inutilis est, quem doctiores quique Canonistæ tantopere commendant, recursus ad fontes, e quibus fragmenta hujus Collectionis desumpta sunt.

Ut enim demus illa fragmenta, ut in hoc Codice extant, auctoritatem juris habere; non secus ac ea quæ e veterum Jurisconsultorum libris, aut Imperatorum Constitutionibus in corpore Juris civilis relata sunt; negari tamen nequit, quin frequenter ambiguitas & obscuritas in his ipsis fragmentis occurrat; quæ ex toto contextu facile elucidari possit. Occurritur priori.

Neque enim suadetur recursus ad fontes, quasi sine illis nulla Juris auctoritas esset fragmentorum relatorum, sed solum, ut verus & genuinus sensus eorum haberi queat.

Et quis nescit, quantopere clariores legum interpretes desiderent & investigent veterum Romanorum Jurisconsultorum, Papiniani, Ulpiani, aliorumque responsa & scripta, ut ex illis legum clariorem sensum eruere queant.

Similiter nemo dubitat, quin Ecclesia, Pontifex, aliusve publica instructus auctoritate, queat auctoritatem Juris impartire iis, quæ aliquorum auctorum, aut Conciliorum, vel Pontificum creduntur, licet revera eorum non sint: nequaquam tamen propterea inutile, aut superfluum esse inquirere, num quæ referuntur, recte & vere eorum nominibus inscribantur, haud difficulter intelliget, qui expenderit multum sane interesse, num disciplina aliqua recenter duntaxat sit introducta, an vero a temporibus Patrum fuerit usitata? Item an in melioribus Ecclesiæ temporibus, in plenariis Conciliis probata, an vero durioribus & declinantibus jam Ecclesiæ sæculis sensim tolerata potius, quam positive probata? An disciplina, quæ in suppositiis fragmentis exhibetur, contraria non sit disciplinæ, quæ ætate auctoris, aut Concilii, cui tribuitur, vigebat? Occurritur posteriori.

Quam hæc pro assequenda vera notitia disciplinæ Ecclesiasticæ, justumque de ejus auctoritate formandum judicium necessaria sint, abunde supra ostendi in *dissertationibus circa Codices antiquos*, *Tom. VI. part. 1. dissert. 1. §. XI.* hujus editionis.

Post supplementa ex ātiquis Decretalibus addita. adhuc convenit eas consulere.

Sed dicet quis: quid opus consulere antiquas Collectiones, cum illa, quæ e pristinis Collectionibus detraxerat Raymundus, suppleverint partim Antonius Contius, partim Franciscus Pegna Hispanus: & ad calcem Capitulorum in editione Romana diverso charactere subjiciantur? Respondeo, in primis ex hac adjectione sive Capitulorum suppletione satis evincitur, non Contium tantum & Franciscum Pegnam, sed & Romanos, qui editioni huic intenderunt, non dubitasse admodum conducere integram Decretalem, e qua suam traxerat Raymundus, habere.

Verum multa sunt partim addita, partim omissa a Raymundo, quorum nulla in parte adjecta fit mentio; immo nescio an vel unum ex iis, quæ supra retuli, integre in editione Romana suppleantur; ideoque nec post hunc virorum eruditorum laborem inanis erit ad veteres Collectiones recursus.

§. V.

De auctoritate Decretalium Gregorii IX. & subsequentium Collectionum.

A plurimis Gētibus admissa auctoritas *Decretalium, Sexti, & Clementinarum.*

QUin auctoritate Romani Pontificis facta sit Collectio vulgo *Decretalium Gregorii IX.* atque ejus auctoritate publicata, ut ejus tam in judiciis, quam in Scholis usus esset, manifestum est ex ipsa Gregorii IX. Epistola Collectioni præfixa, atque Doctoribus & Scholaribus Bononiæ commorantibus inscripta.

Idem de collectione *Bonifacii VIII.* & *Clementinarum* esse dicendum ex Epistolis Bonifacii, & Joannis XXII. istis Collectionibus respective præfixis æque manifestum est: cum uterque expresse præcipiat, ut earum usus sit in Judiciis & Scholis.

Neque hæc Pontificum Declaratio sub frustrata est effectu: nam quemadmodum Jus civile Romanorum ubique pene gentium pro jure communi habetur, ut nimirum, jure patrio consuetudinario deficiente, causæ civiles ac Reipublicæ negotia ex illo dirigantur; & si quod in Lege patria aut consuetudine dubii occurrat, ex Jure Romano dilucidationem accipiat: ita quoque causæ Ecclesiasticæ ac exterior Ecclesiæ politia Jure Canonico tanquam Jure communi diriguntur, dirimuntur, & deciduntur; & si quid difficultatis in Jure Ecclesiastico particulari aut consuetudinario occurrat, ex illo interpretationem accipit. Quinimmo ea est Juris Canonici auctoritas, ut etiam in foro civili & in civilibus

(a) Extat citatus Canon IV. Concilio Antiocheni, nec non Scholia in eumdem *Tom. VI.* hujusce editionis.

libus cauſis, ſi Jus Romanum dubium fuerit, ex Jure Canonico interpretationem ſumat. Hinc illa communiter accepta regula: quando deciſio eſt dubia in Jure civili, & eſt clare deciſa in Jure Canonico, ſtari debet Juri Canonico. Rebuffus ad *Conſtitut. Regias in Proœmio Gloſſa* 5. *num.* 126.

Ulterius ſi Jus civile Juri Canonico repugnet, etiam in foro civili, hoc prævalebit, ſi ſubſit materia peccati, v. g. in materia præſcriptionis Jus Canonicum non admittens præſcriptionem cum mala fide, prævalebit Juri Romano eam cum mala fide admittenti. Similiter in materia uſurarum ſervatur Jus Canonicum Jure civili poſthabito.

Etiam apud Proteſtantes.

Hæc omnia adductis variis diverſarum gentium auctoribus latius tradit Arturus Duck *lib.* 1. *de auctoritate Juris civilis cap.* 7. qui *num.* 16. & 17. hæc habet: „ Illud porro in Juris Canonici laudibus eximium eſt, quod Principes proteſtantes Germanici, aliive, poſtquam ab Eccleſia Romana receſſerant, Lutheri & Calvini doctrinam amplexi, omnemque Pontificis Romani poteſtatem abdicaſſent, Jus tamen Canonicum non excuſſerunt, ſed eo in cauſis ſuis decidendis etiamnum utuntur, eodem plane modo ſicut Principes Europæi, poſtquam renuntiaverant Cæſarum poteſtati, Leges tamen Cæſareas adhuc obſervant. Et licet Martinus Lutherus zelo præpropero & inconſulto ductus, Juris Canonici libros repugnantibus Juriſconſultis VVittebergæ combuſſerat, Juris tamen Canonici uſum ab eo tempore Saxonei, Brunſvicenſens, cæterique Proteſtantes ſemper conſervarunt, nulla mutatione in eo admiſſa, ſicut in Auguſtana Confeſſione conſenſerunt, juſque Canonicum VVittebergæ, & in reliquis Proteſtantium Academiis adhuc publice docetur ".

Hæc quam ſufficientiſſime evincunt, quanto applauſu ubique pene gentium Jus Canonicum pro deciſione cauſarum, id eſt, non in Scholis duntaxat, ſed in judiciis ex intentione Pontificum receptum ſit.

Verum tamen auctoritas per ſe non ſufficit fundando articulo fidei.

Quod autem dicant Theologi poſt Veronium in *Regula Fidei* §. 4. & illuſtriſſimos Fratres Walenburgicos, qui hanc Regulam adoptarunt: „ Nullas Decretales Romanorum Pontificum contentas in corpore Juris Canonici, ſive in ſex libris Decretalium, ſive in Clementinis, ſive in Extravagantibus eſſe ſufficientes fundando articulo Fidei Catholicæ; ideoque Adverſariis modo ex Gratiano, modo ex Decretalibus, ſeu Jure Canonico conſarcinantibus, & ſæpe eaſdem falſo gloſſantibus, Noſtrates compendioſiori via & regia reducendis deviis ad caſtra Catholica reſpondere poſſe, palam inclamando, *nihil horum eſſe de Fide Catholica* ". Hæc, inquam, nihil intentioni Pontificum Jus Canonicum publicantium aut probantium officiunt; nam ut bene advertit Davenportius in *ſyſtemate Fidei cap.* 3. Corpus Juris „ propter Œconomiam Eccleſiæ, & externam ejus gubernationem, ut patet ex proœmiis Pontificum recitatis, non propter ejus fidem declarandam compactum eſt: adeo ut per accidens ſit reſpectu Juris, quod Canones generent Fidem; nec inde, ut tales ſunt, Fides colligitur ".

Inſtitutiones Lancelotti non habent auctoritatem juris.

Ab annis 100. plus minus Corpori Canonico ad calcem adjici ſolent Inſtitutiones Juris a Joanne Paulo Lancelotto Juriſconſulto Peruſino conſcriptæ ad imitationem Inſtitutionum Juris civilis in 4. libros diviſæ. Verum tametſi auctor in proœmio ſui operis aſſerat, ſe opus illud ex mandato Papæ compoſuiſſe; illudque a Commiſſariis Pontificiis reviſum & correctum, nihilominus quia de publica approbatione non conſtat; nemo hactenus his Inſtitutionibus auctoritatem Juris concedit, propterea quod reliquis Juris Canonici partibus annectantur; cum nec publica auctoritate id factum ſciatur.

Secus dicendum videtur de Extravagantibus.

Aliud de utraque *Extravagantium* Collectione ſupra relata videtur dicendum: quantumvis enim neſciatur, eas aut publica auctoritate collectas, aut ſimili auctoritate cæteris corporis Canonici partibus fuiſſe adjectas, tamen eas hodie paſſim in Scholis, & judiciis tanquam Decretales Pontificum ſufficienter publicatas, & quibus, particularibus juribus deficientibus, in deciſione cauſarum ſtetur, allegari & recipi videmus. Quamvis & illud non ignorem, inter Doctores etiamnum diſputari, num Reſervatio contenta in his Extravagantibus dicenda ſit Reſervatio *clauſa in corpore Juris*: quo dubio ſatis inſinuant, non eſſe certum, eas eſſe eodem modo incluſas Corpori Juris, quo præcedentes Collectiones.

§. VI.

Monitum ad ſequentes Diſſertationes.

Decretales, quarum auctoritas major eſt.

IN Decretalibus Gregorii IX. majoris præ reliquis auctoritatis reputantur Decreta, quæ referuntur ſub nomine Pontificum edita in Conciliis Epiſcoporum, ac ſignanter quæ & vulgo quaſi generalia Concilia proponuntur, & quibus Pontifices ipſi præſederunt.

Tria potiſſimum ſunt hujuſmodi Concilia, quorum Canones ſeu Decreta ſparſim in his Decretalibus Gregorii IX. referuntur, nimirum *Turonenſe* ſub *Alexandro III. Lateranenſe* ſub eodem Pontifice, & alterum *Lateranenſe* ſub *Innocentio III.*

Ad hos Canones ſive Decretales *obſervationes* breves ſubjicimus, præmiſſa dictorum Conciliorum compendioſa hiſtoria; in qua oſtenditur Conciliorum iſtorum occaſio, nec non quorum auctoritate Decreta, quæ inſcribuntur ſub nomine horum Pontificum, vel frequenter cum addito *in Concilio* puta Alexandro III. *in Concilio Turonenſi* vel *Lateranenſi*; ſimiliter & de Innocentio III. tum ut ex iis, quæ Decretis hiſce occaſionem dedere, genuinus eorum ſenſus haberi queat, tum ut de eorum auctoritate & pondere ſtatuatur.

DISSERTATIO HISTORICA IN SCHISMA

Sæculi XII.

§. I.

Origo Schiſmatis inter Alexandrum III. & Victorem IV.

Controverſia inter *Hadrianum IV.* & *Fridericum I.* Imperatorem.

GRAVI ſuper Eccleſiaſtico & Imperiali jure inter Hadrianum IV. Papam & Fridericum I. Imperatorem controverſia exorta, tandem eo res perducta fuit, ut Hadrianus paulo ante mortem ſtatuiſſet Imperatorem ſacris interdicere. Quin & referunt Hiſtorici, quod antequam moreretur majorem numerum Cardinalium jurejurando obſtrinxiſſet ad eligendum Pontificem ſucceſſorem, qui actiones ſuas contra Cæſarem ſuſceptas tueretur.

Schiſma inter *Alexandrum III.* & *Victorem* Antipapam.

Hadriano Kalendis Septembris anno 1159. defuncto, multi Cardinales elegerunt Rolandum Presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Cancellarium, qui anteſignatus fuerat eorum qui Friderico Imperatori adverſabantur vivente Hadriano; alii vero Octavianum Cardinalem, anteſignatum eorum, qui Cæſari favebant. Rolandus mox a facta electione ſibi *Alexandri III.* Octavianus vero *Victoris* nomen aſſumpſit.

De numero Cardinalium, qui eos elegerunt, diverſiſſime ſcribitur ab utraque parte, uti & de circumſtantiis electionis; in hoc tamen utrimque conveniunt, majorem partem fuiſſe pro Alexandro.

Nihilominus utraque pars multos patronos ac fautores reperit, ſchiſmaque continuo invaleſcebat. Uterque enim, Pontificalibus inſigniis aſſumptis, ſe in Pontificem ordinari fecit, alter alterum tanquam ſchiſmaticum excommunicans: hinc popularis ſeditio, & aperta Eccleſiæ ſciſſura merito timebatur. Et quidem jam popularis tumultus excitabatur, ſenſimque magis invaleſcebat. Itaque tandem ab utraque parte ad Imperatorem, qui tum in Italia morabatur in obſidione Cremonæ, ſcriptum eſt, ut huic malo invaleſcenti occurreret.

Imperatoris ſollicitudo in hac parte.

Litteris utriuſque partis receptis, & Nuntiis auditis, Fridericus ancipiti periculo novi ſchiſmatis permotus, conſilio Principum decrevit dare operam, ne quid inde seu ſtatus Eccleſiæ, ſeu Reſpublica Imperii detrimenti caperet. Audiens itaque utrumque electum in Epiſcopatus ordinem conſecratum, alterum ab altero excommunicatum, ſine judicio Eccleſiæ controverſiam terminari non poſſe putavit. Ita Radevicus de *Geſtis Friderici Imperatoris*, *lib.* 2. *c.* 54. auctor in Imperatorem propenſior.

§. II.

De Concilio Papienſi per Fridericum convocato pro extinctione Schiſmatis.

Convocatur Concilium Papienſe in Octava Epiphaniæ. 1160.

FRIDERICUS credens, hoc Schiſma Eccleſiæ auctoritate facilius quam ſua, extingui poſſe, Concilium convocavit Papiæ celebrandum in Octava Epiphaniæ, anno 1160. Litteras indictionis dedit quoque ad Alexandrum, quibus eum ad Concilium vocat; mittens una duos Epiſcopos cum Comite Palatino, ſuo conſanguineo, qui ipſi litteras prælegant, & mentem Cæſaris aperiant.

Ad illud ſpecialibus litteris vocatur Alexander III, cum ſibi adhærentibus.

Litteræ hæ inſcriptæ erant: *Rolando Cancellario, cæteriſque Cardinalibus*, qui eum elegerunt Romanum Pontificem. In his litteris præfatur Imperator, quod cum ſui muneris ſit omnibus Eccleſiis in Imperio conſtitutis patrocinari, Romanæ Eccleſiæ tanto propenſius debeat providere, *quanto* (ait) *ipſius cura & defenſio a Divina providentia videtur nobis eſſe commiſſa ſpecialius*. Deinde exponit, quod propter hanc exortam diſcordiam plurimum doleat; timeatque, ne occaſione Schiſmatis, Eccleſia, Chriſti ſanguine redempta, debeat dilacerari.

Dein ſubjungit: „ Ut autem huic peſti competens & Deo gratum exhibeamus remedium, religioſorum vi-

„ rorum confilio, generalem Curiam & Conventum in Octava Epiphaniæ Papiæ indiximus celebrandam; ad quam evocavimus totius Imperii noftri, & aliorum Regnorum, fcilicet Angliæ, Franciæ, Hungariæ, Daciæ, Archiepifcopos, Epifcopos, Abbates, & viros religiofos, ac Deum timentes, quatenus remoto omni fæculari judicio, hoc tam magnum Ecclefiæ negotium Ecclefiafticarum tantum perfonarum fententia ita fopiatur, ut & Deo debitus exinde honor deferatur, & Ecclefia Romana fua integritate & juftitia non poffit a quoquam privari, vel ftatus Urbis, quæ caput Imperii noftri eft, inquietari “.

Concludit poft hæc: „ Proinde eruditioni veftræ mandamus, & ex parte Dei Omnipotentis & totius Ecclefiæ Catholicæ præcipimus, ut ad eandem Curiam five Conventum veniatis, & Ecclefiafticarum perfonarum fententiam audituri & recepturi. Teftis enim nobis eft Deus, quia in hac Curia nec amore nec odio alicujus perfonæ quidquam aliud quærimus, quam honorem Dei & Ecclefiæ fuæ unitatem “.

Has Litteras ex Radevico recitat Baronius ad annum 1159. uti & exemplar litterarum indictionis, quibus ad hanc Synodum evocavit Tranfmontanos Epifcopos.

Legati Imperatoris cum his litteris ad Rolandum electum in Pontificem accedentes in civitate Anagniæ, ubi tum morabatur, nullam ei tanquam Pontifici exhibuerunt reverentiam; fed *fimpliciter* recitaverunt ea, quæ ipfis a Cæfare mandata fuerant, & quæ litteris fupra relatis continebantur.

Alexander III. ægre fert, fe non haberi ut Pontificem Romanum.

Confternati Alexander, & Cardinales, aliique Curiales, qui cum ipfo erant, tandem inftantibus Commiffariis Imperatoris, refpondit quod miraretur per Imperatorem fibi, *immo Beato Petro & fanctæ Romanæ Ecclefiæ honorem debitum denegari.*

Et præcipue, quod Concilium auctoritate Imperatoris effet convocatum.

Præcipue querebatur, quod in Litteris Imperatoris haberetur, ab ipfo Imperatore de quinque Regnis evocatas perfonas Ecclefiafticas, quæ de difcordia cognofcant & judicent. „ Nimirum longe a confuetudine Prædecefforum fuorum receffiffe videtur (ajebat) & dignitatis fuæ terminum exceffiffe; dum fine confcientia *Romani Pontificis* Concilium convocavit, & nos ad præfentiam fuam, ficut homo fuper nos poteftatem habens, præcepit convenire “.

Deinde exponit, Beato Petro & per eum Romanæ Ecclefiæ privilegium a Chrifto, fanctifque Patribus traditum effe, & etiam cum fanguinis effufione, cum oportuit, ufque ad hæc tempora confervatum, *ut univerfarum Ecclefiarum caufas ipfius auctoritate difcuteret, ac finiret, ipfa vero nullius unquam judicio fubjaceret.* Hoc privilegium fe velle fuftinere; & confequenter, nolle fe judicio convocati Concilii fubmittere profitebatur.

Hoc refponfo offenfi Cæfaris Legati mox recefferunt, & Octavianum five *Victorem* Signiæ degentem acceflerunt, & ad pedes ipfius provoluti adoraverunt. Ita ante caufæ difcuffionem, & latam fententiam, hunc ut Pontificem recognoverunt, quod poftmodum Alexandro, ejufque fautoribus anfam præbuit, Cæfarem & Conventum ab eo indictum recufandi.

Interim Legati Cæfaris Octavianum ad ftatutum diem habendo Concilio Papiam duxerunt.

Imperator decifionem quæftionis Patribus relinquit.

Sub initium ergo Februarii anni 1160, habitum fuit *Papiæ* Epifcoporum & Prælatorum Concilium: & adveniens Imperator dixit ad Epifcopos: „ Quamvis noverim ex officio ac dignitate Imperii penes nos effe poteftatem congregandorum Conciliorum, præfertim in tantis Ecclefiæ periculis; (hoc enim Conftantinus, & Theodofius, nec non Juftinianus, feu recentioris memoriæ Carolus Magnus, & Otho Imperatores feciffe memorantur) auctoritatem tamen definiendi hujus maximi & fummi negotii veftræ prudentiæ, veftræque poteftati committo, Deus enim conftituit vos Sacerdotes, & poteftatem vobis dedit de nobis quoque judicandi. Et quia in his, quæ ad Deum funt, non eft noftrum de vobis judicare: tales vos, & taliter in hac caufa hortamur habere, tamquam folius Dei de vobis expectantes judicium “. His dictis, fubtraxit fe a Concilio Imperator.

§. III.

De Actis Concilii Papienfis in favorem Victoris IV. & fententia contra Alexandrum III.

Acta Concilii Papienfis.

POST hæc per feptem dies caufa ventilata, Domino Octaviano, cum præfens adveniffet, & haberet, qui partem fuam defenderent, ceffit litis victoria, & pro ipfo Concilium five Curia dedit fententiam, condemnato Rolando & reprobato.

Hinc enim „ citatus legitime, Concilio fe præfentare contumaciter abftinuiffe dicebatur “. Ita refert Radevicus, & ex ipfo Baronius, qui refert, quæ pro caufa Octaviani vulgo Victoris IV. adducta fuerunt.

Exhibet item Baronius Epiftolam Synodalem hujus prætenfi Papienfis Concilii ad omnes undequaque directam, quæ & exhibetur *tom.* 10. *Conc. Gener. col.* 1392. in qua Prælati illius Conventus exponunt, quod per feptem dies caufam hanc difcufferint, repererintque Octavianum legitime in Romanum Pontificem fuiffe electum, quodque confequenter, electio ejus ab omnibus fuerit probata: & fequenti die „ Dominus *Victor* cum proceffione ab Ecclefia S. Salvatoris extra civitatem, in qua fuerat ejus hofpitium, ad Catholicam Ecclefiam gloriofe deductus eft. Ibi religiofiffimus Imperator ante januas Ecclefiæ eum fufcepit; & defcendenti de equo ftapiam humiliter tenuit, & apprehenfum per manum ufque ad altare conduxit, & pedes ejus ofculatus: & nos omnes Patriarchæ, Archiepifcopi, Epifcopi, Abbates, & omnes Principes cum univerfa multitudine, quæ præfens erat, pedes Apoftolicos fumus ofculati “.

Alexander anathematizatur.

Deinde quid in Rolandum feu Alexandrum III. decretum fit, fubjiciunt. „ Proxima autem die fequenti, id eft Sabbato, habito generali Concilio, Dominus Papa & nos cum illo, Rolandum Cancellarium Schifmaticum, & ejus principales fautores accenfis candelis anathematizavimus, & *tradidimus eum Satanæ in interitum carnis: ut fpiritus falvus fit in die Domini* “.

Dicunt inter alia: „ illud etiam difcretionis veftræ prudentiam volumus non latere, manifefte effe deprehenfum, quod Rolandus Cancellarius, & ejus fequaces quidam Cardinales, vivente adhuc Papa Hadriano, conjuraverunt. Fuit autem tenor conjurationis, quod fi, eis viventibus, Papam Hadrianum mori contingeret, Cardinalem unum de illis eligerent, qui in eadem conjuratione effet adftrictus “.

§. IV.

Imperator excommunicatus per Alexandrum III.

Alexander excommunicat Imperatorem.

ALEXANDER cum intellexiffet, quæ in hoc Papienfi Conventu contra fe acta fuerant „ Imperatorem excommunicationis vinculo folemniter innodavit; & omnes, qui cum eo juramento fidelitatis tenebantur adftricti, fecundum antiquam Prædecefforum Patrum confuetudinem (inquit Auctor vitæ Alexandri III) ab ipfo juramento abfolvit “: uti ex Actis Alexandri recitat Baronius ad annum 1160. reflectitque hic doctiffimus Fleury Hift. Ecclef. fcriptor *lib.* 70. *num.* 43. quod fimilis formula excommunicationis una cum abfolutione fubditorum a juramento fidelitatis non legatur impenfa ante ætatem Gregorii VIII. quamvis auctor vitæ Alexandri III. hic afferat, *fecundum antiquam Patrum confuetudinem* ita ab Alexandro actum fuiffe.

§. V.

De Conciliis, in quibus Alexander, & de Conventu Laudunenfi, in quo recognitus Victor.

Reges Galliæ, & Angliæ favent Alexandro.

NEC deerant, qui Alexandro faverent; atque præ cæteris Reges Franciæ & Angliæ caufa ejus tuebantur. „ Et quidem Rex Anglorum congregavit omnes Epifcopos Northmaniæ, & Abbates, & Barones apud novum Mercatum, & Ludovicus Rex Francorum adunavit fuos Beltuaci; & ibi tractatum eft de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris: & confenferunt Alexandro, reprobato Victore “. Ita fcribit Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum ad annum 1161. & ipfo Labbæus *tom.* 10. *Concil. General. Col.* 1406.

Licet hæc in dictis Conciliis feu Conventibus effent refoluta, noluerunt tamen dicti Reges, fe *palam* pro Alexandro declarare, ob refpectum fcilicet erga Imperatorem, donec in pleniore Conventu, auditis utrimque partibus, caufa plenarie fuiffet difcuffa. Itaque Conventus factus eft celebris utriufque Regni an. 1161. *Tolofæ*: cui interfuerunt ex parte Octaviani feu *Victoris* duo Cardinales *Guido Cremenfis* & *Joannes de S. Martino*, & tres ex parte *Alexandri*; „ qui utrimque pro ftabiliendo jure fuorum Principalium coram Conventu perorarunt “: uti refert Guillelmus Neubrigenfis *lib.* 2. *Rerum Anglican. cap.* 91. afferitque, Guillelmum Papienfem Cardinalem Alexandri jus adeo clare expofuiffe, & adverfæ partis objecta refutaffe; „ ut neuter ulterius Princeps cunctaretur, repudiato Octaviano, Dominum Alexandrum recipere, & cum Regnis fibi fubditis, ei de cætero in iis quæ Dei funt, tamquam patri parere “. Hæc latius relata videri poffunt apud Labbæum *tom.* 10. *Conc. Gener. col.* 1408. *& feqq.*

Conventus Laudenfis Victori adhæret.

Sed his Decretis nullatenus confentiebat Imperator, firmiter haftenus adhærens Victori tamquam unico & legitimo Pontifici, adeo ut eodem anno 1161. in conventu Laudenfi rurfus ipfe cum fuis Principibus, & magna copia Prælatorum confirmaverit electionem Victoris,

ris, uti videri potest ex Actis ejusdem Conventus apud Labbæum loco citato.

§. VI.

De Conciliis sub Alexandro III. Monte-Pessulano & Turonensi.

Alexander excommunicat Victorem in Synodo Monte-Pessulana.

CUm autem Imperator in Italia dominaretur, tutum sibi ibidem morari non credidit Alexander; unde ad Regem Siciliæ confugit. Ibidem autem nec tutus consistens, opportunitatem transeundi in Gallias præstolabatur, ait citatus Guillelmus Neubrigensis. Hanc nactus, mari se dedit mense Aprili, relicto Romæ Julio Cardinale Legato. Tandem anno 1162. in Gallias venit; ibi a Ludovico VII. honorifice & magna cum benevolentia susceptus fuit. Residens apud Montem-Pessulanum, ibidem Synodum habuit in Octavianum, & ipsi adhærentes, publice in eos excommunicationis sententiam promulgans.

Concilium Turonense, cujus & Canones in Decretales Greg. IX. relati.

Utque jus suum amplius firmaret, Synodum ampliorem in annum sequentem in Urbe Turonum (cujus Archiepiscopus priori interfuerat) in Octavis Pentecostes indixit, ipseque præsens interfuit.

Hoc est famosum illud Turonense Concilium, durante hoc Schismate celebratum, cujus plures Canones in Decretales Gregorii IX. relati hodie non minimam juris Canonici partem conficiunt.

§. VII.

Acta Concilii Turonensis contra Victorem.

Hoc Concilium celebratum an. 1163.

DE hoc Concilio legitur in vita Alexandri III. *Et quoniam tempus Concilii celebrandi imminebat, quod in Octavis Pentecostes Turonum convocaverat: exivit de Parisiis, & transiens per Carnotum, ad Turonis civitatem celeriter remeavit. Anno igitur Dominicæ Incarnationis 1163. Indictione undecima, anno quarto sui Pontificatus, quarto decimo Kalendas Junii supra dictus Alexander Papa in Ecclesia S. Mauritii Turone Concilium celebravit.*

Huic Concilio interfuerunt cum ipso Papa Cardinales 17. Episcopi 124. Abbates 404. & aliorum tam Clericorum quam Laicorum maxima multitudo, uti habet Præfatio Concilii Canonibus præfixa apud Labbæum *tomo* 10. *Concil. general. Col.* 1418.

In eo adfuere 124. Episcopi, & 17. Cardinales.

Nec tantum Episcopos Gallicanos, sed & aliorum Regnorum huic Concilio interfuisse testatur Matthæus Parisiensis ad annum 1163. scribens, quod *ad ejus convocationem, permissione Regis Angliæ venerint Archiepiscopi, Episcopi, & alii Angliæ Prælati, Thomas Cantuariensis Archiepiscopus cum suis Suffraganeis, & ad dexteram Papæ in Concilio sedit, & Archiepiscopus Eboracensis Rogerus ad sinistram cum solo Episcopo Dunelinensi.*

Addit Historia Vizeliacensis *lib.* 4. præter omnium Provinciarum Galliæ Episcopos, necnon supra nominatos Anglicanos, etiam interfuisse *Scotorum* & *Hibernensium* Præsules.

De Actis in hoc Concilio scribit in primis *Robertus de Monte*, qui præsens aderat, in Appendice ad Sigebertum, illud agitatum, quod Alexander Papa, reddita plenissima ratione de sui legitima ad Pontificatum promotione, ingesserit de intrusione & invasione Octaviani querelam, quo factum est, ut in ipsum Octavianum, atque complices ejus omnes, fuerit reiteratum anathema.

Victor anathematizatus.

Nec tantum Octaviani electio reprobata, ipseque & complices ejus anathematizati, sed & *Acta Papiensis Concilii in quo Victor & Fridericus præfuerant, damnata fuerunt.* Uti scribit Tillius in Chronico Francorum.

Acta Concilii Papiensis improbantur.

Et quis ambigit, quin hic fuerit primarius hujus Concilii per Alexandrum indicti scopus, hujusce causæ agitatio præcipua hujus Conventus materia?

Legitur nihilominus in actis Alexandri de hoc Concilio: „ In eo nimirum *Apostolica Constituta sunt pro-„ bata, & hæc Capitula roborata denuo, & pro-„ mulgata* „.

OBSERVATIONES (a) IN CANONES TURONENSES.

CANON PRIMUS.

Ut Præbendæ quælibet non recipiant sectiones. *Relatus in* cap. 8. ☧ de Præbendis.

OBSERVATIO.

Inhibetur divisio Præbendarum.

PRimus horum Canonum, divisionem præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibet; relatus in *cap.* 8. ☧ *de Præbendis*. Ejusque meminit Innocentius III. in *c.* 2. ☧ *eod.* respondens Episcopo Brixiensi, quod electio duorum ad eamdem Præbendam de rigore juris penitus sit cassanda, quia „ si „ duo (ait) unam Præbendam tenerent, illud esset „ contra *Concilium Turonense*, quod Præbendarum „ prohibet sectionem „ Et rursus in *cap.* 26. ☧ *eod.* idem Innocentius respondit integram Præbendam uni assignandam, *cum Turonensis statuta Concilii sectionem inhibeant Præbendarum*.

Impositio pensionis huic Canoni adversatur.

Hinc uno consensu Canonistæ concludunt hoc Turonensis Concilii Decreto prohiberi præbendarum sectionem, sive fructuum divisionem. Inde ulterius communiter concludunt impositionem pensionis huic Decreto adversari, nec nisi mediante dispensatione ex justa causa sustineri posse; uti latius ostendi in Dissertatione *De Pensionibus*. (*b*).

CANON II.

Quo Clericis usuræ prohibentur, cap. 1. ☧ de Usuris.

OBSERVATIO.

Canon 2. contra usuras truncate refertur in Decretalibus.

SEcundus Canon dirigitur contra exercentes certum genus usurarum; refertturque in *cap.* 1. ☧ *de Usuris*, sed truncatus; quæ truncatio ipsum sensum obscurum reddit. Dicitur enim, quod *generalis Concilii decrevit auctoritas, ut nullus constitutus in Clero, vel hoc, vel aliud genus usuræ præsumat*, non exprimendo certum genus usuræ, cui relativum *hoc* respondeat. Id autem in parte a Raymundo omissa claris terminis exprimitur, nimirum illud genus usuræ, quod committunt, qui *commodata pecunia indigentibus possessiones eorum in pignus accipiunt, & provenientes fructus percipiunt ultra sortem*; uti legitur in integro Canone, & in prima Decretalium collectione; atque ex hac supplevit Antonius Contius in parte decisa, & ad calcem dicti *Cap.* 1. apud Gregorium IX. hodie in Corpore Juris Canonici correcto subjicitur.

Ad hunc Canonem indubie reflexit Innocentius III. in *cap.* 6. ☧ *de pignoribus*, declarans possessiones obligatas pignori debitori esse restituendas, si fructus earum a creditoribus percepti ipsum debitum *exæquent, cum secundum* Canonicas sanctiones *fructus restitui, & in sortem debeant computari*. Quod in nullo Canone tam aperte, quam in præsenti deciditur.

Pactum antichreseos damnatum.

Hinc uno consensu tradunt Canonistæ, præsenti Canone pactum *Antichreseos* esse damnatum tanquam usurarium.

CANON III.

Ne Prælati Decimas temere in Laicos transferant, cap. 17. ☧ de Decimis.

OBSERVATIO.

TErtius Canon relatus in *cap.* 17. ☧ *de Decimis*, est contra Episcopos & Prælatos Ecclesiæ; qui Laicos de Decimis & Ecclesiis disponere sinunt, & eos in *devia mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad viam vitæ fuerant revocandi*; applicans ipsis illud Osee *cap.* 4. *vers.* 8. *peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem provocant animas eorum*. Quæ verba Prophetæ, quare hic ommiserit Raymundus, nescio: sed a Contio suppleta sunt in parte decisa.

Decernitur igitur, *quod si quis alicui in sæculo remanenti Ecclesiam, decimam, oblationemque concesserit, statu suo, sicut arbor, quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec se emendet, dolore suæ jaceat ruinæ prostratus*. Ita legitur apud Raymundum ex veteri Decretalium collectione secunda. At in Canone apud Labbæum, ultima periodus exprimitur his verbis: *Et donec se emendet, & lapsum suum deflens, subjaceat dolore prostratus*.

Pœna decreta.

Constat, circa hæc tempora, Episcopos, aliosque Ecclesiæ Prælatos, decimas, aliaque bona Ecclesiastica in Laicos, adulationis, aut alicujus Beneficii sibi conciliandi causa in præjudicium Ecclesiarum præsertim Parochialium, frequenter cum summo Ecclesiarum etiam spirituali detrimento transtulisse. Uti in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect.* 4. *tit.* 2. *cap.* 4. alias *tit.* 33. notavimus; atque de simili temeraria, injusta, & Ecclesiæ præjudiciosa concessione hic agitur.

Circa similes abusus.

Refertur hic Canon in citato *c.* 17. sub nomine *solius* Alexandri III. uti & in secunda Decretalium col-

Canon hic soli Alexandro III. adscribi us in Decretalibus.

(*a*) Quod ex Textu horum, cæterorumque Canonum in hoc Tomo in *Observationibus* adducetur, desumetur ex Corpore Juris Canonici, & quandoque varians lectio Canonis, prout in Concilio extat apud Labbæum, notabitur per Litteram C.

(*b*) Extat citata Dissertatio *de Pensionibus*, septem complectens Capita, *Tom. V. parte* 2. hujus editionis.

collectione apud Antonium Augustinum, licet inter Canones Concilii *Turonensis* passim ab omnibus referatur, & in collectione Conciliorum huic Concilio adscribatur (a)

CANON IV.

De Albigensium consortio fugiendo.

OBSERVATIO.

CANON quartus est contra Albigenses hæreticos, qui in partibus Tolosæ exorti, ad vicina loca se diffundebant, cum quibus omne commercium vetat.

Extat hic Canon in prima Decretalium collectione, sed eum Raymundus omisit.

CANON V.

Ne Sacerdotes ad regendas Ecclesias annuo pretio conducantur. Cap. 3. ꝟ Ne

OBSERVATIO.

QUINTUS Canon relatus in *cap.* 3. ꝟ *Ne Prælati vices suas, &c.* reprobat enormem consuetudinem, quæ in quibusdam locis contra SS. Patrum constitutiones invaluerat, ut sub *annuo pretio* sacerdotes ad Ecclesiarum regimen constituantur, ratione hac notanda adducta: *Quia dum sacerdotium sub hujusmodi mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur.*

Invaluerat quoque mos, ut Ecclesiæ, id est, ipse titulus Ecclesiasticus, omnesque proventus concederentur aliis, puta Monasteriis, aut hominibus privatis tum Ecclesiasticis, tum etiam Laicis: atque hi constituerent Presbyteros ad obeunda officia, ea conditione, ut Presbyteri illi temporalia *ad Firmam* consequerentur, & pretium annum iis, a quibus erant constituti, persolverent. Eoque pervenerat abusus, ut ii præ aliis in Ecclesiis constituerentur Presbyteri, qui majus pretium seu majorem pensitationem annuam offerebant. Ejusmodi enormes abusus perstringit Canon Turonensis.

Ad idem tendunt Canones prohibentes constitui in Ecclesiis conductitios Sacerdotes, quibus certum pretium annum addicebatur, quos refert Antonius Augustinus in Epitome Juris Pontificii *lib.* 6. *tit.* 19. Utinam nec hodie similes plures constituerentur Sacerdotes!

CANON VI.

Contra Simoniacam avaritiam Clericorum. cap. 4. ꝟ de Simonia.

OBSERVATIO.

Pretii exactio pro ingressu in Religionem, vel pro Beneficio Ecclesiastico.

CANON sextus in *cap.* 8. ꝟ *de Simonia*, redarguit Clericorum avaritiam, præmissa hac multum notanda præfatione, a Raimundo omissa, & a Contio pro parte duntaxat suppleta. *Quia non satis utiliter in populo avaritia redarguitur, si ab his, qui in Clero constituti videntur, & præcipue contempto sæculo Religiosum nomen profitentur & Regulam, modis omnibus non cavetur, prohibemus, &c.* ita legitur apud Labbæum *tomo* 10. *Concil. general. col.* 1420.

Tum prohibet, *ne ab iis, qui ad Religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur: nec Prioratus, vult Capellaniæ Monachorum vel Cleric. annua distractione vendantur, nec ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum* (seu illa) *commissione ullum exigatur pretium*. Unde quidquam ab ingrediente Monasterium exigi vetat.

Ratio interdictæ hujus exactionis.

Additur ratio a Raymundo prætermissa: *Hoc autem Simoniacum esse sanctorum Patrum auctoritas manifeste declarat*: & ulterius concludit, quod *quisque contra hoc Decretum attentare præsumpserit, tam ille qui dedit, quam ille qui receperit, vel consenserit, partem se cum Simone, non dubitet habiturum*. Hæc verba, *vel consenserit*, apud Labbæum non extant in textu, sed ad marginem notantur; neque leguntur apud Baronium.

Ulterius statuit, ut *pro sepultura quoque, & Chrismatis & olei receptione* (sive *perceptione*) *nulla cujusque pretii exactio intendatur.*

His omnibus subjicit notabilem & utilem hanc regulam; *Nec sub obtentu cujusquam consuetudinis reatum suum quis tueatur: quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget.*

Nec in his consuetudo contraria tollit reatum.

Utinam hanc regulam serio attenderent Monasteriorum Directores ac Directrices, qui sub obtentu receptæ consuetudinis, passim ab iis, qui ad Religionem transire volunt, pecuniam requirunt, & de ea turpiter & quasi de re profana paciscuntur & mercantur!

Item qui sua Beneficia aliis resignant sive dimittunt sub annuo pretio, quod nomine *Pensionis* tegunt. De quo videri potest Dissertatio nostra *de Pensionibus* (a).

Merito quoque hanc regulam attendant, qui sub prætextu receptæ consuetudinis, de Juribus sepulturæ, & similium spiritualium functionum, quasi de earum pretio cum maximo fidelium scandalo paciscuntur; de quo videnda quæ dixi in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect.* 4. *tit.* 7. *cap.* 4.

CANON VII.

Ne Archipresbyteri Judices constituantur sub annuo pretio. Cap. 2. ꝟ Ne Prælati vices suas

OBSERVATIO.

SEPTIMUS Canon relatus in *cap.* 2. ꝟ *Ne Prælati vices suas, &c.* vetat Decanos vel Archipresbyteros ad agendas vices Episcoporum vel Archidiaconorum, & quasi judices in determinandis seu dijudicandis causis sub annuo pretio statui, quia id ad *Sacerdotum gravamen*, & subversionem judiciorum non est dubium redundare.

Et sane quis dubitet, quin Decani, dum sub onere perpendi Episcopis aut Archidiaconis *annuum pretium* ad terminandas causas constituuntur, pretium illud a Sacerdotibus, aliisque causas coram ipsis sustinentibus, quovis modo & prætextu recipere conabuntur, neque dubitabunt vendere quod emerunt; idque non sine judiciorum subventione & litigantium summo gravamine, & frequenti innocentium oppressione.

Hoc tendebat in eversionem judiciorum, & subditorum oppressionem.

Unde subjungit Canon: *Quod si quis de cetero fecerit, removeatur a Clero, Episcopus autem, qui hoc sustinuerit, & Ecclesiasticam Jurisdictionem* (sive melius C. *Ecclesiastica Judicia*) *sua patitur dissimulatione perverti, districtione Canonica percellatur.*

Pœna in contravenientes.

Hic rursus sat insinuat *perversionem Judiciorum* ex hujusmodi perversa Decanorum & Judicum pecuniaria electione sequi.

Hinc etiam apud Romanos Gentiles severissime vetitum fuit, ne Judices, *dato pretio*, constituerentur; quod & Principes nostri frequenter edixerunt, etiam necessitate jurisjurandi constringentes ipsos novos creandos Magistratus de nullo dato aut promisso; uti late deduximus in Dissertatione ad *Legem Juliam de Ambitu* (b).

Apud Romanos severe vetitum, ne Judices, *dato pretio*, constituerentur.

CANON VIII.

Ne Monachi sæcularibus negotiis se immisceant. Cap. 3 ꝟ Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

OBSERVATIO.

OCTAVUS Canon relatus in *cap.* 3. ꝟ *Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*, statuit, ut nulli omnino *post votum Religionis, & post factam in aliquo loco Religioso Professionem, ad Physicam, Legesve mundanas legendas permittatur exire*. Rationem præmisit: *Ne occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursus involvantur.*

Circa hunc Canonem præ cæteris plures variantes lectiones notantur apud Labbæum; nullus tamen codex notatur, in quo legatur conjunctio *Et*, quam mundus posuit inter verbum *Religionis*; & verbum *post factam*, quæ conjunctio nec in antiqua Decretalium Collectione invenitur.

Varietas Lectionum hujus Canonis.

Per *Physicam* hoc Canone intelligi scientiam *Medicinæ*, uti & per *legentes Leges mundanas*, *scholares* seu discentes, non autem *docentes* sufficienter significat prætextus, quo ad studia hæc Dæmon in Angelum *Lucis* se more solito transfigurans, viros Religiosos impellere dicitur nimirum *pro curatu languentium fratrum consulendi corporibus, & Ecclesiastica negotia fidelibus pertractanda.*

Studium Medicinæ ac legum mundanarum Monachis vetitum.

Hanc interpretationem confirmat, non solum auctor Rubrice in Decretalibus, sed etiam Honorius III. *cap.* 10 ꝟ *eodem*.

Extat

(a) Ante duodecimum sæculum nulla deprehenditur Synodus, cujus Decreta sub nomine Pontificis tamquam Præsidis Concilii concepta fuerint. Antea loquebatur & decernebat suo nomine Synodus; inde est quod Synodi ante sæculum duodecimum habitæ suo nomine, non autem nomine Præsidentis Decreta sua conceperint: credebatur equidem merito, quod, cum Decreta ex communi Episcoporum congregatorum auctoritate fierent, deberent illa adscribi omnibus Episcopis, non autem soli Præsidenti.

At duodecimo sæculo & subsecutis temporibus complures invenimus Synodos, in quorum Decretis loquitur solus Præsidens, quasi a sui unius auctoritate ea profecta essent, & aliis Episcopis usus esset veluti Consiliariis, quorum consensum requisierat.

(a) Excusam hanc Dissertationem de Pensionibus inveniet Lector Tom V. part. 2.

(b) Canonica isthæc Dissertatio ad Legem Juliam de Ambitu in 30. §§. distributa, extat Tom. VI.

Pœna in transgredientes.

Extat & hic Canon in Appendice ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. *parte 27. cap. 2.* ubi post pœnas inflictas Religiosis, qui ad *Physicam* aut *Leges mundanas* legendas exierint, & intra duorum mensium spatium non redierint, adjicitur hæc clausula, Episcopos & Superiores Regulares spectans, quæ nec in Concilio Turonensi, nec in antiqua, nec etiam in Gregoriana Decretalium Collectione occurrit: *Episcopi vero, Abbates, Priores, tantæ enormitati consentientes, & non corrigentes, spolientur propriis honoribus, & ab Ecclesiæ liminibus arceantur.*

Quamvis pœnæ hac Decretali, & multo magis per dictam clausulam expressæ in desuetudinem abierint, semper tamen judicatum est, non tantum viros Religiosos, sed & Clericos cum summa moderatione studio Medicinæ, Legumve mundanarum se debere applicare: quemadmodum latius exposui in *Jure Eccles. Tom. I. parte 1. tit. 2. cap. 6.*

CANON IX.

Quo reprobantur Ordinationes per Octavianum, eique adhærentes factæ.

OBSERVATIO.

Hic Canon quare in Decretalibus omissus.

NOnus Canon Ordinationes factas ob Octaviano, & aliis Schismaticis & Hæreticis evacuat, & irritas omnes esse decernit. Verum hic Canon nec in antiqua Decretalium Collectione, nec in Gregoriana hodierna Collectione extat: verisimiliter, quia in Concilio Lateranensi sub hoc Pontifice, post extinctum Schisma; fuerit hic Canon renovatus & extensus, extatque in *cap. 1.* ✠ *De Schismaticis*; de quo infra ad Canones illius Concilii.

CANON X.

De Immunitate Ecclesiastica.

OBSERVATIO.

Non est elatus in Collectione Greg. IX.

CAnon decimus continet prolixum Decretum de Immunitate rerum Ecclesiasticarum. Extat quidem in antiqua Collectione Decretalium secunda apud Antonium Augustinum, *lib. 3. tit. 27. cap. 1.* sed in nostram Gregorianam relatus non est; neque in foro hodie in usu est.

Alius Canon extans in Decretalibus Greg. sub nomine Alexandri III. in Concilio Turonensi inter Canones hujus Concilii non reperitur.

Cæterum extat & sub nomine *Alexandri III. in Concilio Turonensi* quidam Canon sive Decretum in *cap. 4.* ✠ *de Pœnis*: at in prima collectione apud Antonium August. *cap. 5.* eodem titulo refertur simpliciter sub nomine *Alexandri III.*, uti & in appendice ad Concilium Lateranense *parte 3. cap. 2.* quod & jam pridem notavit Antonius Augustinus, in notis ad primam Decretalium Collectionem; additque: ,, sed hoc ,, ego caput neque in historia Anglicana Gullielmi ,, Neubrigensis, neque in veteri Pontificali, ubi alia ,, capita sunt ejus Concilii, invenire potui. ,, Neque reperitur hic Canon in antiquo Codice Canonum Vaticano, qui ejusdem Concilii Canones exhibet, & e quo Baronius aliquot variantes lectiones notavit, neque inter Canones hujus Concilii apud Labbæum in Collectione Conciliorum. Itaque non sine fundamento ambigitur, num hic Canon revera ab Alexandro fuerit Concilio propositus.

DISSERTATIO.

In Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. ejusque Canones.

§. I.

Occasio & indictio hujus Concilii.

Concilium Lateranense III. postquam Calixtus III. Antipapa cessaverat.

SChisma in Ecclesia Romana, de quo in Dissertatione præcedenti actum est, annis circiter viginti duravit, quo tempore tres contra Alexandrum III. in Romanos Pontifices electi fuere, & pro Romanis Pontificibus a Frederico Imperatore, aliisque nonnullis Principibus & populis agniti fuere; donec tandem anno 1177. Venetiis pax sub certis conditionibus conclusa, & Alexander ut *unicus* ac *legitimus* Pontifex ab Imperatore tutaque Ecclesia agnitus fuit.

Pace hac conclusa, Alexander anno sequenti mense Martio Romam venit, ubi summa lætitia & honorificentia exceptus, & ab omnibus pro legitimo ac unico Romano Pontifice agnitus fuit; accessitque ipsum Joannes Strumensis (qui tum in Papatu contra ipsum sedebat sub nomine Calixti III.) qui reatum suum recognoscens, veniamque ab Alexandro humiliter expostulans, ipsum quoque tamquam legitimum Pontificem agnovit; ipseque Alexander hunc Antipapam sic humiliatum constituit Archiepiscopum Beneventanum: sicque tandem Schisma hoc plane extinctum fuit; ipseque Alexander tamquam *unicus* ac legitimus Romanus Pontifex sedit.

Ut tamen in Pontificatu amplius firmaretur, ipsique Schismatici, iisque faventes validius comprimerentur, & ad unitatem Ecclesiæ reducerentur; necnon & Hæreses, durante Schismate, vel exortæ, vel propagatæ profligarentur; ipsaque Ecclesiastica desciplina occasione Schismatis multum collapsa restauraretur, resolvit Alexander, Concilium generale convocandum esse.

Commendatur Conciliorum generalium celebratio.

Illud indixit in annum sequentem 1179. celebrandum prima Dominica Quadragesimæ in ipsa Urbe Roma, uti liquet ex litteris indictionis, quæ extant apud Labbæum *Tom. X. Concil. general. col.* 1506. in quibus & inter cætera scribit, quod Concilia *generalia* cum primis utilia sint, *quod bonum secundum consuetudinem antiquorum Patrum provideatur, & firmetur a multis: quod si particulariter fieret, non facile posset plenum robur habere.*

Missi per omnes orbis partes Legati ad convocandos Prælatos.

De Concilii hujus indictione scribit Robertus de Monte in Appendice ad Chronicon Sigeberti ad annum 1179. ,, Alexander Papa misit Octavianum Subdia- ,, conum Romanæ Ecclesiæ ad Rothomagensem Provin- ,, ciam, ut convocaret Archiepiscopum & Suffraganeos ,, ejus, & Abbates illius Provinciæ. Et misit similiter ,, alios Subdiaconos ad Orientem, & Occidentem & ,, Meridiem, & Septentrionem, ut convenirent ad Con- ,, cilium generale, quod erat futurum proxima quadra- ,, gesima in civitate Romæ. ,,

Et in Auctuario Aquicinctino ad idem Chronicon apud Miræum legitur ad annum 1178. Alexander Papa ,, Subdiaconos Cardinales ad summovendum Concilium ,, in quadragesima anni sequentis celebrandum per totum ,, ferme Christianismum dirigit. ,,

Conformiter ad has indictionis litteras, celebratum fuit hoc Concilium mense Martio anno 1179. Romæ in Basilica Lateranensi; a qua & nomen accepit; dictumque Concilium generale Lateranense III.

§. II.

De his, qui huic Synodo interfuerunt; & de ejusdem Concilii Canonibus.

Numerus 300. Patrum.

COnvenisse ad hanc Synodum 300. Episcopos non tantum ex partibus Occidentis, sed & Orientis, testis est Guillelmus Tyrius, qui & ipse Synodo interfuit; scribit autem *lib. 21. de Bello Sacro cap. 15,* ,, Anno ab Incarnatione Domini 1178. qui erat Regni ,, Domini Balduini IV. annus quintus, mense Octobri, ,, cum anno præcedente indicta esset per universum ,, Latinorum orbem, Romæ Synodus Generalis, ad ,, eamdem Synodum vocati, profecti sunt de nostro ,, Oriente, Ego VVillelmus Tyrensis Archiepiscopus, ,, Alebertus Bethlehemita Episcopus, Heraclius Cæsariensis Episcopus, Romanus Tripolitanus Episcopus, ,, Petrus Prior Ecclesiæ Dominici Sepulcri, Raynaldus ,, Abbas Ecclesiæ Montis Sion. &c. ,,

Relatis iis, quæ in itinere sibi acciderant, subjungens ait: ,, per idem tempus (nimirum XII. Kal. Aprilis) ,, Romæ celebrata est Synodus in Basilica Constantiniana, ,, quæ dicitur *Lateranum*; trecentorum Episcoporum, ,, Pontificatus Domini Alexandri vigesimo, mense Mar- ,, tio Indictionis duodecimæ, quinto die mensis. ,,

Scribit quoque Rogerus De Hoveden in Annalibus Anglicanis, quod anno 1178. ,, post Natale Domini ,, venerint de Hibernia in Angeliam Laurentius Dubli- ,, nensis, & Catholicus Tuamensis Archiepiscopi, & ,, quinque vel sex Episcopi, Romam ad Concilium ,, ituri. Similiter de Regno Scotiæ transierunt per An- ,, gliam Episcopi, & Abbates quamplures. ,,

Addit citatum Auctuarium Aquicinctinum, quod quidam Episcopi de Græcia Legatos suos eodem miserint.

E Gallia magno numere adfuere, quorum nomina, Sedesque exhibet fragamentum Actorum extans *Tomo X. Concil. col.* 1530. inter quos e Provincia Rhemensi ex Belgio nostro numerantur Desiderius Morinensis, & Rogerus Cameracensis; & e Provincia Coloniensi, Rudolphus Leodiensis.

Addit Auctuarium Aquicinctinum: ,, Abbatum etiam ,, interfuit innumera pene multitudo. ,,

Convocata autem fuit hæc Synodus, ut jam notatum est, & in litteris indictionis expresserat Alexander; primo ut ratio iniretur reducendi Schismaticos ad Ecclesiam, vel eosdem rebelles damnandi: quæ indubie primaria, si non unica ex intentione Pontificis fuit, Dein ut damnarentur hæreses; ac denique ut labe-

fa-

factata in multis Ecclesiastica disciplina restitueretur. "

27. Capitula, seu Canones.

De his itaque edita sunt 27. Capitula *omni laude dignissima*, ait Matthæus Parisiensis ad annum 1169.

Pleraque autem in Decretalibus Gregorii XI. extant; ac notabilem hodierni Juris Canonici partem constituunt; quapropter non inutile judicavi eorum compendium cum aliquibus ad ea observationibus hic exhibere (*a*).

O B S E R V A T I O N E S

In Canones vulgo Concilii Lateranensis III. sub Alexandro III.

C A N O N I.

De forma in electione Romani Pontificis observanda. Cap. 6. ✠ de Elect.

O B S E R V A T I O.

Duas partes Cardinalium in electione Romani Pontificis requirit Canon.

QUANDOQUIDEM Patribus compertum esset, quam perniciosum Ecclesiæ & Reipublicæ esset Schisma, præsertim in Ecclesia Romana, sive inter duos in Pontificatum electos, & de Pontificatu contendentes, ut in futurum huic malo occurrerent, Canone primo formam in electione Romani Pontificis, observandam, præscribendam censuerunt; referturque hic Canon in *cap. 6. ✠ de Electione, & Electi potestate*, sub nomine *Alexandri III ex Concilio Lateranensi*, notaturque in margine: quod (Concilium) *celebratum est Roma sub, anno 1178. sub Alexandro Papæ III. assistentibus 274. Episcopis mense Martio*. Si sincera & vera sit hæc nota minor fuit numerus Episcoporum, qui huic Concilio interfuerunt, quam prædicti Auctores interfuisse dixerunt.

Interim in hoc Canone in primis decernitur, quod *nulla censeatur Romani Pontificis electio, in quam duæ partes Cardinalium non conspirarunt*.

Electionis Ordinariæ derogatur.

Hoc hic primum, contra Ordinariam & hactenus solitam formam electionis, qua a majore & saniore parte electus, pro legitime electo habetur, statutum esse agnoscit Concilium, declarans expresse, quod *ex hoc nullum Canonicis Constitutionibus & aliis Ecclesiis præjudicium generetur, in quibus majoris & sanioris partis debet sententia prævalere. Quia* (ait) *quod eis in dubium venerit, Superioris poterit judicio diffiniri. In Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad Superiorem haberi.*

Electio Romani Pontificis usque ad sæculum XII. secundum formam Ordinariam fiebat.

Electionem Romani Pontificis pluribus sæculis factam fuisse ad instar electionis aliorum Episcoporum, nimirum ab Episcopis, Clero & Populo expeditum est; eamque formam electionis expressit seculo etiam undecimo Nicolaus II. in Decreto, quod extat apud Gratianum *dist. 23. Can. Omnes* I. & integrum habemus *Tomo IX. Concil. generab. col.* 1103. quo statuitur, ut „ obeunte Romanæ Universalis Ecclesiæ Pontifice; in „ primis *Cardinales Episcopi* diligentissime simul de ele„ ctione tractantes, mox ipsi *Clericos Cardinales* adhi„ beant; sicque *reliquis* Clerus & popolus ad consensum „ novæ electionis accedant; nimirum præcaventes, ne „ venalitatis morbus aliqua occasione subrepat.

Dicit quidem: „ Quia Sedes Apostolica cunctis in „ orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atque ideo super „ se Metropolitanum habere non possit, „ sed mox „ adjungit: „ *Cardinales* Episcopi procul dubio *Metropolitani Officio* funguntur, qui videlicet electum „ Episcopum ad Apostolici culminis apicem provehant. „

Sicuti ergo in electione Metropolitani Provinciales Episcopi fungebantur vice Metropol. atque electioni præsidebant, eam dirigebant & probabant; ita quoque Episcopi Romanæ Provinciæ, ac Romæ adjacentes, qui sæculis posterioribus dicti fuere *Episcopi Cardinales*, electioni Romani Episcopi præsidebant, eamque dirigebant & probabant.

Quo autem tempore forma electionis Pontificis mutata fuerit, non perinde constat, videturque id sæculo XII. cœptum fuisse: testaturque Onuphrius in notis in Platinam in vita Innocentii II. sub hoc Pontifice, primum Populum Romanum a Pontificiis comitiis omnino exclusum fuisse; atque primum „ sine ullo Populi inter„ ventu Papam creatum esse, mortuo Innocentio II. „ Cœlestinum II. „

Et idem Onuphrius in notis ad vitam Alexandri III. relato Schismate diuturno, quod tempore hujus Pontificis fuit, ait: „ Ex cujus rei occasione, Clero omnino „ & Populo a Pontificis electione exclusis, ea ad *Car„ dinales solos* tunc primum redacta est: „ Dicitque „ Boerius Epo in *Tractatu de Regalibus n.* 189. quod testentur passim Historici illius temporis, quo modernum Decretum in Concilio Lateranensi est editum, eo Decreto *solis* Cardinalibus electionem Pontificis esse concessam.

Ab hoc tempore mire crevit dignitas Cardinalium.

Hinc & notant communiter Doctores, a tempore editi hujus Decreti, mirum in modum crevisse auctoritatem & dignitatem Cardinalium; utpote a quibus tota Pontificis electio cœpit ab eo tempore dependere,

Hoc quoque manifestum, ex antiqua forma electionis; quod tunc nondum esset nota ratio in præsenti Canone allegata, quod in hac electione *non possit recursus ad Superiorem haberi*.

Porro præter formam in electione Pontificis Romani hic præscriptam, plura a subsequentibus Pontificibus præscripta fuere, uti notabitur ad Canonem seu Constitutionem II. Concilii Lugdunensis sub Gregorio X. relatam in *cap. 3. de Elect. in 6.*

C A N O N II.

Quo irritæ declarantur Ordinationes a Victore IV. Paschali II. & Calixto III. Cap. 1. ✠ de Schismaticis.

O B S E R V A T I O.

CANON 2. hujus Concilii Lateranensis relatus est in *c. 1. de Schismaticis*, sed truncatus.

Hic Canon irritas declarat Ordinationes ab Octaviano, & Guidone Hæresiarchis, nec non & Joanne Strumensi, qui eos secutus est, factas; uti & factas ab Ordinatis ab iis.

Hi tres, uti supra dictum est, sederant in Schismate contra Alexandrum, Octavianus sub nomine Victoris IV. Guido autem sub nomine Paschalis II. & Joannes Strumensis sub nomine Calixti III. Et quidem duo priores in Schismate mortui hic specialiter *Hæresiarchæ* dicuntur.

Hujus Decreti meminit citatum Auctuarium Aquicinctinum scribens: „ ibi (scilicet in hoc Concilio) „ Dominus Papa Ordinationes factas ab Octaviano, „ & Guidone, & Joanne Strumensi, qui eos fuerat se„ quutus, irritas esse censuit. „

Apud Raymundum nulla fit mentio Joannis *Strumensis*. Eum verisimiliter omisit Raymundus, quia cum Schismati renuntiasset, & Alexandrum pro legitimo Pontifice agnovisset, credidit Raymundus, ejus nomen esse celandum, & honori ipsius eatenus esse consulendum.

Decretum Innocentii II. contra Ordinationem Petri Leonis.

Insuper in Canone dicit Alexander, se hæc statuere, *quod a Prædecessore nostro* (ait) *felicis memoriæ Innocentio factum est, innovantes*, & indubie hic indicare voluit *Innocentium II.* contra quem in Schismate sedit *Petrus Leonis*: occasione cujus Decretum hoc, cujus hic Alexander meminit in Concilio Lateranensi sub dicto Innocentio, anno 1139. *Can*, 30. editum est, ubi sic habetur: „ Ad hæc Ordinationes factas a Petro Leonis, „ & aliis Schismaticis, & Hæreticis evacuamus, & „ irritas esse censemus. „ Supradicta hæc autem omisit Raymundus; sed supplevit Contius.

Adjicit præterea hic Canon, quod qui *Beneficia aut dignitates per prædictos Schismaticos impetraverint, careant impetratis. Alienationes quoque, quæ per eosdem Schismaticos, seu per Laicos factæ sunt de rebus Ecclesiasticis, careant omni firmitate, & ad Ecclesiam sine omni onere revertantur. Si quis contraire præsumpserit, ex communicationi se noverit subjacere*.

Schismati sponte adhærentes a Beneficiis suspenduntur.

Denique decrevit, illos, qui *sponte juramentum de tenendo Schismate præstiterunt, a sacris Ordinibus & dignitate manere suspensos*.

Notæ Molinæi ad hunc Canonem.

Carolus Molinæus ad citatum *cap. 1. ✠ de Schismaticis* appendit hanc notam: „ Alexander (scilicet III. „) qui cum diu in Gallia profugisset, tandem Friderici Ænobarbi Venetorum auxilio capti, *collum* Ve„ netiis pressit. „ Sed huic notæ Molinæanæ suam addidit vir eruditus Franciscus Pinsonius; „ Hoc com„ mentitium plures dicunt, nec de eo quidquam habe„ tur in priscis & probatis auctoribus: ut nec apud „ Platinam. De eo editus est tractatus singularis, huju„ sce fabulæ confutandæ causa (*a*).

Decretalis Alexandri spectans ad hoc Schisma.

Ad hoc Schisma, quod fuit tempore Alexandri III. spectat quoque *cap. 5. Qua diligentia ✠ de Electionib.* ubi interroganti Cardinali Legato *a latere*, num electio-

(a) Legatur quod de Actis Concilii Lateranensis tertii retulit D. Salmon in suo opere, patrio idiomate conscripto, cujus hic est titulus: *Traité de l'étude des Conciles*; quod legendum censemus, extat *pag. 312. Editionis 1724.* Quod opus postremis temporibus latino sermoni donatum fuit Venetiis.

(b) Consulatur dissertatio, quam P. Barre hac de re elucubravit; reperitur ad calcem Tomi V. Historiæ Germaniæ ejusdem auctoris, Gallico idiomate reconscriptæ.

ctionem electi, qui abiurato Schismate ad unitatem Ecclesiæ rediit, debeat confirmare; respondet Alexander, quod si electus nullum Ordinem a Schismatico susceperit, *dispensative* permittat confirmari; „ Mandantes (ait) ut eum facias a Catholicis Episcopis „ Suffraganeis Aquilejensis Ecclesiæ in Episcopum ordinari: salva debita justitia & reverentia ejusdem Ec - „ clesiæ, cum ad Catholicam redierint unitatem. "

Postrema hæc clausula adjicitur, quia Ordinatio delata Suffraganeis spectabat de Jure ad *Archiepiscopum* Aquilejensem: sed in hoc casu, ei non defertur, quia *Pelegrinus* tunc Aquilejensis Archiepiscopus subscripserat electioni Octaviani contra Alexandrum, ut notat Baronius ad annum 1160.

Per Schisma contingere solet collapsio disciplinæ.

Solet Schisma in Ecclesia secum trahere magnam disciplinæ Ecclesiasticæ prolapsionem, dum de Papatu contendentes, facile quæcumque contra Canonicam disciplinam permittunt his, quos fautores & patronos sibi desiderant. Et similis indubie prolapsio contigerat occasione Schismatis 20. circiter annorum, præsertim circa ministros Ecclesiæ, quos sibi obnoxios desiderantes electi Pseudo-Pontifices, facile quosque etiam inidoneos promovebant, modo adhærere factioni suæ scirent.

CANON III.

Quales eligendi ad regimen Ecclesiæ cap. 7. ✠ de Elect.

OBSERVATIO.

Eligendus gravitate & scientia ornatus.

CANON 3. relatus in *cap. 7.* ✠ *de Elect.* collapsam disciplinam restitutam desiderans statuit, primo, *ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam tricesimum annum ætatis exegerit*, (in Canone legitur *egerit*) *& de legitimo Matrimonio sit natus, qui etiam vita & scientia commendabilis demonstretur.*

Morum gravitate & scientia ornatus.

Duplicem sui Decreti rationem præmittit: prima est, quod *cum in cunctis sacris Ordinibus & Ecclesiasticis Ministeriis sint ætatis maturitas, gravitas morum, & litterarum scientia inquirenda, multo fortius hoc in Episcopo oporteat inquiri, qui ad curam positus aliorum, in seipso debet ostendere, qualiter alios in domo Dei oporteat conversari.*

Altera ratio Decreti est: *Ne quod de quibusdam pro necessitate temporis factum est, a posteris trahatur in exemplum.*

Hic patenter innuit, aliqua Schismatis tempore fuisse indulta, aut dissimulata, quæ indulgeri aut dissimulari non debuissent, & quæ non sunt a Posteris in exemplum trahenda.

Episcopi confirmati Beneficia vacant.

Præterea Canon declarat, Beneficia, quæ electus in Episcopum habebat, vacare, postquam electus confirmationem accepit, & Ecclesiasticorum bonorum administrationem habuerit.

Horum Beneficiorum collatio spectabat ad Ordinarios collatores.

Declarat insuper: *decurso tempore de consecrandis Episcopis a Canonibus definito, is, ad quem spectant Beneficia, quæ habebat, de illis disponendi liberam habeat facultatem.*

Nondum nota nunc horum Beneficiorum reservatio.

Hinc patet, tempore hujus Concilii, necdum notam fuisse reservationem Beneficiorum vacantium per promotionem ad Episcopatum, de qua in Extravagante *Ad Regimen*, & in prima Regula *Cancellariæ*, qua similia vacantia Beneficia Pontifici reservantur. Notatque Emmanuel Gonzales in notis ad hunc textum, quod in Hispania, ex antiquissima consuetudine, receptum sit, ut præsentatus a Rege renuntiet Beneficiis antea habitis in favorem personæ a Catholica Majestate designatæ, cui & non aliis Pontifex tenetur conferre.

Hic in Belgio hæc reservatio non est recepta, uti notavi in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 3. tit. 6. cap. 5.* alias *tit. 22. cap. 4.*

Ministerium pastorale requirit ætatem 25. annorum.

Præterea, eodem Canone statuitur, ut *inferiora Ministeria*, ut puta *Decanatus*, *Archidiaconatus*, *& alia, quæ curam animarum habent, nullus omnino suscipiat, sed nec Parochialium Ecclesiarum regimen, nisi qui vigesimum quintum annum ætatis attigerit; & scientia & moribus commendandus existat.*

Quinam ratione accepti Beneficii teneantur intra certum tempus ordinari?

Addit de his ulterius, quod *si Archidiaconus in Diaconum, & Decani, vel reliqui admoniti non fuerint, præfixo a Canonibus tempore, in Presbyteros ordinati, ab isto tempore removeantur a Beneficio, & aliis conferatur, qui & velint & possint illud convenienter implere*; declarans eis non prodesse *appellationis refugium*.

Nec id solum *de promovendis, sed etiam, de his, qui jam promoti sunt, si Canones non obsistunt*, præcipit *observandum*.

Qua ratione Canon statuit de præteritis.

Hinc monet Glossographus, haberi casum, quo Constitutio trahitur ad præterita, rationem notandum subjungens: *Quia sine aliqua Constitutione ad hoc tenentur per alia jura antiqua.*

Præterea notat ibidem Glossographus hæc verba, *Si Canones non obsistant*, intelligi de tali, qui *sine sua culpa* factus est talis, qui ordinem recipere non potest secundum Canones.

Per novem priora sæ-

Ex hisce manifestum est, ætate hujus Synodi Beneficia & Dignitates ab ordinum collatione fuisse se-

cula Beneficium & Ordo sacer non erant sejuncta.

juncta: ut propterea necesse fuerit; promovendis ad has dignitates specialiter præscribere certam ætatem, quin & ordinem, ad quem vel tempore promotionis debebant esse promoti, vel saltem promoti intra præfixum tempus suscipere deberent.

Circa quæ plura sensim in recentioribus Decretis addita sunt, uti ad præsens Capitulum multis deduxit, post alios Canonistas, Prosper Fagnanus; & aliqua notavi in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 3. tit. 2. cap. 2.* alias *tit. 19.*

Non mirum, in pristinis Canonibus de his nihil occurrere; scitur enim, quod primis novem sæculis Beneficiorum collatio necdum a collatione Sacror. Ordinum sejuncta esset.

Pœna in transgressores hujus Canonis.

Declarat autem præsens Canon *Clericos, qui contra formam hic præscriptam, quemquam elegerint, & eligendi tunc potestate privatos, & ab Ecclesiasticis Beneficiis triennio suspensos, dignum est enim* (ait) *ut quos Dei timor a malo non revocat, Ecclesiasticæ saltem coerceat severitas disciplinæ.*

Quin & ulterius declarat, quod *Episcopus, si contra præscriptam formam fecerit, aut fieri consenserit in conferendis prædictis Officiis & Beneficiis, potestatem amittat, & per Capitulum, aut per Metropolitanum* (*si Capitulum concordare nequiverit*) *ordinetur.*

Negligentia Capituli suppletur per Episcopum, & contra.

Hic notant Canonistæ, negligentiam Capituli suppleri per Episcopum; & e converso, negligentiam *Episcopi per Capitulum*, utroque autem negligente formam hic præscriptam, per Metropolitanum. De qua specie devolutionis late hic agit Panormitanus.

Canon non ferit nisi enim, qui scienter elegerit indignum.

Notat autem Panormitanus pœnam hanc non habere locum, nisi *scienter* eligatur indignus, & si major duntaxat pars Capituli sic elegerit, tunc eligendi facultatem manere penes reliquos, qui non deliquerunt.

CANON IV.

De Episcopis, qui Ecclesias visitando, eas sumptibus gravant. Cap. Cum Apostolus 6. ✠ de Censibus.

OBSERVATIO.

CANON 4. relatus in *cap. Cum Apostolus 6.* ✠ *de Censibus, exact. &c.* dolenter exponit, quod quidam Prælati *ita graves in procurationibus existant, ut pro hujusmodi causa interdum Ecclesiastica ornamenta subditi exponere compellantur, & longi temporis victum brevis hora consumat. Cum tamen Apostolus se ac suos propriis manibus decreverit exhibendos* (a), *ut locum prædicandi auferet pseudo-Apostolis, & illis, quibus prædicabat, onerosus non existeret*, uti ait Concilium.

Evectionum seu Equorum numerus in comitatu Visitantis.

Ut huic abusui, pro ratione temporis, aliquod saltem moderamen adhiberetur, statuit, ut *Archiepiscopi Parochias visitantes, pro diversitate Provinciarum, & facultatibus Ecclesiarum 40. vel quinquaginta evectionum numerum, Episcopi autem 20. vel 30. Cardinales 25. nunquam excedant; Archidiaconi vero 5. vel 7. Decani constituti sub Episcopis* (Canon legit *ipsis*) *duobus equis contenti sint.*

Evectionum nomine hic significari certum numerum equorum, notant uno consensu Interpretes post Glossographum, qui sine ulla hæsitatione in formatione casus asserit, quod Concilium statuerit Prælatis *certum numerum* tam personarum, quam *equorum*, quibus contenti existant.

Quare minor numerus præscribatur Cardinalibus quam Episcopis?

At illud mirum in modum torquent Interpretes, præsertim recentiores, qui omnia etiam præteriti temporis solent metiri & interpretari juxta sui temporis praxim, quod Archiepiscopis & Episcopis major evectionum numerus permittatur, quam *Cardinalibus*, quos tamen dignitate præcedere Archiepiscopos & Episcopos vident.

In primis notandum, Concilium hic non loqui de Cardinalibus *Episcopis*, uti recte monet Panormitanus, sed duntaxat de Cardinalibus *Presbyteris* & *Diaconis*.

Ulterius notandum, tempore hujus Concilii nondum eam fuisse Cardinalium dignitatem, ut Episcopalem superaret, quin si Zerolæ in *praxi Episcopali*, aliisque melioribus Canonistis, credamus, Episcopi usque ad Clementem V. & Joannem XXII. erant in dignitate supra Cardinales: asseritque post alios Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. cap. 3. num. 17.* „ Usque ad tempora Bonifacii VIII. nullus erat Episcopus, qui vellet fieri „ Presbyter Cardinalis, quia putabant, non licere de- „ scendere a majore dignitate ad minorem „.

Tempore hujus Concilii dignitas Cardinalitia incrementum sumpsit.

Illud fatendum, dignitatem Cardinalitiam tempore hujus Concilii incrementum non exiguum capere incepisse, tum quod ad ipsos *solos* delata fuerit electio Romani Pontificis, tum quod dignitas Cardinalium semper creverit cum dignitate Romani Pontificis, uti monet Onuphrius in libro de *titulis Cardinalium*, una notans Dignitatem Pontificis Romani maximam fuisse tempore hujus Pontificis Alexandri III. „ sub quo (ait) „ Romana Ecclesia ad maximam in terris fastigium „ evecta fuit, Imperatore potentissimo Frederico Ahe- „ no-

(a) 1. Thess. c. 2. Alendos.

R

„ nobardo ; eoque Ecclesiæ Romanæ infestissimo ho„ ste, conculcato, victo, pacemque ab Ecclesia pete„ re coacto „.

Videri possunt, quæ hac de re notavi in *Jure Eccl. Tom. I. part. 1. tit. 22. cap. 1.* quibus addi poterunt notata ab Emmanuele Gonzales ad hunc textum & Scriptoribus ab eo citatis.

In visitatione non comitentur canes venatorii, nec aves.

Ulterius addit Canon, ut Prælati visitantes *nec cum canibus venatoriis & avibus proficiscantur, sed ita procedant, ut non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærere videantur, nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honeste & competenter fuerit illis ministratum.*

Visitator exactionibus subditos non gravet.

Prohibet dein Episcopis, ne subditos suos *talliis & exactionibus gravare præsumant*; sustinens tamen, ut Episcopis, *pro multis necessitatibus, quæ aliquoties supervenïunt, ut si manifesta & rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis* (subditis) *valeant auxilium postulare.*

Hoc auxilium vulgo a Canonistis vocatur *subsidium charitativum*; rationem subjicit: *cum enim dicat Apostolus; non debent parentibus filii thesaurizare, sed parentes filiis; multum longe a paterna pietate videtur, si Præpositi suis subditis graves existant, quos in cunctis necessitatibus Pastoris more fovere debent* (a).

At nec hoc *charitativum subsidium* permittitur Archidiaconis aut Decanis postulare, seu exigere a subditis, quibus simpliciter & absolute præcipitur, *nullas exactiones vel tallias in Presbyteros, seu Clericos exercere præsumant.*

Mera tolerantia de equis in comitatu.

Et ne videatur Concilium probare etiam hunc fastum Prælatorum, permittendo prædictum numerum evectionum sive equorum, expresse declarat, id secundum tolerantiam dictum esse; idque iis duntaxat locis, in quibus *ampliores sunt reditus, & Ecclesiasticæ facultates.* In pauperioribus autem locis, eam vult teneri mensuram, *ut ex accessu majorum, minores merito non doleant se gravari.*

Denique & hanc addit cautelam: *Nec sub tali indulgentia illi, qui paucioribus equis uti solebant hactenus plurium sibi credant potestatem indultam.*

Hinc colligimus, Concilia nonnunquam permittere sive tolerare quædam, abusibus jam nimium inveteratis, quæ tamen nullatenus tanquam omnino *licita* approbare intendant.

Hinc & colligitur, infirmum esse argumentum, quod *ex tolerantia* Ecclesiæ sumitur, ad probandum quidpiam *revera* esse *licitum*, aut ab Ecclesia probatum.

Cæterum de jure visitandi, & juribus visitantium videri possunt, quæ notavi in *Jure Eccles. Tom. I. par. 1. tit. 17. cap. 2.* præsertim attento Decreto Concilii Tridentini in moribus Belgii (b).

CANON V.

Ne quis ordinetur sine certo Titulo. Cap. *Episcopus* 4. ✠ de Præbend.

OBSERVATIO.

Ordinatus sine titulo, alatur ab Ordinatore.

CANON V. relatus *in Cap.* Episcopus 4. ✠ *de Præbendis* vult, ut, *si aliquem sine certo titulo de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiæ Clericalis assignet.* Addit autem Canon exceptionem, *Nisi talis ordinatus de sua vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.*

Varians lectio.

Notat Antonius Augustinus ad hunc textum; in prima Decretalium Collectione, & in veteribus Gregorianis legis, *de sua paterna hæreditate*, omissa particula disjunctiva *vel*, uti & Antonius Contius legit in nota marginali citato *Capitulo* 4. appensa. Quam tamen lectionem se non probare una significat.

Interim juxta hanc expressionem, textum hunc intellexere Canonistæ docentes, pro titulo patrimoniali non sufficere, quod quis habeat *patrem divitem*, qui filium sustentare queat, sed requiri, ut pater partem assignet, quam filius tanquam *suam possideat.*

Verum quia Concilium hac clausula duntaxat eximere voluit Episcopum a necessitate sustentandi ordinatum sine titulo, non apparet incongrua lectio cum particula disjunctiva *vel*: quia non est dicendus egens Clericus, qui patrem habet, qui ipsi alimenta & necessaria dare potest & debet.

Insuper monet Antonius Contius, in quodam libro Concilii Lateranensis post hæc verba, de *sua paterna hæreditate*, addit: vel *alia honestatis* (sive aptius uti monet Antonius Augustinus, *honesta*) *causa*. Hæc lectio rursus in praxi recepta fuit. Nam non tantum id pro titulo valet, quod Ordinatus habet ex sua *hæreditate*, sed & omne quod *ex alia honesta causa*, ut *proprium* possidet; & e quo convenientia vitæ subsidia habere potest.

Quamquam Concilium præsenti Decreto unice intendisse videatur, Episcopum cogere ad alimenta subministranda ei, quem ipse sine titulo Ecclesiastico ordinavit, ne in opprobrium Cleri mendicare cogeretur; nec dicat, Episcopum posse quemquam ordinare ad solum titulum patrimonialem; nihilominus hoc Decretum occasionem dedisse titulo *patrimoniali*, qui hactenus ignotus fuerat, admodum verisimile est; uti latius ostendi in *Jure Eccles. Tom. II. parte 2. sect. 1. tit. 9. c. 6.* ubi & pluribus exposui, quid tum ex Jure communi, tum ex Concilio Tridentino, hodie circa titulum ordinationis, signanter patrimonialem, observandum sit.

CANON VI.

Qui ordinem Judiciorum Ecclesiasticorum moderatur. Cap. Reprehensibilis 26. ✠ de Appellat.

OBSERVATIO.

CANON VI. relatus *in cap. Reprehensibilis* 26. ✠ *de Appellat.* magna sui parte a Raymundo truncatus, quem supplevit Antonius Contius ordinem judiciorum Ecclesiasticorum moderatur.

Duo notabiles abusus in Judiciis Ecclesiasticis invaluerant; alter ex parte Prælatorum, alter ex parte subditorum.

Censuram Eccles. præcedant tres monitiones Canonicæ.

Prælati ut tuerentur suas sententias in eos, quos *appellaturos in suis causis existimabant, nulla penitus admonitione præmissa, suspensionis, vel excommunicationis* ferebant *sententiam.*

Huic abusui ut occurreret Synodus, statuit hoc Canone, ut Prælati suspensionis vel excommunicationis sententiam non proferant in subditos, *nisi Canonica monitione præmissa*, id est *trina monitione*, quæ uti hic monet Glossa, dicitur *Canonica*. Vide quæ dixi in *Jure Eccles. Tom. IV. part. 3. tit. 11. cap. 6.*

Excipit tamen Synodus; *nisi forte talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis vel excommunicationis pœnam inducat.*

Sine gravamine non appelletur.

Abusus ex parte subditorum erat, quod Superioris sententiam & disciplinam Canonicam reformidante, *sine ullo gravamine appellationem objicerent; & ad defensionem iniquitatis usurparent, quod ad subsidium innocentium dignoscitur institutum.*

Adversus hunc abusum tria decernuntur. Primum; *ne subjecti contra disciplinam Ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant.*

In Canonem Concilii apud Antonium Augustinum in prima Collectione Decretalium, apud Contium, & apud Labbæum, post vocem *Ecclesiasticam* additur, ante *ingressum causæ.*

Terminus dierum ad prosequendam appellationem.

Itaque vult Concilium, ne subjecti contra *disciplinam Ecclesiasticam* appellent; nisi quispiam pro sua *necessitate crediderit appellandum*: quo casu vult Concilio *competens ei ad prosequendam appellationem terminus præfigatur: intra quem, si forte prosequi neglexerit, tunc Episcopus libere sua auctoritate utatur.* De hoc articulo videatur Wamesius ad *c. 4. de Appellationibus.*

Pœna appellationem non prosequentis.

Ulterius statuit, ut in quacumque appellatione, si Appellans venire neglexerit, eo, qui appellatus fuerit, veniente, competentem Appellans Appellato recompensationem faciat expensarum: ut hoc saltem timore territus, in gravamen alterius non facile quis appellet.

A Correctione Regulari non admittitur appellatio saltem quoad effectum suspensivum.

Additur nihilominus huic pœnæ infligendæ hæc cautio: *Si quid proprium habuerit.* Quæ cautio hic apposita apparet, uti reflectit Wamesius ad hanc Decretalem *num.* 9. quod species facti quæ hic tractatur, potissimum versetur circa *Monachos*, qui cum proprium non habeant, in expensas frustra condemnarentur *in pœnam*; sed juxta discretionem Judicis, alia pœna puniri & coerceri poterunt: uti & hic notat Glossographus.

Potissimum ad Religiosos hoc Decretum pertinere manifestum est ex verbis sequentibus; *Præcipue vero hoc in Religiosis volumus observari, ne Religiosi* (sive ut in Canone legitur, *ne Monachi, sive quicumque Religiosi*) *cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati sui & Capituli disciplinam appellare præsumant*: sed humiliter ac devote suscipiant, quod *pro salute fuerit eisdem injunctum.*

Conformiter ad hoc Decretum respondit ipse Alexander III. Abbati S. Petri, quod si Monachi ad *remedium appellationis convolent, dum ipsos Abbas secundum Regulam S. Benedicti, & institutionem sui ordinis corrigere & castigare vult, possit non obstante appellatione eos corrigere*

(a) Id legitur 1. Cor. cap. 12.

(b) Quantum jus vetus Episcopo Diœcesim visitanti favet, tantum jus novum illi adversatur; nam Concilium Trident. *sess. 24. cap. 3. de Reform.* mandat Episcopis, ut pro jure Visitationis solummodo accipiant impensam, quam facere tenentur; & adhuc statuit, ut quam minimam poterunt, faciant; exinde sequitur nihil debere a suo Cathedrali Capitulo exigere cum ejus Ecclesiam visitat; quia ut illa habeatur visitatio, nulli fiunt sumptus. Hoc fundamento nixa Congregatio Cardinalium Interpretum *Concilii* Tridentini declaravit nullum jus procurationis debitum esse ad visitationem Cathedralis Ecclesiæ; & aliarum Ecclesiarum urbis, in qua Episcopus residet, Fagnanus *in cap. Quoniam de Constit. num.* 47.

rigere & castigare. Quia (ait) *remedium Appellationis non ideo inventum est, ut alicui a Religionis & Ordinis observantia exorbitanti, debeat in sua nequitia patrocinium exhiberi*, Cap. 3. ✠ *de Appellat.*

Hinc communi consensu deducunt Canonistæ *a correctione*, præsertim regulari, non admitti appellationem, saltem quoad effectum *suspensivum*. De quo videri possunt quæ dixi in *Jure Eccles. Tom. IV. part. 3. tit. 10. cap. 3.* ubi ostensum est, subinde admitti appellationem, si Prælatus modum correctionis excesserit.

CANON VII.

Contra Simoniacam pravitatem in sacrorum administratione. Cap. Cum in Ecclesiæ 9. ✠ de Simonia: Et cap. Prohibemus 7. ✠ de Censibus.

OBSERVATIO.

Canon duas partes habet.

CANON VII. duas habet partes, quarum prima extat in *cap. Cum in Ecclesiæ 9. ✠ de Simonia*; altera vero in *cap. Prohibemus 7. ✠ de Censibus.*

Exactiones pro sacrorum administratione, simoniacæ.

In priori parte ait Canon: *Cum in Ecclesiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis receptum est, gratis impendi* (hæc a Raymundo omissa supplevit Contius) *horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis vel Abbatibus, seu quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis in Sedem, sive introducendis Presbyteris in Ecclesiam, nec non & pro sepulturis, & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis aliquid requiratur.*

Varians lectio.

Pro *requiratur*, legitur in Concilio *exigatur*: additurque & in Concilio, & in prima Decretalium collectione (sed tam a Raymundo, quam a Contio omissum) *& ille qui indiget, non possit illa percipere, nisi manum implere curaverit largitoris*: quæ clarius Simoniacam pravitatem exprimunt.

Pallium consuetudinis.

Prætextum seu pallium, quo sordidas & sacrilegas hasce exactiones tegere & justificare volebant, & hodie plurimi tegunt, subjungit Canon: *Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur: non attendentes (quia cupiditate cæcati sunt*, ut legitur in Concilio, & prima Decretalium collectione) *quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam.*

Monet hic Panormitanus, quod „ prava consuetudo „ possit appellari *Lex mortis*. Appellatur enim Lex, „ quia ab impiis ut Lex & Privilegium observatur, „ appellatur *Lex mortis*, quia infert mortem æternam „. Notat vero Antonius Augustinus ad primam Decretalium collectionem, in uno Codice Tarraconensi pro *mortis*, legi *moris*: subjungitque „ mihi neutrum pla„ cet; suspicor significari *præscriptionem*, quam a Bar„ baris quibusdam appellari audio *mortizationem* „.

Quidquid sit, evidens est, Concilium existimasse consuetudinem nullatenus posse similes exactiones justificare, ideoque ne hæc de cætero fiant, neque pro prædictis aliquid exigatur sub obtentu consuetudinis, una declarat: *Si quis contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum (cujus factum turpis muneris exactione imitatur)* uti legitur in Concilio, & antiqua Decretalium collectione.

Non dubium, quin multa scandala in Ecclesia vitarentur, & frequentes populi querelæ cessarent, si hoc Decretum ubique observaretur; Prælatique solliciti essent, ut sordidæ illæ exactiones in sacrorum administratione eliminarentur.

At verendum est, ne Prælatis ad hoc laborantibus, subditi se tueantur eodem clypeo, quo Decanus & Cantor Ecclesiæ Carnutensis se adversus S. Ivonem Episcopum suum in similes exactiones insurgentem, muniebat: „ Romanæ Ecclesiæ consuetudine se defendunt (ait Ivo * *Epist.* 133. ad Ricardum Episcopum Albanensem Legatum Pontificium) „ in qua dicunt „ Cubicularios & Ministros sacri Palatii multa exige„ re a consecratis Episcopis vel Abbatibus, quæ ob„ lationis vel benedictionis nomine palliantur, cum nec „ calamus nec charta gratis ibi (ut ajunt) habeatur: „ & hoc quasi lapide conterunt frontem meam, cum „ non habeam quod respondeam, nisi Evangelicum „ illud. Quod dicunt *servate & facite* sed si faciunt, „ *secundo operam nolite facere* „. Mat. *cap.* 23. *vers.* 3.

* Edit. Paris. 1647.

Quare servanda sit moderatio, & cautio adhibenda circa oblationes, quas in administratione sacrorum facere solent, & quomodo hæ tolerentur, ostendi in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 1. cap. 4.*

Prælati Ecclesiis non imponant Census ad propriam suam utilitatem.

Altera parte Canonis relata in *cap. Probibemus 7. de Censibus*, statuitur, *ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis Prælatis* (Raymundus per errorem Abbates præposuit Episcopis, qui in Concilio postponuntur) *novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem redituum suis usibus appropriare præsumant.*

Hæc finalia verba satis insinuant, hic agi de censu imponendo ab Episcopis vel Prælatis in *utilitatem suam*, uti recte hic notavit Panormitanus: „ non e„ nim debet (inquit) auctorizare in facto proprio, „ sed ad utilitatem *alterius* Ecclesiæ, subsistente justa „ causa, hoc poterit „.

Addit autem textus: *Si quis vero aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur.*

CANON VIII.

Contra Expectativas ad Beneficia. Cap. Nulla 2. ✠ de Concess. Præb. & Eccl. non vacantis.

OBSERVATIO.

Ratio Canonis.

CANON VIII. relatus in *cap. nulla 2. ✠ de Concess. Præbendæ & Ecclesiæ non vacantis*, vetat, *ne Ecclesiastica Ministeria, sed etiam Beneficia, vel Ecclesiæ alicui tribuantur, seu promittantur, antequam vacent*. Rationem subjicit: *ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium se crediderit successurum. Cum enim* (ait) *in ipsis etiam legibus Gentilium inveniatur inhibitum, turpe est & divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia Dei futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt.*

Quod hic de Legibus Gentilium dicitur, intelligi debet de Legibus Romanis, improbantibus pacta de hæreditate & successione viventis.

Expectativas Canon proscripsit, sed non eliminavit.

Non dubium quin hoc Decreto proscriptæ sint *Expectativæ* ad Beneficia; sed inefficax fuisse remedium eventus docuit. Expectativas enim has sæculis sequentibus frequentissimas fuisse in Curia Romana nemo ignorat; easque in Concilio Basileensi, ac novissime in Concilio Tridentino proscribi necesse fuit; uti latius exposui in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 3. tit. 6. cap. 1. & 2.* ubi & earum originem descripsi.

Beneficia conferantur intra sex menses.

Porro sicuti non vacantia Beneficia conferri vetitum fuit hoc Canone, sic vacantia diu manere in suspenso noluit: sed intra sex menses voluit conferri.

Si vero ultra hoc tempus collatur ea conferre neglexerit, ad alios ibidem designatos, Jus conferendi devolvi declaravit, uti latius exposui in *Jure Eccl. Tom. III. parte 2. sect. 3. tit. 4. cap. 5.* alias *tit.* 21. ubi & ex Rebuffo. & Choppino notavi id, quod hic de devolutione ab Episcopo negligente ad *Capitulum* dicitur, hodie non esse in usu: ac una observavi, multas explanationes & limitationes hujus Decreti per recentiores Decretales esse secutas.

Cum per hanc Decretalem detur Ordinariis semestre, intra quod Beneficia conferre queant; notant Doctores hoc titulo Jus præventionis Pontificiæ esse admodum odiosum; utpote hoc temporis spatium Ordinariis integrum non relinquens. Uti notavi *in Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 3. tit. 6. cap. 1. & seqq.* de Mandatis & Reservationibus Apostolicis.

CANON IX.

Cuntra excessus Fratrum Templi & Hospitalis. Cap. *Cum & plantare 3. ✠ de Privilegiis.*

OBSERVATIO.

Abusus privilegiorum.

CANON IX. relatus in *cap. cum & plantare 3. ✠ de Privilegiis*, sed notabili parte a Raymundo omissa, a Contio suppleta, agit potissimum de excessibus Fratrum *Templi & Hospitalis*, & aliorum Religiosorum, qui *indulta sibi ab Apostolica Sede Privilegia excedentes, contra Episcopalem auctoritatem multa* præsumebant, *quæ & scandalum* faciebant (Concilium addit, *in populo Dei*) *& grave* pariebant *periculum animarum.*

Initia Templariorum.

Pro hujus Canonis seu Decretalis intellectu scire juvat, *Fratres Templi*, qui & *Templarii* dicti fuere, ortum suum habuisse sub initium sæculi *XII.* adeoque septuaginta annis circiter ante Concilium hoc Lateranense.

Initium Ordini dederunt anno 1118. viri nobiles Hugo de Paganis, & Sanfridus de Sancto Audomaro cum septem sociis. „ Hi in manibus Patriarchæ Hierosolymitani Christi servitio se mancipantes more Canonico„ rum Regularium in castitate & obedientia, propriæ„ que voluntati renuntiantes, perpetuo vivere sunt „ professi “: ait Matthæus Parisiensis ad annum 1118. quin & sine *proprio militaturi summo Regi*, uti scribit Cardinalis de Vitriaco in Historia Orientali, *Cap.* 65.

Addit insuper Matthæus Parisiensis, quod cum non haberent domicilium „ Rex Balduinus in Palatio suo, „ quod secus *Templum* Domini in Australem habebat „ plagam, eis habitaculum concessit. Canonici vero „ *Templi* Domini plateam, quam circa prædictum ha„ bebant Palatium, ad officinas construendas concesse„ runt. Et quoniam juxta Templum Domini mansio„ nem habuerunt, Fratres *militiæ Templi* postea, ut „ dicitur, sunt appellati: „ ait Jacobus de Vitriaco citato *cap.* 65.

„ Patriarcha quoque & Rex cum suis Proceribus, & „ aliis Ecclesiarum Prælatis, de propriis dominiis suis „ pro victu & vestitu certa eis Beneficia contulerunt: „ ait citatus Matthæus Parisiensis ibidem.

Per novem circiter annos manserunt hi Fratres (qui

Eorum profeſſio erat tutari peregrinos.

(qui prius novem fuerunt tantummodo) in habitu vulgari, & ſine certa Regula, in hoc præcipue intenti: „ ut in remiſſionem peccatorum ſuorum, vias & „ itinera ad ſalutem peregrinorum, contra latronum „ inſidias pro viribus conſervarent, „ Eratque hæc *prima eorum profeſſio*, ait idem Scriptor.

Scribitque de Vitriaco Cardinalis allegato *c.* 65. quod „ in manus Patriarchæ Hieroſolymitani profeſſione & „ voto ſolemni ſeſe obſtrinxerint, ut a latronibus & „ viris ſanguinum defenderent peregrinos „.

Poſt annos novem ab eorum prima inſtitutione, id eſt, anno 1128. habitum eſt Concilium Trecenſe in Francia tempore Honorii II. „ cui interfuerunt Dominus Rhemenſis, & Dominus Senonenſis cum Suffraganeis ſuis, Albanenſis quoque Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, Abbates quoque Ciſtercienſis, „ & Claravallenſis (qui erat S. Bernardus) cum aliis. „ Uti ſcribit Guillelmus Tyrius de Bello ſacro, *lib.* 12. *cap.* 7.

In hoc Concilio „ inſtituta eſt iis Regula & habitus „ aſſignatus ſcilicet *albus*, de Mandato Honorii Papæ, & Domini Stephani Hieroſolymitani Patriarchæ: „ ut ibidem ſcribit Tyrius; poſtmodum vero tempore Eugenii Papæ (ſcilicet III.) *cruces* de *panno rubeo* ſuis aſſuerunt mantellis, ut a cæteris hoc ſigno poſſent diſcerni: uti poſt Tyrium ſcribit Matthæus Pariſienſis, cui concinit de Vitriaco Cardinalis dicto *cap*, 65,

Numero ac divitiis aucti.

Cum autem eo tempore plurimi ex omnibus mundi partibus, partim negotiandi, partim devotionis cauſa ad *Terram ſanctam*, ſive Hieroſolymam pergerent, hi Fratres magna peregrinis contra latrones & viarum pericula erant ſubſidio.

Sed quia ad id perficiendum hi Fratres non ſufficiebant, ſed plures eſſent neceſſarii, mox, cœpit eorum numerus multiplicari, & poſſeſſiones eorum ex peregrinorum & Chriſtianorum in eos munificentia admodum augeri, adeo ut teſte Guillelmo Tyrio loco ſupra citato, jam tempore Tyrii (qui huic Concilio Lateranenſi interfuit) „ *trecentos* plus minuſve in Conventu haberent *Equites*, albis clamydibus indutos, „ exceptis aliis Fratribus, quorum pene infinitus eſſet „ numerus.

Poſt hæc de auctis eorum divitiis addit idem auctor. „ Poſſeſſiones autem tam ultra quam citra mare „ adeo dicuntur habere, ut jam non ſit in orbe Provincia, quæ prædictis Fratribus non contulerit bonorum ſuorum portionem, & *Regiis opulentiis* pares „ hodie dicantur habere copias „.

Ad exceſſus dilapſi contra auctoritatem Epiſcoporum.

Porro, ſicuti in omni Religione experientia docuit, inter divitias ſpiritu Religionis flacceſſere, immo penitus tandem extingui; ita & in hac compertum eſt,

De hac enim, eodem quo habuit ortum ſæculo, Religione ita ſcribit præcitatus Tyrius: neglecta humilitate, quæ omnium virtutum cuſtos eſſe dignoſcitur, & in immo ſponte ſedens non habet unde caſum patiatur, Domino Patriarchæ Hieroſolymitano, a quo & Ordinis inſtitutionem, & prima Beneficia ſuſceperant, ſe *ſubtraxerunt*, obedientiam ei, „ quam eorum Prædeceſſores eidem exhibuerant, denegantes: ſed & Eccleſiis Dei, eis *decimas* & *primitias ſubtrahentes*, & earum indebite turbando poſſeſſiones, facti ſunt valde moleſti „.

Exceſſus Hoſpitalariorum adverſus auctoritatem Epiſcopalem.

Quod Fratribus *Templi* ſive Templariis, idem ferme Fratribus Hoſpitalariis, (ab Hoſpitali *Sancti Joannis* Hieroſolymitani ita dictis) accidit; uti paſſim tradunt auctores de hoc Ordine ſcribentes, cujus initia & progreſſum breviter deſcripſi in *Jure Eccleſ. Tom. III. parte* 2. *ſect.* 4. *tit.* 6. *cap.* 3.

De horum igitur, & ſimilium Religioſorum exceſſibus conqueſti fuere, tempore hujus Concilii plures Epiſcopi.

Exceſſus, de quibus querebantur Epiſcopi, ſingillatim exprimuntur in verbis Canonis a Raymundo reciſis, & per Contium ſuppletis.

Eccleſias recipiebant de manu Laicorum.

Primus exceſſus erat, quod *Eccleſias reciperent de manu Laicorum*. Contra hunc abuſum ſtatuit Concilium: *Eccleſias & decimas de manu Laicorum ſine conſenſu Epiſcoporum tam illos, quam etiam quoſcumque alios Religioſos recipere probibet, dimiſſis etiam, quas contra tenorem iſtum aliquo* (ſeu ut habet Concilium *moderno*) *tempore receperunt*.

Hoc Decretum rurſus renovatum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. *Can.* 16. de quo, aliiſque ſimilibus Canonibus idem ſtatuentibus videri poteſt *Jus Eccleſ. Tom. III. parte* 2. *ſect.* 4. *tit*, 2, *cap.* 6, alias *tit.* 32.

Excommunicatos admittebant ad Sacramenta.

Secundo querebantur Prælati, quod Templarii, aliique Religioſi, *excommunicatos & interdictos ad Eccleſiaſtica recipiant Sacramenta, & ad ſepulturam admittant*,

Huic abuſui occurrens Concilium, *excommunicatos quoque, & nominatim interdictos, tam ab illis, quam ab aliis omnibus, juxta Epiſcoporum ſententiam* ſtatuit *evitandos*.

Excommunicatus in una Eccleſia, talis habeatur in aliis.

Ad hunc textum notat Panormitanus: „ quod excommunicatus vel interdictus in una Eccleſia, eſt „ excommunicatus vel interdictus in qualibet alia Eccleſia, & tamquam excommunicatus vitari debet „ etiam ab *exemptis*. Quod & Synodus Tridentina „ confirmavit *Seſſ.* 25. *cap.* 12. *de Regularib.*

Quid hodie requiratur juxta Extravagantem *Ad evitanda*, ut excommunicatus debeat evitari, latius expoſui in *Jure Eccleſ. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 11, *cap.* 5. alias 4.

Qua ratione certæ Eccleſiæ poſſint ſpectare ad Religioſos.

Tertium punctum querelarum erat, quod *in Eccleſiis ſuis, præter eorum conſcientiam, & inſtituant & amoveant Sacerdotes*.

Contra hunc abuſum decernit Canon: *In Eccleſiis vero ſuis, quæ ad eos pleno jure pertinent, inſtituendos Presbyteros Epiſcopis repræſentent; ut eis de plebis cura reſpondeant: ipſis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Inſtitutos etiam inconſultis Epiſcopis non audeant removere*.

Circa hunc textum obſervat Molinæus, eum locum habere „ quando Eccleſiæ in temporalibus ad eos ſpectant, quia *temporalia* ſpectant ad Jus & proprietatem eorum; alias non poſſent exigere rationem: ſed „ ſi ſpectarent etiam in *ſpiritualibus*, poſſent dare inſtitutionem tituli *collativam*, non tamen *auctorizabilem*, niſi haberent *populum exemptum*, & in eo „ juriſdictionem *Epiſcopalem* „.

Panormitanus hic congruit Molinæo, & varios aſſignat modos, quibus Eccleſiæ ad Religioſos ſpectant; & pro varia ſubjectione diverſum in eas jus ſortiuntur.

Si enim Religioſi „ tantum habeant Jus Patronatus, „ ſive ſint exempti, ſive non exempti, non habent „ Juriſdictionem in Presbyteros inſtitutos; ſed ſolum „ habent præſentare Epiſcopo Presbyteros inſtituendos; & poſſunt eligere rationem *generalem* de adminiſtratione temporalium, & ſi reperiatur aliquid „ correctione dignum, debent referre ad Epiſcopum „.

„ Quando autem habent Eccleſias ſubjectas, ut poſſint reditus deputare in *proprios uſus*, tunc etiam „ non habent Juriſdictionem in Presbyteros, nec „ etiam poſſunt ibi aliquem inſtituere ſine conſenſu Epiſcopi; quia populus ſolum eſt ſubjectus ipſi „ Epiſcopo „.

„ Si vero habent ibi collationem, tunc nihil ultra „ poſſunt ibi uſurpare „.

Denique „ quando habent *pleno jure*; dic (ait Panormitanus) quod aut *populus* eſt ſibi ſubjectus *pleno jure*, & habent ibi inſtitutionem liberam & „ deſtitutionem: ſi vero Eccleſia eſt *pleno jure* ſubjecta, ſed non *populus*; tunc Religioſi habent ibi „ inſtitutionem *collatoriam tituli*; ſed inſtitutio *auctorizabilis* quoad curam populi ſpectat ad Epiſcopum „.

Itaque ut Eccleſia ſpectet ad Religioſos *pleno jure*; vi cujus juris poſſint dare inſtitutionem etiam *auctorizabilem* ſive *curam populi*, vel ut hodie loquimur, *curam animarum*, requiritur ut & ipſe *populus* ſit ipſis Religioſis *pleno jure* ſubjectus, & ab Epiſcopi Juriſdictione & cura exemptus: quo caſu Eccleſia dicetur *nullius Diœceſis*. Ad hoc autem neceſſaria eſt translatio *omnimodæ* Juriſdictionis *quaſi Epiſcopalis* in Religioſos, quoad Clericum ſæcularem, & univerſum populum, excluſo Epiſcopo. Dum enim omnimoda Juriſdictio in Monaſterium ſive in ejus Abbatem transfertur, atque hic Abbas efficitur *Ordinarius* cum *territorio* ſeparato a quacumque Diœceſi, uti notat Fagnanus, ad *cap. Significaſti* ✠ *de officio Archid. n.* 17.

In hoc Belgio neſcio an ulla Eccleſia ſit eo modo exempta, ut dici queat *nullius Diœceſis* (*a*).

Templarii, & Hoſpitalari opitulabantur Eccleſiis, interdicto ſubjectis.

Præterea Templarii, & Hoſpitalarii, aliique Religioſi, prætextu privilegii, accedebant ſæpius in anno ad Eccleſias interdicto ſubjectas, & mortuos ibidem ſepelire præſumebant. Cui abuſui occurrens præſens Decretalis, ſtatuit, ut *non niſi, ſemel in anno ad Eccleſiaſticum officium admittantur nec tunc ibi ſepeliantur corpora defunctorum*,

Confraternitates a ſe inſtitutas volebant ſuorum Privilegiorum participes eſſe.

Denique querela erat Prælatorum de *Fraternitatibus* ſive *Confraternitatibus*, *quas in pluribus locis* faciebant dicti Religioſi, quarum vigore prætendebant omnes his Confraternitatibus adſcriptos Ordinum ſuorum privilegiis eſſe participes; atque ita *robur & auctoritatem Epiſcopalem* (vel ut habet Concilium, *robur auctoritatis Epiſcopalis*) enervabant.

Contra hunc abuſum conſtituit: *Si adſcripti Confraternitatibus non ſe prædictis Fratribus omnino reddiderint, ſed in proprietatibus ſuis omnino duxerint remanendum, propter hoc ab Epiſcoporum ſuorum ſententia nullatenus examinatur, ſed poteſtatem ſuam in eos, ſicut alios Parochianos ſuos exerceant, cum pro ſuis fuerint exceſſibus corrigendi*.

Ex hoc textu communiter tradunt Canoniſtæ poſt Panormitanum, quod „ *Oblati* aliquibus *Religionibus* „ non gaudeant privilegiis illarum Religionum, niſi in

„ toto

(*a*) In corpore Juris Canonici ne verbum quidem habetur de Exemptis *nullius Diœceſeos*, de iis tamen mentio fit in concilio Tridentino *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *de Reforma*, & *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. ſed ut iſtæ exemptiones reformentur,

„ *toto* sint translati , ut quia tradiderunt *se & sua* : „ alias remanent sub Jurisdictione Ordinarii „.

De his Oblatis agitur quoque in *cap.* 24. ℣ *de Priv.* desumpto *ex Can.* 57. Concilii Lateranensis sub Innocentio III. de quo infra.

Observatio circa mala, quæ per abusum Privilegiorum sunt exorta.

Ex his intelligimus, quanta scandala & contentiones per hæc Privilegia contra Sacros Canones, & Jus commune per Romanos Pontifices seculo IX. & X. concedi cœpta , in Ecclesia sint exorta , & usque modo perseverent : ut non immerito eorum totalis revocatio sæpius expetita fuerit . Consulatur *Repagulum Canonicum adversus nimiam a Jurisdictione Episcoporum extensionem* (*a*).

CANON X,

Pro Regularium reformatione. Cap. *Monachi* 2. ℣ de Statu Monachorum.

OBSERVATIO.

Monachus non recipiatur pretio in Monasterium.

CANON X. relatus in *cap.* Monachi 2. ℣ *de statu Monachorum*, plura statuit pro Regularium reformatione.

Primo , *Monachi non pretio recipiantur in Monasterio . . . . . si quis autem exactus pro sua redemptione* (Canon *receptione*) *aliquid dederit , ad sacros Ordines non ascendat. Is vero, qui eum receperit, officii suspensione mulctetur*.

Decretum hoc, quam sit necessarium , ut Religiones in sua integritate conserventur , nec ineptis , & ad Religionem nequaquam vocatis Monasteria repleantur, late ostendi in Dissertatione *de Simonia circa ingressum Religionis*, *Tomo V*. & in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 2, *tit.* 26. *cap.* 2.

Non habeat peculium.

Secundo statuitur hoc Canone: *Monachi nec peculium permittantur habere . . . . . Qui vero peculium habuerit nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum , a communione removeatur altaris , & qui in extremis cum peculio inventus fuerit , & digne non pœnituerit ; nec oblatio pro eo fiat , nec inter Fratres percipiat sepulturam. Quod etiam de universis Religiosis præcipimus observari . Abbas autem , qui ista diligenter non caverit , officii sui jacturam se noverit incursurum*.

Notandum, hanc moderationem , *& digne non pœnituerit*, non haberi in ipso Canone Concilii , ac proinde verisimiliter additum per Raymundum.

Hoc articulo absolute inhibetur Monachis *peculium* sive *proprium* , prout id distinguitur a *communi* , seu ab eo , quod in usus communes Monasterii est impendendum , ut scilicet illud tamquam omnibus *commune distribuatur , prout cuique opus est*.

Neque Abbatis , alteriusve Superioris licentiam hujusmodi *peculium* licitum reddere, ipse textus sat indicat , dum Abbatem , qui ista *diligenter* non *caverit* , officii sui jactura punit.

Nec contrarium innuunt hæc verba: *Nisi ob Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum*. Nam Concilium non dicit, quod ab Abbate possit Monacho concedi administratio *peculii* , seu concedi *peculium* administrandum in suos *proprios* usus , sive tamquam sibi *magis* , quam toti communitati *proprium* ; sed tantum quod ei ab Abbate permitti possit pro *injuncta administratione*, sive pro injuncto officio , ratione cujus sit Officialis Monasterii : „ puta (ait hic Hostiensis) quia est Vestiarius , vel Eleemosynarius , „ vel Cellarius , vel alius quicumque certum habens „ officium, ratione cujus habet recipere, & expendere „ in *usus Monasterii* , vel *Monachorum* , sive sint pe- „ cuniæ , vel quævis alia „.

Pluribus hanc Canonis sententiam adstruit Fagnanus in commentario hujus textus , concluditque *num.* 59. administratione bonorum stabilium , seu *peculium* ex nulla causa, & nullo casu Regularibus esse permissum, *Officialibus* duntaxat exceptis , qui illa administrant & dispensant in *utilitatem Monasterii* , & omnium Religiosorum. Adde quæ hac de re latius dixi in Dissertatione *de Peculiaritate in Religione &c. Tom. V.* item in *Jure Eccl. Tom. I. part.* 1. *tit.* 29. *cap.* 7.

Non habitet seorsum a Fratribus.

Tertio pro reformatione Regularium statuitur : *Nec singuli per villas & oppida, per quascumque Parochiales ponantur Ecclesias, sed in majori Conventu , aut cum aliquibus Fratribus maneant : nec soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectent*, Salomone dicente : Væ soli , quia cum ceciderit , non est qui sublevet eum . *Eccles. cap.* 4. *vers.* 10.

Hujus Decreti meminit Innocentius III. in *Cap.* quod timore 5. ℣ *de statu Monachorum* ; ibidem innuens , quod *Canonici Regulares* promoti ad Ecclesias Parochiales non teneantur habere socium Canonicum Regularem , nisi id commode fieri possit . Quia nimirum *istud de Canonicis Regularibus* in hoc Canone *specialiter non cavetur , qui etsi a sanctorum Monachorum consortio non putentur sejuncti , Regulæ tamen inserviunt laxiori* , uti loquitur Innocentius .

Porro Glossa in *Clem.* 1. §. *ad hæc*, verbo *ad claustrum*, *de statu Monachor.* notat : „ Jura quæ tractant „ de Monachis, ne *soli* maneant in *Cappellis*, de *Claustralibus* intelligi . Si ergo Monachus est *perpetuo* in- „ stitutus ad curam populi , & sic nihil habet cum Mo- „ nasterio , socium non tenet „. Et subdit : „ Ita ser- „ vari de facto . Sed Obedientiarius , qui Claustralis „ est , & solo nutu Abbatis revocatur ad Claustrum , „ non esse *solus* , ut cum socio aliqualem stabilitatem „ Claustri servet.

Quamquam hanc Glossæ distinctionem multi probent , hodieque in *praxi* invaluisse videatur , non apparet tamen conformis textui hujus Decreti , quod loquitur indistincte de Monachis ad *quascumque Parochiales* Ecclesias positis . Ratione quoque generali subjecta , *nec soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectent* ; quæ ratio omnibus Religiosis communis apparet .

Immo cum hæc ratio etiam potenter militet in Canonicis Regularibus, nescio utrum sat conformis sit exceptio , quam de his fecit Innocentius III. sententiæ hujus Canonis .

Quarto decernitur in hoc Canone : *Prioratus quoque seu Obedientiæ pretii donatione nulli tradantur , alioquin dantes & recipientes a ministerio fiant Ecclesiastico alieni* . — Prioratus non dentur pretio.

De hisce Prioratibus seu Obedientiis vide dicta in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 31. *c.* 2.

Priores non mutentur, nisi ex causa gravissima.

Quinto decernitur , quod *Priores , cum in Conventualibus per electionem Capitulorum suorum canonice fuerint instituti , nisi pro manifesta & rationabili causa non mutentur , videlicet si fuerint dilapidatores , si incontinenter vixerint , aut tale aliquid egerint , pro quo amovendi merito videantur aut si etiam pro necessitate majoris officii de consilio Fratrum fuerint transferendi* .

Notat hic Hostiensis, quod hæc verba , *per electionem Capitul. suorum canonice* , non essent in *veteri* compilatione , sint autem adjecta *in hac nova* , scilicet compilatione Gregorii IX. quæ tempore Hostiensis *nova* merito dicebatur : quia scripsit commentarium in hanc Decretalium compilationem rogatu Alexandri IV. adeoque viginti circiter annis duntaxat a morte Gregorii IX. cujus nomine & auspiciis facta est. — Varians lectio.

Et revera desunt citata verba in antiqua Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum : observatque ipse Antonius Augustinus , ea non nisi apud Raymundum haberi. Desunt quippe etiam hæc verba in Canone , prout extat in Collectione Conciliorum generalium.

Dubium proinde non apparet , quin addita sint per Raymundum in Collectione Decretalium Gregorii IX. atque hinc translata sint ad marginem hujus Decreti Concilii Lateranensis in Concilliorum Collectione.

Hinc habemus, Raymundum non tantum Decretales Pontificum truncasse vel immutasse, sed & ea, quæ adscribuntur Romanis Pontificibus ut in Concilio edita : adeoque certi esse non possumus, an Decreta Conciliis adscripta in hac Decretalium compilatione, revera sint illorum Conciliorum , hoc est, utrum sint edita a Pontifice in Concilio , uti præfert inscriptio , nisi ad fontes recurratur. — Animadversio in Raymundi Collectionem.

Observat autem Hostiensis, allegata verba addita esse, primo „ ut scias (inquit) quod ex quo Ecclesia ha- „ buit *Capitulum* sive Conventum, in tali de Jure com- „ muni debet creari Prior per electionem. Secundo „ „ ut scias, illos Priores *perpetuos* esse, qui per electio- „ nem Canonicam assumuntur , nec esse renovandos si- „ ne causa , & Juris ordine servato . Alii autem Prio- „ res minores pro voluntate Abbatis possunt hodie mitti „ ad Prioratus, & in crastinum revocari „. — Priores Canonice instituti perpetui.

Notat quoque hic Panormitanus, quod Prælati „ Re- „ gulares communiter sint *perpetui* , ex quo eliguntur „ per lectionem suorum Capitulorum „.

Hæc & hodiernæ disciplinæ conformia sunt : dicunturque Priores per electionem constituti *Conventuales* ; per Abbatem vero constituti *Claustrales*. De quibus , eorumque differentia plura dixi in *Jure Eccles.* loco citato (*a*).

Notandum autem hic monet Panormitanus , quod Prælatus deponi queat : „ Si sit dilapidator bonorum. „ Secundo , si incontinenter vivit. Et pondera (ait) „ quod *sola incontinentia* absque alia qualitate delicti „ est sufficiens ad depositionem Prælati Regularis „. Hoc & Glossographus hic notat ad verba Canonis *si incontinenter vixerit*.

CA

(a) Citatum *Repagulum Canonicum* &c. jam supra excusum extat *Tom. VI.* hujusce editionis ; quo fusius, quæ hic notantur, sunt exposita.

(a) Videri poterunt, quæ de hisce Prioribus *Conventualibus* , & *Claustralibus* , eorumque differentia , prolixius uberiusque doctissimus D. Van-Espen pertractavit in *Jure Ecclesiast. Tom. I. part.* 1. *tit.* 31. *cap.* 2. hujus editionis.

CANON XI.

Adversus Clericos incontinentes. cap. *Clericis* 4. ꝟ de excessibus Prælat. *&* cap. *Monasteria* 8. ꝟ de vita & honestate Clericorum,

OBSERVATIO.

Cohabitatio Clericorum cum mulierculis.

CANON XI. tria membra habet, quorum duo in Decretales Gregorii IX. ex prima Decretalium Collectione, non ex ipso Concilio, a Raymundo relata sunt, uti ex dicendis patebit,

Primo membro decernitur, ut *Clerici in sacris Ordinibus constituti, qui mulierculas suas in domibus suis incontinentiæ nota tenuerint, aut abjiciant eas, & continenter vivant, aut ab* Officio & Beneficio Ecclesiastico *fiant* alieni.

Integram hanc partem omisit Raymundus, solumque indicavit per clausulam *& infra* in *cap. Clerici* 4. ꝟ *de excessibus Prælatorum*. Neque Contius eam supplevit ex prima Decretalium Collectione, ubi extant in *cap.* 12. *de cohabitat. Clericorum & mulier.* Ad quod in margine remittitur tamquam ad Canonem hujus Concilii,

Omnibus sæculis Clericorum cum mulieribus, præsertim de incontinentia suspectis, cohabitatio severissime prohibita fuit, ob periculum incontinentiæ, uti latius, ostendi in *Jure Eccles. Tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 3. item in Scholiis ad *Canonem III.* Nicænum, *Tom. IV.*

Contra Sodomiam.

Secundo Canonis membro, quod extat in dicto *c.* 4. ꝟ *de excessis Prælat.* decernitur: „ *Quicumque illa incontinentia, quæ contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque civitates igne consumpsit, deprehensi fuerint laborare; si Clerici fuerint, dejiciantur a Clero, vel ad agendum pœnitentiam in* Monasteriis *detrudantur; si laici, excommunicationi subdantur, & a cœtu fidelium fiant penitus alieni* „.

Hic agi de enormissimo & detestabili crimine Sodomitico sat indicat mentio de eversione quinque civitatum Sodomæ, Gomorrhæ, & vicinarum, quas ob frequentatum hoc crimen igne consumptas fuisse scitur; nec non allusio ad locum S. Pauli in Epistola ad Ephesios *cap.* 5. ubi hujus criminis auctores *filii diffidentiæ* dicuntur, id est, desperati & filii perditionis, juxta Hæbraicam phrasim, uti notavit Cujacius in *c.* 13. ꝟ *de vita & honestate Clericorum*.

Hoc crimen, ut scelus atrocissimum, & monstrum naturæ semper reputatum fuit, etiam apud Gentiles, & severissime tam legibus, quam Canonibus punitum fuit, teste Tertulliano *lib. de Pudicitia*, dicente: „ Reliquas autem libidines, furias impias in corpora, & in sexus ultra naturam, non modo limine, verum omni Ecclesiæ *tecto* submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra „. Vide *Scholion ad Canonem XVI. Ancyranum, Tom. VI.*

Pœna detrusionis in *Monasteria* ad agendam pœnitentiam, quæ hic Clericis in crimen prolapsis, infligenda *proponitur*, olim frequentissima fuisse legitur. Hujus sæpius Sanctus Gregorius meminit in suis Epistolis, & in antiquis etiam Canonibus mentio occurrit.

Detrusio in Monasterium.

In Synodo Agathensi *Can.* 50. apud Gratianum *dist.* 50. *Can.* 7. legitur: „ Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut falsum testimonium dixerit, ab Officii honore depositus in *Monasterium detrudatur*. Et ibi quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat „.

Videri possunt Synodi, Epaonensis, *Can.* 22. Aurelianensis III. *Can.* 7. Matiscon. II. *Can.* 16. Toletana IV. *Can.* 44. Toletana VIII. *Can.* 3. Cabilonensis II. *Can.* 4. Aquisgranensis anni 816. lib. *de institutione Canonicorum cap.* 134. & e recentioribus præter hanc præsentem Decretalem, *cap.* 35. ꝟ *de sent. excomm.* & *cap.* 19. ꝟ *de convers. conjugati*, quibus & addi potest Novella Justiniani 131. *c.* 10.

Porro hæc detrusio in Monasteria, vel erat perpetua, id est, pro toto vitæ tempore, vel duntaxat ad certum determinatum tempus contractius vel prolixius pro gravitate criminis commissi. Ita in Concilio Narbonensi anno 589. statuitur *can.* 5. „ Nec unusquisque de inferiori gradu seniorem sibi elatus increpet, aut injuriet. Quod si quis, prætermisso tam justæ censuræ ordine, ausus fuerit facere, districtione sævissima corrigatur, ut sub pœnitentiæ nomine vitia recedant: id est, *anno uno in Monasterio* sciat abjicere superbiam, unde inflatur, quod est diabolus, & addiscat humiliationem Christi, qui per ipsam mortem gustare dignatus est „. Ade Sanctum Gregorium *lib.* 2. *indict.* 7. *epist.* 62.

Cum autem in Monasterium detruderentur pœnitentiæ subeundæ causa, etiam ut pœnitentes tractari debebant, prout, habita ratione criminis & personarum, Episcopus judicabat.

Hinc in citato Concilio Narbonensi *Can.* 6. præcipitur Abbati Monasterii, ut sic cum eo, qui ad Monasterium ob crimen commissum fuerit deputatus agat; „ sicut ab Episcopo manifesta correctione fuerit ordinatum. Aliter si Abbas facere elegerit, pro correctione tempus aliquod suspendatur; quia ob hanc causam dirigitur, ut emendetur, non passim ferculis diversis saturetur „.

Plura de his vide apud Emmanuelem Gonzales ad *cap.* 1. ꝟ *de Regularibus*, & ibi citatos.

Clerici non frequentent Monasteria Sanctimonialium.

Tertio Canonis membro decernitur: *Monasteria Sanctimonialium si quisquam Clericus sine manifesta & rationabili* (seu *necessaria*) *causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur; & si non destiterit, ab Officio* (in Concilio, *Beneficio*) *Ecclesiastico reddatur immunis*.

Error Raymundi.

Retulit hanc Canonis partem Raymundus in *cap.* Monasteria 8. ꝟ *de vita & honest. Clericorum*: addita hac periodo: *Si Laici, excommunicationi subdantur, & a cœtu fidelium fiant penitus alieni*: quæ periodus in Canone Concilii huic membro non additur: neque in hac prohibitione ulla fit *Laicorum* mentio, Occurrit autem hic textus cum hac periodo, ex præcedenti membro desumpta, in prima Decretalium Collectione apud Antonium Augustinum, cujus fidem secutus fuit Raymundus.

Itaque Concilium Lateranense in hoc articulo *solum* meminit *Clericorum*; non quod Laicis permissum sit Monasteria Monialium frequentare, sed quia majus erat periculum, & magis obvius prætextus Clericis, nimirum prætextus visitationis, prædicationis, alteriusve ministerii ecclesiastici.

Unde & frequenter hæc prohibitio in personas Clericorum & Monachorum, etiam in antiquis Canonibus occurrit.

Notandus hic Canon Africanus.

Notandus est Canon Africanus relatus apud Gratianum *dist.* 81. *can.* 32. „ Clerici vel continentes ad viduas vel Virgines, nisi ex jussu vel permissu Episcoporum aut Presbyterorum non accedant. Et hoc soli non faciant, sed cum Conclericis, vel cum quibus Episcopus aut Presbyter jusserit. Nec ipsi Episcopi & Presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi fœminas; sed ubi aut Clerici præsentes sunt, aut graves aliqui Christiani „.

Item Turonensis.

Plus similes Canones refert Antonius Augustinus in Epitome Canonum *lib.* 9. *tit.* 19. *&* 21. atque inter alios, Canonem Concilii Turonensis, quo præcipitur, ut „ quando Sacerdotibus in Monasteriis puellaribus Missarum celebrationes faciendæ sunt, cum ministris sibi deputatis illuc ingrediantur: quibus rite peractis (ait) non ad secretas collocutiones Sanctimonialium se ullo modo divertant, sed cum ministris suis illico egrediantur „.

His addi possunt, quæ de vetito ad Monasteria Monialium accessu virorum notavi in *Jure Ecclesiast. Tom.* I. *part.* 1. *tit.* 30. *c.* 4.

CANON XII.

De Officio Advocati Clericis prohibito. Cap. *Clerici* 1. ꝟ de postulando, *&* Cap. *Sed nec* 4. ꝟ Ne Clerici vel Monachi.

OBSERVATIO.

Clerici Beneficiati ne sint aliorum Advocati.

CANON XII. duas habet partes, quarum prima, quæ extat in *cap.* Clerici 1. ꝟ *de postulando*, decernitur, ut *Clerici in Subdiaconatu & supra, & in Ordinibus quoque minoribus, si stipendiis Ecclesiasticis sustententur, coram sæculari judice Advocati in negotiis sæcularibus fieri non præsumant, nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ, fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis, quæ proprias causas administrare non possunt*.

Notandum inprimis, hoc Canone ab officio *postulandi* coram judice sæculari absolute prohiberi Clericos sacris Ordinibus initiatos, quin & eos, qui in minoribus Ordinibus constituti sunt, *si stipendiis Ecclesiasticis sustententur*, id est, tamquam Beneficiati certæ Ecclesiæ sint adscripti, eoque titulo, ut Ministri Ecclesiæ ab ea sustententur: quo casu æquum est, ut se *totaliter* ministerio Ecclesiæ impendant, cujus stipendiis sustentantur.

Varians lectio.

Ulterius notandum, vocem illam *sæcularibus* deesse in Concilio, sed tamen in margine apud Labbæum *tomo* 20. *Concil. general, Col.* 1515. notam hanc adjici *in negotiis sæcularibus*, alias *forensibus negotiis*; indicium, varias esse Codicum lectiones.

Denique notandum, quod Raymundus hic adjiciat aliqua verba ac secundam Canonis partem pertinentia; quæque repetuntur *in cap.* Sed nec 4. ꝟ *ne Clerici vel Monachi*, in quo secunda hujus Canonis pars refertur, ut mox dicetur.

Plures Canones indistincte Clericis illud officium interdicunt.

Cæterum de Advocati officio Clericis vetito plures existunt Canones, qui & indistincte hoc officium Clericis interdicunt, tamquam eorum vocationi minus congruum; admodumque verisimile est, exceptiones hic memoratas demum invaluisse, postquam Canonibus Leges civiles a Collectoribus Canonum misceri, & in Scholis una cum Canonibus exponi cœperunt: quo factum, ut & Legum civilium studio Clerici se impenderint, sicuti deplorat ejus ætatis scriptor pius & eruditus Petrus Blesensis; & notavi in *Jure Eccles. Tom. IV. part.* 3. *tit.* 6. *c.* 2. Multumque invaluisse certum est, postquam

Ju-

Judicia Ecclesiastica ad normam civilium formari cœperunt.

Clerico & Monacho vetitæ administrationes sæculares.

Secunda Canonis parte relata in dicto *cap.* 4. ☓ *ne Clerici vel Monachi*, &c. decernitur, *ut nec procurationes Villarum, aut Jurisdictiones etiam sæculares, sub aliquibus Principibus, & sæcularibus viris, ut Justitiarius eorum fiat* (in Concilio & prima Decretalium Collectione, *justitiarii eorum fiant*, & rectius) *Clericorum quisquam exercere præsumat. Si quis autem adversus hæc venerit (quia contra doctrinam Apostoli dicentis:* Nemo militans Deo implicet se sæcularibus negotiis, *sæculariter agit) ab Ecclesiastico fiat ministerio alienus, pro eo quod (officio Clericali neglecto) fluctibus sæculi, ut Potestatibus placeat, se immergit. Districtius autem decernimus puniendum, si Religiosorum quisquam aliquid prædictorum ausus fuerit attentare.*

Pro intellectu hujus Decretalis, sciendum per *procurationes Villarum* hic intelligi, gubernationes oppidorum, vel rerum publicarum & civilium administrationes; easque distingui a Jurisdictionibus sæcularibus, quarum Jurisdictionum occasione dicuntur fieri, Principum & sæcularium Virorum *Justitiarii*, id est, Judices.

Ita pro Judicis munere ponitur *Justitiaria* in legibus Siculis *lib.* 1. *tit.* 45. & 46. Specialiter vero *Regius Justitiarius* sumitur pro Judice causarum criminalium in *cap.* 5. ☓ *de pignoribus*, & in *Clem.* I. *de Pœnit. & remiss.*

Hos autem, pronuntiat Canon, ab ecclesiastico fieri ministerio alienos, pro eo *quod, officio Clericali neglecto, fluctibus sæculi, ut potestatibus sæculi placeant, se immergant.*

Ex ratione inflictæ pœnæ sat patet, hic non agi de eo, qui necessitate & charitate proximi exigente, particulare aliquod negotium, etiam civile, & pro persona laica procurandum suscipit; sed de illo, qui procurationes & officia sæcularia suscipit, quæ ita ipsum nata sunt occupare, ut vere dici queat, quod, *neglecto officio Clericali, fluctibus sæculi se immergat*, ac consequenter contraveniat doctrinæ Apostoli dicentis: *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Qui textus pro causa prohibitionis hic quoque adducitur.

Recte notat Panormitanus, quod cum ratio prohibitionis sit generalissima, & ratio Legis præcipue sit attendenda, locum quoque habet dispositio Canonis in aliis officiis hic non expressis, quibus scilicet Clericus *implicat se negotiis sæcularibus* ad sensum Apostoli, vel ut loquitur Canon, *neglecto officio Clericali, fluctibus sæculi se immergit.*

Cum autem Religiosi, vi suæ Professionis magis a sæculi negotiis debeant esse sejuncti, quam Clerici sæculares, non mirum si Canon districtius puniendum decernat Religiosum, si aliquod prædictorum audeat attentare; prout in fine Canonis exprimitur.

CANON XIII.

Contra pluralitatem Beneficiorum. Cap. *Quia nonnulli* 3. ☓ de Clericis non residentibus.

OBSERVATIO.

...er Lateranense in Decretalibus intelliguntur Lateranense sub Alexandro III.

CANON XIII. refertur in *cap.* Quia nonnulli 3. ☓ *de Clericis non resid.* tamquam ex *Concilio Lateranensi*, non designando de quo *Lateranensi* Concilio agatur, quemadmodum & varii hujus Concilii Canones in Decretalibus passim referuntur. Sed notant hic in margine Editores Romani, Decretum esse *Concilii Lateranensis sub Alexandro III. cap.* 13. adduntque, *nam cum aliud non dicitur, intelligendum de Lateranensi sub Alexandro III.*

...luralitas Beneficiorum Curatorum.

Canon hic primo ponit abusum, quo nonnulli *modum avaritiæ non ponentes*, Dignitates diversas ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parochiales contra Sacror. Canonum instituta nitebantur accipere.

Hunc abusum ex avaritia pullulantem reprobat Concilium. *Quia cum unum officium vix implere sufficiant stipendia sibi vendicant plurimorum.*

De residentia.

Cum autem hic abusus præcipue incrementum suum sumeret, sub prætextu quod Beneficia & Officia concedi possent iis, qui nec *residere*, nec *per se* officio suo fungi possent, statuitur, in posterum ubi *Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministerium commiti debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in* loco, *& curam ejus* per se *ipsam exercere valeat. Quod si aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra sanctos Canones accepit, amittat; & qui dederit, largiendi potestate privetur.*

Evidens est ex ipso contextu, mentem Concilii esse, ut qui officium Ecclesiasticum suscipit, teneatur in Ecclesia residere, & per *seipsum* officio deservire. Unde & notat hic Glossa *per* seipsum *debet quis residere, & non per Vicarium.*

Hæc autem *personalis* residentia, & *personalis* officii Ecclesiastici persolutio, efficacissimum indubie est adversus pluralitatem Beneficiorum remedium, cum unus idemque rarissime queat *per se* plurium Beneficiorum officia implere. Nec aliunde pluralitas Beneficiorum invaluit, quam ex perversa hac persuasione, quod officio Beneficii *per Vicarium* quis satisfacere possit.

Hinc quia de Jure communi omne Beneficium exigit *personalem residentiam*, & *personale* officium; uti hic monet Glossa verbo, per *seipsum*, concludunt quoque communiter Canonistæ, de jure communi, omnia Beneficia esse incompatibilia, uti notavi in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect.* 3. *tit.* 3. *cap.* 1. alias *tit.* 20.

CANON XIV.

Rursus contra exorbitantem pluralitatem Præbendarum. Cap. *Quia in tantum* 5. ☓ de Præbendis, Cap. *Præterea* 4. ☓ de Jure Patronatus, & Cap. *Prohibemus* 19. de Decimis.

OBSERVATIO.

CANON XIV. plura habet membra, eaque admodum distincta. — Aliqui habebant sex & plures Ecclesias.

Primo membro, quod extat in *cap.* quia in tantum 5. ☓ *de Præbendis*, agit contra pluralitatem Præbendarum, quæ in tantum per quorumdam processerat ambitionem, ut non *duas vel tres* (sed addit Canon (a) *sex aut plures*) *Ecclesias perhiberentur habere.*

Canones ab Alexandro III. conditi, ac in Concilio Lateranensi publicati.

Porro ex verbis Canonis haud obscurum est, potius hic loqui Pontificem, quam Concilium; dicit enim: *Per fratres & Coepiscopos nostros* (Canon addit, *Charissimos*) *emendari præcipimus*: quæ non videntur Concilio loquenti attribui posse.

Unde nec in Decretalibus hic Canon adscribitur Concilio Lateranensi, sed *Alexandro III. in eodem*; id est in Concilio Lateranensi, de quo in præcedenti Decretali *eod. tit.*

Cum autem hujusmodi verba, & similis inscriptio in nonnullis aliis huic Concilio adscriptis Canonibus occurrat; admodum verisimile est, etiam illos auctoritate Alexandri III. primum compositos, postmodum Concilio fuisse prælectos, & in eodem publicatos: atque Alexandro adscribi in *Concilio*, quia in *Concilio* eos publicavit; ut supra monuimus.

Residentia.

Præcipitur autem Episcopis, ut de multitudine Præbendarum provideant, id est, eam cohibeant, utpote quæ *Canonibus inimica sit, & quæ dissolutionis materiam, & vagationis inducit, certumque continet periculum animarum.*

Quia autem frequenter contingit; quod in idoneis Beneficia Ecclesiastica conferantur prætextu providendi aliquorum indigentiæ; declarat Canon, eorum, *qui Ecclesiis* (C. *digne*) *deservire valeant*, se velle (C. *Ecclesiasticis Beneficiis*) *indigentiam sublevari.*

Noluit ergo intuitu *solius indigentiæ* Beneficia etiam sine cura animarum, ut sunt Præbendæ, conferri, sed eorum duntaxat indigentiam sublevari per Beneficia, qui *Ecclesiis* (C. *digne*) *deservire* valeant, id est, injunctum officium per *se ipsos* obire.

Hinc & concluditur, quod de Jure communi, & vigore hujus Decretalis Canonicatus & Præbenda requirant personalem residentiam.

Contra Patronos Laicos, qui Pastores instituere tentant.

Secundo membro Canonis relato in *cap.* præterea 4. ☓ *de Jure Patronatus*, anathemate feriendos decernit Laicos, quorum *audacia* eousque processisse dicitur, *ut Episcoporum auctoritate neglecta, Clericos instituant in Ecclesiis, & removeant, cum voluerint. Possessionem quoque, atque alia bona Ecclesiastica pro sua voluntate plerumque distribuant.* Ita Raymundus. At in Concilio, uti & in prima Decretalium Collectione, post verbum *distribuant*, additur: *& tam Ecclesias ipsas, quam earum homines, talliis & exactionibus præsumant gravare*: ac tum demum subjicitur; *eos qui amodo ista commiserint, anathemate feriendos decernimus.* Hic rursus adverte Raymundum etiam decreta, sub nomine Conciliorum edita, subinde alterasse.

Hoc loco agi præsertim de Laicis Patronis Ecclesiarum, uno consensu tradunt Canonistæ.

Hinc & deducunt, Patronos, licet habeant jus præsentationis, non posse tamen propria auctoritate Clericos *instituere*, sive titulum Ecclesiasticum dare; uti nec de bonis Ecclesiæ disponere. Videri possunt, quæ hac de re notavi in *Jure Eccles. Tomo III. part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 9. *cap.* 1. alias *tit.* 26.

Contra Clericos sic Institutos.

Porro non tantum Laici hoc Canone anathemate feriuntur, qui Clericos *propria* auctoritate instituere, & amovere præsumunt; sed & decernitur, ut *Clericus, qui Ecclesiam per Laicos sine proprii Episcopi auctoritate receperit, communione privetur: & si perstiterit, a ministerio ecclesiastico, & ordine deponatur.*

De exemptione Clericorum a Foro sæculari.

Tertio Canonis membro (quod extat in prima Decretalium Collectione, sub titulo de *Foro competenti*, Cap. 6. quodque omisit Raymundus) decernitur, *laicos a communione fidelium segregandos, qui Ecclesiasticas personas, & ipsos etiam Episcopos suo judicio stare de cætero præsumpserint compellere.*

Per-

(a) Deinceps varians Lectio *Canonis* Parenthesi inclusa, notabitur littera C. majuscula; uti superius jam observatum est.

Personas Ecclesiasticas, ac signanter Episcopos a judicio Laicorum esse (inspecto jure Decretalium) exemptos, præcipue in criminalibus, constat; tametsi quoad inferiores Clericos in criminalibus, & generaliter quoad omnes in causis civilibus, posterior ætas aliquas circa hanc exemptionem moderationes & exceptiones induxerit, uti latius *in Jure Eccles. Tomo IV. parte 3. tit. 1. cap. 5. & 6.* alias *cap.* 4. & *tit.* 3. *cap.* 2. 3. & 4. alias duntaxat *cap.* 2. & 3. notatum est.

Sane in hoc Concilio, uti & recentioribus, quæ per RR. Pontifices potissimum dirigebantur, & quorum Decreta per Pontifices præformabantur, sciuntur, plura de hac immunitate personali & reali occurrere, quæ hodie hic & alibi non sunt recepta.

Laici Ecclesiis Parochialibus Decimas restituant.

Denique quarto membro Canonis relato in *Cap.* prohibemus 19. ✠ *de Decimis*, prohibetur, *ne Laici decimam* (C. *decimas*) *cum animarum suarum periculo detinentes, in alios Laicos, aliquo modo possint transferre. Si quis vero receperit, & Ecclesiæ non reddiderit, Christiana sepultura privetur.*

Per *Ecclesiam*, cui *Decimæ* restituendæ dicuntur, hic intelligi Ecclesiam *Parochialem*, cui de Jure decimæ competunt, uno consensu tradunt Canonistæ; & notavi in *Jure Eccles. Tomo III. part. 2. sect. 4. tit. 2. cap.* 6. alias *tit.* 53. ibi una ostendi, quomodo Monasteria, tum ab Episcopis, tum a Romanis Pontificibus licentiam sollicitaverint, ut decimas de manu Laicorum recipere possent; & quare Laici potius in Monasteria Monachorum, vel Canonicorum Collegia, quam in Ecclesias Parochiales eas dimittere ambirent.

Dein eodem loco *cap.* 5. ostendi, quod hoc Decretum Concilii Lateranensis, ex Canonistarum interpretatione, eum sensum acceperit, quasi hoc Decreto declaratum esset, Laicos posse decimas *ante* hoc Concilium acquisitas & possessas tuto retinere; sed nullas de *novo* acquirere prohiberentur: licet vix credi possit, quod hic sit genuinus & verus hujus Decreti sensus.

C A N O N XV.

Bona ex Beneficio Ecclesiastico acquisita post mortem Beneficiati redeant ad Ecclesiam. Et ne Decani sub pretio statuantur. Cap. *cum in Officiis* 7. ✠ de Testamentis, & Cap. *præterea* 1. ✠ Ne Prælati vices suas.

O B S E R V A T I O.

An quis de bonis Ecclesiæ testari queat?

CANON XV. in duas partes dividitur, quarum prima relata in *Cap.* cum in Officiis 7. ✠ *de Testamentis*, decernitur, quod *sive* Clerici *intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint* bona ab Ecclesia accepta, *penes Ecclesiam eadem bona remanere debeant.*

Ex hac Decretali concludunt Canonistæ, Clericos de bonis *ab Ecclesia*, seu ratione beneficii acquisitis, de Jure testari non posse; quod & aliis Canonibus sæpius constitutum fuit.

Verum consuetudine sensim contrarium invaluit; uti latius deduxi in *Jure Eccles. Tom. III. parte 2. sect. 4. tit. 1. cap.* 7. alias *tit.* 32. ibi & notavi, quibus gradibus ad hodiernam tandem consuetudinem dilapsi simus, & quæ sit hujus consuetudinis vis: quodque necessitas impetrandi licentiam testandi ab Episcopis, quæ in quibusdam Diœcesibus obtinet, sit pristini illius Juris quoddam restans vestigium.

Episcopus nil lucri accipiat a suis Officialibus, vel Archipresbyteris.

Altera Canonis parte relata in *Cap.* præterea 1. ✠ *Ne Prælati vices suas, &c.* reprobatur, quod *in quibusdam partibus sub pretio statuantur, qui Decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate Episcopalem jurisdictionem exercent.*

Contra hunc abusum ordinatur, ut *qui de cætero id præsumpserit, officio suo privetur, & Episcopus conferendi hoc officium potestatem amittat.*

Nomine Decanorum hic intelligi Archipresbyteros rurales spiritualem exercentes jurisdictionem, notat Glossa.

Et licet tantum fiat mentio *Decanorum*, indubitatum tamen est per Decretum hoc esse generaliter reprobatum abusum, quo Episcopi captant lucrum ex Jurisdictione, quam suis Officialibus, aliisque ministris committunt. Nam uti recte notat hic Panormitanus, „ quando Episcopus capit pecuniam ab Officiali, tum „ videtur vendere ipsam Jurisdictionem; & tendit in „ gravamen subditorum; quia Officialis ut aliquid lucretur ultra pecuniam datam Superiori, per fas & „ nefas induceretur ad extorquendum pœnam, & modicam culpam faciet graviorem, & sæpe puniet bursam, ubi punienda esset persona. Ex hoc ergo (ait) „ multa mala proveniunt „.

C A N O N XVI.

Quod major ac sanior pars Capituli prævalere debeat. Cap. *cum in Cunctis* 1. ✠ de his, quæ fiunt a majore parte Capituli.

O B S E R V A T I O.

Major & sanior pars Capituli in constitutis concludendis prævaleat.

CANON XVI. relatus in *Cap.* Cum in cunctis 1. ✠ *de his, quæ fiunt a majore parte Capituli*, decernit, ut id, *quod a majori & saniori parte Capituli fuerit constitutum, prævaleat semper, & suum consequatur effectum, etiam appellatione remota, nisi a paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit & ostensum.*

Monet Panormitanus hic „ duo requiri ad hoc ut „ valeat gestum in Capitulo. Primo quod *major* pars „ decreverit. Secundo quod illa major sit *sanior*, scilicet respectu consilii & materiæ „.

Unde & Glossa hic monet, quod major pars sit, quæ *majori ratione & pietate nititur.*

Et quidem Innocentius III. consultus super electione facta a Capitulo Catalaunensi de Episcopo, electionem Rhemensis Canonici sententialiter irritandam duxit in *Cap. Ecclesia vestra* 57. ✠ *de Elect. Cum major & Sanior* (ait) *pars non consenserit in eumdem*; quam requiri, auctoritate præsentis Canonis adstruxerat, dicens: „ cum ex *Lateranensi* Concilio in ordinationibus Ecclesiarum major & *sanior* pars Capituli exigatur „. Hic Glossa ad verbum *Lateranensi*, ad præsentem nostrum Canonem seu Decretalem remittit.

Hinc & Canonistæ concludunt, non tantum in deliberatione super particularibus negotiis Capituli, sed & in electionibus, de Jure communi requiri *majorem* & *saniorem* partem Capituli; voluntque non tantum numeranda, sed & ponderanda suffragia: & per consequens, Canonicorum non esse censenda ejusdem ponderis & auctoritatis, ita ut magis ponderet vox *prudentis*, quam *insipientis* seu *parum sapientis*, uti loquitur Panormitanus ad citatum *Cap.* 57. ✠ *de Elect. num.* 7. qui ibidem *num.* 11. ait „ quod sanioritas consistat in auctoritate, „ zelo, & merito „: quæ ibidem latius deducit.

Hodie non amplius ponderantur suffragia.

Postquam autem electiones cœperunt fieri per suffragia *occulta*, cœpit hæc suffragiorum ponderatio in desuetudinem abire; immo postquam etiam visum est ex ea suffragiorum collatione & ponderatione infinitas altercationes & jurgia, aliaque innumera incommoda oriri, sensim totaliter in desuetudinem abierunt; & tam in electionibus, quam in aliis actibus Capitularibus, suffragia numerari non ponderari cœperunt; quod & hodie servatur.

Resolutioni Capitulari vel unus potest reclamare.

Illud circa præsentem Canonem observant Doctores, quod licet regulariter obtineat, quod major pars Capituli prævaleat, & ejus resolutio reputetur pro resolutione totius Capituli possit tamen *minoa* pars, immo vel unus de Capitulo, se resolutioni Capitoli opponere, monetque hic Panormitanu, quod *mino* pars contradicens non teneatur probare coram majore parte rationem suæ contradictionis, sed adeundus sit Superior ipsius Capituli

Executioni tamen ha[ud] mandatur, quoadusque coram Superiore rationabiliter contradictio probatur.

Hoc autem notat Hostiensis, quod, dum *minor* pars appellat a resolutione majoris partis, possit resolutio executioni mandari, quoadusque *minor* pars coram Superiore, ad quem fuit appellatum, ostenderit *rationabiliter* contradictum; & consequenter hæc verba, *appellatione remota*, intelligenda sint de appellatione quoad effectum *suspensivum*.

Juramentum de servandis Constitutionibus Capituli.

Addit præterea Canon: *nec constitutionem nostram* (in margine notatur in Corpore Canonico, *vestram*) *impediat, si forte aliquis ad conservandam Ecclesiæ suæ consuetudinem, se juramento dicat adstrictum: nec enim juramenta, sed potius perjuria sunt dicenda, quæ contra utilitatem Ecclesiæ & Sanctorum Patrum veniunt instituta.*

Hic notandum, *Juramentum* a Canonicis præstitum, præsertim de conservandis juribus & consuetudinibus Ecclesiæ, non esse assumendum ad tegendum fraudes aut injustitias, aut contraveniendum *publicæ* utilitati Ecclesiæ, cui commodum hujus particularis Ecclesiæ cedere debet.

Id merito advertant Canonici, qui non raro prætextu hujus juramenti de conservandis juribus Capituli, renuunt solvere, que de jure aliis debentur, puta Parochis, convenientem & congruam competentiam, aut in juribus suis tuendis justo sunt rigidiores, nonnunquam etiam cum scandalo fidelium.

Denique concludit Canon: *si quis autem hujusmodi consuetudines, quæ nec ratione juvantur, nec sacris conveniunt institutis, jurare præsumpserit: donec dignam egerit pœnitentiam, a perceptione sit Dominici Corporis alienus.*

Notat hic Hostiensis, quod „ si quis receptus in Canonicum jurat *in genere*, se servaturum omnes Constitutiones Ecclesiæ, antequam recipiatur; & postea „ reperiat aliquam irrationabilem; & quidem ad ipsam servandam (ait) non adstringitur vi juramenti „ præstiti, sed & consulo juranti *generaliter*, quod sic „ dicat, juro me servare omnes Constitutiones & con-

„ sue-

„ suetudines hujusmodi Ecclesiæ justas, possibiles, & „ honestas, & rationabiles, quæ de facto servandæ fuerint, & de jure „. Rectum ac salubre consilium, ut omnis perjurii evitetur periculum.

CANON XVII.

De abusu Juris Patronatus. Cap. *Quoniam* 3. X de jure Patronatus.

OBSERVATIO.

Patroni unicum præsentent in pastorem.

CANON XVII. relatus in *cap.* Quoniam 3. X de *jure Patronatus*, agit de Fundatoribus *Ecclesiarum*, aut de hæredibus *eorum*, qui, *potestate, in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit, abutebantur* (nimirum C. *cum in Ecclesia Dei unus debeat esse qui præsit, ipsi plures sine respectu subjectionis eligere moriuntur*).

Hæc verba *sine respectu subjectionis* omittuntur a Raymundo; habentur tamen, non tantum in Concilio, sed etiam in prima Collectione, multumque faciunt ad elucidationem textus.

Ex his enim intelligitur, quod Fundatores sive Patroni, eorumve hæredes, plures eligere molirentur *sine respectu subjectionis* ad eum, qui Ecclesiæ præest, & qui curam ejus habere debet, scilicet, Episcopum.

Dein aliam rationem addit: *& cum una Ecclesia unius debeat esse Rectoris, pro sua dissensione plurimos repræsentant*. Notandum, quod in Concilio, uti & in prima Decretalium Collectione pro *dissensione*, legatur *defensione*, & in pluribus Codicibus, & apud Guillelmum Neubrigensem legatur *dispensatione*; quæ varietas & in nota Marginali Decretalium indicatur. Videtur autem huic materiæ magis congruere lectio *pro sua defensione*, seu *dispensatione*, id est, in vim suæ *advocatiæ*, aut *Juris Patronatus*, quod *defensio & dispensatio* dici potest: eo quod Patroni dicantur Ecclesiarum *defensores*. Vide Franciscum de Roye in *Commentario* ad hunc textum.

Porro ad obviandum incommodis ex hac fundatorum sive Patronorum laicorum dissensione provenientibus, præsenti Canone duo statuuntur.

Primo, *ut si forte in plures partes* (seu *personas*, uti legit Contius) *Fundatorum vota diviserint, ille præficiatur Ecclesia, qui majoribus meritis, & plurimorum eligitur & approbatur consensu*.

Is constituatur, qui plura habet suffragia, modo sit idoneus.

Quia vero sæpe difficulter probari potest, quis *majoribus juvetur meritis*, tandem receptum fuit, illum esse instituendum, qui *plurimorum eligitur & approbatur consensu*, modo sit *idoneus*.

Quemadmodum in foro *externo* sustinetur electio idonei, magis idoneo prætermisso; juxta expositionem Glossographi, qui ad verbum *majoribus*, quærens „ numquid requireretur quod presentatus majoris sit meriti; „ & quod plures eum præsentent? Respondet: Hoc „ videtur velle hæc Littera, sed videtur sufficere, si „ sit *idoneus*, dum tamen habeat majorem partem alius „ sit, licet melior „. De hac præferentia digni præ digniore in foro externo, vide quæ dicta sunt in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 3. tit. 14. cap. 2.* alias *tit. 31.*

Alioqui Episcopus providebit.

Subjungitur autem ulterius in cap. 1. *si autem hoc sine scandalo esse nequiverit, ordinet Antistes Ecclesiam, sicut melius eam secundum Deum viderit ordinandam*. Id est, si illum, qui a pluribus est præsentatus *sine scandalo* instituere nequeat: „ puta (ait hic Hostiensis) „ quælibet pars potens est, & dicit: quod si alius con„ stituatur quam suus, *gladius* ultor erit, nec potest „ aliquatenus refrenare „.

Et sane olim contentiones super præsentationibus ad Beneficia præsertim majora in tantum sobinde exarsisse, ut Patroni de iis litigantes ad arma prosilirent, iisque terminandis duella sustinerent, probatur ex Cap. 1. X *de Purgatione vulgari*: ubi videmus Sedem Apostolicam consultam, *utrum super Ecclesiarum possessionibus debeant duella sustineri*.

Simili ergo casu occurrente, debet Episcopus Ecclesiæ vacanti providere, *sicut melius secundum Deum viderit* expedire; puta, interim instituendos Deservitorem, seu Vicarium, qui Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus, lite pendente, curam gerat.

Hodie apud Judices Regios litigatur de Recredentia.

Hodie plures præsentati apud Regios judices agunt vel interdicto *Uti possidetis*, vel *Unde vi*, & celeriter uni ex iis adjudicatur *Recredentia*, ut loquuntur; vel judices illum in pleno possessorio tuentur, uti monet de Roye hic, & notoria praxis ostendit ut latius deduxi in *Jure Ecclesiast. Tom. III. parte 2. sect. 3. tit. 8. cap. 5.* alias *tit. 25.*

Quæstione super jure Patronatus intra tres menses non decisa Episcopus providet.

Si contingat, quæstionem oriri super Jure Patronatus inter duos, ac singuli prætendant sibi privative ad exclusionem alterius jus illud competere, eo casu constituitur hoc Canon, ut Episcopus similiter *ordinet Ecclesiam, sicut melius secundum Deum viderit ordinandam*, si intra *quatuor*, (in Concilio & prima Decretalium Collectione legitur *infra tres*) *menses* non fuerit definitum, cui competet jus Patronatus.

Secundum hanc decisionem scripsit Conventrensi Episcopo Innocentius III. in *Cap.* Cum propter 27. X *de Jure Patron.* quod „ si de Jure Patronatus quæstio fue„ rit inter aliquos; & ab eo, cui competit, intra „ *quatuor* menses non fuerit definitum, ex tunc Eccle„ siam ipsam de persona non differat idonea ordinare: „ ita quod illi ex hoc non debeat imposterum præju„ dicium generari, qui jus evicerit Patronatus „.

Evidens est ex hoc Innocentii rescripto, quod in simili casu, Episcopus non instituat Clericum tanquam *deservitorem*, qui ad tempus deserviat, sed ut *verum Beneficiatum* & *Rectorem* Ecclesiæ.

Ipse itaque Patronus ob lapsum *quatuor* mensium, ea vice privatur jure præsentandi, sed tamen Clericus institutus debet eum, qui *verus* Patronus fuerit declaratus, ut talem agnoscere, & colere, manetque ei jus præsentandi *imposterum* salvum uti hic notant Doctores; qui & monent, *specialiter* id hic esse constitutum, ne ob Patronorum discordias Ecclesiæ maneant vacantes: cum alias, sicuti de Jure contra *non valentem* agere, non currit præscriptio: ita nec deberet currere contra Patronum *non valentem* præsentare: quod & insinuatur in ipsa integra Decretali, quæ extat in tertia Decretalium Collectione, titulo de Jure Patronatus *Cap. 2.* ubi hæc leguntur: *Cum propter discordias Laicorum non debeat Ecclesiis præjudicium generari, grave gerimus & indignum &c.* Vide quæ hac de re dixi in *Jure Eccles. tom. 1. parte 2. sect. 3. tit. 8. cap. 5.* alias *tit. 25.*

CANON XVIII.

De Constituendo Magistro pauperum Clericorum. Cap. *Quoniam* 1. X de Magistris.

OBSERVATIO.

In Cathedrali Ecclesia Beneficium detur Magistro, qui gratis doceat Clericos.

CANON XVIII. relatus in *Cap.* Quoniam 1. X *de Magistris*, sed parte a Raymundo omissa, & a Contio suppleta, statuitur, ut *per unamquamque Cathedralem Ecclesiam Magistro, qui Clericos ejusdem Ecclesiæ, & Scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod Beneficium præbeatur, quo docentis necessitas sublevetur, & discentibus via pateat ad doctrinam*.

Secundo statuit: *pro licentia docendi nullus pretium exigat, vel sub obtentu alicujus consuetudinis, ab iis, qui docent, aliquid quærat*. Ita legitur in Decretalibus, & in Concilio. Contius autem legit: *quos docent*: sed uti ex contextu apparet, manifesto errore; mens enim Concilii est, ne pro *licentia docendi*, aut ab iis, qui ad docendum constituuntur, aliquid exigatur: sed *gratis* constituantur, ne & Scholaribus onerosi esse deberent: & ut ad docendum capaciores, sine munerum acceptione promoverentur.

Quia hoc Decretum innovatum fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentius III. cujus Constitutio extat in *cap.* Cum nonnullos 4. X *de Magistris*, notas hic nullas adjicimus.

CANON XIX.

Ne Magistratus sæculares Clericis onera imponant. Cap. *Non minus* 4. X de Immunit. Eccles.

OBSERVATIO.

CANON XIX. relatus in *Cap.* non minus 4. X *de Immunitate Eccles.* agit adversus *Consules civitatum, & Rectores, nec non & alios, qui potestatem habere videntur, qui tot onera frequenter imponunt Ecclesiis, & tot angariis eas affligunt, ut eis, quod Jeremias deplorat, competere videatur: princeps provinciarum facta est sub tributo, sive quidem fossata, sive expeditiones, seu alia quælibet sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum & Clericorum & pauperum Christi usibus deputatis, volunt fere cuncta compleri*.

Quid Angaria.

Angarias appellant Imperatores, Provincialibus impositam *onerum vehendorum*, bajulorumque necessitatem, in *L. 11. Cod. de Sacrosanct. Eccles. & L. 2. Cod. de Episc. & Cler.* Sive *Angariæ* erant, jumentorum & plaustrorum præstationes ad transvectionem annonæ militaris, aliarumque specierum Fiscalium, uti notavi in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 4. tit. 4. cap. 1. n. 11.* alias *tit. 35.* At in hac Constitutione videntur generalius sumi pro cujuscumque oneris impositione, ut in notis ad hanc Decretalem observavit Gonzales.

Quid Fossata?

Fossata hic sumuntur pro locis *munitis*, seu ad castra munienda factis; de quibus Modestinus in *L. 3. ff. de re milit.* dicit: *Qui a fossato recedit, capite puniendus est*.

Ut autem a similibus exactionibus, & oneribus subleventur Ecclesiæ, præsenti Canone *sub anathematis districtione fieri de cætero talia probibentur; nisi* Episcopus *& Clerus tantam* necessitatem *vel* utilitatem aspexerint, *ut absque ulla* exactione (C. *coactione*) *ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda*.

Si autem Consules (pergit Caput) *aut alii de cætero ista commiserint, & commoniti desistere noluerint, tam ipsi quam fautores eorum excommunicationis se noverint subjacere, nec Communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem*.

Hic Canon renovatus fuit in Concilio Lateranensi

Canon hic renovatus in Concilio Lateranensi sub Innocentio III.

sub Innocentio III. *Can.* 46. additis nonnullis pro firmiore ejusdem executione, cujus *observationem* consule.

CANON XX.

Contra Torneamenta, seu Ludos Gladiatorios. Cap. *Felicis* 1. ℟ de Torneamentis.

OBSERVATIO.

In Torneamento occisis, quamvis reconciliatis Ecclesiastica sepultura negetur.

CANON XX. relatus in *Cap.* Felicis ℟ *de Torneamentis*, renovat Constitutiones Innocentii II. & Eugenii III. Pontificum, quibus fieri prohibet, *detestabiles illas nundinas vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum, & audaciæ temere congredi, unde & mortes hominum, & animarum pericula sæpe proveniunt. Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.*

Constitutiones, quarum hic meminit Canon, sunt *Canon* 14. Concilii Lateranensis sub Innocentio II. & *Canon* 12. Concilii Rhemensis sub Eugenio III. quibus ad verbum præsens Canon continetur; nisi quod hic explicationis causa addantur hæc verba: *quas vulgo torneamenta vocant*: & in citatis Conciliis post verbum *pœnitentia*, addatur *& Viaticum*; atque ita legatur: *pœnitentia ei & Viaticum non negetur.*

Per Viaticum videtur aliquando intellecta reconciliatio in fine vitæ.

Cum autem sic mortuo denegetur Ecclesiastica sepultura, fat verisimile est, in citatis Conciliis per *Viaticum* non intelligi *Sacram Eucharistiam*, sed reconciliationem necessariam, quæ subinde nomine *Viatici* intelligitur. Nam parum verisimile est, quod Ecclesiastica sepultura negaretur ei, qui Eucharistiæ particeps fuisset. Cum autem nomen *Viatici* labente tempore sumptum fuerit pro Sacra Eucharistia moribundis subministrata, nomen *Viatici* in præsenti Canone fuit omissum, forte ne videretur Eucharistia indulta ei, cui Ecclesiastica sepultura negatur: forte etiam ad incutiendum majorem terrorem negata fuit Eucharistia, quæ antea concedebatur (*a*).

Quid Torneamenta?

Ex contextu Canonis manifestum est, *torneamenta*, quæ hic prohibentur, fuisse ludos similes Gladiatoriis & Circensibus, qui tanquam nefanda & crudelia spectacula jam pridem legibus Imperatorum prohibiti fuere, uti videre est in titulo Codicis Justinianæi & Theodosiani *de Gladiatoribus*.

CANON XXI.

De Treuga & Pace. Cap. *Treugas* 1. ℟ de Treuga & Pace.

OBSERVATIO.

Quid & quotuplex Treuga?

CANON XXI. relatus in *Cap.* Treugas 1. ℟ *De Treuga & Pace*, determinat tempus, quo *Treugas* observari oportet; & quomodo procedendum sit contra *treugarum* infractores: injungitque Episcopis, ut communi consilio & auxilio ad pacem firmiter tenendam allaborent.

Ut hic Canon intelligatur, notandum, quod *Treuga* hic dicatur *securitas præstita rebus, vel personis, nondum discordia plene finita*, ut hic notat Glossa.

Hæc autem *Treuga* est vel *Conventionalis*, vel *Legalis*, vel *Canonica*, id est, legibus seu Canonibus etiam sine partium consensu decreta; qualis est, cujus in præsenti Canone fit mentio.

Sæculo IX. & seqq. solebant lites & discordias armis terminare.

Porro ad clariorem intelligentiam eorum, quæ de *Treuga* in Decretalibus, Canonibus, & auctoribus Ecclesiasticis occurrunt; sciendum quod sæculo IX. & sequentibus prava consuetudo in quibusdam partibus invaluisset, ipsis etiam sæculi *legibus* aliquatenus conniventibus, ut nimirum injurias *sibi illatas* quivis etiam privatus a privato, etiam privata auctoritate vindicarent; quin & lites causasque civiles & privatas telis & gladiis inter se pugnantes deciderent. Ut late describit S. Agobardus, Libro *adversus Legem* Gundobardi oblato Ludovico Pio Imperatori, ubi *n.* 7. scribit, quod hinc accideret *ut frequenter non solum valentes viribus, sed etiam infirmi & senes lacessantur ad certamen & pugnam, etiam pro vilissimis rebus. Quibus feralibus certaminibus contingunt homicidia injusta, & crudeles ac perversi eventus judiciorum, non sine amissione fidei & charitatis, ac pietatis, dum putant Deum illi adesse, qui potuerit fratrem suum superare, & in profundum miseriarum dejicere. Hic est pessimus error, & ordo confusus, ut pro talibus perversitatibus, & Scriptura veritatis contemnatur, & concordia Christiana dispereat, & de Deo, qui natura bonus est, tam indigne sentiatur, ut faveat rapacibus & adversetur miseris.*

Multis ibidem hunc morem improbat Agobardus, ut & in libro *contra judicium Dei*; ostenditque esse Evangelium contrarium pro rebus temporalibus *pugnam* inire, & fratri *necem* inferre; stultumque, & Sacris Scripturis adversum esse, promittere adjutorium *Divinum* certo adsuturum ei, qui pro se habet justitiam causæ; adeoque sacrilege ac superstitiose, pugnam adhiberi tanquam certum medium cognoscendi justitiam causæ; idcirco & stulte vocari *judicium Dei*.

Etiam pro bonis Ecclesiæ, aut Monasteriorum.

Verum non obstante hac Agobardi, aliorumque piorum virorum demonstratione, abusus hic non tantum mansit, sed & incrementum in dies sumpsit; in tantum ut in hoc quoque discrimen, succedaneis datis militibus, Clerici & Monachi venire, & pro terrenis & transitoriis Ecclesiæ facultatibus pugnare, & ad certamen venire cogerentur. Ut scribit Petrus Damiani *Lib.* 4. *Epist.* 9. aliique ejus temporis auctores.

Synodi adversus ist hæc flagitia.

Cum igitur viderent Episcopi, ex hac prava consuetudine, innumera committi homicidia, & flagitia, odiaque foveri, cœperunt ipsi, præsertim in Aquitania, viciniisque partibus congregari, & de pace sancienda deliberare, uno ex illis testificante, *cœlitus sibi delatas esse litteras, quæ pacem monerent renovandam in terra*; uti scribit Sigebertus in *Chronico ad an.* 1033. tuncque composita fuit formula monitorii edicti, quæ aperte docet, ad hæc privata bella potissimum Episcopos respexisse: *arma quilibet non ferat, directa non repetat, sui sanguinis, vel cujuslibet proximi ultor minime existens, percussoribus indulgere teneatur.* Hoc in publicis Episcoporum consessibus præsente populi amaritudine recitatum, certatim ab omnibus admissum fuit: *ut per manus Episcoporum baculum ad cœlum elevarent, ipsique palmis extensis ad Deum, pax, pax, pax unanimiter clamarent.* Teste Rodulpho Glabro, *Libro quarto Historiar. Capite quinto.*

Verum ut idem Historicus narrat, vix quinquennio Patris hujus fœdera durarunt, quin ad pristinos mores redierint, ac cœperint rursus in se mutuo ferrum stringere.

Treuga Domini a Feria 4. vespere, usque ad feriam 2. mane per totam Galliam.

Videntes ergo Episcopi, se frustra tentasse *pacem absolutam*, & justitiam inter privatos statuere, nullamque spem apparere, pravum hunc ac abominandum pugnandi morem *penitus* ac radicitus extirpandi, deliberarunt tandem Episcopi Gallicani anno 1041. cum prævalente malitia impossibile videretur, duræ frontis homines a solitis certaminibus revocare, ut saltem ad minus ab his pugnis & certaminibus abstinerent certis quibusdam diebus Deo specialiter sacris.

Et quidem teste citato Rodulpho Glabro, *Lib.* 5. *Cap.* 1. *Primitus in partibus Aquitanicis, dein paulatim per universum Galliarum territorium contigit firmari pactum propter timorem Dei pariter & amorem, taliter ut nemo mortalium a feria* 4. *vespera, usque ad secundam feriam incipiente luce, ausu temerario præsumeret quippiam alicui hominum per vim auferre, neque ultionis vindictam a quocumque inimico exigere, nec etiam a Fidejussore vadimonium sumere: quod si ab aliquo fieri contigisset contra hoc decretum publicum, aut de vita componeret, aut a Christianorum consortio expulsus patria pelleretur.*

Addit idem auctor, hoc insuper universis placuisse, ut pactum illud *Treuga Domini* vocaretur.

De hac *Treuga* loquitur S. Ivo Carnutensis, qui eo tempore vivebat, scribens *Epist.* 44. secundæ editionis: *exspectantes a vobis meliora & vicinoira saluti, toleramus imperfectionem vestram, dissimulamus impietatem, & cum abundante iniquitate sanare vos perfecte nequeamus, malumus infirmos & saucios vos habere quam penitus mortuos: Rogamus igitur & obsecramus, ut saltem hos quatuor dies, quibus Dominus Salvator noster medicinalia salutis nostræ evidentius operatus est, pacifice firmiter habeatis.*

Hinc manifestum est, Episcopos Gallicanos nullatenus bella sive pugnas illas inter privatos aliis diebus ut *licitas* probasse, sed cum primo suo *pacis* Decreto ea tollere frustra se tentasse viderent, hoc saltem levi remedio inveterato morbo medicinam aliquam adhibere instituerunt, qua, si non omnino cessaret, saltem restringeretur malum hoc.

Hanc *Treugam* non tantum Episcopi, sed & Romani Pontifices in variis Conciliis probarunt, atque ad alia nonnulla tempora extenderunt.

A Pontificibus Romanis approbata & extensa per Adventum, Quadragesimam & ultra.

Et quidem hoc Canone extenditur *ab Adventu Domini usque* ad Octavas Epiphaniæ, & a Septuagesima usque ad Octavam Paschæ.

De hac itaque *Treuga & pace* agitur in præsenti Canone; uti & toto titulo Decretalium *de Treuga & pace*, quemadmodum recte notarunt Janus a Costa Antecessor Tolosanus in summario ad hunc titulum: item Innocentius Cironius ad eumdem titulum; ostenduntque, multum aberrare Decretalium Commentatores, qui putant hic de *Treuga & pace* publicorum bellorum tractari.

Scriptores de Treuga.

Cæterum de his privatis bellis & modis, quibus peragebantur, necnon de *Treuga Domini* ab Episcopis constituta fusius agit du-Cange in Glossario verbo *Duellum*, item

(*a*) Plura si quis de *Viatici* nomine, & quid per hoc apud veteres, & recentiores Scriptores intelligatur, scire velit, consulat *Jus Ecclesiast. Tom. II. tit.* 4. *cap.* 4. *num.* 2. 3. & 4. *hujus editionis*, ubi fusius a D. Van-Espen, occasione Communionis Eucharisticæ Infirmis administrandæ, pertractatum est.

item verbo *Judicium*, & verbo *Treuga*. Item Janus a Costa loco citato: & Petrus de Marca in notis ad *Canonem* I. Claramontanum *tom.* 10. *Concil. col.* 573. *edit. Labbean.*

Tandem abrogata.

Hoc autem recte monet Janus a Costa, quod sublatis tandem his privatis bellis auctoritate Principum & Ecclesiæ, hæc *Treuga* Ecclesiastica, cessantibus causis, abrogata tandem sit. Et verisimiliter sublata erat tempore Panormitani, & similium Canonistarum, qui veteres Historias non consulentes Decretales in alienum sensum, ad *Treugas & pacem publicam* detorserunt.

Ex hoc interim horrendo & detestabili abusu, qui tam altas & tam extensas radices egerant, intelligimus quam debile, quin & perniciosum sit argumentum, quod ex multorum praxi, & Prælatorum dissimulatione sumitur. *Jus putatur (inquit Doctissimus Nicollius) sed improbe, & ab improbis corruptelæ, prævaricationis, præsumptionis loco habetur, cui cedere adeo boni non debent, ut nusquam illi vehementius obniti & reluctari debeant.*

CANON XXII.

De perpetua Treuga Gaudentibus, & non imponendis Vectigalibus sine consensu Principis. Cap. *Innovamus* 2. ✠ de Treuga & Pace, & Cap. *Innovamus* 10. ✠ de Censibus.

OBSERVATIO.

Vult Canon non quasdam personas perpetua Treuga gaudere.

CANONIS XXII. sunt duæ partes, quarum prima relata in *Cap.* Innovamus 2. ✠ *de Treuga & Pace*, vult *ut Presbyteri, Monachi, Conversi, Peregrini, Mercatores, rustici, euntes vel redeuntes, vel in agricultura existentes, & animalia, quibus arant, & semina portant ad agrum, congrua securitate lætentur.*

Concilium nihil hic novi constituit, sed innovat quod antea ab Innocentio II. in Concilio Rhemensi anno 1131. *Can.* 10. & Concilio Lateranensi anno 1139. *Can.* 11. statutum fuerat: quare Decretum suum inchoat per verbum *innovamus*.

Videtur autem sumptum potius e Rhemensi & lateranensi sub Innocentio II. quam Rhemensi sub Eugenio; quia in hoc nostro Decreto non occurit: *si quis autem nostrum statutum violare præsumpserit, Episcopus, in cujus Parochia fuerit omni trepiditate seposita, Canonicam de ipso justitiam faciat.*

Pro intellectu autem præsentis Canonis repetenda sunt, quæ ad præcedentem notata sunt. Sicuti enim præcedens, ita & hic Canon ad bella & contentiones inter privatas personas spectat: ut quemadmodum quibusdam diebus voluerunt esse *Treugam*, sive cessationem a privatis illis bellis, & contentionibus; sic voluerunt quasdam personas & res omni tempore *securitate* gaudere; quod apertius exprimitur in Canone dicti Concilii Lateranensis sub Innocentio II. & Rhemensis sub Eugenio III. in quo pro his verbis nostri Canonis *congrua securitate lætentur*, legitur, *omni tempore securi sint*: ita ut his personis *pax*, & non tantum *Treuga*, indulta videatur; atque ob id titulus Decretalium conceptus sit, *de Treuga & pace*.

Vectigalia non imponenda sine consensu Principis.

Altera parte Canonis decernitur, *ne quisquam alicui* (in antiquis rectius legitur *alicubi*, uti notatur in margine) *novas pedagiorum exactiones sine auctoritate & consensu Regum & Principum statuere* (C. *aut statutas de novo tenere, aut veteres augmentare*) *aliquo modo* (C. seu *tenere*) *præsumat. Si quis autem contra hoc fecerit* (C. seu *venire præsumpserit*) *& commonitus non destiterit, donec satisfaciat, communione careat Christiana.*

Raymundi citatio haud exacta.

Hanc partem Raymundus posuit *Cap. Innovamus* 10. *de Censibus*, non quasi ex Concilio Lateranensi: nam post alios Canones ejus Concilii adjecit Capita duo ex epistolis Alexandri III. & postea addidit hanc Decretalem cum hac inscriptione, ejus auctorem notante, *idem*, id est, idem Alexander III. uti notavit Antonius Augustinus in notis ad *Cap.* 2. *de Treuga & pace* in prima Collectione; in quo in margine Decretalium editionis Romanæ notatur, *esse Alexandri III. in Concilio Lateranensi Cap.* 22.

Ex quo rursus notari potest, citationes Canonum in Decretalibus nostris esse admodum inadæquatas, nec facile sciri posse ex sola inscriptione, quis earum sit auctor.

CANON XXIII.

De Leprosorum Privilegiis. Cap. *Cum dicat* 2. ✠ de Ecclesiis ædificandis.

OBSERVATIO.

Quandoquidem Leprosi debeant habere proprium Ecclesiam & Sacerdotem?

CANON XXIII. relatus in *Cap.* Cum dicat 2. ✠ *de Eccl. ædifican.* resectis verbis præfationis, sed a Contio suppletis agit de *Leprosis*, seu infectis Lepra; constituiturque „ ut ubicumque tot simul Leprosi sub „ communi vita fuerint congregati, quod Ecclesiam cum „ Cœmeterio sibi construere, & *proprio* gaudere valeant „ Presbytero, sine contradictione aliqua permittantur: „ habere „: hac addita ratione, *caveant tamen ut injuriosi veteribus Ecclesiis de Jure Parochiali nequaquam existant. Quod enim (ait) eis pro pietate conceditur ad aliorum injuriam nolumus redundare.*

Rationem hujus indulti & constituti præmittit Canon in verbis a Raymundo omissis, & a Contio ex prima Decretalium Collectione suppletis, quia nimirum Leprosi *cum sanis habitare non possunt, & ad Ecclesiam cum aliis convenire.*

Lepra enim, dum perfecta est, qualis esse solet in regionibus calidioribus, ac notanter in Palæstina, morbus est admodum contagiosus & infectivus, ut ex ejus descriptione, & inspectione relata *Cap.* 13. & 14. Levitici patescit.

Multiplicatio Leprosorum occasione reditus e Terra Sancta.

Cum vero circa tempora hujus Concilii plurimi ad Terram sanctam, vel *voti* vel *belli* causa accederent, etiam plures hoc morbo infecti redibant, quos, ne alios inficerent, a reliquis separari oportuit, & ob id eis particulares Ecclesiæ & Cœmeteria cum Presbytero, qui ipsis Sacra administraret, indulgebantur.

Hinc Hospitalia eis destinata.

Hic quoque in Belgio magna erat circa ea tempora Leprosorum adventantium & transeuntium multitudo; ita ut ad omnes pene urbes fuerint constructa Hospitalia, in quibus hoc morbo infecti probarentur & curarentur: quæ hodie fere in Monasteria Monialium transierunt: quamvis primitus ibidem essent viri & mulieres, qui respective utrique sexui infectorum servire possent.

Edicta Principum de eorum modo vivendi.

Plurima extant Principum edicta, quibus & modus eorum vivendi, nec non eorum habitus, & victus accipiendi ratio præscribebatur.

Et quamvis hodierna lepra multum videatur distare a lepra Palæstinorum, nihilominus & hodierni Leprosi utuntur distincto habitu; quin & extenso crepitaculo ligneo eleemosynam petunt; qui mos inde profluxisse videtur, ne *voce* eleemosynam petendo, suo halitu aerem inficientes, adstantes etiam inficerent. Unde & Edicto de anno 1531. septima Octob. *art.* 10. vetitum fuit Leprosis in platea publica urinam emittere.

Ædes Leprosariæ.

Etiamnum hodie in Belgio habentur *Leprosariæ*, in quibus Leprosi in communi vitam agunt; testaturque Zypæus in *Jure novo, tit. de Conjugio Leprosorum*, quod „ in Brabantia Leprosi habeant suos Decuriones, ac Re„ gulos, & instituta quædam præter Constitutiones Prin„ cipum, quæ extant in libro Edictorum a Carolo V. & „ Philippo II. eis concessa, juxta quæ Decuriones eis „ jus dicunt, qui si excedere arguantur, appellant ad „ judicem Ecclesiasticum „. Quia nimirum ex Jure Decretalium protectio miserabilium personarum pertinere censetur ad Superiores Ecclesiasticos.

De discernenda Lepra.

Addit & Zypæus, quod „ juxta dicta diplomata, „ Præfecta Monasterii *Terbanck* juxta Lovanium judi„ cat, adhibitis Chirurgis & Medicis, de Leprosis, an „ vere tales sint, ne sub eorum umbra validi mendican„ tes stipem exigant. Quo jure etiam utitur Præfecta „ Monasterii *Tersieckem*, in suburbano Antuerpiensi, „ quod jam in civitatem translatum est „.

Leprosi non solvunt Decimas.

Cum leprosi pro miserabilibus personis reputentur, statuit ulterius præsens Canon, *ut de hortis & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.*

CANON XXIV.

Contra eos, qui Judæis aut Saracenis Piratis opem ferunt. Cap. *Ita quorundam* 6. ✠ de Judæis & Saracenis.

OBSERVATIO.

CANON XXIV. relatus in *cap.* Ita quorumdam 6. ✠ *de Judæis & Saracenis*, agit contra Christianos, qui ad impugnandos Christianos, *arma & necessaria subministrant Saracenis*, aut in eorum *galeris & piraticis navibus regimen & curam Gubernationis exercent. Tales ab Ecclesiastica Communione præcisos, & excommunicationi subjectos, rerum suarum per Principes Catholicos & Consules Civitatum privatione mulctari, & capientium fieri servos* censet. Præcipit etiam, *ut per Ecclesias maritimarum Urbium, crebra & solemnis in eos excommunicatio proferatur.*

Hæc Decretalis latius extenditur in *Extrav. Multa, de Judæis: inter Comm.* Hujus autem Canonis aut Extravagantis nullus hic in Belgio Catholico usus esse scitur; eo quod Judæi publice hic non tolerentur.

CANON XXV.

Pœna Usurariorum. Cap. *Quia in omnibus* 3. ✠ de Usuris.

OBSERVATIO

Punitio ante & post mortem.

CANON XXV. relatus in *cap. Quia in omnibus* 3. ✠ *de Usuris*, constituit, *ut Usurarii manifesti, nec ad Communionem admittantur Altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam. Sed nec oblationes eorum quisquam accipiat.*

Quare vix ullus in foro externo ut Usurarius puniri potuerit?

Postquam usurarum pallia innumera sensim adinventa sunt, & etiam a nonnullis probari cœperunt, difficulter ullus vel sordidissimus fœnerator tamquam Usurarius in foro *externo* puniri potuit.

Quis enim rerum agendarum imperitissimus non reputaretur, qui usuras quamvis sordidissimas aliquo pallio tegere coram hominibus non posset? Ut propterea & raro admodum hodie videamus, quempiam tamquam Usurarium in Judicio condemnari, & pœnis hoc aliisque Canonibus in Usurarios decretis, plecti.

Tituli lucri cessantis & damni emergentis olim non ita noti.

Admodum ergo verisimile apparet, antiquitus titulos illos *Lucri cessantis & damni emergentis*, aliaque usurarum palliamenta non fuisse nota, aut tamquam insufficientia ad excusandas usuras rejectas: cum alias frustraneum fuisset hujusmodi pœnas contra Usurarios in foro *fori*, infligendas statuere: quandoquidem, his titulis admissis, pene impossibile sit, Usurarios in foro fori de usuris convincere.

CANON XXVI.

Ne Christiani famulentur Judæis. Judæi conversi possessionibus suis gaudeant, & Testimonium Christianorum contra Judæos recipiatur. Cap. *Judæi* 5. ⁒ de Judæis & Saracenis, & Cap. *Judæi* 21. ⁒ de Testibus.

OBSERVATIO.

Judæi non habeant mancipia Christiana.

CANON XXVI. relatus pro parte in *cap. Judæi* 5. ⁒ *De Judæis & Saracenis*, & pro parte *cap. Judæi* 21. ⁒ *de Testibus*.

Decernit primo. *Judæi sive Saraceni neque sub alendorum puerorum suorum obtentu, nec pro servitio vel alia qualibet causa, Christiana mancipia in domibus suis permittantur habere*. Quin addit: *excommunicentur autem, qui cum eis presumpserint habitare*.

Nec obstetrices Christianas.

Hæc indubie decreta sunt, ne Christiani per talem cohabitationem ad Judaismum deflectant; aut saltem in aliquem Judæorum errorem incidant, & ipsorum superstitionum perticipes fiant, quæ ratio redditur in *cap. Ad hæc* 8. ⁒ *eod.* Ibi generaliter præcipitur Christianis, ne servitio Judæorom pro mercede aliqua se exponant, quin & interdici vult obstetricibus & nutricibus, ne infantes Judæorum in *eorumdem domibus nutrire præsumant: quoniam* (ait) *Judæorum mores & nostri in nullo concordant, & ipsi de facili ob continuam conversationem & assiduam familiaritatem ad suam superstitionem & perfidiam simplicium animos inclinarent*.

Signa distinctiva Judæorum.

Ob hoc perversionis periculum statuit Paulus IV. apud Petrum Matthæi *lib. 5. tit. 2. cap. 4.* ut ubi Judæi tolerantur habitatione, vestitu, ac alias discriminari debeant: uti Romæ de facto observatur.

Judæi conversi possessionibus suis non excludantur.

Ut autem Judæi ad fidem Christianam facilius adducantur, statuitur insuper, ut Judæi ad fidem conversi a possessionibus suis nullatenus excludantur: ac suna injungitur Principibus eorumdem locorum sub pœna excommunnicationis, ut si secus factum fuerit, portionem hæreditatis suæ & bonorum suorum ex integro eis faciant exhiberi.

Eumdem in finem leguntur in quibusdam locis Privilegia nonnulla Judæis indulta; constatque ex Tabulis Joannis Ducis Brabantiæ de anno 1312. Judæos hic in Brabantia sub *salvo-conductu* Principis habitasse. Si enim quis eos offenderit, id suæ cognitioni Princeps reservat.

A trecentis annis e Brabantia proscripti.

Ac vero a trecentis & amplius annis ex Brabantia Judæi proscripti fuere, cum Bruxellis sacrosanctam Eucharistiam pugionibus transfodissent, uti asserit Zypæus in *Jure novo, titulo de Judæis, num. 2. & 3.*

Testimonium Christianorum contra Judæos recipiatur.

Ad hæc statuit præsens Canon, quod *testimonium Christianorum adversus Judæos in omnibus causis recipiendum sit: Cum* (ait) *illi adversus Christianos testibus suis uti præsumant*: in Concilio legitur, *utantur*.

Hæc pars Canonis a partibus jam relatis rescissa, refertur in *cap. 21.* ⁒ *de Testibus*, addita insuper hac ejusdem Canonis parte, qua *anathemate* decernit *feriendos, quicumque Judæos Christianis voluerint præferre in hac parte, cum eos Christianis subjacere oporteat; & ab eis pro sola humanitate foveri*.

Hæc sententia videtur potius ad priorem partem Canonis in *cap. 5.* ⁒ *de Judæis* referenda, quam ad hanc posteriorem: eo quod Judæi videantur *Christianis præferri*, & eorum *Superiores* constitui, dum Christiani Judæis, tamquam *mancipia* famulantur; uti recte notat Panormitanus ad *cap. 7.* ⁒ *de Judæis*.

Ex Clementina I. de Testibus, dicitur, relatum esse, quod Judæi quidam ac Saraceni privilegiis Regum & Principum se tuerentur, quod *super civilibus, aut criminalibus convinci per Christianos non possint*: quæ privilegia ibidem improbantur: „ quia id nedum Juri „ contrarium, sed & Christianæ Religioni opprobrio„ sum est quamplurimum & adversum „. Hic indubie per *Jus* intelligitur citata Decretalis ex præsenti Canone desumpta.

CANON XXVII.

Contra sectam VValdensium, sive Catharorum, Patarenorum, &c. Cap. *Sicut ait* 8. ⁒ de Hæreticis.

OBSERVATIO.

Tantum prior pars hujus Canonis a Raymundo refertur.

CANON XXVII. in duas partes dividitur, quæ etiam duo distincta Capitula conficiunt in prima Decretalium Collectione apud Antonium Augustinum sub titulo *de Hæreticis*, quorum primum duntaxat Decretalibus Gregorii IX. insertum est a Raymundo in *cap. Sicut ait* 8. ⁒ *de Hæreticis*.

Prima parte, agit Canon contra quosdam Hæreticos, quorum in partibus Tolosanis, & aliis locis (in Concilio additur: in *Gasconia, Albegesi*) *invaluit damnata perversitas* (vel ut in Concilio legitur: *ita invaluit damnata perversitas, ut jam non in occulto, sicut aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publice manifestent, & ad suum consensum simplices attrahant & infirmos*).

VValdensium fautores.

Itaque *eos, & defensores & receptatores eorum anathemati* decernit *subjacere; & sub anathemate prohibet, ne quis eos in domo vel terra sua tenere vel fovere, aut negotiationem cum eis exercere præsumat. Si autem in hoc peccato decesserit, neque sub privilegiorum nostrorum quibuscumque indultorum obtentu, neque sub alia quacumque occasione, oblatio pro eo fiat, aut inter Christianos accipiat sepulturam*.

Eorum varia nomina.

Dicitur autem, quod Hæreticos hos *alii Gazarros, alii Patarenos* (in Concilio legitur: *Quos alii Catharos, alii Patrinos, alii Publicanos*) *alii aliis nominibus vocarent*.

Notant communiter Eruditiores, hic indicari sectam *VValdensium*, cujus sub medium sæculi XII. primus auctor fuisse scribitur Petrus *VValdo* in Civitate Lugdunensi, a quo *VValdenses* nuncupati sunt. Item *Pauperes de Lugduno*, ab urbe e qua eruperunt. Item *Picardi, Albigenses, Lombardi, Bohemi, Bulgari*, quia in his regionibus grassabantur. *Arnaldistæ, Esperonistæ, Josephistæ, Lollardi*, a variis ipsorum Doctoribus sunt appellati; uti refert Natalis Alexander *in sæc. XII. cap. 4. art. 13. §. 1. edit. 2.* additque, quod dicerentur *Patareni*, quia se persecutiones pati gloriarentur: *Cathari*, quod se præ cæteris *puros* jactitarent, seu quod sectam *singularem* profiterentur, a Germanica voce *Kazer*, sive *Kazar*, ex qua *Kazari*, & mutato *Z* in *T* *Cathari* derivatum est.

Contra eosdem Hæreticos edidit decretum Lucius III. relatum in *cap. Ad abolendam 9.* ⁒ *de Hæreticis*, item Gregorius IX. in *cap. Excommunicamus 15.* ⁒ *eod.* in quibus variis illis nominibus supra relatis appellantur.

Varii errores & insolentiæ.

Horum errores varios, sed diversimode Scriptores illius ætatis referunt, fatenturque, eos in varias sectas fuisse distinctos, nec omnes iisdem erroribus fuisse infectos, atque alios aliis insolentiores; ipsosque a regionibus, in quibus grassabantur, nomina sortitos esse, adeo ut verisimile sit, quod & ex hac secta prodierint *Brabantiones*, seu *Brabancones*, & *Aragonenses, Navarii, Bascoli*, sive *Baschi, Caterelli*, & *Triaverdini*, de quibus agitur in secunda Canonis parte, *qui tantam* (ait Canon) *in Christianos immanitatem exercent, ut nec Ecclesiis, nec Monasteriis deferant, nec Viduis & Pupillis, non Senibus & pueris, nec cuilibet parcant ætati aut sexui, sed more Paganorum omnia perdant & vastent*.

DIS.

DISSERTATIO

In Concilium generale Lateranenſe IV. ſub Innocentio III.

§. I.

De Indictione hujus Concilii, ejuſque inchoatione.

Indictio anno 1213. Concilii poſt duos annos & ſemis celebrandi.

INNOCENTIUS III. anno 1213. Kalendas Maji Concilium indixit, Romæ celebrandum poſt duos annos & dimidium, ſcilicet ad Kalendas Novembres 1215. Diplomate, quod incipit, *Vincam Domini Sabaoth*, cujus exemplar ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & Priores totius Orbis tranſmiſſum fuit.

In hoc Diplomate primum exponit, quod inter omnia „ deſiderabilia cordis ſui duo in hoc ſæculo principaliter affectet, ut ad recuperationem videlicet Terræ ſanctæ, ac reformationem univerſalis Eccleſiæ, cum effectu valeat intendere „.

Ut autem hoc obtineri poſſet: „ habito ſuper his (ait) cum fratribus noſtris, & aliis viris prudentibus frequenti ac diligenti tractatu, prout tanti ſollicitudo propoſiti exigebat, hoc tandem ad exequendum prædicta de ipſorum conſilio, providimus faciendum: ut quia hæc univerſorum fidelium communem ſtatum reſpiciunt, generale Concilium juxta priſcam & Patrum conſuetudinem convocemus propter lucra ſolummodo animarum opportuno tempore celebrandum „.

Ob quæ autem Concilium convocetur, ſubjungit.

Pro extirpandis vitiis.

Primo (ait) „ ad extirpanda vitia & plantandas virtutes, corrigendos exceſſus & reformandos mores „.

Hæreſibus.

Secundo „ ad eliminandas hæreſes, & ad roborandam fidem „.

Diſcordiis.

Tertio ad ſopiendas diſcordias, & ſtabiliendam pacem, „ comprimendas oppreſſiones, & libertatem fovendam „.

Pro recuperanda Terra ſancta.

Quarto denique „ ad inducendos Principes & populos Chriſtianos ad ſuccurſum & ſubſidium Terræ ſanctæ, tam a Clericis, quam a Laicis impendendum „.

Dicit autem Concilium ante biennium non poſſe celebrari: ſed ne hæc dilatio inutilis ſit, declarat, ſe diſpoſuiſſe „ interim per viros, in ſingulis Provinciis, plenius explorare, quæ Apoſtolicæ proviſionis limam expoſcunt „.

Item „ præmittere viros Idoneos, ad Terræ ſanctæ negotium procurandum; ut, ſi, exigente neceſſitate, ſacrum Concilium approbaverit, ipſe *perſonaliter* ipſum negotium aſſumat efficacius promovendum.

Vocati ad Concilium cum modeſtia accedant.

Poſt hæc præcipit omnibus, ad quos Diploma dirigebatur, ut ad Kalendas Novembris anni 1215. Romæ adſint „ cum modeſtia & cautela, perſonarum & evectionum mediocritate ſervata, quam Lateran. Concilium (ſub Alexandro III. de quo in Diſſert. præcedenti) definivit, ut nullus omnino plures, quivis autem pauciores ſecum adducere poſſet, nec quiſquam ſuperfluas faciat & pompoſas, ſed neceſſarias tantum & modeſtas expenſas, oſtendendo ſe actu & habitu verum Chriſti cultorem, cum non ſæcularis applauſus, ſed ſpiritualis profectus in hoc ſit negotio requirendus „.

Capitula mittant viros idoneos.

Vult etiam, ut per Epiſcopos Capitula Canonicorum moneantur: „ ut Præpoſitum, vel Decanum, aut alios viros doctos, ad Concilium pro ſe mittant, cum nonnulla ſint in ipſo tractanda, quæ ſpecialiter ad Eccleſiarum Capitula pertinerent „.

Prævia inquiſitio in reformanda.

Ad hæc monet Epiſcopos, alioſque, quibus litteræ diriguntur, ut interim per ſe, aut alios viros prudentes, univerſa ſubtiliter inquirant, quæ correctionis aut reformationis ſtudio indigere videntur, ut ea fideliter conſcribentes, ad ſacri Concilii perferant examen „.

Sollicitudo pro Terra Sancta.

Denique hortatur, ut „ circa ſubventionem neceſſariam Terræ ſanctæ, ubi Deus Rex noſter ante ſæcula ſalutem in medio terræ dignatus eſt operari, opem & operam efficaciter impendant, aſſiſtendo fideliter & prudenter iis, quos ipſe (Innocentius III.) deputaverat ad illud negotium ſpecialiter procurandum „.

Inchoatum Concilium 1215. præſentibus Epiſcopis pluſquam 400.

Quomodo autem præfixo & ſtatuto tempore celebratum fuerit Concilium in Eccleſia Conſtantiniana ſive *Lateranenſi*, a qua dictum eſt Concilium *Lateranenſe*, quantaque multitudo Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, nec non & Oratorum Regum ad illud confluxerit, narrat Matthæus Pariſienſis, & Abbas Urſpergenſis iſtius temporis Scriptores. Verba Urſpergenſis ſunt. „ Anno ab Incarnatione Verbi 1215. celebrata eſt ſancta univerſalis Synodus Romæ in Eccleſia Salvatoris, quæ Conſtantiniana vocatur, menſe Novembri, præſidente Domino Innocentio Papa tertio Pontificatus ejus 18. anno, in qua fuerunt Epiſcopi 412. inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus. Antiochenus autem gravi languore detentus venire non potuit; ſed miſit pro ſe Vicarium Antheradenſem Epiſcopum; Alexandrinus vero ſub Sarracenorum dominio conſtitutus, fecit quod potuit, mittens pro ſe Diaconum ſuum Germanum. Primates autem & Metropolitani 71. Cæterum Abbates & Priores ultra octingentos. Archiepiſcoporum vero & Epiſcoporum, Abbatum, & Priorum, & Capitulorum abſentium non fuit certus numerus comprehenſus. Legatorum Regis Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Conſtantinopolitani, Regis Franciæ, Regis Angliæ, Regis Hungariæ, Regis Hieroſolymitani, Regis Cypri, Regis Arragoniæ, nec non & aliorum Principum, & Magnatum, Civitatum, aliorumque locorum ingens fuit multitudo „.

Hunc Scriptorem tunc vixiſſe, & eorum, quæ gerebantur, notitiam habere potuiſſe, ipſe indicat, dum verbis relatis immediate ſubjungit: *Eodem anno Abbas electus fui & tranſlatus in Urſperg.*

Sermo Innocentii III. ad Patres de triplici Phaſe ſeu tranſitu.

Congregato Concilio, ipſe Pontifex ſermonem habuit ad Patres, aſſumens pro themate hæc Chriſti verba: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.* Hoc Paſcha, quod *Phaſe*, ſive *tranſitum* ſignificat, triplex eſſe dicit, quod cum Patribus celebrare deſiderat: ſcilicet, *Corporale*, *ſpirituale*, & *æternale*: „ *Corporale* (ait) ut fiat tranſitus de loco ad locum, pro miſerabili Jeruſalem liberanda; *ſpirituale*, ut fiat tranſitus de ſtatu ad ſtatum pro univerſali Eccleſia reformanda; *æternale*, ut fiat tranſitus e vita ad vitam pro cæleſti gloria obtinenda „.

De tranſitu in Terram Sanctam.

Præcipue autem ſe extendit ſuper tranſitu corporali, ſive ſuper expeditione facienda in Terram ſanctam, ut hæc a jugo infidelium liberaretur, pronuntiatque: „ ſe paratum juxta conſilium Synodi, ſi viderit expedire, *perſonalem* ſubire laborem, & tranſire ad Reges & Principes, & populos & nationes, adhuc autem & ultra (ait) ſi clamore valido eos valeam excitare, ut ſurgant ad Domini prælium præliandum, & vindicandum injuriam Crucifixi; qui pro peccatis noſtris ejectus eſt de Terra, & de ſede ſua, quam ſanguine ſuo comparavit, & in qua univerſa redemptionis noſtræ Sacramenta peregit „.

Deinde ad Sacerdotes ſermonem convertens ait: „ quidquid tamen egerint alii, nos Sacerdotes Domini hoc negotium ſpecialiter aſſumamus, ſubvenientes & ſuccurrentes, in perſonis & rebus, neceſſitatibus Terræ Sanctæ: ita quod nullus omnino remaneat, qui non ſit particeps tanti operis, ne ſit expers tantæ mercedis.

Ex his aliiſque, quæ ad perſuadendam hanc expeditionem protulit Pontifex, haud obſcurum eſt, hoc negotium ipſi præ omnibus cordi fuiſſe, atque veriſimile eſt præcipuam fuiſſe convocandæ Synodi cauſam.

In virtutem.

Circa ſecundum tranſitum, hortatur Epiſcopos, ut contra criminoſos procedant etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, prout culpæ qualitas poſtulaverit. *Porro ſic percutite (ait) ut ſanetis; ſic occidite, ut vivificetis.* Hortatur autem, ut a correctione *Cleri* incipiant.

„ Nam (ait) in populo corruptela principaliter procedit a Clero: quia ſi Sacerdos, qui eſt unctus, peccaverit, facit delinquere populum: quippe dum Laici vident turpiter & enormiter excedentes, & ipſi eorum exemplo ad iniquitatem & ſcelera prolabuntur. Cumque reprehenduntur ab aliquo, protinus ſe excuſant dicentes: non poteſt Filius facere, niſi quod viderit Patrem facientem: & *ſufficit diſcipulo, ſi ſit ſicut Magiſter ejus* „. Luc. *cap.* 6. *verſ.* 40.

Ad æternam gloriam.

Finit per tertium Paſcha, ſcilicet tranſitum ad gloriam, ad quam una cum ipſis optat pervenire.

Alter ſermo a Pontifice in pleno Concilio pronuntiatus, eſt totus moralis, præcipue monens Patres, ut caveant ab ignorantia mandatorum Dei, eo quod Eccleſiaſtici debeant eſſe *lux mundi*.

Deinde caveant a negligentia in oratione, quæ ſpectat ad Dominum, & in correctione, quæ ſpectat ad proximum. „ Quidam enim (ait) ſunt canes muti non valentes latrare, palpantes vitia peccatorum, vel cupiditatis amore, vel fragilitatis timore: Cupiditatis amore, ne forte perdant oblationes, aut decimas: Fragilitatis timore, ne forte incurrant indignationem, aut odium „.

§. II.

De Actis Concilii Lateranenſis IV.

Diploma Innocentii III. de expeditione in Terram Sanctam.

PRÆCIPUA cauſa convocandi hoc Concilium videtur fuiſſe præmeditata ab Innocentio III. expeditio in ſubſidium Terræ Sanctæ; uti §. præcedenti notavimus.

Porro hanc expeditionem ſive *militiam Sacram* in hoc Concilio, inſtante & promotore Innocentio III. probatam & reſolutam conſtat; ejuſque diploma eum in finem evulgatum extat inter acta hujus Concilii, *Tom. XI. Concil. general. col.* 224. edit. Labb.

Ex quo diplomate intelligimus, quæ ad excitandos Principes, Prælatos, reliquoſque fideles, ſeu Eccleſiaſticos ſeu Laicos ſint decreta; item quæ etiam gratiæ tam

ad

ad temporalia, quam ad spiritualia spectantes indultæ, & additæ sint; item quæ subsidia temporalia ad facilitandam hanc expeditionem imposita & suggesta; quæque Episcopis & Prælatis præscripta media, quibus Principes & fideles ad eam expeditionem efficaciter inducerent.

Cum vero hæc expeditio seu *militia Sacra* nullum sub Innocentio III. effectum habuerit, nihilque de ea in Decretalibus Gregorii IX. occurrat, sufficere credidi indictæ hujus expeditionis diploma indicare. Si quis vero de hac, aliisque *Sacris* expeditionibus plenius instrui desideret, consulat Guillelmum Tyrium, aliosque de his specialiter tractantes; apparebitque directionem pene omnimodam similium expeditionum penes Romanos Pontifices fuisse: eorumque Legatos quasi Generales exercitus eis præfuisse, ut proinde non mirum, Pontifices & Curiam Romanam tantopere has expeditiones ursisse & promovisse.

Idem contra *Albigenses*.

Non tantum in subsidium *Terræ Sanctæ*, sed & contra hæreticos dictos *Albigenses* expeditionem seu *militiam Sacram* decretam ab Innocentio III. constat, hancque cum effectu contra hos Albigenses sub hoc Pontifice directam fuisse.

Crucesignati.

Qui autem hic expeditioni adscribebantur, quasi Christo militaturi *cruce* signabantur, inde *Cruce-signati* dicti sunt. His communi consensu præfectus fuit Simon Comes Montisfortis.

Petitur, ut horum Præfecto concedantur Terræ Albigensium.

Cum autem hic Comes strenue feliciqe successu contra Albigenses exercitum diu antea direxisset, pluresque victorias retulisset, placuit tandem Prælatis ac Baronibus apud Montem Pessulanum anno 1214. jussu Petri Beneventani Sedis Apostolicæ Legatis congregatis, ab eodem Legato postulare, ut ipse Legatus indilate traderet totam terram Comitis Tolosani (qui Albigenses fovere dicebatur) huic Comiti Montisfortis; Legatus Pontificis respondit, se id præstare non posse *inconsulto Pontifice*. Hic vero respondit, quod „ totam terram, „ quam Comes tenuerat Tolosanus, terras quoque il- „ las, quas Croce-signati acquisierant, & quas Legatus „ tenebat per obsides & custodes, commendabat Co- „ miti Montisfortis custodiendam, donec in Concilio „ *generali*, quod in Kalendis Novembris illius anni Ro- „ mæ convocaverat, de terris prædictis plenius ordina- „ ret „. Hæc pluribus referuntur in actis dicti Conventus apud Montem Pessulanum; atque ex Historia Petri Vallissarnensis auctoris coævi habentur *tomo* 11. *Conc. general. col.* 103. una cum litteris Innocentii III. ad dictum Comitem Montisfortis eadem continentibus.

Finalis autem hujus Concilii Lateranensis resolutio in hoc negotio fuit. Primo, quod Raymundus Comes Tolosanus declaretur, perpetuo a terra, & „ ejus do- „ minio exclusus, extra terram illam moraturus, ut „ dignam agat pœnitentiam de peccatis; verumtamen „ de proventibus terræ pro sustentatione sua quadrin- „ gentas marcas recipiat annuatim, quamdiu curaverit „ humiliter obedire „.

Secundo declarat, quod uxor Comitis Tolosani „ ter- „ ras ad suum dotalitium pertinentes integre habeat, „ ac quiete, ita tamen eas ad mandatum Ecclesiæ fa- „ ciat custodiri, quod per ipsas negotium pacis & fidei „ non valeat perturbari, vel pro illis *secundum Sedis* „ *Apostolicæ arbitrium* compensationem accipiat con- „ gruentem „.

Tertio, ut tota terra, quam obtinuerunt *Cruce-signati* adversus hæreticos, eorumque fautores & receptores, cum Monte Albano atque Tolosa dimittatur & concedatur Comiti Montisfortis, ut eam teneat, ab his, a quibus jure tenenda est.

Quarto, ut residua terra, quæ non fuit a Cruce-signatis obtenta, custodiatur ad mandatum Ecclesiæ per viros idoneos, qui eam manuteneant & defendant, ut provideri possit unico filio dicti Comitis Tolosani, postquam ad legitimam ætatem pervenerit: „ si talem se „ studuerit exhibere, quod in toto vel parte ipsi me- „ rito debeat provideri, prout magis videbitur expe- „ dire „.

Integrum Decretum ex Tomo VII. Spicilegii Dacheriani insertum est *tom.* 31. *Concil. general. col.* 224. edit. Labbæanæ.

Idipsum de adjudicatione terræ Comiti Montisfortis facta, & reservatione in favorem filii Comitis Tolosani, refert citatus Petrus Vallissarnensis in Historia Albigensium *cap.* 83. qui & addit, aliquos etiam de Prælatis fuisse in Concilio, qui pro restitutione bonorum facienda Comiti Tolosano laborabant; „ sed Dominum „ Papam, approbante pro majori parte & saniori Sa- „ cro sancto Concilio, in prædictum modum ordinasse „ de negotio memorato „.

Censuræ latæ contra Archiepiscop. Cantuariensem, & Barones Angliæ.

Præter hæc actum fuit in Concilio de quibusdam negotiis particularibus, ac signanter de causa Stephani Archiepiscopi Cantuariensis, qui favere aut saltem connivere visus fuerat Baronibus Angliæ, molientibus de Throno depellere *Joannem Angliæ Regem*, cui antea Innocentius III. maxime adversatus fuerat, sed nunc impense favebat, ex quo Regnum Angliæ Sedi Apostolicæ *tributarium* & *feudale* fecerat.

Hunc ergo Archiepiscopum Pontifex cum Concilio Cardinalium a Sacris suspendit, uti plenius refertur ex Matthæo Parisiensi *tomo XI. Concil. general. col.* 234. e quibus intelligere licebit, ipsi Pontifici potius, quam Concilio totum hoc negotium esse adscribendum: quemadmodum & causam ipsorum Baronum Angliæ advertantium Regi suo Joanni, qui in hoc Concilio a Pontifice excommunicati sunt cum adjutoribus suis, *eo quod Joannem illustrem Anglorum Regem Cruce-signatum & Vassallum Romanæ Ecclesiæ vexabant, molientes ei Regnum auferre, quod ad Romanam Ecclesiam noscitur pertinere*, uti habetur in Actis Innocentii III. quæ ad annum 1216. recitat Matthæus Parisiensis; & ex ipso inserta sunt *tomo* 11. *Concil. general. col.* 237. edit. Labbæanæ.

§. III.

De Canonibus Concilio Lateranensi adscriptis, & qua ratione huic Concilio attribuantur.

Matthæus Parisiensis de hac Synodo loquens ad annum 1215. ait: „ Facto prius ab ipso Papa ex- „ hortationis sermone, *recitata* sunt in pleno Concilio „ *Capitula* 70. quæ aliis placabilia, aliis videbantur „ onerosa „. 70. Canones seu Capitula.

Hæc indubie sunt Capitula, quæ per Decretales Gregorii IX. dispersa extant sub nomine *Innocentii III. in Concilio generali Lateranensi*: quæque passim solent huic Concilio adscribi; eademque in antiqua Decretalium Collectione cum aliis quibusdam ipsius Innocentii III. Epistolis Decretalibus extabant per varios titulos dispositas; quam sub nomine *quartæ* Collectionis Decretalium edidit Antonius Augustinus.

Porro ex jam relatis verbis Matthæi Parisiensis constat, hæc Capitula, facto prius ab ipso Papa exhortationis sermone, *recitata esse in pleno Concilio*.

Videntur pleraque a Pontifice prius confecta, ac dein in Concilio recitata.

Insuper cum dicatur, facto *prius ab ipso Papa exhortationis sermone*, in *pleno* Concilio *recitata*, &c. colligitur saltem pleraque jam prius a Pontifice ejusve jussu *confecta*, simpliciter in Concilio jam congregato esse *recitata*.

Hinc contigit, ut sub nomine *Innocentii III. in Concilio generali Lateranensi* relata sint, & in veteri Decretalium Collectione una cum aliis Decretalibus Innocentii III. in unum volumen fuerint compilata.

Ad id jampridem reflexisse videtur Panormitanus in Commentario *cap.* 1. ꝟ. *de Pactis*, notans, quod lex edita in Concilio sit nomine ipsius *Concilii*, & non *Papæ cum approbatione Concilii*. Unde, puto (ait) quod „ cum materia legis ordinatur a Papa, licet Conci- „ lium approbet, tamen lex edenda est nomine Papæ; „ a quo *sumpsit vigorem, & originem*: nam sine Con- „ cilio Papa potest leges condere: aut materia legis „ originatur a Concilio: ex tunc *nomine Concilii* lex „ edenda est: nam in Concilio interest Papa velut ca- „ put. Quinimmo *majoris roboris est Constitutio totius* „ *Ecclesiæ quam solius Papæ* „.

Insuper inde contigisse potest, quod pridem Conciliorum Collectores hæc Capitula non exhibuerint cum ipso Concilio, donec Joannes Cocklæus anno 1537. Joanni Rinco Coloniensi ea transmiserit; ut constat ex ejusdem Cocklæi Epistola excusa in editione Conciliorum Petri Crabbe Coloniæ anno 1538.

Post hanc editionem, capitula hæc in Collectione Conciliorum fuere adjuncta huic Concilio tamquam totidem ejusdem Concilii Canones.

Et quidem in Conciliorum generalium collectione studio Philippi Labbæi, & Gabrielis Cossartii, post sermones Innocentii III. sub initium Concilii pronuntiatos, extant hæc Capitula Græce & latine ex antiquo Codice Mazarineo cum hoc ejusdem Cossartii præfixo monito: „ ea græce simul ac latine damus ex codice Ma- „ zarineo, qui ejusdem est atque Concilium ipsum æta- „ tis: in quo Græca Latinis e regione respondent. Primum „ tamen caput, & secundi partem, aliaque nonnulla „ latine tantum edimus; quia iis partibus mancus est „ codex „ (a).

„ Ejus autem aspectus unus, convincere facile potest „ eos, qui Decretis hisce Lateranensibus derogant fi- „ dem, Græca vero interpretatio, eadem ætate con- „ fecta, utriusque concordiam Ecclesiæ demonstrabit. „ Aderant siquidem Concilio Constantinopolitanus & „ Hierosolymitanus Patriarchæ; miserant Legatos suos „ Alexandrinus & Antiochenus ex iis Patriarchatibus „ Metropolitæ, aliique Episcopi multi convenerant. „ Qui ut secum Decreta Concilii referrent, Græcam „ in linguam, quamvis ineleganter, immo multis in „ locis barbare translata sunt „.

Porro cum Canones hi per Decretales Gregorii IX. dispersi circa varias & inter se diversas admodum materias versentur, etiam eorum notabiliores pro materiæ

(a) Quod ex Concilio Lateranensi IV. authenticum superest; id reducitur ad ejus Canones septuaginta Capitulis comprehensos, ad duas Conciones latinas ab Innocentio III. pronunciatas, tandem ad Decretum quoddam particulare de *Sacra Crucis militia* editum.

riæ varietate in varias classes distinctos haud servato, quo in Concilio exhibentur, ordine, brevibus *Observationibus* illustrandos judicavi; præsertim quia præcipuam pene partem Decretalium, quæ sub nomine Gregorii IX. divulgata est, & hodie in scholis præleguntur, constiunt.

O B S E R V A T I O N E S

In Concilii Lateranensis IV. Canones I. II. III. IV. LXVIII. LXIX. contra Hæreticos & Judæos.

C A N O N I.

Expositio Fidei Catholicæ. Cap. Firmiter 1. ✠ de summa Trinit.

OBSERVATIO.

CANON primus relatus in *cap. Firmiter* 1. ✠ *de summa Trinitate & Fide Cathol.* exponit per varios articulos fidem Catholicam.

De Sanctiss. Trinitate.

Primus articulus spectat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, diciturque quod tres personæ, *Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes & coæterni* sint, *unum universorum principium, Creator omnium invisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.*

Deinde subjungit: *Diabolus enim & alii dæmones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali; homo vero Diaboli suggestione peccavit.*

De Incarnatione Verbi Dei.

Secundo articulo exponit Mysterium Incarnationis Verbi Domini: proponitque fidem Passionis, Resurrectionis, descensus ad inferos, Ascensionis in cælum dicens: *descendit in anima, & resurrexit in carne, ascenditque pariter in utroque.*

Retributio in extremo Judicio.

Addit, ipsum, qui ascendit, *venturum in fine sæculi judicaturum vivos & mortuos, & redditurum singulis secundum opera sua, tam reprobis quam electis.*

Una credendum proponens, quod *omnes* scilicet *reprobi & electi, cum suis propriis corporibus resurgent*, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum *opera* (in Concilio *merita*) *sua, sive bona fuerint* sive mala, *illi cum Diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam.*

Unitas Ecclesiæ Catholicæ.

Tertio articulo docet, *unam esse fidelium universalem Ecclesiam, extra quam nullus omnino salvatur.*

Sacramentum Altaris.

Ad hæc declarat, quod in hac Ecclesia, *ipse Sacerdos est sacrificium Jesus Christus: cujus quoque Corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur: transubstantiatis* (ait) *pane in Corpus & vino in Sanguinem potestate divina.* Additque, *quod hoc Sacramentum nemo possit conficere, nisi Sacerdos, qui recte fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus.*

Sacramenta Baptismi & pœnitentiæ.

Quarto articulo definit, Baptismum *tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiæ a quocumque rite collatum proficere ad salutem.* Quodque *si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram possit pœnitentiam semper reparari.*

Cœlibatus & Matrimonium.

Denique definit, quod *non solum virgines & continentes, verum etiam conjugati per rectam fidem & operationem bonam ad æternam mereantur beatitudinem pervenire.*

Hanc Concilii definitionem & fidei explanationem factam esse contra Albigensium, aliasque illius ætatis exortas hæreses nullus dubitat: at non æque constat, qui fuerint Albigensium, aliorumque ejus ætatis Hæreticorum singuli errores: quippe diversimode a scriptoribus illius temporis relati.

C A N O N II.

Condemnatio Libelli, quem Abbas Joachim *contra* Magistrum sententiarum *ediderat.* Cap. *Damnamus* 2. ✠ de SS. Trinit.

OBSERVATIO.

CANON II. relatus in *cap. Damnamus* 2. ✠ *eod.* continet condemnationem cujusdam Libelli, quem contra Petrum Lombardum vulgo *Magistrum sententiarum* scripserat Joachim Abbas Monasterii Florensis Ordinis Cisterciensis in Calabria, ubi & natus fuerat.

Ut autem Decretalis facilius intelligatur, pauca hic præmittenda sunt.

Jubet Alexander III. doceri contra doctrinam Petri Lombardi.

Scribit in primis Matthæus Parisiensis ad annum 1179. relatum fuisse Alexandro III. Papæ, quod Magister Petrus Lombardus in quibusdam scriptis suis *ab articulis fidei deviavit*,

Post hæc recitat litteras, quas propterea Alexander III. scripsit ad Senonensem Archiepiscopum, quibus illi mandat: „ ut Suffraganeos suos Parisiis convocet, & „ una cum illis & aliis viris religiosis & prudentibus „ studeat penitus abrogare hanc doctrinam dicti Petri: „ *Quod Christus, secundum quod est homo, non est* „ *aliquid* „.

Insuper „ ut a Magistris Scholaribus ibidem in Theo„ logia studentibus. Christum sicut perfectum Deum, „ sicut & *perfectum hominem* ex anima & corpore „ consistentem præcipiat edoceri „. Extat hæc epistola apud Labbæum *Tom. X. Concil. general. col.* 1529. additurque ad calcem ejusdem: „ hæc tunc Alexander „ Papa; quæ naviter per eumdem Senonensem Archie„ piscopum impleta esse liquet „.

Abbas Joachim scribit contra Petrum Lombardum.

Non dubium igitur, quin plures tum auctoritate, tum censura Pontificia, & Episcoporum zelo excitati contra Petrum Lombardum calamum strinxerint; inter quos & fuit dictus *Joachim*, qui, teste Matthæo Parisiensi loco citato „ eisdem diebus scribit contra „ eumdem Petrum Lombardum libellum, vocans eum „ *hæreticum & insanum*: eo quod in libro *Sententia-* „ *rum*, quem composuerat idem Petrus, de *unitate* si„ ve essentia Trinitatis dixit: Quoniam quædam sum„ ma res est *Pater & Filius & Spiritus sanctus, &* „ *illa non est generans, neque genita, neque procedens.* „ Contra hanc assertionem opposuit abbas præfatus, „ quod non tam Trinitatem adstruebat in Deo, quam „ quaternitatem, tres videlicet personas, & illam com„ munem essentiam quasi quartam manifeste protestans; „ quod nulla res est, quæ sit Pater & Filius & Spiri„ tus sanctus, nec essentia, nec substantia, nec natura. „ Quamvis concedat, quod Pater & Filius & Spiri„ tus Sanctus sint una essentia, una substantia, & una „ natura, & hanc suam assertionem his, quæ sequun„ tur, auctoritatibus affirmat. *Tres sunt qui testimonium* „ *dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus,* „ *& hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium* „ *dant in terra, Spiritus, Aqua & Sanguis, & hi* „ *tres unum sunt.* Item: *volo, Pater, ut sint unum* „ *in nobis, sicut & nos unum sumus.* Unde videtur, „ quod sæpe dictus Joachim hujusmodi unitatem, non „ veram & propriam, sed quasi collectivam & simili„ tudinariam esse fateatur: quemadmodum multi homi„ nes dicuntur *unus* populus, & multi fideles *una* Ec„ clesia „.

Notat autem hic citatus Historicus, quod steterit „ hæc indeterminata altercatio a diebus Alexandri Pa„ pæ, usque ad tempora Innocentii Papæ per annos „ multos, sedentibus inter eos in cathedra Romana „ Lucio, Gregorio, Clemente, & Cœlestino Pontifici„ bus Romanis „.

Innocentius III. damnat Libellum Abbatis Joachim.

His succedens „ Innocentius III. Concilium hoc an„ no 1215. convocavit, libellum Joachim, quem con„ tra Petrum, & articulum prædictum ediderat, dam„ navit „: uti monet Matthæus Parisiensis, ibidem verba hujus Decretalis referens, quibus doctrina Abbatis Joachim eo pene modo, quo ex Matthæo Parisiensi jam relata est, exprimitur & damnatur. Ipsaque Lombardi sententia probatur ut Catholica, additurque, si quis sententiam „ sive doctrinam præfati Joachim in „ hac parte defendere vel approbare præsumpserit, „ tamquam hæreticus ab omnibus evitetur „. Sive ut legit Matthæus Parisiensis, *habeatur*.

Abbas Joachim declaratus Orthodoxus, quod scripta sua submisisset Romanæ Ecclesiæ.

Dum autem Libellus hic proscribitur, atque in eo contenta doctrina damnatur, ut *hæretica*, una declarat Pontifex, se *in nullo tamen per hoc Florensi Monasterio* (*cujus ipse Joachim extitit Institutor*) velle *derogari: quoniam ibi & regularis institutio est & observantia salutaris; maxime cum ipse Joachim omnia scripta sua nobis assignari mandaverit, Apostolicæ Sedis judicio approbanda, seu etiam corrigenda: dictans epistolam, quam propria manu subscripsit, in qua confitentur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ cunctorum fidelium, disponente Domino, Mater est & Magistra.*

Hæc Joachim submissio, seu protestatio edita est a Nicolao Emerico *parte* 1. *Directorii inquisit. cap.* 2. Ex hac habemus, quod dictus Abbas Joachim de mandato Pontificum Romanorum, Clementis, Lucii, & Urbani plura scripserit, & voluerit, ut post mortem suam

ſuam hæc omnia Apoſtolico examini repræſententur: „ recipientes (ait) ab eadem Sede vice mea correctio„nem, & exponentes ei meam circa ipſam devotio„nem, & quod ea ſemper paratus ſum, quæ ipſa ſta„tuit, vel ſtatuerit, obſervare, nullamque meam opi„nionem contra ejus defendere rectam fidem: credens „ ad integrum, quæ ipſa credit; & tam in moribus „ quam in doctrina ſuſcipiens correctionem: abjiciens „ quod ipſa abjicit, ſuſcipiens, quod ſuſcipit ipſa; cre„dens non poſſe portas inferi prævalere adverſus eam, „ & ſi ad horam turbari, & a procellis agitari contin„gat, non deficere fidem ejus uſque ad conſummatio„nem ſæculi. „

Hujuſmodi ſubmiſſio ſeu proteſtatio Joachinum a pertinacia in errore notaque hæreſeos plene exemit; atque „ ut orthodoxum Eccleſiæ filium, licet errantem con„ſervavit: ideoque & ipſe Innocentius III. laudabilem Joachimi, poſt ejus obitum, mentionem fecit *lib.* 14. *epiſt.* 59.

Deinde cum quidam calumniarentur, ac nota hæreſis aſpergerent Abbatem Florenſem, & Monachos; eo colore, quod Monaſterii eorum Fundatoris Libellus in Concilio Lateranenſi eſſet damnatus, Honorius III. immediatus Innocentii III. ſucceſſor, per litteras inſcriptas Conſentino Archiepiſcopo, & Epiſcopo Biſiniacenſi, mandat quatenus „ per totam Calabriam faciatis (ait) „ publice nuntiari, quod eum virum *Catholicum* repu„temus, & regularem obſervantiam, quam inſtituit, „ ſalutarem, eos qui ordini memorato detrahere vel „ inſultare præſumpſerint mo. Præn. ſub Apoſt. ob. „ caſtigantes. „ Extat hæc epiſtola citato *cap.* 2. *Directorii*.

Almarici doctrina & memoria damnatur.

Aliud plane de quodam Almarico ſtatuitur in præſenti Canone. Neque enim tantum damnatur ejus doctrina, aut Libellus, ſed ejus quoque memoria.

Quæ fuerit hujus Almarici doctrina non exprimitur in Canone, ſed ut *perverſum dogma* damnatur. Ipſeque Almaricus *impius* appellatur, & *cujus mentem ſic Pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina, non tam hæretica quam inſana ſit cenſenda*.

Meminit hujus Almarici Rigordus in vita Philippi Auguſti ad ann. 1209. narratque eum conſtanter aſſeruiſſe, *quod quilibet Chriſtianus teneatur credere, ſe eſſe membrum Chriſti: nec aliquem poſſe ſalvari, qui hoc non crederet, non minus quam ſi non crederet Chriſtum non eſſe natum & paſſum, vel alios fidei articulos*.

Licet ut orthodoxus fuiſſet ſepultus.

Nullius alterius erroris contra fidem Almaricum arguit Rigordus, aut alius ſcriptor coævus: additque Rigordus, quod ſuper hoc articulo *univerſaliter* ipſi fuerit contradictum; & „ poſtquam etiam a Romano Pon„tifice ejus opinio eſſet reprobata, compulſus fuerit „ ab Univerſitate confiteri *ore*, quod in contrarium „ prædictæ ſuæ opinioni ſentiret. *Ore dico* (ait Rigor„dus) *quia corde nunquam diſſenſit*. „

„ Tædio ergo & indignatione (ait Rigordus) affe„ctus, ut dicitur, ægrotavit, & lecto decumbens de„ceſſit in brevi, & ſepultus eſt juxta Monaſterium „ ſancti Martini de Campis. „

Huic de Almarico narrationi conſentiunt & alii coævi Hiſtorici. Ex quibus haud obſcurum eſt Almaricum nequaquam pro hæretico, aut in errore pertinaci, tempore mortis fuiſſe reputatum; nec ejus tunc memoriam damnatam: cum alias Eccleſiaſtica nequaquam ſepultura fuiſſet ei indulta.

Præterea patet, falſo aſſeruiſſe Martinum Polonum, & poſt ipſum Franciſcum Pegnam citato *cap.* 2. *Directorii* Inquiſitorum, hunc Almaricum *combuſtum* Lutetiæ anno 1208.

Quidam ejus doctrina infecti cremati.

At illud tradit dictus Rigordus, & alii ejus ætatis ſcriptores, quod „ poſt mortem Almarici ſurrexerint „ quidam venenoſa ejus doctrina infecti, qui eo ſubti„lius pluſquam oportet ſapere, ſapientes, ad exſufflan„dum Chriſtum, & ad evacuandum novi Teſtamenti „ Sacramenta, novos & inauditos errores & inventio„nes diabolicas confinxerunt. „

Eorum errores ibidem deſcribit Rigordus, & fuſius Cæſarius Heiſterbacenſis *lib.* 5. *Dial. cap.* 22. inter quos errores, ſi ſincere & ſecundum veritatem referantur, revera plures ſunt, qui *inſani* potius quam hæretici dici merebantur; ac merito inventiones diabolicæ a Rigordo dicti ſunt.

His erroribus, eorumque auctoribus per quoddam ſtratagema (uti citati Hiſtorici plenius exponunt) detectis, & Pariſios adductis „ in Concilio ibidem con„gregato convicti fuerunt & condemnati, & ab Ordi„nibus, in quibus erant (ait Rigordus) degradati, „ traditi fuere Curiæ Philippi Regis; qui tamquam Rex „ Chriſtianiſſimus & Catholicus, vocatis Apparitori„bus, fecit omnes cremari. „

Idipſum refert Robertus Monachus Antiſſiodorenſis in Chronico, niſi quod hic dicat, ea anno 1210. geſta eſſe, quodque exprimat ibidem „ damnatos fuiſſe *numero quatuordecim*, quorum erant aliqui Sacerdotes cu„ram animarum habentes, quibus fecerat favorem apud „ populum, ſpecies honeſtatis & gravitas ſuperducta. „ Additque: „ decem traduntur incendio, reliqui qua„tuor murali incluſione damnantur. „

Almaricus occaſione iſtorum exhumatus.

Hæc quidem de diſcipulis Almarici narrantur. Cum autem conſtaret, Almaricum huic ſectæ originem dediſſe, „ licet in *pace Eccleſiæ*, ut putabatur, ſepultus „ fuiſſet (ait Rigordus) ab univerſo Concilio etiam „ poſt mortem excommunicatus fuit, & condemnatus, „ & a cœmeterio ejectus, & oſſa ac cinis ejus per „ ſterquilinia ſunt diſperſa. „

Porro quemadmodum Almaricus hoc in Concilio potius ob nefanda ac inſana diſcipulorum, quam propria ſua dogmata, poſt mortem damnatus, & ut hæreticus habitus fuit; ita veriſimiliter & Concilium Lateranenſe in præſenti Canone inhærens prædicto Concilio Pariſienſi, propter nefanda & inſana dogmata diſcipulorum, doctrinam Almarici, ejuſque memoriam poſt mortem tam atro colore depinxit & damnavit.

CANON III.

Pœnæ in hæreticos. Bellum ſacrum contra hæreticos. Privilegia Cruce-ſignatorum. *De inveſtigandis & detegendis hæreticis*. Cap. 13. ✠ de Hæreticis.

OBSERVATIO.

CANON III. relatus in *cap.* ✠ *de Hæreticis*, in plures Paragraphos ſeu articulos diviſus, contra hæreticos illius ætatis exhibetur: atque in prœmio excommunicat ſeu anathematizat omnem hæreſim contra fidem Orthodoxam præcedentibus duobus Canonibus expoſitam; & generaliter univerſos hæreticos quibuſcumque nominibus cenſeantur.

Hic Canon præcipue dirigitur contra hæreſes VValdenſium & Albigenſium, quæ ſæculo XII. exortæ, altas & diffuſas radices jecerant tempore Innocentii III.

Hæreſis VValdenſium.

Sectæ VValdenſium primus auctor aſſeritur quidam Petrus VValdo civis Lugdunenſis in Gallia; a quo tamquam auctore nomen *VValdenſium* mutuati ſunt; uti ſupra ad Canonem ultimum Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. notavimus; ibidemque obſervatum eſt, quod variis nominibus poſtmodum ejus diſcipuli appellati fuerint.

Et Albigenſium.

Porro refert de *Albigenſium* hæreſi Cæſarius Heiſterbacenſis auctor ſæculi XIII. in Dialogis miracul. *diſt.* 5. *cap.* 21. „ Temporibus Innocentii Papæ prædeceſſo„ris hujus, qui nunc papatum tenet, Honorii (III.) „ diaboli invidia hæreſis Albigenſium cœperat pullula„re (vel ut verius dicam) matureſcere, cujus vires „ erant tam validæ, ut omne fidei ſemen gentis illius „ verſum videretur in lolium erroris. „

Contra has igitur hæreſes totis viribus inſurrexit Innocentius III. ut dubium non ſit ea, quæ in hoc Concilio adverſus hæreticos decreta ſunt, præcipue contra *VValdenſes* & *Albigenſes* dirigi. Quapropter inter varia Concilia contra hos hæreticos habita numeratur & hoc Concilium Lateranenſe.

Decernuntur variæ pœnæ contra Hæreticos.

§. 1. Decernitur, ut damnati de hæreſi *præſentibus ſæcularibus Poteſtatibus aut eorum Ballivis relinquantur, animadverſione debita puniendi, Clericis prius a ſuis Ordinibus degradatis: ita quod bona hujuſmodi damnatorum, ſi laici fuerint, confiſcentur: ſi vero Clerici, applicentur Eccleſiis, a quibus ſtipendia receperunt*.

Etiam pœna corporalis.

Hic agi de pœna corporali, etiam ultimi ſupplicii infligenda iis, qui ab Epiſcopis ſive Judicibus Eccleſiaſticis hæretici declarati & damnati ſunt, indubitatum eſt.

Et capitalis.

Olim quidem raro admodum pœna mortis plectebantur hæretici; multiſque ſuo tempore improbavit Sanctus Auguſtinus pœnam hanc in hæreticos decerni. At poſterioribus ſæculis paſſim invaluit, hæreticos *pertinaces* ultimo ſupplicio afficiendos, quin & vivos igne abſumendos: quod genus ſupplicii ſignanter hiſce XII. & XIII. ſæculis cœpit, & deinceps inſtituto Inquiſitionis tribunali, magis magiſque invaluit, in quo & hodie hic ſuppliciorum rigor retinetur. Vide quæ in *Jure Eccleſ. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 4. *cap.* 2. de hoc Inquiſitionis tribunali, ejuſque contra hæreticos procedendi modo notavi.

Hujus ſola executio permittitur Poteſtati ſæculari.

Præterea ex contextu hujus articuli manifeſtum eſt, quod ſola executio ſæcularibus Poteſtatibus hic committatur; notatque hic Emmanuel Gonzales, „ quod „ communis praxis Hiſpaniæ ſit, ut cum hæretici re„laxandi ſunt brachio ſæculari, in eo loco ubi ſen„tentia publice recitanda & pronuntianda eſt, Judex „ ſæcularis adſit, cui poſt ſententiam recitatam ſta„tim rei comburendi traduntur, qui illico eos ad lo„cum ſupplicii adducit, & ita ſententiam executio„ni mandat. „ Fatetur tamen ibidem, judices ſæculares olim in Hæreticos animadvertiſſe; quod & probant Principum Conſtitutiones in codicem Juſtinianæum & Theodoſianum relatæ; & videri poſſunt, quæ annotavi in *Jure Eccleſ. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 4. *cap.* 2.

Verum Epiſcopos ſive fidei Inquiſitores eos judici ſæculari tradidiſſe morte afficiendos; aut judicem ſæcularem eos ſine ulteriore examine ad ſolam judicis Eccleſiaſtici declarationem ultimo ſupplicio affeciſſe, non legitur.

Purgatio ſuſpectorum de hæreſi.

§. 2. Agitur de his, qui ſola hæreſis ſuſpicione la-

laborant: ſtatuiturque, quod *niſi* ſe ab hac ſuſpicione purgaverint, ſive *propriam innocentiam congrua purgatione monſtraverint, anathematis gladio feriantur, & uſque ad ſatisfactionem condignam ab omnibus evitentur, ita quod ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, ex tunc velut hæreti condemnentur.*

Rigor hic procedendi contra ſuſpectos de hæreſi fere *ſolis* iis in locis notus eſt, quæ tribunali Inquiſitionis ſunt ſubjecta, neque ante erecta ſæculo XII. hæc tribunalia notus fuiſſe ſcitur: quamvis negari nequeat, quin & Patribus jam pridem probatum fuerit, ut legitime de hæreſi, aliove crimine ſuſpecti, præſertim Sacerdotes, cogantur ſe ab hac ſuſpicione purgare; quod & hodie ubique obtinet, licet nec rigor, nec forma in tribunali Inquiſitionis recepta, obſervanda ſint; nec ea facilitate, qua apud Inquiſitores, pro ſuſpectis de hæreſi habeantur, aut habendi ſint: ſed omnia in forma *ordinaria* judiciali ſint peragenda.

Contra negligentiam Sæcularium in puniendis Hæreticis.

§. 3. Ut autem ſæculares Poteſtates promptius atque ferventius majorique zelo contra Hæreticos procedant; ipſaſque ſententias, Decretaque per judices Eccleſiaſticos adverſus Hæreticos, aut de Hæreſi ſuſpectos exequantur, decernitur tertio Canonis articulo, ut *moneantur ac inducantur*, quin *& ſi neceſſe fuerit per Cenſuras eccleſiaſticas compellantur ſæculares Poteſtates, quibuſcumque fungantur officiis, præſtent publice juramentum, quod de terris ſuæ juriſdictioni ſubjectis, univerſos Hæreticos ab Eccleſia denotatos bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt.*

Ulterius, quod *ſi Dominus temporalis requiſitus & monitus ab Eccleſia, ſuam terram purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum & cæteros comprovinciales Epiſcopos* excommunicetur: *& ſi ſatisfacere contempſerit, infra annum, ſignificetur hoc ſummo Pontifici, ut ex tunc ipſe vaſſallos ab ejus fidelitate denuntiet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis Hæreticis, abſque ulla contradictione poſſideant .... ſalvo jure Domini Principalis, dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat. Eadem nihilominus lege ſervata circa eos, qui non habent Dominos Principales.*

Bellum ſacrum contra Hæreticos.

Hoc ipſum Decretum ſæpius poſtmodum in favorem Inquiſitorum contra Hæreticam pravitatem renovatum fuit, uti videri poteſt in *Directorio Inquiſitorum* auctore Emerico, *parte* 3. & ſignanter in adjuncto *commentario* Franciſci Pegna: ſupponuntque evidenter Bullæ Pontificum ibidem relatæ auctoritatem Eccleſiæ, immo Pontificis in temporalia Regum & Principum. Vide quæ de hac re habet Michael Rouſſel in *Hiſtoria Pontificiæ juriſd. lib.* 3. *c.* 3. *num.* 9.

Hæc alibi non obtinent.

Uſus autem hujus ſimiliſve Decreti nullus eſt extra terras tribunali *Inquiſitionis* ſubjectas; quin & hæc aliaque hujuſmodi Decreta tribunal illud Inquiſitionis (quod prima ſua fundamenta ſub hoc Pontifice Innocentio III. jecit) tam odioſum multis nationibus reddiderunt, & etiamnum hodie reddunt, ut extrema quæque pati plures nationes elegerint, quam ſe huic tribunali ſubjicere, aut juxta formam ac regulas ibidem præſcriptas, & ſervari ſolitas, judicari; uti de Belgio, aliiſque nonnullis Provinciis annotavi in *Jure Eccl. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 4. *cap.* 2.

Decretum in favorem Inquiſitorum.

Ut vero Catholici ad exterminandos Hæreticos ſe facilius accingerent, & armarent, præſenti Canone articulo quarto indulgetur *Catholicis; qui*, inquit, *Crucis aſſumpto charactere ad Hæreticorum exterminium ſe accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoque ſancto privilegio ſint muniti, quod accedentibus in Terræ Sanctæ ſubſidium conceditur.*

Origo bellorum ſacrorum ſeu Cruciatarum.

Hic Canonis articulus ut intelligatur, notandum, quod ſæculo XI. deliberare cœperint Romani Pontifices de colligendo Catholicorum exercitu, quo Terram Sanctam, ac notanter Hieroſolymorum civitatem a jugo Saracenorum liberarent: tandemque opus hoc ſerio aggreſſus ſit ſub finem ejuſdem ſæculi Urbanus II. excitatus, ut dicitur, litteris Simeonis Patriarchæ Hieroſolymorum, quas quidam Petrus Eremita natione Gallus, Hieroſolymis redux, ad Urbanum Papam deferebat. Dictus Patriarcha in his litteris Chriſti incunabula ejuſque Sepulcrum, aliaque loca Sacra Redemptoris noſtri memoria conſecrata ab infidelibus profanata, omnique genere contumeliarum conſpurcata declarabat.

Synodus Claromontana pro bello ſacro.

Itaque exhortationibus Epiſcoporum, aliorumque per Pontificem ad opus hoc promovendum quaqua verſum deſtinatorum, ac ſignanter dicti *Petri Eremitæ*, diſpoſitis Principum ac Populorum animis ad iter illud Hieroſolymitanum ſuſcipiendum, tandem ipſe Urbanus II. anno 1095. Synodum apud Clarummontem indixit; cui & ipſe *perſonaliter* interfuit: in hac Synodo ſermonem Synodalem coram immenſa Prælatorum ac Principum & Populi multitudine, quæ undique confluxerat, recitavit, quo univerſos, omni quo potuit affectu, & argumentorum genere, ad hoc iter ſuſcipiendum excitavit.

Sermo Urbani II. in Synodo.

Primo quidem expoſuit, quod Redemptor humani generis terram Promiſſionis ſive Palæſtinam, ac ſignanter Hieroſolymam ſua corporali præſentia illuſtraverit, ac quadam ſpeciali dilectionis prærogativa dilexerit.

Dein, quomodo hæc terra tantopere a Chriſto dilecta, jam a multo tempore ſub infidelium jugo gemuerit.

Denique expoſuit, quanta omnibus Chriſti fidelibus obligatio incumbat Populis terræ iſtius ſub infidelium tyrannide ingemiſcentibus ſuccurrendi.

His dictis, ad præſentem multitudinem ſe convertens ait: „ igitur, dilectiſſimi, armamini zelo Dei; accin- „ gimini unuſquiſque *gladio ſuper femur ſuum potentiſ-* „ *ſime*. Accingimini, & eſtote filii potentes: *melius* „ *enim eſt nobis mori in bello, quam videre mala gen-* „ *tis noſtræ*, & Sanctorum „ &c.

Indulgentiæ in favorem Crucefignatorum.

Ut autem efficacius fideles ad hanc militiam & expeditionem, „ fidelibus Chriſtianis, qui contra eos ar- „ ma ſuſceperint, & onus ſibi hujus peregrinationis „ aſſumpſerint, *immenſas* pro ſuis delictis *pœnitentias* „ ſe *relaxare* pronuntiat: „ additque. Qui autem ibi „ in vera *pœnitentia* deceſſerint, & peccatorum *indul-* „ *gentiam & fructum æternæ mercedis* ſe non dubitent „ habituros: interim vero eos, qui ardore fidei ad ex- „ pugnandos illos *laborem* iſtum aſſumpſerint, ſub *Ec-* „ *cleſiæ defenſione*, & Beatorum Petri & Pauli *prote-* „ *ctione* tamquam veræ obedientiæ filios recipimus, & „ ab univerſis inquietationibus tam in *rebus* quam in „ *perſonis* ſtatuimus manere ſecuros. Si vero quiſpiam „ moleſtare eos auſu temerario præſumpſerit, per Epi- „ ſcopum loci *excommunicatione* feriatur, & tamdiu „ ſententia ab omnibus obſervetur, donec & ablata „ reddantur, & de illatis damnis congrue ſatisfiat. „

Ad relaxationem illarum pœnitentiarum ſpectat quoque *Canon* 2. hujus Concilii Claromontani: „ Quicum- „ que pro ſola devotione, non pro honoris aut pecu- „ niæ adeptione, ad liberandam Eccleſiam Dei Jeruſa- „ lem profectus fuerit, iter illud pro *omni* pœnitentia „ (ei) reputetur. „

Nomen cruciatæ unde?

Porro qui huic militiæ ſe accingebant, ut oſtenderent ſe militiam hanc & expeditionem ſuſcipere pro amore ejus, qui pro nobis *Cruci* fuit affixus, *cruce* inſigniebantur.

De hac expeditione facta ſub Urbano II. ſcribit Bertholdus in Chronico ad ann. 1096. „ Omnes quoque, „ qui ſe ad hoc iter devoverunt, ſigno *Crucis* ſeipſos „ in veſtibus notare fecit (Urbanus); quod etiam ſi- „ gnum in carne notatum apparuit. „

Crux illa aliquando purpurea erat, teſte Sigonio *lib.* 9. *de Regno Italiæ*, eamque Crucis ſignationem primum ſub Urbano II. cœptam eſſe monens: „ ſignum ejus „ expeditionis fuit (ait) *Crux* e purpureo panno con- „ fecta, quam primus e Pontificibus Urbanus, ſaluta- „ ris in ſignum expiationis indulſit veſtibus ſuper dex- „ teram ſcapulam affigendam. „ Plura paſſim de hac Crucis ſignatione tradunt auctores hiſtoriam hujus expeditionis referentes.

Ab hac autem *Crucis* aſſumptione, dicti fuere huic militiæ adſcripti, *Crucefignati*; & ipſa expeditio *Cruciata* vocata fuit. Similiter Concionatores ad expeditionem ſuſcipiendam populum exhortantes, *Crucem* prædicare; & qui ei adſcribebantur, *Crucem* ſumere dicebantur.

Hæc expeditio primum pro ſubſidio Terræ ſanctæ ab Urbano II. & ſubſequentibus dein Pontificibus indicta, tandem etiam contra Hæreticos internos, & hiſce in partibus graſſantes impendi cœpit.

Cruciata contra Albigenſes.

Hujuſmodi militiam ſeu expeditionem contra Albigenſes Hæreticos (qui fulti auctoritate & viribus Raymundi Comitis Toloſani in illis partibus mirum in modum graſſabantur) indixit Innocentius III. circa 1206. de qua ſcribit Matthæus Pariſienſis ad annum 1213.

Poſtquam enim retuliſſet progreſſum hæreſis eorum, qui *Albigenſes* vocantur, quantaque eſſet eorum perverſitas, dein adjungit: „ Papa Innocentius, his au- „ ditis, non mediocriter condoluit. Qui miſſis Prædi- „ catoribus ad omnes regiones Occidentis, Principibus, „ aliiſque populis Chriſtianis in ſuorum *remiſſionem* „ *peccatorum* injunxit, ut ſe cruce ſignarent ad hanc „ peſtem extirpandam, atque tantis cladibus ſe oppo- „ nentes, viribus & armis tuerentur populum Chriſtia- „ num. Addit etiam auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, „ ut quicumque ad expugnandum eos, laborem ſibi in- „ junctum ſuſceperit, ſicut illi, qui Sepulcrum Domini „ viſitant, tam in rebus quam in perſonis, ab hoſtium „ incurſione manerent ſecuri. „

Addit autem Matthæus Pariſienſis: „ Ad hanc autem „ Prædicationem, tanta *Crucefignatorum* multitudo „ convenit; quanta non creditur in noſtro climate con- „ veniſſe. „ Deſcribit poſt hæc victorias, quas contra Albigenſes reportarunt exercitus *Crucefignatorum*.

Similiter Guillelmus de Podio Laurentii in *Chronico cap.* 10. ſcribit; quod ad deſtruendam hanc hæreſim, „ Plebani viri idone; *indulgentiam* auctoritate Apoſtolica „ prædicare cœperint contra Hæreticos, *quæ conce-* „ *di* tranſeuntibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conſue- „ vit. „

Ex his manifeſtus & facilis redditur hujus §. ſive articuli ſenſus, id enim unice voluit his verbis exprimere Pontifex, quod ipſe jam pridem per Prædicatores prædicare voluerat, ſcilicet ut Catholici, qui *Cruce ſignarentur* ad pugnandum contra *Hæreticos*, *illa gaude-*

rent indulgentia, illoque sancto privilegio essent muniti, quod accedentibus in Terræ sanctæ subsidium conceditur.

Hujus quoque *Indulgentiæ* meminit Innocentius III. *lib.* 2. *Epistola* 158. scribens Episcopis Regni Galliæ, ut subditos suos ad suscipiendum *bellum* contra *Hæreticos* exhortentur: „ scientes (ait) *remissionem peccatorum* a „ Deo, ejusque Vicario, universis indultam, qui or„ thodoxæ fidei zelo succensi ad opus se accinxerint „ hujusmodi pietatis.

Hæc autem indulgentia erat remissio omnis pœnitentiæ, sive ut loquitur Canon Concilii Claromontani, ut *iter illud pro omni pœnitentia ei reputetur*; hoc est, declarabant Pontifices, quod omnis pœnitentia secundum Canones pro peccatis peragenda, redimeretur per laboriosi itineris illius susceptionem; atque hinc originem habuere indulgentiæ sive remissiones per commutationem pœnitentiæ in aliquod opus pium; uti ex Morino, aliisque ostendi in *Jure Eccles. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *tit.* 7. *cap.* 1. atque una ostensum est, quod per hanc formulam & speciem indulgentialem tandem Canonica pœnitentiæ disciplina interierit.

Privilegia *Cruce-signatorum*.

Præter hanc indulgentiam insuper indulta est Cruce-signatis suscipientibus bellum contra Hæreticos tuitio in bonis & rebus, ac personis eorum, quæ addicta erat proficiscentibus in subsidium *Terræ sanctæ*.

Porro hujus tuitionis Ecclesiasticæ privilegio, id assequebantur Cruce-signati, ut, si qua quæstio de rebus contra ipsos moveretur, Episcoporum esset cognoscere, qui creditores Censuris Ecclesiasticis obstringerent, ne quid contra Cruce-signatos, eorumve bona moverent, quamdiu hi ob militiam sacram essent absentes.

Hujus protectionis & privilegii *Cruce-signatorum* adversus Albigenses meminit Innocentius III. *lib.* 2. *Epist.* 157. & 158.

Hinc non pauci se profectionis hujus gravissimo labori accingebant, quo se a Creditorum vexatione liberarent, Teste Guillelmo Tyrio, *lib.* 1. *de Bello sacro cap.* 16. & notavit de Marca in notis ad *Canonem* 2. Claromontanum, quæ extant *Tomo X. Concil. general. col.* 577. *Edit. Labb.*

De fautoribus & receptatoribus Hæreticorum.

Hoc igitur privilegium, primitus datum proficiscentibus in Terram sanctam, sensim productum est ad *Cruce-signatos* ad expugnationem Hæreticorum, quod hoc Canone confirmatur.

§. 6. Cum autem Albigenses plurimos haberent fautores, quorum favore & præsidio hæresis hæc continuo magis invalescebat; decernitur art. 5. hujus Canonis: *Credentes præterea, receptatores & fautores Hæreticorum excommunicationi subjacere.* Et si *quis talium excommunicatione notatus* satisfacere *contempserit intra annum, ex tunc ipso jure sit factus infamis.* Inhabilis præterea voti activi & passivi ad publica officia, Testamenti faciendi, aut in hæreditate succedendi incapax declaretur. *Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur.*

Si *Judex* fuerit, *ejus sententia nullam obtinet firmitatem: si Advocatus nullatenus ejus patrocinium admittatur: si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti.*

Si similis auctor, aut receptator *Clericus fuerit, ab omni Officio & Beneficio deponatur.*

Si quis autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, evitare contempserint, excommunicationis sententia percelli jubentur.

Denique inhibetur Clericis his fautoribus seu receptatoribus *Ecclesiastica* administrare *Sacramenta*, *Christianæ* eos tradere *sepulturæ*, *eleemosynas*, *aut oblationes eorum* percipere, *alioquin suo priventur Beneficio, nunquam* restituendi *absque indulto Sedis Apostolicæ speciali.*

Regulares hujusmodi *excessus* committentes, suis privantur privilegiis in Diœcesibus, in quibus similes excessus committuntur.

§. 7. Statuitur, ut *omnes, qui probibiti vel non missi præter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel Catholico Episcopo loci susceptam, publice vel privatim prædicationis officium usurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur: & nisi quam citius resipuerint, alia competenti pœna plectentur.*

Quid circa hoc statuerit Concilium Tridentinum, latius deduxi in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 3. *c.* 4. *c.* 6. & *c.* 9. hujus editionis.

Modus detegendi VValdenses.

§. 8. Cum autem Hæretici passim se, hæresimque suam occultarent, articulo septimo præsentis Canonis mandatur Episcopis, ut quilibet per se aut idoneas aliquas personas, *bis aut saltem semel in anno* Parochiam, sive Diœcesim *propriam, in qua fama fuerit Hæreticos habitare, circumeat: & ibi tres aut plures viros boni testimonii, vel etiam (si expedire videbitur) totam viciniam jurare compellat; quod si quos ibidem Hæreticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione Fidelium, vita & moribus dissidentes, eos Episcopo studeat indicare.*

Accusatos autem Episcopus jubetur examinare, & reos Canonice punire. *Si qui vero ex eis juramenti Religionem obstinatione damnabili respuentes, jurare forte noluerint, ex hoc ipso tamquam Hæretici reputentur.*

Nequaquam obscurum est finali hac periodo dignitati *VValdenses*, qui & *Humiliati* dicebantur, qui omne *juramentum* tanquam *illicitum* respuere ferebantur.

Immo licet hi *Humiliati* vel *VValdenses* de variis aliis erroribus per nonnullos illius ætatis Scriptores arguantur; nihilominus antiquus Glossographus de his *Humiliatis* eos hoc solo errore infectos fuisse scribit, atque ob eum fuisse damnatos, ita enim de his scribit: „ olim „ isti *Humiliati* condemnati fuerunt ab Ecclesia per Lu„ cium Papam, secundum quod continebatur in Decre„ tali de Hæreticis *Ad absolvendam* in particula, quæ „ modo decisa est in principio illius Capituli: sed po„ stea tempore Clementis recepti sunt ab Ecclesia, quia „ in *nullo* errabant, nisi quia *condemnabant Jurantes*, „ sed ipsi in hoc se correxerunt, & *jurant* quando ex„ pedit, & Ecclesia eos approbat.

Episcoporum Officium circa Hæreticos.

Paragrapho denique finali Canonis mandatur Episcopis, ut ad prædicta *efficaciter exequenda per suas Diœceses diligenter invigilent, si Canonicam velint effugere ultionem. Si quis enim Episcopus* (ait) *super expurgando de sua Diœcesi hæreticæ pravitatis fermento negligens fuerit, vel remissus, cum id certis indiciis apparuerit, & ab Episcopali Officio deponatur, & in locum ipsius alter subsistituatur idoneus, qui velit & possit hæreticam confundere pravitatem.*

Evidens est, Episcopos hoc reputari, prout eos semper reputavit Ecclesia, ordinarios adversus hæreticam pravitatem Inquisitores, sive vi sui Officii Pastoralis jure divino jubentur invigilare, ne populus sibi creditus hæreticæ pravitatis fermento inficiatur.

Sed nec illud obscurum est, hoc Decreto sufficienter insinuari, quod de zelo & diligentia Episcoporum in extirpandis Hæreticis dubitatum fuerit.

Hoc nec Innocentius III. dissimulavit, dum quosdam Monachos, aliosque viros fortes & zelosos misit ad Provinciam Tolosanam, aliasque circumjacentes, ut una cum Episcopis pro abolitione hæresis efficacius ageretur: hique dicti fuere *Inquisitores Apostolici contra hæreticam pravitatem*, eo quod eorum auctoritas a Commissione speciali Sedis Apostolicæ dependeat: ac inde tandem *Inquisitionis* tribunal formatum est, uti ostendimus in *Jure Eccl. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 4. *cap.* 2.

Sed vel maxime hic necessarium est, ut zelus sit secundum scientiam; ne sub prætextu hæreseos, etiam innocentissimi ac optimi Catholici, immo fidei Catholicæ defensores divexentur, ac in omnibus ordo judiciarius exacte servetur, nec facile quispiam de hæresi suspectus reputetur, nisi servato juris ordinis.

CANON IV.

De Græcis Schismaticis. Cap. *Licet* 6. ✠ Hæreticis.

OBSERVATIO.

CANONE IV. in *cap.* Licet 6. ✠ *Hæreticis*, declaratur, quod *licet Græcos ad obedientiam Sedis Apostolicæ revertentes fovere & honorare* velit *mores ac ritus eorum, quantum cum Domino* potest, *sustinendo: in his tamen illis deferre* nec velit, *nec* debeat, *quæ periculum generant animarum, & Ecclesiasticæ derogant honestati.*

Græcorum pertinacia.

Hujus autem generis, quæ tolerari non possunt, pronuntiat esse, primo quod Græci, ex quadam contra Latinos aversione, *si quando* Sacerdotes *Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi* sacrificare volebant, *quam ea tanquam per hoc inquinata lavissent.*

Secundo, quod Græci *Baptizatos a Latinis rebaptizare ausu temerario* præsumerent.

Hæc ne de cætero fiant, vetatur hoc Canone, præcipiturque, ut conforment se *tanquam filii obedientiæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri suæ, ut sit unum Ovile & unus Pastor.*

Certum est, Latinos inter & Græcos jam pridem fuisse, & modo esse, diversitatem circa ritus, formam, & materiam Sacrificii Missæ; nec non circa ritus, formamque Baptismi.

At hanc diversitatem, utpote non attingentem essentialia Sacrificii, aut Baptismi, Ecclesia Latina pacis ac unitatis amore sustinuit, & hodie sustinet; neque ob diversitatem Græcos a sua communione repellit.

At Græcos hac in re fuisse obstinatiores, suisque ritibus tenacius inhærentes constat: atque ob similes in ritibus diversitates, Latinos a sua communione repulisse, & ipsorum Sacrificia & Sacramenta quasi profana abominatos esse, quod hoc Canone improbatur.

Hic Canon an genuinus?

Edidit Gabriel Cossartius *tomo* 11. *Conciliorum generalium*, Decreta hujus Concilii *græce & latine ex Codice Mazarino ejusdem* (ut ipse credit) *atque ipsum Concilium ætatis*, in quo tamen hic Canon græce non extat.

Quidni omissionis hujus causa fuisse potuit, quod Legati Alexandrini & Antiocheni, aliique Orientales Episcopi, qui Concilio interfuerunt, & Decreta græce reddiderunt, ut ea secum referrent, hunc omiserint, aut saltem græce non verterint, verentes forsan, ne hoc Decretum Græcos nimis feriret, & a Latinis amplius alienaret.

Spirat amorem pacis.

Hoc interim Decretum edocet eos, qui Hæreticis ad fidem Catholicam, aut Schismaticis ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ adducendis operam impendunt, ut dissen-

sionem

sionem seu differentiam in ritibus, aliisque, ipsa Religionis fundamenta non evertentibus, aut enervantibus, pacis ac unitatis amore tolerare ac dissimulare nonnunquam possint, immo debeant, neque propterea pertinaciter ipsis Ecclesiæ januam occludere.

CANON LXVIII.

De Judæorum vestitu. Cap. *In nonnullis 15.* ẍ de Judæis.

OBSERVATIO.

Rationes hujus Canonis.

CANON LXVIII. relatus in *cap.* In nonnullis 15. ẍ *de Judæis*, præcipit, ut Judæi *utriusque sexus in omni Christianorum Provincia, & omni tempore, qualitate* habitus *publice ab aliis Populis distinguantur*; ne forsan per errorem Christiani mulieribus Judæis, aut e contra mulieres Catholicæ viris Judæis matrimonio jungantur.

Hoc Decretum plures Romani Pontifices renovarunt, volueruntque exacte observari, ac signanter Romæ, ubi etiamnum hodie Judæi tolerantur: sed in publicum, nisi *distincto* plane a reliquo Populo *habitu*, prodire nequeunt.

Et anno 1311. Concilium Ravennatense II. Rubrica 23. quamvis agnoscat, quod *Judæi de misericordia, & ad testimonium incredulitatis eorum debeant ab Ecclesia, & Fidelibus, in suis ritibus tolerari*, tamen ob scandala & multa mala, quæ ex *permixta* eorum conversatione provenisse noscebantur, statuit: „ quod Judæi portent in pannis superioribus *certum signum*, „ scilicet *rotam* panni crocei coloris, & mulieres eorum „ in capite, ut sic a Christianis possint discerni „.

Aliæ cautelæ quoad Judæos.

Præterea præsenti Canone præcipitur, ne *in diebus Lamentationis Dominicæ Passionis in publicum prodeant*; quia iis diebus Christianis ob Passionem Domini Lamentantibus insultabant.

Denique generatim iis interdicit, *ne in contumeliam Creatoris* (seu ut alia lectio habet *Redemptoris*) *prosilire præsumant*: hortaturque *Principes*, ut eos compescant, *ne Crucifixum pro nobis aliquatenus blasphemare præsumant*.

CANON LXIX.

Judæi a publicis officiis arcendi. Cap. *Cum sit 16.* ẍ de Judæis.

OBSERVATIO.

Hoc Canone renovantur vetera Statuta.

CANONE LXIX. in *cap.* Cum sit 16. ẍ *de Judæis* declarantur iidem incapaces omnium Officiorum publicorum, secundum quod jam olim decretum in Concilio Toletano III. & IV. ne hac occasione Christianis graves sint & infesti, apud Gratianum *Dist.* 54. *Can.* 14. & *Caus.* 17. *quæst. Can.* 31.

Cum in his Provinciis (scilicet Belgicis) Judæi publice non tolerentur, nullus aut exiguus est horum, & similium Decretorum Judæos spectantium usus.

OBSERVATIONES

In Canones XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. vitam & honestatem Clericorum spectantes (*a*).

CANON XIV.

De continentia Clericorum. Cap. *Ut Clericorum 13.* ẍ *de vita & honestate Clericorum.*

OBSERVATIO.

Pœnæ adversus Clericos incontinentes.

CANON XIV. relatus in *cap.* Ut Clericorum 13. ẍ *de vita & honest. Cleric.* agit de continentia Clericorum, quos monet, *ut caste vivere studeant ab omni libidinis vitio præcaventes, quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde ac mundo corpore valeant ministrare.*

Et *ne facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi*, statuit, *ut qui incontinentiæ vitio* deprehensi fuerint *laborare, prout magis aut minus peccaverint*, puniantur secundum *Canonicas Sanctiones; quas* (ait) *efficacius & districtius præcipimus observari*; ut *quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem pœna a peccato cohibeat.*

Hac de causa suspensum ac celebrare præsumentem; *non solum Ecclesiasticis Beneficiis* spoliandum, *verum etiam* pro hac *duplici culpa perpetuo* deponendum declarat.

Prælatos quoque, *qui tales præsumpserint in suis iniquitatibus sustinere, maxime obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari* subjacere *ultioni* decernit.

De Clericis conjugatis.

Denique illos, *qui secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam conjugalem, si lapsi fuerint, gravius* vult puniri: *cum* (ait) *legitimo matrimonio uti possint.* Hic intelliguntur Orientales sive Græci Presbyteri, qui ex antiquo Ecclesiæ suæ more *legitimas* ante ordinationem ductas uxores, post ordinationem retinent, & earum consuetudine utuntur, uti hic notat Glossographus, verbo *Regionis*. Vide *Tom. VII. Scholion in Canonem XIII.* Trullanum, hujus editionis.

Cum enim tempore Concilii Lateranensis IV. Constantinopolis esset sub Imperio Latinorum, pluresque Græci Ecclesiæ Latinæ essent juncti, necesse fuit declarare, quid Græcis secundum *regionis suæ morem* liceret, tametsi essent Ecclesiæ Latinæ uniti.

CANON XV.

De sobrietate Clericorum. Cap. *A crapula 14.* ẍ eod.

OBSERVATIO.

CANON XV. in *cap.* A crapula 14. ẍ *de vita & honest. Cleric.* mandat Clericis, ut *a crapula & ebrietate diligenter abstineant*: & consequenter *vinum sibi temperent, & se vino: nec ad bibendum quispiam incitetur; cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum.* Damnatur autem speciatim abusus, *quo in quibusdam partibus ad* Potus æquales *suo modo se obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit.*

Clericum hujus vitii *culpabilem*, nisi a Prælato suo *commonitus satisfecerit* competenter, *ab Officio vel Beneficio* suspendi mandat.

De clausula hujus Canonis.

Additur in Canone Concilii Lateranensis clausula, qua Clericis universis interdicitur *venatio & aucupatio. Unde* (ait) *nec canes, nec aves ad aucupandum habere præsumant.*

Hujus clausulæ nec hic, sub titulo *de Clerico venatore*, meminit Raymundus: monetque Gabriel Cossartius in nota marginali ad hunc Canonem *tom. 2. Concil. General. col. 168. ista nec græce nec latine esse in codice Mazarino*: quamquam ambigi nequeat, quin sacris Canonibus hæc omnino sint conformia, uti notavi in *Jure Eccl. Tom. I. part. 1. tit. 2. cap. 4.*

Ex hoc textu concludunt communiter Canonistæ, Clericum ebriosum, sive ebrietati deditum, ab Officio suspendi posse, uti multis citatis probat Gonzales in *Commentario* hujus Decretalis.

Provocatio ad æquales haustus.

Abusus cogendi *ad æquales haustus*, de quo in Canone, jam pridem notus, & a Patribus improbatus fuit. S. Basilius Homilia de *Ebrietate* contra hunc abominandum abusum invehitur, dicens: „ Deinde potatio- „ ne præcedente eo veniunt, ut de augenda hac insa- „ nia certent, & de ebrietate per ambitionem conten- „ dant, cujus auctorem legis diabolum habent, victo- „ riæ vero præmium, peccatum „.

Et Sanctus Augustinus serm. 231. *de Temp.* seu potius Sanctus Cæsarius Arelatensis *Homil.* 5. uti monuerunt eruditi Monachi Revisores operum S. Augustini, ita loquitur: „ plures in conviviis suis irrident eos, „ qui minus bibere possunt, & per inimicam amicitiam „ adjurare homines non erubescunt, ut potum amplius „ accipiant, quam oportet „.

Etiam in militibus damnata.

Nec tantum in Clericis, sed & militibus hunc morem jam olim ut abominandum proscripsere Francorum Reges, ut legitur in eorum Capitularibus, *lib.* 3. *cap.* 172. cujus capitis lemma est: *de non cogendo bibere in hoste*: textus vero Capitularis habet: „ ut in hoste ne- „ mo parem suum, vel quemlibet alterum hominem „ bibere *roget*. Et quicumque in exercitu ebrius inven- „ tus fuerit, ita excommunicetur, ut in bibendo sola „ aqua utatur, quousque se male fecisse cognoscat „.

Notat Stephanus Baluzius hic, in codice MS. Rivipulensi pro *roget*, legi *cogat*: quam lectionem veriorem esse, tum ex lemmate, tum ex contextu apparet. Et Beatus Rhenanus *lib. 2. Rerum Germ.* agens de legibus Francorum scribit „ Nemo, militiæ, socium suum, „ aut quemlibet alium ad potandum *invitato*. Quod si „ quis ebrius repertus fuerit, ejectus, quoad culpam „ agnoscat, quam *bibito* „: nequaquam obscurum est Rhenanum hic referre voluisse suprascriptam legem Francorum.

(*a*) Quidquid in hisce Canonibus ac vitam & honestatem Clericorum pertinentibus observandum astruitur, jam supra Doctissimus D. Van-Espen prolixius uberiusque *Tom. I. part. I. tit. 2. cap. 1. & seqq.* hujus editionis, exposuit: integrumque titulum in sex capita distributum complexus est; quem consulere, si cui perplura perscrutandi incessit libido, non abs re fore existimo.

CANON XVI.

Varia circa mores Clericorum. Cap. *Clerici* 15. ꝟ eod.

OBSERVATIO.

CANON XVI. in *Can.* Clerici 15. ꝟ *de vita & honest. Cleric.* plura complectitur ad vitam & honestatem Clericorum pertinentia.

Clericis cavendum a fordida negotiatione.

Primo præcipitur, ut *Clerici Officia vel commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta.*

Idipsum confirmatur *Clementina* 1. *eodem*, in qua Clericis *Carnificum*, seu *Macellariorum*, & *Tabernariorum officium publice & personaliter exercere vetatur*. Plura de hoc tradunt Canonistæ ad titulum, *Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.*

Hoc tamen notantes in præsenti Canone addi, *Maxime inhonesta*: quo innuitur, ut hic monet Boerius Epo, nec *honesta* quidem officia vel commercia Laico-„ rum Clericis permitti, propter vitæ Clericalis digni-„ tatem rebus longe sanctioribus destinatæ. „.

Permittuntur tamen Clericis negotia quædam honesta, uti ex Concilio Moguntino notatur in *cap.* 1. ꝟ *Ne Clerici vel Monachi, &c.* „ Nec tamen (ait) ju-„ *stum* negotium est interdicendum propter necessitates „ diversas: quia legimus sanctos Apostolos negotiatos „ esse. In Regula Sancti Benedicti præcipitur provide-„ re, per quorum manus negotium Monasterii tran-„ seat „. Indubie hic alluditur ad id, quod *cap.* 18. *vers.* 3. Actuum Apostolorum de Paulo Apostolo legitur, quod esset *Scenofactoriæ* artis; & *cap.* 20. *vers.* 34. *Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Et de Apostolis generatim 1. *ad Corinth. c.* 4. *vers.* 12. *laboramus operantes manibus nostris.* Aliud est enim honesto aliquo opificio *necessaria* sibi acquirere, aliud negotiis sæcularibus *implicari*: quod ultimum Clericis semper vetitum fuit, vetuitque Apostolus dum dixit: *Nemo militans Deo, se implicat negotiis sæcularibus.* 2. *Tim. cap.* 2. *vers.* 4.

Item a spectaculis.

Secundo, præsenti Canone Clericis præcipitur *Mimis, Joculatoribus, & Histrionibus non intendant*: id est ludis hujusmodi non intersint. *Joculatores* autem vulgi more videtur appellare Canon Præstigiatores, & similes homines vilissimos, gesticulationibus, jocis, nugis, risibus, quæstum facientes.

Ministros Altaris hujusmodi spectaculis interesse indecens jam pridem judicarunt Patres, uti patet ex *Canone* LIV. Laodiceno, cujus Scholion consule, *Tom. VI.* hujus editionis.

Et a Popinis.

Adhæc mandatur hoc Canone, ut Clerici *tabernas prorsus evitent: nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.*

De ipsis Waldensibus scribitur: „ Popinarum fre-„ quentationem prohibebant, ac Popinam fontem pec-„ cati, & *Scholam Diaboli* nuncupabant, in qua sua „ miracula patrat, iis contraria, quæ Deus in Ecclesia „ operatur. Non enim claudos erigit, sed recte gra-„ dientes ibi claudicare facit: non cæcos illuminat, „ surdis auditum, mutis loquendi facultatem restituit, „ sed ebrietate cæcos, surdos, mutos reddit „ Natalis Alexander in *Historia Eccles. sæculi* 11. & 12. *Cap.* 4. *art.* 13. §. 6.

Quam hæc vera sint, docet quotidiana experientia, ut mirum non sit hanc frequentationem tam veteribus quam recentioribus Canonibus severissime vetitam fuisse, præsertim personis Ecclesiasticis, ut ostendi in *Jure Eccl. Tom. I. part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 4. dolendum! hæc salutaria Decreta magno cum populi scandalo, & sacri Ordinis vilipendio adeo negligi, ac eorum observantiam tam segniter ab Episcopis & Prælatis urgeri.

Ab alea & taxillis.

Clericis insuper mandatur hoc Canone, *ut ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.*

Hoc postremum ex Novella Justiniani 123. *cap.* 10. & *lib.* 34. §. 3. *cod. de Episcopali audientia* sumptum apparet. In his enim Justinianus interdicit Episcopis, aliisque Clericis, *ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes ac inspectores fieri*. Plura seu vetera seu nova Synodorum & Principum Decreta contra hos alearum & taxillorum ludos retuli in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 5.

Monet dein Clericos, ut *Coronam & Tonsuram habeant congruentem, & se in Officiis ecclesiasticis, & aliis bonis studiis exerceant diligenter.*

De Tonsura Clericorum.

Vocat hic Canon *Tonsuram congruentem* „ quæ tum „ ordinis, tum professionis discrimen indicet, inquit „ hic Boerius Epo; aliter enim (ait) sæculares Cleri-„ cos, aliter Monachos vel Religiosos conderi conve-„ nit, aliter item prima Tonsura tantum donatos, ali-„ ter inferioribus, aliter sacris præditos Ordinibus „.

De vestitu Clericorum.

Denique plura in hoc Canone de Clericorum & Prælatorum vestitu occurrunt, quæ omnia in hoc unum collimant, ut Clerici honestatem & clericalem modestiam in vestibus, omnique externo apparatu servent, utanturque honesto & moderato habitu, tam in sacris obeundis officiis, quam familiari conversatione, idque juxta morem & consuetudinem patriæ statui suo convenienti: quod & unice intendit Clementina 2. *de vita & honest. Clericorum*, in qua similiter plurima singulatim circa Clericorum vestes determinantur. Videri possunt, quæ hac re annotavi in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2.

Cæterum de usu & significatione, ac origine vestium, quæ hoc Canone speciatim exprimuntur, videri possunt hujus Canonis seu Decretalis Interpretes, puta Boerius Epo, Dandinus Alteserra, & latius Emmanuel Gonzales, tam in notis, quam in Commentario *præsentis Cap.* 15.

CANON XVII.

Contra Comessationes & negligentiam Prælatorum. Cap. *Dolentes* 9. de celebrat. Miss.

OBSERVATIO.

CANONE XVII. *Cap.* Dolentes 9. *de celebrat. Miss.* perstringuntur Prælati Ecclesiarum, qui *circa comessationes superfluas & fabulationes illicitas; fere medietatem noctis expendunt, & residuum somno relinquentes, vix ad diurnum concertum avium excitantur, trascurrendo undique continua* (C. *continuata*) *syncopa matutinum*. Id est, cursim elidendo verba, vel syllabas: nam, ut notat hic Panormitanus, *syncopa est figura, quæ de medio tollit.*

De neglectu divini Officii.

Præterea, addit, quosdam Ecclesiarum Prælatos adeo circa divina Officia desides & indevotos, ut *Missarum solemnia vix celebrent quatuor in anno*; immo, *quod deterius est, interesse contemnant: & si quando intersint*, intendunt *collocutionibus Laicorum*, nec *aures intentas porrigunt ad divina.*

Contra hunc divini Officii neglectum, & profanationem, *hæc & similia sub pœna suspensionis* inhibens *districte* præcipit *in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter & devote.*

Officium divinum celebrari *studiose* pertinet ad officium *oris*, ait hic Panormitanus: quia *syncopando*, vel aliquid omittendo dicendum non est. *Devote* vero (ait) refertur ad officium *cordis*; id est, quod *mente in Deum elata* dici debeat.

De attentione necessaria.

Hinc recte concluditur, eos Ecclesiastico præcepto Officii divini recitatione minime satisfacere, qui illud absque animi attentione persolvunt: & frustra eos esse, qui actus *internos* ab Ecclesia nullo modo præcipi posse contendunt.

Cæterum plura de externa reverentia in Officii divini persolutione necessaria, diximus in *Dissertatione Canonica de Horis Canonicis & singulis earum partibus*; quæ extat *Tom. V.* hujus editionis.

Hoc recte hic monet Panormitanus, quod juxta hunc textum, fabulantes & indevote celebrantes, debeant suspendi ab Officio; addens quantitatem reatus considerandam ex qualitate & quantitate contemptus.

CANON XVIII.

Ne Clericus intersit judicio sanguinis: nec operibus bellicis, aut Chirurgicis præficiatur. Cap. *Sententiam* 9. ꝟ Ne Clerici, &c.

OBSERVATIO.

Clericis quantopere abhorrendum a sanguinis effusione.

CANONE XVIII. in *Cap.* Sententiam 9. ꝟ *Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*, decernitur, ut *sententiam sanguinis nullus Clericus dictet aut proferat.*

Dictat sententiam, qui tanquam Judex, Consiliarius, vel Assessor eam concipit; *profert* autem, qui eam pro Tribunali aut ubi jus dicitur, recitat, ut hic exponit Boerius Epo *num.* 8.

Addit præterea Canon, ut Clericus *nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, intersit.*

Nec supplicia spectent.

Jam pridem cautum fuit, Clericos ad locum supplicii accedere non debere. Synodus Matisconensis II. *Can.* 18. definit „ ut ad locum examinationis reorum nullus Cle-„ ricorum accedat, neque intersit atrio sauciolo, ubi „ pro reatus sui qualitate quispiam interficiendus est „. Atrium *sauciorum* hic esse locum supplicii seu patibulum, observat Alteserra ad hanc Decretalem.

Synodus autem Antissiodorensis *Can.* 33. ait: „ Non „ licet Presbytero, vel Diacono ad *tropalium*, ubi rei „ torquentur, stare „

Hoc tamen observat Panormitanus, post Innocentium & Glossam, quod per hanc *interessentiam* Clericus non fiat irregularis, nec debeat deponi, nisi interesset auctoritatem præstans, vel auxilium.

Unde dicit Hostiensis, quod si ad Clericum spectet Jurisdictio, nullo modo debeat interesse vindictæ; ne (ait) videatur præstare auctoritatem.

Clerici tamen, qui intersunt ex sola libidine seu voluptate, puniri aliter debent, uti monet Panormitanus: „ non enim debent præstare præsentiam istis iis prohi-„ bitis, sicut nec aliis spectaculis. Secus autem puto „ (ait) in interessentibus ex justa causa, puta, quia „ associant justificandum, ne incidat in disperationem, „ & rememorantur sibi divinam Scripturam, & con-„ fortant ad patientiam „.

Nec cogantur interesse damnatorum judiciis.

Ne autem Clerici ad ea inviti cogantur, subdit Canon: *Si quis autem hujusmodi occasione statuti Ecclesiis*

vel

vel Ecclesiasticis personis aliquod præsumpserit inferre dispendium per Censuram Ecclesiasticam compescatur. Id est „ Si Potestas, vel alius Officialis vellet Clericum, etiam in Minoribus, constringere, ut sit Minister Justitiæ, puta ut sit Manigoldus: vel quod debeat dictare sententiam, seu interesse sententiæ: debet ad hoç compesci per Censuram Ecclesiasticam „. Ita hæc interpretatur Panormitanus hic.

Sed hæc intelligenda sunt cum ea moderatione, quam circa exemptionem Clericorum primæ Tonsuræ, & minorum Ordinum, tum recentiora Decreta, tum Principum Edicta, & Provinciarum consuetudines sensim induxerunt.

Nec scribant sententiam sanguinis.

Ulterius statuitur in hoc Canone, *nec quisquam Clericus litteras dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas*: præcipiturque, ut *in Curiis Principum hæc sollicitudo non Clericis, sed Laicis committatur.*

Nequaquam tamen ex solo similium litterarum dictamine aut scriptione, Clericus efficitur irregularis, si non sequatur reipsa mors aut membri mutilatio; nam, ut post Joannem Andream hic observat Panormitanus „ sola scriptura in nullo casu constituit irregularem Scribentem, quamvis aliter puniri posset pro eo, quod exercuit rem illicitam sibi. Iste enim textus prohibet hanc Scripturam per Clericum fieri „.

Ex hoc equidem textu concludunt Canonistæ, Graphiarios, Actuarios, & similes in causa sanguinis, effici irregulares, si effusio *sanguinis* sequatur: quod tamen in Gallia cum eo rigore non servatur, uti notavi in *Jure Eccles. Tom. II. parte 2. sect. 1. tit. 10. cap. 4. num. 14.* & 27.

Nec præsint Balistariis, &c.

Nullus quoque Clericus (ait Canon) *Ruptariis & Balistariis, aut hujusmodi viris sanguinum præponatur.*

Obscurum est, quid hic sint *Ruptarii*. Joannes Andreas apud Panormitanum hic putat „ hoc verbum sumi pro eis, qui præsunt machinis, quæ tendunt ad *rupturam*. Unde Clericus non debet deputari super istos ministros, cum tendant ad destructionem & mortem aliorum „.

In Canone ipso, prout extat *tom. 11. Concil. general.* pro *Ruptariis* legitur *Rotariis*; at monet Cossartius, in MS. Mazarino legi „ *Ruptariis*, eorumque frequentem fieri mentionem in rebus Albigensium „. Quidquid sit, certum est hoc verbo significari certum genus militum. Videri potest Emmanuel Gonzales in notis, littera T.

Cæterum de hac specie irregularitatis latius egi in *Jure Eccles. Tom. II. parte 2. sect. 1. tit. 10. cap. 4. & seqq.*

Nec Chirurgiam exerceant.

Adhæc, ad evitandam irregularitatem decernitur, ne ullam Chirurgiæ artem (C. *partem*) Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, *quæ adustionem, vel incisionem inducit*: uti ex Codice Mazarino restituit Cossartius: cum antea pro *partem*, legeretur *artem*, prout in Decretalibus etiamnum hodie legitur.

Hinc ex vulgari lectione, uno consensu concludunt Canonistæ, *Chirurgiæ artem* generatim Clericis in sacris constitutis, hoc Canone prohiberi, licet credant, irregularitatem non incurri, nisi mors aut membri mutilatio reipsa sequatur.

At ex ipso Canonis contextu verior apparet lectio Codicis Mazarini; neque enim absolute *Chirurgia* vetari videtur, sed ea tantum, quæ *adustionem*, aut *incisionem inducit*; quæ propinquius ad mortem aut membri mutilationem spectat; atque *per se* Clericali mansuetudini directius adversatur, quam ea Chirurgiæ *pars*, quæ applicationem aliquorum remediorum membris affectis duntaxat comprehendit.

Nec purgationes superstitiosas foveant.

Denique prohibet Canon: *Nec quisquam purgationi aquæ ferventis vel frigidæ, seu ferri candentis ritum cujuslibet benedictionis aut consecrationis impendat.*

Quam hæc vulgaris probatio per aquam calidam vel frigidam, aut ferrum candens, sæculo IX. & seqq. communis fuerit; & quidem prævio sacro ritu, & Sacerdotali benedictione peracta, ostendimus in *Jure Eccles. Tom. IV. part. 3. tit. 8. cap.* 4. notavimusque *num.* 38. ob præsens Decretum postmodum invaluisse; ut sine *ulla benedictione* quidam hac specie purgationis uterentur; quasi non ipsa vulgaris purgatio, sed solus benedictionis ritus ei adhiberi solitus, hoc Canone interdictus censeretur.

Cum autem hic speciatim improbetur purgatio vulgaris *per aquam calidam vel frigidam*, nec non *per ferrum candens*, nec probata videretur probatio per *Monomachiam*, addendum censuit; *salvis nihilominus prohibitionibus de Monomachiis sive Duellis ante promulgatis*, scilicet in Concilio Lateranensi III. sub Alexandro III. *Can.* 20. cujus observationem jam supra hoc *Tomo VIII.* expositam consule.

O B S E R V A T I O N E S

In Canones V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XXVII. XXXIII. dignitatem Prælatorum, eorumque Officium & obbligationem exponentes & determinantes.

C A N O N V.

De Juribus Patriarcharum. Cap. *Antiqua* 23. ✠ de Privilegiis.

OBSERVATIO.

CANON V. in *Cap.* Antiqua 23. ✠ *de Privilegiis* agitur de Dignitate, Ordine, & Privilegiis Patriarcharum.

Primatus Romanæ, Ecclesiæ.

Ante omnia autem dicitur, quod Romana Ecclesia, *disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis* obtineat *principatum, utpote Mater universorum Christi Fidelium, & Magistra.*

Male intellectus a Decretalistis.

Hic asseritur Romani Pontificis primatus per universam Ecclesiam; videturque allegatus maxime adversus Græcos; male igitur hinc deducunt Canonistæ, Pontificem esse *Ordinarium Ordinariorum*: & ad ipsum hoc titulo pertinere omnium Beneficiorum plenariam dispositionem; prout & supponitur in *Cap. 2. de Præbendis in 6. & Cap. 10. de Privileg. in 6.*

Ulterius ut consequens deduxerunt Decretalistæ, Pontificem omnes ordinarios Collatores Beneficiorum posse prævenire; quo jure etiamnum hodie in Gallia utitur Pontifex; prout latius exposui in *Jure Eccles. Tomo III. parte 2. sect. 3. tit. 6. c. 8.* alias *tit. 23. c. 7.*

At hæc Canonistarum seu potius Decretalistarum opinio cum temperamento est intelligenda, ut notant eruditiores tam Theologi, quam Canonum interpretes: alias eam cum expressione Patrum & Pontificum primorum sæculorum parum convenire observant.

Insuper hic quatuor duntaxat enumerantur Patriarchæ, omisso Romano Pontifice; cum tamen ætate Justiniani Imperatoris quinque numerarentur Patriarchæ, atque inter eos primus recenseretur Episcopus Romanus; uti latius exposui *Tom. VII.* ad *Can. XXXVI. Trullanum.*

Ordo Patriarcharum.

Post hæc decernitur in hoc Canone, ut Constantinopolitana Ecclesia *post Romanam, primum; Alexandrina, secundum; Antiochena, tertium; Hierosolymitana, quartum locum obtineat: servata cuilibet propria dignitate.*

Notanda autem hæc initialia Canonis verba: *Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes, sancta universali Synodo approbante, sancimus*, &c.

Hinc rursum habemus, quod Pontifex hic, ut auctor Canonis loquitur dicens *sancimus*; & Synodus, ut *approbans* sanctionem Pontificis.

Sane non legitur, quod omnia Decreta in hoc Concilio fuerint a Patribus examinata & expensa, ac super his eorum suffragia singillatim expetita, & ex eorum suffragiis, aut saltem eorum pluralitate conclusum sit: ut proinde mirum non sit ea sæpe proferri non sub nomine *Concilii*, quemadmodum Decreta, seu Canones primorum Conciliorum, puta Nicæni, & sequentium, atque etiam novissimi Concilii Tridentini, sed sub nomine *Pontificis in Concilio.*

Secundo habemus, quod Canon hic tantum intendat, *antiqua* privilegia renovare: sed quæ sint *antiqua* illa *privilegia*, non exprimitur. Certum autem est Constantinopolitanam Ecclesiam, tempore saltem Synodi Nicænæ necdum gavisam fuisse jure Patriarchatus, eoque tempore Ecclesiam *Alexandrinam primum* post Romanam locum & dignitatem obtinuisse; Antiochenam vero secundum; uti patet ex *Can. VI.* dictæ Synodi; & Canone VII. constat Ecclesiam Hierosolymitanam tempore Synodi Nicænæ adhuc *jure Metropolitico* subfuisse Ecclesiæ Cæsariensi Palæstinæ, quemadmodum pluribus exposui in scholiis ad dictos Canones, *Tom. VI.*

Sed nec tempore Concilii Chalcedonensis, hoc jure *pacifice*, ac probante Papa Romano, gavisam esse hoc privilegio Constantinopolitanam Ecclesiam evincit oppositio S. Leonis contra *Canon* XXVIII. Chalcedonensem: uti in scholio ejusdem Canonis exposui, *Tom. VII.* ibi ostendi, quomodo sensim ad eam dignitatem & prærogativam Ecclesia Constantinopolitana, tamquam *nova* Roma, faventibus Imperatoribus, ascenderit.

De Pallio.

Declaratur præterea hoc Canone, quod Patriarchæ hi, *postquam a Romano Pontifice receperint* Pallium, *præstito sibi fidelitatis & obedientiæ juramento, licenter & ipsi suis suffraganeis* pallium *largiantur, recipientes pro se Professionem Canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem.*

Quæ

Quæ hic de receptione *Palii* a Romano Pontifice; necnon præſtando ei fidelitatis & obedientiæ *juramento*, aut ſponſione obedientiæ a Suffraganeis exigenda, ſtatuuntur, recentiorem redolent diſciplinam, neque eorum quidquam in antiquis Canonibus, aut priſtinæ ætatis authenticis ac probatis monumentis legitur.

De geſtatione Crucis Patriarchalis. Similiter & recentioris omnino ætatis eſt, quod hoc Canone Patriarchis conceditur, *ut Dominicæ Crucis vexillum ante ſe faciant ubique deferri, niſi in Urbe Romana, & ubicumque ſummus Pontifex præſens extiterit, aut ejus Legatus utens inſigniis Apoſtolicæ dignitatis.*

Immo in hac privilegii reſtrictione videtur Pontifex reflexiſſe ad *L. fin. ff. de Off. Proconſ.* qua declaratur, quod *Proconſul Urbem* ingreſſus *Imperium deponat.* Nam in eo, quod in Canone de præſentia Pontificis, ejuſve Legati dicitur, ſupponi videtur, quod ſicuti apud Romanos Imperii adminiſtratio duntaxat *Proconſulibus* in Provincia ſibi decreta committebatur; ita quoque apud Romanum Pontificem *omnis* juriſdictio & auctoritas Eccleſiaſtica *radicaliter* reſideat, ejuſque adminiſtratio & *executio* duntaxat *Patriarchis* & Epiſcopis communicetur exercenda in Eccleſiis ſibi concreditis; ac propterea, ſicuti Proconſulum officium, præſente Conſule, ceſſat ita & Patriarcharum, præſente Pontifice.

Ex eadem cauſa fiebat quoque, ut Conſule in Provinciam, cui Proconſul præeſſet, veniente, Proconſul adminiſtrationem & Imperium deponeret, ait Antonius Perezius ad titulum Codicis *de Officio Proconſulis n.* 4.

Hinc ergo concluſiſſe videtur Innocentus in præſenti Decretali, quod pari jure, Pontifice ejuſve Legato accedente ad Eccleſiam, aut locum, cum Patriarcha præeſt, inſignis ſuis uti nequeat Patriarcha atque hoc eſt, quod hic ſignificatur hac reſtrictione: *niſi in Urbe Romana, & ubicumque ſummus Pontifex præſens extiterit, aut ejus Legatus utens inſigniis Apoſtolicæ dignitatis.*

Denique hoc Canone declaratur, quod in *omnibus Provinciis eorumdem Juriſdictioni ſubjectis ad eos* (cum neceſſe fuerit) *provocetur, ſalvi* (ait) *appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis: quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum.*

Appellationes ad ſummum Pontificem. Ex his cum Gloſſographo concludunt Canoniſtæ, eſſe Privilegium Sedis Apoſtolicæ, ut *omiſſis* omnibus *intermediis* ad eam ab omnibus poſſit appellari.

Hæc opinio ſæculo XI. & ſeqq. invaluerat & in praxi recepta erat, uti patet ex frequentibus tum temporis ad Curiam Romanam interpoſitis hujuſmodi appellationibus.

Et ſane haud difficulter fuit hæc recepta & admiſſa opinio, maxime ubi ſemel perſuaſum fuit, omnem juriſdictionem *ordinariam immediate* in Romano Pontifice reſidere; ejuſque exercitium inferioribus tantum quaſi demandatum: quæ perſuaſio ſæculo IX. ope Epiſtolarum Decretalium per Pſeudo Iſidorum primis Pontificibus ſuppoſitarum, primum ſtabiliri cœpit; & labente tempore ſenſim annitente Curia Romana invaluit, & demum Corpori Canonico inſerta, a Decretalium Gloſſatoribus & Commentatoribus probata eſt. Quid autem hodie circa eam appellandi libertatem ad Sedem Apoſtolicam, *omiſſo medio*, obtineat, notavi in *Jure Eccleſ. Tom. IV. parte 3. tit.* 10. *cap.* 2.

Notandum, quod hic Canon in Codice Mazarino non extet *græce* ob eamdem indubie rationem, ob quam nec IV. Canonem haberi annotavi: neque enim veriſimile eſt, quod Patriarchæ orientales recognoſcere voluiſſent prærogativas, quæ Romano Pontifici, ejuſque Legatis hic attribuuntur; præſertim quia nec falſæ illæ Decretales apud Orientales notæ erant, uti nec ab iis hodie recognoſcuntur.

C A N O N VI.

De Conciliis Provincialibus. Cap. *Sicut* 25. ✠ de Accuſat.

O B S E R V A T I O.

CANON VI. in *cap.* Sicut 25. ✠ *de Accuſat* continet notabile diſciplinæ Eccleſiaſticæ punctum, ut ſcilicet *Metropolitani ſinguli s annis cum ſuis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare, in quibus de corrigendis exceſſibus, & moribus reformandis præſertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum.*

Concilia Provincialia quoties celebranda. Quod autem Canon aſſerit, *olim a Sanctis Patribus inſtitutum*, ut *Metropolitani ſingulis annis Provincialia non omittant Concilia celebrare*, nequaquam ad prima quinque ſæcula referri poteſt; quandoquidem certum ſit a Synodo Nicenæ, aliiſque ſubſequentibus Synodis cautum fuiſſe, ut *bis* in anno Synodus Provincialis haberetur; nec niſi ſæculo VI. idque ægre admodum, ac neceſſitate cogente, ex diſpenſatione quadam ab ea tandem diſciplina recedi cœpiſſe. Uti latius notavi in *Jure Eccleſ. Tomo I. parte* 1. *tit.* 20. *cap.* 1.

Quid in eis agendum? *Ut autem* in his Conciliis Provincialibus exceſſus & mores *efficacius* reformari & corrigi valeant, vult hic Canon, ut Epiſcopi, *per ſingulas Diœceſes ſtatuant perſonas idoneas, providas videlicet & honeſtas, quæ per totum annum ſimpliciter & de plano, abſque ulla juriſdictione ſollicite inveſtigent, quæ correctione vel reformatione ſunt digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum, & Suffraganeos, & alio in Concilio ſubſequenti, ut ſuper his & aliis* (prout utilitati & honeſtati congruerit) *provida liberatione procedant.*

Hæ perſonæ dicuntur *teſtes Synodales*, eo quod a Synodo conſtituantur, ut teſtentur de iis, quæ ſollicite inquirendo & obſervando, repererint in Diœceſi reformanda & corrigenda. De quibus fuſius actum eſt in *Jure Eccleſ. Tom. I. parte* 1. *tit.* 18. *cap.* 3.

Synodi Diœceſanæ. Quia autem parum proſit multa & utilia pro reformatione morum, & reſtitutione avitæ diſciplinæ ſtatuere, niſi ſtatutorum efficax & ſollicita habeatur executio, mandatur Epiſcopis, ut ea, quæ in Synodis Provincialibus ſtatuerint, *faciant obſervari, publicaturi ea in Epiſcopalibus Synodis annuatim per ſingulas Diœceſes celebrandis.*

Synodi hæ vulgo dicuntur Diœceſanæ, atque etiam hodie ex Decreto Concilii Tridentini ſunt *annuatim* habendæ, quamvis olim frequentius, & ut minus *bis* in anno eſſent celebrandæ, uti obſervavi in *Jure Eccleſ. Tom. I. parte* 1. *tit.* 18. *c.* 1. ubi fuſius de his Synodis actum eſt.

C A N O N VII.

De corrigendis per Epiſcopum exceſſibus. Cap. *Irrefragabili* 13. ✠ de Officio Judicis ordinar.

O B S E R V A T I O.

CANON VII. in *cap.* Irrefragabili 13. ✠ *de Officio Judicis ordinar.* plura continet notabilia puncta diſciplinæ.

Obligatio Prælatorum. Primo *irrefragabili Conſtitutione* ſancitur, ut *Eccleſiarum Prælati ad corrigendos ſubditorum exceſſus, maxime Clericorum & reformandos mores prudenter ac diligenter intendant*: ne (ait) ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur.

Merito hic exclamat Gloſſographus: „ Durum verbum eſt iſtud pro Prælatis negligentibus ſubditos corrigere „!

Utinam Prælati, id eſt, omnes, quibus correctio ſubditorum incumbit, hæc verba ſæpius ruminarent, ſerioque periculum ſibi impendens ex nimia taciturnitate, & in corrigendo deſidia attenderent.

Auctoritas correctionis in Prælatis. *Ut autem* Prælati *correctionis & reformationis officium libere valeant exercere*, decernitur, *ut executionem ipſorum, nulla conſuetudo, vel appellatio valeat impedire, niſi formam in talibus exceſſerint obſervandam.*

Ex his concludunt Canoniſtæ, & correctione Prælatorum non admitti appellationem ſaltem quoad effectum *ſuſpenſivum*; ſive ad eum effectum, ut *executio* correctionis ſuſpendatur, niſi formam correctionis exceſſerint. De quo latius in *Jure Eccleſ. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 10. *cap.* 3.

Ulterius additur, quod nec *conſuetudo* executionem eorum, quæ pro reformatione morum a Prælatis ordinata fuerint, valeat impedire.

Correctio enim abuſuum & exceſſuum jure *naturali* & *divino* Prælatis reſpectu ſuorum ſubditorum incumbit; ut proinde *conſuetudo* eam impediens, non pro lege, ſed pro corruptela accipienda ſit.

Et In Capitulo. At cui correctio incumbat, ſeu quis ſit cenſendus Superior in ordine ad correctionem & reformationem juris naturalis aut divini, non eſt, ideoque poteſt hæc poteſtas ab uno ad alium per *conſuetudinem* aut *præſcriptionem*, vel etiam per *privilegium* transferri: uti vel ex hoc Canone pateſcit, qui ſupponit, *exceſſus Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis* conſueviſſe *corrigi per Capitulum.*

Quare hic obſervat Panormitanus: „ quod, licet non „ valeat conſuetudo correctionis impeditiva, valet ta„ men in quantum eſt poteſtatis translativa; ut quæ „ devolvit poteſtatem ad alium Superiorem „.

Præterea monet citatus auctor ibidem, *menti tenendum* „ quod Inferior præſcribendo contra Epiſcopum, „ videtur acquirere juriſdictionem, in quantum eſt ſol„ licitus & vigil in ea exercenda: ſed data ipſius ne„ gligentia, poteſt Epiſcopus ſuam juriſdictionem gene„ ralem exercere; quod eſt (ait) valde notandum. „ Idem dic (pergit) ubi lex dat in ſpecie alicui juriſ„ dictionem, adimendo eam ab Ordinario generali. „ Videtur eam illi conferre, in quantum eſt vigil & „ ſollicitus in exercendo: alias poterit Ordinarius eam „ exercere „.

Hæc Panormitani obſervatio plane conformis eſt præſenti Canoni, in quantum decernit, ut *exceſſus Canonicorum per Capitulum ad commotionem vel juſſionem Epiſcopi corrigantur, infra* terminum competentem *ab Epiſcopo* præfigendum, *alioquin ex tunc Epiſcopus, Deum habens præ oculis, ipſos, ut animarum cura requirit, per cenſuram Eccleſiaſticam corrigere non poſtponat.*

Quando e Capitulo redeat ad Epiſcopum? Evidens igitur eſt, juriſdictionem ſeu auctoritatem corrigendi, non in totum Epiſcopis adimi, ſed tantum ejus exercitium ſuſpendi, quamdiu Capitulum vigil & ſollicitum eſt in coercendis Canonicorum exceſſibus. At data Capituli negligentia, Epiſcopi juriſdictio rurſus re-

revivifcit, feu ut notat Panormitanus hic *num.* 3. „ in „ casu hujus Canonis (ait) non proprie fit devolutio „ de Capitulo ad Episcopum, sed solum propter negli- „ gentiam Capituli, tollitur impedimentum consuetu- „ dinis: nam consuetudo impediebat Episcopum, cum „ ipse habeat jurisdictionem „. Hoc idem monet Dandinus Alteserra, una notans, quod „ inferiores Præ- „ lati habent jurisdictionem in concursu cum Ordina- „ rio; ita ut, si cessent intra certum tempus, jurisdi- „ ctio devolvatur, vel *redeat* ad Episcopum, quia fa- „ cile res redit ad suam naturam „.

Deducit hic præterea Panormitanus ex præsenti Canone practicam convincendi inferiorem de negligentia. „ Debet enim sibi statui terminus per Superiorem ad „ faciendum, quo elapso, poterit Superior supplere. „ Et sic nota (ait) quod si Archidiaconus, aut alius „ contra Episcopum præscripserit jurisdictionem Epi- „ scopalem in quibusdam casibus, & si ille est negli- „ gens in exercendo, poterit Episcopus illam jurisdi- „ ctionem exercere; nec est necesse recurrere ad alium „ Superiorem „.

Molimina contra correctiones.

Canonici nonnulli non ferentes correctionem & reformationem Episcopi sui super suis excessibus in contemptum Episcopi, & ut Populum contra Episcopum excitarent, cessationem a Divinis inducebant.

Repulsa.

Contra hoc temerarium Canonicorum attentatum; statuitur hoc Canone, *si Canonici absque manifesta & rationabili causa* (maxime in contemptum Episcopi) *cessaverint a Divinis; Episcopus, si voluerit, nihilominus celebret in Ecclesia Cathedrali*. Insuper decernitur, quod *Metropolitanus ad querelam* Episcopi *tamquam super hoc Delegatus* Sedis Apostolicæ, *taliter eos per censuras Ecclesiasticas cognita veritate castiget, quod pœnæ metu talia de cætero non præsumant*.

Cum autem, hoc Decreto non obstante, hujusmodi cessationes frequenter temere & cum scandalo Fidelium promulgarentur, prodiit Decretum Concilii Lugdunensis sub Gregorio X. relatum in *cap.* 2. *de Officio Judicis Ordinarii in* 6. quo modus in hac promulgatione servandus præscribitur: quod Decretum, uti & præsens Canon renovantur in Decretali Bonifacii VIII. relata in *cap.* 8. *eod. in* 6. additis pluribus conditionibus in promulganda hac cessatione servandis, quæ omnes tendunt ad moderandum cessationum earum usum.

Porro ex his Capitulis accipiunt quoque interpretationem, & vicissim præbent, *tituli* in Pragmatica Sanctione Caroli VII. Regis Francorum, & in Concordatis Gallicis de *interdictis leviter, & indifferenter non ponendis*, qui desumpti sunt ex Concilio Basileensi *sess.* 20. quibus restringitur nimia hujusmodi interdictorum frequentia. Videri possunt dicta in *Jure Eccl. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 11. *c.* 10. alias *c.* 9.

Abusus vitandus in correctione.

Ut autem morum correctio & reformatio a Prælatis fructuosius fiant; ipsique Prælati ostendant se in corrigendo & reformando nihil temporale quærere, monet Canon: *Provideant diligenter Ecclesiam Prælati, ut hoc salutare statutum ad quæstum pecuniæ vel gravamen aliud non convertant*.

Hinc deducunt passin Canonistæ, quod tametsi Prælati possint nonnunquam excessus seu Clericorum, seu Laicorum pœnis *pecuniariis* castigare; non possint tamen eas pœnas *propriis* usibus applicare: ne videantur ex correctione aut punitione excessuum *quæstum quærere*. Quod & vetitum legitur in *cap.* 3. X *de pœnis*, ac novissime renuvatum in Concilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. *de Reform.* servaturque in Belgio, ubi & Principum edicto cautum est, quod Judex Ecclesiasticus condemnans in mulctam *pecuniariam*, teneatur *in ipsa sententia* exprimere piam causam, cui mulcta sit applicanda, uti latius notavi in *Jure Eccles. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 11. *c.* 1.

CANON VIII.

De inquisitione excessuum. Cap. *Qualiter & quando* 24. X de Accusat.

OBSERVATIO.

CANON VIII. in *cap.* Qualiter & quando 24. X *de Accusat.* præscribit, qualiter & quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum & puniendum subditorum excessus.

Triplex modus procedendi.

Triplicem modum hic Canon proponit, quo Judex ad criminum punitionem procedere queat: nimirum per *accusationem*, *inquisitionem*, & *denuntiationem*: de quibus late actum in *Jure Eccl. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 8. *cap.* 1. ubi una expositum est, quid moderna praxis circa hos procedendi modos immutaverit, & in quibus a præscripto hujus Canonis moribus hodiernis recessum sit.

Non facile suscipienda accusatio adversus Prælatum.

Hoc hic notandum, quod non facile recipienda sit Prælatorum accusatio, quia *quasi signum sunt positis ad sagittam*. Et quia *non possunt omnibus complacere*, cum *ex officio suo teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnunquam vero ligare: frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur*. *Et ideo Sancti Patres provide statuerunt, ut accusatio Prælatorum non facile admittatur, ne concussis columnis, corruat ædificium: nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsæ, sed etiam malignæ criminationi janua præcludatur*.

Gravis diffamatio.

Si autem gravis sit contra Prælatum diffamatio, quæ sine scandalo dissimulari nequit, etiam contra ipsum institui Inquisitionem permittit Canon; „ notat- „ que hic Panormitanus *num.* 23. quod Parochianus „ possit denuntiare suum Prælatum, & impetrare in- „ quisitionem contra eum: interest enim sua, ne ha- „ beat lupum pro Pastore „.

Exceptio circa depositionem Superiorum Regularium.

Illud insuper observandum, quod Canon declaret; ordinem inquirendi & puniendi hic præscriptum. *Circa regulares personas non usquequaque servandum, quæ, cum causa requirit, facilius & liberius a suis possint administrationibus amoveri*. Ratio est, quod Regulares minore cum incommodo & scandalo a suis administrationibus removeri possint, quam Clerici sæculares, qui in titulum *perpetuum* munia sua possident. Regulares enim ob votum obedientiæ & paupertatis, ad *nutum* quasi Superiorum ea administrant: ut proinde leviore ex causa ad sua Monasteria revocari, & ab administratione sine scandalo & incommodo amoveri, & ad sua Monasteria revocari queant.

De his videri possunt, quæ in *Jure Eccles.* Tom. I. *parte* 1. *tit.* 29. *cap.* 10. *num.* 8. & *tit.* 31. *cap.* 5. de hac revocabilitate notavi.

CANON IX.

De diversitate rituum & linguarum. Cap. *Quoniam* 14. X de Officio Judic. ordinar.

OBSERVATIO.

Permixtio Latinorum & Græcorum.

CANON IX. extat in *cap.* Quoniam 14. X *de Officio Jud. ord.* Pro hujus Canonis intellectu notandum, quod anno 1204. in urbe Constantinopolitana a Latinis occupata, Balduinus Flandriæ Comes fuerit Imperator Orientalis renuntiatus: Thomas vero Maurocenus *Patriarcha* Constantinopolitanus electus & consecratus.

Insuper in multis Orientis Ecclesiis Episcopi Latini constituti fuerunt: hi autem Episcopi idioma, ac cæremonias ritusque Græcorum non callentes, minus erant apti, ut Græcis verbum Dei annuntiarent, aut Sacramenta ritu Græcorum, cui non erant assueti, administrarent; frequenterque hinc contingebat Græcos Domini verbi pabulo, & debita Sacramentorum administratione, ac divinorum officiorum persolutione destitui.

Utrorumque instructioni quomodo providendum.

Itaque hoc Canone mandatur, ut *Pontifices* seu Episcopi *hujusmodi civitatum seu Diœcesum provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum & linguarum, divina illis Officia celebrent, & Ecclesiastica Sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & exemplo*.

Quod hic constituitur servandum ob commixtionem Græcorum & Latinorum, id & in aliis civitatibus, in quibus Populi diversarum linguarum commixti sunt, servandum recte monet Panormitanus.

Scopus hujus Canonis est providere, ut Populo administratione Sacramentorum intelligibiliter eorum vis & usus exponatur (quod & monet Synodus Trident. *sess.* 24. *cap.* 7. *de reform.*) nec non is in reliquis fidei & religionis articulis debite instruatur: quod fieri nequit, nisi per eos, qui idioma Populi callent.

Ne sint duo Episcopi in una Civitate.

Vetat autem Canon, ne hoc prætextu, contra Canones, *una eademque civitas sive Diœcesis diversos Pontifices habeat, tamquam unum corpus diversa* habens *capita, quasi monstrum. Sed si propter prædictas causas urgens necessitas pustulaverit, Pontifex loci, Catholicum Præsulem Nationibus istis conformem, provida deliberatione constituat sibi* vicarium *in prædictis, qui ei per omnia sit obediens & subjectus*.

Exceptio.

Permittit ergo Canon, si urgens necessitas exigat, hoc est *dispensative* propter necessitatem, ut notat Glossa, ut in eadem Ecclesia sint duo Episcopi, sed quorum unus alteri tamquam *Vicarius* ejus per omnia sit *obediens* & *subjectus*: atque hoc pacto evitetur, quod una Ecclesia *tamquam unum corpus habeat diversa capita, quasi monstrum*, ut loquitur hic Canon: quem in finem Canonibus jam pridem cautum fuit, ne in una civitate seu Diœcesi duo essent Episcopi.

Notat autem hic Glossographus, quod assumptus hic Episcopus, licet dicatur *Vicarius* Episcopi principalis, tamen „ habebit *ordinariam* jurisdictionem seu pote- „ statem; quemadmodum Archidiaconus, qui licet sit „ Vicarius Episcopi, tamen jurisdictio ejus *ordinaria* „ est *perpetua* „.

Similis Episcopus videtur non absimilis fuisse Episcopis, qui olim dicebantur Chorepiscopi, uti videtur potest in *Scholio ad Canonem X. Antiochenum*, *Tom. VI.* hujus editionis.

Usus extraordinarius.

Præterea cum ille Episcopus assumatur a Latino Episcopo tamquam *Vicarius* & Coadjutor, notat Glossa, „ eum consequenter consecrandum a suo Episcopo, non „ a Metropolitano, cum ei non subsit, adjunctis duo-

bus

,, bus vicinis Episcopis ; quia aliter consecrari non debet ,, : quod merito *valde singulare* esse, monet Franciscus Florens in explicatione hujus Decretalis.

Notat quoque Glossographus ut *singulare* ,, quod aliquis, qui non est Archiepiscopus, possit habere Suffraganeum ,,.

Non agitur hic de Episcopis titularibus.

Dicit Panormitanus *num.* 4. intellectum hujus Canonis esse posse, ut Episcopus *Latinus* Præsulem illius linguæ, qui forte est sine Episcopatu, constituat sibi Vicarium ; ,, nam (ait) ut hodie contingit, multi ,, sunt Episcopi sine administratione Episcopatuum, ut ,, sunt illi, qui vulgariter vocantur Nullitenenses :,.

Verum tametsi tempore Panormitani, uti & hodie, similis Episcopus *Nullitenensis* sive *Titularis* assumi posset, nequaquam ad similes Episcopos respexit conditor hujus Canonis ; quandoquidem constet, post tempora hujus Concilii Lateranensis demum similes Episcopos originem accepisse ; ut novati in *Jure Ecclesias. Tom. I. parte* 1. *tit.* 15. *cap.* 4. alias in *supplemento ad Jus Eccles. parte* 1. *tit.* 15. *cap.* 3. *num.* 17.

CANON X.

De Officio Prædicationis. Cap. *Inter cætera* 15. ※ de Officio Judic. Ordinar.

OBSERVATIO.

Canon X. in *cap.* Inter cætera 15. ※ *de Officio Judic. Ordinar.* declarat, quod *inter cætera, quæ ad salutem spectant Populi Christiani, pabulum verbum Dei permaxime sibi noscatur necessarium.*

Præcipuum officium Episcopi, prædicatio.

Cum autem Episcopo primario incumbat cura animarum, ac vi illius procurare, quæ ad salutem maxime noscuntur necessaria, consequens est, Officii Episcopalis esse Populo Christiano porrigere *pabulum* Verbi Dei ; adeo ut dubium non sit, quin *Prædicationis præcipuum Episcoporum manus sit*, ut conformiter ad Scripturam sacram, & sacros Canones declaravit Synodus Tridentina *sess.* 5. *cap.* 2. & *sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform.*

Tum per se, tum per alios.

Quia tamen interdum contingit, quod Episcopi ob alias necessarias occupationes, non sufficiant Populo sibi credito ministrare necessarium ac sufficiens pabulum Verbi Dei : maxime per amplas & diffusas Diœceses, generali constitutione sancitur hoc Canone, ut *Episcopi viros idoneos ad sanctæ Prædicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere & sermone, plebes sibi commissas, vice ipsorum, cum* per se *idem nequiverint, sollicite visitantes, eas verbo ædificent & exemplo.*

Ex hoc textu primum deducitur, quod inter ea, quæ ad salutem Populi Christiani spectant, maxime necessarium sit pabulum Verbi Dei.

Secundo pabulum illud ab Episcopo *per se*, ubi potest, Populo porrigendum sit ; quod & latius ostendi in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 16. *c.* 10. alias *c.* 7.

Ubi vero justa de causa huic officio *per se* satisfacere nequit, ne Populus pabulo spirituali frustretur, tenetur conformiter ad præsentem textum, adsumere in suum adjutorium *viros idoneos potentes in opere & sermone.*

Notandum hic monet Panormitanus, quod *opus* præfertur *sermoni* : ,, & sic videtur (inquit) quod in prædicatione *magis* est attendenda *vita*, quam *scientia*, ,, quia *longe plus* proficit Prædicator *exemplo* boni operis, quam *verbo* doctrinæ ,,.

Ex his ulterius concludunt Canonistæ ; quod Episcopus de jure communi sit fundatus in jure mittendi Concionatores, qui tempore Quadragesimæ & Adventus vices ejus quodammodo suppleant, quemadmodum latius deduxi in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 16. *cap.* 11. alias *cap.* 8.

Concionatorum necessitatibus quomodo providendum?

Porro Canon injungit Episcopis, ut *viris* istis *idoneis, cum indiguerint, necessaria subministrent, ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto.*

Ad hæc verba dicit Panormitanus : ,, Nota hoc dictum, quod Episcopus mittens Legatum ad aliqua ,, loca, debeat providere ipsi de expensis. Quod ego ,, (ait) verum puto, nisi expensa sit gravis, & mittat pro communi negotio, nam tunc petere potest, ,, ut subditi contribuant ,,.

Et sane grave admodum esset, si Episcopus teneretur necessaria providere omnibus, qui in *diffusis*, ac populosis Diœcesibus necessarii sunt, ut populo verbum Dei annuntient, aut Confessiones eorum excipiant.

Unde plerisque in locis, onus hoc necessaria his subministrandi ad incolas, aliosve translatum est. Uti notavi in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 16. *cap.* 11. alias *cap.* 8. nisi agatur de *Visitatore* Episcopi, de quo proprie loqui videtur hic Canon.

Exceptio in favorem Ecclesiæ Romanæ.

Monet hic rursus Panormitanus, quod licet Legatus Episcopi mittatur *expensis* Episcopi, & Legatus Cæsaris expensis Fisci, tamen Legatus Papæ procuretur (a) a *Clericis* subditis ; dicitque ex Hostiensi, quod Ecclesiam Romanam *excuset* necessitas, quia non potest omnibus satisfacere ; quod verum est pro iis locis, ubi Clerici se huic oneri subjecerunt (a).

Votum Joannis Andreæ.

Monet insuper : ,, quod Joannes Andreas optaret, ,, quod Ecclesia Romana peteret vigesimam partem reditunm Clericorum, ad sustentationem Papæ, & Cardinalium, & ex hac parte provideret Legatis, & ,, abstinere a communibus servitiis & fructibus primi ,, anni, quos recipit a Prælatis promovendis, & Decanis, & similibus. Et refert (Joannes Andreas) ,, quod de hoc fuit alias factus sermo in Concilio Viennensi, sed Prælati existentes in Concilio deliberaverunt non facere : quia tanta viget insatiabilis cupiditas, quod istud & aliud reciperent ,,.

Fundatissimum fuisse hoc Joannis Andreæ votum nemo inficiabitur, qui attenderit quantopere Ecclesiam scandalizent exactiones illæ, quæ titulo *servitiorum communium*, *Annatarum*, & similium in Curia Romana usitatæ sunt.

Canonici Coadjutores Episcopi.

Ut autem Episcopus *viros idoneos* habere queat, qui sibi in iis, quæ ad salutem animarum spectant, *coadjutores* sint, præcipit Canon ; *tam in Cathedralibus, quam in aliis Conventualibus Ecclesiis, viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint Coadjutores & cooperatores habere, non solum in Prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, & Pœnitentiis injungendis, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum.*

Et revera eam fuisse præcipuam Ecclesiarum illarum, præsertim Cathedralium instituendarum rationem, ut iis adscripti, sive Canonici, Episcopo in regimine Diœcesis *Coadjutores* essent, latius probavi in Dissertatione Canonica de *Instituto Canonicorum parte* 1. *c.* 2. Quæ Dissertatio extat in Tomo V. hujus editionis.

Sed summopere dolendum, Fundatorum & Instituentium piam voluntatem tam parum ab Episcopis, aliisque Canonicatuum illorum Collatoribus & Patronis attendi, ut videamus hodie in plerisque Ecclesiis inolevisse abusum, quod pro majori parte pueri instituantur, aut alias plane inepti ad serviendum Ecclesiæ, aut ut Episcopis possint esse *Coadjutores* & *Cooperatores* in his, quæ pertinent ad salutem animarum ; quod & hic deplorat Patormitanus.

CANON XI.

De Magistris Grammaticæ, & Theologiæ in Ecclesia Cathedrali, & aliis, Cap. *Quia nonnullis* 4. ※ de Magistris.

OBSERVATIO.

Canone XI. in *cap.* Quia nonnullis 4. ※ *de Magistris*, renovatur Decretum Concilii Lateranensis sub Alexandro III. relatum in *Cap.* 1. ※ *eod.* quo cautum erat, ut *per unamquamque Cathedralem Ecclesiam Magistro, qui Clericos ejusdem* Ecclesiæ, aliosque *Scholares pauperes* Gratis doceat, *competens aliquod Beneficium præbeatur quo & docentis relevaretur necessitas, & via pateret discentibus ad doctrinam.*

Præsens Canon dictum Decretum innovando, illud extendit ad alias Ecclesias, *quarum sufficere poterunt facultates.*

Beneficium Theologale.

Insuper addit, ut Metropolitana Ecclesia, præter hunc Magistrum, qui *Clericos Ecclesiarum ipsarum gratis in* Grammaticæ *facultate, & alios instruat juxta posse* ; Theologum *nihilominus habeat, qui Sacerdotes, & alios in sacra pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur.*

Hæc saluberrima decreta rursus renovavit, & in nonnullis extendit Synodus Tridentina *sess.* 5. *cap.* 1. *de Reformatione* ; de quibus videri potest Fagnanus ad hanc Decretalem ; expendens ibidem puncta, in quibus Synodus Tridentina a jure communi in dictis decretis contento, discrepet. Et de Magistro Theologo plura annotavi in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 11. *c.* 6. ubi & de Præbendæ primo vacaturæ annexione Magistro Theologo ex ordinatione Concilii Tridentini.

CANON XXVII.

De Instructione Ordinandorum. Cap. *Cum sit* 14. ※ de ætate & qualit. &c.

OBSERVATIO.

Canon XXVII. in *cap.* Cum sit 14. ※ *de ætate & qualit. & ordine præficiendorum*, districte præcipit Episcopis, *ut promovendos in Sacerdotes diligenter instruant & informent, vel per se ipsos, vel per alios idoneos viros super divinis Officiis, Ecclesiasticisque Sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare.*

Hæc

(a) Id est, determinati sumptus ejus Legationis fiant.

(a) Observandum est, quod non liceat visitanti nisi unam procurationem recipere una die, sive unum locum solum, sive plura visitaverit ; qui Visitatori sufficere debet, ut temporalia metat a locis personaliter visitatis, pro diebus quibus eis spiritualia subministrat, *in VI. de Censib. cap. Felicis lib.* 3. *tit.* 20. *cap.* 3.

Quænam instructio maxime necessaria?

Hæc autem instructio & informatio nequaquam intelligenda de externis ritibus, quibus divina Officia celebranda, aut Sacramenta administranda sunt; sed præcipue intelligi debet de his, quæ Ordinandos scire oportet, ut ea omnia peragant, uti requirit salus populi Sacerdotibus credita, quod patenter evincit ratio in Canone expressa, cum sit *ars artium regimen animarum*.

Decernit præterea, si *de cætero rudes & ignaros ordinare præsumpserint, & Ordinatores & Ordinatos ultioni gravi subjacere*.

An liceat ob penuriam Sacerdotum ordinare ignaros?

Et ne prætextu *penuriæ* Sacerdotum Ordinatores parum idoneos, & de quorum doctrina & morum integritate non sat constet, ad Sacerdotium admitterent, declarat, *sanctius* vel *satius* esse (*in Ordinatione maxime Sacerdotum*) *paucos bonos, quam multos malos habere Ministros: quia si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur*.

Hoc notabile & merito omnium Episcoporum mentibus alte imprimendum dictum, desumptum apparet ex *Can.* 4. *Dist.* 23. ubi dicitur: „ Tales ad ministerium „ eligantur Clerici, qui *digne* possunt divina Sacra„ menta tractare. *Melius est enim Domini Sacerdotium* „ paucos *habere Ministros, qui possunt digne opus Dei* „ *exercere quam* Multos *inutiles, qui onus grave Ordi*„ *natori adducunt* „.

Utinam hæc attenderent Episcopi, qui Diœceses suas multitudine inutilium & otiosorum Sacerdotum replent; qui ad nihil ordinati apparent, quam ut *de celebratione Missæ faciant artem de pane lucrando*; uti loquitur Bellarminus ad Nepotem suum.

Cæterum de examine Ordinandorum, ab Episcopo ante ordinationem instituendo; nec non informatione super eorum moribus & conversatione, videri possunt, quæ dicta sunt in *Jure Eccles. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *tit.* 9. *c.* 4.

CANON XXXIII.

De Procurationibus extra casum Visitationis. Cap. *Procurationes* 23. ※ de Censibus.

OBSERVATIO.

CANON XXXIII. in *cap.* Procurationes 23. ※ *de Censibus*, statuit modum circa procuratione Episcoporum, aliorumque Prælatorum, visitantium Ecclesias sibi subjectas.

Procurationes non exigendæ sine visitatione.

In primis præcipit, *absque manifesta & necessaria causa nullatenus exigantur; nisi quando personaliter officium Visitationis impendunt*.

Hic aperte improbatur *redemptio* procurationum, quam Prælati a populo exigebant, quamvis personaliter non visitarent; conformiter ad *Canonem* 9. *Caus.* 10. *quæst.* 1. quo redarguitur Episcoporum avaritia & negligentia „ qui nolentes ad prædicandum vel confirmandum suas per annum Parochias circumire, tamen „ exigunt, ut mansiones, quibus in profectione uti de„ buerant, aliquo *pretio redimant*, qui parare debe„ bant. Quæ duplex infamia, avaritiæ & negligen„ tiæ (ait) sanctæ Synodo magno horrori fuit „.

Hic etiam comprehenduntur Legati Apostolici.

Etiam Legatis Apostolicis hanc procurationum redemptionem satis usitatam fuisse constat. Redarguit enim Jordanum Sedis Apostolicæ in Gallia Legatum S. Bernardus *Epist.* 290. quod Clericos cogeret ad *redimendam* visitationem: „ Multi (inquit) se redeme„ runt, ne veniret ad quos pervenire non potuit, *exe*„ *git, & extorsit per nuntios* „. Et apud Rogerum Hoveden in Richardo I. ex epist. Hugonis Dunelmensis Episcopi damnatur eodem ex Capite Legatus Sedis Apostolicæ in Anglia: „ omnes enim Ecclesias Angliæ „ (inquit) *Crux* illa redemit, seu ad *redemptionem* „ *coegit*, nec fuit aliquis immunis, qui *Crucis* istius „ stigmata non sentiret „.

Per *Crucem* hic designatur Pontificius Legatus *a latere*; qui *Crucem* sibi tamquam Legationis signum præferre facit.

Nec tantum eam procurationum *redemptionem* reprobavit præsens Canon; sed insuper *evectionum & personarum* moderationem in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. præscriptam observari vult.

Insuper specialem in his moderationis modum ne Ecclesiæ supra modum graventur, præscribit Legatis Apostolicis.

Abusus hac in parte.

Et merito: scitur enim sæpe accidisse, ut Legati Apostolici supra modum Ecclesias gravarent, easque pene exhaurirent; de quibus ita scribit Joannes Sarisberiensis, *lib.* 5. *Policrat. Cap.* 16. „ Sed nec Legati Sedis Apostolicæ manus suas excutiunt ab omni munere, „ qui interdum in Provinciis ita debacchantur, ac si „ ad Ecclesiam flagellandam egressus esset Satan a fa„ cie Domini „.

Querela S. Bernardi de his exactionibus, *lib.* 4. *de Consid.* ad Eugenium III. nota est.

Et ne sub prætextu *procurationum* pecunia exigeretur; in Concilio Valentino jampridem præscriptum fuit, ut Prælatus „ nullam pecuniam ipse, vel aliquis „ de familia occasione alicujus officii vel consuetudinis, „ seu alio quolibet modo, earum (procurationum) no„ mine, sed in *victualibus* expensas tantum moderatas „ recipiat „.

Quid de his præscripserit Synodus Tridentina exposui in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 17. *cap.* 1.

Scopus Visitationis.

Quis porro debeat esse verus Visitationis scopus, paucis exponit Canon his verbis: *Visitationis Officium exercentes non quærant, quæ sua sunt, sed quæ Jesu-Cristi: prædicationi, & cohortationi, correctioni & reformationi vacando, ne fructum referant, qui non perit*. Ita & Concilium Tridentinum latius exposuit, de quo vide *Jus Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 17. *cap.* 3. & 4.

OBSERVATIONES.

In Canones XXIII. XXV. XXVI. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. præscribentes Regulas servandas in provisione Beneficiorum.

CANON XXIII.

Ne diu vacent Ecclesiæ. Cap. *Ne pro defectu* 41. ※ de Electione.

OBSERVATIO.

Ne Ecclesiæ jacent ultra tres menses.

CANON XXIII. in *cap.* Ne pro defectu 41. ※ *de Electione*, statuit, *ultra tres menses Cathedralis Ecclesia vel Regularis Prælato non vacet*.

Præmittit Canon rationem: *Ne scilicet pro defectu Pastoris, gregem Dominicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata grave dispendium patiatur*.

Ex his quoque deducit Panormitanus, hoc Decretum tantum loqui de dignitate *principali* in Ecclesia *Cathedrali*, id est, Episcopali. Hic enim solus proprie dicitur *Pastor* illius Ecclesiæ, uti & per Episcopi solius mortem dicitur Ecclesia Cathedralis *vacare*, aut *viduata*; ipse enim est *sponsus*, non autem alii habentes ibidem dignitates inferiores, ait Panormitanus.

Pœna in negligentes.

Decernit ulterius Canon, quod *si* intra tres *menses electio celebrata non fuerit: qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proxime præesse dignoscitur, devolvatur*.

Per eum, *qui proxime præesse dignoscitur*, intelligi *proximum* sive *immediatum Superiorem*, notant hic communiter Canonistæ post Glossam.

Verum, postquam confirmationem Episcoporum, quæ olim spectabat ad Metropolitanum, ut proximum Superiorem, Papa sibi vendicavit, etiam providendi potestatem ob negligentiam eligentium ad se attraxit.

Exceptio in favorem Regum.

Præterea, quia hodie in plerisque regnis nominatio Episcoporum, & Abbatum ad Principem spectat, vix juri devolutionis datur locus; eo quod Principibus hisce supremis tempus non currat, quia multis, tam tempore belli, quam tempore pacis præsumuntur negotiis occupati, ut semper *justo impedimento* videantur præpediti per nominationem providere; & ita de Rege Catholico notavi ex Garzia in *Jure Eccles. Tom. I. part.* 1. *tit.* 13. *cap.* 4. *num.* 12. ubi una ostendi, intra quod tempus Rex Galliæ vi Concordatorum nominare, & Pontifici præsentare teneatur personam ad Episcopatum vacantem.

Officium Metropolitani in casu negligentiæ.

Cum autem Canon injungat Metropolitano in casum devolutionis, ut *non differat ultra* tres *menses viduatam Ecclesiam de persona idonea* ipsius quidem Ecclesiæ, *vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonice ordinare*. Notant hic Doctores, Episcopum de *gremio* Ecclesiæ vacantis esse eligendum; & Clericum Ecclesiæ viduatæ Clericis alterius Ecclesiæ præferendum, conformiter ad *Canones* 12. & 13. *Dist.* 60. in quorum postremo dicitur. „ Tum alter de altera eligatur Eccle„ sia, si de civitatis ipsius Clero, qui Episcopus ordi„ nandus est, nullus dignus (quod evenire non credi„ tur) inveniri poterit „.

An semper assumendi Episcopi, qui sint de gremio?

Hinc & in pluribus Germaniæ Capitulis, quibus jus eligendi conservatum est, consuetudo obtinet, ut nullus ad Episcopatum Ecclesiæ vacantis assumatur, nisi de gremio fuerit illius Ecclesiæ.

Cæterum ubi jus illud eligendi de gremio ipsius Ecclesiæ, consuetudine, aliove titulo non est stabilitum, hodie passim invaluit, ut ad Episcopatus vacantes nominentur, vel eligantur personæ etiam de gremio Ecclesiæ vacantis non existentes; quod vel ideo facilius introduci potuit; quod, licet Canones eligi de gremio Ecclesiæ vacantis optarent, electionem tamen de extranea persona factam non irritabant, ut post Glossam hic nota-

notarunt Interpretes; quin immo *cap.* 19. X *de Elect.* approbatur electio extranei, modo facta sit a duabus tertiis partibus Capituli.

C A N O N XXV.

Electio non facienda a Laicis. Cap. *Quisquis* 43. X de Elect.

OBSERVATIO.

Electiones a Laicis factæ cassantur.

CANONE XXV. in *cap.* Quisquis 43. X *de Elect.* improbatur electio facta *per sæcularis potestatis abusum*; decerniturque, quod *quisquis* electioni de se sic factæ *consentire præsumpserit, & electionis commodo careat, & intelligibilis fiat, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem. Qui vero electionem hujusmodi* (*quam ipso jure irritam* censet Canon) *præsumpserint celebrare, ab Officio & Beneficio penitus suspendantur per triennium, eligendi tunc potestate privati.*

Plura sub idem tempus prodiere Pontificum Responsa & Decreta, quibus ab electione tam in Cathedralibus, quam Collegiatis Ecclesiis, Laici penitus excluduntur, ut in *cap.* 51. & 56. X *eod.* videre est.

Cum Episcopi multi, præsertim in Germania, etiam Principatus & Dominia majora haberent Ecclesiis suis annexa, fiebat, ut etiam supremæ Potestates non parum sua interesse crederent, quis ad Episcopatum assumeretur; quapropter ambiebant per se vel suos Commissarios electioni interesse, quo facilius suffragia eligentium in sibi faventem personam inclinarent: atque ita libertatem Canonicam electionis lædere videbantur.

De simili casu hic præsens Canon, aliæque conformes Decretales accipi debent.

Exceptiones.

Cæterum dubium non est, quin ex fundatione aut privilegio subinde *Laicis*, præsertim Principibus, competat jus interveniendi electioni, quemadmodum aperte supponit Pontifex in *cap.* Nobis fuit 25. X *de Jure Patronatus*, Postquam enim dixit, quod in Conventuali Ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ, honestius Patroni postulatur assensus, subdit hanc clausulam: „ nisi aliter de *sua jurisdictione* obtineat, „ ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ „. Hoc est ex fundatione id obtineat, ut notat Glossographus, & etiam Franciscus Florens ad hoc *cap.* 25. Item Janus a Costa, qui pluribus exemplis adstruit Laicos electioni interveniendi nonnunquam jus habere, quod & probat Franciscus de Roye ad idem *cap.* 25.

Cæterum certum est pluribus sæculis obtinuisse, ut in electione Episcopi intervenirent non tantum Clerici, sed & populus, sive Laici, uti multis ostendi in *Jure Eccles. Tom.* 2. *part.* 1. *tit.* 13. *cap.* 1.

C A N O N VI.

De Confirmatione Electorum. Cap. *Nihil est* 44. X de Elect.

OBSERVATIO.

Examen erga Electos.

CANON XXVI. in *cap.* Nihil est 44. X *de Elect.* agit de Confirmatione Prælatorum, præmittitque, *nihil esse quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quam quod indigni adsumantur Prælati ad regimen animarum.*

Huic igitur morbo volens *adhibere necessariam medelam, irrefragabili constitutione* sancit, *quatenus cum quispiam ad regimen animarum fuerit electus, is, ad quem pertinet ipsius confirmatio, diligenter examinet & electionis processum, & personam Electi: ut cum omnia rite concurrerint, munus ei confirmationis impendat.*

Post hæc pœnas decernit contra Promotum & Promoventem, *si secus fuerit incaute præsumptum ..... maxime si hominem insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitimæ approbaverit.*

Monentur *Episcopi*, ut ipsi *quoque tales ad sacros Ordines, & Ecclesiasticas Dignitates promovere procurent, qui commissum sibi Officium digne valeant adimplere, si & ipsi canonicam cupiunt effugere ultionem.*

Confirmatio Electorum Seculo XIII. per Superiores immediatos.

Evidens est, hoc Canone supponi, Prælatos electos a suis immediatis Superioribus confirmationem accipere; quod & hic Doctores observant, & innuunt verba sequentia, quibus declaratur, quod *qui ad Romanum pertinent* immediate *Pontificem, ad percipiendam sui confirmationem Officii*, debeant, *si commode fieri potest, vel personaliter ad Sedem Apostolicam* accedere, *aut personas idoneas* transmittere, *per quas diligens inquisitio super electionibus & Electis possit haberi.*

Vel per Sedem Apostolicam.

Hic sat patet solos Exemptos seu *immediate* ad Romanum Pontificem pertinentes, ab eo confirmationem tunc temporis obtinere debuisse, reliquos vero a suis immediatis Superioribus.

Illud & indubitatum recentioris esse disciplinæ post receptas falsas Decretales inductæ, quod de obtinenda confirmatione Exemptorum a Sede Apostolica hic dicitur, quia demum auctoritate harum Decretalium similes exemptiones concedi cœperunt.

Ante confirmationem non potest Electus administrationi Ecclesiæ se in spiritualibus seu temporalibus ullatenus immiscere, nisi aliqui *ultra Italiam constituti ... electi fuerint in* concordia, id est, nullo eligentium reclamante quibus permittitur dispensative, *propter necessitates Ecclesiarum & utilitates, ut in spiritualibus & temporalibus administrant, si tamen ut de rebus Ecclesiasticis nihil penitus alienent.*

C A N O N XXVIII.

De Episcopis loco cedentibus. Cap. *Quidam* 12. X de Renuntiat.

OBSERVATIO.

CANNO XXVIII. in *cap.* Quidam 12. X *de Renuntiat.* statuit, quod, qui *cum instantia* cedendi licentiam petierunt, ea obtenta *ad cedendum* sunt compellendi: ratio additur: *quia in postulatione hujusmodi, aut Ecclesiarum commoda, quibus præsunt, aut salutem videantur propriam attendisse: quorum neutrum* (ait) *suasionibus aliquorum quærentium quæ sua sunt, seu etiam levitate qualibet nolumus impediri.*

Nova disciplina erga cedere volentes.

Hic de Episcopis, qui cedendi licentiam a Sede Apostolica impetrare debent, sermonem esse evidens est; congruitque huic Canoni Decretalis Innocentii III, in *cap.* 4. X *de Postulat. Prælat.* in qua dicitur, quod postquam postulatio subscriptionibus postulantium roborata, & præsentata est *Romano Pontifici*, ab ea postulantes recedere nequeant, ne *Pontifici illudatur*, & judicium ejus ex eorum pendere arbitrio videatur.

Hoc ante tempora hujus Pontificis notum fuisse non apparet.

Proinde verisimile est hoc Pontifici Innocentio III. potius quam Concilio adscribendum; neque dubium, hoc esse recentioris disciplinæ; uti & sunt ea, quæ sub titulo de *Postulatione Prælatorum* occurrunt, sub quo titulo nulla Decretalis antiquior Decretali Innocentii III. occurrit.

C A N O N XXIX.

De pluralitate Beneficiorum. Cap. *De multa* 28. X de Præbend.

OBSERVATIO.

CANON XXIX. in *Cap.* De multa 28. X *de Præbendis*, dirigitur contra pluralitatem Beneficiorum, quæ sæculis illis multum invaluerat, non obstantibus plurimis Conciliorum Decretis; deploraturque in præsenti Canone, quod ex *Decreto* Concilii Lateranensis sub Alexandro III. contra hunc abusum, *propter præsumptiones & quorumdam cupiditates, nullus hactenus aut rarus fructus provenerit.*

Remedia contra pluralitatem Beneficiorum.

Ut autem efficacius huic abusui remedium adhibeatur; statuitur præsenti Canone, inprimis, quod si quis *receperit Beneficium habens curam animarum, si prius tale Beneficium habebat, eo sit ipso jure privatus: & si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur:* scilicet per sententiam.

Secundo injungitur Collatori, ut Beneficium primum post receptionem secundi, *libere conferat*; & *si ultra sex menses* collationem differat, non *solum* jus collationis ad Superiorem *devolvatur, verum etiam cautum de suis cogatur proventibus in utilitatem Ecclesiæ, cujus est illud Beneficium, adsignare, quantum a tempore vacationis ipsius constiterit esse præceptum.*

Mira & nova exceptio.

Tertio declarat, *hoc idem & in* personatibus *observandum*; addens, *ut nullus plures dignitates, aut personatus in eadem Ecclesia habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum.*

Tandem concludit hac clausula modificativa: *circa sublimes tamen & litteras personas, quæ majoribus Beneficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari:*

Nescio an in ullo Decreto alicujus Concilii sive Synodi pro reformatione abusum edito similis clausula addita legatur; sciebant enim Patres per hanc dispensandi facultatem in Decreto expressam palam viam pandi ad eversionem Decreti.

Et sane quam latam portam dispensationibus hæc clausula nata fuerit aperire, nemo non videt, & etiam hodierna Curiæ Romanæ praxis ostendit.

Ut proinde non sine fundamento occasione hujus Decreti Matthæus Parisiensis (qui circa hæc tempora floruit) ad annum 1235. de Collectione Decretalium auctore Gregorio IX. facta, loquens dicit: „ In quibus „ quædam innovavit, ne scilicet illegitimi Prælatitias, „ vel Ecclesiastica Beneficia, nisi adepta a Sede Romana legitimationis dispensatione obtineant: sciens „ inde Curiæ Romanæ pro impetratione tali, multa „ emolumenta provenire: *sicut ex statuto Innocentii* „ *pro dispensatione plurimorum Beneficiorum obtinendorum* „.

Et sane hac clausula per Innocentium apposita, & ha-

haſtenus in nullo Decreto expreſſa, hoc Decretum pene inutile eſſe redditum ſcitur (*a*).

C A N O N XXX.

De promotione indignorum. Cap. *Grave nimis* 29. ✠ de Præbend.

OBSERVATIO.

CANON 30. in *cap.* Grave nimis 29. ✠ *de Præbendis*, agit contra Prælatos, ad Beneficia Eccleſiaſtica *indignos, quibus nec morum honeſtas, nec litterarum ſcientia ſuffragatur*, promoventes; cum poſſint viros idoneos promovere, *carnalitatis ſequentes affectum, non judicium rationis: unde* (inquit) *quanta Eccleſiis damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat.*

Præcipit itaque, ut Prælati Eccleſiarum, *prætermiſſis indignis, idoneos aſſumant, qui Deo & Eccleſiis valeant gratum impendere famulatum.*

Pœnæ Prælatorum indignos promoventium.

Ulterius vult, ut *fiat de hoc in Provinciali Concilio diligens inquiſitio annuatim; ita ut ſi Prælatus poſt primam & ſecundam correptionem reperiatur culpabilis, a Beneficiis conferendis per ipſum Concilium ſuſpendatur, inſtituta in eodem Concilio perſona provida & honeſta, quæ Suſpenſi ſuppleat defectum in Beneficiis conferendis. Et hoc ipſum circa Capitula, quæ in his deliquerint, obſervetur.*

Metropolitani vero delictum vult Canon, *Superioris judicio ex parte Concilii* nunciari.

Hic notat Panormitanus, Metropolitanum tamquam *Caput* Concilii Provincialis, a Concilio non puniri; ſed a ſuo Superiore ad denuntiationem Concilii: non quod Concilium non ſit Metropolitano ſuperius; ſed ne *Caput & Præſes* in Concilio, cui præeſt, puniatur, ait hic Gonzales. Verum ratio ſeu argumentum Panormitani, & Gonzalis non videtur efficax.

Ut vero terrore hujus ſuſpenſionis ad obſervationem Decreti magis incitentur Prælati, non vult *ſuſpenſionis ſententiam præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprii Patriarchæ* relaxari; addita hac etiam ratione: *ut in hoc quoque quatuor Patriarchales Sedes ſpecialiter honorentur.*

Abuſus quoad hoc.

Evincit præſens Canon Prælatos eſſe multum culpabiles, qui indignos ad Beneficia Eccleſiaſtica ex *carnalitatis affectu* promovent; atque contra illos ſevere eſſe procedendum; ſed dolendum quod deficiente Synodorum celebratione, non ſit, qui Prælatorum defectibus & exceſſibus invigilet, eoſve corripiat & corrigat; ſed multi impune ſuos nepotes & carnaliter conjunctos, tametſi plane indignos ad primas Eccleſiarum dignitates ex mero carnali affectu promoveant.

C A N O N XXXI.

De Filiis Canonicorum non inſtituendis cum Patribus. Cap. *Ad abolendum* 16. ✠ de Filiis Presbyterorum.

OBSERVATIO.

CANON XXXI. in *cap.* Ad abolendam 16. ✠ *de Filiis Presbyt.* excludit filios Canonicorum maxime *ſpurios*, a Canonicatibus in Eccleſiis ſæcularibus, in quibus inſtituti ſunt Patres eorum; contra quem abuſum plura ſub idem tempus edita fuere, quæ noviſſime per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de Reform.* renovata & extenſa ſunt; de quibus latius in *Jure Eccleſ. Tom. II. part.* 2. *ſect.* 2. *tit.* 10. *c.* 3. *num.* 23.

Abuſus.

Verum illud dolendum, quod ob facilem, quæ in Curia Romana ſub hac irregularitate obtinetur, ſolutis taxis diſpenſationem, quibuſdam videantur hæc Decreta edita, ut Curiæ Romanæ ex diſpenſatione hæc emolumenta temporalia obvenirent: uti jam pridem viſum fuiſſe Matthæo Pariſienſi ſupra ad Canonem XXIX. notavi.

(*a*) Obſervant Canoniſtæ eam non eſſe Romani Pontificis intentionem, ut cum aliquo in plurimis diſpenſet Beneficiis poſſidendis, præſertim ſi agatur de Beneficiis, quæ curam animarum annexam habent. Ita *de Elect. cap. Dudum. §. penult.*

O B S E R V A T I O N E S

In Canones XIX. XX. XXI. XXII. LXII. L. LI. Sacramentalia concernentes.

C A N O N XIX.

Res profanæ in Templis non oſſervandæ. Cap. *Relinqui* 2. ✠ de Cuſtod. Euchar.

OBSERVATIO.

Ne ſupellex in Templis ſervetur.

CANON XIX in *Cap.* Relinqui 2. ✠ *de Cuſtod. Euchar.* duo cavenda eſſe decernit. Primo firmiter prohibet, ne ſupellectilia ſive Clericorum ſeu Laicorum in Eccleſiis admittantur, *ne potius domus Laicæ, quam Dei Baſilicæ, videantur, non conſiderantes, quod Dominus non ſinebat, ut vas transferetur per templum.* Addit autem hanc modificationem. *Niſi ptopter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes, ad eas oporteat haberi refugium, ſit tamen ut, neceſſitate ceſſante, res in loca priſtina reportentur.*

Exceptio.

Mos Ethnicorum in hac parte.

Scitur olim apud Romanos, etiam gentiles, moris fuiſſe, ut ea, quæ præ reliquis ſervata volebant, in æde ſacra reponerent, Sacerdotum Æedituorumque fidei ea commendates. Hujus moris exemplum occurrit in menſuris & ponderibus, quæ cum olim in *publicis* locis aſſervari ſolerent, ne corrumperentur, *L.* 9. *Cod. de Suſceptoribus*: tandem Juſtinianus *Novel.* 18. *in Eccleſiis* ſervari mandavit.

Similiter & Teſtamenta, ut eorum ſecuritati conſuleretur, in Templis deponebantur. *L.* 4. §. *fin. ff. Familiæ erciſc.* item *L.* 3. §. proinde. *ff. de Tabul. exhib.*

Ob eamdem cauſam, pecunia ſicut in publicis deponebatur locis, ita & in æde ſacra deorum. *L.* 73. *ff. de Procurat.* item *L.* 7. *n.* ſed etſi *ff. de Minorib.* & *L.* 19. *ff. de Uſuris*. Teſtaturque Dio *Orat.* 31. apud Epheſios in templo Dianæ reconditas fuiſſe pecunias non ſolum Epheſiorum, ſed & hoſpitum, & omnium undecumque gentium. „Deponunt autem omnes (ait) *ſecuritatis* gra„tia, nemine unquam auſo locum afficere injuria, tametſi „jam plurima bella geſta ſint, civitaſque ſæpius capta„

Judæorum.

Nec apud Gentiles ſolum, ſed & apud Judæos hoc erat uſitatum, ut patet ex hiſtoria Heliodori II. *Machab. III.* 10. 11.

Et Chriſtianorum.

Hoc eodem motivo, Chriſtiani ad Eccleſias, & loca ſacra res ſuas cuſtodiendas detulere: cumque id promiſcue fieri invaluiſſet, atque ita rebus profanis tandem Eccleſia, ac loca ſacra replerentur, uti ad *Can. LXXXIX.* Synodi VI. ſive *Trullanæ Tom. VII.* notavi, cujus Canonis præſens Decretalis innovatio quædam cenſetur.

Munditiés vaſorum Sacrorum.

Ulterius præſenti Canone præcipitur, *ut Oratoria, Vaſa, Corporalia & Veſtimenta* Miniſtrorum *munda & nitida conſerventur; nimis enim videtur abſurdum, in ſacris ſordes negligere, quæ deducerent in profanis.*

Hæc ſolent hodie curæ Theſaurarii; vel etiam Sacriſtæ ſeu Cuſtodis committi; unde ab horum diligentia, induſtria, ac cura, ornamentorum & Templorum munditiés præcipue dependet. Vide dicta in *Jure Eccl. Tom. I. part.* 1. *tit.* 4. *c.* 1. (*a*).

C A N O N XX.

Chriſma, & SS. Euchariſtia diligenter aſſervanda. Cap. *Statuimus* 1. ✠ de Cuſtod. Euchar.

OBSERVATIO.

CANON XX. in *cap.* Statuimus 1. ✠ *de Cuſtod. Euchar.* præcipit, *ut in cunctis Eccleſiis Chriſma & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia, clavibus adhibitis, conſerventur. Ne poſſit* (inquit) *ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia & nefaria exercenda.*

Rationes hujus Canonis.

Jam pridem nonnullos *Chriſmate* uſos fuiſſe pro Medicina *corporali*, probat Synodus Arelatenſis VI. *Can.* 18. ubi abuſus hic improbatur, atque injungitur Presbyteris: „ut nulli ſub prætextu *Medicina*, vel cujuslibet rei „donare præſumant„. Et ne forte eum in uſum, neſcientibus Presbyteris, aſſumeretur, una ſtatuit, ut Presbyteri ſub ſigillo cuſtodiant *Chriſma*.

Idipſum ſub idem tempus decrevit Synodus Moguntina *Can.* 27. addens, *aut prætextu maleficii*.

Conſuetudo ſuperſtitioſa.

Similiter & Pontificale Romanum ex antiquo ritu præſcribit, titulo *de Officio quintæ feriæ* in *Cœna Domini*, ut Epiſcopus „jubeat Presbyteris attente, ut „juxta Canonum traditionem Chriſma & olea ab „Epiſcopo ea die conſecrata *fideliter cuſtodiant*, & „nulli ſub prætextu *Medicinæ*, vel *maleficii* tradere „præſumant; alias honore priventur„.

Ex his manifeſtum eſt, quod quidam *Chriſmate* maleficii cauſa uterentur.

Abuſus ſacrilegus.

Immo ad tegenda flagitia ſubinde adhibitum indicat Concilium Turonenſe anni 813. *Can.* 20. „injungens „Presbyteris, ne ſacrum *Chriſma* foras conclave di„mittant, ubi a quolibet attingi poſſit„. Rationem ſubjungit: *Nam criminoſos Chriſmate tactos aut potatos nequaquam ullo examine deprehendi poſſe a multis putatur.* Hujus abuſus ſeu ſuperſtitionis meminit Pœnitentiale Romanum apud Burchardum *l.* 19. *cap.* 207. ubi Pœnitens interrogatur: Bibiſti Chriſma *ad ſubvertendum Dei judicium*? Et *lib.* 3. *Capitul. cap.* 55. ſtatuitur, ut Presbyter poſtquam depoſitus fuerit, *manum amittat, qui ſanctum Chriſma donaverit ad* ſubvertendum *judicium*. Plura ibidem annotavit Stephanus Baluzius.

Non

(*a*) Quid hodie ad Theſaurarii curam pertinet, quidque ejus diligentiæ, & induſtriæ incumbit, & unde notum ejus nomen, & an dignitas vel ſimplex officium ſit, late deſcribitur in *Jure Eccleſ. Tom. I. parte* 1. *tit.* 11. *c.* 5. hujus editionis.

Horrenda crimina. Non tantum Chrismate, sed & ipsa Eucharistia impios homines nonnunquam ad maleficia abusos fuisse constat. Exemplum notabile occurrit in *c. 3. de Pœnit. & remiss.* in secunda Decretalium collectione apud Antonium Augustinum, de muliere, quæ *corpus* Christi adhibere voluit, ad sibi viri sui *ampliorem amorem* conciliandum. Horrenda sunt, quæ hac in parte refert Martinus Delrio *lib. 3. Disquisit. Mag. part. 1. Disquisit. 3. sect. 1.*

Merito proinde decretum est, ut & Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia asserventur, quod & Synodi nostræ Belgicæ sæpius innovarunt.

CANON XXI.

Præcepta annuæ Confessionis & Communionis. Cap. Omnis utriusque sexus 12. X de Pœnit. & remiss.

OBSERVATIO.

Confessio annua. CANONE XXI. in *cap.* Omnis utriusque sexus 12. X *de Pœnit. & remission.* omnium Canonum hujus Concilii famosissimus, & continuo totius Ecclesiæ usu comprobatus, agit de Confessione, & Communione annua, præcipitque in primis, ut *omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi Pœnitentiam propriis viribus* (C. pro viribus) *studeat adimplere.*

Proprio Pastori facienda. Nomine proprii Sacerdotis hic venit Sacerdos, cui Pœnitentium cura spiritualis fori interni speciali ac *proprio & ordinario* jure competit: puta respectu communium Laicorum, singulorum respective Fidelium *proprius Parochus*: & respectu Canonicorum *Decanus*, aliusve, cui spiritualis animarum cura de jure competit; respectu Religiosorum Abbas, aliusve Monasterii Superior; & ita de aliis, quos singulatim enumerat Hostiensis in summa ad titulum *de Pœnitentiis & remissionibus.*

Communio annua. Secundo statuitur, ut suscipiat *reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*; addita tamen hac clausula modificativa: *nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.*

Exceptio. De hoc præcepto, ejusque obligatione fuse egi in *Jure Eccles. Tom. II. parte 2 sect. 1. tit. 2. cap. 3.* ubi ostendi, quod hæc Communio sive Eucharistiæ susceptio fieri debeat in Ecclesia Parochiali: quodque tempus Paschale ad hunc effectum computetur juxta Declarationem Eugenii IV. & receptum Ecclesiæ usum a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis utrimque inclusive.

Ostendi & ibidem, qui juxta modernam Ecclesiæ disciplinam ad hanc annuam sacram Communionem obligentur, & quis nomine *proprii Sacerdotis* hodie intelligatur, de cujus *consilio* a Communione Paschali possit abstinere: ac denique de pœna non Communicantis, quam Canon his verbis expressit: *Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.*

Confessio non semper proprio Pastori facienda. Porro cum subinde causa rationabilis occurrere queat, ut quis *proprio* suo *Sacerdoti* peccata confiteri non audeat, aut id non conveniat, declarat Concilium, quod *si quis alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio Sacerdote; cum aliter ipse illum non possit absolvere, vel ligare.*

Notat Gabriel Cossartius in marginali nota ad hunc Canonem, quod pro his verbis *cum* aliter ipse *illum non possit, &c.* in Codice Mazarino legatur: *cum* alter *ipsum non possit, &c.* Idem tamen apparet utriusque lectionis sensu; nimirum quod nullus Sacerdos nisi *proprius* ipsius Pœnitentis possit Pœnitentem absolvere vel ligare, defectu nimirum jurisdictionis in eumdem; nisi *a proprio Sacerdote* eam acceperit delegatam: quam delegasse censebitur, si Pœnitenti veniam annuerit *alieno Sacerdoti* confitendi (*a*).

Sed non sine ejus licentia. Hinc habemus, quod juxta ætatis istius disciplinam, *proprius Sacerdos* seu Parochus, potuerit *alieno* Sacerdoti committere administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, uti & aliorum Sacramentorum; nec tunc opus fuerit prævia Episcopi approbatione ad audiendas Confessiones; sed Parochum tamquam *Ordinarium* hujus æque ac reliquorum Sacramentorum Ministrum potuisse, non minus hujus, quam reliquorum Sacramentorum, puta Baptismi, Viatici, extremæ Unctionis, vel Matrimonii cuicumque legitime ordinato Sacerdoti committere administrationem.

Unde & sæculo XV. scribebat Panormitanus hic *n. 14.* quod Sacerdos nullam habens jurisdictionem in *actu*, queat eam accipere & absolvere Pœnitentem, *si proprius Sacerdos committeret ipsi, quod audiat Confessionem sui Parochiani. Tunc enim* (ait) *non requiritur, quod ille habeat executionem: quia tunc cognoscit ut Delegatus, non ut Ordinarius.*

Sed hæc per Concilium Tridentinum modificationem aliquam acceperunt, uti fusius deduxi in *Jure Eccles. Tom. II. parte 2. sect. 1. tit. 6. cap. 7.* ubi una notavi, quid a Parochis circa hunc Canonis articulum sit agendum, & quousque præceptum confitendi semel in anno *proprio Sacerdoti* sit urgendum.

Dotes boni Confessarii. Monet autem Concilium Lateranense, ut Sacerdos sive proprius sive alienus de licentia *proprii* excipiens Confessiones, *sit discretus & cautus, ut more periti medici superfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum.*

Supponit hic Canon Sacerdotem in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, teneri ad instar Medici spiritualis, vulneribus animæ congruentia remedia applicare; atque originem ac radicem, cæterasque vulnerum circumstantias diligenter inquirere, & sollicite ad instar prudentis Medici attendere, qualiter possit congruentia vulneribus sanandis cataplasmata spiritualia applicare; uti latius exposui in *Jure Eccles. Tom. II. parte 2. sect. 1. tit. 6. cap. 4.* una ostendens, Confessarium, etiam partes judicis sustinere; ac proinde in eo fortitudinem & integritatem, aliasque judicis qualitates requiri, ne aliter absolvat, quem ligare; aut liget, quem absolvere deberet.

Sigillum Confessionis. Denique mandat Canon: *Caveat omnino* (Sacerdos) *ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat.*

De hoc secreto Confessionis servando, multa tradidere tam Theologi Scholastici, quam antiqui Canonistæ, quorum aliqui rigidiores, aliqui justo laxiores fuere; adeo ut dicerent, quod Sacerdos sciens ex sola Confessione impedimentum dirimens, inter personas conjungendas, posset illud revelare; si Episcopus excommunicatione ligaret omnes, qui scientes hujus matrimonii impedimenta, non enuntiaverint; dicebantque, quod Sacerdos sic revelando, *non infringit sigillum Confessionis, sed aperit: est enim infringere* (inquiunt) *indebite revelare.* Ita de quibusdam Magistris refert Morinus de *administ. Sacram. Pœnit. lib. 2. cap. 16. num. 8.* qui addit, hanc praxim merito fuisse reprobatam: „ prudenter „ enim (ait) aditus omnes ad sigilli apertionem tendentes Ecclesia semper interclusit; eique praxi lubentius favit, quæ certiorem Confessioni securitatem „ præstitit; ita tamen ut usu cognitionis sic comparatæ, cum *intemerato* sigillo prodesse poterat, vel „ confitenti vel alteri, & non obesse, nunquam impediret (*a*).

Pœna contra infringentes hoc sigillum. Præsens Canon Sacerdotem, qui *peccatum Pœnitentiali judicio sibi detectum, præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum* decernit, verum *etiam ad agendam Pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum* declarat.

CANON XXII.

Ægroti monendi a Medicis de Confessione. Cap. *Cum infirmitas* 13. X de Pœnit. & remiss.

OBSERVATIO.

Officium Medici Christiani. CANON XXII. in *cap.* Cum infirmitas 13. X *de Pœnit. & remiss. districte* præcipit *Medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos* ante omnia *moneant & inducant, ut* medicos *advocent* animarum: *ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum causa cessante cesset effectus.*

Præmiserat enim, corporalem infirmitatem *nonnunquam ex peccato* provenire, *dicente Domino languido, quem sanaverat: vade & noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Joan. *cap. 5. vers. 14.*

Ratio Canonis. Ratio, quæ ad hoc decernendum Concilium impulit, subjungitur, *quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a Medicis suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt.*

Notat hic Panormitanus *num. 2.* quod verba *moneant* „ *& inducant*, debeant intelligi cum effectu: nam (ait) „ colligitur per sequentia, non sufficit Medicis modicum monere, nisi effectualiter inducant ad vocandum „ Sacerdotem „ Et *num. 1.* dixerat: „ Medici vocati „ ad infirmum debent ante omnia inducere infirmum „ ad Confessionem „. Consonat Concilium Ravennaten-

(*a*) Jure permittitur Episcopis, aliisque Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam provisum & discretum sibi possint eligere Confessarium. *De Pœnit. c. ultimo, ne pro dilatione, Lib. 5. Decret. tit. 38. cap. 16.* Hæc licentia merito data est, scilicet propter animarum periculum nascens ex Superioris absentia, ejusque a subdito distantia.

(*a*) Sententia, quæ decerneretur adversus Confessarium, qui secretum Confessionis nollet detegere, nullius esset momenti. Id constat Jure Canonico. *De excessibus Prælatorum, cap. Dilectus juncta Rubr. Lib. 5. tit. 31. cap. 13.*

tense anni 1311. *Rubrica* 15. „ Monemus (ait) omnes „ Medicos, quod quando vocati fuerint ad infirmos, „ non ulterius redire audeant, nec curare eosdem, *nisi* „ *prius eis constiterit*, quod ipsi infirmi prædicti *Medicum* advocaverint animarum, & eis fuerit de animarum salute provisum „.

Quid de eadem re Pius V.

Pius V. in sua Constitutione, quæ incipit *Super gregem*, estque tertia in Bullario Romano, renovans præsens Concilii Lateranensis Decretum „ in perpetuum valitura Constitutione statuit & decrevit, quod omnes „ Medici, cum ad infirmos in lecto jacentes vocati „ fuerint, ipsos *ante omnia* moneant, ut idoneo Con„ fessori omnia peccata sua juxta ritum S. R. E. con„ fiteantur, neque *tertio die* ulterius eos visitent (nisi „ longius tempus infirmo Confessor ob aliquam ratio„ nabilem causam, super quo ejus conscientiam one„ ramus, concesserit) & eis per fidem Confessoris in „ scriptis factam constiterit, quod infirmi, ut præ„ mittitur, peccata sua confessi fuerint „.

Pœnæ contra transgressores hujus statuti.

Porro Medicos præsens Canon transgressores *tamdiu ab ingressu Ecclesiæ* arcendos decernit, *donec pro transgressiones hujusmodi* satisfecerint *competenter*.

Præter hanc pœnam vult Pius V. in citata Constitutione, quod similes transgressores „ *perpetuo* sint „ *infames*, & gradu Medicinæ, quo insigniti erant, „ omnino priventur, & a Collegio seu Universita„ te Medicorum ejiciantur, ac pœnis etiam pecu„ niariis arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint, „ mulctentur.

Ad hæc pro efficaciore hujus Canonis & Constitutionis executione mandat idem Pontifex: ut nullus posthac ubique locorum in Medicina „ doctoretur, „ aut ei quomodolibet medendi facultas a quovis Col„ legio & Universitate concedatur, nisi omnia in „ præsenti nostra, inquit, Constitutione contenta, „ medio eorum juramento coram Notario publico & „ testibus observare in eorum manibus vel Ordinarii „ juraverint, & de hujusmodi juramento in Privi„ legio seu licentia medendi specialis mentio fiat „. Quod si Collegia & Universitates præfatæ „ non re„ cepto a promovendis juramento hujusmodi, eosdem „ ad gradum prædictum promoverint, aut eisdem „ medendi licentiam præstiterint, pœnam privationis „ facultatis alios ulterius doctorandi incurrant „.

Canonis promulgatio.

Notandum, quod Concilium transgressorem suæ Constitutionis cum demum puniendum censeat, si eam transgrediatur, *postquam per Prælatos locorum fuerit publicata*.

Hinc communiter concludunt Doctores, Constitutiones Ecclesiasticas, etiam Pontificias, demum obligare, & subditos constringere, cum fuerint in Provinciis per Prælatos secundum singularum Provinciarum morem rite publicatæ, & Populo intimatæ.

Denique præsenti Canone, *sub interminatione Anathematis* prohibetur, *ne quis Medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ convertatur*.

An hæc statuta hodie obligent?

Licet nec hoc præsens Concilii Lateranensis Decretum, nec dicta Constitutio Pii V. hisce in partibus sciantur publicata, neque hactenus recepta, merito equidem servanda sunt a Medicis, in quantum per ea spirituali infirmorum saluti consulitur, & media suggeruntur, quibus fiat, ut infirmis opportune provideatur de iis, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria, & merito Prælati & Pastores eatenus eorum observantiam Medicis persuaderunt quatenus scilicet sedulo attendant, ut *tempestive* ægris necessaria ad salutem impendantur, qui præcipuus est hujus Canonis scopus.

CANON LXII.

De Sacris Reliquiis, & Quæstoribus eleemosynarum.
Cap. *Cum ex eo* 2 ✠ de Reliquiis
& venerat. Sanctorum.

OBSERVATIO.

Abusus vendendi Sacras Reliquias.

CANON LXII. duo diversa puncta continet, quorum primum spectat venerationem Reliquiarum, extatque in *cap.* Cum ex eo 2. ✠ *de Reliquiis, & venerat. Sanctorum*.

Declarat in hac parte Canon, *ex eo quod quidem Sanctorum Reliquias exponunt venales, & eas passim ostendunt, Christianæ Religionis detractum esse sæpius*.

Contra hunc abusum hac parte statuitur, *ut antiquæ Reliquiæ amodo extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales*.

Capsa hic pro *Repositorio* sumitur, in quo Reliquiæ honorifice servantur, & inclusæ Populi venerationi exponuntur.

Venalitas Reliquiarum quæstui subserviens, vetus est in Ecclesia malum.

Imposturæ circa hoc.

De quibusdam falsis Monachis, quos Circumcelliones vocat Sanctus Isidorus Hispalensis, scribit ipse: *Alii membra Martyrum* (si tamen membra Martyrum sunt) *venditant*. Lib. 2. *de Eccles. Off. cap.* 15.

Eamdem execrabilem nundinationem hisce falsis Monachis attribuit Sanctus Augustinus Libro *de opere Monachorum cap.* 28. & in Codice Justinianæo *lib.* 3. *de Sacrosanct. Eccles.* contra hunc abusum Decretum legitur: *Nemo Martyres distrahat; nemo mercetur*.

Rodulphus Glaber *lib.* 4. *Hist. cap.* 5. narrat de quodam sui temporis balatrone circumforaneo, quod ossibus mortuorum, quæ e sepulcris eruebat, varia Sanctorum nomina imponens superstitiosos ac simplices homines *passim* deciperet, emunctis eorum marsupiis.

Scribit quoque Sanctus Gregorius *lib.* 3. *Epist.* 30. quod quidam Monachi Græci deprehensi sint, qui mortuorum copora in campo jacentia effoderent, atque eorum ossa reconderent; servantes sibi uum recederent. Qui diligenter discussi, cur id facerent, confessi sunt, quod illa ossa ad Græciam essent tanquam Sanctorem Reliquias portaturi.

Cautiones contra hos abusus.

Ut his abusibus occurreretur, jam pridem sæpius cautum fuit, ne ossa mortuorum pro Reilquiis Sanctorum venerationi exponerentur, nisi diligenti prævio examine, tanquam sincere Reliquiæ essent probatæ: & præsenti Canone statuitur, *ut inventas de* novo nemo *publice venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ*.

Quid Reliquiæ de novo inventæ?

Quid hic per *inventas* de *novo* Reliquias intelligatur, non convenit inter Doctores.

Sunt qui intelligunt generaliter Reliquias etiam *antiquorum Sanctorum*, quæ hactenus duntaxat latuerunt.

Sane si de his intelligatur præsens Canon, certum est, quod hic Pontifici aliquid privative reservetur, quod hactenus Episcopis competierat.

Auctoritas Episcoporum quoad hoc.

Præterea, si de his Reliquiis Canon loquatur, certum est, quod Synodus Tridentina auctoritatem similes Reliquias approbandi Episcopis restituerit per Decretum de *veneratione*, & *Reliquiis Sanctorum*, ubi decernitur: „ nec *novas* Reliquias recipiendas, nisi *recogno*„ *scente & approbante Episcopo*, qui simul atque de „ iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consi„ lium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ „ veritati & pietati consentanea judicaverit „.

Evidens est hic supponi, Episcopo esse auctoritatem, *novas* Reliquias recognoscendi & approbandi ad affectum publicæ venerationis, unde & Barbosa de Officio Episcopi *allegatione* 96. *n.* 1. monet, huic textui esse derogatum per Concilium Tridentinum.

Alii per *inventas de novo* Reliquias alicujus intelligunt, qui hactenus inter Sanctos *non fuit relatus*, aut receptus.

Prærogativa Romani Pontificis.

Si de similibus Reliquiis de *novo* inventis Canon intelligatur, nihil hic Pontifici de novo reservari dicendum est. Constat enim a tempore Alexandri III. relationem in Catalogum Sanctorum cœpisse Pontifici reservari; uti exposui in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 22. *cap.* 10. alias in *Supplemento ad partem* 1. *Juris Eccles. tit.* 22. *cap.* 7.

Neque Synodus Tridentina huic Canoni juxta hunc sensum intellecto ullatenus derogavit: sed sicuti relatio *publica* alicujus in Catalogum Sanctorum manet reservata Sedi Apostolicæ; ita & approbatio similium Reliquiarum: cum ossa alicujus defuncti *publicæ* venerationi tanquam *sacræ* Reliquiæ exponi nequeant, nisi is prius declaratus sit *Sanctus*, cujus ossibus tanquam sacris Reliquiis honor ille *publice* exhibeatur.

Pia sollicitudo in cultu Reliquiarum.

Cæterum quod spectat ad Reliquiarum recognitionem & approbationem, curamque circa religiosum earum cultum, illud semper fixum manet, quod sollicite sinceritas ac veritas Reliquiarum examinanda & inquirenda sit: ut quantum possibile est, præcaveatur, ne falsæ pro veris passim subrepant; earumque inde religiosa veneratio in contemptum veniat.

Ad hæc studiose cevendum, ut ab earum cultu omnis superstitio, & irreligiosa veneratio, ac præcipue omnis *turpis quæstus* & mercimonia longe absit.

Et quamvis hodie non videamus sacras Reliquias publice *venales* circumferri, quin tamen non raro in earum cultu turpis quædam mercimonia se immisceat, non dubium.

Duplex venalitas Reliquiarum.

Recte enim notat hic Panormitanus, duplicem venalitatem circa Sanctorum Reliquias esse prohibitam. Prima est, cum vere venduntur, accepto pretio. Secunda „ cum exponuntur *causa quæstus*, ut habean„ tur *largiores oblationes*. Hæc enim est quædam *larga* „ *venditio* „.

Itaque merito statuit præsens Canon, ut *Prælati non permittant eos, qui ad eorum Ecclesias causa venerationis accedunt, variis* (C. vanis) *figmentis, aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit*.

Si sollicite & attente, ut oportet, circa hæc invigilarent Episcopi & Pastores, plurimis figmentis & falsitatibus communem Populum, idque plerumque ad turpem quæstum, etiamnum hodie decipi probe intelligerent.

Cautio circa Quæstores.

Altera Canonis parte, de qua in *cap.* Cum ex eo 14. ✠ *de Pænit. & remiss.* prohibetur, admitti *eleemosy-*

mosynarum Quæstores, nisi Apostolicas vel Diœcesani Episcopi Litteras veras exhibeant. Et tunc, præter id quod in Litteris continebitur, nihil Populo proponere permittantur (a).

Ut ergo similes homines, ad quæstum compositi, contentum Litterarum non excedant, forma Litterarum, *quam communiter talibus Apostolica Sedes indulget*, hic subjungitur.

In primis Litteræ hæ continent plures textus sanctæ Scripturæ, quibus eleemosynarum & in pauperes liberalitas commendatur, & earum fructus extollitur.

Deinde concludit: *Cum igitur ad sustentationem fratrum & egenorum ad tale confluentium Hospitale* (idem erat de aliis piis locis) *propriæ non suppetant facultates; Universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, atque in* remissionem *vobis injungimus* peccatorum, *quatenus de bonis vobis a Deo collatis, pias eleemosynas, & grata eis charitatis subsidia erogetis: ut per subventionem vestram ipsorum inopiæ consulatur, & vos per hæc bona, & alia, quæ Domino inspirante, feceritis, ad æterna possitis gaudia pervenire.*

Monet dein, ut *qui ad quærendas eleemosynas destinantur, modesti sint & discreti, nec in tabernis, aut in aliis locis incongruis hospitentur: nec inutiles faciant, aut sumptuosas expensas, caventes omnino ne falsæ Religionis habitum gestent.*

Quæstores aboliti a Concilio Tridentino.

De his Quæstoribus, & eorum excessibus, ac tandem eorum totali per Synodum Tridentinam abolitione latius egimus in *Jure Eccl. Tom. II. parte 2. sect. 1. tit. 7. c.* 4. alias *c.* 3.

Utinam hi, qui hodie ad quærendas eleemosynas vel in sustentationem fratrum, aut in usum Monasteriorum, aut Hospitalium mittuntur, sicut nomen *Quæstorum* evitant, ita quoque sollicite evitarent abusus & excessus, quod Concilia & Pontifices in Quæstoribus damnarunt, quique eorum abolitioni occasionem præbuerunt.

Moderatio in conferendis Indulgentiis.

Porro Quæstores ut largiores sibi eleemosynas conquirerent, conabantur etiam largioribus Indulgentiis Populum ad eas allicere, eumque in finem profusiores ab Episcopis Indulgentias extorquebant, quibus facilius, quam oportebat, cedentes Episcopi, revera *indiscretas & superfluas Indulgentias* promittere non verebantur, per quas & *claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur*, inquit Canon.

servanda ab Episcopis.

Hinc decernit præsens Canon, *ut cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur, ac deinde in anniversario dedicationis tempore*, 40. *dies de injunctis Pœnitentiis indulta remissio non excedat.*

Præcipit denique, *hunc quoque* (40.) *dierum numerum indulgentiarum Litteris moderari; quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur.*

Exemplo summi Pontificis.

Ne autem Episcopi de hac potestatis suæ restrictione querantur; eos ad moderationem exemplo Romanorum Pontificum excitat, dicens: *Cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis hoc in talibus moderamen consueverit observare.*

Nequaquam obscurum est Concilium supponere, quod Romanus Pontifex moderationem Episcopis hic præscriptam, etiam observet. Et revera Romanos Pontifices jam pridem admodum moderatos fuisse in largiendis Indulgentiis ostendi in *Jure Eccles. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *tit.* 7. *c.* 3. alias *c.* 2.

Et sane frustra moderamen hoc Episcopis præscriptum erit, nisi Romanus Pontifex cum *moderatione magna* Indulgentias largiatur. Nec enim minus per indiscretas & superfluas Indulgentias a Romano Pontifice datas *claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur* (ut loquitur Canon) quam si similis ab Episcopis committeretur excessus.

CANON L.

De impedimento Matrimonii ex affinitate & consanguinitate. Cap. *Non debet* 8. ✠ de Consanguin. & Affinitate.

OBSERVATIO.

Canon L. in *cap.* Non debet 8. ✠ *de Consanguinit. & Affinit.* restringit impedimentum Matrimonii ex affinitate & cognatione resultans.

Restrictio impedimenti affinitatis.

Et quidem cum olim essent tria genera affinitatis, quæ Matrimonium inter conjunctos aliquo illorum affinitatis genere dirimebant, præsenti Canone secundum & tertium quoad effectum impediendi aut dirimendi Matrimonium abrogatur; atque ita vigore hujus Constitutionis sola affinitas primi generis impedimentum Matrimonii parit. De his affinitatis tribus generibus, & duorum abrogatione egi in *Jure Eccles. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *tit.* 13. *c.* 6. alias *c.* 5.

(a) Curia Præsidialis, quæ Andegavi sedet, contendit a nemine stipem alicujus momenti in territorio suæ Jurisdictionis posse sine sua Licentia corrogari; id tamen negavit D. D. Michael Poncet ejusdem Urbis Episcopus. In Galliis Regis est decernere, an Judicis Laici Litteræ in hac circumstantia sint absolute necessariæ.

Item Consanguinitatis.

Insuper cum olim impedimentum *Consanguinitatis carnalis* extenderetur ad septimum gradum, etiam in linea *collaterali*, hoc Canon restringitur ad impedimentum tam consanguinitatis, quam affinitatis primi generis ad *quartum* gradum, nimirum in linea *collaterali*: *quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.*

Verum quidem est, primitus gradus consanguinitatis in linea collaterali computatos fuisse, etiam in hac impedimentorum materia, juxta computationem *civilem*, uti recte notavit Cujacius.

At & illud verum est, sæculo XI. invaluisse computationem *Canonicam*; atque tum prohibitionem Matrimonii retentam esse usque ad *septimum* gradum, etiam juxta computationem *Canonicam*; licet forsan antea non esset usquam *ad septimum* gradum, nisi attenta computatione *civili*.

Cujacii lapsus.

Hinc fallitur Cujacius, dum putat, hoc Canone, impedimentum consanguinitatis revera non esse restrictum, dum ad *quartum* gradum, attenta computatione *Canonica*, est reductum, non advertens, quod impedimentum hoc ante tempora hujus Concilii ad *septimum* gradum, etiam juxta computationem *Canonicam* esset extensum; tametsi fortassis ex ignorantia aliquorum, qui ad hanc varietatem computandi non adverterant, id sensim inductum esse potuerit.

De hac computatione & extensione impedimenti plura dixi in *Jure Eccles.* citato *c.* 6. alias *cap.* 5.

CANON LI.

De Clandestino Matrimonio. Cap. *Cum inhibitio* 3. ✠ de Clandest. Desponsat.

OBSERVATIO.

Canon LI. in *cap.* Cum inhibitio 3. ✠ *de Clandest. Desponsat.* agit contra Matrimonia clandestina.

Ratio Canonis.

Cum Canone præcedenti *inhibitio copulæ* sive contractus matrimonialis *sit in ultimis tribus gradibus revocata, eam in aliis* voluit Concilium *districte servari.*

Ne ergo contrahentes circa simile impedimentum ignorantiam prætexere queant, utque impedimentum facilius innotescat, *Prædecessorum nostrorum* (ait) *vestigiis inhærentes clandestina conjugia penitus inhibemus.*

Hic obiter notandum, hanc non esse solitam loquelam Concilii, sed Pontificis: ut vel hinc rursus patescat ejusmodi Canones Pontifici potius quam Concilio adscribendos esse.

Bannorum proclamatio.

Primo itaque statuit, *ut cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, ut intra illum, qui voluerit, & valuerit legitimum impedimentum opponat.*

Dicit autem, se id statuere, *specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando.*

Eam fuisse consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ ante celebratum hoc Concilium sat constat ex *cap. Cum in tua* 27. ✠ *de Spons.* si legatur prout extat in antiqua Decretalium Collectione, ubi leguntur hæc verba a Raymundo omissa: *secundum consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ.*

Similis consuetudinis in Ecclesiis Papiensi vigentis mentio etiam occurrit in Rescripto Alexandri III. in *cap* 4. *Qui Matrimonium accusare possint*, in prima Decretalium Collectione.

Presbyteri inquirendum de impedimentis.

Addit insuper præsens Canon, quod hæ proclamationes nequaquam absolvant Presbyteros ab obligatione *inquirendi*, num inter contrahere volentes impedimentum non sit. *Et ipsi Presbyteri* (ait) *nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat.*

Et si *apparuerit* vel *probabilis conjectura contra copulam contrahendam*, puta ob impedimentum probabiliter intercedens, vult, ut *contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis.*

Quod si omissis hisce denuntiationibus contraxerint Matrimonium cum impedimento dirimente, proles ex tali Matrimonio *prorsus illegitima* censebitur; licet revera impedimentum contrahentes ignorassent: *cum taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur*: negligendo scilicet media, ab Ecclesia ordinata, hujusmodi impedimenta detegendi, & in eorum notitiam deveniendi.

Et ne per Sacerdotum negligentiam, aut ignorantiam, hoc Decretum careat sperato affectu, statuit, ut *si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam Regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab Officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit.*

Pœna in clandestino contrahentes.

Denique *his, qui* clandestine sive contra formam hic præscriptam, *præsumpserint etiam in gradu concesso copulari, condigna Pœnitentia injungatur.*

Sicuti autem desiderat Concilium, ut media opportuna impendantur, ne Matrimonium cum impedimento aliquo contrahatur, ita etiam aversatur eum, qui *ad impediendam legitimam copulam malitiose impedimentum objecerit; is Canonicam* (ait) *non effugiet ultionem.*

Hæc Constitutio renovata & extensa est in Concilio Tridentino, *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrimonii*: de qua plura annotavi in *Jure Eccl. Tom. II. parte* 2. *sect.* 1. *tit.* 13. *c.* 4. *& c.* 6. hujus editionis, alias *cap.* 3. *&* 5.

OB-

O B S E R V A T I O N E S

In Canones XIII. LXIV. LXV. LXVI. XII. ſpectantes ad Regulares & Loca Religioſa: item Simoniam.

CANON XIII.

De non multiplicandis Ordinibus Religioſis. Cap. *Ne nimia* 9. ✠ de Riligioſis domibus.

OBSERVATIO.

CANON XIII. in *cap.* Ne nimia 9. ✠ *de Religioſis domibus*, occurrit nimiæ Religionum diverſitati, quæ ea ætate ita invaleſcebat, ut ſibi mutuo ac populo eſſent graves; uti ſcribit ejuſdem temporis Hiſtoricus Matthæus Pariſienſis ad annum 2158. „ Tot autem „ Ordines (ait) exorti ſunt, quod hi hos & e con„ verſo ſupplantant, nec ſufficit, conſuevit Populus, „ eos Plebejis eleemoſynis ſuſtentare „.

Ne novi Ordines Religioſi inſtituantur.

Huic incommodo occurrens præſens Canon, *firmiter* prohibet, *ne quis de cætero novam Religionem inveniat: ſed quicumque ad Religionem converti voluerit unam de approbatis aſſumat*. Rationem hanc præmittit: *Ne nimia Religionum diverſitas gravem in Eccleſiam Dei confuſionem inducat*.

Verum hominum ad novitates pruritus, præſertim cum hæ pallio Religionis, & majoris ſubinde perfectionis pallıantur, hoc Decreto cohiberi non potuit; ut opus fuerit idcirco novo Decreto, quod eſt Canon XXIII. in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. relatus in *cap. Unico, de Religioſis Domib. in VI.* in cujus *Obſervatione* una præſentem Conſtitutionem latius exponemus.

CANON LXIV.

De Simonia Monialium. Cap. *Quoniam* 40. ✠ de Simonia.

OBSERVATIO.

CANON LXIV. in *cap. Quoniam* 40. ✠ *de Simonia*, agit de Simonia, quæ a Monialibus in receptione ſive admiſſione ad Religionem committebatur.

[S]imonia [q]uam fre[q]uens inter [M]oniales.

Hic Canon narrat, quod tempore hujus Concilii. *Simoniaca labes adeo pleraſque Moniales infeciſſet, ut vix aliquas ſine pretio reciperent in ſorores*.

Ulterius ex hoc Canone habemus, quod & tum temporis vellent Moniales *paupertatis prætextu hujuſmodi vitium palliare*.

Hunc autem prætextum ſeu titulum tamquam inſufficientem ad abſtergendam Simoniacam labem rejiciens Canon, *ne id de cætero fiat, penitus* prohibet.

Pœnæ in [S]imonia[ca]s.

Ut autem ab hoc vitio Moniales efficaciter retrahantur, ſtatuitur, *ut quæcumque de cætero talem commiſerint pravitatem tam recipientes, quam recepta, ſive ſit ſubdita ſive Prælata, ſine ſpe reſtitutionis de ſuo Monaſterio expellatur, in locum arctioris Regulæ ad agendum perpetuam pœnitentiam retrudenda*.

Ex gravitate pœnæ, ſtatui poteſt de gravitate & pernicie culpæ.

Hoc utinam expenderent hodiernæ illæ Moniales, earumque Directores, qui damnato per hunc Canonem paupertatis prætextu, nullam pene ſine pretio recipiunt in ſororem: immo quaſi de re plane profana ſuper pretio ſeu dote recipiendæ in ſororem mercantur.

Pœnam hanc ſtatuiſſe apparet Concilium conformiter ad *Canonem* 7. *cauſ.* 1. *quæſt.* 1. ubi decernitur, ut qui Sacerdotii honorem munerum datione fuerat lucratus, & ſuſcepto honoris gradu privetur, & *in Monaſterio ſub perpetua Pœnitentia retrudatur*.

Sed ne Moniales ante editum hoc Decretum taliter receptæ, ſe crederent a Simoniaca labe, omnique pœna immunes; de his ita providendum duxit, ut *remotæ de Monaſteriis, quæ perperam ſunt ingreſſæ, in aliis locis ejuſdem Ordinis collocentur*.

Addit autem Canon, quod *ſi forte propter nimiam multitudinem alibi nequiverint commode collocari, ne damnabiliter in ſæculo evagentur, recipiantur in eiſdem Monaſteriis diſpenſative de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus aſſignatis*.

Evidens eſt, hic ſupponi Moniales, quæ *pretio* fuerant in ſorores receptæ, fuiſſe Simoniaca labe infectas, prævie ante hoc Decretum, quod & hic notat Panormitanus, monens hanc Conſtitutionem poſſe dici *novam* reſpectu *pœnæ*, de *novo* adjectæ, extendenda ad præterita: „ Nam licet ante Concilium (inquit) hæc „ Simonia committeretur in hujuſmodi receptione, ta„ men iſta pœna non erat ſic ſtatuta; unde aliter pu„ niuntur receptæ ante hanc Conſtitutionem, aliter „ recipiendæ. „

Hic inſuper nota, Concilium nequaquam credidiſſe, labem Simoniacam ob *multitudinem* eadem infectarum purgari: nec receptionem cum pretio propterea ab ea labe fore purgatam.

Idem ſtatuitur erga Monachos.

Et ne putaretur, Monachos vel alios Regulares ſimili modo in fratres receptos, a labe hac eſſe immunes, aut a pœna liberos, expreſſe monet Canon, *hoc etiam circa Monachos, vel alios Regulares obſervandum*.

Canon hic frequenter promulgandus.

Denique ut oſtendatur, quanti momenti ſit exacta hujus Decreti executio; quantumque detrimenti Religionibus inferat Simoniaca hæc receptio, dum quantitas pretii ſeu dotis attenditur in recipiendis magis, quam animi dotes, & ad Religionem vera vocatio; ſtatuitur, ut *Diœceſani Epiſcopi ſingulis annis hoc faciant per ſuas Diœceſes publicari*. Rationem præmittit: *Ne per ſimplicitatem vel ignorantiam ſe valeant excuſare*.

Si huic Decreto ſatisfacerent Epiſcopi, hocque Decretum etiam Monialibus idiomate vulgari ſingulis annis proponerent, ejuſque memoriam renovarent; non dubium, quin in multis Monaſteriis huic peſtifero malo occurreretur; nec tam facile ac ſecure (ut hodie contingit) ſimiles receptiones prætextu *paupertatis* contingerent.

Plura vide de hac materia in Diſſertatione noſtra de Simonia circa ingreſſum Religionis, ac ſignanter in *Jure Eccleſ. Tom. I. part.* 1. *tit.* 26. *cap.* 2. ubi de hoc Canone agitur. Extat illa Diſſertatio *Tom. V.* hujus edit. (*a*).

CANON LXV.

De quadam Epiſcoporum Simonia. Cap. *Audivimus* 14. ✠ de Simonia.

OBSERVATIO.

CANON LXV. in *cap. Audivimus* 41. ✠ *de Simonia*, agit contra injuſtas & de Simonia ſuſpectas exactiones quorumdam Epiſcoporum.

Quorumdam Epiſcoporum Simoniaca extorſio.

Quidam enim Epiſcopi, *decedentibus Eccleſiarum Rectoribus, ipſas interdicto* ſubjiciebant; *nec* patiebantur, *alios in eiſdem inſtitui, donec ipſis certa ſumma pecuniæ* perſolveretur.

Pro faciliore hujus Canonis intellectu notandum, circa ſæculum XI. vel XII. invaluiſſe abuſum, quod Epiſcopi Monachis Eccleſias Monaſteriis incorporatas vix poſſidere permitterent, niſi hac adjecta conditione, ut quoties *Vicarii perpetui*, quos *perſonas* vocabant, mutarentur, *certa pecunia* ipſis ſolveretur; hocque genus Penſionis, *redemptio altarium* vocabatur.

Hujus Penſionis ſub nomine *redemptionis altarium* ſit mentio, & ea reprobatur in *Can.* 4. *cauſ.* 1. *quæſt.* 3. & late exponitur a Petro De Marca in notis ad Concilium Claromontanum, quæ inſertæ ſunt apud Labbæum *Tom. X. Concil. general. col.* 597. & latius expoſui in Diſſertatione Canonica *de priſtinis altarium & Eccleſiarum incorporationibus*. Ea Diſſertatio extat *Tom. VI.* hujus editionis.

Ex hoc inſuper Canone habemus, quod Epiſcopi pro ſolutione hujus pecuniæ conſequenda etiam interdicto Eccleſias ſubjicerent.

Etiam erga Monachos.

Præterea, cum miles aut Clericus domum Religionis ingrediebatur, *vel apud Religioſos ſepulturam elegerat, etiamſi nihil loco Religioſo* reliquiſſet, *difficultates ingerebant Epiſcopi & malitias, donec aliquid muneris manus contingeret eorum*.

Quod ſpeciatim a Clerico, & a milite ſeu equite nobili (vulgo *Chevalier*) Religionem ingrediente muneris aliquid exigeretur, quidni forſan occaſionem inde accepit, quia jam pridem a S. Gregorio ſcriptum eſſet, nullum militem ad Monaſterium eſſe admittendum, niſi prius probata ejus vita fuiſſet ab Epiſcopo, uti refertur in *Can.* 1. *diſt.* 53. de Clerico vero Decretum reperiretur, quod Epiſcopo deberentur bona Clerici, intuitu Eccleſiæ acquiſita: quæ Epiſcopi ab ingrediente Monaſterium redimi aliquo dato volebant.

Similis extorſio quorumdam Cappellanorum.

Non abſimilis abuſus damnatur ab Honorio III. in *cap.* 2. *de Regularibus*, in quinta Decretalium apud Cironium, In quibuſdam enim partibus inoleverat: „ quod, „ cum aliqui Ordinem Ciſtercienſem vellent cauſa Re„ ligionis ingredi, ut ibi Domino famulentur, Cappel„ lani (ſeu Rectores) eorum, donec ab eis prius, quæ „ *mor-*

(*a*) Peculiarem Diſſertationem Canonicam *de Peculiaritate in Religione, & Simonia circa ingreſſum Religionis*, in duas partes diſtributam, & dicto *Tom. V.* hujus editionis affixam, elucubravit D. Van-Eſpen; qua quidquid ad religioſam paupertatem, & Cœnobiticam vitam pertinere videtur, quidque ab ingredientibus in Monaſteria obſervandum, ut Simoniæ labem effugiant, & quomodo hæc ab iis committatur, & an aliquid a recipiendis in Religionem exigere Monaſterium queat, fuſius oſtenditur.

„ *mortuaria* nuncupantur , extorqueant , prout a Parochianis ſuis decedentibus conſueverunt accipere , „ illis temere ſe opponunt „.

Hunc morem vocat Pontifex *conſuetudinem deteſtabilem*, & ut *abuſum corruptelæ* aboleri vult.

Quo colore obdu̇cta ?

Nitebatur autem potiſſimum hæc Rectorum ſeu Capellanorum exactio hoc fundamento , quod Religionem ingredientes *mortui mundo* ſint , & Monachiſmus morti comparetur. Elegans in hanc rem eſt Dialogus apud Palladium in Lauſiaca *ſect.* 85. de quadam incluſa , quæ interrogata : *Vivìſne , an es mortua ?* reſpondit : *Credo in Deum me eſſe mortuam ſæculo* .

Hinc & hodie „ etiam in quibuſdam Monaſteriis „ (uti ad citatam Honorii Decretalem obſervat Cironius) is , qui Profeſſionem facit , ſuper pallium *mortuarii* pronus in faciem ſuam , & humi proſtratus „ extenditur , interea dum Pſalmus *De profundis* , & „ orationes dicuntur , & campanæ pulſantur „.

Quin hæ & ſimiles exactiones , ut minus de Simonia ſint ſuſpectæ , & ſpeciem mali præ ſe ferant , dubitari nequit : quapropter , *cum non ſolum a malo , ſed ab omni ſpecie mali ſit ſecundum Apoſtolum abſtinendum* , ait præſens Canon , *exactiones hujuſmodi penitus inhibemus* .

Reſtitutio duplicata.

Utque efficacior ſit Decreti executio , addit , quod ejus *tranſgreſſor.... exacta duplicata* reſtituere debeat , in utilitatem locorum , in quorum fuerint ſoluta diſpendium , fideliter convertenda .

Obſervant communiter Commentatores , ſpeciale eſſe , quod tranſgreſſor in hoc caſu *duplum* ejus , quod accepit , debeat reſtituere , cum alias pretium Simoniace acceptum duntaxat reſtituendum ſit : notatque hic Panormitanus , „ nec in aliquo alio jure hujus tituli (*de* „ *Simonia*) caveri de hac duplicatione „. Rationem ſpecialitatis ſubjungit Panormitanus , dicens „ quod hic „ textus procedat in exacta per *Superiorem* , quaſi per „ *extorſionem* , & quamdam *concuſſionem* ; nam ratione „ Superioritatis , iſti Epiſcopi ingerebant difficultates , „ & ſic potius violenter , & per impreſſionem conſequebantur hanc pecuniam , quam ex ſpontanea voluntate dantis : atque ob id Superiorum & Epiſcoporum gravius merito reputabatur delictum , & graviori pœna caſtigandum „.

CANON LXVI.

De Simonia in adminiſtratione Sacramentorum . Cap. *Ad Apoſtolicam* 42. ⁑ de Simonia .

OBSERVATIO.

Simonia Clericorum.

CANON LXVI. in *cap. Ad Apoſtolicam* 43. ⁑ *de Simonia* , in priore ſua parte exponit Clericorum cupiditatem , ex ſacris functionibus quæſtum aucupantium ; puta , qui *pro exequiis mortuorum , & benedictionibus nubentium , & ſimilibus pecuniam exigunt & extorquens ; & ſi forte eorum cupiditati non fuerit ſatisfactum , impedimenta fictitia fraudolenter opponunt* .

Eadem pene verba leguntur apud Innocentium III. *lib.* 1. *Epiſtola* 22. cujus fragmentum habetur in *cap.* 29. ⁑ *de Simonia* .

Avaritia Laicorum.

In ſecunda Canonis parte exponitur quorumdam Laicorum avaritia , qui *laudabilem conſuetudinem erga Sanctam Eccleſiam pia devotione fidelium introductam , ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere ſub prætextu Canonicæ pietatis* .

Utrique exceſſui modum ponit Canon ; atque in primis in prædictis functionibus *parvas exactiones fieri* prohibet .

Adverſus autem Laicorum avaritiam , *pias conſuetudines* præcipit *obſervari* .

Denique generaliter ſtatuit , *ut libere conferantur Eccleſiaſtica Sacramenta , ſed per Epiſcopum loci , veritate cognita compeſcantur , qui malitioſe nituntur laudabilem conſuetudinem immutare* .

Ab utraque cavendum.

Ex toto contextu manifeſtum eſt mentem Canonis eſſe , ut ſacræ illæ functiones *gratis ac libere* ſine ulla *exactione* rei temporalis adminiſtrentur : idque etiam ubi *conſuetudo* ſubeſt aliquid dandi ; uti hic recte advertit Panormitanus , qui & hinc infert , quod *aliqua cautio prius exigi non poſſit* : quod & aliquando S. Carolus ſtatuit .

Præterea nequaquam obſcurum eſt , per *laudabilem conſuetudinem pia fidelium devotione introductam* , intelligi *laudabilem conſuetudinem introductam* ex pia & *voluntaria* fidelium oblatione in adminiſtratione vel poſt adminiſtrationem Sacrorum fieri conſueta . Unde & hic monent Canoniſtæ , conſuetudinem innixam *exactioni* aut *compulſioni* Clericorum non poſſe dici *laudabilem* ad ſenſum Canonis , utpote fundatam ſuper Simoniacis *exactionibus* .

Quomodo Clericis ?

Quin & præſuppoſita *laudabili conſuetudine* , ſi Laici *nihil* dare velint , nihilominus debent *libere* Sacramenta conferri , ne videantur alias vendi ; uti reflectit Panormitanus , & ipſe contextus innuit .

Vult enim Canon abſolute & indiſtincte Sacra illa *libere* conferri .

Quomodo Laicis ?

At ſi ſit *laudabilis* conſuetudo aliquid dandi , vult tunc Canon , ut adminiſtratione Sacramentorum *libere* facta , *per Epiſcopum loci veritate cognita compeſcantur , qui malitioſe* nituntur *laudabilem conſuetudinem immutare* .

Quæ hic cura ſpectet ad Epiſcopum ?

Hic notandum , quod nequaquam Parochis , aliiſve Sacrorum illorum immediatis & ordinariis miniſtris (in quorum emolumentum oblationes hæ cedere ſolent) conſuetudinis illius cuſtodia committatur , ſed *Epiſcopo loci* ; ut hoc pacto , qui ipſa Sacramenta adminiſtrant , ab omni ſpecie Simoniæ aut turpis quæſtus appareant alieni .

Vult autem Canon , ut Epiſcopus loci , *veritate cognita* , id eſt , utrùm conſuetudo legitime ac laudabiliter ſit introducta , invigilet , ne quis Laicorum eam *malitioſe* nitatur *immutare* .

Monet Panormitanus : „ eſſe unum caſum ſingularem , „ in quo Epiſcopus habet juriſdictionem in Laicos , ut „ ſcilicet compellat ad obſervandum laudabilem con- „ ſuetudinem erga Eccleſiam introductam „.

Quid hac in re Belgii praxis habeat , notavi in *Jure Eccleſ. Tomo II. parte* 2. *ſect.* 1. *tit.* 1. *cap.* 4. alias *cap.* 3.

CANON XII.

De Regularium Capitulis , & Viſitatione . Cap. *In ſingulis* 7. ⁑ de ſtatu Monach.

OBSERVATIO.

Capitula ſingulis trienniis habenda.

CANON XII. in *cap. In ſingulis* 7. ⁑ *de ſtatu Monach.* verſatur circa reformationem Regularium , ac ſtatuit in primis , ut *in ſingulis Regnis ſive Provinciis fiat de triennio in triennium ſalvo jure Diœceſanorum Pontificum , commune Capitulum Abbatum , atque Priorum Abbates proprios non habentium , qui non conſueverunt tale Capitulum celebrare , ad quod univerſi conveniant præpeditionem Canonicam non habentes , apud unum de Monaſteriis ad hoc aptum* .

Capitula Regularium unde ſic dicta ?

Notandum , quod in materia monaſtica *Capitulum* jam pridem ſoleret accipi pro loco , ad quem Monachi ſimul convenire conſueverunt poſt recitatam aut decantatam *Primam* , quia ibi recitabatur *Capitulum* ex Regula . Hujus veſtigium eſt *brevis lectio* , quæ hodie recitatur ſub finem *Primæ* , diciturque fieri ad *abſolutionem Capituli* .

Unde in antiquitatibus Fuldenſibus *lib.* 3. *cap.* 12. commemoratur , quod , cum mane Fratres in unum convenirent , *Capitulum de Regula* legeretur . Plura de hoc Capitulo notavi in *Jure Eccleſ. Tom. I. parte* 1. *tit.* 32. *cap.* 3.

Capitula generalia & Provincialia.

Cum autem in eodem loco & eodem tempore tractaretur de reformatione & correctione diſciplinæ Regularis (ut loco citato obſervavi) hinc ipſa Monachorum Comitia , Conventus , ſeu Synodi , vocari cœperunt *Capitula* generalia vel Provincialia , prout ad illa , vel totius Ordinis Superiores , vel unius duntaxat Provinciæ conveniunt .

Hæc Capitulorum diſtinctio præcipue in Ordinibus Mendicantium conſpicitur , & uſitata eſt . In his enim ſtatuto tempore habentur Capitula *Provincialia* & *generalia* : quorum priora , ſcilicet *Provincialia* in aliis antiquis Monachorum & Canonicorum Ordinibus nota vix ſunt : nec hi per Provincias diſcreti eſſe ſolent ; quare nec in his noti ſunt Priores *Provinciales* .

Priores , qui hic ad Capitula accedere jubentur , ſunt illi , qui Monaſteriorum , quibus præſunt , ſunt *Capita* , nullum immediatum Superiorem ejuſdem Monaſterii agnoſcentes : dicunturque Priores *Conventuales* , ad diſtinctionem Priorum *Clauſtralium* , qui Abbatem Monaſterii pro ſuo immediato Superiore agnoſcunt , de qua diſtinctione egi in *Jure Eccleſ. Tom. I. parte* 1. *tit.* 31. *cap.* 6.

Cavendi nimii ſumptus ?

Ut autem ſimilia Capitula ſive Conventus ſeu Comitia facilius & paucioribus ſumptibus celebrari queant , vult Canon , hoc adhiberi moderamen , *ut nullus* Abbatum vel Priorum *plus quam ſex evectiones , & octo perſonas adducat* .

Evectiones ?

Nomine evectionum hic ſignificari certum numerum *equorum* uno conſenſu notant interpretes , quo nomine etiam ſumuntur in *Canone IV.* Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. in *cap.* 6. ⁑ *de Cenſibus* , uti ad illum Canonem obſervavi (*a*).

Faſtus quorumdam Abbatum.

Nec mirari quis debet circa numerum equorum & miniſtrorum in Abbatibus debuiſſe moderamen fieri , & diſſimulari ſeu tolerari tale : ſi attendatur , quantus circa illud tempus fuerit quorumdam Abbatum faſtus , de quo locuples teſtis S. Bernardus in Apologia ad VVillelmum Abbatem , ubi graphice faſtum hunc depingit , aitque : „ mentior , ſi non vidi Abbatem *ſexaginta* „ equos , & eo amplius in ſuo ducere comitatu „.

Et Priorum.

Quin & Priorum quorumdam erat & non abſimilis exceſſus ; ſcribit enim Robertus de Monte in Supplemento Sigeberti ad annum 1180. „ VValterus Clunia-

cen-

(a) Vide ſupra obſervationem in citatum Canonem IV. Concilii Lateran.

„ censis Abbas Priorem de stallo deposuit; qui solebat „ ducere in comitatu suo *quadraginta equos*, & jussit, „ ut esset contentus tribus equitibus „.

Quod igitur, attento simili abusu, Concilium reduxerit numerum evectionum, seu equorum ad *sex*, non sequitur Concilium hunc numerum in Abbatibus prodesse, sed duntaxat quod eum, attento graviori abusu, dissimulaverit, uti in simili notavi ad citatum *Canonem IV.* Concilii Lateranensis sub Alexandro III. quo certus evectionum numerus Episcopis, aliisque Prælatis visitantibus præscribitur.

Capitula olim annua.

Capitula seu conventus, jam ante tempora hujus Concilii, apud Cistercienses nota erant, ac notabili cum fructu celebrabantur, idque *singulis annis*; teste S. Bernardo, qui pluribus ante celebratum hoc Concilium annis scribit *Epist.* 228. ad Petrum Cluniacensem: „ Decretum est mihi ultra non egredi: nisi ad Capitu„ lum Cistercium *semel* in anno „.

Quatuor Præfecti Capitulo.

Testaturque præsens Canon, quod Abbates Cistercienses essent *in hujusmodi Capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati*. Quare & præcipit, ut qui his Capitulis celebrandis nondum assueverunt, *advocent in hujusmodi novitatis primordiis duos Cisterciensis ordinis vicinos Abbates, ad præstandum sibi consilium & auxilium opportunum*.

Vult autem, ut duo in Cistercienses Abbates, *absque contradictione duos sibi de ipsis* (Abbatibus, vel Prioribus, qui ad Capitulum accesserunt) *associent, quos viderint expedire*.

Porro duo hi Abbates Cistercienses una cum duobus aliis, quos sibi associarint, jubentur præesse *Capitulo universo: ita quod ex hoc nullus eorum sibi auctoritatem Prælationis assumat, unde cum expedierit, provida possit deliberatione mutari*.

Quid in Capitulo tractandum?

Vult præterea Canon, ut *hujusmodi Capitulum aliquot diebus continue juxta morem Cisterciensis Ordinis celebretur. In quo* (ait) *diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis, & observantia regulari*. Hic est scopus præcipuus horum Capitulorum.

Ut autem ea, quæ pro reformatione Ordinis in eo decernuntur, suum sortiantur effectum, præcipit Canon, ut *quod statutum fuerit, illis quatuor approbantibus, inviolabiliter observetur, omni excusatione, & contradictione, & appellatione remotis*.

Cum enim hic de correctione & reformatione morum duntaxat agatur, appellatio, saltem quoad effectum *suspensivum* non admittitur, ut hic notat Panormitanus.

Ut hæc præterea Capitula, qua decet modestia regulari habeantur, mandatur, ut Prælati eo convenientes *vitam ducant*, quantum fieri potest, *communem, & faciant proportionaliter simul omnes communes expensas: ita quod si non omnes poterunt in eisdem, saltem plures simul in diversis domibus commorentur*.

Eligendi Visitatores.

Utque reformatio plenior & singulis Monasteriis accommodata habeatur, debent in his Capitulis ordinari *religiosæ ac circumspectæ personæ, quæ singulas Abbatias ejusdem Regni seu Provinciæ, non solum Monachorum, sed etiam Monialium, secundum formam sibi præfixam, vice*, seu auctoritate Sedis Apostolicæ *studeant visitare; corrigentes & reformantes, quæ correctionis & reformationis officio viderint indigere*.

Multa ab his Visitatoribus in visitatione observanda, & circa eorum Officium statuuntur in Constitutionibus Benedicti XII. super reformatione Canonicorum Regularium editis anno 1339. & extant *Tomo II. Concil. general. col. 799. Edit. Labb.*

Restrictio auctoritatis Visitatorum.

Hoc in præsenti Canone notandum, *quod si Visitatores Rectorem loci cognoverint ab administratione penitus amovendum, denuntient Episcopo proprio, ut illum amovere procuret. Quod si non fecerit, Visitatores hoc referant ad Apostolicæ Sedis examen*.

Voluit hisce significare Concilium Visitatorum auctoritatem intra limites correctionis coarctandam: quæ autem correctionis modum excedunt, uti est Rectoris ab administratione amotio, ea ad Episcopum tamquam Judicem ordinarium referenda est; aut in casu negligentiæ Episcopi, ad Sedem Apostolicam.

Similiter declarat Canon, *si* forsan *in hac novitate*, sive nova Capitulorum introducta celebratione, *quidquam difficultatis emerserit, quod per prædictas personas nequeat expediri, ad Apostolicæ Sedis judicium absque scandalo referatur*; ut scilicet judicio ejusdem Sedis difficultas decidatur.

Quæ hoc Canone dicuntur de recursu ad Sedem Apostolicam, item distinctio inter Monasteria Episcopis immediate subjecta, & non subjecta, manifeste exprimunt disciplinam X. vel XI. sæculi, dum Monasteriorum exemptio exoriri cœpit.

Declarat autem Canon, hoc Decretum de celebratione Capituli etiam *Canonicos Regulares* debere *observare*: quos præcipue citatæ Constitutiones Benedicti XII. concernunt.

Episcoporum erga Regulares cura.

Et ne Episcopi crederent se a cura & visitatione Monasteriorum vigore hujus Decreti, quo Visitatores Regulares constitui jubentur, absolvi monendos censuit Episcopos, ut ipsi *Monasteria sibi subjecta ita studean reformare, ut cum ad ea prædicti Visitatores accesserint, plus in illis inveniant, quod commendatione, quam quod correctione sit dignum*.

Voluit ergo conditor Canonis, ita hos *Visitatores* constitui, ut tamen nihil Episcoporum Diœcesanorum auctoritati sit detractum; quod & su initium Decreti nominatim declaravit, expressa hac moderatione, *salvo jure Diœcesanorum Pontificum*.

Et auctoritas.

Unde per hæc Capitula, aut redactionem Monasteriorum in congregationem, nihil Episcoporum detrahitur pristinæ in ea Monasteria auctoritati & superioritati.

Sed & hoc ex jam relatis Canonis verbis sufficienter patescit, quod *Visitatores* in Capitulis hisce designati, possint visitare omnia Monasteria hisce respective *Capitulis* subjecta, tametsi eadem hæc Monasteria ipsis Episcopis subsint, modo sine præjudicio Episcopi visitatio fiat.

Monasteria ne graventur.

Hoc etiam monet Canon, ne prætextu Visitationis *monasteria indebitis oneribus aggraventur: quia* (ait) *sicut volumus Superiorum jura observari, ita inferiorum nolumus injurias sustinere*.

Denique præcipit *tam Diœcesanis Episcopis, quam personis, quæ* hujusmodi *Capitulis* præsunt, *ut* etiam *per Censuras Ecclesiasticas compescant*, si opus sit, *Advocatos, Patronos, Vice-Dominos, Rectores & Consules, Magnates & Milites, seu quoslibet alios, ne Monasteria præsumant offendere in rebus aut personis*.

Quomodo jampridem titulo *Advocatiæ & Patronatus* Monasteria divexata fuerint, late ostendi in *Jure Eccles. Tom. III. parte 2. sect. 3. tit. 8. cap. 1.* alias *tit.* 25. ubi una notavi, quomodo Principes Monasteria contra has vexationes in suam protectionem receperint.

O B S E R V A T I O N E S

In Canones XXXV. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. XXXVII. XLVIII. ad Judicialia pertinentes.

C A N O N XXXV.

De frivolis Appellationibus. Cap. Ut debitus 59. ✠ de Appellat.

O B S E R V A T I O.

CANON XXXV. in *cap. Ut debitus* 59. ✠ *de Appellat.* modum limitesque frequentiori appellationum usui ponit.

Nimia in appellando libertas.

Præsenti itaque Canone „ refrænatur (inquit VVamesius in Commentario hujus Decretalis) veteris „ nostri juris indiscreta indeterminataque libertas, „ qua quæcumque Appellantis vox, sæpe etiam ante „ judicium, sæpissime eo inchoato, in quacumque etiam illius parte translationem & devolutionem ab „ inferiore ad Superiorem operabatur „.

Duobus autem potissimum articulis hæc illimitata appellandi libertas restringitur.

Primo quidem statuitur, ut *si quis coram idoneo Judice convenit adversarium, ille ante sententiam ad Superiorem Judicem absque rationabili causa non provocet, sed coram illo suam justitiam prosequatur, non obstante si dicat, quod ad Superiorem judicem nuntium destinaverit, aut litteras impetraverit ab eodem, quam Delegato fuerint assignatæ*.

Unde ortus hic abusus?

Pro faciliore hujus articuli intellectu, notandum, jure Decretalium receptum fuisse, quod *Papa* ejusve *Legatus*, qui in *Provincia* est, adiri posset, ad hoc ut vel ipse de causa cognosceret, vel illam alicui per *suas Litteras* mandaret seu delegaret: eo quod Papa ejusve Legatus jure Decretalium in jurisdictionis exercitio cum Ordinario quocumque Judice concurreret; & Ordinarium prævenire posse supponeretur: uti ad *cap.* 1. ✠ *de Officio Legati* communiter notant Glossatores.

Non licet declinare proprium Judicem.

Porro illud hic declaratur, non sufficere *si dicat* pars litigans, *quod ad Superiorem Judicem nuntium destinaverat*, ut Judex *proprius* præventus censeatur, atque eo ex capite a causæ prosecutione desistere teneatur.

Præterea & illud receptum erat, quod hæc præventio facta videretur, si pars adversa, *rebus integris*, id est ante citationem, iter ad Sedem Apostolicam arripuisset, juxta responsum Alexandri III. in *cap.* 9. ✠ *de Appellat.*

Cum autem hoc jus nonnulli extenderent ad eos, qui

vel *solum nuntium* ad Superiorem Judicem destinassent, id hic improbatur; & statuitur, quod coram suo *proprio* Judice *justitiam* prosequi teneatur, *non obstante si dicat, quod ad Superiorem Judicem nuntium destinaverit.*

Ad hæc improbat Concilium pretextum illum avocandi causam a Judice ordinario, quod *Litteras a Judice Superiore impetrassent, ad Delegatum*, quibus causa demandabatur, tametsi Litteræ hæ nunquam Delegato fuerint præsentatæ, sed in arca repositæ, ut hic ait Glossa.

Indicare autem videtur Canon, præventum censeri Judicem ordinarium, si Litteræ fuerint *Delegato præsentatæ*. At nudam præsentationem non sufficere, ut Judex ordinarius dicatur præventus post Glossam docet Innocentius ad titulum *de Appellationibus*, requirens, ut vigore Litterarum saltem facta fuerit citatio, eamque opinionem in usu fori & praxi observari monet citatus VVamesius hic *num.* 4. „ ob id (ait) quod ante „ præsentationem nec actu nec habitu conferatur ju„ risdictio; & post præsentationem non tam sit usus „ seu exercitium, quam illius potestas, quæ præven„ tione Ordinarii intercipitur, & ut intercipi possit „ Jure permittitur „.

An liceat appellare ab interlocutoria?

Plurimum quoque enervabatur Jurisdictio Judicis ordinarii per Appellationes, quæ jure Decretalium admittuntur non tantum a sententia definitiva, sed & ab omni *interlocutoria*, seu omni Decreto & prætenso gravamine.

Cum autem hinc frequentissimæ & omnino frivolæ essent Appellationes, decretum est art. 2. hujus Canonis, quod si quis ante Sententiam *definitivam* a gravamine aut Decreto *appellandum* credat, debeat causam Appellationis coram Judice *a quo* allegare, qui si eam talem viderit, *quæ si foret probata, deberet legitima reputari*, tum Judex *ad quem* cognoscet & determinabit, an allegata causa fuerit satis probata, & consequenter an bene fuerit appellatum.

Si causam fuisse legitimam Judex *ad quem* cognoverit, ipse de Appellatione cognoscet, *si vero minus rationabiliter eum appellasse constiterit, illum ad inferiorem remittat, & in expensis alteri parti condemnet.*

Quando exprimendæ causæ appellandi?

Ex hoc Canone seu Decretali statuunt Doctores, quod & in praxi servatur, scilicet Appellantem a sententia *interlocutoria* debere exprimere & allegare causam Appellationis, secus vero in Appellatione a *definitiva*, uti notavi in *Jure Eccles. Tomo IV. parte* 3. *tit.* 10. *cap* 1.

Exceptio.

Dum autem vult Canon, causam remitti ad Judicem inferiorem ob non probatam causam legitimam Appellationis, annectitur hæc cautio: *Salvis Constitutionibus de majoribus causis ad Sedem Apostolicam referendis.*

Causæ majores.

Quæ sint *majores* illæ causæ, & quo tempore, & qua occasione Sedi Apostolicæ singulæ fuerint reservatæ non perinde constat; hoc satis constat plures causas posterioribus sæculis reputatas esse inter *majores* Sedi Apostolicæ reservatas, quæ primis sæculis tales non reputabantur, neque Sedi Apostolicæ erant reservatæ: immo nec creditur, ante falsas Decretales, quidquam de hac reservatione *majorum* causarum receptum fuisse.

Similiter & hoc constat, circa formam Appellationum, nec non circa reservationem & cognitionem *majorum causarum*, non omnium Provinciarum eumdem esse usum; eumque, salva unitate fidei, varium esse posse, quia hæc varietas solam exteriorem disciplinam, mutationi & variationi obnoxiam spectat.

CANON XXXVIII.

De conscribendis Actis in Judicio. Cap. *Quoniam* 11. ✠ de Probat.

OBSERVATIO.

Habendi fidi Conscriptores.

CANON XXXVIII. *cap. Quoniam* 11. ✠ *de Probat.* statuit, *ut tam in Judicio extraordinario, quam ordinario, Judex semper adhibeat aut publicam* (si potest habere) *personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter omnia Judicii Acta conscribant .... competenti ordine conscribenda, loca designando, & tempora; & personas.*

Hæc omnia hodie describuntur & annotantur per Secretarios seu Graphiarios, vel Actuarios, qui pro personis publicis reputantur.

Apographa.

Vult autem Canon, ut *omnia sic conscripta partibus tribuantur*, nimirum eorum exemplaria, seu, ut hodie vocant, *copiæ* vel *extracta*.

Autographa.

Originalia enim *penes Scriptores* remanere debent, ut ipse Canon declarat. Hinc receptum, quod *minutæ* Actorum vel instrumentorum debeant manere apud Notarios, qui ea confecerant; & Acta Judicialia in registris publicis in loco Judicii asservari.

Judex autem, qui Constitutionem ipsam neglexerit observare, si propter ejus negligentiam quid difficultatis emerserit; per Superiorem Judicem animadversione debita castigandus declaratur hoc Canone.

Quæ autem sint Acta Judicialia, quæ describi debent, ordine enumerantur hoc Canone: tantaque est eorum multitudo, ut merito hic moneat Cujacius, quod ex hac multitudine Actorum intelligere liceat, quantis se sumptibus vexent, qui lites sequuntur.

Evincitur insuper ex hoc Canone, nec non ex præcedenti & quinque sequentibus, quod jam tempore hujus Concilii Judicia Ecclesiastica ad normam Judiciorum forensium essent formata, tricisque & formulis forensibus obnoxia.

CANON XXXIX.

De Restitutione in integrum. Cap. *Sæpe contingit* 18. ✠ de Restitut. Spoliat.

OBSERVATIO.

CANON XXXIX. in *cap.* Sæpe contingit 18. ✠ *de Restitut. Spoliat.* derogat Juri Civili, quo interdictum *Unde vi* datur *tantum* adversus *eum*, qui *vim fecit*, & qui *vi* dejecerit possessorem e possessione rei suæ, non autem adversus eum, ad quem res *ab alio* per vim occupata pervenit *L.* cum a te *ff. de vi & vi armata*, quia interdictum hoc est scriptum *in personam; unde tu illum vi dejecisti, &c.*

Canon hic derogat juri civili.

Huic Juri derogans hic Canon, vult, ut non tantum contra ipsum spoliatorem; sed etiam adversus tertium rei hujus possessorem, qui rem illam *scienter .... receperit .... spoliato per restitutionis Beneficium succurratur: cum, uti Canon præmiserat, spoliatori quasi succedat in vitium; nec multum intersit, quod ad periculum animæ injuste detinere, ac invadere alienum.*

Ratio Canonis.

Præcipua autem Constitutionis ratio præmittitur in Canone, quod stante *Juris Civilis rigore*, possessor frequenter privaretur *commodo possessionis*; scilicet possessione per spoliatorem *in alium* sive tertium *translata*.

Quo ulterius contingebat, quod in Judicio petitorio sive rei vendicatione, Actor propter defectum probationum, *proprietatis effectum* amitteret.

Commodum enim possessionis est, quod faciat præsumptionem proprietatis; & ita rejiciat onus probandi in illum, qui agit rei vendicatione contra possessorem; uti latius ostendi in expositione Regulæ Juris: *In pari causa vel delicto, melior est conditio possidentis*. Extat illa expositio *Tom. VI.* hujus editionis.

CANON XL.

De Dolo, & Arbitris. Cap. *Contingit* 9. ✠ de Dolo & contum. & cap. 8. ✠ de Arbitris.

OBSERVATIO.

CANON XL. in duas partes divisus defertur in *cap.* Contingit 8. ✠ *de Dolo & contum.* & in *cap.* Contingit 8. ✠ *de Arbitris.*

Contumax possessione privatus.

Prima parte decernitur, quod si *Actori ob contumaciam adversæ partis* adjudicata sit *causa servandæ rei possessio, Actor verus constituatur elapso anno possessor*; si nimirum, uti præmiserat Canon, *propter rei potentiam sive dolum, Actor intra annum rem custodiendam nancisci non potest, vel acquisitam amittit*. Id autem de *æquitate Canonica* sancitur, ne contumax melioris, quam obediens, conditionis existat (*a*).

Ex jure civili hæc desumpta sunt.

Quæ in hac aliisque hujus Pontificis Innocentii III. Decretalibus de interdictis similibusve materiis plurima occurrunt & deciduntur, sumpta sunt ex Glossis & interpretibus Juris Civilis, cujus hic Pontifex peritissimus fuit, uti notat Cujacius *ad cap. fin.* ✠ *lite non contestata, &c.* quod est Innocentii III. & totum ex Glossis Juris Civilis satis prolixe conflatum. Quæ ita in Decretales relatæ vim legis accepere, notanter in Provinciis, quæ *obedientiæ* vocantur; in illis vero, quæ consuetudinariæ dicuntur, in quantum consuetudine sunt acceptæ.

De arbitratu Laicorum in causis Ecclesiasticis.

Altera parte Canonis relata in *cap.* Contingit 8. ✠ *de Arbitris generaliter* prohibetur, *ne super rebus spiritualibus compromittatur in Laicum: quia non decet, ut Laicus in talibus arbitretur.*

Cum enim arbitria redacta sint ad formam Judiciorum; ipsique arbitri in causis procedant ad instar Judicum; visum fuit, Laicos æque esse removendos ab arbitriis, quam a Judiciis super *rebus spiritualibus*; eaque pari passu ambulare debere: atque ita judicatum fuisse refertur in opere, cui titulus, *Journal des Audiences, part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 60. quin tamen hæc intelligenda sint de materia mere spirituali, & de arbitris, qui tanquam Judices & ordine judiciario procedere tenentur, non autem de arbitratoribus, non dubium est (*b*).

CA-

(a) Galli non utuntur hac voce *Contumax* (contumace) nisi ubi agitur de reo criminis, qui vocatus in judicium non se sistit coram Judice. Verum ubi agitur de causis civilibus, is, cui dies dicta est, si noncomparet, dicitur causæ desertor (defaillant).

(b) De Arbitris, eorumque Judiciorum forma, & quibus in causis, vel materiis, & quo ordine procedere iidem tenentur, satis prolixe Doctissimus Van-Espen in *Jure Eccles. Tom. IV. part.* 3. *tit.* 5. *cap.* 4. hujus editionis egit, quodque consulere non abs re fore autumo.

CANON XLI.

De Præſcriptione. Cap. *Quoniam omne* fin. ✠ de Præſcript.

OBSERVATIO.

Bona fides neceſſaria in præſcribente.

CANON XLI. in *cap.* Quoniam omne *fin.* ✠ *de Præſcript.* definit, *ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam Canonica, quam Civilis*, id eſt, legibus civilibus probata.

Hanc bonam fidem debere adeſſe, non tantum initio poſſeſſionis ſeu præſcriptionis; *ſed omni* tempore, quo currit præſcriptio, declarat clauſula finalis; *unde oportet, ut qui præſcribit, in* nulla *temporis parte, rei habeat conſcientiam alienæ*.

Ut ergo impediatur præſcriptio, ſufficit juxta hanc definitionem, ut *quacumque* parte temporis ſuperveniat mala fides, ſeu ſcientia rei alienæ, tametſi multo tempore *bona* fide poſſediſſet; modo non plane compleverit *bona fide* ipſam præſcriptionem.

Non obſtante jure civili.

Cum autem non ignoraretur, leges civiles admittere præſcriptionem cum *mala fide*, præſertim ſi bona fide fuerit inchoata, reſpondet *generaliter eſſe omni conſtitutioni atque conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſervari*, ſupponit ergo Canon, Conſtitutionem juris civilis, quæ præſcriptionem cum *mala fide* permittit, ſine mortali peccato non poſſe obſervari.

Quantopere aberrent a vero ſenſu hujus Regulæ, *in pari cauſa vel delicto, melior eſt conditio poſſidentis*, qui putant vigore hujus regulæ ſibi licitum eſſe, rem totam retinere, de qua cum fundamento dubitant, an non ſit aliena, latius oſtendi in *expoſitione dictæ Regulæ*, quæ extat *Tom. VI.* hujus editionis.

CANON XXXVII.

De Abuſu litterarum Apoſtolicarum. Cap. *Nonnulli* 28. ✠ de Reſcript.

OBSERVATIO.

Abuſus quoad evocationes.

CANON XXXVII. in *cap.* Nonnulli 28. ✠ *de Reſcript.* duabus partibus conſtat. Prima parte ſtatuitur, *ne quis ultra duas dietas extra ſuam Diœceſim per litteras Apoſtolicas ad judicium trahi poſſit; niſi de aſſenſu partium fuerint imperatæ, vel expreſſam de hac conſtitutione fecerint mentionem*.

Statutum id fuit contra illos, qui litteras Apoſtolicas ad Judices remotos impetrare nitebantur, *ut reus fatigatus laboribus & expenſis, liti cedere, vel importunitatem actoris redimere* compelleretur.

Quid hic per *dietas* intelligatur; & de reſtrictione Bonifacii VIII. ad *unam dietam*; aliaque ad hanc Conſtitutionem ſpectantia expoſui in *Jure Eccleſ. Tom. IV. par. 3. tit. 5. c. 3.*

Turpe lucrum ex litteris Apoſtolicis.

Altera Canonis parte occurritur abuſui eorum, qui per litteras Apoſtolicas turpe mercimonii genus exercebant. Fingebant enim *cauſas*, *ſuper quibus a Sede Apoſtolica litteras* impetrabant, *abſque Dominorum mandato, quas vel reo* (*ne propter eas laborum vel expenſarum diſpendio moleſtetur*) *aut Actori* (*ut per ipſas adverſarium indebita moleſtatione fatiget*) Venales exponebant.

Statuit igitur Canon, *ut ſi aliquis ſuper aliqua quæſtione, de cætero ſine* ſpeciali *mandato* Domini *Litteras Apoſtolicas impetrare præſumpſerit, & litteræ illæ non valeant & ipſe tanquam falſarius puniatur. Niſi forte de illis perſonis extiterit, a quibus non debet exigi de jure mandatum*.

Reſcripta juſtitiæ & gratiæ.

Notant hic Doctores, quod quidem reſcripta juſtitiæ vigore hujus Decreti impetrari nequeant ſine *ſpeciali* mandato, ſed id non obtinere in Reſcriptis *gratiæ* ſive ad Beneficia, ut notat Gloſſa.

Inſuper monet Panormitanus, illud hic eſſe particulare, quod admittantur in hoc caſu *conjunctæ perſonæ* ſine mandato: quandoquidem in cauſis requirentibus *ſpeciale* mandatum non ſoleant admitti *conjunctæ* perſonæ: eo quod affectio fluens ex conjunctione tantum *generale* aliquod *mandatum* tribuere poſſe videatur.

Quæ autem cenſendæ ſint *conjunctæ perſonæ* ad effectum hujus Decreti, putat Panormitanus deſumendum ex conſuetudine patriæ: quia in una regione major eſſe ſolet affectus, & mutua amicitia inter perſonas remotiores cognatione conjunctas, quam in aliis propinquiore gradu junctas.

CANON XLVIII.

De recuſatione Judicis, & appellatione a Monitione. Cap. *Cum ſpeciali* 61. ✠ de Appellat.

OBSERVATIO.

CANON XLVIII. in *Cap. Cum ſpeciali* 61. ✠ *de Appellat.* providet, ne per frivolam recuſationem poſſit quis Judicis ſui ordinarii juriſdictionem declinare.

Cauſa recuſationis proferenda.

Vult itaque, ut is, qui *Judicem ut ſuſpectum* recuſare ſeu declinare intendit, *coram eodem* Judice *cauſam juſtæ* recuſationis *aſſignet*.

Etſi non ex jure civili.

Hic diſcrimen notant Doctores inter jus civile & canonicum: quod de jure *civili*, cum recuſatio Judicis proponitur, non debet *cauſa* recuſationis *nominatim* exprimi; ſed ſufficiat nuda & indeterminata ſuſpicionis propoſitio: ſecus de Jure Canonico, quo cauſa ſuſpicionis cum ipſo libello recuſationis eſt exprimenda: hancque Juris Canonici diſpoſitionem hodie in praxi receptam eſſe notavi citatis variis diverſarum nationum Auctoribus in *Jure Eccleſ. Tom. IV. parte 3. tit. 10. cap. 5. num. 17.*

Arbitri eligendi.

De cauſa autem recuſationis num ſit juſta & ſufficiens, non cognoſcit ipſe Judex recuſatus, ſed recuſans *cum adverſario, vel* (*ſi forte adverſarium non habeat*) *cum Judice arbitros communiter eligat: aut ſi communiter convenire non poſſunt, abſque malitia ipſe unum, & ille alium eligat, qui de ſuſpicionis cauſa cognoſcant*.

Proceſſus arbitrorum.

Arbitri ſic electi, arbitrio recepto, recuſanti ſtatuent terminum probandi objectam recuſationis cauſam. Probationibus autem confectis, arbitri de recuſationis cauſa cognoſcent, num & juſta & ſufficiens ſit, & an ſufficienter probata: atque interim pendente recuſetionis cauſa, Judex recuſatus debet in cauſa omnino ſubſiſtere; & ſi quid interim attentaverit, irritum erit & nullum.

Si autem duo electi arbitri *nequiverint in unam concordare ſententiam*, vult Canon, ut *advocent tertium, ut quod duo ex ipſis decreverint, robur obtineat firmitatis*.

Quid poſſit Judex recuſatus?

Judex autem recuſatus præfigit terminum, intra quem de cauſa ſuſpicionis arbitri ſententiam dicant; & ſi intra terminum illum non abſolvant; aut cauſa ſuſpicionis non probetur ſufficiens, Judex recuſatus cauſam reſumet, quod Canon his verbis expreſſit: *Cauſa vero ſuſpicionis legitima coram ipſis* (arbitris) *intra competentem terminum non probata, ſua juriſdictione judex utetur*.

Si vero ex arbitrorum ſententia, cauſa recuſationis fuerit ſufficienter probata, tunc Judex recuſatus *de recuſatoris aſſenſu perſonæ idoneæ committat negotium; vel ad Superiorem tranſmittat, ut in eo ipſo procedat, ſecundum quod fuerit procedendum*.

Hæc hodie obſervantur.

Forma cognoſcendi de cauſa recuſationis hoc Canone præſcripta, hodie pene propria & ſingularis eſt in foro Eccleſiaſtico, in quo unus duntaxat cauſarum Judex eſſe ſolet: cum in foro civili plures unum corpus Judicum conſtituere conſueverunt, quorum unus aut plures ſi recuſentur ut ſuſpecti, reliqui de corpore non recuſati de cauſa ſuſpicionis cognoſcunt & judicant (*a*).

Cæterum plura de cauſis recuſationis, & forma eas proponendi notavi in *Jure Eccleſ. Tom. IV. part. 3. tit. 10. cap. 5.*

Appellatio a monitione.

Sub initium præſentis Canonis dicitur *ſpeciali* prohibitione eſſe proviſum, ne *quis in aliquem excommunicationis ſententiam, niſi competenti Monitione præmiſſa, promulgare præſumat*.

Hac conſtitutione nonnulli abutentes, excommunicationis ſentantiam contra ſe promulgari impediebant remedio appellationis ab ipſa *monitione*, quæ juxta hanc Conſtitutionem ſententiæ excommunicationis in aliquem ferendæ aut promulgandæ præmittenda dicitur.

Non operatur, ſi crimen ſit evidens.

Ut ergo malitiæ occurratur, ſtatuitur ſecunda Canonis parte, quod *commonito ad appellationis obſtaculum convolante, ſi ejus exceſſus evidentia rei, vel ipſius Confeſſione, aut alio modo legitimo fuerit manifeſtus; non* eſſe *hujuſmodi provocationi deferendum: cum* (inquit paulo ante) *appellationis remedium non ſit ad defenſionem iniquitatis, ſed in præſidium innocentiæ inſtitutum*.

Triplex evidentia?

Quis autem dicendus ſit exceſſus *manifeſtus*, ex tribus colligi poſſe hic indicatur. Primo ex *rei evidentia*; ſecundo ex *confeſſione* de exceſſu accuſati; tertio ex alio *legitimo* modo.

Duo priora difficultatem vix habent. Quod enim ex *rei evidentia* omnibus patet, non poteſt non dici *manifeſtum*.

Similiter manifeſtum reputatur, de quo per *confeſſionem* rei conſtat, confeſſionem ſcilicet *judicialem*, ſive in judicio factam, & in acta publica relatam: quæ & ſpeciem judicati habet: & ob quam confeſſus *pro judicato* haberi dicitur; quod de confeſſione extrajudiciali dici nequit: quare nec hæc exceſſum confitentis *manifeſtum* conſtituit.

Addit Canon manifeſtum eſſe poſſe ex *alio legitimo modo*; ſed quis ſit hic *legitimus modus*, non expreſſit: quare nec ſuper eo Doctores conveniunt, ut videri poteſt apud VVameſium hic. Indubie circa hoc multum valeat arbitrium Judicis, qui tamen ſi in eo excedat, reputando *manifeſtum*, quod manifeſtum non eſt, per Superiorem poterit ejus judicium corrigi.

Hæc quidem in notoriis ac manifeſtis exceſſibus.

Quid in caſu dubio?

Si autem exceſſus fuerit *dubius*, *ne frivolæ appellationis diffugio Appellans Judicis proceſſum impediat*, vult Canon, ut *coram eodem* Judice *probabilem caſum appellationis* expo-

(a) In Galliis nec recuſans, nec ejus adverſarius eligunt arbitros, qui de recuſatione Judicis pronuncient, illud munus judicandi defertur ad alios Judices ejuſdem Tribunalis, quod ſi in eo Tribunali tres aut nulli Juidces adſint, tunc ad tres Advocatos aut Pragmaticos provincia judicandi de legitima recuſatione defertur, ubi vero Judex recte recuſatus fuit, hic non remittit partes ad Judicem ſuperiorem; ſed ad Judices vel Advocatos aut Practicos ejuſdem Tribunalis, qui litem intentatam dirimant.

exponat, talem videlicet; quæ ſi foret probata, deberet legitima reputari.

Terminus præfigendus.

Secundo ſtatuitur, ſi Appellans *habuerit Adverſarium*, tunc Judex præfigit ei terminum, intra quem appellationem ſuam proſequatur. Terminum autem hunc moderare jubetur Judex *ſecundum locorum diſtantiam, & temporis qualitatem, & naturam negotii.*

Quomodo ei ſatisfiat.

Terminus hic a Judice conſtitutus in hoc diſtat a *termino juris*, ſive qui a Jure præſcriptus eſt, quod hic terminus ſit ad *abſolvendam* appellationem, ille autem ad inchoandam appellationem.

Ut autem huic termino a Judice præſtituto ſatisfiat, communiter receptum eſt, & in praxi probatum, qualecumque initium proſecutionis ſufficere; ſolam etiam itineris arreptionem, ut pote in qua evidens eſt initium proſecutionis.

Obſervat autem VVameſius in tractatu *de Appellat, ad cap. 5.* ⁑ *de Appellat.* quod „ nunc ex moribus hodiernis, inventa commoditate publici curſus, ob „ quem provocationis cauſa nemo fere ex remotis præ„ ſertim Provinciis ad Pontificem aut Imperatorem pro„ ficiſcitur, ſed per Directores (quos Sollicitatores vo„ cant) appellationes per hunc curſum tranſmittuntur; „ ſufficit, infra præſcriptum tempus proſecutionis Di„ rectori tradidiſſe libellum ſupplicem, pro introdu„ cenda appellatione in Curia, aut pro impetrando „ Reſcripto, quo cauſa appellationis in partibus (ut „ dicunt) alicui indignitate conſtituto delegetur „. Hæc VVameſius; qui & monet, quod quamvis opinio plus requirens ad ſatisfaciendum præſtituto termino ad *proſequendam* appellationem, in ſtricta ratione diſputandi, ex poteſtate verbi ad *proſequendam* poſſet videri verior; in *uſu* tamen fori viciſſe communem ſententiam, eamque etiam approbari ab Auditorio Rotæ Romanæ: & ſic quidem ut ſufficere putent, ſi Appellans viam ingrediatur ultima die præſcripti termini, qua certum eſt, eum non poſſe pervenire ad provocatum judicem; quia & ultimus dies termini computatur in termino.

Poteſt ergo Judex *a quo* terminum præſcribere, quo appellationem introducat; ſed non ad peragendam ſeu finiendam appellationem: quia hæc magis a Judice *ad quem* dependent, cui Judex *a quo* utpote inferior legem præfigere nequit.

Si autem Appellans intra terminum a Judice præſtitutum, *appellationem proſequi non curaverit*; Judex *a quo* procedere poterit vel inſtant Adverſario, vel etiam ex ſuo officio, nullo Adverſario comparente, hoc eſt ſi agatur de appellatione a definitiva ſententia, tranſit in rem judicatam, & Judex *a quo* ad executionem procedet; ſi vero agatur de ſententia *interlocutoria*, Judex *a quo*, in caſu principali ulterius procedet, tamquam utroque caſu appellatione deſerta, & cauſa reducta ad eum ſtatum, quo fuiſſet, ſi appellatum non eſſet.

Quid faciendum termino elapſo?

Ubi autem ſuo tempore appellatio fuerit introducta, *appellationis cauſa coram Superiore Judice probata, Superior ſuæ juriſdictionis officium* exequetur: hoc eſt, Judex cauſam principalem aſſumet & definiet.

Appellans malitioſe.

Sed ſi Appellans in cauſæ *probatione defecerit, ad eum a quo malitioſe appellaſſe conſtiterit, remittatur*; ait Canon, ea ratione, quod injuria, quæ Judici recte decernenti per interpoſitam appellationem aliquo modo facta erat, per remiſſionem cauſæ ad illum, reparetur: priore vero caſu, per retentionem negotii principalis iniquitas Judicis *a quo* aliquo modo caſtigetur.

Regularibus non licet appellare a mera correctione.

Ne tamen hac appellandi & recuſandi libertate uterentur Regulares contra correctionem ſuorum Superiorum in detrimentum diſciplinæ regularis, declarat Canon: ſe nolle, *has duas Conſtitutiones præmiſſas ad Regulares extendi, contra ſuas ſpeciales obſervantias*, ſive prout in Concilio legitur, *qui ſuas habent obſervantias ſpeciales*,

Qua clauſula cavetur: „ ut non recipiatur appella„ tio vel recuſatio Monachorum, Abbate vel Epiſco„ po operam dante emendationi & caſtigationi eorum, „ ſecundum *regulam & inſtitutionem* Ordinis, & ut „ neceſſe non ſit in eorum correctione juris ordinem „ obſervare, uti in *cap. 3. & 26.* ⁑ *de Appellat.* cautum „ eſt „: quemadmodum hic obſervat Cujacius, qui & notat, quod eorum quæ „ in hac parte Concilii con„ tinentur, nihil eſt, quod non ſit repetitum ex aliis „ Conſtitutionibus. Sæpenumero (inquit) Concilia quæ „ habentur, habentur tantum in hoc, ut præteritæ „ Conſtitutiones renoventur ſive reſtaurentur & incul„ centur „.

Cæterum de vetita Regularium appellatione a correctione Superiorum, vide ſupra latius deducta ad *Canonem VI.* Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. hujus Tomi VIII. & *in Jure Eccleſ. Tom. I. part. 1. tit. 28, cap. 4.*

O B S E R V A T I O N E S

In Canones XLVI. XLIV. XLV. concernentes Immunitatem Eccleſiæ.

C A N O N LXVI.

De infractoribus Immunitatis Eccleſiaſticæ. Cap. *Adverſus 7.* ⁑ de immunit. Eccleſ.

O B S E R V A T I O.

Quorumdam Clericorum incuria erga immunitates.

Canon XLVI. in *cap. Adverſus 7.* ⁑ *de immunit, Eccleſ.* renovat *Canonem XIX.* Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. contra infractores immunitatis Eccleſiaſticæ, cujus *Obſervatio* conſuli poterit (*a*); cautionis tamen cauſa in præſenti Canone nonnulla ad anteriorem illum Canonem adduntur.

Permittebat enim Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. *ſi Epiſcopus*, & Clerici *tantam neceſſitatem*, vel *utilitatem perſpexerint, ut abſque ulla coactione ad relevandas utilitates vel neceſſitates communes, ubi Laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia* per Eccleſiam annui poſſint, & bona Eccleſiaſtica illis ſubjici.

Sed quia in hac utilitate & neceſſitate dijudicanda, nonnunquam Epiſcopi & Clerici non ſat prudentes, & ad favendum magiſtratibus ſubinde nimium proclives videbantur; ſtatuitur in præſenti Canone: *ut propter imprudentiam quorumdam, Romanus Pontifex prius conſulatur, cujus intereſt communibus utilitatibus providere.*

Secundo ſancitur, ut Sententiæ & Conſtitutiones promulgatæ a magiſtratibus excommunicatis ob vexatos Clericos, *inanes & irritæ habeantur, nullo unquam tempore valituræ.*

Tertio decernitur, quod excommunicatio ſive *anathema* talium Laicorum perduret, etiam finito ipſorum officios. Quinimmo addit, *& Succeſſorem ipſius, niſi tiſfecerit intra menſem, manere Eccleſiaſtica Cenſura concluſum, donec ſatisfecerit competenter: cum ſuccedat in onere* (inquit) *qui in honore ſubſtituitur.*

De hac immunitate latius egimus in *Jure Eccleſ. Tom. III. parte 2. ſect. 4. tit. 4. cap. 2.* alias *tit. 35.* ubi & notavimus, rigorem hujus Decretalis, ſignanter quoad neceſſarium recurſum ad Pontificem, in Belgicis Provinciis non obſervari; non obſervatur quoque in Galliis.

(*a*) Extat prædicta Obſervatio in *Canonem XIX.* Concil. Lateran. hujuſce Tomi.

C A N O N. XLIV.

De Statutis contrariis Immunitati. Cap. *Cum Laicis* fin. ⁑ de rebus Eccleſ. alienand. vel non.

O B S E R V A T I O.

Querimoniæ de Laicis.

Canon XLIV. in *cap. Cum Laicis fin.* ⁑ *de rebus Eccleſ. alienand. vel non*, ſupponit, quod *Laicis quamvis religioſis diſponendi de rebus Eccleſiæ nulla ſit attributa poteſtas, quos obſequendi* (ait) *manet neceſſitas, non auctoritas imperandi.*

Poſt hæc deplorat, *in quibuſdam* Laicis *ſic refrigeſcere charitatem, quod immunitatem Eccleſiaſticæ libertatis, quam non tantum ſancti Patres, ſed etiam Principes ſæculares, privilegiis multis munierunt, non formidant ſuis conſtitutionibus, vel potius deſtitutionibus impugnare.*

Et quidem, ut hic aſſeritur, hanc violationem immunitatis quidam ita extendebant, ut *non ſolum de alienatione feudorum, ac aliarum poſſeſſionum Eccleſiarum, & uſurpatione Juriſdictionum, ſed etiam de mortuariis, nec non & aliis, quæ juri ſpirituali annexa videntur, illicite* præſumant.

Statuta contraria immunitati Eccleſ.

His igitur occurrere volens, *Conſtitutiones & venditiones hujuſmodi feudorum ſeu aliorum bonorum Eccleſiaſticorum, ſine legitimo perſonarum Eccleſiaſticarum aſſenſu præſumptas, occaſione conſtitutionis laicæ poteſtatis*, decernit *non tenere, præſumptoribus per cenſuram Eccleſiaſticam compellendis. Cum* (uti præmittit) *non conſtitutio, ſed deſtitutio vel deſtructio dici poſſit, nec non uſurpatio Juriſdictionum.*

Quærit hic Panormitanus; an valeant ſtatuta *Laico*„ *rum*, ut ultra certos cereos non deferantur cum fu„ nere, vel quod filii dumtaxat debeant veſtiri de ni„ gro, & quod certus & determinatus numerus Cleri„ corum duntaxat intererunt exequiis, & quid ſimile „. Nonnullis in utramque partem allegatis reſolvit, quod „ „ circa concernentia cultum divinum, & refrigerium „ animæ defuncti, non valeant ſtatuta Laicorum; quia „ illa proprie ſunt annexa juri ſpirituali; & ita intel„ ligit generaliter hunc textum; ſed circa concernen„ tia *pompas mundanas* valeant ſtatuta Laicorum: & „ credo (ait) ſpecifice quod ſtatutum illud ſit de pan„ nis nigris paſſim non utendis: quia de mortuis

non

„ non eſt multum dolendum ſecundum fidem Chriſtia-„ nam: tum propter ſpem futuræ vitæ, tum ut Vivi „ acquieſcant diſpoſitioni divinæ „.

…on hic rigide …erva- Plurima in hiſce aliiſque Provinciis quotidie prodeunt Magiſtratum Regiorum ſtatuta ac Ordinationes, ſeu *Regulamenta* ſuper pompis expenſiſque funerum, exequiarum, adminiſtratione bonorum Eccleſiæ, ſimilibuſque materiis, quæ & ſine ulla exceptione vel contradictione recipiuntur ac obſervantur: quæ evincunt, Decretalem hanc, & ſimiles non eſſe in ſua latitudine receptas, aut eas contrario uſu moderationem aliquam accepiſſe.

CANON XLV.

De Eccleſiæ Advocatis & Vice-Dominis. Cap. *In quibuſdam* 12. X. de Pœnis.

OBSERVATIO.

…rpatio- Advo- …rum. CANON XLV. in *cap. In quibuſdam* 12. X. *de Pœnis*, dirigitur contra Patronos, Advocatos, & Vice-Dominos Eccleſiarum, qui poteſtatem ſuam excedentes, *de Poſſeſſionibus*, *aliiſque bonis Eccleſiaſticis pro ſua voluntate ordinare* præſumebant; quin & *in necem Prælatorum prorumpere non* formidabant.

Contra hos in primis decernitur, *ne* prædicti *Patroni vel Advocati, ſeu Vice-Domini ſuper præmiſſis de cætero plus uſurpent quam reperiatur in Jure permiſſum: & ſi contra præſumpſerint per ſeveritatem canonicam diſtrictiſſime compeſcantur*.

Additur dein: *Sacri nihilominus Concilii approbatione ſtatuimus, quatenus, ſi Patroni vel Advocati aut Feudatarii, ſeu Vice-Domini, aut alii Beneficiati alicujus Eccleſiæ, Rectorem vel Clericum alium ipſius Eccleſiæ per ſe vel per alios occidere vel mutilare auſu nefando præſumpſerint: Patroni Jus Patronatus, Advocati advocatiam, Feudatarii feudum, Vice-Domini Vice-Dominatum, & Beneficium prorſus amittant*. Violentia quorumdam.

Beneficium hic non intelligitur prout nunc, ſed accipitur pro poſſeſſione temporali, quam etiam Laici aliquando accipiebant ab Eccleſia titulo donationis, compenſationis, vel ſimili. Vide Gloſſarium du-Cange verbo *Beneficium*. Præterea *ne exceſſus materia prorogetur*, ſtatuitur, ut *uſque ad quartam generationem poſteritates talium in Collegium nullatenus admittantur, neque in domibus Regularibus alicujus Prælationis honorem aſſequantur, niſi cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum*.

Dicitur inſuper ſuperius in Canone, hæc in Patronis, Advocatis, aliiſque fuiſſe prohibenda, *cum quod ad defenſionis ſubſidium eſt inventum, ad depreſſionis diſpendium non debeat retorqueri*. Ratio Canonis.

His indicatur, Advocatos primitus in defenſionis ſubſidium datos eſſe Eccleſiis, eoſque hoc defenſionis ſubſidium in diſpendium depreſſionis vertiſſe, quod latius oſtendimus in *Jure Eccleſ. Tom. III. part. 2. ſect. 3. tit. 8. cap. 1.* alias *tit. 25.*

OBSERVATIONES

In Canones LIII. LIV. LV. XXXIII. LXI. ad materiam Decimarum, & congruæ portionis ſeu competentiæ Paſtoralis ſpectantes.

CANON LIII.

De fraudatione Decimarum. Cap. *In aliquibus* 32. X. de Decimis.

OBSERVATIO.

…s circa …mas. CANON LIII. in *cap. In aliquibus* 32. X. *de Decimis* pertinet: ad eas regiones, in quibus *quædam permixtæ* erant *gentes, quæ ſecundum ſuos ritus* & regionum conſuetudines *Decimas* non *ſolvebant*.

Porro qui ex more ad Decimas tenebantur, prædia ſua tribuebant *excolenda* illis, qui eas non ſolvebant, quod aperte in fraudem Eccleſiarum vergebat.

Hoc igitur prohibet hic Canon, vultque, ut *ipſi* deinde *talibus perſonis, & taliter ſua prædia excolenda committant, quod abſque contradictione Eccleſiis Decimas cum integritate perſolvant, & ad id ſi neceſſe fuerit, per Cenſuram Eccleſiaſticam compellantur*.

…na- Ut verus hujus Canonis ſenſus habeatur, ſciendum; a multis retro ſæculis ante celebratum hoc Concilium, Decimas in Græcia, præſertim Conſtantinopoli, fuiſſe ignotas, conſtitutaque tributa pro Sacerdotum alimonia, ut conſtat ex Novellis Juſtiniani, & ex Bulla aurea Imperatoris Iſaaci Comneni.

Græ… …n. Cum autem tempore Innocentii III. ſub quo hoc Concilium celebratum eſt, Conſtantinopolis a Latinis anno 1204. eſſet capta, Sacerdotes Latini, ritus & mores ſuos ſecum introducentes, etiam Decimas, & cætera apud Latinos a Laicis pendi ſolita introducere ſtuduerunt: reluctantibus Græcis maxime nobilibus & proceribus, qui huic introductioni Decimarum, aliarumque penſitationum apud Latinos ſolitarum pertinaciter reſiſtebant.

Non obſtante igitur Latinorum imperio, atque conatibus, Græci ad has præſtationes adduci non potuerunt; adeo ut tandem in hac antiqua conſuetudine non ſolvendi Decimas iis perſeverare permiſſum fuerit.

Igitur Latini, qui Decimas *ex more ſuarum regionum* ſolvere debebant, his Græcis prædia ſua excolenda dabant, ut ſimul illa a Decimis eximerent, & majorem elocationis mercedem acciperent: quod hoc Canone vetatur: vide latius Emmanuelem Gonzalez ad hanc Decretalem in Commentario.

…cimæ …jure …o …ndæ? Rationem ſui Decreti videtur exprimere Concilium, his finalibus verbis: *illæ quippe Decimæ neceſſario ſunt ſolvendæ, quæ debentur ex lege divina, vel loci conſuetudine approbata*.

Quæ hic & in aliis pluribus Decretalibus Innocentii III. de Lege *divina* dicuntur, induxerunt antiquos Decretalium Gloſſatores, qui preſſe Litteræ Decretalium inhærebant, ut Decimarum ſolutionem *Lege divina* præceptam dicerent.

At Theologi, præeunte Sancto Thoma, adverterunt, nullum de Decimis ſolvendis in nova Lege, a Deo præceptum eſſe datum: Legem autem Moſaicam, in quantum *certam* determinatamque portionem fructuum ſolvendam præcipiebat, eſſe abrogatam, ſolumque ſupereſſe Legem naturalem & divinam providendi de temporalibus & corporalibus ſubſidiis Miniſtris Eccleſiæ qui Fidelibus ſpiritualia ſubminiſtrant. Hanc Theologorum opinionem eruditiores & meliores Canoniſtæ tandem uno quaſi conſenſu ſecuti ſunt.

Unde & docent, Decimas non deberi ex *Lege divina*, niſi in quantum correſpondent alimentis debitis Eccleſiæ Miniſtris: aſſeruntque nihil obfuturum huic Legi divinæ, ſi Decimæ non ſolverentur; modo aliunde ſufficienter provideretur de temporali ſuſtentatione iis, qui Altari deſerviunt.

CANON LIV.

De æſtimatione Decimarum ante deductionem Tributorum. Cap. *Cum non ſit* 33. X. de Decimis.

OBSERVATIO.

CANON LIV. in *cap.* Cum non ſit 33. X. *de Decimis*, agit contra eos, qui cenſus & tributa de frugibus prius detrahenda cenſebant, quam Decimæ ſolverentur, vultque, *ut exactionem tributorum & cenſuum præcedat ſolutio Decimarum: vel ſaltem hi, ad quos cenſus vel tributa indecimata pervenerint (quoniam res cum onere ſuo tranſit) ea per cenſuram Eccleſiaſticam decimare cogantur Eccleſiis, quibus de jure debentur*. Decimæ præcedant Tributa.

Rationem ſui Decreti præmiſerat: *Cum in ſignum univerſalis Dominii, quaſi titulo ſpeciali ſibi Dominus Decimas reſervaverit*.

Ob hujus igitur *generalis dominii prærogativam* æquum cenſuit, ut ſolutio Decimarum præcedat exactionem tributorum, quæ Regibus & Dominis temporalibus in ſignum ſui dominii, & ſuperioritatis ſolvuntur. Prætenſa ratio Canonis.

Hinc & rurſus antiquiores Decretalium Commentatores concluſere Decimarum ſolutionem ad Legem *Divinam* referendam eſſe. At Theologi & recentiores Canoniſtæ conſentiunt, nullam ſimilem reſervationem in nova Lege notam eſſe, & ſi quæ in veteri Teſtamento facta fuit, eam tanquam ad Leges judiciales aut cæremoniales ſpectantem, ſuum amiſiſſe vigorem.

Eodem fundamento, quo in præſenti Canone decretum eſt, Decimas ſolvendas non *deductis* tributis, reſpondit idem Pontifex Innocentius III. in *c.* Tua nobis 26. X. *de Decimis*, Decimas eſſe dandas ſine deductione *ſeminis & expenſarum*, ſive non deductis expenſis, quæ fiunt fructuum percipiendorum cauſa, quemadmodum & hodie ſolvuntur (*a*). Aliud ſimile ſtatutum.

CANON LV.

De abuſu privilegiorum Monaſticorum quoad Decimas. Cap. *Nuper* 34. de Decimis.

OBSERVATIO.

CANON LV. in *cap.* Nuper 34. X. *de Decimis*, confirmat ſtatutum, quod *Abbates Ordinis Ciſtercienſis* edide- Laudabile ſtatutum Ciſtercienſium.

(*a*) Quod in Galliis obſervatur, conforme eſt cap. *Cum non ſit*, & cap. *Tua nobis*.

ediderant in Capitulo generali *ad commonitionem* ipsius Innocentii III. *ne de cætero fratres emant possessiones, de quibus Decimæ debeantur Ecclesiis, nisi forte pro Monasteriis* noviter *fundandis; & si tales possessiones ei fuerint pia Fidelium devotione collatæ, aut emptæ pro Monasteriis de* novo *fundandis, committantur aliis excolendæ, a quibus Ecclesiis Decimæ persolvantur.*

Confirmatum. Et *ne occasione* similium *privilegiorum* Ecclesiæ, quibus Decimæ primario & de jure debentur, nimium gravarentur, huic statuto per præsentem Canonem additur, *ut de alienis terris & admodo acquirendis, etiamsi eas* propriis manibus *aut sumptibus excolunt, Decimas persolvant* (Cistercienses) *Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum.*

Et ad alios extensum. Denique hoc Decretum ad *alios Regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi* vult & mandat.

De hoc Cisterciensium, aliorumque Regularium privilegio, nec non nimia ejus extensione, ac postmodum facta moderatione & restrictione fuse egi in *Jure Eccl. Tom. III part. 2. sect. 4. tit. 2. cap. 7.* alias *tit.* 33.

CANON XXXII.

De Portione congrua. Cap. *Extirpandæ* 30. ✠ de Præbendis.

OBSERVATIO.

Avaritia quorumdam Patronorum. CANON XXXII. in *cap.* Extirpandæ 30. ✠ *de Præbendis*, primum proponit, quod *extirpandæ consuetudinis vitium in quibusdam partibus inoleverit; quod scilicet Parœcialium Ecclesiarum Patroni, & aliæ personæ proventus ipsarum sibi penitus vendicantes, Presbyteris earum servitiis deputatis relinquunt adeo exiguam portionem, quod ex ea nequeant congrue sustentari.*

Hunc abusum, quo fiebat, *ut in his regionibus*, inquit, *pene nullus inveniatur Sacerdos Parœcialis, qui vel modicam habeat peritiam litterarum*, vocat, *extirpandæ consuetudinis vitium.*

Repressio. Ad extirpandum autem hoc virium statuitur, ut (*consuetudine qualibet, Episcopi, vel Patroni, seu cujuslibet alterius non obstante*) *portio Presbyteris ipsis assignetur sufficiens.*

Idem decernitur circa *Vicarium* constituendum ab eo, qui Ecclesiam Parochialem Dignitati vel Præbendæ, cui tanquam majori debeat deservire, habet annexam.

Ratio pro hoc Canone. De hac portione congrua seu sufficiente ex Decimis Presbyteris & Vicariis Parochiarum assignanda, fuse egi in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 4. toto t. 3.* alias *t. 34.* hic tamen addo *decisionem* 420. Rotæ Romanæ apud Farinacium in Posthumis *part.* 1. in qua *n.* 5. hæc leguntur: „ Congrua debetur Parochis, ne alias intenti „ ad quærendum sibi victum, deserant curam animarum, „ vel alias ipsi ob nimiam egestatem, in illa committant, quæ committere non debent, sive ne etiam ob „ prædictam egestatem sint ludibrio ipsis Parochianis, „ quos coercere debent, & a quibus debent revereri: & „ proinde cum ista non concernant interesse ipsius Parochi: sed ordinis Parochorum, & curæ animarum: consensus Parochi tacite illicitus ex acceptatione tenuis „ Beneficii in nulla debet haberi consideratione, cum „ alias nec expressus suffragetur ad prædictum effectum „.

CANON LXI.

De Regularibus recipientibus Decimas. Cap. *In Lateranensi* 31. ✠ de Præbendis.

OBSERVATIO.

CANON LXI. in *cap.* In Lateranensi 31. ✠ *de Præbendis*, renovat Canonem IX. Concilii Lateranensis sub Alexandro III. contra *Regulares, Decimas de manu Laici sine consensu Episcoporum* recipientes; cujus Canonis *Observatio* videri potest inter *Observationes* ad Decreta dicti Concilii Lateranensis sub Alexandro III.

DISSERTATIO

Pro faciliori intellectu Decretalium Innocentii III. in Collectione Gregorii IX. comprehensarum.

§. I.

Qualis fuerit hic Pontifex, & ex quibus verus sensus Decretalium hujus Pontificis haberi possit?

PRÆCIPUUS auctor Decretalium, quæ in quinque Libris Decretalium Gregorii IX. continentur, merito reputatur Innocentius III. sub cujus nomine plures inscribuntur Decretales, quam omnium aliorum Pontificum.

Electus in Romanum Pontificem. Hic Pontifex ante Pontificatum dictus *Lotharius*, anno ætatis 30. communi Cardinalium suffragio, in Pontificem Romanum assumptus fuit anno 1198.

Mira Innocentii III. in jurisprudentia subtilitas atque sagacitas. „ Primum in Urbe (scilicet Romæ) deinde Parisiis, „ tandem Bononiæ Scholasticis studiis insudavit, & „ super coætaneos suos tam in Philosophica quam in „ Theologica disciplina profecit, sicut ejus opuscula „ manifestant, quæ diversis temporibus edidit & dictavit „: ait auctor *num.* 2. gestorum hujus Pontificis, quæ extant una cum Epistolis apud Baluzium: additque, quod ediderit „ post Pontificatum Libros Sermonum, Epistolarum, Regestorum, & *Decretalium*, quæ „ manifeste declarant, quantum fuerit tam in humano, quam in divino Jure peritus. „

Scribit quoque dictus Auctor, *num.* 41. „ Ter in „ hebdomada solemne Consistorium, quod in desuetudinem jam devenerat, publice celebrabat (Innocentius): in quo auditis querimoniis singulorum minores „ causas examinabat per alios, majores autem ventilabat *per se* tam subtiliter & prudenter, ut omnes super ipsius subtilitate & prudentia mirarentur, multique litteratissimi viri & Jurisperiti Romani Ecclesiam „ frequentabant, ut ipsum duntaxat audirent, magisque discebant in ipsius consistoriis, quam didicissent „ in scholis, præsertim cum promulgantem sententias „ audiebant; quoniam adeo subtiliter & efficaciter allegabat, ut utraque pars se victuram speraret, dum „ eum pro se allegantem audiret; nullusque tam peritus coram eo comparuit Advocatus, qui oppositiones ipsius vehementissime non timeret. „

„ Ob hoc (pergit auctor *num.* 43.) ad ejus audientiam tot & tantæ cœperunt *de toto orbe* causæ perferri, ut plures & majores causas ipse suo tempore „ definiverit, quam a longis retro temporibus in Romana fuerint Ecclesia definitæ „.

Innumerabiles lites ea occasione Romam undique delatæ. Quanta litium & controversiarum moles ex omnibus mundi partibus tunc temporis ad Romanam Curiam deferuntur, refert Abbas Urspergensis in Chronico. Cum enim narrasset, quod post electum Philippum in Regem Romanorum, quidam apud Coloniam elegerint Othonem IV. & ita schisma in Romanum Imperium invectum fuerit, subdit: „ Facta est hæc abusio, ut fieret quasi portentum multarum abusionum, quæ subsecutæ sunt in terris. Vix enim remansit aliquis Episcopatus, sive dignitas Ecclesiastica, vel etiam Parochialis Ecclesia, quæ non fieret litigiosa, & *Romam* „ deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua. Gaude, „ Mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ „ thesaurorum in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in eo in recompensationem tantorum malorum datur tibi pretium. „ Jucundare super adjutrice tua discordia, quia erupit „ de puteo infernalis abyssi, ut accumulentur tibi multa „ pecuniarum præmia. Habes, quod semper sitisti. Decanta Canticum, quia per malitiam hominum, non „ per tuam Religionem orbem vicisti. Ad te trahit homines, non ipsorum devotio, aut pura conscientia, „ sed scelerum multiplicium perpetratio, & *litium decisio* pretio comparata „.

Hinc innumeræ Epistolæ Decretales Innocentii III. Hæc negotiorum & litium multitudo occasionem dedit huic Pontifici infinitas prope litteras scribendi, aut Decreta edendi, quibus super controversiis istis responderet, easque decideret, vel præscriberet ea, quibus in futurum controversiis istis obviaretur.

Exemplo Imperatorum Romanorum. Porro sicuti jam pridem Imperatores Romani sua Rescripta, sanctionesque referebant & asservabant in scriniis suis; ita Pontifices Romani: Epistolas, Actaque sua in suis quoque Archivis, quæ sequioris ætatis barbaries *Regesta* seu *Registra* vocavit, recondiderunt; eaque per singulos Pontificatus sui annos distinguebant, ut ita singulorum annorum gesta in singulos Regestorum seu Registrorum Libros essent distincta, ut ex Regestis Epistolarum sancti Gregorii manifestum est.

In 19 Libros digesta. Hoc exemplo Innocentius III. in novemdecim Libros, Epistolarum & Actorum suorum Regesta distinxit, singulis, annorum singulorum respective acta assignans.

Inde 3. & 4. Collect. e quibus Raymundus Decretales Innocentii sumpsit. Ex his Regestis prodierunt Collectiones Decretalium, quæ *tertia & quarta* nuncupatur apud Antonium Augustinum (de quibus supra actum est) & e quibus dein per Raymundum in Collectionem Decretalium, quæ dicitur Gregorii IX. ac hodie in scholis prælegitur, relatæ fuere.

Juvat ipsum tem hæ Decretalium re. Verum Collectores illi sæpius fragmenta duntaxat ipsarum litterarum retulere, prætermissis iis, quibus ipsa facti species seu controversia Pontifici exposita enarratur, quæ frequenter ipsi decisioni sive Decretali Pontificiæ multum lucis subministrat.

Non dubium proinde, quin ad elucidationem, verumque sensum *Decretalium* hujus Pontificis (quæ præcipuam facile partem hodierni Juris Canonici conficiunt) admodum opportuna esse queant hujus Pontificis integra Epistolarum & Actorum Regesta; maxime quia iis quoque

que continentur & Epiſcoporum, & Principum, aliorumque Litteras, quibus de iis negotiis ipſum Pontificem conſuluerunt, difficultateſque exortas expoſuerunt, & reſolutiorem ſeu deciſionem poſtulaverunt.

§. II.

De variis editionibus Epiſtolarum, & de Codice Geſtorum Innocentii III.

Editio per Cardinalem Sirletum.

Per Boſquetum.

PRIMA Epiſtolarum hujus Pontificis editio prodiit Romæ anno 1548. opera Cardinalis Sirleti, duos duntaxat priores Libros complectens; altera anno 1635. evulgata eſt ſtudio & cura Franciſci Boſqueti Narbonenſis Juriſconſulti, ac dein Epiſcopi Monſpelienſis exhibens quatuor alios Epiſtolarum hujus Pontificis Libros, nimirum 13. 14. 15. & 16. quos & notis non parum eruditis illuſtravit.

Per Baluzium.

Hos ſex Epiſtolarum Libros partim Sirleti, partim Boſqueti ſtudio publicatos recudi fecit Pariſiis anno 1682. vir clariſſimus, & de re Litteraria optime meritus Stephanus Baluzius; qui etiam editis adjunxit partem Libri 5. ac inſuper libros tres ſcilicet 10. 11. & 12. quibus hactenus carebamus.

Subjungit præterea Libro 2. veterem Collectionem, quam jam pridem ex tribus prioribus Epiſtolarum Libris confecerat Raynerius Diaconus & Monacus Pompoſianus: quam Collectionem a ſe repertam eſſe in Bibliotheca Monaſterii S. Theodorici prope Remos ibidem indicat; monetque eam hic additam ad ſupplendam vicem Libri 3. cujus hactenus exemplar reperiri non potuiſſe, uti nec trium poſteriorum videlicet 17. 18. & 19. deplorat in præfatione huic editioni præfixa Baluzius.

Libri geſtorum Innocentii III.

Præter Epiſtolarum Regeſta recudi quoque juſſit Baluzius geſta hujus Pontificis ab Auctore quodam anonymo ſed coævo deſcripta, eaque ope duorum manoſcriptorum codicum emendatiora, quam antea ex codice Collegii Fruxenſis per Buſquetum publicata fuiſſent.

Regeſtum de negotio Imperii.

Denique nunc primum publici juris fecit Regeſtum ejuſdem Pontificis de *negotio Imperii* ex codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ, in quo continentur Epiſtolæ ab hoc Pontifice ſcriptæ occaſione ſchiſmatis Germanici, quod eo tempore Imperium Romanum in varias partes lacerabat, ad varios Principes & Epiſcopos. Item quas ipſe Pontifex a variis de eodem diſſidio accepit. Notatque Baluzius in præfatione ſuæ editionis, nullam de hoc *Imperii negotio* Epiſtolam extare in Libris ſeu Regeſtis Epiſtolarum per annos Pontificatus digeſtis; ut admodum veriſimile ſit, quod ſagaciſſimus hic Pontifex, prævidens, negotium hoc Imperii varias, multipliceſque difficultates, eventuſque habiturum, judicarit opportunum fore, ſi peculiare, de tota hujus negotii ſerie, & rebus ad eum ſpectantibus, Regeſtum conficeretur: quod & intelligendis nonnullis Decretalibus lucem adferre in ſequentibus videbitur.

§. III.

Qua ſcientia potiſſimum inſtructus fuerit hic Pontifex, & quæ in ejus Decretalibus eluceat?

INNOCENTIUM III. ante Pontificatum Bononiæ in Italia ſtudiis ſcolaſticis inſudaſſe §. præcedenti ex auctore coævo notavimus.

Innocentius III. utriuſque juris periſſimus.

Notum autem eſt, Univerſitate Bononienſi eo tempore præcipue floruiſſe ſtudium *Juris* tam Canonici quam Civilis, uti & ſupra monuimus.

Quapropter Pontifex *utriuſque Juris* ſcientia apprime inſtructus non tantum quæſtiones ſeu dubia Juris Canonici ex hoc Jure reſolvit, ſed & plures Juris *Civilis*, ſeu Legum Romanarum obſcuritates illuſtravit, & quæſtiones ex ipſis Juris Romani principiis decidit.

Exempla plurima in ejus Decretalibus paſſim occurrunt, monetque Franciſcus Florens famoſam illam Decretalem hujus Pontificis relatam in *cap.* Super litteris 20. X. *de Reſcriptis*, qua declaratur, quando & qualiter Reſcripta Apoſtolica ob falſi expreſſionem, vel ob veri ſubticentiam, debeant cenſeri invalida, vel ſuo carere effectu, editam eſſe ad ſedandas controverſias Interpretum, ad *Legem* 2. *cod. Si contra Jus*, &c. quemadmodum alias plures ad ſimiles quæſtiones decidendas ab ipſo editas notat.

Quin & pleræque Deciſiones hujus Pontificis contentæ in Libro *ſecundo* Decretalium, quibus ordo judiciorum præſcribitur ex legum civilium præſcripto deſumptæ ſunt; uti & Libro *tertio* contentæ, quæ materiam Contractuum civilium, nec non Teſtamentorum, atque ſucceſſionis ab inteſtato ſpectant.

Quomodo jus Canonicum ad normam juris civilis in multis reductum?

Hinc factum, ut & Jus Canonicum ad normam Juris civilis in multis fuerit reductum, adeo ut tandem pene neceſſarium fuerit ſtudio Juris Canonici, ſtudium juris civilis conjungere, idque non ſine vera Juris Canonici ſcientia, nec ſine Eccleſiaſticæ & avitæ Patrum diſciplinæ detrimento.

Innocentius III. hauſit falſas Decretales ex Gratiano.

Circa ſcientiam *Juris Canonici* notandum, quod ſub id tempus, quo hic Pontifex huic juri incumbebat, & ipſe Sedem Apoſtolicam tenuit; ea pene unice hauriretur ex Decreto *Gratiani*, illudque ut unicum ac ſinceriſſimum Canonum, & totius Eccleſiaſticæ politiæ fontem omnes ſuſcipiebant, & ſuis auditoribus Profeſſores Juris Canonici in Univerſitate Bononienſi prælegebant.

Hinc & videmus, quod hic Pontifex hac ſcientia inſtructus in ſuis Decretalibus & Deciſionibus *Decreto Gratiani*, ut Canonum *puriſſimo* fonte paſſim utatur: atque in Gratiano contenta ſine diſcrimine aut examine, num ſincera vel ſuppoſititia ſint, integra an mutilata, in Deciſionum ſuarum fundamenta aſſumat, & ſecundum iſta ulla hæſitatione reſolvat, uti pluribus exemplis oſtendi in *Jure Eccleſiaſtico*, & in *Commentario ad Decretum Gratiani*; & ex *Obſervationibus* ad nonnullas notabiliores hujus Pontificis Decretales infra ſubjiciendis manifeſtum fiet, hunc Pontificem inſtitiſſe novis illis principiis in falſis Decretalibus & Decreto Gratiani ad amplificationem Juriſdictionis Curiæ Romanæ introductis.

Scientia Theologiæ Scholaſticæ imbutus.

Non tantum ſcientia utriuſque Juris inſtructus erat Innocentius III. ſed etiam Theologica; cui operam navaverat primum Romæ, dein Pariſiis; ſcribitque Onufrius Panvinius in vita hujus Pontificis, ipſum in Pariſienſi Gymnaſio multos annos ſtudiis vacaſſe, deinde *Doctoratus*, ut vocant, inſignia ſuſcepiſſe: eumque in *divinis* Scripturis *apprime* eruditum fuiſſe, teſtatur Paulus Langius in Chronico Citicenſi ad annum 1198.

At & hoc circa ſcientiam Theologicam obſervandum, quod ſub illud tempus, quo ſtudiis hiſce incumbebat Innocentius, jam invaluiſſet Theologia *ſcholaſtica*, eaque pene ſola in ſcholis tunc temporis prælegeretur.

Hinc & in hujus Pontificis Decretalibus & Deciſionibus ſuper punctis Theologicis, ſive dogmatibus, hæc Theologia *ſcholaſtica* manifeſte elucet; atque notanter ex Conſtitutione ab ipſo in Concilio Lateranenſi promulgata, quæ extat in *cap.* 1. [illegible] *de ſumma Trinitate*, in qua more plane ſcholaſtico tractat de Myſterio SS. Trinitatis, & ipſius operibus: de fide & articulis fidei.

Idem tractandi modus elucet in ejus Conſtitutione relata in *c.* 2. *eod.* qua errores Abbatis Joachim circa Myſterium Trinitatis damnantur; nec non in Decretalibus relatis in *cap.* 6. & 8. X. *de celebrat. Miſſarum*; & in *cap.* 3. X. *de Baptiſmo*, in quibus plures difficultates circa Sacramentum Euchariſtiæ, & Baptiſmi reſolvit, in quarum prima etiam doctorum Scholaſticorum meminit; dicens ſuper quæſtione utrum *aqua cum vino convertatur in ſanguinem, opiniones apud* Scholaſticos *variare*: neque ſuper ea quidquam certi decidere voluit, ſed more *Scholaſticorum*, inter tres opiniones, illam *probabiliorem* judicat, quæ aſſerit *aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari, ut expreſſius eluceat proprietas Sacramenti*.

Baronius ad annum 1192. hac motus Deciſione, appellat contrariam ſententiam *hæreſim*: ſed hic exceſſiſſe Baronium monet Emmanuel Gonzales ad hanc Decretalem, notans Innocentii opinionem „ *non eſſe certam ſecundum fidem*, nec certitudine concluſionis „ deductæ ex una præmiſſa de fide, & alia lumine naturali nota, ſed dependeat ex philoſophico principio „ converſionis aquæ in vinum: quare duntaxat *probabiliorem* dicit ſuam opinionem Innocentius „.

O B-

OBSERVATIONES

In varias & notabiliores Decretales Innocentii III.

DECRETALIS

Qua imperium aujudicatur Othoni adversus Philippum. Cap. *Venerabilem* 34. ✠ de electione & Electi potestate.

OBSERVATIO.

Divisio in Imperio sub Philippo & Othone anno 1197.

ANNO 1197. defuncto Henrico VI. Imperatore, divisio contigit in Imperio Romano.

Plures enim Principes Germaniæ in Imperatorem elegerunt Philippum Ducem Sueviæ (*a*) fratrem defuncti Henrici Imperatoris: qui fecit se inungi & coronari „ non Aquisgrani, sed Moguntiæ; nec a Coloniensi „ Archiepiscopo, sed a Tarantasiensi, quia nullus Ar„ chiepiscoporum Teutoniæ id facere attentavit. Co„ loniensis autem Archiepiscopus, & quidam alii Prin„ cipes, tam Ecclesiastici, quam sæculares, videntes se „ in electione Philippi fuisse contemptos, vocaverunt „ Othonem filium quondam Henrici Ducis Saxoniæ, „ Comitem, & apud Coloniam elegerunt in Regem Ro„ manorum, eumdem Coloniensis Archiepiscopus coro„ navit solemniter Aquisgranis „: uti scribit Auctor coævus gestorum Innocentii III. *n.* 22. additque: & sic *facta est divisio in Imperio longo tempore duratura.*

Philippo favebat Philippus Augustus Rex Galliæ, ac tota pene Germania; Othoni vero adhærebat, partesque ejus fovebat Richardus Rex Angliæ cum nonnullis Principibus Imperii.

Innocentius initio neutri videtur adhærere.

Pontifex autem Innocentius III. sub initium hujus dissidii, se quasi *indifferentem* exhibere voluit; tanquam qui de *Jure dissidentium* cognoscere & judicare aliquando se debere existimaret, casu quo Principes Imperii inter se convenire, & negotium componere non possent; uti patet ex *Epistola* 1. & 2. *Regesti* Innocentii III. quod post Librum quintum Epistolarum publicavit Stephanus Baluzius, quo in Regesto continentur omnes Litteræ, quæ in hoc negotio ab Innocentio ad Principes & Reges; & ab his ad ipsum datæ sunt, ut supra diximus in Dissert. procemiali, §. 2.

Hujus causæ decisionem declarat ad se pertinere.

In his itaque Litteris id duntaxat hortatur, ut Principes ad concordiam adducuntur: ita „ tamen, ut sibi „ afferat auctoritatem in casum perseverantis discordiæ „ de *Jure Dissidentium* judicandi, & plenarie ac ultimate „ controversiam super Jure ad Imperium decidendi „.

Hinc & in citata *Epistola*, injungit Archiepiscopo Moguntino, ut omnibus sibi subjectis, per litteras suas districte præcipiat, *ut eum, cujus nominatio per Sedem fuerit Apostolicam approbata, in Regem recipiant, & partem ejus potenter foveant & viriliter tueantur.*

Et in citata *Epistola* 2. inscripta Universis, tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus Principibus Alemaniæ, conqueritur, quod in hac Imperii scissura ad ipsius non recurrerint auxilium; *ut per nos* (ait) *ad quos ipsum negotium* principaliter & finaliter *noscitur pertinere, vestro studio mediante, tanta dissensio sopiretur.*

Litteræ Othonis ad Innocentium.

Otho, qui fautoribus & viribus Philippo erat multum inferior, litteras plenas submissione ad Innocentium dedit: exponens quomodo mox, ut fuit in Regem Romanorum electus se gessisset: juramento (ait) firmavi„ mus quod possessiones & Jura Romanæ Ecclesiæ, alia„ rumque Ecclesiarum Imperii firma & illibata serva„ bimus, & quod consuetudinem illam detestabilem, qua „ Episcoporum, Abbatum, Principum de hac vita mi„ grantium bona tempore mortis relicta, quidam nostri „ Antecessores, hactenus occupabant, omnino imposte„ rum dimittemus, & de beneficentia nostra Principi„ bus Ecclesiasticis in perpetuum relaxamus „.

Dein cum instantia supplicat, ut attentis suis parentum suorum *meritis* in Ecclesiam *Romanam* & Philippi demeritis: *Nos* (inquit) *Regiam dignitatem adeptos ad Imperii* consecrationem *vocare dignemini.*

Litteræ Regis Angliæ pro Othone ad eumdem.

Similes litteras in favorem Othonis scripsere Rex Angliæ & diversi Principes Othoni faventes; tum in particulare, tum in communi, quibus totam electionis seriem, omniaque, quæ Othonis jus firmare videbantur, exponunt; quæ litteræ consignantur *num.* 10. in citato Regesto de negotio Imperii.

Responsoriæ Innocentii.

His nihilominus litteris, tantum terminis generalibus hactenus respondebat Pontifex; „ ad honorem (inquit) „ & profectum ipsius (Othonis) libenter & efficaciter, „ *quantum cum Deo* poterimus intendemus „.

Scripserunt & ad Pontificem Principes Ecclesiastici & Sæculares, qui partes Philippi Ducis Sueviæ tuebantur, exponentes, quod mortuo Henrico, collecta multitudine Principum in Imperatorem Romani soli rite & solemniter elegerint Philippum, quo (ajunt) nec inge„ nuitate sublimiorem, nec bonorum luce magis conspi„ cuum, neque ad sceptra & regimina sacri Imperii gu„ bernacula, nec ad Ecclesiam Dei, sicut dignum est & „ expedit, defensandam, potiorem potuimus invenire „.

Litteræ Principum adhærentium Philippo ad Pontificem.

Concludentes autem hoc unum rogant Pontificem, ut ad *Jura Romani Imperii manum cum* injuria *nullatenus* extendat.

Hoc scribebant, quia notum eis erat, Pontificem in Othonem magis quam in Philippum inclinare, uti & eventus docuit.

Ulterius rogant, ut „ Philippo favorem suum & be„ nevolentiam fructuosius impendat, & ejus honores „ ac commoda ita, ubi possit, erigere dignetur cum „ effectu, ut justitiæ non dominetur iniquitas, sed sub„ datur semper falsitas veritati „.

Denique significant Pontifici, quod, omnibus viribus, quibus possunt „ Romam *in brevi* cum ipso Do„ mino Philippo, Divinitate propitia, venient pro Impera„ toriæ coronationis dignitate ipsi sublimiter obtinenda „.

Responsoriæ Innocentii.

His litteris querulis & minacibus respondit Innocentius in primis „ se jam audivisse & merita Electorum, „ videlicet, quis & qualis, a quibus & qualiter sit ele„ ctus, ubi & a quo etiam coronatus, ut *non penitus* „ (inquit) *ignoremus, si cui favor sit Apostolicus impen*„ *dendus* „.

Ad querelam de violandis juribus Imperii respondit, quod nunquam intenderit, nec intendat jura Imperii violare; „ atque utinam (ait) ita nobis Ecclesiæ jura „ servata fuissent illæsa, sicut nos Imperii volumus il„ libata jura servari: quia sic jura nostra & recupera„ re & servare volumus, ut aliena nec invadere nec „ impedire velimus „.

Denique scribit, quod eum libenter in Imperatorem recipiet, quem legitime in Regem electum „ & coro„ natum intelliget „: *Cum* (ait) *Imperialis corona sit a* Romano Pontifice *concedenda, eo rite prius electo in Principem, & prius in Principem legitime coronato.* Epist. 15.

Philippus mittit Oratores suos cum litteris ad Innocentium, quibus hic responder decisionem ad se pertinere.

Interim & Philippus Oratores suos cum litteris ad Innocentium destinavit, qui ipsum de præsenti negotii statu informarent, quibus in Consistorio respondit, quod „ „ ad Apostolicam Sedem jam pridem fuerat recurren„ dum, ad quam negotium istud *principaliter* & *finaliter* „ dignoscitur pertinere; *principaliter* quia ipsa transtulit „ Imperium ab Oriente in Occidentem; *finaliter*, quia „ ipsa concedit coronam imperii „. Optat itaque, ut „ inspiret sibi Omnipotens Deus honestum consilium, & revelet beneplacitum suum, quatenus in hoc negotio ad „ honorem ipsius, ad utilitatem Ecclesiæ, & salutem „ Imperii procedat „. Habetur hæc responsio sub *n.* 18.

Plures Litteras admodum obsequiosas in Sedem Apostolicam circa idem tempus ad Innocentium dederunt Otho & Principes ei confederati.

Hisce rursus per litteras respondit Pontifex, in quibus utriusque electi jura, sive fundamenta paucis exponit, ac mala, quæ divisio hæc secum trahit enumerat.

Archiepiscopi Moguntini compromissio.

Dum autem hæc aguntur, Archiepiscopus Moguntinus habito conventu inter Andernacum & Confluentiam, compromiserat in quosdam Principes, tam Ecclesiasticos, quam etiam Seculares, ut quod illi decrevissent in hoc Imperii negotio, ab omnibus deberet observari.

Ægerrime fertur ab Innocentio.

Simile compromissum sine suo consensu & notitia initium ægerrime tulit Innocentius; ut patet ex *Epist.* 22. ad Archiepiscopum Moguntinum; veritus sane ne dissidium hoc ulterius quam Sedis Apostolicæ judicio terminaretur.

Qui se declarat pro Othone.

Quapropter Pontifex, qui hactenus se pro neutro contendentium aperte ac palam declarare noluerat, consultius putavit silentium abrumpere.

Itaque habita deliberatione, atque juribus & meritis contendentium utrimque libratis, Othonis jus potius esse declarat. Distulit tamen adhuc ipsum Imperatorem proclamare, sed exhortandos credidit Principes Germaniæ, ut concorditer & pacifice in Othonem conveniret; eumque, repudiato Philippo, unicum legitimum electum Regem Romanorum agnoscerent.

Hunc in finem suos in Germaniam Legatus misit; scilicet Cardinalem Episcopum Prænestinum, & Philippum Notarium suum, ut Principes & contendentes ad concordiam adducerent.

Cum autem hi Legati Principes Germaniæ inducere non possent, ut Othonem ut legitime electum recognoscerent, tandem Prænestinus, auctoritate Pontificis, Othonem legitime electum proclamavit.

Principum Philippo adhærentium querelæ.

Principes Philippo faventes turbati de hoc Cardinalis facto, litteras querelis plenas ad Papam dederunt, quibus inter cætera dicitur, Romanos Pontifices nunquam se electioni Romanorum Regum immiscuisse; nec consequenter, Innocentium se hic immiscere debuisse, præsertim cum nec Imperatores hodie se immisceant electioni Romani Pontificis, tametsi de jure id ipsis competat.

Ubi-

(a) Pater Barre in sua Alemaniæ Historia Gallico idiomate conscripta *tom.* 5. *p.* 501. hæc habet: *Philippe de Suabe Duc d'Alsace, &c.* Novam hanc Historiam de divisione Imperii, quæ tempore Philippi & Othonis contigit, legere superfluum non erit.

„ Ubinam (inquiunt) legistis, o summi Pontifices, „ ubi audistis, sancti Patres, totius Ecclesiæ Cardinales, „ Antecessores vestros, vel eorum Missos Romanorum „ Regum se electionibus immiscuisse, sic ut vel electorum personam gererent, vel ut Cognitores electionis „ vires trutinarent. Respondendi instantiam vos cre„ dimus non habere. In Romanorum enim electione „ Pontificum hoc erat Imperiali Diademati reserva„ tum, ut eam, Romanorum Imperatorum auctoritate „ non accommodata ullatenus fieri non liceret. Impe„ rialis vero munificentia, quæ cultum Dei semper am„ pliare studuit, & ejus Ecclesiam privilegiorum spe„ cialitate decorare curavit, hunc honoris titulum „ Dei Ecclesiæ reverenter remisit „.

Post hæc concludunt: „ si Laicalis simplicitas bo„ num, quod de jure habuit, reverenter contempsit, „ Sanctitas Pontificalis ad bonum, quod nunquam ha„ buit, quomodo manum ponit? „

Præsens Decretalis decisiva dissidii.

Pontifex; ut auctoritatem Sedis Apostolicæ in decidenda hac controversia, super jure Imperii firmaret, nec non decisionis per Legatum suum pronuntiatæ justitiam persuaderet, atque una permoveret Principes, ut judicio Sedis Apostolicæ se submitterent, & Othonem Imperatorem agnoscerent, varias Litteras scripsit; atque inter cæteras ad Ducem Zaringiæ, quibus totam rei gestæ seriem, & rationes, quibus inductus erat ad rejiciendum Philippum & recipiendum Othonem, fuse deducit.

Hæc est Epistola, quæ primum in tertiam Collectionem Decretalium apud Antonium Augustinum relata; dein in parte aliqua recisa in Decretales Gregorii translata, facit famosam illam Decretalem, quæ incipit *Venerabilem*, in *cap. 34. ⅹ de Elect.* cujus genuinus intellectus ex hac historia hauriri debet.

Missa ad Ducem Zaringiæ.

Hanc Decretalem misit Innocentius ad Bertholdum seu Luitpoldum Ducem Zaringiæ, quem in conventiculo Coloniensi a quibusdam Germaniæ Principibus in Regem Romanorum electum fuisse scribit Abbas Urspergensis in Chronico.

At cum ipse Philippo postmodum in Regem electo resistere non posset; & diffidere cœpisset de expensis ad obtinendum Imperium necessariis, rediit ad gratiam Philippi; accepitque ab eo Beneficia, quæ sibi conferre curavit, uti narrat idem Abbas.

…tis a Philippo receceret ad partes Othonis.

Misit autem hanc Decretalem Innocentius, ut hunc Ducem a Philippo ad partes Othonis attraheret, quare & rationes contra Philippum, & pro Othone militantes singulatim exponit.

…n hac Decretali, …rimo refertur objectio Principum adhærentium …ilippo.

Primo itaque exponit Pontifex, quod Nuntios Principum Germaniæ *benigne* receperit, *& eis benevolam* duxerit *audientiam indulgendam*; quodque litteras eorumdem Principum per hos Nuntios sibi traditas *diligenter perlegi* fecerit: *& quæ in eis continebantur*, notaverit *universa*; uti habetur integra Decretali, ubi & nomina dictorum Nuntiorum exprimuntur.

Epistola Principum, de qua hic (& e qua nonnulla supra retulimus) habetur in sæpius citato Regesto Innocenti III. de negotio Imperii *num.* 61. atque inter Principes, quorum nomine scribitur, numeratur hic Dux Zaringiæ.

In hac ad Pontificem Epistola conquesti fuerant Principes de Episcopo Prænestino Sedis Apostolicæ Legato, quod *Othonem* proclamasset Regem Romanorum electum, *quia* (inquiebant) *aut Electoris gessit, aut Cognitoris personam, si* Electoris, *in messem alienam miserat falcem suam, & electioni se ingerens, Principum derogaverat dignitati; si* Cognitoris, *absente altera partium, videtur perperam processisse, cum citata non fuerit, & ideo non debuit contumax judicari.*

Innocen…us respondet, …mperium Romanum Sede Apostolica Carolum Magnum …nsla…m.

Priusquam huic Principum objectioni respondeat Innocentius, protestatur, *sicut justitiam nostram nolumus ab aliis usurpari, sic jus Principum nolumus nobis vendicare*; uti legitur in integra.

Post hæc subjungit: *illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum recognoscimus, ut debemus, ad quos de jure ac antiqua consuetudine. noscitur pertinere. Præsertim* (ait) *cum ad eos jus potestas hujusmodi ab Apostolica Sede pervenerit, quæ Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli a Græcis transtulit in Germanos.*

…id sit de …c translatione.

Quod hoc dixit Innocentius de translatione Imperii *a Græcis ad Germanos in personam Caroli*, etiam asseritur in *Clementina unica de Jurejurando*; sed difficultate non caret.

Constat quidem, quod anno 800. Carolus Magnus Rex Francorum Romam quarta vice profectus sit, ut Leoni III. de variis criminibus accusato, succurreret; ibidemque in natali Domini coronatus sit in Imperatorem ab ipso Leone: constatque plures scripsisse, per hoc Leonis factum translatum a Græcis ad Francos Imperium; ipseque Innocentius in hac Decretali indubie ad hoc Leonis factum respexit.

Verum si vox *translatio* proprie sumatur, non potest dici a Leone III. *translatum* esse Imperium a Græcis ad Francos vel Germanos, cum Imperio spoliati Principes Græci non sint, nec ullas eis Provincias aut Urbes Leo Pontifex abstulerit, aut *Carolo Magno* contulerit; sed iisdem potiti sunt ditionibus cum in Oriente, tum in Occidente, post *Caroli Magni* inaugurationem, quas possidebant, antequam Imperator salutaretur; nec ex Imperatoris titulo auctæ fuerunt *Caroli Magni* ditiones, aut ei major in populos, quibus ante præerat, accessit auctoritas. (*a*)

Hæc pluribus ostendit Natalis Alexander *Dissert.* 1. *in Hist, seculi IX.* una demonstrans, Carolum Magnum, Imperiale nomen ac dignitatem, & Imperialia insignia accepisse, idque potissimum auctoritate Leonis III. qui ipsum coronavit: & quod hic Pontifex Romanus auctor fuerit, ut ipsum Imperatorem salutarent; quod his verbis describit Anastasius Bibliothecarius in vita Leonis III.: post „ adveniente Natali Domini nostri Jesu„ Christi, in jam dicta Basilica beati Petri Apostoli „ omnes iterum congregati sunt; & tunc Venerabilis „ Almificus Pontifex manibus suis propriis pretiosissima „ corona coronavit eum. Tunc universi Fideles Ro„ mani videntes tantam defensionem & dilectionem, „ quam erga sanctam Romanam Ecclesiam, & ejus Vi„ carium habuit, unanimiter altisona voce, Dei nutu, „ atque beati Petri Clavigeri Regni Cœlorum exclama„ runt, *Carolo piissimo, Augusto, a Deo coronato, Ma„ gno, pacifico Imperatori vita & victoria*: Ante sa„ cram Confessionem beati Petri Apostoli plures San„ ctos invocantes; ter dictum est: & ab omnibus „ constitutus est Imperator Romanorum. Illico sanctis„ simus Pontifex unxit oleo sancto Carolum & Excellen„ tissimum filium ejus Regem „.

Verum nullæ novæ Provinciæ, neque jus novum in aliquas ditiones hac coronatione in Carolum translatæ sunt; sed *solus titulus* Imperatoris, sive dignitas seu titulus Christianæ Reipublice ac Ecclesiæ universæ, ac præsertim Romanæ *Tutoris* ac Defensoris ipsis datus fuit. Atque hoc Officium, cui tum deerant Imperatores Orientis, Populus Romanus, ipseque maxime Romanus Pontifex, alteri demandare quidni poterat?

Ulterius * præmittit Pontifex in hac Epistola seu Decretali, quod *Principes recognoscere* debeant, & *in sua præsentia* recognoverint, *quod jus & auctoritas examinandi personam electam in Regem; & promovendam ad Imperium ad* ipsum Pontificem spectet, qui (ait) *eum inungimus, consecramus, & coronamus.*

* Ex inunctione & coronatione argumentum sumit Innocentius

Rationem consequentiæ subjungit: *Est enim regulariter & generaliter observatum, ut ad eum* examinatio *personæ pertineat, ad quem* impositio manus *spectat.*

Numquid enim (pergit) *si Principes non solum in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcumque, vel excommunicatum in Regem, tyrannum, vel fatuum, hæreticum eligerent, aut paganum: nos inungere, consecrare, ac coronare hominem hujusmodi deberemus? absit omnino.*

Hoc argumento frequenter in hoc negotio usus fuit Innocentius, ut sibi jus decidendi controversiam hanc, & judicandi de persona ad Imperium promovenda asserat.

Verum Principes Philippo adhærentes, jus illud Sedi Apostolicæ competere negabant.

Et sane licet Reges ungantur & coronentur a quibusdam Episcopis, puta Rex Franciæ a Rhemensi, nemo tamen dixerit simile jus examinandi ad Episcopos spectare.

Neque in hac cæremonia, sacra illa manus impositio, cujus meminit Apostolus, & quam nec facile nec leviter fieri debere monet, intervenit; ut nullum plane sit argumentum a Pontifice ex his Apostoli verbis desumptum & applicatum.

Respondet objectioni supradictæ Principum.

His præmissis, quibus sufficienter firmatum supponebat Pontifex sibi assertum jus examinandi personam electam in Regem Romanorum, & per consequens jus *rejiciendi indignum*, & *recipiendi dignum*, respondet supra propositæ *Principum objectioni*, scilicet Legatum suum *approbando Regem* (scilicet Othonem) *& reprobando Ducem* (scilicet Philippum Ducem Sueviæ) *nec Electoris nec Cognitoris* personam gessisse; sed exercuisse *Denuntiatoris officium, quia* (ait) *personam Ducis ejusdem* indignam *& personam Regis denuntiavit* idoneam, *quoad Imperium obtinendum, non tam propter studia Eligentium, quam propter merita Electorum.*

Exponit vitia Philippi, quæ eum ad Imperium redderent inhabilem. 1. *Excommunicationem.*

Consequenter exponit vitia, quibus personam Philippi inidoneam ad Imperium reddi, atque electionem ejus irritam, autem saltem rejiciendam esse existimabat.

Primum erat *excommunicatio*, qua tempore electionis tenebatur. Dicebatur enim a Prædecessore Innocentii III. nimirum Cælestino III. *excommunicationis vinculo innodatus*, idque „ dum esset Dux Tusciæ, propter invasio„ nem & devastationem Apostolici patrimonii „ ut scribitur in gestis Innocentii III.

Dicit autem Pontifex, *quod* ita esse *postmodum recognovit, dum per Nuntium suum* ab ipso Prædecessore nostro *absolutionis Beneficium postulavit*, „ & postmo„ dum a tunc Sutrino Episcopo, quem cum Abbate san„ cti Anastasii pro liberatione venerabilis fratris nostri „ Salernitani Archiepiscopi nos in Teutoniam misera„ mus; contra formam mandati nostri de facto solummo„ do, quia de jure non potuit, post suam electionem apud „ VVormatiam occulte se fecit absolvi „.

Hæc

(a) Legatur hac de re Dissertatio Gallico idiomate a P. Barre conscripta. Extat in extremo volumine tertio Germaniæ Historiæ, quam idem Auctor elaboravit.

Hæc ex integra Epistola prout habetur in Regesto de regestio Imperii *num.* 62.

Dein infert Pontifex : *Unde patet quod ipse fuit excommunicatus electus.*

A qua illegitime fuisse per Legatum Pontificis absolutus.

Fuerat quidem, ut supra insinuavit, a Sutrino Episcopo Sedis Apostolicæ Legato ab excommunicatione absolutus, sed *post electionem*, & contra *formam mandati* : quare in integra Decretali verbis jam relatis subjungitur : *Et videtur non immerito quod adhuc sit ex eadem excommunicationis sententia innodatus, cum præfatus Episcopus eum sua auctoritate non posset absolvere, auctoritate vero nostræ delegationis, nec plus nec aliter liceret hoc ipsi, quam ei fuerat ab Apostolica Sede concessum.*

Hujus delegationis in persona Episcopi Sutrini meminit auctor gestorum Innocentii III. *num.* 22. asseritque ei factam auctoritatem absolvendi Philippum hac inter cæteras conditione. *Recepto secundum formam Ecclesiæ juramento, quod super omnibus, pro quibus excommunicatus fuerat, mandatis Apostolicis obediret.*

Addit autem idem Auctor, quod Philippus *Germaniam accedens, de facto se fecerit absolvi, non publice sed occulte, nec præstito juramento secundum formam Ecclesiæ, sed promissione facta per Epistolam.*

Quia ergo *non præstito juramento secundum formam Ecclesiæ*, uti præscripserat Pontifex, eum Sutrinus Episcopus absolverat, dicit hic Innocentius, Episcopum Sutrinum in hac absolutione fines mandatis seu delegationis excessisse. *Unde* (*ait idem Auctor*) *cum ad summi Pontificis præsentiam rediisset Episcopus Sutrinus, veritate per propriam confessionem comperta, tum de* forma *neglecta, tum de præsumptione commissa, fecit eum extra suum Episcopatum usque ad finem vitæ manere.* Quin & scribit Abbas Urspergensis, quod dictum Episcopum ob hunc excessum *privatum Episcopatu relegaverit in quamdam insulam maris, quodam Monasterio districto : ubi ille feliciter vitam finivit.*

Dicit præterea Innocentius in integra Decretali ; *ex eo etiam* capite, *excommunicationis sententiæ* Philippus *subjacere creditur manifeste*, quod cuidam perfido Marcualdo *excommunicato non solum* communicet, *sed eum in malitia sua* foveat, *quamvis* Marcualdum esse excommunicatum, *non tantum ex relatione ipsius Judicis, sed etiam per publicam famam ad notitiam ejus devenerit.*

Tota series rei gestæ per hunc Marcualdum, & eorum, quæ Pontifex in hoc negotio gessit, late describitur ab Auctore Gestorum Innocentii III. n. 23. & 24.

2. Perjurium, quod nempe fregisset fidem juratam Frederico nepoti suo tamquam Regi Romanorum.

Secundum vitium Philippo objectum est *perjurium manifestum*, sive quod *contra proprium juramentum, super quo nec consilium a Sede Apostolica requisivit, ambitionis vitio regnum sibi usurpare præsumpsit, cum super illo juramento prius Romana Ecclesia consuli debuisset.*

Indubitatum est, Innocentium hic reflectere ad juramentum, quo Friderico filio Henrici VI. adhuc in cunis vagienti fidelitatem tamquam Regi Romanorum promiserant Principes Imperii, ac nominatim ipse Philippus, uti narrat Abbas Urspergensis. *His etiam temporibus* (*ait*) *procurante Imperatore* (*Henrico VII.*) *factum est, ut Principes Alemaniæ pene omnes filium* parvulum *ipsius adhuc in* cunis *vagientem*, assumerent *in Regem, & ei fidelitatem* jurarent, *& litteras de hoc facto cum sigillis suis transmitterent Imperatori.*

Et in gestis Innocentii III. *num.* 19. annotatur, quod *Henricus Imperator effecerit apud Principes, ut filium suum Fridericum* infantem, *nondum duorum annorum, necdum etiam baptizatum in Regem Romanorum eligerent, eique fidelitatis* juramenta *præstarent, inter quos* (*ait*) *præfatus* Philippus fidelitatis *ei præstitit juramentum.*

Huic ergo *Juramento* contravenisse Philippum, ac eo titulo incurrisse *perjurium manifestum* prætendit Pontifex.

Innocentius videtur in hoc articulo sibi ipsi contrarius.

Verum hanc electionem Friderici nullam fuisse, neque *Sacramento* huic Principes fuisse adstrictos post mortem Henrici, multis contendit ipse Innocentius in acta deliberationis super hoc negotio Imperii, deciditque quod *liceat, deceat, & expediat venire contra electionem ipsius* Friderici. Solvitque quod de Gabaonitis hic sibi objicit, dicens, quod *juramentum præstitum Gabaonitis potuerit sine Israelitici populi læsione servari : hæc autem servari nequeant absque gravi jactura, non unius gentis, sed Ecclesiæ damno, & dispendio populi Christiani.* Hebentur acta deliberationis in sæpius citato Regesto Innocentii III. de negotio Imperii *num.* 29.

Quare si ibidem per Innocentium adducta conferantur cum hac contra Philippum objectione, & *perjurii manifesti* improperatione, non sine fundamento videntur plures coævi Historici notasse, Pontificem in hoc negotio non fuisse omnino indifferentem, sed plus æquo adversatum Philippo.

Scribit inter alios Abbas Urspergensis, quod mox Philippo electo : *Innocentius Papa tertius tunc de novo in Sede Apostolica sublimatus*, omni studio *cœperit adversari eidem.* Similia habet Rigordus de Gestis Philippi Augusti.

3. Quod Philippus Ecclesiam Romanam persecutus esset.

Tertio contra personam Philippi objicit, ut habetur in integra Decretali, *quod ipse de genere Persecutorum exstat*, enumerans patris ipsius Friderici I. & fratris Henrici VI. persecutiones in Ecclesiam Romanam, & personas Ecclesiasticas.

Hujus objectionis meminit Abbas Urspergensis : cum enim verbis supra relatis dixisset, quod Innocentius de novo in Sede Apostolica sublimatus cœperit Philippo adversari, subjungit : Hoc „ agens ut ipsum impediret, „ ne ad sublimitatem culminis Imperialis posset ascen„ dere, improperans ei, quæ frater suus & parentes cru„ deliter peregerant, quæ tamen multa nequitia homi„ num impulsi creduntur peregisse, in quo, salva reve„ rentia Sedis Apostolicæ, non videtur secundum æqui„ tatem judicasse, cum Dominus testetur per Prophe„ tam, *quod nec peccata parentum filiis imputentur*, „ quanto minus peccata fratrum aut aliorum propin„ quorum „.

Et Rigordus de Gestis Philippi Augusti notat, quod *ob tyrannidem*, quam Henricus VI. & ejus Prædecessores contra Ecclesiam Romanam, & contra Archiepiscopos & Episcopos exercuerant „ Innocentius Tertius „ in promotione Philippi fratris Henrici adversarius „ fuerit, & omnes fautores ejus excommunicaverit, „ & Othoni filio Ducis Saxoniæ viriliter adhæserit, „ & Aquisgranis in Regem Germaniæ coronari fecerit „.

4. Quod Philippo ad Imperium promoto illud hæreditarium videretur.

Quarto contra Philippum movet, quod per ejus ad Imperium promotionem *libertas* electionis Principibus Germaniæ quodammodo *tolleretur*, & Imperium tandem videretur fieri hæreditarium : *nam si* (ait) *prout olim frater* (Henricus VI.) *dicti Ducis patri eorum* (Friderico I.) *si Dux ipse fratri suo succederet, videretur Imperium non ex electione, sed ex successione deberi : & in præjudicium Principum redundaret, si non nisi de Domo Ducis prædicti videretur aliquis ad Imperium assumendus.*

Hanc objectionem non fuisse concludentem ad excludendum Philippum, evincit Friderici II. non fratris duntaxat, sed filii Imperatoris defuncti Henrici VI. ad Imperium, ipso approbante Innocentio, facta promotio anno 1211. scilicet post ipsum Othonem ab Imperio depositum.

Hæc erant puncta personalia, quæ Philippi personæ objiciebantur ; & ob quæ Innocentius judicabat, Othonem ei esse præferendum in Imperio.

Innocentius prætendit eum non fuisse rite coronatum aut inunctum.

Additur & in integra Decretali, quod *Dux* (Philippus) *nec ubi debuit, nec a quo debuit, coronam & unctionem accepit ; memoratus vero Rex* (Otho) *& ubi debuit, videlicet Aquisgranis ; & a quo debuit, scilicet a venerabili fratre nostro Coloniensi Archiepiscopo utrumque recepit.*

Coronatus nimirum fuerat Philippus, non Aquisgranis, sed Moguntiæ ; nec a Coloniensi Archiepiscopo, sed a Tarantasiensi, ut habent Gesta Innocentii III. *n.* 22. & supra notatum fuit.

Verum num hæc inversio loci & personæ inungentis & coronantis eam cæremoniam irritam faceret, vel propterea electio, & jus ipsius Philippi ad Imperium enervata essent, merito dubitari poterat.

In plerisque enim Regnis mos obtinet, ut certæ alicui Ecclesiæ jus consecrandi Regem competat ; & ita in Gallia jus hoc sibi vendicat Rhemensis Ecclesia, sed tamen id non impedit, quin nonnunquam alibi, & ab alio quam Rhemensi Archiepiscopo se consecrari fecerint Reges Galliæ : idque docte defendit contra Rhemensem Archiepiscopum S. Ivo Carnutensis in coronatione Ludovici Grossi, qui a Damberto Senonensi Archiepiscopo, & ejus Suffraganeis, Aurelianis ante Altare sanctæ Crucis unctus & coronatus est. Tractatus Ivonis extat inter ejus Epistolas *num.* 189. cui jungenda *Epist.* 13. cum notis.

Adhæc, quidni postmodum hæc cæremonia suppleri poterat, uti ea suppleta notatur in iisdem gestis Innocentii III. quod „ Adulphus Coloniensis Archiepisco„ pus cum Rege (Philippo) reconciliatus secum venit „ Aquisgrani, & ipsum coronavit in Regem „.

Item divisis suffragiis alteri parti se favere posse.

Voluit autem & Innocentius exemplo Prædecessorum ostendere, quod cum in electione vota Principum dividuntur, post admonitionem & expectationem, alteri parti favere possit. *Sciunt Principes* (inquit in præsenti Decretali) *quod cum Lotharius & Conradus in discordia fuissent electi, Romanus Pontifex Lotharium coronavit, & Imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demum ad ejus gratiam redeunte.*

Verum, si fides Historicis, non Pontificia decisione Imperium obtinuit Lotharius, sed si S. Bernardo Claravallensi conciliatori credimus, Conradus juri suo cessit, & post mortem Lotharii Imperator electus & coronatus fuit, uti habet Molinæus hic (*a*).

Absolvit Ducem Zaringiæ a vinculo juramenti fidelitatis Philippo forsan præstiti.

Ex his omnibus conclusit Innocentius, a Philippo esse recedendum, & Othoni adhærendum ; ipsumque Ducem Zaringiæ in hac Decretali monet & exhortatur *in Domino, & per Apostolica scripta* mandat, *quatenus sicut de gratia nostra confidis, & nos de tua devotione speramus* (inquit) *de cætero a præfato Duce Philippo recedas omnino, non obstante juramento, si quod ei ratione Regni feci-*

(*a*) Hoc factum narratum est a P. Barre in Gallica Alemaniæ Historia Tom. IV.

feciſti; cum eo quantum ad obtinendum Imperium reprobato, juramentum hujuſmodi non debeat obſervari. Ita legitur in Epiſtola inſerta citato Regeſto *de negotio Imperii*, cujus hæc Decretalis fragmentum eſt, & e qua ſenſus Decretalis plurimum lucis accipit, ut ex dictis patet.

Promiſſiones Othonis Pontifici factæ.

Cæterum ex tota hujus Hiſtoriæ ſerie manifeſtum eſt, Innocentium Othoni impenſe faviſſe, tamquam qui jura Sedis Apoſtolicæ impenſius defenderet.

Et ſane legitur, quod Otho *juraverit*, jura & honores, & omnes poſſeſſiones Romanæ Eccleſiæ, pro poſſe, protegere. Secundo poſſeſſiones, quas Romana Eccleſia recuperavit, liberas & quietas ipſi dimittet; & „ quas „ nondum recuperavit, adjutor erit ad recuperandum „.

„ Ad has autem (ait Otho) pertinet tota terra, „ quæ eſt a Radicofano uſque Ceperanum, Exarchatus „ Ravennæ, Pentapolis, Marchia, Ducatus Spoletanus, terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Brittenorii cum aliis adjacentibus terris expreſſis in multis privilegiis a tempore Lodovici II. „

Tertio ſe adjutorem futurum ad retinendum & defendendum Eccleſiæ Romanæ Regnum Siciliæ.

Quarto, quod *ipſi Innocentio, ejuſque Succeſſoribus omnem obedientiam & honorificentiam exhibebit, quam devoti & Catholici Imperatores conſueverunt Sedi Apoſtolicæ exhibere* „.

Quinto, quod „ ſtabit etiam ad conſilium & arbitrium Pontificis, de bonis conſuetudinibus populo „ Romano ſervandis & exhibendis, & de negotio Societatis Tuſciæ & Lombardiæ „.

Sexto „ quod „ Pontificis conſilio & mandato parebit de pace & concordia facienda inter ſe & Philippum Regem Francorum „.

Denique *ſi contingat propter ſuum negotium Eccleſiam Romanam oportere incurrere guerram, ſubveniet ei, ſicut neceſſitas poſtulaverit in expenſis.*

Hæc omnia aſſerit ſe firmaturum tam juramento quam ſcripto, cum Imperii coronam fuerit adeptus. Juramentum habetur in Regeſto *de negotio Imperii n.* 77.

Plures alias litteras ſcripſit Innocentius III. ad Principes, ſeu Sæculares, ſeu Eccleſiaſticos, quibus mandat, etiam comminatis cenſuris, ut Othonem Imperatorem agnoſcant, eique, abdicato Philippo, adhæreant.

Hæc ſat oſtendunt, Decretalem hanc ſeu Epiſtolam totam fuiſſe adornatam, ut Othoni faveretur contra Philippum.

Philippus Imperium retinet, & pontifici reconciliatur.

His nihil motus Philippus, ſe pro legitimo electo & coronato Imperatore gerebat; atque *in dies magis magiſque in Regno confortabatur*; uti ſcribit Abbas Urſpergenſis.

Interim, uti idem Auctor ſubdit, jam Principes bellis fatigati, decreverunt ad concordiam inter ſe Reges revocare. Spem concordiæ augebat, quod, cum „ jam pars Othonis valde eſſet infirmata, facile ad „ recognoſcendum Philippum induceretur Pontifex, „ qui maximum hujus rei impedimentum fuit „.

Itaque Legatos mittunt ad Pontificem, a quibus induceretur Papa, *ut velit permittere quatenus* regnet Philippus.

Scripſit & ad Pontificem Philippus, ut ſuum agendi modum juſtificaret, cumque inter omnia ipſius perſonæ objecta, plus veriſimilitudinis videretur habere perjurium, ſive violatio juramenti, quo Philippus fratri ſuo Henrico VI. ſe obſtrinxerat de promovendo ejus filio Frederico in Regem Romanorum; idcirco in his ad Pontificem litteris, præcipue ſe ſuper hoc puncto juſtificare nititur, aſſerens ſe totis viribus allaboraſſe, ut Fridericus ille adhuc *infans* in Imperatorem eligeretur; ſed nullatenus Principes ad hoc induci potuiſſe: ſe nunquam Imperium ambiviſſe, immo quadam violentia & neceſſitate coactum illud ſuſcepiſſe. Summam quoque in Sedem Apoſtolicam ſubmiſſionem oſtendit, animumque ad pacem promptiſſimum, ac denique aſſerit certum eſſe, quod nunquam a Prædeceſſore ſuo fuerit *excommunicatus*, concludens: *Utinam apud Eccleſiam triumphantem ab omni vinculo ſecretæ excommunicationis ſciremus ſolutos, ſicut apud Eccleſiam militantem, cujus nos membrum eſſe confidimus, vere ſcimus nos nullo modo unquam manifeſte fuiſſe ligatos. In Regeſto de negotio Imperii, num.* 136.

Pontifex, receptis his Litteris, & attenta Othonis deliberatione, ſerio de pace ſancienda cogitare cœpit: atque eum in finem paulo poſt mittuntur Legati Sedis Apoſtolicæ in Alemaniam ad confirmandam pacem, videlicet Dominus Hugolinus Hoſtienſis, & Velletenſis Epiſcopus, & Dominus Leo tituli Sanctæ Crucis in Jeruſalem, Diaconus Cardinalis, ut ſcribit Urſpergenſis, qui & notat, tandem pacem concluſam; atque Philippum recognitum Imperatorem, hac inter cæteras conditione, ut *Otho filiam Philippi accipiat uxorem: quæ tamen quarto gradu conſanguinitatis ſibi attinebat; fieretque diſpenſatio per Sedem Apoſtolicam pro bono pacis.*

Mors Philippi 22. Junii 1208.

Anno ſequenti 10. Kal. Julii Philippus proditorie occiditur a quodam Othone Palatino de Witelsbach, ut, narrat Urſpergenſis, & cum omnibus circumſtantiis deſcripſit Hugolinus in litteris ad Innocentium III. quæ extant in Regeſto *de negotio Imperii, num.* 152.

Mortuo Philippo, ac Innocentio III. allaborante, Otho Imperium obtinuit, ducta in uxorem Beatrice filia & hærede Philippi, Papa, pro bono pacis ſuper quarto conſanguinitatis gradu diſpenſante: atque ita ipſe Othpriu sSedi Apoſtolicæ præſtito fidelitatis & obedientiæ juramento (quod extat in dicto Rugeſto, *n.* 189) Romæ Imperator coronatur, anno 1250. uti referunt Urſpergenſis & Rigordus.

DECRETALIS

De diſcordia in electione Epiſcopi Moguntini. Cap. *Bonæ memoriæ* 23. ✠ de Elect. & Electi poteſt.

OBSERVATIO.

Occaſione Schiſmatis in Imperio ortum diſſidium in Eccleſia Moguntina.

OCCASIONE Schiſmatis in Imperio inter Philippum & Othonem, cujus Hiſtoriam in Obſervatione præcedenti retulimus, orta eſt & diſcordia in Eccleſia Moguntinenſi ſuper electione Epiſcopi, occaſione cujus diſcordiæ prodiit præſens Decretalis, quæ integra extat in *cap.* 8. in *tertia* Collectione Decretalium apud Antonium Auguſtinum, & *lib.* 5. *Epiſt.* 15. Innocentii III.

Adhærentes Philippo poſtulant Luipoldum Epiſcopum VVormatienſem in Archiepiſcopum Moguntinum.

Defuncto enim Conrado Epiſcopo Moguntino, Canonici Moguntini adhærentes Philippo communi ſuffragio elegerunt ſeu poſtulaverunt in Archiepiſcopum, Luipoldum Epiſcopum Wormatienſem; Præpoſitus autem ſancti Petri Moguntinenſis, cum duobus aut tribus aliis Canonicis faventibus Othoni, Moguntia recedentes, ſe tranſtulerunt in Oppidum *Bengen*, & quia *ſciebant Papam eſſe contrarium Philippo*, appellarunt Romam. Forma autem appellationis erat, *ne ſine ipſo ac ſociis ejus, Canonici Moguntiæ reſidentes haberent in electione proceſſum*; ut in hac Decretali exprimitur.

Alii Romam appellant, eliguntque Sifridum.

Hac appellatione non obſtante. Capituli maxima pars Moguntiæ reſidens, *unanimiter* poſtulavit dictum Luipoldum, & ſtatim, ne quid contra hanc poſtulationem attentaretur, & ipſi appellarunt. Wormatienſis autem fretus ope & auxilio *Philippi*, cui Moguntia patebat, quique Moguntiæ tunc erat, Moguntinam Sedem occupavit, & a Capitulo receptus, in ſpiritualibus & temporalibus adminiſtravit, ante admiſſam poſtulationem a Pontifice.

Hoc intelligentes Præpoſitus, eique ſociati duo treſve Canonici; ſupponentes ad ſe jus eligendi eſſe devolutum, quaſi reliqui *ſcienter indignum* elegiſſent, nimirum Luipoldum *Wormatienſi Eccleſiæ alligatum*, ipſum Præpoſitum Eccleſiæ Moguntinæ nomine Sifridum elegerunt.

Re Romam delata, atque utriuſque partis Procuratoribus *in Conſiſtorio Pontificis diligenter & ſufficienter auditis*; ut legitur in Epiſtola, Pontifex de conſilio Cardinalium negotium commiſit *Præneſtino Epiſcopo* Sedis Apoſtolicæ per Germaniam *Legato*.

Legatus Romanæ Sedis, Luipoldo rejecto, confirmat Sifridum.

Legatus negotio examinato, *poſtulationem factam de Wormatienſi caſſavit, & electionem Archiepiſcopi memorati (quamvis a pauciſſimis celebratam) curavit auctoritate Apoſtolica confirmare, ipſumque ordinavit in Presbyterum, & tandem in Archiepiſcopum conſecravit.*

Hic conſecratus Romam accedens, *ſuppliciter poſtulavit, ut pallium, videlicet inſigne Pontificalis officii* a Sede Apoſtolica acciperet, ut legitur in integra; ſubditurque ibidem, quod *quidam ſimplex nuntius ab adverſariis ejus ad Sedem Apoſtolicam deſtinatus, ex eorum parte apertas* ipſi Pontifici *cum ſigillo pendente litteras præſentavit, per quas iidem Canonici ſignificabant, quod prædictus Legatus pecunia corruptus iniquam ſententiam protuliſſet; addebant etiam, quod Moguntini cives pariter juraverunt, quod eum nunquam haberent Epiſcopum, & quod univerſi Clerici, paucis exceptis, ſuo favebat electo.*

Hæc Decretalis ratificat ſententiam Legati, primo propter translationem Luipoldi abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ.

Pontifex proceſſu ſui Legati examinato, ſententiam ejus confirmavit, ipſamque poſtulationem tribus potiſſimum ex cauſis caſſavit, ut in hac Decretali exprimitur.

Prima caſſationis cauſa erat, quod Electus a Capitulo adminiſtrationem in temporalibus & ſpiritualibus ſuſcepiſſet, antequam ejus poſtulatio a Sede Apoſtolica admiſſa, ejuſdemque Sedis auctoritate a VVormatienſi Eccleſia ad Moguntinam fuiſſet translatus.

Et quidem hoc factum præcipue urget Pontifex; dicens, quod injunxiſſet ſuo Legato, quod ſi verum reperiſſet, *poſtulationem factam de ipſo nuntiaret irritam, de gratia noſtra* (dicitur in integra Decretali) *concedens eidem, ut VVormatienſem ſibi Eccleſiam retineret. Nam de jure communi, quia præter auctoritatem noſtram tranſire præſumpſit, utraque erat ſpoliandus; ut ea careret, quam cupivit avare, & ea, quam ſuperbe deſpexit: quod ſi parere contemneret, utraque ipſum Eccleſia denuntiaret auctoritate noſtra privatum.*

Qua ratione Electores Luipoldi jure eligendi exciderint.

Immo & addit, quia Canonici Moguntini elegerunt *ſimpliciter* Epiſcopum VVormatienſem, ipſos ab eligendi poteſtate cecidiſſe, juſque eligendi ad paucos illos, qui Sifridum elegerant, fuiſſe devolutum, juxta Concilium Lateranenſe (ſub Alexandro III.) quo *ſtatutum* eſt, *de his qui quaſdam perſonas inhibitas eligunt, ut eligendi tunc poteſtate privatos, & ab Eccleſiaſticis Beneficiis triennio noverint ſe ſuſpenſos: illis* (ait) *pro longe majori delicto tamquam indignis ab electionis poteſtate cadentibus, penes eumdem* (ſcilicet Sifridem Præpoſitum Sancti Petri Moguntiæ) *ac ſocios ſuos tantum jus remanſerat eligendi; quare* (inquit) *ſi multo pauciores in ipſum, quam alium convenisſent, intelligendum eſt tamen,* quod

quod omnes, qui tunc eligere poterant, elegerunt eumdem.

Hæc in Decretali, adjiciturque in Epistolas, quod ipsos Canonicos præsumptionis arguerit Pontifex, quia „ virum Pastorali præditum dignitate, alteri Ecclesiæ „ *spirituali conjugio* copulatum, præter auctoritatem „ suam, contra formam Canonicam non solum elige„ re, sed recipere præsumpserunt „.

2. Quod electio non fuisset libera.

Secundo contra Canonicos electores Luipoldi Wormatiensis Episcopi objiciebatur, quod electio ob *præsentiam Regis Philippi* non fuisset *libera*: quodque Præpositus & simul duo vel tres Canonici metuentes vim sibi inferendam, recesserint; hocque est quod intellexerat Pontifex: injungendo suo Legato, ut *inquireret de ipsius electione Archiepiscopi* (Sifridi) *veritatem, & si ei de vi, quam ipse & sui metuebant, constaret ... electionem Archiepiscopi confirmaret.*

Hujus prætextus recedendi Moguntia allegati per tres Canonicos, meminit & Abbas Urspergensis; scribit enim quod Philippus Rex Moguntiam accesserit; atque ipso ibidem existente ab omnibus electus sit Wormatiensis Episcopus, exceptis *tribus* „ qui (ait) accepta „ occasione de *præsentia Regis*, allegabant non posse *li*„ *beram* fieri electionem. Verum ipse addit „; potius „ quia sciebant Papam contrarium esse Regi, appellan„ tes exierunt de civitate „.

3. Quod interposita appellatione electio facta esset.

Tertio contra electionem Wormatiensi faciebat, quod electio ejus facta esset post appellationem interpositam a Præposito, *ne Canonici Moguntiæ residentes sine ipso ac sociis suis haberent in electione processum*, ut legitur in integra. *Nec nocet* (ait) *quod posset ex altera parte replicari, quia nec ipse* (Præpositus Sifridus) *& socii sui debuerant procedere sine ipsis, quia ipsi appellationem ad* Nos *interpositam contemnendo, reddiderat se* indignos, *& abusi fuerant jure suo*, vel ut antea dixerat, *qui appellationi non* duxerint *deferendum, uti contra ipsum hac exceptione non poterant, quia frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem.*

Præmissis ita deductis dicit, *quod Adversarii Archiepiscopi* (Sifridi) *ex tribus causis prædictis, se usque adeo reddiderunt indignos, quod contra eum non debebant audiri.*

An ob indignitatem ... gentium jus electionis devolvatur ad Pontificem?

Denique dicit, *quin etiamsi Electores ejusdem* (Archiepiscopi Sifridi) *pariter deliquissent, ut se reddidissent indignos, ad nos devoluta fuisset hac vice Ordinatio Ecclesiæ Moguntinensis. Quare* (ait) *dictum Archiepiscopum sine juris injuria potuissemus eidem Ecclesiæ præficere in Pastorem* (*præsertim cum per Legatum Apostolicæ Sedis fuisset in Moguntinum Episcopum consecratus*) ut habetur in Epistola.

Hic generaliter notat Glossographus, si utraque pars „ *indignum* eligat, jus devolvi ad *Pontificem*, non au„ tem ad proximum Superiorem „: quod falsum esse monet hic vir eruditus Franciscus Florens.

In casu autem hujus Decretalis ad Pontificem devolvitur; quia nullus præter Romanum Pontificem erat Superior Moguntinensis Ecclesiæ, vocaturque in ipsa Epistola, *filia Sedis Apostolicæ* specialis.

Evidens est Glossographum, & qui eum sequuti sunt, in hanc erroneam conclusionem, ex ignorantia Historiæ & facti, occasione cujus Responsum & Decisio Pontificis emanarunt, incidisse.

Neque porro obscurum est, Pontificem Sifrido favisse, quia hic partes Othonis fovebat.

Innocentius decidit pro Sifrido.

Super his ergo (concludit Innocentius) *cum Fratribus nostris habito diligenti tractatu, cassationem postulationis factæ de Wormatiensi Episcopo, ratam habemus, electionem memorati Archiepiscopi confirmantes.* Additur in Epistola: *& ne quid ad executionem Archiepiscopalis officii sibi desit, Pallium, videlicet insigne plenitudinis Pontificalis officii ipsi duximus concedendum.*

Præterea *in virtute obedientiæ* districte præcipit Canonicis Moguntinensibus: ut memoratum Sifridum ut Archiepiscopum recipiant & recognoscant; seque mandasse, ait, suis Legatis „ ut ipsos ad id monitione præ„ missa per excommunicationis sententiam, &, si ne„ cesse fuerit, per substractionem Beneficiorum ipsorum, „ appellatione remota, compellant „. Et si hæc non sufficiant, etiam *depositionis* sententiam minatur.

Pontifici errata vult tegi.

Adhæc ipsos monet, quod „ si Legatus ipsius, vel „ etiam ipse in hoc errasset, debuissent tamen honori „ Matris suæ devote & humiliter deferre, nec sic quod „ foret ejus opprobrium revelare; cum ex divinæ pagi„ næ didiceritis (ait) lectione, quod Cham maledictio„ nem incurrit, quia patris pudenda non texit; mul„ to magis ergo in eo *Nobis* parere debetis, in quo se„ cundum conscientiam nostram, teste Deo, juste nos „ credimus judicasse „.

Luipoldum ad Wormatiensem Ecclesiam redire cogit.

Vult insuper, ut Wormatiensem Episcopum moneant, ut dimissa Ecclesia Moguntinensi, ad Wormatiensem redeat, eaque sit contentus; alioquin denuntietur, auctoritate Apostolica, utraque privatus, & si necesse sit, vult, eum excommunicationis sententia feriri: *& excommunicatum* (*ait*) *singulis diebus Dominicis & Festivis, pulsatis campanis & candelis accensis, publice nuntietis & mandetis ab omnibus arctius evitari. Quod si nec recesserit ab Ecclesia Moguntina a nobis se noverit deponendum* „.

Philippum Imperatorem moneri vult ne se Sifrido opponat.

Sed quia prævidebat Pontifex, hisce minis parum movendos Electores Canonicos, vel electum Wormatiensem, quamdiu a Philippo Rege foveretur, propterea eumdem Philippum moneri vult: *ut se prædicto Episcopo* (*Si frido*) *non opponat, quominus Moguntinam Ecclesiam, tam in spiritualibus quam temporalibus salubriter valeat gubernare. Alioquin* (*ait*) *cum nullus Imperator, nullus Princeps, Episcoporum translationi se unquam præsumpserint immiscere, nos Ecclesiasticam libertatem in hoc & Sedis Apostolicæ dignitatem, quæ a prædecessoribus nostris, ad nos hactenus emanavit, & a nobis ad Successores nostros in finem sæculi, favente Domino, protendetur, nullatenus patiemur infringi, quin pro ea potius, si necesse foret, animam ponemus* „.

Othoni favet.

Hæc est hujus famosissimæ Decretalis Historia; e qua nequaquam obscurum est, Innocentium propensiorem in Sifridum, & animo non parum a Luipoldo Wormatiensi Episcopo aversum fuisse; eo quod hic faveret Philippo Duci Sueviæ in Regem Romanorum electo, cui aperte Pontifex adversabatur; quare Abbas Urspergensis hujus Decretalis mentione facta, audacter scribit: *super hac electione fecit non judicium, sed injuriam*: notatque quod Sifridus non potuerit acquirere temporalium administrationem usque ad mortem Philippi.

Et sane, quod Innocentius III. Luipoldi electioni se opposuerit, ut Othoni faveret, vel inde manifestum evasit, quod postmodum orto inter Othonem & Innocentium dissidio, anno 1212. „ Luipoldus Episcopus Wor„ matiensis interventu Friderici Regis (cui jam contra „ Othonem favebat Innocentius) *permissione* Papæ ad „ Sedem reversus est, & in gratiam Sedis Apostolicæ „ receptus; in odium (ut plerisque visum est) Othonis, „ qui eum, mortuo Philippo Rege, in exilium, Papa „ *consentiente*, proscripserat „: ait Thritemius in Chronico Monasterii Hirsaugiensis ad annum 1208.

DECRETALES

Contra Conradum, qui a Lubecensi, ac dein ab Hildesemensi Episcopatu ad Herbipolensem transierat, Cap. 3. & 4. ※ de Translat, Episc. Cap. 5. ※ de Majorit. & Obed. *&* Cap. 5. ※ de Cler. Excomm. Minist.

OBSERVATIONES.

Conradus Philippo Imperatori addictus.

HISTORIA dissidii super Imperio inter Philippum Ducem Sueviæ & Othonem Ducem Saxoniæ, de qua supra, ad illustrandas has Innocentii III. Decretales idem negotium spectantes non parum conducit.

Turbulento enim hujus dissidii tempore Conradus vir potens & industrius, dives & astutus, Cancellarius Aulæ Imperialis sub Friderico I. ejusque filio Henrico VI. Lubecensis primum Episcopus electus & confirmatus, sed non consecratus, eo abdicato, Hildesemensem Episcopatum obtinuit: quo non contentus ad Episcopatum Herbipolensem aspiravit; ad quem a Capitulo electus, nulla transeundi ab uno Episcopatu ad alium licentia Sedis Apostolicæ postulata (uti ad prætendit Innocentius III.) proprio motu transivit.

Cum autem Conradus partes Philippi Regis tueretur contra Othonem, cui, ut sæpe diximus, favebat Innocentius III. Pontifex, severe admodum Conradum insectatus est, eumque ab Ecclesia Herbipolensi, titulo Ducatus Franconiæ insigni, omnino amotum voluit.

Decretalis *cap. 3. ※ de Translat. Episc.*

Causa hæc pluribus annis protracta est, pluresque ea occasione Epistolæ ab Innocentio ad diversos scriptæ fuere, atque quatuor ex his litteris desumptæ Decretales in Codice Decretalium Gregorii IX. reperiuntur.

Scripsit in primis Innocentius super hoc negotio Bambergensi Episcopo, & Petro Scholastico Moguntino; quæ Epistola extat *lib. 1. Epist. 335.* cujus fragmentum habetur in *cap. Quanto 3. ※ de Translat. Episcopi.*

Quod Deus conjunxit, homo non separet.
* Sic in Epistola.

In hac primum exponit, se certa relatione comperisse: quod *Hildesemensis* Episcopus (Conradus) *relicta Hildesemensi Ecclesia* (* *cui fuerat spirituali conjugio copulatus*) *ad Herbipolensem Ecclesiam* (* *sine auctoritate Romani Pontificis, propria temeritate transivit*) *non attendens, quod veritas in Evangelio protestatur: Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Nam hic textus Evangelicus quadret huic quæstioni, expendant sacræ Scripturæ Interpretes; hoc constat, quod de conjunctione Matrimonii carnalis ibi Christus loquatur. Ullum ante Innocentium e sanctis Patribus, ex hoc loco probasse *indissolubilitatem* vinculi spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam, non credo.

Innocentius vult soli Romano Pontifici competere jus transferendi Episcopos.

Pergit autem Innocentius, asseritque: *potestatem transferendi Pontifices ita sibi retinuit Dominus & Magister, quod soli Beato Petro Vicario suo, & per ipsum Successoribus suis speciali privilegio præbuit, & concessit. Sicut* (ait) *testatur antiquitas, cui Decreta Patrum sanxerunt reverentiam exhibendam, & evidenter asserunt sacrorum Canonum sanctiones.*

Admodum verisimile est, Pontificem hic respexisse ad Canonem 34. *Caus. 7. quæst. 1.* ubi sub nomine *Anteri* Papæ legitur, quod Episcopi habeant potestatem mutandi Episcopos, *non tamen sine sacrosanctæ Romanæ Sedis auctoritate & licentia.* Sciunt quidem hodie eruditi hanc

Decre-

Decretalem esse fœtidam & male olentem pseudo-Isidori mercem; quin nec eam clausulam in ea Epistola haberi notarunt Correctores Romani.

Verum ætate Innocentii, pro venerandæ antiquitatis sincerissimis monumentis habebatur, quidquid Gratiani Decreto continebatur; & e quo tamquam unico Canonum limpido fonte sua fere depromebat Innocentius, uti supra in *dissert.* §. 2. notavimus, & sæpius notavimus in *Commentario ad Decretum Gratiani*.

Hoc itaque supposititio Decreto innixus pronuntiavit, translationem Episcoporum *soli Petro*, ejusque Successoribus *speciali privilegio* a Christo fuisse reservatam; cum tamen constet, eam per novem ut minus sæcula auctoritate Synodi provincialis factam fuisse, ut notavi in *Jure Eccl. Tom. I. parte* 1. *tit.* 15. *c.* 5. alias *c.* 4.

Nempe tamquam vicem Dei gerenti.

Cum autem alicui mirum apparere posset, qua auctoritate Pontifex solvat *spirituale* matrimonium, quod, ipso teste, *Deus conjunxerat*; & veritate declamante: *quod Deus conjunxit, homo non separet*, respondet: *Non homo, sed Deus separat, quos Romanus Pontifex, qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensata, non humana, sed divina potius auctoritate dissolvit.*

Quidni igitur hac ratiocinatione Pontifex sibi auctoritatem dissolvendi vinculum matrimonii *carnalis* consummati attribuere queat, non humana, sed divina potius auctoritate, illud dissoluturus?

Jubet Conradum ab Herbipolensi Ecclesia recedere.

Auctoritate transferendi Episcopos de una ad aliam Ecclesiam Sedi Apostolicæ sufficienter, ut ipse credebat, asserta, dicit, factum illud Conradi non posse relinqui impunitum, *ne* (ait) *facti perversitas transeat præsumptoribus in exemplum*. Itaque præcipit *in virtute Spiritus Sancti* Conrado, *ut visis Pontificis litteris omni contradictione & appellatione cessantibus, administrationem ipsius Herbipolensis Ecclesiæ tam in spiritualibus, quam temporalibus penitus derelinquat*. Ita legitur in Epistola.

Addit, si his non obedierit, & *inhibita sibi usurpare præsumpserit excommunicationis vinculo decernimus innodatum*.

Præterea *omnibus etiam tam Clericis, quam Laicis Herbipolensis Diœcesis sub anathematis interminatione* præcipit, *ut non obstante Juramento Fidelitatis, omnem sibi* seu ipsi *obedientiam subtrahant, quam ipse sibi contra sacros Canones usurpavit*.

Solvit juramentum fidelitatis Conrado, ut Duci Franconiæ præstito.

Juramentum *fidelitatis*, a quo hic absolvuntur etiam Laici, præstabatur Episcopo tamquam *Duci Franconiæ*, in signum cujus Ducatus, Episcopo solemniter celebranti assistebat magnus Marchiallus habens gladium in humero.

Hic videmus, credidisse Innocentium jus & auctoritatem sibi esse, subditos Principum absolvendi a juramento fidelitatis, quod jus sibi in Decreto Gratiani non obscure assertum reperiebat, quamvis id ante Gregorium VII. id est sæculum XI. nemo Pontifici nec Ecclesiæ asseruisset.

…init Con… li Ele…tores.

Et quia *Canonici* Herbipolenses *vota sua in ipsum prorsus illicite contulerunt* (ait) *volentes* (*sicut dignum est*) *ut in eo puniantur, in quo peccaverunt, eligendi eos hac vice suspendimus potestate; & si contra Sedis Apostolicæ interdictum ad cujusdam* (sive *cujusquam nominationem*) *processerint, quod ab eis factum fuerit, irritum decernimus & inane*.

Inhibet, ne Conradus redeat ad Hildesemensem Ecclesiam.

Adhæc, ipsi Conrado in virtute Spiritus Sancti districtius inhibet, ne ad Hildesemensem Ecclesiam, quam nimis improbe dereliquit, ulterius redeat, *cum* (inquit) *secundum traditiones Canonicas, qui ad majorem se plebem transtulerit, a Cathedra pelli debeat aliena, & carere propria, ut nec illis præsideat, quos per superbiam sprevit, nec illis, ad quos per avaritiam concupivit*.

Hæc Innocentius desumpsit ex *Can.* 31 *Caus.* 7. *quæst.* 1. ibi ad verbum referuntur ex Epistola S. Leonis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum *Cap.* 8. estque 12. in editione Paschasii Quenelli, cujus & eruditam notam & reflexionem ad hunc Leonis textum consulere juvabit.

Dederat & Capitulo Hildesemensi in mandatis, ut Conradum redire volentem, nulla ratione reciperent: *ut sic saltem quem timor Dei & bonum obedientiæ a malo non revocat, Ecclesiasticæ saltem coerceat severitas disciplinæ*.

Decernit excommunicandum, nisi pareat.

Denique mandat Bambergensi Episcopo, & Petro Scholastico Moguntino (quibus hæc Epistola scribitur) ut *nisi Conradus, & alii, quæ statuit & mandavit infra* 20. *dies post receptionem litterarum nostrarum*, inquit, *curaverint adimplere, ipsa ea, sublato cujuslibet contradictionis obstaculo, exequi non tardent; & præfatum Episcopum* (*Conradum*) *excommunicatum per Regnum Alemaniæ nuntiantes, excommunicationem ipsam faciant Dominicis & festivis diebus, pulsatis campanis & accensis candelis publice innovari*. Ita Epistola.

Porro juxta tenorem harum litterarum, scriptum quoque est Hildesemensi quondam Episcopo, item Capitulo Hildesemensi, Clericis & Laicis Herbipolensibus. Item scriptum est Coloniensi Archiepiscopo, item Magdeburgensi, & Salsburgensi, eorumque respective Suffraganeis, ut ipsum pariter excommunicatum denuntient, & excommunicationem ipsam faciant Dominicis & festivis diebus, pulsatis campanis, & accensis candelis publice innovari.

Vel hinc apparet, quam durus fuerit contra hunc Episcopum Innocentii processus.

Scribit ad ipsum Conradum.

Omnium harum litterarum tamquam a se missarum meminit ipse Innocentius in Epistola ad ipsum Conradum data cum hac inscriptione, *Conrado quondam Hildemensi Episcopo*; in qua declarat, quod ipsi Apostolicæ salutationis alloquium deneget; quia temere *propria auctoritate*, relicta Hildesemensi Ecclesia ad Herbipolensem transire præsumpsisset; quodque non dubitet; quin Archiepiscopi & Episcopi alique, ad quos scriptum fuit, secundum tenorem litterarum contra ipsum processerint, excommunicationem nimirum fulminando, & publice innovando, prout superius descriptum fuit.

Respondet ad querelas Conradi.

Conquerebatur Conradus de modo procedendi Pontificis, asserens, *quod contra se nec citatum nec convictum non fuerat sententia proferenda*.

Huic querelæ plura reponit Pontifex; atque primo quod *in quo alterum judicat, se ipsum condemnet, cum tuum non fuerit* (inquit) *de Superiore temere judicare*.

Secundo, hanc occasionem nullius esse ponderis, *cum in manifestis non sit ordo judiciarius requirendus*.

Utrum autem excessus ejus fuerit manifestus, conscientiæ ipsius relinquit discernendum: *cum non potuerit* (*inquit*) *esse occultum, quod tam publice factum fuit, & per totam Teutoniam publicatum*.

Addit quod confessus videatur suum *crimen*, cum in litteris ad ipsum Pontificem directis, *Herbipolensem* se præsumpserit *Episcopum* appellare.

Conquestus quoque fuisse apparet Conradus, hæc a Pontifice agi in odium suum, & in exaltationem alterius; quod de facili credere ipsum non debuisse, scribit Pontifex: *cum* (*ait*) *te dilexerimus hactenus, & adhuc etiam* (*nisi forsan tu ipse impedias*) *diligimus, & non gloriosum, sed periculosum nobis existeret, in favorem alicujus in te proferre sententiam, aut aliquem ex malevolentia condemnare*.

Tandem concludit, quod si gratiam apud Pontificem desideret invenire, mandatum studeat Apostolicum adimplere, non rediens ad Hildesemensem Ecclesiam, & ab Herbipolensi recedens. Epistola extat *lib.* 1. *Epist.* 574.

Excommunicat ipsum.

Huic mandato Pontificis non paruit Conradus; sed etiam, postquam alius de mandato Pontificis fuerat in Episcopum Hildesemensem electus & confirmatus, se præsumpsit Hildesemensem Episcopum nominare, & electum ipsum, & ejus Ecclesiam per suos fecit multipliciter molestari.

Hanc Sedis Apostolicæ injuriam dissimulare nolens Pontifex, ipsum in festo Principis Apostolorum, præsentibus Nuntiis ejus inter Missarum solemnia excommunicatum publice nuntiavit, mandans sententiam latam per Teutoniam publicari.

Decretali cap. 4. de Transl. Episc. ubi Innocentius soli Pontifici vult concessum, transferre Episcopos.

Hæc habemus ex altera Epistola Innocentii Bambergensi Episcopo, & Scholastico Moguntino inscripta, *lib.* 2. *Epist.* 278. e qua desumptum fragmentum refertur in *cap.* 4. ℵ *de Translat. Episcopi*.

In hoc fragmento rursus asserit, quod *specialiter translationes Episcoporum non tam Constitutio canonica, quam Divina, ejus*, sive Sedis Apostolicæ *tantum potestati commisit; ut sicut* (inquit) *legitimi matrimonii vinculum, quid est inter virum & uxorem homo dissolvere nequit, Domino dicente in Evangelio: Quod Deus conjunxit, homo non separet: sic & spirituale fœdus conjugii, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum, sine illius auctoritate solvi non potest, qui Successor est Petri & Vicarius Jesu Christi*.

Respondet ad Conradi prætensionem de obtenta licentia a Cœlestino III.

Illud autem ex fragmento, e quo conflatum est dictum *cap.* 4. præcipue dignoscitur, quod Conradus non negaret, se ab Hildesemensi ad Herbipolensem Ecclesiam transiisse; ejusque administrationi se immiscuisse; sed negabat se id sine Sedis Apostolicæ auctoritate attentasse, dicens sibi a Cœlestino III. immediato hujus Pontificis Innocentii III. Prædecessore, hanc licentiam fuisse concessam.

Respondet Pontifex: nec illa *felicis recordationis Cœlestini Prædecessoris nostri indulgentia præsumptionem ipsius* (Conradi) *excusat, sed ambitionem accusas; utpote quæ ipsum reddidit de ambitione notabilem, non auctoritatem contulit ad aliam Episcopalem Eccesiam transeundi*. Ita clarius in Epistola, quam in fragmento exprimitur.

Duplici ex titulo hanc Cœlestini indulgentiam non suffragari Conrado sustinet Innocentius.

Quid intelligatur per majorem Ecclesiam.

Primo, quia in ea expressum erat, *quod si ad majorem vocaretur forsitan dignitatem, eam sibi liceret assumere... Unde licet forsitan aliquibus videatur* (inquit) *ut indulgentiæ occasione ipsius ad dignitatem possit transire majorem, ad parem tamen ipsi transire non licuit; cum in majori dignitate propter majorem utilitatem facilius soleat dispensari*.

Evidens est, quod Innocentius hic per *majorem* Ecclesiam intelligat, quæ in Ordine Hierarchico *major* est altera, puta Metropolitana respectu Episcopalis; atque hoc titulo prætenderit, Herbipolensem non esse *majorem* quam sit Hildesemensis, cum utraque duntaxat sit *Episcopalis*; ac proinde *paris* dignitatis, quamvis Herbipolensis longe in divitiis & dignitate temporali excederet Hildesemensem.

Num

Num majoritatem exinde desumpserit Cælestinus, dum indulgentiam concessit Conrado ad majorem Ecclesiam transeundi, nescio, hoc equidem sat certum, quod Canones præsentim Sardicenses, qui transmigrationes & Translationes de minore ad majorem Ecclesiam vehementius insectantur, nomine *majoris* Ecclesiæ intelligant, quæ *majoribus divitiis*, & *illustrioribus* titulis esset instructa; quæ propterea ardore avaritiæ, & ambitionis ardore vehementiore ambiebatur.

Atque ita *Can. XV.* Nicænum has transmigrationes improbantem intellexisse videtur S. Hieronymus *Epist.*83. ad Oceanum scribens: *in Nicæna Synodo a Patribus esse decretum, ne de alia ad aliam Ecclesiam Episcopus transferatur, ne Virginis* pauperculæ *societate contempta, ditioris* Adulteræ *quærat amplexus.*

Et passim Canonum Commentatores per *majorem* Ecclesiam in citatis Canonibus celebriorem & ditiorem, per *minorem* vero tenuiorem & humiliorem intellexerunt; ut videri potest in Scholio *Canonis* 1. Sardicensis, *Tom. VII.*

Si itaque Cælestinus *majorem* Ecclesiam intellexerit conformiter ad Canones, merito dubitatur, num conformiter ad ejus mentem Herbipolensis non esset censenda *major* respectu Hildesemensis.

Sane quis non dicet, Ecclesiam Leodiensem licet duntaxat Episcopalem vere vocari & reputari debere *majorem* aliqua exigua Ecclesia Episcopali Italiæ, quæ ultra exiguam urbeculam aliquam, vix jurisdictionem & curam suam extendit.

Quare & dubitari potest, an hæc restrictio *majoris* Ecclesiæ ad majoritatem in Ordine Hierarchico, hic ab Innocentio non sit assumpta pro commoditate causæ, quæ nec ante hanc Decretalem a quoquam adducta legatur.

Secundo, prætendit Innocentius, quod indulgentia facta Conrado a Cælestino III. ejus translationem a vitio non purget: Quia *cum postulatio sicut & electio* (ait) *examinari soleat diligenter, & tenor* illius *indulgentiæ non solum videatur postulationis examinationem, sed personæ etiam reservare*; *subjungens*; dummodo nihil appareat, quod tibi de Canonicis obviet institutis, *antequam per eum postulatio examinata fuisset, cui fuerat facienda, nulla debuerat ratione transire.*

Verum habita facultate transeundi ad *majorem* Ecclesiam, postulatio sicut & electio ob prædictam clausulam indulgentiæ insertam, æquivalentem huic: *dummodo nullum obstet Canonicum impedimentum*; non a Pontifice examinanda erat; sed sufficiebat eam examinari a proximo Superiore, cui de jure communi Confirmatio electionis competit, puta Metropolitano; uti hic annotarunt Innocentius IV. & Joannes Andreas, deinde nec hæc ratio Innocentii concludens apparet.

Conradus se tandem submittit.

Cum tamen Conradus videret Innocentium Pontificem his rationibus & responsis nullatenus moveri, atque omnes passim contra se armari, suamque communionem vitari ob evibratas in se sententias excommunicationis & depositionis, conatus est per Episcopos & Optimates Innocentium flectere, sed frustra.

Tandem tædio affectus se subjecit, ac proprium recognovit excessum, primo coram Magdeburgensis, ac deinde coram Moguntino Archiepiscopis, multisque aliis juramento firmavit, quod mandatis obediret Apostolicis.

Immo tandem ipse *personaliter* ad Apostolicam Sedem accessit, *in multa contritione cordis, & humilitate corporis* absolutionis Beneficium implorans; quod & obtinuit, atque, consentiente Pontifice, rursus ad Herbipolensem Ecclesiam a Capitulo postulatus fuit, postquam sponte utramque Ecclesiam Hildesemensem & Herbipolensem dimisisset; uti latius describitur in Gestis Innocentii III. *num.* 44.

Post hanc factam gratiam, Epistolam scripsit Pontifex ad Capitulum Herbipolense, quæ hodie integra inter editas hujus Pontificis Epistolas non reperitur, sed ejus duo fragmenta reperiuntur in tertia Decretalium Collectione apud Antonium Augustinum, & in aliquibus recisa a Raymundo relata sunt ex dicta Collectione in *cap.* 5. ✠ *de Majorit. & obed.* & in *cap.* 5. ✠ *de Clerico excomm. minist.*

Cap. 5. ✠ de Major. & obed. melior obedientia quam victima.

Ex priori fragmento, prout in veteri Collectione extat, intelligitur, quod Conradus coram Pontifice in sui facti purgationem allegaverit se *munitiones & oppida Herbipolensis Ecclesiæ in utilitatem ejusdem Ecclesiæ tenuisse, ne si ad alias manus forsitan devenissent, non esset, qui eam postmodum liberasset.* Sed (respondit hic Pontifex) *cum spiritualia sint temporalibus digniora & obedientia melior sit quam victima, & auscultare magis, quam adipem arietum offerre, non debuerat Hildesemensis Episcopus pro temporali commodo inobedientiæ notam incurrere, & Apostolicis jussionibus contraire.*

An laudandum sit, quod Pontifex verba Scripturæ sanctæ, quibus exprimitur obedientia, quam creatura debet supremo Creatori & Moderatori, applicet ad obedientiam, quam sibi ab Episcopis, & reliquis Christi-fidelibus debitam credebat, merito dubitatur.

Conradus non veretur excommunicationem.

Ex altero fragmento habemus, quod Conradus *quondam Hildesemensis Episcopus* Imperialis aulæ Cancellarius ob transitum ab Hildesemensi ad Herbipolensem Ecclesiam, per Magdeburgensem Archiepiscopum de mandato Pontificis fuerit excommunicatus; quodque post hanc excommunicationem Divina Officia etiam *solemniter* celebraverit; & in sui excusationem in præsentia Pontificis constitutus allegaverit, *quod, cum dictus Magdeburgensis non esset Ordinarius Judex ejus, non crediderat, quod* monitione non præmissa, *auctoritate delegata posset procedere contra ipsum, aut sententiam in eum aliquam promulgare. Unde, cum nec ante factum monitorias, nec post, Litteras aliquas ab ipso accepisset, peccare non credidit, si Divina Officia quantumcumque solemniter celebravit, præsertim cum ei nisi per famam de sententia contra eum prolata constaret.*

In dubiis pars tutior eligenda.

Agnoscit quidem Pontifex, quod *in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse: quia tamen* (inquit) *in dubiis via est eligenda tutior, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare.*

Notent hic Theologi, assumptam ac probatam ab Innocentio III. Regulam lumine naturali notissimam, *in dubiis viam esse eligendam tutiorem* totius probabilismi eversivam, uti latius ostendi in speciali *Dissertatione* ad dictam Regulam, extat ea Dissertatio Tomo VI. hujus editionis.

Docet denique hoc postremum fragmentum, Conradum in præsentia Pontificis agnovisse, quod etiam *postquam se novit excommunicatum a* Pontifice, *omnia Divina sibi fecit Officia celebrari, & Fidelium communioni ingessit se frequenter.*

At in hujus facti excusationem asserebat, *id non in contemptum Sedis Apostolicæ, vel etiam tanti Sacramenti, sed sub spe veniæ ..... se fecisse, ne videlicet induresceret amplius, & in Divinis ejus animus diutius protervirct, vel prosterneretur, si nunquam Divinis Officiis interesset: licet in diebus solemniter se nunquam celebrationi Divinorum ingesserit, & cum paucis in angulo alicujus Ecclesiæ occulte, non festivis diebus Divina sibi fecerit interdum Officia celebrari.*

Hanc excusationem tanquam plane frivolam & infundatam rejicit Pontifex, immo quod dicat, id se *sub spe veniæ* fecisse, *potius contra eum facere, quam pro eo*, asserit, *cum sub fiducia Pœnitentiæ non debuerat deliquisse.*

Conradus petit misericordiam.

Cum autem omni cum humilitate ac submissione misericordiam petiisset, *cum eo misericordiam facientes*, inquit, *pœnam, quam Canon minatur his, qui post excommunicationem Divina præsumpserint Officia celebrare, vel se celebrationi ingesserint Divinorum, ei non duximus infligendam.*

Conradus trucidatus.

Hæc tum ex Epistolis, tum Decretalibus, atque Gestis Innocentii de hac historia habemus, e quibus habemus quoque, hunc Conradum tandem confirmatum fuisse Episcopum Herbipolensem, cumque postquam quatuor annis eam Ecclesiam rexisset, *in publica civitatis Herbipolensis strata crudeliter occisum esse*, ut testatur, post Abbatem Urspergensem, Joannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1202. qui & ibidem exhibet integras Bullas Innocentii III. quibus continetur per plures distincta articulos Pœnitentia injuncta illius nefariæ cædis perpetratoribus, postquam eam Romæ *personaliter* per biennium sollicitaverant.

DECRETALES.

Contra Electionem Hugonis Episcopi Autissiodorensis in Archiep. Senonensem tempore interdicti Regni Franciæ sub Philippo Augusto. Cap. *Ad hæc* 1. & Cap. *Gratiam* 2. ✠ de Postulat. Prælat. Cap. *Novit* 7. ✠ de Offitio Legati, & Cap. *Novit.* 43. ✠ de Appellat.

OBSERVATIONES.

Decretales hæ Innocentii III. ac præsertim illa, quæ refertur in *cap.* 1. ✠ *de Postulat. Prælat.* plura continet, quæ (ut etiam observat Franciscus Florens) vix intelligi possunt, nisi historiæ explicatione diligenti adhibita, quæ tum ex Gestis & Epistolis Innocentii III. tum ex auctoribus coætaneis repetenda est.

Rex Philippus curat conjugium suum cum Ingeburge nullum declarari per quosdam Episcopos.

Itaque sub finem sæculi XII. Philippus Augustus Rex Franciæ defuncta prima uxore filia Balduini Comitis Hannoniæ, duxit uxorem Ingeburgem Sororem Canuti Regis Danorum. At vix matrimonio contracto, uxor hæc Regi displicere cœpit, statimque de divortio, & Matrimonii hujus nullitate tractari cœptum est: tum ob consanguinitatem, qua hæc Ingeburges dicebatur primam uxorem ipsius Philippi attingere in *quarto* vel *quinto* gradu consanguinitatis, & consequenter eodem gradu affinitatis Philippum, tum ob impedimentum *impotentiæ*: uti constat ex Gestis Innocentii *n.* 48. & *Ep* 48. *l.* 5. in qua Pontifex vult audiri testes super *maleficio*, quod ad impotentiæ impedimentum evidenter refertur.

Convocatis itaque Archiepiscopo Rhemensi, & aliis quibusdam Episcopis *coram eis accusatum est Matrimonium, & affinitate per quosdam testes incontinenti jurata, mox idem Archiepiscopus sententiam divortii promulgavit: quæ cum Reginæ per quemdam exponeretur interpretem, illa ultra quam dici posset admirans, flens & ejulans exclamavit*: mala Francia, mala Francia, *& adjecit* Roma, Roma, *non enim aliter noverat gallicis verbis talem exprobrare sententiam, aut Sedem Apostolicam appellare.*

Ita Gesta Innocentii *n.* 49. adduntque: „ Protinus

„ er-

,, ergo Rex illam e Regno Francorum emiſit, & in ,, quodam Cœnobio Monialium extra Regni fines fecit ,, utcumque deponi.

Rigordus autem in vita hujus Philippi ad annum 1193. ſcribit, quod ,, Regina Ingeburges ad Danos redire vo-,, lens, in partibus Galliarum in locis Religioſis mane-,, re decreverit, malens continentiam conjugalem cum ,, orationibus toto tempore vitæ ſuæ ſervare, quam ,, alteri juncta, prima Matrimonii fœdera maculare ,,.

Rex Danorum queritur apud Cœleſtinum III. qui primum contra divortium fervenior, poſt tepidior fuit,

Interim Rex Danorum frater Ingeburgis de prædicta divortii ſententia conqueſtus fuit per ſuos Legatos apud Cœleſtinum III. Papam; poſtquam intellexit Philippum aliam duxiſſe uxorem.

,, Cœleſtinus autem ad has querelas anno 1196. miſit ,, Legatos ſuos in Franciam, Melchiorem ſcilicet Preſ-,, byterum Cardinalem, & Cencium Subdiaconum, qui ,, Pariſios venientes, Concilium convocaverunt de re-,, formando Matrimonio inter Philippum Regem & uxo-,, rem ejus Ingeburgem: ſed quia facti ſunt *Canes muti* ,, non valentes latrare, timentes pelli ſuas, nihil ad ,, perfectum deduxerunt ,,. Hæc ex Rigordo apud Labbæum tomo 10. Concil. *Col.* 1800, ibi & nota Couſartii conſulenda.

Geſta Innocentii III. *num.* 50. aſſerunt, Cœleſtinum Papam prædictam ,, ſententiam divortii auctoritate Apo-,, ſtolica irritaſſe; atque interdixiſſe Regi per Nun-,, tios ſuos, ne aliam ſibi præſumere copulare ,,.

Verum adjungunt, quod ,, quanto idem Papa fer-,, ventior circa hoc apparuit in principio, tanto tepi-,, dior inventus in fine; quia licet Rex Danorum Ger-,, manus frater ipſius Reginæ per honorabiles Nuntios ,, imploraret, ut compelleret Regem Francorum ad re-,, cipiendam eamdem Reginam Sororem ſuam, quam ,, injuſte dimiſerat, ſicut Juris ratio poſtulabat, nun-,, quam tamen apud eum hoc potuit obtinere, quin ,, etiam toleravit, ut idem Rex, poſt interdictum ,, ipſius, filiam Ducis Meraniæ, puellam utique pul-,, chram nimis, non ſine multo ſcandalo ſuperduceret, ,, & teneret ,,.

Innocentius III. vult cogi Philippum ad recipiendam Ingeburgem.

Itaque negotii hujus perfectio reſervata eſt Innocentio, immediato Cœleſtini III. ſucceſſori, qui anno 1199. in Galliam miſit Petrum Capuanum *Sanctæ Mariæ in via lata* Diaconum Cardinalem ,, ut Philippum Regem ,, Francorum ad dimittendum ſuperinductam, & reci-,, piendam propriam uxorem, quam injuſte dimiſerat, ,, commoneret & cogeret, ſi neceſſitas poſtularet ,,. Citata Innocentii Geſta *num.* 47.

Interea ipſe Innocentius tum ,, per Epiſcopum Pa-,, riſienſem, tum per Litteras ſuas ſæpius monuit Re-,, gem, ut ſuperinductam dimitteret, & dimiſſam re-,, ciperet, Juris ei licentia non negata, quo minus fa-,, cta reſtitutione poſtmodum audiretur, ſi quid duce-,, ret proponendum ,,. Sed fruſtra, ut dicta Geſta teſtantur, & ſcribit ipſe Pontifex ad prædictum Petrum Legatum ſuum, *Lib.* 1. *Epiſt.* 347. eidem diſtricte præcipiens: ,, ut niſi dictus Rex infra menſem poſt com-,, monitionem tuam (ait) prædictam Reginam in gra-,, tiam receperit conjugalem, & honore debito per-,, tractarit, ex tunc totam terram ejus appellatione ,, poſtpoſita, ſubjicias interdicto, ita quod præter ,, baptiſma parvulorum, & Pœnitentias morientium, ,, nullum in ea Divinum Officium celebretur ,,

Tota terra Regis *ſub interdicto* conſtituta.

Significat quoque eidem ſuo Legato ſe ,, Univerſis ,, Eccleſiarum Prælatis conſtitutis in terra dicti Regis ,, in virtute Spiritus ſancti diſtricte præcipiſſe, ut cum ,, in terram Regis ejuſdem *Interdicti* ſententiam pro-mulgarit, eam, appellatione remota, obſervent, & per ,, ſuas faciant Provincias, Diœceſes, & Eccleſias ob-,, ſervari ,,.

Itaque dictus Legatus Concilium convocavit Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum apud Divionem, ſententiam *Interdicti* promulgare intendens, quod præſentiens Rex Philippus, per Nuntios fecit ad Sedem Apoſtolicam appellari.

Legatus quidem exiſtimabat huic appellationi non eſſe deferendum; nihilominus voluit Interdicti promulgationem ad tempus differre, *quatenus alibi mandatum Apoſtolicum commedius adimpleret.*

Exiguo itaque intervallo, idem Legatus apud Viennam, multis Archiepiſcopis convocatis, inter quos quidam de Regno Franciæ fuere præſentes, Interdicti ſententiam juxta præſcriptum Apoſtolicum in totam terram Regis Philippi promulgavit; mandans per Litteras Univerſis Eccleſiarum Prælatis in terra Regis Franciæ conſtitutis, ut ipſi eam obſervarent, & per Litteras ſuas obſervari facerent: addens, quod ſi forſan ,, Epiſcoporum aliqui contra eam præſumerent, ſcirent ,, ſe ab Officio Pontificali ſuſpenſos. Cæteris vero cu-,, juſcumque dignitatis vel Ordinis Officiorum & Be-,, neficiorum adminiſtratione penitus interdicit ,,.

Interdictum alii ſervant, alii non ſervant.

Quidam Prælatorum ſententiam Interdicti religioſe & indilate obſervarunt: alii vero diſtulerunt obſervare ſententiam, inter quos & erat Epiſcopus *Autiſſiodorenſis.*

Hi ,, Nuntios ſuos ad Sedem Apoſtolicam deſtinantes, per quas rationes ſuas non obſervantiæ exponere Pontifici volebant, promittentes, quod illis expoſitis, ,, ſi demum placeret Pontifici, ſententiam obſervarent ,,

Hæc latius ex Geſtis Innocentii III. aliiſque Hiſtoricis recitantur *tomo* 11. *Conciliorum generalium, Col.* 11. *& ſeqq.* oſtenditurque nonnullos errare, confundendo duo prædicta Concilia apud Divionem, & apud Viennam diverſo tempore celebrata.

Rex autem hæc audiens in tantam indignationem excanduit, ut Epiſcopos & alios Clericos, qui primo ſervaverunt Interdictum, ab Eccleſiis ſuis faceret violenter expelli, & bona omnia occupari: e contrario Innocentius excanduit in Epiſcopos, qui interdictum non ſervaverunt, excuſationes eorum ut frivolas rejiciens, & præcipiens, ut ſententiam interdicti & ipſi ſervarent.

Tempore interdicti eligitur Hugo Epiſcopus Autiſſiodorenſis in Archiep. Senonenſem, aſſentiente Rege.

Porro contigit, durante hoc interdicto, vacare Metropolim Senonenſem, atque ad eam poſt varias inter Canonicos concertationes, *Autiſſiodorenſem* Epiſcopum ab univerſo Capitulo unanimiter eligi, Rege ſuum præbente aſſenſum: ad quam electionem & vacationem ſpectat Decretalis Innocentii III. integra in tertia Collectione Decretalium apud Antonium Auguſtinum, & apud Gregorium IX. in aliqua ſui parte mutilata in dicto *cap.* 1. *de Poſtulatione.*

Decretalis *cap.* 1. *de Poſtulat.* contra hanc electionem.

In hac Decretali narratur, quod, mortuo Senonenſi Archiepiſcopo, Rex Philippus *vix digne celebratis exequiis . . . . injuſte commotus, poſſeſſiones ipſius tam ad menſam Archiepiſcopi, quam Canonicorum pertinentes . . . occupavit, & perſonas etiam, quæ de mandato Pontificis ſuſpenderant organa ſua,* id eſt ſervaverant interdictum, *compulit exulare.*

Præterea dicitur, quod Canonici Senonenſes electionem factam de Epiſcopo Autiſſiodorenſi, quin ob non ſervatum *Interdictum* Regi gratus, & Pontifici ingratus erat, per Nuntios ſuos Pontifici expoſuerint, *petentes ut faciendæ translationi* ab Autiſſiodorenſi ad Senonenſem Ecclaſiam *pium* præberet *aſſenſum.*

Quod Hugo non ſervaſſet interdictum.

Cum vero in confeſſio eſſet Autiſſiodorenſem Epiſcopum interdictum non ſervaſſe, *ejuſdem . . . inobedientiam* attendens Pontifex, *ne inobedientia prodeſſe videretur humilibus, ſi contumacibus contemptus non obeſſet, poſtulationem hujuſmodi non propter poſtulantem Eccleſiam, ſed propter poſtulatam perſonam* repulit *ut indignam.*

Plura tum a Deputatis Capituli Senonenſis, tum ex parte Regis proponebantur, quibus ſuadere conabantur hoc interdictum non debuiſſe ſervari, ſaltem in Diœceſi Autiſſiodorenſi.

Hugo prætendit ſe non debuiſſe interdictum ſervare.

Primo Epiſcopum hunc interdicti ſententiam non debuiſſe ſervare; eo quod *ad ejus notitiam nec per Litteras* Pontificis, *nec per Cardinalis tunc Apoſtolicæ Sedis Legati, qui eamdem ſententiam promulgarat, nec per deputati ad hoc executoris mandatum, vel Litteras perveniſſet.*

Huic exceptioni in hac Decretali reſpondet Pontifex ſufficere, quod dictus *Cardinalis ſententiam interdicti præſentibus multis . . . . publice promulgavit: & eadem . . . . ſententia in Regno Francorum . . . a multis publice cœperit obſervari: nec ſit neceſſarium, cum Conſtitutio ſolemniter editur, aut publice promulgatur, ipſius notitiam ſingulorum auribus per ſpeciale mandatum, vel Litteras inculcare: ſed id ſolum ſufficit, ut ad ejus obſervantiam teneatur, qui noverit eam ſolemniter editam, aut publice promulgatam,*

Quænam publicatio requiratur, ut interdictum debeat ſervari?

In confirmationem ſui aſſerti adducit, quod *& contra quoſdam, qui Sardicenſe Concilium non ſervabant, tamquam illud non habuerint, aut perceperint, Canonica tradat auctoritas, quod eis non facile facultas credendi tribuitur; cum idem penes illos in ſuis regionibus actum fuerit & receptum.*

Per *Canonicam auctoritatem* hic intelligit Innocentius (ut & Gloſſa notat) *Canonem finalem diſt.* 16. apud Gratianum ſumptum ex *Epiſtola* 6. Nicolai I. ad Photium, qua probare vult, quod veriſimile non ſit *Sardicenſe* Concilium apud Græcos non fuiſſe hactenus notum, quemadmodum Photius contendebat.

Sed id nihil aut parum ad præſentem quæſtionem facere videtur, qua quærebatur, num ſufficeret, ſententiam interdicti in aliquo loco publice editam & promulgatam fuiſſe, ut obligatio ejuſdem, ſe quoque extendat ad Diœceſes, in quibus promulgatio facta non fuit: quod revera hodie nemo facile admitteret ſufficere.

Neque Patres Sardicenſes crediddiſſe, ſua ſtatuta per publicam ac ſolemnem publicationem *Sardicæ* factam, ubique obligare, ſufficienter indicarunt in epiſtola Synodica ad Julium Papam, ſcribentes: ,, Tua autem ,, excellens prudentia diſponere debet, ut per tua ſcri-,, pta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, & in Italia ,, ſunt fratres noſtri, quæ acta ſunt, & quæ definita ,, cognoſcant. ,, *Tomo II. Concil. general. col.* 662. *Edit. Labb.*

2. Prætendit Hugo Autiſſiodorenſem Diœceſim non eſſe in Terra Regis Franciæ.

Secundo prætendebatur, Autiſſiodorenſem Epiſcopum ſententia interdicti non fuiſſe ligatum, eo quod Pontifex duntaxat mandaſſet Legato, *totam terram* Philippi Regis Francorum *Interdicto* ſubjicere, in *Autiſſiodorenſi* autem *Diœceſi Rex ipſe terram propriam non haberet,* & agnoſcit quidem Pontifex, quod Rex in dicta Diœceſi *terram propriam non haberet,* quandoque ipſe *terram totam Regis ipſius ſubjici* mandaſſet *Interdicto*: at reſpon-

respondet, quod *Cardinalis* Legatus, *interpretatus* ejus *mandatum, in terram illam sententiam promulgavit, quæ Regi tunc temporis adhærebat.*

Sed nonne merito credere poterant Episcopi, quod Legatus fines mandati & legationis excessisset, cum terra Regi adhærens, & ad alium (scilicet Petrum Comitem Autissiodorensem, de quo in *cap.* ⁜ *de Officio Jud. Deleg.*) spectans, nequeat dici *terra Regis*, præsertim in materia pœnali?

Præterea sententiæ interdicti objiciebatur. 1. quod Rex habuisset Cardinalem *suspectum*. 2. quod *post appellationem ad Sedem Apostolicam interpositam*, dictam promulgasset sententiam. 3. quod *extra fines Regni Francorum, in terram Regis, Interdicti sententiam promulgasset.*

Super his scripsit Pontifex Decretalem ad Regem Francorum, cujus fragmenta extant in tertia Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum, & in parte decisa relata sunt in *c. 7.* ⁜ *de Officio Legati*: & in *c. 43.* ⁜ *de Appellat.*

3. Quod interdictum fuisset promulgatum a Legato Pontificis existente extra Regnum.

In primo fragmento tertiæ objectioni de promulgatione extra fines Regni Francorum: respondet Innocentius, *quod etsi fines Regni Francorum exierat, nondum tamen fuerat terminos suæ Legationis egressus, cum non solum* (ait) *in Regno Francorum, sed in Viennensi, Lugdunensi, & Bisuntina Provinciis injunctam sibi a nobis Legationis sollicitudinem suscepisset.*

Num hoc responsum, etiamnum hodie admitteret Rex Galliæ, ejusve ministri, dubito. Videri possunt quæ dixi in *Tractatu de promulgatione legum Eccles. parte 1. cap. 1. & 2. Tom. IX.* hujus editionis inserto.

Alterum fragmentum in *c. 43.* ⁜ *de Appellat.* exhibet responsum ad binas alias objectiones.

4. Quod interjecta appellatione, interdictum pronunciatum esset.

Ad eam de interjecta appellatione respondet; quod Legatus non fuerit sententiæ istius *dictator* seu auctor, *sed verius executor, cum* igitur *secundum jus ab executoribus appellari non possit, nisi forsan modum excederent in exequendo*, consequenter appellationi *ab eo interpositæ non fuerat deferendum*: præsertim cum ipsi ob id etiam mandati executio injuncta esset, *appellatione remota*. An autem Legatus modum in exequendo non excessisset, non sine fundamento dubitabatur, ut supra notavimus.

5. Quod Legatus fuisset suspectus.

Simili modo solvit objectionem de *suspectatione*, quod *licet credat*, Legatum fuisse *merito* Regi *suspectum, non tamen, etsi fuisset* suspectus, *ab eo desistere debuisset, ad quod non proprio motu, sed nostro potius*, inquit, *præcepto processit.*

Verum cum non simpliciter interdicti promulgatio Legato fuisset injuncta, sed conditionate, *nisi Rex infra mensem post commotionem ejus, Reginam dimissam in gratiam receperit conjugalem, & honore debito pertractarit*; non immerito dubitari potest, an *meri* Executoris partes Legatus obierit; & an Jura de similibus Executoribus loquentia huic recte fuerint applicata.

Innocentius defendit actum seu Legati.

Hoc evidens est Innocentium voluisse omni modo sententiam sui Legati justificare, multumque propterea favisse iis, qui sententiæ illi sine hæsitatione obtemperarunt; e contrario autem adversatum fuisse iis, qui sententiæ huic judicarunt non obtemperandum: etiam illis, qui duntaxat ad tempus, nimirum quoadusque rationes non deferendi Pontifici exposuissent, & ab eo responsum obtinuissent; uti significatur in citato *cap. 1. de Postulat.* & apertius refertur in Gestis Innocentii *num. 52.* in verbis: *sed promittebant, quod illis* (rationibus non parendi) *expositis, si domum placeret summo Pontifici, sententiam observarent.*

Cum autem Canonici Senonenses essent ex illis, qui sententiæ se subjecerant, & Interdictum servaverant, Innocentius eis etiam favoris aliquid impartiri volens, *ipsis de solita Sedis Apostolicæ benignitate concessit, ut sibi per postulationem idoneam, vel electionem Canonicam de persona congrua consulant: licet vos ea potestate* (ait) *non immerito privare possemus, eo quod permissa vobis facile abusi fuistis potestate, quia hominem postulastis, qui sententiam Interdicti contemneret servare.*

Rege Ingeburgi reconciliato, interdictum tollitur.

Post hæc in Galliam missus fuit ab Innocentio Octavianus Ostiensis Episcopus, eidem forma præscripta, qua in hoc negotio procederet; uti latius in Gestis Innocentii *n. 54.* describitur, narraturque, quomodo tandem inductus fuerit Rex „ ut Reginam Ingeburgem „ reciperet, faciens in animam suam juramento firma- „ ri, quod honorifice eam ut Reginam tractaret, & „ absque judicio Ecclesiæ non dimitteret. Et sic (in- „ quiunt Gesta) ipse Legatus sententiam Interdicti, „ quæ per octo menses duraverat, relaxavit cum mul- „ to gaudio & applausu. „

Canonici Senonenses, plures eligunt iterum Hugonem, pauciores Petrum de Corbolio olim Magistrum Innocentii.

Interdicto sublato, cœperunt Canonici Senonenses deliberare de nova postulatione vel electione Archiepiscopi juxta potestatem sibi a Pontifice factam.

Maxima autem Canonicorum pars denuo Hugonem Episcopum Autissiodorensem postulavit; pauci vero Petrum de Corbolio olim Innocentii III. in Universitate Parisiensi Magistrum, & nunc Cameracensem Episcopum; uti constat ex Epistola Innocentii prædicto Ostiensi Episcopo Sedis Apostolicæ Legato inscripta, quæ extat in tertia Decretalium Collectione, & quibusdam recisis in citato *c. 2.* ⁜ *de Postulat. Prælat.*

Pontifex præfert Petrum de Corbolio.

Ex hac Decretali habemus, quod dictus Legatus faverit Episcopo Cameracensi, ejusque postulationem licet a paucioribus factam, probaverit: & ad paucorum Canonicorum, qui eum postularant, instantiam in Pastorem Archiepiscopum Senonensis Ecclesiæ auctoritate fretus Apostolica providerit.

Innocentius III. qui Autissiodorensi Episcopo adversabatur, quia sententiam Interdicti non servaverat, & Cameracensi, qui ipsius aliquando Magister fuerat, impense favebat, ostendit in hac Decretali, admodum sibi gratum fuisse, quod Legatus ad promotionem Cameracensis Episcopi ad Archiepiscopatum Senonensem *prudenter & efficaciter attenderit.*

Ex eadem Decretali intelligimus, fundamentum confirmandi postulationem a paucis Canonicis factam, fuisse, quod hi, qui *Autissiodorensem* rursus postularant, & ita postulationem priorem auctoritate Apostolica cassatam, *quodammodo revocare voluissent, eligendi privilegium amisissent, quia concessa sibi ex Apostolicæ Sedis benignitate abuterentur temere potestate, ac ideo ad alios licet pauciores numero, quantum tamen ad hoc pertinet, consilio saniores, eligendi vel postulandi devoluta esset licentia.*

An sat solida esset hæc ratio privandi dictos Canonicos suffragio eligendi, merito dubitari posse ex antedictis patet. Sed tamen Innocentius, hanc a Legato suo factam promotionem præsenti Decretali auctoritate Apostolica confirmans, dictum Petrum de Corbolio a sollicitudine Ecclesiæ Cameracensis reddidit absolutum.

Quin hic impense Innocentius faverit Petro de Corbolio, & adversatus sit Hugoni Autissiodorensi a majore parte Capituli Senonensis, post sublatum Interdictum postulato, dubitari nequit; & cum jam aliqualis pax inter Innocentium & Regem Franciæ facta esset, etiam Rex huic promotioni in gratiam Pontificis consensit; uti notatur in Chronico Autissiodorensi ad annum 1220. „ Legatus Petrum de Corbolio, qui litte- „ raturæ sæcularis & Theologiæ prærogativa famosus, „ in Scholarum regimine, Parisiis diu claruerat, & de „ Cathedra ad Cameracensis Ecclesiæ Cathedram nuper „ assumptus fuerat; tam de *assensu Regis* quam Do- „ mini Papæ, Clero licet præter paucos invito, in „ Senonensem Ecclesiam inthronizat. „

DECRETALES

Circa Postulationem Archiepiscopi Colocensis in Archiepiscopum Strigoniensem Hungariæ Primatem. Cap. *Bonæ memoriæ* 4. & Cap. *Postulationem* 5. ⁜ de Postulat. Prælat.

OBSERVATIONES.

Postulatio hæc Innocentio III. præsentatur; eidemque Suffraganei Strigoniensis se opponunt.

DUÆ occurrunt Innocentii Decretales concernentes postulationem sive lectionem novi Archiepiscopi Strigoniensis, quæ referuntur in tertia Decretalium Collectione, & aliquibus recisis, extant in *cap. 4. & 5.* ⁜ *de Postulat. Prælat.* & singularia quædam merito notanda continent.

Itaque defuncto Guillelmo Strigoniensi Archiepiscopo (hic est Primas Hungariæ, Regemque *coronare solitus* ut nos docet Innocentius III. *lib. 14. Epist. 104.*) Canonici Strigonienses unanimi suffragio postularunt Archiepiscopum Colocensem, postulationemque Innocentio III. probandam & confirmandam præsentarunt. Id intelligentes Episcopi Suffraganei Archiepiscopi Strigoniensis videlicet Quinque-ecclesiensis, & quidam alii dictæ Postulationi se opposuerunt, *asserentes, quod, eis contemptis, qui jus habebant* cum Canonicis Strigoniensibus *eligendi, postulatio illa* fuisset *attenta*; at Nuntii Capituli Strigoniensis reponebant; *quod super præficiendo* Ecclesiæ Strigoniensi *Pontifice de gratia multoties Suffraganeorum fuerat requisitus assensus, sed ipsi consilium* denegassent.

Cumque plura hinc & inde allegarentur, præcipit Innocentius, ut si utraque pars in sua persisteret sententia, *per Procuratores* suos *ad Sedem Apostolicam* accederet, quia sibi de propositis non constabat.

Addit, quod si Episcopis contradicentibus, Canonici de Jure suo diffiderent, *aliam personam idoneam* sibi providerent in *Pastorem*.

Interea postulatur Quinque-ecclesiensis.

Cæterum priusquam hoc mandatum Capitulo Strigoniensi innotuisset, quidam ex Canonicis, *a postulatione* Archiepiscopi Colocensis jam Pontifici præsentata *recedentes prædictum Quinque-ecclesiensem Episcopum in Archiepiscopum* Strigoniensem *postulaverunt* (quibus *nullus Suffraganeorum assensit, excepto duntaxat Episcopo Vitriensi*) ut habetur in parte recisa.

Ex hac parte recisa insuper habemus, quod *Andreas* Dux nomine Nepotis sui Regis Ungariæ pro dicto Quinque-ecclesiensi transferendo ad Strigoniensem Metropolim, per litteras supplicaverit Pontifici, licet prius ejusdem Nepotis nomine, cujus tutelam & Regni curam frater defunctus Ipsi commiserat, *precum suarum primitias ad* Pontificem *pro prædicti Colocensis postulatione* transmisisset.

Hanc postulationem rejicit Pontifex.

Pontifex hanc Quinque-ecclesiensis postulationem non

ad-

admisit, tum quod *in multa discordia* Suffraganeorum & Canonicorum; tum quod *contra formam mandati* sui facta esset: mandavitque Canonicis, *ut ad providendum* sibi *Pastorem idoneum per electionem Canonicam, vel postulationem concordem* (*requisito Suffraganeorum assensu, si esset de antiqua & approbata consuetudine requirendus*) *procedere* curent; *alioquin* ipse provideret *Ecclesiæ viduatæ*.

Denuo postulatur Colocensis.

Priusquam autem hoc posterius mandatum ad Capitulum pervenisset, Canonici *innitentes Mandato priori, Suffraganeos, præter Quinque-ecclesiensem, ad concordiam* revocarunt, consentientes in postulationem *Colocensis, salvo jure suo imposterum, cui propter afflictionem & necessitatem Strigoniensis Ecclesiæ supersedebant*, atque per litteras *humiliter rogaverunt* Pontificem, ut *si non placeret ei electionem factam de Quinque-ecclesiensi Episcopo admittere; postulationem alterius sine præjudicio juris suppliciter exorabant*.

At postmodum, recepto jam dicto *posteriori* Mandato, rursus discordia exorta est. Viso enim hoc mandato, Canonici Strigonienses, qui ab initio Colocensem postularant, de *nova* postulationem ejus revocarunt: sed quidam consentire noluerunt, adhærentes Quinque-ecclesiensi.

Contentio Eligentium.

Hi ergo a reliquis recedentes, simul convenerunt; & *cæteros*, qui Colocensem postulaverant, *ad Capitulum convocarunt ad postulationem concordem, vel electionem Canonicam juxta mandatum Apostolicum procedere cupientes; sed illis nolentibus convenire; prædictum Quinque-ecclesiensem denuo postularunt*, prætendentes penes se tantum remansisse facultatem liberam eligendi, quia reliqui jus suum prosequi negligebant.

Pontifex, auditis partibus, postulationem Colocensis probat.

Pontifex, audita hac nova discordia, scripsit Capitulo Strigoniensi, quod *licet per postulationem hujusmodi nullum jus sit alicui acquisitum, ideoque sine præjudicio alicujus* posset *postulationem repellere memoratam, tamen de speciali gratia* Canonicis consulere volens, duxit *providendum, quod per Procuratores idoneos, ad omnia sufficienter instructos, suo se conspectui* præsentent, *quatenus utraque parte præsente, quod justum fuerit* decernat. Fragmentum hujus Epistolæ conficit *cap. 5.* ✠ *de Postulat.*

Procuratores utrimque Romam missi, coram Pontifice auditi fuerunt, quorum tandem rationibus pro postulatione utrimque auditis, Pontifex postulationem Archiepiscopi Colocensis probavit; eumque *a vinculo, quo tenebatur Colocensi Ecclesiæ*, absolvens, *ad Metropolim Strigoniensem* transfert, *& ei licentiam* tribuit *transeundi*: promittens *pallium ei ad nomen & usum ejusdem Ecclesiæ* se transmissurum.

Quod accessione Suffraganeorum concors effecta fuisset.

Inductus autem fuit Pontifex in hanc sententiam, in primis, quod hæc postulatio visa esset *concorditer* facta; quia licet prius facta esset in *discordias* dissentientibus Suffraganeis, tamen Canonici innitentes prioribus litteris Pontificis, Suffraganeos ad *concordiam* revocarunt, sive effecerunt, ut Suffraganei postulationi Canonicorum de persona Archiepiscopi Colocensis accesserint, adeoque saltem ex post facto concordem effecerunt.

Hinc concludunt Canonistæ, quod accessus eorum, qui jus habent eligendi, possit postulationem reddere *concordem*; quemadmodum in electione contemptus Canonicorum vocandorum non vitiat electionem, si postea electioni accesserint. *Cap. Quod sicut* ✠ *de Elect.*

Quod a postulatione Pontifici Romano præsentata recedi non possit.

Quod autem, facta prima postulatione Archiepiscopi Colocensis, *unanimi* Canonicorum suffragio, quidam ex iis facta postulatione postmodum recesserint, & Quinque-ecclesiensem postulaverint, priori postulationi non obstare dicit Pontifex, eo quod recesserint, postquam hæc postulatio eorum nomine *præsentata* esset Pontifici: ideoque eo tempore, quo ab ea amplius recedere non possent. Si enim (ait) *postquam postulatio suprascriptionibus Postulantium roboratur & præsentatur Pontifici approbanda, possent ab ea recedere Postulantes, nobis frequenter illuderetur, & judicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur*.

Ex hoc responso Pontificis concludere communiter Canonistæ, quod postulantes non possint variare, & a postulatione recedere, dum hæc semel Pontifici fuerit præsentata, uti in Commentario ad hunc textum adstruit Emmanuel Gonzales.

Quod discordibus postulantibus, Papæ sit Ecclesiæ viduatæ providere.

Quamvis autem Postulantes a postulatione sic præsentata nequeant recedere, Pontifex tamen postulationem hujusmodi in *discordia* factam admittere non debuit: quia etiam quando aliquis ab aliis *unanimiter* postulatur, admittere postulationem non tenetur, cum in admissione postulationis *non tam ex justitia, quam gratia moveatur*, ut scribit idem Pontifex in *cap. 3.* ✠ *de Postulat.*

In præsenti autem Decretali scribit, quod *neutra postulatio esset approbanda*, & *juxta tenorem posterioris Rescripti ad* ipsum *de cætero Strigoniensis Ecclesiæ provisio* spectaret: quia hoc Rescripto significarat, ut si *concorditer* Strigoniensi Ecclesiæ non providerent, ipsemet *Ecclesiæ viduatæ* provideret.

Hinc creditum est a variis Canonistis, quod dum Postulantes circa personam non conveniunt, Pontifex sua auctoritate possit Ecclesiæ de Prælato providere.

In hac vero specie maluit Pontifex postulationem Colocensis probare; *quia non plenam de personis illius Regni* Hungarici *notitiam* habens, *non* poterat, *salva conscientia, eidem Ecclesiæ in alia persona, quæ de Regno Hungariæ originem duceret, congrue providere*.

Quod Quinque-ecclesiensis esset alienigena.

Et quamvis *honestius* ipsi Pontifici videretur, si *Suffraganeus ad Metropolim suam accederet* (qualis erat Quinque-ecclesiensis respectu Metropolis Strigoniensis) *quam Archiepiscopus ad Metropolim transferretur, partem tamen* (ait) *eligimus potiorem*, probando postulationem Archiepiscopi Colocensis ad Metropolim Strigoniensem, quia nimirum nollet huic Metropoli præficere alienum: „ id est (uti hic notat eruditus Altes„ serra) peregrinum seu alienigenam, ne injuriam fa„ ceret indigenis, & vis inferretur legibus Regni Hun„ garici, quibus alienigenæ seu advenæ a dignitatibus, „ & aliis Beneficiis Ecclesiasticis arcebantur; uti ex „ hac Decretali colligunt Doctores, & in plerisque „ aliis Regnis servatur. "

Forte etiam quod hic aliquando de crimine accusatus fuisset.

Forsitan maluit Pontifex admittere postulationem Colocensis; quam Quinque-ecclesiensis Episcopi, quod hic aliquando de crimine carnis accusatus fuisset, sicuti colligimus ex *cap. 15.* ✠ *de præsumpt.* & *cap. 12.* ✠ *de Purgat. Can.* quibus junge Epistolam 12. *lib.* 13. Innocentii III. & notas Bosqueti in hanc Epistolam.

Postulationis forma videtur sub Innocentio III. introducta.

Ulterius sicuti præ cæteris Innocentius III. Sedi Apostolicæ vendicavit auctoritatem transferendi Episcopos; adeo ut eam *Jure Divino* quodammodo huic Sedi reservatam dixerit, sic & ipse postulationem a gratia & arbitrio Sedis Apostolicæ pendere primus dixit: immo ex hujus Pontificis Decretalibus & Responsis, regulæ illæ, quæ in postulationibus servandæ hodie sunt, eamque ab electione distinguunt, desumptæ sunt; neque facile ullum præcedentium Pontificum Decretum reperietur, quo postulationis ab electionis forma distinguatur.

Unde & omnes Decretales sub titulo de *Postulatione Prælatorum* sunt hujus Pontificis, præter finalem, quæ Honorio III. immediato Successori Innocentii III. tribuitur, quamvis in aliis Innocentio assignetur, ut in margine annotatur.

Hoc autem jure, tam circa translationem Episcoporum, quam postulationem stabilito, contigit, ut in provisione majorum Ecclesiarum, præsertim quibus Dominia temporalia sunt annexa, notabilem partem habeat Romanus Pontifex, eo quod ad similes Ecclesias vacantes soleant frequenter Episcopi aliarum Ecclesiarum assumi seu postulari; quæ postulatio a gratia & dispensatione Pontificis dependet, qui gratiam transeundi negabit ei, quem promotum non cupit, & annuet ei, quem promotum desiderabit.

DECRETALIS

De vocatione Canonicorum absentium ad electionem Episcopi Capuani. Cap. *Cum inter* 18. ✠ de Elect.

OBSERVATIO.

Quare aliqui absentes non debuerint vocari ad electionem Episcopi Capuani?

PRÆSENS Decretalis desumpta est ex Epistola 190. *lib.* 2. Innocentii III. extatque integra in tertia Decretalium Collectione, concernitque Electionem novi Archiepiscopi Capuani.

Casus erat. Vacante Ecclesia Capuana, in ditione Regis Siciliæ, quidam Canonici ejusdem Ecclesiæ Panormi existentes, Capitulo Capuano intimarant, ut si tractarent super electione novi Pastoris; quod *nullum* deberent *in eorum absentia nominare*. Quapropter Capitulum Capuanum quemdam ad illos *absentes* cum litteris destinavit; *duodecim dierum terminum* assignans, *intra quem, post receptionem litterarum, iter arriperent redeundi*.

Cum hæc Pontifici innotuissent, scribit Capitulo Capuano, quod *Ecclesiastica consuetudo non exigat, ut ad electionem Pastoris, Canonici tam remoti vocentur, & illi præcipue, qui longe ante* (ait) *quam vos, Metropolitani vestri obitum præsentialiter cognoverunt, quorum aliqui post ejus decessum, ad Capuanam Ecclesiam sunt reversi*. *Quia tamen* (ait) *mora longior est in electionibus valde suspecta, immo sæpe damnosa, mandamus quatenus, invocata Spiritus sancti gratia, personam idoneam per electionem Canonicam concorditer assumatis ad regimen Capuanæ Ecclesiæ*.

Occasione hujus Responsi, quærunt hoc loco Interpretes, quandonam *absentes* ad electionem ob distantiam loci vocandi non sint, & si vocati fuerint, iisque terminus ad comparendum præstitutus, an possit ante lapsum termini ad electionem procedi.

De hac Canonicorum absentium ad electionem vocatione, & termino præfigendo, egi in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 3. tit. 4. c. 3.* alias *tit. 21.*

Innocentius III. vice Regia assensum debet præbere huic Electioni quod constitutus esset Tutor Regis.

Denique præcipit Pontifex, ut electione facta, *Nuntios idoneos ad* ipsum transmittant, *per quos* (ait) *a nobis vice Regia assensum, & Apostolicæ confirmationis gratiam requiratis*.

Nota quod Pontifex Romanus speciali Jure gauderet circa Ecclesiam Capuanam, quæ secundum communiorem sententiam fuerat ex Suburbicariis.

Vix credibile est quantopere hallucinati sint hujus Decre-

Decretalis Commentatores, circa hæc verba, *per quos a nobis vice Regia poſtuletis aſſenſum*, defectu notitiæ Hiſtoriæ, quæ omnem plane difficultatem diſpellit.

Itaque ſciendum, quod Henricus VI. moriens, reliquerit filium unicum nomine Fridericum trium aut quatuor circiter annorum (*a*): quodque Conſtantia Mater & Tutrix ejus, poſtmodum moriens, teſtamento ſuo tutelam filii ſui; & adminiſtrationem Regni Siciliæ, aliarumque ditionum ad eum ſpectantium commiſerit Pontifici Innocentio III. quemadmodum in Geſtis ejuſdem Pontificis aſſeritur. Unde & Capuano, aliiſque Archiepiſcopis ſub ditione Regis Siciliæ ſcribit *l.* 1. *Epiſt.* 564. quod licet plures jam pridem fuerint rationes; ob quas Pontifices quamdam dilectionis & gratiæ prærogativam circa Regnum Siciliæ habuerunt: „ nunc (ait) cauſa potior & urgentior ſupervenit, „ cum inclytæ recordationis Conſtantia Imperatrix, „ chariſſimi in Chriſto filii noſtri Friderici Siciliæ Re„ gis illuſtris *tutelam*, & Regni *balium* nobis teſta„ mento reliquit, & nos ſuper utroque ab omnibus „ aſſecurari mandavit. „

Idipſum ibidem ſcribit Epiſtola 563. Comiti Fundano; „ ſi quidem (ait) Imperatrix prædicta (Conſtan„ tia) legitimum condidit Teſtamentum, quo *nobis* „ chariſſimi in Chriſto filii noſtri Friderici Siciliæ Re„ gis illuſtris *tutelam* & *curam* Regni conceſſit,

Videri poſſunt & plures litteræ ad diverſos ab Innocentio datæ, ut ſe in hac Regis tutela, & Regni cura & adminiſtrationem firmaret.

Quia igitur per Regnum Siciliæ jus ſeu conſuetudo eo tempore habebat, ut ſuper facta electione ad Cathedrales & Metropolitanas Eccleſias Regius peteretur aſſenſus, eum a ſe tamquam *vice Regia* Regnum Siciliæ adminiſtrantes, & *tutelam* Regis gerente, poſtulandum cenſuit Pontifex.

Hoc exemplo pateſcit, quantopere ad illuſtrationem & aſſequendum ſenſum Decretalium conducat notitia, Hiſtoriæ præſertim ejus ætatis, uti eruditiores Canoniſtæ adverterunt, & ſignanter circa præſentem Decretalem poſt Janum a Coſta Franciſcus Florens, & Dandinus Alteſerra annotarunt.

DECRETALES

In negotio belli inter Philippum Auguſtum Regem Galliarum & Joannem Angliæ Regem. Cap. *Novit* 13. ꝟ de Judicus, & Cap. *Sicut* 29. ꝟ de Jurejurando.

OBSERVATIONES.

Contentio inter Joannem & Arthurum de Regno Angliæ.

FAMOSA ac notabilis hæc Decretalis in *cap. Novit*, illuſtranda eſt ex hiſtoria belli, quod interceſſit inter Philippum Auguſtum Regem Franciæ & Joannem Anglorum Regem, vulgo Joannem *ſine terra* vocatum.

Sub initium Sæculi XIII. pax etiam medio juramento concluſa erat inter dictum Philippum & Joannem, ſed diuturna non fuit.

Poſt obitum enim Richardi Regis Anglorum, qui contigit anno 1199. de jure ſucceſſionis in Regnum contentio orta eſt inter hunc Joannem, fratrem Richardi natu minorem, & Arthurum Comitem Britanniæ nepotem Richardi ex fratre ejus Gaufrido *natu majore*; quo ex capite Arthurus patrem ſuum repræſentans prætendebat ſe præferendum in ſucceſſione Regni, quaſi pater ſuus *natu major* omne jus ad Regnum in filium ſuum tranſmiſiſſet.

Angli nihilominus Joannem Regem venerati ſunt; ipſeque ab Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo inauguratus fuit Londini. Arthuri vero jura inter alios protexit Philippus Auguſtus Rex Galliæ, copiaſque ei dedit, quarum ope Pictaviam ſibi ſubjugaret.

Hanc Provinciam ingreſſus Arthurus, Mirabellum Caſtrum obſidione cinxit: ſed Joannes copioſo exercitu advolans, hoſtem obſidione depulit, ac Arthurum nepotem ſuum captivum fecit, qui apud Faleſiam ſub cuſtodia vigilanti remanſit, ac elapſo dein aliquo tempore, cum, urgente Rege Joanne, ut a Rege Francorum recederet, & ſibi ut Domino & avunculo fideliter adhæreret, cum indignatione & minis reſpondiſſet, ſibi Regnum Angliæ competere, Rothomagum mittitur, & in arce nova retruſus ſub arctiore cuſtodia ſervatur, tandem non multo poſt *ſubito evanuit, modo fere omnibus ignorato, utinam non ut fama refert, invidia*; uti ſcribit Matthæus Pariſienſis ad annum 1202.

Joannes fertur occidiſſe Arthurum.

Et ſane pleriſque perſuaſum erat, Arthurum a Joanne occiſum fuiſſe, quod quidem verbis citatis innuit Matthæus Pariſienſis, ſed terminis clarioribus expreſſit Henricus de Kuython Canonicus Leiceſtienſis *lib.* 11. *de eventibus Anglor.* „ Joannes (inquit) male venit „ ad Regnum: nam Arthurum de Britannia filium „ Godfridi fratris ſui *doloſe* occidit. "

Poſtquam hæc Arthuri mors percrebuiſſet, atque ad aures tandem Philippi perveniſſet, Joannes de fratricidio & crimine læſæ-Majeſtatis accuſatus Arreſto Curiæ Parium Franciæ anno 1203. per contumaciam fuit damnatus, ac terræ, quas tenebat in Regno Franciæ, primum confiſcatæ & Coronæ unitæ, a Philippo occupatæ fuerunt.

Idcirco bellum inter Philippum Regem Galliæ, & Joannem.

Hinc bellum acerrimum Philippum inter & Joannem. Narratque Matthæus VVeſtmonaſterienſis ad annum 1202. „ quod increbuerit opinio per totum Re„ gnum Francorum de morte Arthuri, & per omnes „ nationes tranſmarinas, adeo quidem quod Rex Io„ annes ſuſpectus habebatur ab omnibus, quaſi illum „ *manu propria* peremiſſet. Unde multi animos a Re„ ge ſemper deinceps avertentes, ipſum uſque ad mor„ tem perſecuti ſunt odio *inexorabili*. " Aſſerit quoque Rigordus in Geſtis Philippi ad annum 1212. hoc nepotis homicidium cauſam dediſſe bello.

Bellum hoc multis annis duravit; ipſeque Philippus ubique pene victor evaſit; adeo ut tandem Ludovicum filium ſuum in Angliam miſerit, ut Regnum illud occuparet, uti narrat Matthæus Pariſienſis & VVeſtmonaſterienſis, aliique Hiſtorici.

Joannes Regnum ſuum Innocentio III. ſubjicit. Hic cauſam ſuſcipit,

Videns igitur Joannes ſe omnibus ſpoliandum, tandem reccurrit ad Innocentium III. cui Regna ſua jam ſubjecerat: ut de cauſa hac Philippum inter & ipſum judicaret.

Cauſam ſuſcepit Innocentius, eumque in finem Abbatem Caſemarii una cum Archiepiſcopo Bituricenſi delegavit, qui de cauſa cognoſcerent, una mittens hanc præſentem Decretalem Prælatis ſive Archiepiſcopis & Epiſcopis per Franciam conſtitutis; ipſis mandans, *& in virtute obedientiæ præcipiens, quatenus poſtquam idem Abbas ſuper hoc mandatum fuerit Apoſtolicum executus, ſententiam ejus, immo* (ait) *noſtram verius, recipiatis humiliter, & faciatis ab aliis obſervari, pro certo ſcitari, quod ſi ſecus egeritis, inobedientiam veſtram graviter puniemus*: uti habetur in integra apud Antonium Auguſtinum in tertia Collectione Decretalium.

Prævidebat enim Pontifex ſagaciſſimus, Regem Francorum, Gallicanos Præſules, Proceresque cauſæ mere temporalis judicium Sedi Apoſtolicæ ægre permiſſuros; cum de juſtitia belli, uni Deo rationem ſe debere dare exiſtiment ſupremi Principes, nullum Superiorem in *temporalibus* præter ſolum Deum recognoſcentes.

Prætendit adverſus Philippum procedere ratione peccati.

Hæc itaque præſagiens Pontifex in proœmio ſuæ Decretalis, ſinceri ſui in Philippum & Regnum Francorum amoris teſtem appellat eum, *qui nihil ignorarat, qui ſcrutator eſt cordium, ac conſcius ſecretorum*: ut latius exprimitur in integra Decretali.

Præterea proteſtatur, quod *juriſdictionem Illuſtris Regis Francorum perturbare aut minuere* non intendat, *cum ipſe juriſdictionem noſtram* (inquit) *nec velit, nec debeat impedire: cumque juriſdictionem propriam non ſufficiamus explere, cur alienam uſurpare, velimus?* ut additur in integra.

Poſt hæc, adductis verbis Chriſti *Matthæi cap.* 18. *verſ.* 15. 16. *&* 17. de ordine ſervando in correptione fraterna, & de contumaci deferendo Eccleſiæ, exponit, quod *Rex Angliæ*, ut aſſerit, *ſit paratus ſufficienter oſtendere, quod Rex Francorum peccat in ipſum* in correptione, *& ipſe* (Joannes Rex Angliæ) *circa eum in correptione proceſſit ſecundum regulam evangelicam, & tandem quia nullo modo profecit, dixit Eccleſiæ*, e quibus concludit: *quomodo nos, qui ſumus ad regimen univerſalis Eccleſiæ ſuperna diſpoſitione vocati, mandatum divinum poſſumus non exaudire, ut non procedamus ſecundum formam ipſius? niſi forſitan ipſe coram nobis vel Legato noſtro ſufficientem in contrarium rationem oſtendat.*

Hinc & ulterius proteſtatur, quod *non* intendat *judicare de feudo, cujus* (ait) *ad ipſum ſpectat judicium, niſi forte Juri communi per ſpeciale privilegium vel contrariam conſuetudinem aliquid ſit detractum; ſed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet ſine dubitatione Cenſura, quam in quemlibet exercere, poſſumus & debemus.*

Verbis & lege Imperatoria propria proceſſum ſuum conatus juſtificare.

Deinde addit verba Valentiniani Imperatoris Suffraganeos Mediolanenſis Eccleſiæ ita compellantis; *Talem in Pontificali Sede conſtituere procuretis, cui & nos, qui gubernamus Imperium, ſincere noſtra capita ſubmittamus, & ejus monita (cum tamquam homines deliquerimus) ſuſcipiamus neceſſario velut medicamenta curantis.* Hæc hiſtoria de Valentiniano ſumpta eſt ex hiſtoria Tripartita, & non loquitur, niſi de ſubmiſſione voluntaria quoad ea, quæ concernunt ſalutem animæ. Molinæus *Tom. IV. nu.* 392.

Laudat & legem, quam ſub nomine Theodoſii recitat Gratianus, *cauſ.* 11. *qu.* 1. *Can.* 35. qua ſancitum eſt, ut ſi litigantium alter *judicium elegerit ſacroſanctæ Sedis Antiſtitis; etiamſi pars* adverſa *refragetur, ad Epiſcoporum* Tribunal cauſa deferatur.

Iterum probat, quis poteſt quamlibet de peccato mortali corripere.

Deinde ſuam poteſtatem, *non humanæ conſtitutioni, ſed divinæ potius* innixam aſſerit. *Nulus* enim (ait) *qui ſit ſanæ mentis ignorat, quin ad officium noſtrum ſpectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Chriſtianum, & ſi correptionem contempſerit*, ipſum *per diſtrictionem Eccleſiaſticam coercere.*

Si hujuſmodi argumento & titulo Pontifex queat ſe controverſiæ ſuper *re mere temporali* inter duos *ſupremos*

(*a*) Nonnulli inter Gallos Scriptores contendunt Fidericum in cunis tunc extitiſſe, atque ſolum egiſſe novem circiter menſes.

premos Principes Judicem conſtituere ; quidem Epiſcopi & Paſtores eodem titulo ſibi attribuere poſſint judicium ſuper pleriſque controverſiis temporalibus inter ſuos reſpective ſubditos exortis, quandoquidem & ad hos pertineat de quocumque *mortali peccato* corripere ; ſi ſcilicet publicum ſit, & correptione publica indigeat.

Quæ enim ſubjungit in integra Decretali ex ſacro texte de Officio Paſtorum corripiendi impios, æque Epiſcopos & Paſtores reſpectu ſibi ſubditorum, ac Pontificem, concernunt & obligant.

Interim hoc fundamento etiam Bonifacius VIII. prætendit aliquando Regem Galliæ ſibi in temporalibus ſubditum, ut paulo infra dicetur.

Prætendit de hoc bello cognoſcere *jurati*

Denique cauſam hanc ad judicium Sedis Apoſtolicæ evocare, contendit ratione juramenti.

Cum *inter Reges ipſos reformata fuerint pacis fœdera* (inqnit) *& utrimque præſtito proprio* juramento *firmata ; quæ tamen uſque ad* præfixum ſervata *non fuerint ; numquid non poterimus de juramenti religione cognoſcere ; quod ad judicium Eccleſiæ non eſt dubium pertinere, ut ruptæ pacis fœdera reformetur ?*

Si hic rurſus titulum ſufficeret, ut negotia publica mere temporalia ad judicium Eccleſiæ traherentur ; quæ eſſent lites & diſceptationes ſuper pactis & contractibus, præſertim *publicis*, quæ ad forum Eccleſiaſticum hoc titulo evocari non poſſent ? & quod ſæculo XIII. & ſeqq. alibi contigiſſe ; Petrus Cugnerius ſub Philippo Valeſio conqueſtus fuit, uti notavimus in *Jure Eccleſiaſtico Tomo IV. parte 3. tit. 1. cap. 2. num. 31.* hujus editionis.

Quis hujus Decretalis fuerit effectus, Hiſtorici ſingillatim non memorant ; qui nec hujus Decretalis meminere ; quamvis Rigordus *de geſtis Philippi Auguſti* ad annum 1202. ſcribat, quod circa hæc tempora Innocentius III. miſerit Abbatem Caſamarii (cujus in hac Decretali fit mentio) ad Regem Francorum & Regem Angliæ, pro pace inter eos reformanda,

Philippus ſe opponit Legato Pontificis.

Interim illud conſtat, quod non obſtantibus his litteris, bellum inter Francorum & Anglorum Reges continuatum fuerit uſque ad mortem Joannis ; quodque ipſi Barones Angliæ elegerint Ludovicum filium Philippi Auguſti in Regem Angliæ, ipſo Joanne adhuc ſuperſtite.

Narrat quoque Matthæus VVeſtmonaſterienſis ad annum 1216. illuc appuliſſe Galonem Legatum miſſum ab Innocentio III. ad tuitionem Joannis, „ qui tranſitu „ facto (ait) per Regem Francorum Philippum, ex parte Domini Papæ diſſuaſerat, ne filium ſuum Ludovi- „ cum ſuccurſum excommunicatorum (ſcilicet Baro- „ num Angliæ, qui excommunicati fuerant ob rebel- „ lionem contra Joannem) tranſmitteret, *ne Eccleſia „ Romana patrimonio ſuo privaretur.*

„ Quod cum intellexiſſet Rex Philippus hoc de Re- „ gno Angliæ dictum fuiſſe, ita mox reſpondit : *Re- „ gnum Angliæ patrimonium Petri vel Eccleſiæ Ro- „ manæ nunquam fuit, nec eſt, nec erit* „.

Probat primo : quia Rex Joannes, multis retroactis temporibus „ volens Richardum fratrem ſuum a Regno „ Angliæ injuſte privare, & inde de proditione accu- „ ſatus, & coram eo convictus, damnatus fuit per ju- „ dicium in Curia ipſius Regis, & ita nunquam fuit „ Rex. Et ſi fuiſſet aliquando verus Rex „ poſtea „ foris fecit Regnum poſt mortem Arthuri, de quo „ (ait Philippus) damnatus fuit in Curia noſtra „.

Addidit inſuper Philippus : „ nullus Rex vel Princeps „ poteſt dare Regnum ſuum ſine aſſenſu Baronum ſuo- „ rum, qui Regnum tenentur defendere. Et ſi *Papa* „ hunc errorem tueri allectus novæ dominationis libi- „ dine contumaciter decreverit, exemplum omnibus „ Regnis dabit perníciofum : ad quod verbum omnes „ circumſtantes Franciæ Magnates, quaſi uno ore cla- „ mare cœperunt, *quod pro iſto articulo ſtarent uſque „ ad mortem : ne videlicet Rex vel Princeps per im- „ petum propriæ voluntatis poſſet Regnum dare, vel „ tributarium facere, unde nobiles Regni efficerentur „ ſervi* „.

Ita VVeſtmonaſterienſis. Idem latius deſcribit Matthæus Pariſienſis ad eumdem annum, qui ibidem refert colloquium die ſequenti habitum inter dictum Legatum & Philippum Regem Franciæ, præſente ejus filio Ludovico, qui inter alia dixit. „ De Regno Angliæ quid „ ad vos aliquid conſtituere ? Me ſubjicio judicio Pa- „ rium meorum, ſi debetis me cogere, ne perſequar „ jus meum, & præcipue tale, quod ad te non per- „ tinet, vel non poteſtis juſtitiam mihi exhibere, quia „ pro hæreditate uxoris meæ uſque ad mortem, ſi ne- „ ceſſitas exegerit, decertabo „.

Ex his non obſcurum eſt, præſentem Decretalem ſcriptam fuiſſe, poſtquam Joannes Rex Regnum Angliæ Eccleſiæ Romanæ tributarium feciſſet, atque ita Innocentio III. in gratiam rediiſſet.

Ulterius intelligitur, quod Rex Franciæ nullatenus agnoſcere voluerit cauſæ hujus cognitionem ad Pontificem ſive Sedem Apoſtolicam pertinere.

Ad hanc quoque Hiſtoriam pertinet Decretalis Innocenti III. in *Cap.* Sicut 29. ⁂ *de Jurejurando.*

Jubet Innocentius Philippum quaſdam Terras Joanni reſtituere : huncque abſolvi a juramento, quo jure feudali Philippo erat obſtrictus.

Cum enim Joannes Rex Angliæ propter mortem illatam nepoti ſuo Arthuro per ſententiam Parium Franciæ fuiſſet tamquam perduellis declaratus, & pro hoſte Francorum judicatus, jure Urbium & Provinciarum, terrarumque, quas jure Beneficiario ſive feudali a Francis tenebat, excidiſſe credebatur, Philippus Rex Franciæ terras illas occupavit, atque inter cæteras Comitatum Pictavienſem.

Joannes ergo Rex Angliæ viribus Philippo impar, confugit ad Innocentium III. conquerens de Philippo, quod contra juramentum, quo inter ipſos fœdus fuerat firmatum, terras ſuas invaſiſſet :

Innocentius, qui Joanni favebat ; ſcripſit ſuis in Gallia Legatis, ut Philippum moneant, ut ſine dilatatione terras ſic occupatas reſtituat Joanni Regi Angliæ, huncque a *juramento*, quo Philippo jure feudali erat obſtrictus, prorſus abſolvant ; uti notavit Bzovius in continuatione Baronii ad annum 1200. *n.* 14. & poſt eum Emmanuel Gonzales in notis ac citatum *c.* 29. una monens, quod in textu pro *H. J.* legendum *Ph.* id eſt *Philippo.*

Ex his rurſus apparet ; quam plurimum facere pro elucidatione Decretalium, Hiſtoriarum cognitio.

DISSERTATIO HISTORICA.

In Librum Sextum Decretalium Bonifacii VIII.

§. I.

Rationes ; quæ moverunt Bonifacium ad edendam, novam Collectionem.

GREGORIUS IX. evulgans ſuam Decretalium Collectionem, voluit, „ ut hac tantum compilatione „ univerſi uterentur in Judiciis & in Scholis, diſtri- „ ctius prohibens, ne quis præſumat aliam facere, „ abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ *ſpeciali* „.

Innocentius IV. & Gregorius X. Conſtitutiones ſuas antiquioribus inſeri voluerunt.

Hinc poſt Gregorii editam compilationem, nulla ſeptuaginta circiter annorum ſpatio, facta eſt nova Decretalium compilatio : ſed Pontifices, ac notanter Innocentius IV. & Gregorius X. novas a ſe promulgatas Conſtitutiones, ſimul cum antiquis, uni & eidem volumini ſub eadem ſerie, iiſdemque titulis annecti juſſerunt ; uti notat Gloſſographus ad procemium *VI. Decretalium* verbo *Prædeceſſorum.*

Hocque ſignificare voluit Gregorius X. dum promulgans Conſtitutiones a ſe in Concilio Lugdunenſi editas, hiſce *univerſos* uti voluit & mandavit in Judiciis & Scholis, *ipſaſque ſub ſuis titulis inſeri, prout exprimitur ſuper eis :* nimirum inſeri ſub titulis Decretalium *Gregorii IX.* prout & hodie Conſtitutiones hæ ſub diſtinctis illis titulis deſignatæ extant apud Labbæum tomo XI. Conciliorum Generalium *col.* 974. *& ſeqq.*

Hoc & ipſe Bonifacius VIII. teſtatur in Epiſtola ſuæ Collectioni præfixa, dicens, morem prædeceſſorum ſuorum fuiſſe, ut *dum Conſtitutiones aliquas promulgabant* noviter, *eas mandabant ſub* antiquarum *ſerie ſituati.*

Bonifacius VIII. novam Decretalium Collectionem fecit.

At ipſe Bonifacius anno 1294. Pontificatum ſibi vindicans, prætermiſſo more in Decretalibus evulgandis a Prædeceſſoribus ſuis poſt evulgatam Collectionem Decretalium a Gregorio IX. conſtanter ſervato, novam Decretalium Collectionem a Gregoriana diſtinctam, & omnino ſeparatam fieri mandavit, quæ hodie vocatur *ſextus Decretalium.*

Ut quænam poſt Collectionem Gregorii IX. indubitatæ eſſent Decretales, conſtaret.

Rationem, quæ ipſum ad hanc Decretalium Collectionem adnotandam & evulgandam movit, expreſſit in citata epiſtola, *Doctoribus & Scholaribus univerſis Boniæ commorantibus* inſcripta, & huic Collectioni præfixa, quod ſcilicet, poſt volumen Decretalium a Gregorio IX. compilatum, nonnullæ ab ipſo Gregorio IX. & a ſubſequentibus Pontificibus ſuper diverſis articulis editæ dicerentur Decretales, *de quarum aliquibus, an Decretales exiſterent, & quinam eſſent earum auctores, dubitabatur.*

Ut igitur huic incertitudini & vacillationi occurreret, novum Decretalium volumen ad exemplum Gregorii IX. compilari fecit Bonifacius VIII.

Compilatores a Bonifacio deſignati.

Curam compilandi hoc Decretalium volumen commiſit Guillelmo Archiepiſcopo Ebrodunenſi, Berengario Epiſcopo Biterrenſi, & Richardo de Senis, R. E. Vice-Cancellario, & J. U. Doctori, qui e variis Decretalibus volumen hoc compilarunt.

Ad normam autem Collectionis Gregorianæ, hoc volumen ſive compilationem in quinque ſimiliter Libros diviſerunt ; ſinguloſque Libros in varios titulos diſtribuerunt ; idque eo ordine, quo in Gregoriana compilatione

idque eo ordine, quo in Gregoriana compilatione occurrunt.

Sextus Decretalium ad normam Collectioni Gregorii IX.

Itaque apparet, hoc volumen vice appendicis ad Gregorii IX. volumen ordinatum esse, atque propterea ei nomen *Sexti Decretalium* adhæsisse: quasi esset liber *sextus* ad *quinque* Libros Decretalium Gregorii IX. adjectus, uti ipse Bonifacius in Epistola præfixa significat dicens: *Quem Librum quinque Libris aliis dicti voluminis Decretalium* (Gregorii IX.) *annectendum, censuimus* sextum *nuncupari*.

Rursus ad exemplum Gregorii IX. hoc suum volumen Decretalium misit Bonifacius VIII. *Doctoribus & Scholaribus universis Bononiæ commorantibus*.

Denique exemplo Gregorii IX. mandat, *ut hoc tantum volumine utantur de cætero in Judiciis, & Scholis, nullas alias* (inquit) *præter illas, quæ inseruntur,* aut specialiter *reservantur in eo, Decretales aut Constitutiones, a quibuscumque Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus post editionem dicti voluminis* (Gregorii IX.) *promulgatas recepturi, aut pro Decretalibus habituri*.

Inconveniens in reservatione quarumdam Decretalium non insertarum.

Exemplum specialis reservationis occurrit in *cap. fin. de Hæreticis in VI.* in verbis: *Constitutiones & Ordinationes, & Mandata alia Prædecessorum nostrorum in negotio hæreticæ pravitatis facta, concessa, seu etiam ad consulta responsa, qua Constitutionibus supra scriptis super eadem editis pravitate non obvient, in sua volumus robore permanere*.

Sed ex simili reservatione, in eam facile incertitudinem incidetur, quam hac sua compilatione tollere intendit Bonifacius: quandoquidem haud difficulter contingere possit, ut de hac illave Decretali hanc materiam concernente dubitetur, num authentica sit vel non.

§. II.

De forma hujus Collectionis.

In *sexto Decretalium* primum locum tenent quædam Gregorii IX.

QUEMADMODUM Gregorius IX. Prædecessorum suorum Decretales in diversa dispersas volumina, aliquas vero extra dicta volumina vagantes, in unum volumen redigendas curavit, ita & Bonifacius VIII. Decretales Romanorum Pontificum post factam Gregorii IX. Collectionem evulgatas, in unum volumen redigi mandavit.

Inter has primum locum obtinent quædam Constitutiones ipsius Gregorii IX. quas post evulgatum suum Decretalium volumen emiserat.

De his Constitutionibus notat Cujacius ad *cap. fin. ✠ de Testibus*, quod *Hostiensis* tempore, id est, sub medium sæculi XIII. quo nondum erat editus *sextus* Decretalium, *extra hoc volumen* (Decretalium Gregorii IX.) *pleræque circumferebantur Gregorii Constitutiones*.

Immo ipse Hostiensis pleraque Decretales Gregorii IX. relatas hodie in *Sexto* Decretalium exponit in Commentario ad Decretales Gregorii IX. tamquam his adjectas, licet eas vocet *Extravagantes*: quia non erant primitus auctoritate Gregorii IX. volumini Decretalium insertæ.

Sic ad calcem tituli Decretalium Gregorii IX. *de Testibus* exponit Decretalem ejusdem Gregorii, quæ hodie extat sub nomine dicti Pontificis, in *c. 1. de Testibus in VI.* atque Hostiensis: *Hoc est quoddam* Extravagans *Gregorianum, quod quidam Libri habent, quidam non*.

Post editum autem *Sextum* Decretalium, omnes hæ Constitutiones Gregorii IX. a Collectione Gregoriana avulsæ sunt, utpote jam in *Sextum* Decretalium, auctoritate Bonifacii VIII. relatæ.

Deinde in eodem habentur Decretales Alexandri IV. Nicolai IV. & Bonifacii VIII.

Præter Gregorii IX. paucas Constitutiones, potissimum in hac Collectione occurrunt Decretales Innocentii IV. Alexandri IV. Gregorii X. Nicolai IV. & frequentissimæ ipsius Bonifacii VIII.

Denique præ cæteris illic eminent Decretales Innocentii IV. & Gregorii X.

Sicut autem in volumine Decretalium Gregorii IX. præ cæteris eminent Decreta Concilii Turonensis & Lateranensis sub Alexandro III. item Lateranensis sub Innocentio III. ita & in hoc Decretalium volumine præ cæteris reputantur Decreta in Conciliis Lugdunensibus sub Innocentio IV. & sub Gregorio X. ideoque & hæc brevibus Observationibus illustrabimus, præmissa brevi Conciliorum illorum historia.

Decretales in *sexto* varie mutatæ.

Quemadmodum Raymundus Collectionis Gregorianæ auctor nec omnes nec integras pristinas Decretales in volumen suum collegit, sed eas duntaxat, quas utiliores credebat, easque & sæpius recisas & mutilatas, sive ut in Epistola Collectioni præfixa dicitur, *resecatis superfluis* ita & Collectores hujus voluminis *sexti* Decretalium sibi assumpserunt libertatem e pluribus eas solas seligendi, quæ sibi meliores & convenientiores apparebant; quin & has abbreviandi, mutandi, & iis addendi, uti in ipsa epistola volumini præfixa monet ipse Bonifacius.

Postquam enim dixit, se quibusdam mandasse, ut Decretales extra Collectione Gregorii IX. vagantes in unum volumen colligerent, & disponerent, subjungit: *Et tandem pluribus ex ipsis* (*cum vel temporales, aut sibi ipsis, vel aliis juribus contrariæ seu omnino superfluæ viderentur*) *penitus resecatis, eis abbreviatis, & aliquibus in toto vel parte mutatis, multisque correctionibus, detractionibus, &* additionibus (*prout expedire vidimus*) *factis in ipsis*.

Decretalis abbreviatæ exemplum suppeditat: *cap. 1. de Decimis in VI.* ubi paucis verbis refertur Decretalis Gregorii IX. directa Fratribus Prædicatoribus & Minoribus „ decisa (inquit Glossa) de Extravagante sua, „ quæ incipiebat, *Gravi nobis*. Et prout ibi patet, ex „ querela Archiepiscopi & Capituli Pisani pervenit ad „ Papam, quod Prædicatores & Minores prædicabant, „ Decimas ex præcepto non deberi „.

Exemplum Decretalis abbreviatæ.

Decretalis hæc seu Extravagans tempore Hostiensis constituebat *cap. fin. ✠ de Decimis*; eamque exponit ibidem Hostiensis; dividitque proœmium seu expositionem Archiepiscopi & Capituli Pisani, a dispositiva seu resolutione Papæ, quæ integra recisa est: atque insuper hæc initialia verba Responsi Pontificis: *cum igitur vestram non deceat honestatem talia proferre, propter quæ mentes Fidelium a bonis operibus retrahantur, & unde debeant fructum divini operis reportare, detrimentum afferant; discretioni vestræ*, &c.

Ex hac igitur integra Decretali habebatur. Prædicatores & Minores in suis concionibus coram populo passim declamasse, *de cessatione & extinctione præceptorum* Veteris *Testamenti*; ex quo vel ipsi vel populus concludebant præceptum solvendi *Decimas* cessare, quemadmodum ex Commentario Hostiensis intelligimus.

Præterea integra Decretalis nos docet, hanc a Gregorio editam esse, ad querelam & interrogationem Archiepiscopi & Capituli Pisani, non autem *motu proprio*, quemadmodum Constitutiones, quæ sub nomine Gregorii IX. in Libris Decretalium extant, promulgatas esse notant Interpretes.

Dicit præterea Bonifacius in præfatione, *Decretalibus in toto vel in parte mutatis*.

Exemplum Decretalis auctæ.

Hujus mutationis exemplum occurrit in *cap. 2. Ne Clerici vel Monachi in VI.* ubi extat Decretum sub nomine Bonifacii VIII. quod tamen tractum esse de *Extravagante* Innocentii IV. quæ incipiebat *Gravis & dolore non vacua*, notat Glossographus; monetque a Bonifacio additum versiculum, *nec accedat*, usque ad versiculum, *si quis autem*.

Rursus in *cap. 1. de Testamentis in IV.* exhibetur Decretalis sub nomine Bonifacii VIII. quam & tractam esse de *Extravagante* Innocentii IV. quæ incipit *Joannes Francipani*, notat Glossa.

Et ad *cap. 11. de Rescriptis in VI.* monet, Bonifacium reformare Decretalem Innocentii IV. quam (ait) *hodie non habemus*.

Decretalium, quæ *detractionibus* mutatæ sunt, exemplum est in citato *cap. 1. de Testam. in VI.* ubi exhibetur Decretalis Innocentii IV. de qua ait ibidem Glossa: *Et forte nimis fuit decisa*.

Decretalium *additionibus* immutatarum plura exempla occurrunt, & exemplificat Joannes-Andreas in *cap. 8. de Præbend. in VI.* & plura indicat in proœmio *Sexti* Decretalium, verbo *additionibus*.

Nec tantum antiquæ *Pontificum* Decretales has mutationes & truncationes passæ sunt; sed subinde & Decreta sub nomine Concilii Generalis, uti infra in *Observationibus* nostris ad Constitutionem 23. Gregorii X. in *Concilio Generali Lugdunensi* editam, & relatam in *Cap. unico de Religios. domib.*

Inconveniens harum mutationum.

Per has mutationes & detruncationes, & additiones circa antiquas Decretales, contigit, ut nesciamus, num Decreta, quæ sub nomine horum illorumve Pontificum, aut Conciliorum in hoc Decretalium volumine referuntur, sint revera auctorum illorum, quibus adscribuntur, etiam quoad sensum, quandoquidem unius alteriusve voculæ detractio, mutatio, vel additio, alium plane sensum Decretali dare queat.

Præterea ob has immutationes, decisiones, & additiones contingit, ut ad eruendum genuinum pristinæ Decretalis sensum plurimum conducat consulere integram Decretalem hisce mutationibus, decisionibus, aut additionibus non alteratam, si haberi queat; quemadmodum supra ostensum est circa antiquas Decretales, e quibus volumen Decretalium Gregorii IX. conflatum est.

§. III.

Rationes, ob quas Sextus *Decretalium in Galliæ haud receptus fuerit.*

Dissidia inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum.

COMPILATIONEM Bonifacii VIII. sive *Sextum* Decretalium in Gallia receptum non fuisse passim referunt Regni illius Scriptores: quin & scribit Antonius Mornacius *ad lib. 7. ff. de jure & justitia*. „ Cum circa „ annum 1300. quinque Libros Bonifacius VIII. ad Gregorii Collectionem adjecisset; audivi sæpius a Senatore „ maximo Hieronymo Angeneo vetuisse jam pridem „ Senatum, ne ulla deinceps voluminis Bonifacii, „ quod *Sextum* dicimus, ad instruendas, decidendasque „ lites allegarentur capita, ventumque de eo Sena„ tusconsultum tantisper in sacris Curiæ, tabulariis „ fuisse, dum Dominica summi cujusdam, quem no„ minabat, manu subductum fuerit „.

Hujus non receptionis meminit & Glossographus ad *cap. Generali 13. de elect. in VI.* rationem illius refundens in controversiam, quæ fuit inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Regem Francorum super Juribus Regaliæ, quæ habet Princeps in aliquibus Ecclesiis, videlicet; quod vacante aliqua Ecclesia, Rex percipiat fru-

fructus, & Ecclesiam conferat; cum enim dixisset vocem *Regalia* a nonnullis accipi pro Juribus illis, subdit: „ & ista fuit controversia alias mota inter Philippum „ Regem Francorum & Bonifacium VIII. conditorem „ hujus compilationis: qui Bonifacius dicto Philippo „ Regi scripsit quamdam Epistolam, in qua continebantur ista verba: *Collatio Beneficiorum est spiritualis;* „ *secus autem credentes hæreticos reputamus*: quam „ Epistolam cum perlegisset ipse Philippus, eidem Bo„nifacio scripsit aliam Epistolam, in qua posita erant „ ista verba: *Collatio Beneficiorum ad nos spectat & per„tinet; secus credentes fatuos & dementes reputamus* „.

Sane fuisse controversias plures, easque acerbas super quibusdam Juribus inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Regem Francorum; easque peperisse pertinax illud ac diuturnum dissidium inter hunc Pontificem & dictum Regem, sat notum est.

Constat quoque has controversias reddidisse memoriam hujus Pontificis Gallis admodum odiosam, multaque passim a gentis illius auctoribus in contumeliam hujus Pontificis narrari, de quibus agere aut inquirere animus non est; at solum annotare Decretales & Bullas, quas hoc dissidium peperit; & quid ex parte Regis hisce oppositum fuerit; & quæ moderatio circa has Decretales & Bullas, postmodum ad extinguendum hoc dissidium a subsequentibus Pontificibus contigerit.

Certum est præcipuam hujus dissidii causam fuisse, quod Pontifex prætenderet, auctoritatem Sedis Apostolicæ ad *temporalia* Jura, & *politica* Regnorum *negotia se extendere*.

Guido Comes Flandriæ a Rege Philippo incarceratus appellat ad Bonifacium VIII.

Hujus specimen præcipue dedit, dum altero sui Pontificatus anno appellantem ad suum Tribunal contra Philippum Regem Francorum, recepit Guidonem Comitem Flandriæ.

Hic Comes Regis Philippi offensam incurrerat ob filiam suam filio Eduardi II. Regis Angliæ (cum quo Philippo bellum erat) inconsulto Rege Philippo, desponsatam. Comitem ejusque uxorem ea de causa incarceratos tenebat Philippus, nec prius dimisit, quam filiam obsidem tradidisset Comes.

Comes ergo Bonifacium VIII. Papam de injuria sibi a Rege illata certiorem fecit, ejusque Tribunal appellavit. Pontifex appellationem admisit; Episcopumque Meldensem Legatum misit ad Regem, qui ei significaret, ut Flandriæ Comiti satisfaceret, sin minus ad Tribunal Pontificium, ad quod Comes appellaverat, se sisteret.

Rex irritatus hoc Pontificis agendi modo, Legato respondit: „ Papam nullo jure subnixum *dominationis* „ *sæcularis regendæ munus capessere* velle: Curiam apud „ se habere, quæ subditis suis, Beneficiariisque jus di„ceret: nec se præter Deum quemquam in terris Su„periorem agnoscere, cui de *Regni administratione* ra„tionem reddere teneretur: idcirco frustra Legationem „ istam obiisse. Re itaque infecta Legatus discessit „: uti narratur in *historia Dissidii inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum per Petrum Dupuy pag.* 3.

Occasione subventionis, quam Philippus postularat a Clero, Bonifacius edit Constitutionem *Clericis Laicis*.

Verum cum Rex Galliæ ad sustinendos sumptus belli contra Eduardum II. Regem Angliæ notabilem a Clero suo subventionem postulasset, & recepisset, atque ea de re nonnulli apud Pontificem querelas detulissent, Pontifex hinc nactus occasionem evulgavit anno 1296. famosam Decretalem, quæ incipit *Clericis Laicos* relatam in *cap.* Clericis 3. *de Immunit. Eccles. in VI.*

In prooemio hujus Decretalis narrat, quod passim Principes sæculares Ecclesiasticis personis varia onera imponant, eosque *moliantur multifarie subjicere servituti, suæque submittere ditioni: nec prudenter attendunt* (ait) *quam sit eis in Clericos, Ecclesiasticasve personas, & bona, interdicta potestas*.

Post hæc vetuit sub pœna excommunicationis *ipso facto* incurrendæ, omnibus Ecclesiasticis, quidquam de suis proventibus vel bonis, *sub adjutorii, mutui, subventionis, subsidii vel doni nomine, seu quovis alio titulo, modo, vel quæsito colore, Laicis solvere vel promittere, vel se soluturos consentire*, absque auctoritate Sedis Apostolicæ,

Præterea Imperatores, Reges seu Principes, aliique cujuscumque præeminentiæ, conditionis & status, qui *talia* (inquit) *imposuerint, exegerint vel receperint, aut apud Ædes sacras deposita Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum ubilibet arrestaverint, saisiverint, seu occupare præsumpserint, vel arrestari, saisiri, aut occupari mandaverint, aut occupata, saisita, seu arrestata receperint, necnon omnes, qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, eo ipso sententiam Excommunicationis incurrant*.

Universitates vero, quæ in his culpabiles extiterint, *Ecclesiastico supponit interdicto*.

Ulterius *Prælatis & personis Ecclesiasticis, in virtute obedientiæ, & sub depositionis pœna districte mandat, ut talibus absque expressa licentia dictæ Sedis nullatenus acquiescant*.

Quin & addit, quod *prætextu cujuscumque, obligationis, promissionis, & confessionis factarum* hactenus, vel faciendarum in antea, *priusquam hujusmodi Constitutio, prohibitio, vel præceptum ad ipsorum notitiam pervenerit, nihil solvant, nec supradicti Sæculares quoquo modo recipiant; & si solverint, vel prædicti receperint, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto.*

Ab his censuris, extra mortis articulum, nullum absolvi posse declarat *absque Sedis Apostolicæ auctoritate & licentiæ* speciali. Denique hæc observari mandat, non obstantibus *quibuscumque privilegiis, sub quibuscumque tenoribus, formis seu modis, aut verborum conceptione concessis Imperatoribus, Regibus, & aliis supradictis*.

Notat hic Glossographus, hanc derogationem adjectam: „ quia aliqui Principes habent privilegium a „ Summo Pontifice, ut non possint incurrere senten„tiam Canonis. Item quod nos possint ab homine „ excommunicari „.

Jubet eam in Galliis promulgari.

Legatis suis Albanensi & Prænestino Episcopis injunxit, ut eam Constitutionem in Galliis & Anglia promulgarent, ac Præsules ad eam servandam adigerent, uti observat Odoricus Raynaldus ad annum 1296. *n.* 22.

Licet in hac Decretali nulla Regis aut Regni Galliæ nominatim mentio fiat, ex circumstantiis tamen sat notum erat, hanc Constitutionem præcipue in Regem Galliæ dirigi, qui notabile a Clero suo subsidium receperat; eaque occasione nonnullos Prælatos Regni sui contra se excitaverat.

Constitutio itaque hæc apud Regem, ejusve Ministros Bonifacio magnam invidiam peperit; præsertim quia generaliter Laicis Principibus, *in Clericos, Ecclesiasticasve personas, & bona interdictam potestatem doceret*, quodque eam agendi rationem a Principibus Laicis hactenus assumptam, *horrendum potestatum sæcularium abusum doceret*.

Rex vetat pecuniam extra Regnum asportari.

Itaque Rex Galliæ reputans, sui odio potius, quam Ecclesiasticæ libertatis studio hanc Decretalem evulgatam: sciensque quanta pecuniarum summa quotannis e Regno suo Romam, ac in Italiam veheretur, Edicto suo die 17. Augusti ejusdem anni 1296. cavit: „ ne „ quisquam cujuscumque conditionis, status, nationis, „ aut dignitatis existat, aurum vel argentum sive in „ moneta, sive in quavis alia materia, sive forma, „ extra Regni sui limites quovis colore vel titulo, vel „ per se vel per alium, absque sua super hoc *specialiter* „ *obtenta licentia* per terram vel per aquam deferre, vel „ per Litteras conficere præsumat „. Additis gravi„bus pœnis in contravenientes. Edictum habetur in „ actis hujus Dissidii.

Bonifacii super hoc acerbæ literæ ad Philippum.

Hujus Regii Edicti conscius factus Bonifacius, acerbissimas ad Regem dedit Litteras 21. Septembris eodem anno, quibus asserit hoc Edictum esse subditis Regis non parum perniciosum, utpote quo ipsius omne commercium cum extraneis interdicitur. „ Et si (quod absit) „ fuerit Condentium intentio (ait) ut ad nos & fra„tres nostros Ecclesiarum Prælatos, Ecclesiasticasve „ personas, & ipsas Ecclesias, ac nostra ipsorum bo„na, non solum in Regno tuo, sed etiam constituto„rum ubilibet extendatur; hoc non solum fuisset im„providum, sed *insanum* velle ad illa temerarias manus „ extendere, in quibus tibi sæcularibusque Principibus „ nulla est attributa potestas, quin potius ex hoc con„tra Libertatem eamdem temere veniendo, in excommu„nicationis sententiam promulgati Canonis incidisses „.

Multis dein extollit Beneficia, quæ in eum contulit Sedes Apostolica, quantosque in ejus gratiam exantlaverit labores; „ nonne (ait) pro tua & dicti Regni tui „ procuranda salute, & adversitate vitanda noctem in„somnes duximus, & subivimus intolerabiles quasi do„lores, postquam ad Apostolatus apicem cælestis di„spositio nos vocavit „.

Nec desunt minæ, quibus Regem terreat. Leva (in„quit) in circuitu oculos tuos, & vide. Cogita & re„pensa Romanorum, Angliæ, & Hispaniæ regna, „ quæ undique te circumdant, eorumque potentias ac „ strenuitatem & multitudinem incolarum, & patenter „ agnosces, quod non fuit tempus acceptabile, non dies „ salutis in diebus istis. Nos & ipsam Ecclesiam tali„bus punctionibus tangere, talibus perturbare pun„cturis „.

Post hæc patenter innuit, si Ecclesiæ Romanæ adversetur, quod & Sedem Apostolicam, ac Reges illos adversarios sentiet; & „ adeo nostra, & ejusdem Eccle„siæ, ac aliorum prædictorum provocationis tibi (ait) „ sarcina gravior redderetur, quod ad ejus pondus tui „ efficerentur humeri impotentes „.

Tuetur Bonifacius Constitutionem *Clericis Laicos*.

Addit, quod si huic Edicto causam dederit Constitutio a se nuper evulgata: „ talis profecto, tam sug„gestorum, quam suggesti motus, nullius fulcitur „ (ait) auxilio rationis „.

Dicit enim, quod Constitutio hæc, si bene *perpendatur, statuat, quod alias per sanctiones Canonicas est statutum: licet pœnas contra transgressores adjecerit, nonnullis ex communi quasi vitio peccare desinentibus, potius formidine pœnæ, quam amore virtutis*.

Nec enim Constitutio simpliciter & absolute Prælatis prohibet pro *necessitatibus* Regni, subsidium aliquod præstare; *sed adjecimus* (inquit) *id non fieri absque nostra auctoritate speciali*.

Hujus cautionis rationem dicit fuisse, *exactiones intolerabiles* personis Ecclesiasticis per Officiales Regis auctoritate Regia impositas; *de futuris potius verisimiliter formidantes* (inquit) *cum ex præteritis certitudo præsumi valeat de futuris*.

Addit hic rursus, quod Regem non noverit ad tales

exa-

exactiones faciendum auctoritate fulcitum: „ cujus auctoritatis abusum, in Te (inquit) ac quolibet Principe Sæculi divina & humana jura, quin immo judicia detestantur, cum tibi sit in eis talis auctoritas penitus interdicta, quod tibi pro tua, & tuorum Successorum salute ad perpetuam rei memoriam præsentibus intimamus „.

Promittit autem, quod, si gravis Regni necessitas immineret, Sedes Apostolica, non tantum Prælatis permitteret subsidium conferre; sed etiam cogeret; quinimo, si casus exigeret, *ad Calices & Cruces, aliaque propria Vasa manus extenderet priusquam tantum & tale Regnum, tam ipsi Sedi charum immo charissimum, & ab antiquo devotum exponeret minoris curæ defectus, quo minus ab ea efficacis defensionis præsidia sortitetur.*

Declarat insuper per suam Constitutionem nullatenus veritum esse Prælatis, *servire de feudis, vel subventiones facere, in quibus feudorum ratione tenentur*, uti aliqui malevoli Constitutionem interpretabantur.

Vult etiam, ut Rex consideret, quod nullus pene Rex sit, qui eum non impugnet: atque inter alios, quod Rex Romanorum prætendat multas tamquam ad se pertinentes, & ab ipso ac Prædecessoribus occupatas terras, & specialiter Comitatum Burgundiæ, *quod notum est fore feudum descendens ab Imperio, & recognoscendum ab ipso*. Similiter quod Rex Angliæ de nonnullis terris Guasconiæ asserat idem.

Bonifacius prætendit judicare de actionibus Principum ratione peccati.

Asserit, quod super his controversiis Reges illi judicium Sedis Apostolicæ, *quæ Christicolis omnibus præeminet*, non recusent: atque *de hoc judicium ad Sedem eamdem esse non dubium pertinere*; idque hac ratione, quod dicti Reges sustineant Regem Galliæ *in eos super iis peccare*; injuste nimium (ut ipsi prætendebant) terras alienas occupando, aut bellum injustum movendo.

Non dubium quin hoc titulo omnium controversiarum super Juribus etiam *temporalibus*, judicium facile sibi afferre posset Romanus Pontifex: uti supra in *Observatione* ultima ad Decretales Innocentii III. ad *cap. Novit. 13. ✠ de judiciis* ostensum fuit, occasione Decretalis Innocentii III. qui eodem titulo se Judicem competentem prætendebat inter Regem Galliæ & Angliæ.

Denique concludit Pontifex, significans, quod ad ipsum Regem mittat Episcopum Vivariensem, qui *oraculo vivæ vocis* exponat & exprimat mentem suam; multisque Regem hortatur, „ ut paterna medicamina suscipiat reverenter, & sibi Regnoque suo salubribus monitis acquiescat, errata corrigens per seipsum, nec permittens in anima per falsa contagia se seduci... *Nec oporteat*, inquit, *nos ad alia & minus usitata remedia, perseveranter instante ac pulsante, nec non cogente Justitia, extendere manus nostras, quamvis hoc inviti & voluntarii faceremus* „.

Litteræ hæ seu Bulla integra extat in citata historia Dissidii *pag. 15. & seqq.*

Manifestum Regis super Edicto suo de non asportandis pecuniis extra Regnum.

Rex huic Bullæ opposuit publicum scriptum per modum *Manifesti*; in quo primum asseritur, Regem, equos, armas, pecunias, & similia generali Edicto prohibuisse extrahi de Regno suo, nec hoc tamen *simpliciter* prohibuisse, sed adjecisse, hoc non debere fieri *absque ejus licentia speciali*, intenderitque Clericis licentiam dare, *quando sibi constaret pro certo, quod talia, sic ab ipso prohibita, essent bona Clericorum, & quod extrahi de Regno, sibi & Regno non obessent, nec inimicis prodessent.*

Clerum obligari Regibus ad subsidia.

Libertatem a servitute peccati, quam nobis suo sanguine Christus comparavit, Clericis Laicisque *communem* esse probatur; agnoscit tamen plures esse *libertates singulares, non universalis Ecclesiæ, sponsæ Christi, sed solum ejus Ministrorum, qui cultui Divino ad ædificationem populi sunt vel esse debent specialius deputati.*

Has libertates Clero per *Statuta Pontificum Romanorum de* benignitate, *vel saltem permissione Principum* sæcularium *concessas* asserit, easque sic esse concessas, ut Regibus sua jura non auferantur, dicente Domino Pontificibus Templi: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

Adhæc notari vult, *quia turpis est pars, quæ suo non congruit universo, & membrum inutile, & quasi paralyticum*, quod corpori suo subsidium ferre recusat. Proinde Clerici, qui Regi Regnoque subsidia denegant, *semetipsos partes incongruas, & membra inutilia, & quasi paralytica esse demonstrant.*

Hinc concludit; proinde dum a talibus Clericis pro rata sua subventionum auxilia requiruntur, non *exactiones*, vel *extorsiones*, vel *gravamina* dici debent; sed potius *Capiti*, & *Corpori*, & *membris debita subsidia.*

Immo, ait, cum Clericis non liceat pugnare per *seipsos*, hæc subsidia censenda sunt *stipendia præparata pro Defensoribus & Pugilibus ipsorum, Nemo si quidem tenetur pro aliis propriis stipendiis militare.*

Acerrimæ dein sequuntur invectivæ & exclamationes, quod Vicarius Christi prohibeat sub pœna anathematis tributum dare Cæsari. *Quis sapiens & intelligens hæc, ait, non incidit in vehementem stuporem, audiens, Vicarium Jesu-Christi prohibentem tributum dare Cæsari, & sub anathematis pœna fulminantem, ne Clerici, contra iniquæ & injustæ persecutionis incursus, Domino Regi & Regno, immo sibimetipsis pro rata sua, manum porrigant adjutricem; dare vero histrionibus & amicis carnalibus, &, neglectis pauperibus, expensas facere superfluas in Robis, equitativis, comitativis, comessationibus, & aliis pompis sæcularibus permittitur eisdem, immo conceditur ad perniciosæ imitationis exemplum?*

Exaggerat, quam injustum & inhonestum sit, sub anathematis pœna cohibere, *Ne Clerici, ex devotione Principum incrassati, impinguati, & dilatati pro modulo suo assistant eisdem Principibus contra injustarum persecutionum adversitates.*

Denique asseritur, Regem, Ecclesiam Catholicam, & Ministros ejus multipliciter venerari in terris, sicut & omnes Patres sui: sed *hominum minas minus rationabiles & injustas minime reformidare; nam* (ait) *coram Deo, favente ejus clementia, semper Justitia invenietur in nobis*. Habetur hoc scriptum in actis hujus Dissidii.

Bonifacius jubet in Galliis collectam fieri pro Terra Sancta.

Misit insuper sub hoc tempus Papa duos Nuntios in Galliam, Bernardum Albanensem & Simonem Prænestinum Episcopos, cum mandato colligendi pecuniam in subsidium Terræ sanctæ, & Sedis Apostolicæ, & excommunicandi Regem, ejusque Officiarios, si pecuniam collectam impedirent in Italiam transportari. Habentur Litteræ Pontificiæ in citatis Actis.

Et Treugas continuari inter Reges Angliæ, Galliæ, & Romanorum.

Eisdem Nuntiis dederat & Bullam, qua inducias seu *Treugas* inter Regem Anglorum, Regem Romanorum, & Regem Galliæ *continuat* ad *biennium* sub pœna excommunicationis in contravenientes.

Rex in temporalibus Deum solum Superiorem agnoscit.

Priusquam hæc Bulla coram Rege Galliæ prælegeretur, Rex coram ipsis Nuntiis Papæ protestatus est: „ regimen *temporalitatis* Regni sui ad ipsum Regem solum, & neminem alium pertinere: seque in eo neminem alium Superiorem recognoscere, nec habere, nec intendere, supponere, vel subiicere modo quocumque viventi alicui super rebus pertinentibus ad temporale regimen Regni sui. „

„ Quatenus autem ipsius Regis tangit animam, & ad spiritualitatem attinet, idem Rex Prædecessorum suorum sequens vestigia, paratus est monitionibus & præceptis Sedis Apostolicæ devote ac humiliter obedire, in quantum tenetur & debet, & tanquam verus & devotus filius Sedis ipsius, & sanctæ Matris Ecclesiæ reverentiam observare „.

Prælati quidam supplicant Pontifici, ut clementius agat.

Attendentes autem Episcopi Galliæ, quanta scandala & mala in Ecclesia pareret, & amplius pariturum esset dissidium inter Pontificem & Philippum Regem, Litteras ad Pontificem dedit Archiepiscopus Rhemensis cum suis Suffraganeis & Abbatibus, in quibus significant Pontifici, quod Rex, Barones, cæterique Regnicolæ Franciæ, Constitutionem noviter ab ipso emissam, *onerosam, gravem, & præjudicialem nimis* asserant Juri suo: *prætendantque, tum omnes, tum singulos incolas dicti Regni, ad defensionem Regni & Patriæ, omni privilegio, excusatione, & exceptione cessantibus, vocare, præsertim Feudatarios, & Fideles Regis ejusdem. Nosque, & alios Prælatos* (inquiunt) *de Regno, quorum quidam per homagium, & fere omnes juramento fidelitatis sumus adstricti eidem Domino Regi, ad jus & honorem ipsius & Regni servandum.*

Post hæc exponunt, quanta ex illa Constitutione in Ecclesia Gallicana turbatio sit timenda, enixe propterea rogantes Pontificem, ut „ opportune & salubriter Provisionis remedium in hac parte clementius adhibere dignetur, per quod sedet scandala, & cum Rege, suisque Principibus, & cæteris temporalibus Dominis dicti Regni, eadem Gallicana servet Ecclesia pacis & charitatis solitæ unionem „.

Has Litteras mittebant per duos Episcopos, quos specialiter ad Pontificem destinabant: „ qui (inquiunt) frementia scandala & imminentia, immo instantia *in januis* (a) hujusmodi discriminosa pericula, sensibus vestris perfectius explicabunt oraculo vivæ vocis.

Bonifacius interpretatur Constitutionem *Clericis Laicos*.

Per hos aliosque verisimiliter permotus Pontifex, prædictam Constitutionem seu Decretalem exposuit & interpretatus est, per Bullam eodem anno datam, qua in primis primo declarat, quod dicta Constitutio, vel *ejus prohibitio ad donaria vel mutua, seu quævis alia* Voluntaria *Prælatorum, & personarum Ecclesiasticarum Regni Galliæ, omni prorsus exactione cessante se aliquatenus non extendat*, licet ad id forsan ipsius Regis, aut ejus Successorum vel Officiariorum *requisitio curialis & amica* præcedat.

Secundo declarat, quod *Feudalia, Censualia, sive Jura quælibet in rerum Ecclesiasticarum datione retenta, vel alia servitia consueta, Regi, vel aliis Dominis temporalibus, tam de jure, quam de consuetudine a personis Ecclesiasticis debita, præfata Constitutio non includat, vel aliquatenus comprehendat.*

Tertio declarat, quod personæ Ecclesiasticæ pro Ecclesiarum suarum utilitatibus compositionis aut transactionis titulo, vel alio quovis modo, seu pro libertatibus acquirendis, cum Rege, aliisque Dominis temporalibus libere va-

(a) Dicitur Allegoria proverbiali *in januis, in foribus adesse*, quod instat, quod proxime imminet, aut jam in proximo est.

valeant convenire, prout conscientiis eorum videbitur, & *ante Constitutionem eamdem poterant*.

Quarto adjicit huic Declarationi, quod *si Regi & Successoribus ejus pro universali vel particulari ejusdem Regni defensione periculosa necessitas immineret, ad hujusmodi necessitatis casum se nequaquam extendat Constitutio memorata*.

Quin & addit, quod simili casu *necessitatis* Rex & Successores ipsius possint a Prælatis & Ecclesiasticis personis petere & recipere pro hujusmodi defensione subsidium vel contributionem: *illudque ad illam Prælati & personæ prædicti Regis suisque Successoribus*, inconsulto Romano Pontifice, *teneantur, & valeant, sub quotæ nomine aut alias etiam imperari*, non obstantibus Constitutione prædicta, seu quovis exemptionis, vel alio quolibet privilegio sub quacumque verborum forma confecto, a Sede Apostolica impetrato.

Addit insuper, quod *Declaratio necessitatis supradictæ* ipsius *Regis* & ejus Successorum conscientiis relinquatur, dummodo vigesimum ætatis annum exegerint. Si autem eam ætatem non exegerint, tunc relinquitur conscientiis eorum, qui de *stricto consilio* Regis fuerint, seu majoris partis ipsorum.

Denique declarat, quod *non existat intentionis* suæ, nec extiterit per Constitutionem prædictam seu Declarationem præsentem, jura, libertates, franchisias, seu consuetudines, quæ Regi aut aliis Dominis temporalibus editionis præfatæ Constitutionis tempore, ac etiam ante illud competere noscebantur, tollere, diminuere, vel quovis modo mutare, aut eis in aliquo derogare, seu novas servitutes vel submissiones imponere; sed jura, libertates, franchisias, & consuetudines supradictas, prætactis Regi, & aliis Dominis temporalibus illæsa & integra conservare. Habetur hæc Bulla integra in actis Dissidii.

Benedictus XI. eamdem Constitutionem quoad pœnas restringit.

Benedictus XI. immediatus Bonifacii VIII. Successor per suam Decretalem, quæ incipit, *Quod olim*, & extat in *Extravagante unica de Immunit. Ecclesiarum inter communes*; Constitutionem Bonifacii VIII. *Clericis Laicos*, quoad pœnas in ea expressas restrinxit *ad* Exigentes tantummodo, *& ad exigendum, dantes auxilium, consilium, vel favorem; non autem* (ait) *quoad easdem pœnas in solventibus aut recipientibus a* sponte *dantibus* deinceps *sivi vendicet locum*.

Clemens V. eam pro infecta haberi vult.

Verum animadvertens Clemens V. hujus Benedicti Successor, quod scandala & incommoda orta ex Constitutione Bonifacii VIII. *Clericis Laicos*, nec per Decretalem Benedicti XI.; neque per Declarationem ipsius Bonifacii cessassent, quin & ampliora sequi verisimiliter præsumerentur in futurum; *ipse de consilio Fratrum suorum Constitutionem & Declarationem seu Declarationes prædictas, & quidquid ex eis secutum est, vel ob eas, penitus revocavit, & eas haberi voluit pro infectis*.

Itaque tandem Decretalis penitus revocata fuit, etiam cum suis Declarationibus; ac propterea nec ullus Doctorum eum legit, sive commentatus est; uti notat Glossa marginalis dictæ Constitutionis. Monet Glossographus, quod Clementis Constitutio fuerit de *primis Constitutionibus Clementis a principio promotionis suæ*.

Non omnes Clementinæ in Concilio Viennensi editæ.

Cum autem Clemens V. promotus fuerit ad Pontificatum anno 1305. sequitur hanc Decretalem circa idem tempus, scilicet *a principio promotionis* editam fuisse; ac per consequens, eam non posse adscribi Concilio Viennensi, demum anno 1311. celebrato.

Ex quo habemus, non omnes Constitutiones relatas sub nomine Clementis V. in *Concilio Viennensi* (quomodo & hæc relata extat in *Clem. unica de Immunit. Eccles.*) posse attribui huic Concilio, quod & infra latius ostendetur, ubi de Concilio Viennensi nec non Clementinarum libro seu collectione agetur.

§. IV.

Progressus Dissidii inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Regem Franciæ, & Bullæ sive Decretales ea occasione editæ, ac signanter Extravagans Unam sanctam.

Columnenses Bonifacio exosos suscipit Philippus.

DISSIDIUM inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum rursus increbescere cœpit, quando Rex refugium præbuit in Regno suo *Columnensibus*, quibus Bonifacius summopere erat infensus.

Bonifacius fert sententiam super dissidio inter Philippum & Guidonem Flandriæ Comitem Regemque Angliæ.

At huic dissidio majus incrementum præbuit sententia, quam Bonifacius tanquam *privatus arbiter* pronuntiavit inter Philippum Regem Galliæ ab una, & Guidonem Flandriæ Comitem & Eduardum Regem Angliæ ex altera partibus; qua declaravit, ut Comiti Flandriæ filiam suam, quam in custodia retinebat Philippus, pro libitu parentum in matrimonium collocandam dimitteret, occupataque oppida Comiti redderet, Angliæ quoque Regi restitueret quidquid ei abstulisset hoc ultimo bello in Aquitania: monuitque Philippum, ut unice de bello contra *Infideles* in Oriente gerendo cogitaret.

Datæ sunt Legato Anglicano hujus dissidii sive sententiæ Litteræ per Pontificem obsignatæ: quæ coram „ Rege, præsentibus Carolo Valesio ejus fratre, Roberto Arthesiæ, & Ludovico Ebroici Comitibus recitarentur; Robertus Comes Arthesiæ ira excandescens, raptas illas ex Angli Regis Legati manibus, „ in ignem projecit, rem non sic abituram jurans, „ nec Papam ultionis avidum Regni damno ac detrimento iræ suæ indulturum „; ut habet hujus dissidii historia. „ Quin (ait historia) Rex ipse nihil „ eorum, quæ Pontifex pronuntiaverat, se servaturum affirmavit, sed ut primum exirent induciæ, „ bellum se hostibus instauraturum „.

Philippi iram declinare conatur indictione Belli sacri.

Ut autem contra Regem irritatum se fortius armaret Pontifex, nullus modus ei magis legitimus visus est, quique cum majore plausu exciperetur, & Religionis pallio facilius tegeretur, quam malitiam sacram publicando contra Christiani nominis hostes in Oriente, eoque magis id placebat, quod Regem Philippum in hoc bellum propendere sciret.

Notant passim Historici, & notorium est, hujusmodi sacras militias sive expeditiones in Saracenos & Infideles, auctoritati Pontificiæ ultra modum promovendæ plerumque subservisse. Hæ quippe expeditiones pene sola Pontificum auctoritate dirigebantur: ipseque Pontifex iis quasi omnium supremus intendebat, & ab ipsius quodammodo nutu *sacra* seu religiosa militia dependebat.

Præterea solebant & ipsi Reges cum copiis suis militaribus, ac nobilibus Regni has expeditiones suscipere: atque hoc pacto vires Regni sui tanto amplius debilitabant; & minus formidabiles se Pontificibus reddebant.

Itaque Bonifacius Episcopum Apamiensem ad Regem Galliæ destinavit, qui propositum sibi de Bello sacro consilium Regi significaret; dederat & in mandatis eidem Episcopo, ut de dimittendo Flandriæ Comite, ejusque Liberis cum Rege ageret.

Videns autem Apamiensis Episcopus, mandata Pontificia a Rege sperni, in verba contumeliosa prorupit; dicens se nullo nomine Regi subditum, sed Pontifici Romano tam in spiritualibus quam *temporalibus* subjacere; ab eoque quidquid haberet, aut esset, acceptum ferre.

Quin & eo vehementiæ processit, ut sacris interdictionem Regi Regnoque minatus sit: ausus & absolutum Pontificis in Reges & Principes imperium asserere.

Philippus Episcopum Apamiensem carceri tradit.

His irritatus Rex, eum anno 1301. Curiæ Regiæ sisti jussit; ibique de variis criminibus accusatus, tandem Narbonensis Archiepiscopi sive Metropolitani carceri includitur, ut ab eo una cum Episcopis Provinciæ judicetur. Ista constant ex Historicis, ut notanter ex Actis processus criminalis contra dictum Apamiensem Episcopum, quæ integra extant in Appendice ad Historiam hujus Dissidii *pag.* 624.

Bonifacius jubet hunc Episcopum libertati reddi.

De his certior factus Bonifacius, dedit Litteras ad Regem, quibus petit, quin & mandat, ut dictum Apamiensem Episcopum libere abire permittat, & ad suam præsentiam securum pervenire; omniaque bona sive ad ipsum Episcopum: sive ad ejus Ecclesiam pertinentia, & auctoritate Regis occupata, restituat; quia „ secundum divina, canonica, & humana jura „ Ecclesiarum Prælati, & personæ Ecclesiasticæ, tam „ Regulares quam Sæculares, in quibus Laicis nulla „ est attributa potestas, multa debent libertate & immunitate gaudere „.

Monet & Regem, quod nisi ad excusationem suam, aliquid rationabile propositum fuerit vel ostensum, „ ambigere nequeat „ quin incurrerit sententiam *Canonis* propter injectionem temerariam manuum in dictum Episcopum.

Referuntur hæ Litteræ ad calcem citatæ historiæ hujus dissidii *pag.* 661. *& pag.* 657.; extant Litteræ Bonifacii sub idem tempus, & in eodem negotio datæ ad Archiepiscopum Narbonensem & Episcopos Biterrensem & Magalonensem, quibus mandat, de omnibus, quæ dicto Episcopo objiciuntur, ut inquirant & se informent: interim tamen Episcopo *ab omni potestate seu custodia* sæculari *plenarie liberato, & ab omnibus ejus & Ecclesiæ Apamiensis bonis manu dicti Regis & suorum prorsus amota*.

Mandat & Archiepiscopo Narbonensi, ut dictum Episcopum nomine Pontificis & Ecclesiæ Romanæ sub fida custodia diligenter custodiri procuret, donec de omnibus informatio capta fuerit, qua facta, ipsum cum omnibus instrumentis ad Sedem Apostolicam mittat.

Nec Litteris duntaxat egit Bonifacius, sed & Jacobum Archidiaconum Narboniensem, Nuntium & Notarium suum ad Regem misit.

Bulla Bonifacii *Ausculta Fili*, qua se constitutum *super Reges & Regna* pronuntiat.

Huic Nuntio dedit non tantum in mandatis, ut apud Regem instaret pro plenaria dicti Episcopi liberatione, sed insuper ei commisit Bullam expeditam 4. Decembris 1301. quæ incipit *Ausculta Fili*, *pag.* 46. qua primo pronuntiat, se *a Deo* constitutum *super Reges & Regna, ad evellendum, destruendum, dissipandum, ædificandum, atque plantandum sub ejus nomine & doctrina*.

Insuper monet per eamdem Bullam Regem, ne sinat sibi persuaderi, quod Superiorem non habeat, & non subsit summo Hierarchæ Ecclesiasticæ Hierarchiæ: *Nam*

(in-

(inquit) *despit; qui sic sapit, & pertinaciter hæc affirmans convincitur Infidelis.*

Et varias contra Regem querelas profert.

Dein de multis excessibus accusat Regem; ac signanter, quod licet explorati juris existat, quod in Ecclesiasticis Dignitatibus, cæterisque Beneficiis vacantibus in Curia vel extra Curiam, Romanus Pontifex summam & potiorem obtineat potestatem, & consequenter, Regi jus de his disponendi competere vel acquiri sine auctoritate vel consensu Apostolicæ Sedis „ tacitis vel expressis nequeat, ipse nihilominus collationes illorum sibi attribuat: cum tamen Beneficiorum collatio ad te (ait) non potest quomodolibet pertinere, nec per tuam collationem in ipsis, vel eorum aliquo potest alicui jus acquiri, sine auctoritate vel consensu Apostolicæ Sedis, tacitis vel expressis.„

Ulterius conqueritur, quod Prælatos & personas Ecclesiasticas Regni sui, etiam super *personalibus actionibus, Juribus, & immobilibus bonis, quæ ab ipso non tenentur in feudum, ad suum judicium pertrahat, licet in Clericos & personas Ecclesiasticas nulla sit Laicis attributa potestas.*

Addit insuper, quod Rex non permittat Prælatis contra suos molestatores libere uti *gladio spirituali*, nec Jurisdictionem eis competentem in Monasteriis seu locis Ecclesiasticis, quorum recipit *guardiam* vel custodiam, patiatur exercere; quin potius sententias seu processus ab ipsis promulgatos & latos, si sibi non placent, directe vel indirecte revocare compellat.

Reprobat, quod vacantium Regni sui Cathedralium Ecclesiarum redditus & proventus, *quos tui & tu* (inquit) *appellas* regalia *per abusum*, ipse & sui immoderate consumant: *sic fit* (ait) *ut quorum custodia fuit ab initio Regibus pro conservatione commissa, nunc ad consumptionis noxam dispendiose deveniatur, & discriminosis abusibus exponatur.*

Acriter invehitur in Consiliarios & Ministros Regis, qui sint, quasi falsi Prophetæ (ait) *suadentes tibi falsa & stulta, quia non viderunt a Domino visionem.*

Personaliter citat Bonifacius Episcopos Galliæ, & Theologiæ Magistros.

Intimat insuper Regi, se Monasteriorum Abbates, Cathedralium Ecclesiarum Capitula Regni Galliæ, & Magistros in Theologia, jure & Canonico & Civili, & alias nonnullas personas Ecclesiasticas oriundas de Regno Galliæ, per alias *patentes Litteras* suas, certo modo ad præsentiam suam evocasse.

Hæ Litteræ, quarum hic meminit, per eundem Archidiaconum Narbonensem missæ habentur in citata Historia Dissidii *pag.* 53. mandatque Episcopis & Magistris, ut *personaliter*, Capitula vero per idoneos procuratores, Apostolico conspectui se sistant in Kalendis Novembris anni 1302. ut super præmissis, & ea contingentibus vestra (ait) possimus habere consilia, „ qui apud eumdem Regem suspicione caretis, & sibi „ & Regno accepti estis & grati, & diligitis ipsum „ Regem „; eadem per similem Bullam scribit Monasteriorum Abbatibus, quæ extat in citatis actis *pag.* 54.

Litteræ Bonifacii ad Philippum de superioritate sua in temporalibus.

Ut autem supra allegatæ Litteræ in Regis animo fortiorem facerent impressionem, ac dilucide & breviter exprimeret, quid præcipue per prolixiores illas litteras intenderet, alias breviorem Bullam eodem die expedivit, & Archidiacono Narbonensi commisit, atque his verbis expressa habetur *pag.* 44. in citatis Actis: *Bonifacius Episcopus servus servorum Dei, Philippo Francorum Regi. Deum time & mandata ejus observa.* „ Scire te volumus, quod in temporalibus nobis subes, Beneficiorum & Præbendarum ad te collatio nulla spectat, & si aliquorum vacantium custodiam habeas, fructus eorum Successoribus reserves. Et si quæ contulisti, Collationem hujusmodi irritam decernimus, & quantum de facto processerit, revocamus; aliud autem credentes, hæreticos reputamus „.

Hujus & præcedentium Bullarum, nec non ablegationis Archidiaconi Narbonensis ad Regem, qui earum „ executionem & promulgationem urgeret, meminit Continuator VVillelmi de Nangiaco ad annum 1301. atque quod dictus Archidiaconus Regi ostenderit Litteras, in quibus Romanus Pontifex Regi Franciæ demandabat: „ quod eum scire volebat, se tam in *temporalibus*, quam spiritualibus subesse Romani Pontificis ditioni. Et omnino eidem Regi, sicut in Litteris continebatur, prohibuit, ne Ecclesiarum de cætero, vel Præbendarum vacantium in Regno suo, quamvis haberet custodiam earumdem, ususfructus sibi præsumeret detinere, sed totum mortuorum Successoribus reservaret. Prohibuit quoque ne collationem aliquam Præbendarum aut Beneficiorum vacantium sibi præsumeret usurpare. Quod si deinceps hoc faceret, totum irritum & inane decernebat, & secus & aliter sentientes hæreticos reputabat.

Addit præterea, quod dictus Archidiaconus citaverit quoque Episcopos, Doctores seu Magistros, Capitula Ecclesiarum, & quosdam Abbates, ut juxta Litteras Pontificias se in Kalendis Novembris coram Pontifice sisterent.

Eadem referuntur in antiquo Chronico Sandionysiano ad annum 1301. item in Chronico Nicolai Gillii Secretarii Regii; nominatimque citat prædictam parvam Bullam expressis initialibus verbis.

Indutie & ad hanc eamdem Bullam reflexit Glossographus in *cap.* Generali, *de Elect. in VI.* dicens: „ qui „ Bonifacius dicto Philippo Regi scripsit quamdam Epistolam, in qua continebantur ista verba: *Collatio Beneficiorum est spiritualis, secus autem credentes, hæreticos reputamus* „.

Rex convocat tres Regni Ordines.

Ut contra hæc omnia se muniret Philippus, de consilio Baronum, qui aderant, convocavit generalem Conventum trium Ordinum ipsius Regni; conveneruntque ad mandatum Regis die 10. Aprilis an. 1302. in Ecclesia Beatæ Mariæ Parisiis.

Gravaminum in Bonifacium expositio.

Omnibus igitur „ in præsentia Regis constitutis, „ idem Rex proponi fecit cunctis audientibus palam & „ publice, sibi ex parte Bonifacii Papæ fuisse inter „ alia per prædictos Archidiaconum & Litteras intimatum, quod de Regno suo, quod a Deo *solo* ipse „ & Prædecessores sui tenere hactenus recogniti sunt, „ *temporaliter ipsi subesse*; illudque ab ipso tenere deberet „.

Addebatur: „ *nec contenti verbis hujusmodi sic mirabilibus, sicque novis & inauditis a sæculo apud incolas dicti Regni, sed ea producere satagantes executionis in actum, Prælatos totius Regni, & Doctores de Regno oriundos ad suam præsentiam evocavit Bonifacius, pro corrigendis excessibus, nec non & pro culpis, insolentiis, injuriis, atque damnis, quæ Prælatis, Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis in Regno constitutis, & alibi per Regem, ejusve Officiarios vel Barones, inferri prætendunt, emendandum* „.

Una ostendebatur, quanta incommoda Regno Galliæ adferre posset hic Prælatorum & Doctorum a Regno discessus, & longa absentia.

Exposuit & eidem Conventui nomine Regis Petrus Flotta, gravamina, quæ Regno Galliæ per Curiam Romanam quotidie inferuntur, ac signanter „ tam per „ Reservationes, quam Ordinationes voluntarias Archiepiscoporum, & Episcoporum, & Collationes Beneficiorum insignium hujus Regni personis extraneis „ & ignotis, & nonnunquam suspectis, nullo tempore „ residentibus in Ecclesiasticis Beneficiis supradictis: „ e quo innumera mala consequi demonstrat.

Conquestus fuit & „ de pensionibus novis, & censibus Ecclesiis de novo impositis, immoderatis servitiis, aliisque exactionibus & extorsionibus variis, „ præjudicialibus signis, & damnosis novitatibus, quibus Ecclesiæ status immutatur „.

Dicit, quod „ Prælatis ea, quæ ad suum spectant „ officium, exequendi facultas adimatur, ut pro his „ ad Apostolicam Sedem cum muneribus recurratur „.

Nomine Regis publice & aperte protestabatur, quod „ Superiorem in temporalibus, sicut nec sui Progenitores, prout est toti mundo notorium, non haberet „.

Significavit quoque; quod jam proposuisset, & ordinasset, etiam ante adventum dicti Archidiaconi Narbonensis Nuntii Apostolici, adferre salubre remedium excessibus, qui Prælatis & Ecclesiasticis personis per Regios Officiarios inferri dicebantur: „ quod jam id „ duxisset in executionis effectum, nisi quod ad ex „ metu, vel ad mandatum Pontificis fecisse forsitan „ aliquibus videretur, id quod Pontifex sibi adscribere non posset „.

Resolutiones trium Ordinum.

His ita expositis, mandavit Rex „ sibi statim super „ his ab universis & singulis, præcise & finaliter „ responderi „.

Ac „ primum interrogati Barones & Nobiles, ad „ deliberandum secesserunt, & per aliquod temporis „ spatium re examinata, nomine omnium respondit „ Comes Arthesiæ, Regique gratias egit, quod Regni „ sui negotia; collapsamque disciplinam restituere decrevisset, ad eum protegendum, cum vitæ fortunarumque suarum periculo promptos ac paratos esse. „ Quod si Rex has Papæ usurpationes dissimulare ac „ pati vellet, eas tamen ferre se non posse, cæterum „ a nemine alio se pendere, nec in rebus *temporalibus* „ alium præter ipsum Dominum agnoscere „.

Hac Nobilium resolutione pronuntiata, jussi Ecclesiastici respondere „ *ad deliberandum sibi tempus concedi petierunt, cum & Regis animum delinire, iram sedare, concordiamque inter Sanctam Sedem & Regem conservare sibi propositum esset. Sed, urgente ac instante Rege, hanc sententiam rogati tulerunt. Ad Regem, Regiam familiam, & Regnum, ejusque libertatem tutandum se teneri, cum etiam ex suo ordine aliqui præstito Sacramento Ducatuum, Baroniarum, & Comitatuum, aliorumque feudorum in Regno sitorum ratione, in fide manere tenerentur; cæteri vero ex officio, utpote subditi, obstringerentur. Ut sibi Pontificem adire, ejusque jussis parere liceret, Regem oraverunt, quod illis denegatum fuit, renuente Rege, cujus sententiæ Nobilium ordo adhæsit* „.

Tertius seu Plebejorum ordo, secundum Regni libertatem suffragium tulit, sive ordini Nobilium consensit.

Hæc tum ex Epistola Episcoporum & Ordinis Ecclesiastici ad Bonifacium Papam (quæ extat in Historia

ria Diffidii *pag.* 67.) tum ex ipfa Hiftoria Diffidii habentur.

Meminit quoque hujus Conventus Continuator VVillelmi de Nangiaco, aitque, caufam hujus Conventus fuiffe, quod *timeret Majeftas Regia, ne propter hoc, quod Papa mandaverat, tam fibi in temporalibus*, quam *in fpiritualibus fe fubeffe, vellet idem Romanus Pontifex eniti, quod Regnum Franciæ a Romana Ecclefia in feudum teneretur*.

Trium Ordinum refponfione relata, tunc & Rege præfente, Nobilibufque adftantibus, Papæ Bulla (nimirum Brevior illa) *igne cremata eft*: cujus cremationis mentio occurrit in appendice Annalium Steronis, cujus fragmentum extat in Hift. Diffidii *pag.* 192.

Epiftola Philippi refponforia ad Bonifacium.

Credit Hiftoricus hujus Diffidii, nec fine fundamento, in hoc quoque Conventu refolutum fuiffe, ut Rex fcriberet Epiftolam oppofitam prædictæ Bullæ, quæ acribus verbis concepta cum hac infcriptione legitur: *Philippus Dei gratia Francorum Rex, Bonifacio fe gerenti pro fummo Pontifice, falutem modicam feu nullam*. „ Sciat ..... in *temporalibus* Nos alicui non fubeffe, „ Ecclefiarum ac Præbendarum vacantium collationem „ ad Nos Jure Regio pertinere, fructus earum noftros facere, collationes a Nobis factas & faciendas fore validas in præteritum & futurum, & earum poffeffores contra omnes viriliter nos tueri, fecus autem „ credentes, fatuos & dementes reputamus „.

Habetur integra in citatis actis Diffidii *pag.* 44. ejufque meminit antiquus Gloffographus ad *cap.* Generali *de Elect. in VI.* eamque Pontificis Litteris five Bullæ oppofitam fuiffe teftatur; uti Nicolaus Gillius in Annalibus Francorum ad *annum* 1300.

Ordo Nobilium fcribit ad Cardinales.

Ex refolutione Comitiorum datæ funt Litteræ nomine totius Ordinis Nobilium ad Cardinales Ecclefiæ Romanæ, quibus exponunt, quæ adverfus gravamina a Bonifacio Papa, & Curia Romana Regno Franciæ illata, & injuftas contra Regiam auctoritatem prætenfiones, in hoc generali Conventu expofita & refoluta fuerunt. Deinde Cardinales orant, ut in priftinum ordinem res revocari curent; profpiciantque, quomodo concordia inter Ecclefiam & Regnum integra fervaretur: dicuntque fibi propofitum firmiterque refolutum, Regis *in temporalibus merum Imperium*, & fupremam auctoritatem adverfus quofcumque afferere, etfi Rex ipfe conniveret, nec vendicare fibi vellet.

Item Plebejorum.

Ejufdem tenoris Litteras ad eofdem Cardinales dedit & tertius ordo Plebejorum.

Ecclefiaftici vero fupplicant Pontifici.

Ecclefiaftici vero, prætermiffis Cardinalibus, fcripferunt ad ipfum Pontificem; eique expofuerunt, quæ in hoc Ordinum Conventu propofita, ac tandem refoluta effent, prout ea ex his Litteris fupra relata funt, rogantque Pontificem, ut concordiam, quæ a primis temporibus inter Ecclefiam, Reges Regnumque Franciæ intercefferat, convelli minime pateretur, fed integram confervaret, ut Gallicanæ Ecclefiæ ftatus inconcuffus maneret: tandemque ut conditionis fortifque ipforum ratione, imperatam per Nuntium ad fe profectionem revocaret.

Pontifex invehitur in Conventum Gallicanum.

His refpondens Pontifex vehementer invehitur in acta hujus Conventus. „ Scimus equidem (inquit) multorum relatione Fidelium, nec latet Sedis Apoftolicæ „ notitiam, quæ & quanta fuerint in eadem Concione narrata, & præcipue quæ *Bellial* ille Petrus Flotte *femividens corpore, menteque totaliter excæcatus*, „ ac quidam alii prædicaverint, fanguinem fitientes „ populi Chriftiani „.

Queritur de Prælatis, quod non fatis generofe pro Officii debito in Conventu illo refponderint, & reftiterint. „ Videmini fiquidem (ait) fecundum dicta eorum, fpem ponere in terrenis, fi timore terrenorum contemnitis cœleftia, & feponitis, propter timorem Judicum, Chrifti jugum „.

Dicit, quod fruftra nitantur Regem in temporalibus fupremum reddere, & Sedem erigere contra Vicarium Chrifti: *quoniam ut primus Lucifer, cui non fuit huc ufque fecundus, recidit, cum fuis fequacibus corruet, quantumque fulciatur potentia, & fecundus. Nonne* (ait) *duo principia nituntur ponere, qui dicunt temporalia fpiritualibus non fubeffe?*

Concludendo ipfos exhortatur: *ut fpretis temporalibus, & contemptis Judicum minis nobifcum afcendatis ad cor altum, & exaltabitur Deus, qui diffipat confilia Principum, & cogitationes reprobat populorum, pro firmo fcientes, quod obedientes gratiofe videbimus, & contumaces pro qualitate inobedientiæ puniemus*.

Confiftorium Cardinalium pro fuperioritate Papæ in temporalibus.

Eodem anno habuit Pontifex Confiftorium Cardinalium, aliorumque Prælatorum, in quo Cardinalis Portuenfis magna vehementia pro fuperioritate Papæ in *temporalibus* peroravit: dixitque: *Ita fentio pro ifta veritate, quod auderem eam defendere contra totum mundum, & auderem exponere vitam meam, quod fummus Pontifex, qui eft Vicarius beati Petri, habet plenitudinem poteftatis, & ifte eft fummus Pontifex, qui eft Succeffor Petri, & qui hoc credunt, bene fentiunt, qui autem contrarium, male credunt:*

Præterea afferere non dubitat: *planum effe, quod nullus debeat in dubium revocare, quin poffit* (*Pontifex*) *judicare de omni temporali ratione peccati*.

Agnofcit quidem duas diftinctas effe Jurifdictiones fpiritualem & temporalem. Illam principaliter habere fummum Pontificem: hanc vero habere Imperatores, & alios Reges „ tamen (ait) de temporali habet cognofcere fummus Pontifex, & judicare *ratione peccati*. „

Deinde concludens difcurfum, ait. *Unde dico, quod Jurifdictio temporalis poteft confiderari, prout competit alicui ratione actus & ufus, vel prout competit alicui de jure; unde Jurifdictio temporalis competit fummo Pontifici, qui eft Vicarius Chrifti & Petri de jure: unde qui dicit contrarium, impingit illum articulum, Judicaturus eft vivos & mortuos, & in illum etiam prædictum Sanctorum Communionem*: fed *Jurifdictio temporalis quantum ad ufum, & quantum ad executionem actus non competit ei, unde dictum eft Petro, converte gladium in vaginam*.

Finito hoc difcurfu, cœpit & ipfe Pontifex vehementer invehi in Petrum Flotta tanquam confiliarium *peffimum, & omnium horum malorum auctorem*, eumque accufat, quod inter cætera falfo perfuaferit Regi, quafi Pontifex mandaret Regi, quod *recognofceret Regnum a Prontifice*. „ Quadraginta anni funt (inquit) „ quod Nos fumus experti in Jure, & fcimus, quod „ duas funt poteftates ordinatæ a Deo. Quis ergo debet credere, vel poteft, quod tanta fatuitas, tanta infipientia fit, vel fuerit in capite noftro, „ Dicimus, quod in nullo volumus ufurpare Jurifdictionem Regis, & fic frater nofter Portuenfis „ dixit „.

Poft hæc tamen addit. „ Non poteft negare Rex, „ feu quicumque alius Fidelis, quin fit Nobis fubjectus ratione *peccati* „. Indubie hic fignificatum voluit Pontifex, quemadmodum latius expofuerat Portuenfis: ipfi jus effe de omni temporali cognofcere, & judicare *ratione peccati*.

Quoad collationem Beneficiorum dicit: quod nolit filere, fed aperte dicat, hanc ad Regem non poffe pertinere: quia certum eft, & omnia Jura clamant, quod „ collatio Beneficiorum non poteft cadere in Laicum. „

Exponit deinde quot quantifque Beneficiis Regnum Galliæ a Romano Pontifice fuerit cumulatum, & quantopere ipfe Regem Philippum fuerit profecutus. Si vero per omnia ifta Rex non refipifcat, minatur quod *deponeret Regem ficut unum garcionem*: „ licet „ (inquit) cum dolore & triftitia magna, & effemus „ dolentes & triftes, ficut Nos neceffario oporteret. „

Bonifacius pergit citare Epifcopos Galliæ.

Infuper tribus Epifcopis, qui nomine omnium Epifcoporum Galliæ miffi erant, & inftabant ad Pontificem, ut ab evocatione ipforum defiftere vellet, ob rationes in Litteris ad Pontificem latius expofitas, refpondit: *Non relaxabimus, nec fufpendemus vocationem, immo illam confirmamus, roboramus, & iterum innovamus, & fi qui fint, qui non venerint, habebit locum illud Cantic. tempus putationis advenit. Si non poffit venire equites, veniant pedites*.

Quin & ipfis fignificat: „ quod fi qui non veniant, „ deponet, & privabit eos, juxta illud Evangelii, „ *Malos male perdet, & vineam fuam locabit aliis* „ *agricolis*: Immo (ait) plus dicimus, quod ex nunc, „ fi non veniant, legitimo impedimento remoto, fciant „ fe depofitos & privatos. „

Rex agit pro convocatione generalis Concilii, & depofitione Bonifacii.

Videns Rex, Pontificem nullatenus velle ab inceptis deflectere, metuenfque graviora, tandem eodem anno 1302. die 12. Martii, admifit libellum fupplicem fibi offerri per Guillelmum de Nogareto contra Bonifacium Papam, quo ipfum ut *Pfeudo-Pontificem*, qui Sedem, quam obtinet de facto, detinet injufte, accufat de variis & enormiffimis criminibus, quapropter „ petit, requirit, quanta poteft inftantia, & fupplicat Domino „ Regi, ut Prælatis (inquit) Doctoribus & populis „ atque Principibus fratribus noftris in Chrifto, maxime Cardinalibus & Prælatis omnibus intimetis, „ ut omnes *Generale* Concilium convocetis, in quo „ nefandiffimo prædicto damnato, per Venerabiles Cardinales provideatur Ecclefiæ de Paftore. „

Præterea offert fe paratum coram hoc Concilio *legitime probare*, quæ contra Bonifacium allegaverat.

Et quia fciebat, Concilii generalis congregationem intra breve tempus haberi non poffe, petit, ut per Cardinales Romanæ Ecclefiæ interea de Vicario provideatur, qui adminiftrare valeat, quoufque de Pontifice fit Ecclefiæ Dei provifum.

Et ad omnem occafionem Schifmatis prorfus tollendam, & ut dictus Bonifacius profecutionem hujufmodi non impediat, vel retardet, petit, ut interim Bonifacius ponatur in *cuftodia*.

Bulla Unam fanctam.

Bonifacius autem de his certior factus, promulgat eodem anno 16. Novembris famofam illam Bullam feu Decretalem relatam inter Extravagantes communes fub titulo de *Majoritate & Obedientia*, quæ incipit *Unam fanctam*, qua declarat Ecclefiam effe *unam*, „ & in „ hac Ecclefia, ejufque poteftate *duos* effe *gladios*, „ fpiritualem videlicet, & *temporalem*, Evangelicis „ dictis (ait) inftruimur. Nam dicentibus Apoftolis, *Ecce duo gladii hic*, in Ecclefia fcilicet cum Apoftoli loquerentur, non refpondit Dominus *nimis effe*, fed „ *fatis eft*. „

Addit, quod ,, qui in potestate Petri *temporalem gladium* esse negat, male verbum attendat Domini proferentis, *converte gladium tuum in vaginam*. ,,

Hinc infert : *uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus; ille Sacerdotis; is manu Regum & militum, sed ad nutum & patientiam Sacerdotum*.

Declarat vero ulterius, non tantum in Ecclesia esse duos gladios; sed *oportere gladium esse sub gladio, & temporalem potestatem subjici spirituali; nam cum dicat Apostolus, non est potestas, nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt: non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tamquam inferior reduceretur in supremo*. ,,

Pluribus dein adstruere pergit, terrenam potestatem spirituali esse subjectam; quodque spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, & judicare, si bona non fuerit.

Ex omnibus tandem concludit : *quicumque igitur huic potestati a Deo ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo (sicut Manichæus) fingat esse principia, quod falsum & hæreticum judicamus, quia, testante Moyse, non in principiis, sed in principio cælum Deus creavit & terram*.

Rex prohibet, ne quis Regno suo egrediatur.

Rex intellectis, quæ in Curia Romana agebantur, convocavit 1. Decembris ejusdem anni 1302. Conventum generalem Baronum, & Prælatorum Regni sui. Litteræ indictionis extant in sæpius dictis actis Dissidii *pag.* 85. In hoc Conventu Rex iterato inhibuit omnibus suis subditis *de Regni sui limitibus absque speciali licentia, per nostras (inquit) patentes litteras obtinenda; pedes vel eques, per mare vel per terram exire præsumat: idque sub gravibus pœnis*.

Renovat præterea *Constitutionem jam pridem editam de auro & argento, pecunia, & aliis certis rebus de Regno suo nullatenus extrahendis. Habetur integra Resolutio in dictis actis pag.* 86.

Pontifex denuo citat Episcopos sub pœna depositionis.

Papa autem nihil de jure, quod prætendebat, & hactenus a se gestis remittere intendens, misit in Galliam Joannem Monachi Cardinalem S. Marcellini, cui dedit in mandatis, ut denuo citaret Episcopos, qui nec in termino statuto, nec post terminum ipsum se præsentaverunt conspectui Romani Pontificis, prout ipsis mandatum fuerat, vultque eis pro termino peremptorio assignari spatium *trium mensium : ut intra terminum illum personaliter coram Pontificis sub pœna depositionis, & privationis cujuslibet Ecclesiasticæ dignitatis & status, quam ipsos & quemlibet eorum incurrere volumus (ait) ipso facto, si infra idem spatium nostro conspectui non curaverint se præsentare*.

Jubet Regi 12. articulos proponi.

Insuper eidem Cardinali præscripsit articulos Regi proponendos, quorum primus erat, ut Rex revocaret inhibitionem factam Prælatis exeundi de Regno suo sine ipsius *expressa* licentia.

Secundus *ad denuntiandum Regi, quod quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis conferendis vacantibus in Curia vel extra Curiam, Romanus Pontifex summam & potiorem obtineat potestatem; & quod per collationem cujusvis Laici non possit alicui Jus acquiri, sine auctoritate vel consensu Sedis Apostolicæ tacitis vel expressis*.

Tertius : *quod Romanus Pontifex Legatos de latere, vel non latere, vel alios Nuntios libere mittere possit ad quævis Imperia, Regna, vel loca, prout vult, absque petitione cujuslibet vel consensu, usu vel consuetudine contrariis non obstantibus*.

Quartus, quod *Ecclesiarum bonorum administratio non quibusvis Laicis, sed personis Ecclesiasticis noscitur attributa, quod summa potestas administrationis & dispensationis eorum ad Apostolicam Sedem spectat; & quod ipsa Sedes nullorum requisitis assensibus de illis disponere potest, & nunc centesimam, nunc decimam, seu quamvis quotam imponere, petere, & exigere, prout videbitur expedire*.

Quintus Jus non esse Regi, aut aliis Laicis occupandi bona Ecclesiasticorum in *casibus non concessis ab homine vel Jure*. Item non liceat ipsis personas Ecclesiasticas super personalibus actionibus, Juribus, seu *immobilibus* bonis, quæ ab eis non tenentur in *feudum*, ad suum judicium trahere. Item non impediantur Prælati uti gladio spirituali, specialiter in Monasteriis sive locis, quorum *guardiam* ipse Rex accepit.

Sexto articulo præcipitur denuntiari Regi, ut mittat saltem Procuratorem idoneum cum sufficienti mandato, qui nomine Regis compareat coram summo Pontifice, ut suam, si possit, innocentiam ostendat super *combustione* Bullæ Pontificiæ in Apostolicæ Sedis contumeliam & contemptum : nec non intelligat resolutionem Pontificis revocandi omnia privilegia bullata, ab ipso & Prædecessoribus suis, Regi, liberis, fratribus, & posteris, aut Officialibus suis concessa : *ut pœna* (ait) *tanti facinoris transeat posteris in exemplum*.

Septimu dirigitur contra guardiam & custodiam Ecclesiarum Cathedralium vacantium, *quas* (ait) *vocant Regalia* per abusum; ut hac guardia non abutatur, nihil de bonis Ecclesiæ diminuat, sed ea ,, debito teneantur in statu, & deductis expensis opportunis, ne- ,, cessariis, & moderatis, ad custodiam & guardiam ,, & perceptionem fructuum, quod residuum fuerit, ,, reservatur Prælatis fideliter resignandum. ,,

Octavus, ut Prælatis reddatur gladius spiritualis, *non obstantibus privilegiis Regi, liberis, fratribus, & posteris suis, aut Officialibus suis concessis, cum non obstantibus clausulis opportunis*.

Nonus spectat mutationem monetæ bis a temporibus paucis factam in magnum subditorum damnum, super quo Regem monendum esse censet.

Decimo vult renovari memoriam Regis super suis & suorum malefactis & excessibus, de quibus fit mentio in *Litteræ* Pontificis, quam portavit Jacobus Notarius Apostolicus.

Undecimus concernit Civitatem Lugdunensem, quam cum omnibus bonis vult a Rege abdicari, & reddi Archiepiscopo ejus tamquam supremo ejus Domino.

Tandem duodecimo articulo intimatum vult Regi, quod ,, si Rex prædicta non correxerit & emendave- ,, rit taliter infra certum tempus, taliter (inquit) ,, quod Nos & Apostolica Sedes merito contentemur, ,, ex tunc Nos & Sedes eadem super præmissis provi- ,, debimus, statuendo, declarando, & procedendo spi- ,, ritualiter & *temporaliter*, prout & quando videbi- ,, mus expedire. ,,

His articulis singillatim respondit Rex.

Ad singulos respondet Rex.

Ad primum, quod Rex exemplo Prædecessorum suorum, & aliorum Principum, & Dominorum, pro aliquorum malitia, ac pro necessitate, ac tuitione Regni sui, hoc discriminoso *guerrarum* tempore, prohibuerat aliquid e Regno suo auferri absque licentia, nequaquam autem id præstiterit in præjudicium, injuriam, vel contemptum sanctæ Matris Ecclesiæ, aut eversionem seu perturbationem Ecclesiasticæ libertatis.

Fatetur a se fuisse statutum : ,, ne quis indigena Re- ,, gni sui, mercatoribus & mercatorum nuntiis duntaxat exceptis, Regnum ipsum exiret absque ipsius li- ,, centia vel permissu. ,, Addit autem quod ,, nec ,, cuiquam ad Romanam Curiam accedere volenti ex ,, causa licita vel honesta licentiam denegavit. ,, Declarat, quod circa custodiam passagiorum sic intendat providere, quod accedentibus ad Curiam, aut ab ea redeuntibus, obstaculum vel impedimentum *indebitum* nullatenus apponet, nec aliquid fiet, ex quo Pontifex vel Ecclesia, seu quivis alius juste materiam habeat conquerendi. Quin & addit, quod ,, ob reverentiam ,, Sedis Apostolicæ, & ad preces dicti Domini Cardi- ,, nalis, & aliorum Prælatorum tolerabit de *patientia* ,, Dominus Rex, quod prædicti Prælati, & alii pro- ,, hibitionis Regiæ transgressores, ad Ecclesias & loca ,, sua redeant, & rehabeant bona sua. ,,

Ad secundum de Collatione Beneficiorum, dicit Rex, quod ,, Collatione illa usus sit & utatur, sicut ad eum ,, pertinet de *jure & bona consuetudine*, sicut S. Lu- ,, dovicus, & alii Prædecessores sui usi fuerunt a tem- ,, pore, cujus memoria non existat: nec circa hoc fe- ,, cit, nec intendit facere aliquam novitatem nec cre- ,, dit, quod Papa sibi facere velit, qui longum usum ,, suum & Prædecessorum suorum in Collatione hu- ,, jusmodi novit plenissime ab experto. ,,

Ad tertium ,, de libera Legatorum missione, respondet, quod non impedivit, nec impedire intendat, quominus Legati vel Nuntii *libere* valeant ingredi in Regnum suum, *nisi sibi & Regno sint legitima ratione suspecti, vel aliter habeat justam causam*.

Ad quartum, de bonorum Ecclesiasticorum administratione, respondet, quod non intendat circa hoc quicquam facere, quod *sibi non competit de jure vel bona consuetudine*.

Ad quintum, de saisina bonorum Ecclesiasticorum, dicit, quod non intendit circa hoc facere aliquam novitatem, nec prædicta bona saisire, vel occupare, *nisi in casibus licitis concessis ab homine vel a jure*, neque personas Ecclesiasticas ad *forum suum* trahere vel arctare, nisi in casibus a suis Prædecessoribus consuetis; quod nec impedivit, nec impedire intendat imposterum, *quominus Prælati suo gladio spirituali uti possint in casibus ad eos spectantibus de jure vel consuetudine*. Immmo quod & intendat per temporalem gladium suppetitias ferre gladio spirituali, *cum fuerit requisitus, & impedimenta tollere prout ad ipsum pertinet*. Et si Officiales sui forsan *in præmissis excesserint, paratus est corrigere & punire*.

Ad sextum de Litteris combustis respondit Rex, quod cum inter Episcopum, Decanum, & Capitulum Laudunense, & Scabinos ejusdem Civitatis controversia orta esset, ac productæ essent Litteræ Apostolicæ, & occasione earum nova exoriretur contentio, tandem his litteris renuntiatum fuerit, atque de utriusque partis consensu tamquam superfluæ & nullius efficaciæ reputatæ fuerint, & ideo *de ipsorum consensu destructæ fuerint, in quo non fuit* (inquit) *intentionis alicujus, quidquam attentare vel facere in Dei offensam, aut Domini Papæ, vel Ecclesiæ injuriam vel contemptum*.

Ad septimum de Regalia respondit, quod nunquam intenderit, nec intendat in perceptione Regalium præjudicialem vel noxiam facere novitatem, sed inten-

dat

dat eis uti, quemadmodum sanctus Ludovicus, & alii Prædecessores uti consueverunt, consumptione, dissipatione, destructione, excessu, & abusu penitus relegatis.

Quin & abusibus forsan ab Officialibus hactenus commissis, paratum se offert remedium afferre, diciturque quod Rex pro legitimo usu Regalium fecerit *statuta salubria, & quosdam de fidelioribus de suo Concilio Clericos & Laicos elegit, & specialiter deputavit, ad faciendum Provisiones, Ordinationes, & Statuta hujusmodi observari, & custodiendum Regalia hujusmodi, cum casus exegerit.*

Responsum ad articulum octavum continetur in Responso ad 5. quod scilicet Rex non intendat impedire Prælatos in usu gladii spiritualis in casibus ad eos spectantibus.

Ad nonum de mutatione monetæ, *quod pro necessaria & urgenti defensione Regni ad hanc mutationem processit, sicut licite facere potuit, & sicut Prædecessores ipsius uti consueverunt, & usi sunt a tempore, cujus memoria non existit, & nihilominus ad requisitionem subditorum suorum, super hoc celeri & salubri remedio jam providit; ita quod nemini in brevi materia supererit conquerendi.*

Ad decimum de gravaminibus respondit, quod Rex semper fuit paratus revocare gravamina, si quæ subditis suis essent illata per suos Officiales, *& pro hujusmodi gravaminibus tollendis, & imposterum præcavendis, fecerit Rex ad subditorum suorum instantiam de Prælatorum & Baronum consilio, Statuta salubria, & de illatis gravaminibus & commissis excessibus per Officiales eosdem, per Regnum generaliter & specialiter fecerit inquiri, ut corrigatur & emendetur, si quid corrigendum sit, vel etiam emendandum.*

Ad undecimum de Ecclesia Lugdunensi respondet Rex, quod compatiatur populo Lugdunensi, ob ea quæ patitur ob non præstitum ab Archiepiscopo *fidelitatis debitæ* juramentum quod *nihilominus super hoc negotio Rex paratus sit acceptare, & intrare in tractatum, seque exhibere circa hoc tractabilem, favorabilem, & benignum, quod cunctis manifestissime apparebit, quod sit suis finibus contentus, quod Jura Ecclesiæ, vel personarum ipsarum non vult in aliquo usurpare, vel quomodolibet occupare.*

Ad ultimum denique respondet, quod Rex ad *conservationem & augmentum continuum concordiæ, unitatis & pacis, quæ inter ipsum & Prædecessores suos Romanos Pontifices hactenus viguerunt, totis affectibus semper intendat: dein supplicat, quatenus placeat Domino Papæ more Prædecessorum suorum intendere ad hoc idem, & non impedire Regem in suis Libertatibus, Franchisiis, Privilegiis, vel Indultis.*

Si autem his responsionibus Pontifex non sit contentus, & aliquid discordiæ supersit, paratum se offere Rex, *credere super hoc consilio Ducum Britanniæ & Burgundiæ:* quos Papam recusare non posse dicit, *cum dixerit & obtulerit (ait) quod super discordiis inter ipsum & Regem exortis paratus erat, & volebat omnino credere Ducum consilio prædictorum; sicut Regi per Nuntios suos de Romana Curia redeuntes relatum extitit.*

Habentur hæc responsa Regis, una cum articulis ex parte Pontificis propositis in citatis actis Dissidii. *p. 89.*

[Bonifacius Regem denuntiat, & ab omnibus haberi vult excommunicatum.] Responsa hæc nequaquam Pontifici placuerunt, quin multum displicuerunt, ut constat ex Litteris Pontificis datis 13. Aprilis anni 1303. ad Comitem Alenconii, item ad Episcopum Autissiodorensem, & Joannem Monachi Cardinalem titulo S. Marcellini, cui & una misit Bullam, qua declarat Regem Franciæ „ Anathematis & excommunicationis sententiis ligatum, quantumvis Regali præfulgeat dignitate, non obstantibus „ quibuscumque privilegiis & indulgentiis, & sub quavis forma vel tenore concessis, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit: quæ omnia „ (ait) duximus revocanda ad hoc quod contra hujusmodi nostras sententias & processus per ea se nequeat tueri, quominus includatur in eis. “

Deinde „ ipsum Regem sic ligatum, a communione „ Fidelium & Sacramentorum perceptione nuntiat exclusum, & per ipsum Cardinalem, vel alium, vel alios, præcipit nuntiari: *Nam* (inquit) *cui Romanus Pontifex Vicarius Jesu Christi, Petri Successor, non communicat, nullus communicare debet, aut ei Sacramenta Ecclesiastica ministrare.* “

Quin & omnes cujuscumque conditionis etiam *Archiepiscopalis* aut *Episcopalis* dignitatis „ qui ejusmodi „ Sacramenta, aut ipsorum aliqua dicto Regi ligato „ taliter ministrare præsumpserit, aut coram eo Missam celebrare publice, vel private, excommunicationis sententia innodat, ipsisque interdicit lectionis, prædicationis, administrationis Sacramentorum, audiendi confessiones officium „ *prædicentes* „ (ait) *aperte, nos gravius contra eos spiritualiter & temporaliter processuros, præsertim cum Rex ipse oblatum per te impendendum sibi absolutionis Beneficium juxta formam Ecclesiæ, auctoritate nostra recipere contempserit, ex quo videtur (quod dolentes referimus) in sua malitia induratus.*

Mandat ut harum litterarum tenorem perducat ad *præfati Regis notitiam, nec non in locis, de quibus expedire viderit, seu Provinciis faciat solemniter publicari.*

Denique jubet, ut auctoritate Pontificia *Confessario Regis* præcipiat districte, ut infra trium mensium spatium *personaliter* Pontificis se conspectui repræsentet.

Præcipua hujus tam acerbæ Bullæ ratio, & in ipsa Bulla expressa, videtur fuisse, quod Prælatos Regni sui ad Sedem Apostolicam accedere volentes Philippus impediverit.

[Rex animadvertit in faventes Bonifacio.] Rex intellecto harum litterarum tenore, mox saisiri seu arrestari; vel ad manum Regis poni jussit omnia bona Prælatorum, & aliorum, *qui extra ipsum Regnum morati*, vel ab ipso impræsentiarum abesse noscuntur sine ejus *expressa* licentia. Integra acta extant in Historia Dissidii, *pag. 99.*

Regis jussu in carcerem quoque conjecti sunt Clerici, qui in Bulla contentos sermones disseminabant.

Apud Trecas etiam eodem tempore Regii Ministri Archidiaconum Constantiensem, & Nicolaum Benefractum; per Galliam Papæ conatus & incepta promoventes, comprehenderunt.

[Indicit Conventum, in quo Bonifacius accusatur ut hæreticus.] Præterea has molitiones Papæ veritus Rex, Conventum solemnem trium Ordinum Regni sui indixit in 13. Junii 1303. In hoc Conventu, Barones surgentes Bonifacium Papam ut *Hæreticum*, & pluribus gravibusque criminibus obnoxium accusarunt, *jurantes ad sancta Dei Evangelia tacta corporaliter se præmissa omnia & singula credere esse vera & posse probari.* Addit Guillelmus de Plessejaco (qui quasi omnium nomine loquebatur) *hujusmodi juramento, quod præmissa credebat, se probare posse, & quod hujusmodi negotium contra Bonifacium in generali Concilio, vel alibi, vel quando, & coram quibus de jure fuerit faciendum ad finem persequitur.* In Historia Dissidii *pag. 102.*

Eapropter Barones *requirebant instanter Regem, ut convocationi & congregationi dicti Concilii generalis, prout ad eum pertinet, opem daret, & operam efficacem.* Ibid.

Similiter & requirebant præsentes Prælatos: *ut modis legitimis juxta sanctorum Patrum instituta, & Canonicas sanctiones convocationi & congregationi dicti Concilii opem darent, & operam efficacem.*

Prælati negotium hoc *non solum arduum, immo arduissimum, & matura indigere deliberatione Consilii reputantes, de loco recesserunt.*

Die sequenti 14. Junii, altera sessio Comitiorum generalium habita fuit, in qua prædictus Guillelmus de Plessejaco nominatim exposuit, & prælegit gravamina contra Bonifacium Papam, viginti novem articulis distincta. Quibus prælectis protestabatur, quod illa non diceret aut allegaret *propter odium aliquod speciale ipsius Bonifacii, sed propter zelum fidei, & propter devotionem, quam habeo (inquit)* ad sanctam Dei Ecclesiam, *& ad sanctam Sedem Romanam.*

Ad hæc *ad sancta Dei Evangelia tacta manu sua juravit; se credere ipsum (Bonifacium) esse perfectum hæreticum.*

Juravit insuper *se pro viribus contra eumdem persecuturum prædicta in Concilio generali congregando in loco sibi tuto & securo.*

Hinc rursus instat apud Regem & Prælatos, ut quantum in ipsis est, allaborent, ut hoc Concilium habeatur.

[Guillelmus de Plessejaco appellat ad Concilium generale.] Cum autem de Plessejaco non dubitaret, per hæc mirum in modum Bonifacium offensum iri, volens se contra iram ejus munire „ ad dictum generale Concilium „ convocandum, inquit, & ad Apostolicum & Catholicum, & ad sanctam Sedem Apostolicam, & ad illum & illos, ad quem & quos de jure melius possum „ & debeo, provoco & appello, apostolos & litteras „ testimoniales semel, secundo, & tertio, instanter per „ vos mihi dari & tradi petens, supponens me, adhærentes, fautores, familiares, amicos, procuratores meos, & omnes illos, qui imposterum mihi voluerint adhærere, bonaque mea & ipsorum, sub protectione & custodia beatorum Apostolorum Petri & „ Pauli, & dicti sacri congregandi Concilii & Apostolici & Catholici futuri, & sanctæ Sedis Romanæ, „ adhærens nihilominus ad cautelam, & adhærere volens appellationi & appellationibus, processui & processibus super his factis per nobilem virum D. Guillelmum de Nogareto militem, in quantum rite & „ legitime factæ & facti reperientur, non recedendo „ ab appellatione præsente. “

Hisce dictis & peractis, Rex convocandum Concilium probavit, rogavitque Prælatos, ut in id allaborarent.

Insuper & ipse Rex eodem tenore & forma appellavit & provocavit a Bonifacio & omnibus per eum agendis, quibus de Plessejaco appellaverat.

[Appellationi consentiunt Prælati, ipsique appellant.] Prælati quoque iis auditis, quæ contra Bonifacium fuerant proposita, tandem etiam Concilii generalis convocationi consenserunt; „ eamque convocationem & „ congregationem Concilii utilem & omnino necessariam reputantes, ut ipsius Domini Bonifacii innocentia clareat, sicut teste conscientia (inquiunt) „ exoptamus, ut de impositis sibi per Concilium discu-

„ discutiatur, statuatur, & fiat, quod decernunt Ca-
„ nonicæ Sanctiones. “

Promittunt se paratos esse convocationi & congregationi dicti Concilii, juxta Sanctorum Patrum instituta, & Canonicas & legitimas Sanctiones, opem dare & operam efficaces: *non intendentes* (inquiunt) *quoquo modo partem in hoc negotio facere, seu quibuscumque partem facientibus adhærere*.

Et quia Prælati merito verebantur, ne Bonifacius gravius contra ipsos ipsisque adhærentes, vel etiam ipsorum Parochianos, attentaret, suo & nomine sibi adhærere volentium, & Ecclesiarum & Parochiarum suarum appellarunt & provocarunt, eodem tenore & forma, quibus Rex & Barones: *ponentes nos* (inquiunt) *Ecclesias, Parochos, Subditos, & amicos nostros, & adhærentes, nostrorum & ipsorum statum, & jura, nostraque & eorum bona, protectioni divinæ, Concilii prædicti, ac futuri, veri & legitimi summi Pontificis*. In actis Historiæ hujus Dissidii *pag.* 100. *& seqq.*

In conformitatem horum Comitiorum Rex litteras & Nuntios suos destinavit ad omnes Ecclesias, Civitates, & Communitates Regni sui, ut convocationi generalis Concilii, nec non appellationi in Comitiis unanimiter conclusæ & interjectæ consentirent, & adhærerent.

Clerus & Magistratus appellationi adhærent.

Nuntii hi eo successu commissum hoc negotium executi sunt, ut brevi tempore plusquam septingenta instrumenta publica confecta, & ad Regem transmissa sint; quibus Clerus, Nobiles, Civitates, Communitates, Capitula, Ordines religiosi, etiam Mendicantes & Militares, nec non singulariter Prælati Regnorum præsertim Franciæ & Navarræ se declarabant convocationi generalis Concilii consentire, & appellationi ad futurum Concilium generale adhærere; uti latius in citata Historia Dissidii *pag.* 18. narratur, & varia ex dictis instrumentis, una cum actis Comitiorum, & instrumento appellationis per Regem interjectæ, & litteris Regis, quibus Regni sui subditos ad consentiendum appellationi, invitat, habentur inter Acta hujus Historiæ *pag.* 106. *& seqq.*

Contra ista hæc Bulla Bonifacii mense Augusti 1303.

Bonifacius Papa, intellectis iis, quæ in Comitiis jam acta erant, Bullam evulgavit 13. Augusti 1303. narratque & inter alia, in Comitiis istis, districte mandatum per Regem, ut nemo Nuntios aut litteras Pontificis reciperet, vel Pontifici Bonifacio in aliquo obediret. Acta illa improbat, & tamquam meras calumnias, crimina sibi objecta rejicit, vehementer in Regem Franciæ exsurgit, dicens, providendum, ut *nemo deinceps* Rex, aut Princeps, aut alius potens, Franciæ Regis exemplo, contra Romanum Pontificem sic prorumpat in verba blasphemiæ, nullus sic ejus correctionem evitet.

In quibus declarat valituras citationes affixas majori Ecclesiæ ubi erit Curia Romana.

Addit: *per hæc autem non credat aliquis, quod contenti simus, qui non obstante hujusmodi frivolæ appellationis obtentu, quæ ad majorem, vel parem sive mortalem aliquem non potuit interponi, super prædictis & aliis notabilibus ipsius Regis, ejusque sequacium excessibus, prout expedierit suo loco & tempore, nisi se corrigant, & satisfactionem impendant debitam, ne eorum sanguis de nostris requiratur manibus, procedamus*. Bulla habetur in citatis Actis *pag.* 166.

Ad hæc Pontifex Constitutionem edidit, qua declaravit citationes, quarumcumque personarum, *etiamsi Imperiali vel Regali fulgeant dignitate*, auctoritate Apostolica factas, præsertim si impediant, ne citationes ipsæ ad eos perveniant, vel conveniri libere non possint, æque valituras, ac si ipsis coram significatæ fuissent; si ad instar Edictorum propositorum in Albo Prætoris, in audientia Litterarum Pontificiarum, aut in Aula Palatii fiant, postmodum affigendæ januis majoris Ecclesiæ locis, in quo Romana Curia residebit, & cunctis possit patere, & referri civitatis videant. Habetur integra in dictis Actis Dissidii *pag.* 161.

Altera item Bulla eodem die & anno data, in qua asserit Regnum Franciæ per Sedem Apostolicam magis dotatum largitionibus gratiarum, & amplius privilegiis communitum: *Verum* (ait) *Rex ipse hujusmodi Beneficiorum immemor, & gratiarum oblitus, elatus in superbiam, & in reprobum sensum datus, contra Nos & Sedem eamdem tamquam impingatus, recalcitrans, non solum ab ejusdem Sedis & nostra se devotione subtraxit, sed se nobis constituendo rebellum, in istum omnium pessimam ingratitudinem incidit*.

Suspendit omnes Doctores Theologiæ & Juris a collatione graduum.

Cum autem Rex etiam Doctores tam Theologiæ quam Juris in suas partes traheret, e contrario vero nollet Pontifex, ut sibi rebelles & Regi adhærentes Cathedras ascenderent: *omnes de Regno Franciæ potestate habentes dandi licentiam legendi seu docendi, ac approbandi volentes hujusmodi licentiam obtinere in Theologica Facultate, ac Jure Canonico & Civili, ab hujusmodi potestate suspendit; decernens ex nunc irritum & inane, si secus a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari: idque donec Rex ad ipsius Bonifacii, & ejusdem Sedis mandata cum satisfactione debita revertatur*. Extat in citata Historia *pag.* 163.

Bulla 8. Sept. 1303. In qua declarat, omnes Regis provisiones esse nullas.

Acerbiorem Bullam in Regem, eique adhærentes tandem Bonifacius concepit, octava Septembris eodem anno datam, qua suam super Reges & Regna auctoritatem extollit, & quomodo primum lenioribus medicamentis Regem ad meliora & saniora revocare studuerit, sed cum nihil profuerit, tandem ad fortiora & acriora esse veniendum. Itaque ipsum Regem declarat *excommunicationibus manifestis esse ligatum: ac per consequens, Beneficia Ecclesiastica, Personatus, & Dignitates, si eorum aliquo legitimo titulo, quando ad eum collatio pertinet, de Jure interim non posse conferre, imperium sine Jurisdictione aliqua per se, vel alios, aut communes actus sive legitimos exercere, & collationem, & exercitium ipsa nullius existere firmitatis*.

Vassallos a juramento fidelitatis absolvit.

Fideles ipsius Regis, ac Vassallos, ejusque juratos a fidelitate & Sacramento, quousque idem Rex in excommunicatione permanserit, Apostolica auctoritate absolvit, & ne eidem fidelitatem observent, serviant, modis omnibus & sub interminatione anathematis prohibet.

Quin & *omnibus Ecclesiasticis inhibet, a Rege sic manente excommunicato, ullam Beneficii collationem sub excommunicationis, amissionis Beneficiorum, quæ alias haberent, & inhabilitatis perpetuæ ad Ecclesiastica Beneficia de cætero obtinenda, pœna, quam ipso facto incurrant, si contrarium agant*. Interdicit quoque Capitulis, ne recipiant a Rege excommunicato provisos.

Item Confœderatus.

Præterea sciens plures in hoc negotio Regi esse confœderatos: *confœderationes prædictas* (ait) *etiam cum quibuslibet terræ Regibus, aut Principibus, quod non credimus, initas dissolvimus, & juramenta, si qua sint præstita, annullamus*.

Et quasi hæc non sufficerent, monet Regem *ut a facie arcus fugiens resipiscat, ad obedientiam redeat, & ad Dominum revertatur, ne, quod præterire non valebimus, justo cum judicio animadvertere compellamur*.

Captura & obitus Bonifacii.

Executionem & publicationem hujus Bullæ impedivit captura Bonifacii, quæ contigit eo die, quo Bulla publicanda erat. Totam hujus capturæ tragœdiam describunt Joannes Villani, *lib.* 8. *cap.* 62. *&* 63. Continuator VVilhelmi Nangiaci ad *annum* 1303., & latius Thomas de Walsingham in Historia Anglicana ad eumdem annum, qui & ibidem describunt, quomodo Bonifacius tandem opera civium Anagniensium e custodia liberatus, cum magna armatorum multitudine Romam perductus sit, atque in brevi ibidem extinctus sit: atque ita cum vita Dissidium hoc finem accepit.

Sors Decretalium juribus Regiis contrariarum.

Porro ex hujus Dissidii Historia, nec non instrumentis ejus occasione editis, facile intelligitur, cur volumen Decretalium nomine hujus Pontificis evulgatum minus gratum fuerit Gallis.

Insuper ex monumentis hujus Historiæ habemus, in quibus punctis Bonifacius Papa VIII. & Philippus Rex Francorum contrariarentur: quæ puncta si conferantur cum his, super quibus etiamnum hodie inter Pontifices & Reges solet esse discordia, reperietur eadem jura etiam modo sibi prætendere Romanos Pontifices, quæ Bonifacius sibi asserebat & vendicabat, & Reges notanter Galliæ jura illa inter libertates, privilegia, vel etiam prærogativas suas numerare & vendicare, quæ sibi Philippus vendicavit.

Hinc ulterius contigit, ut plures Decretales, quibus jura illa Pontifices sibi asserunt, aut ipsis competere supponuntur, in Regno Galliæ, aliisque passim non sint usu receptæ.

Qua ratione autem postmodum sub Clemente V. pax inita fuerit inter Philippum Regem Franciæ & Pontificem, & quæ moderatio circa Bullas per Bonifacium contra Regem, ejusque jura evulgatas facta sit, notabimus infra in *Dissert.* Prœmiali ad *Concilium Viennense* sub dicto Clemente V. celebratum.

Quænam Decretales in Sexto eminent.

Inter Decreta autem hujus Collectionis eminent ea, quæ sub nomine Innocentii IV. & Gregorii X. in *Conciliis Lugdunensibus* sub ipsis respective celebratis referuntur.

Hinc horum Decretorum, quorum est frequentior usus, compendium una cum aliquibus *Observationibus* exhibendum censuimus, præmissa dictorum Conciliorum historia & actis.

DIS-

DISSERTATIO HISTORICA

In Concilium Lugdunense I. sub Innocentio IV. sub cujus Concilii nomine Canones in *Sexto Decretalium* sparsim allegantur.

§. I.

De Occasione hujus Concilii.

Dissidia inter Fridericum II. Imperatorem & Romanos Pontifices.

MAXIMA fuisse dissidia inter Gregorium IX. Papam & Fridericum II. Imperatorem, hunçque iterato a Gregorio fuisse excommunicatum, notum est.

Porro, Gregorio IX. nec non Cœlestino IV, (qui 17. duntaxat diebus in Pontificatu sedit) mortuis; postquam Sedes Apostolica per octodecim circiter menses vacasset; tandem electus fuit Innocentius IV.

Novus Pontifex de pace cum Friderico ineunda cogitare cœpit, Balduino Constantinopolitano tunc Catholico Imperatore ad rem conficiendam, operam suam interponente.

Sed cum plura a Pontifice, & a Friderico Imperatore postularentur, res hæc in longum protracta, atque frequentibus ab utraque parte hinc inde missis Legatis, nihil concludi Pontifex videret, tandem, ut effectum optatum consequi posset, octava die ante festum Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, accessit cum omnibus Cardinalibus ad Civitatem *Castellanam*, ut sic vicinior Imperatori efficacius de pace tractaret.

Vigilia autem Apostolorum Petri & Pauli venit apud Sutrium Civitatem. „ Imperator autem recalcitrans „ mandavit ei, quod nihil faceret de conventis „ nisi „ Litteris absolutionis (ab excommunicatione) prius „ habitis. Cui cum contradicendo respondisset Dominus „ Papa; *hoc fore dissonum rationi*, orta est discordia „ inter eos „: ait Matthæus Parisiensis ad annum 1244. *pag.* 636.

Post hæc narrat, quod „ Papa suæ præsagus perturbationis, ex tunc repentinam & clandestinam fugam „ arripere satageret, nullo tamen conscio, ne fugienti „ Imperator repagula præpararet „.

Innocentius IV. fugit *Januam*.

Quomodo, & quo tandem fugam arripuerit Pontifex late idem Historicus describit, ac signanter qualiter *festinanter*, summoque cum periculo *latenter* tandem *Januam*, inscio Imperatore, appulerit.

„ Cum autem (pergit Historicus) Domino Imperatori hæc innotuissent, more satyrico infrenduit, & ait: „ scriptum est: *Fugit impius nemine persequente* „.

„ Obstupuit & doluit nimis, & suorum portuum & „ civitatum custodes ignaviæ & desidiæ redarguit, qui „ adversarios suos permiserunt libere transire. Fecit igitur in circuitu *Januæ*, præcipue versus *Galliam*, exitus viarum, ne ad Papam pecunia portaretur, arctissime custodiri. Et jam acclamabatur Dominus Imperator, manifestus Ecclesiæ persecutor. Nec reputabat Dominus Papa adhuc ipsam Civitatem *Januam* „ tutum fore refugium, non ignorans potentiam Imperatoris esse latissimam „.

Dein narrat Parisiensis *pag.* 650. quod ad Papam *Januam* accesserint nonnulli Cardinales, & nonnulli Potentes, aliique ex tota *Janua innumerabiles*, qui eum vel sanguinis vel alicujus amicitiæ ratione, *licet exili contingebant, exigentes reditus ad usus filiorum & nepotum suorum, præcipue ex Regno Angliæ sibi conferendos.*

Circa idem tempus se transtulit Papa ad Astensem Civitatem instinctu eorumdem Januensium parentum suorum, qui aurum & argentum sitienter cupientes ipsum persuadebant Anglis & Francis, & ipsis conterminis, munera ferentibus, præsto & gratanter occurrere, & nulli offerenti manum contractam denegare.

Verum nec hic diu substitit Innocentius, sibi ab Imperatoris potentia metuens, sed *post modicum moræ spatium, deceptis Imperatoris custodibus, quos constituerat ad præcludendas Papæ vias, Dominus Papa, qui se instaurarat, quasi hiematurus, tam de nocte iter conficiens, quam de die, festinanter ac subito non sine multiplici periculo, æstate jam se contulit declinante Lugdunum.* Ait Matthæus Parisiensis *pag.* 650.

Suaserant autem ei etiam parentes, aliique ad eum *Januam* confluentes „ ad Imperatoris Friderici, quem „ oderant, confusionem, & ad ipsorum vindictam & „ ditationem, Concilium generale convocare „. Ait citatus Historicus.

Indicit Concilium generale Lugdunense anno 1245.

Num horum suasionibus cesserit Pontifex, nescio; hoc constat, quod circa initium anni sequentis 1245. Concilium generale indixerit, præcipuamque indictionis causam fuisse, ut se contra Fridericum Imperatorem tueretur, omnes facile agnoscunt: Pontifex (ait Ciaconius in hujus Pontificis vita) *ut Imperatoris injurias Ecclesiæ illatas ulcisceretur, Lugdunense generale Concilium convocavit.*

Litteræ indictionis datæ sunt Lugduni tertio Nonas Januarii anni 1245, indictumque Concilium ad sancti Joannis Baptistæ solemnitatem.

Hujus indictionis Imperatorem Constantinopolitanum, Reges Hispaniæ, Galliæ, & Angliæ certiores reddidit; unaque omnes & singulos obsecravit; ut vel personaliter interessent, vel saltem suos ad Concilium Oratores mitterent.

Refertque Matthæus Parisiensis ad annum 1245. *p.* 656. quod „ hoc anno circa medium Quadragesimæ venerint Nuntii Domini Papæ in *Angliam*, de convocando Concilio generali mandatum bajulantes „.

Causæ, ob quas convocatum fuit hoc Concilium.

His autem immediate subnectit exemplar litterarum indictionis, quales ad omnes per orbem Episcopos & Prælatos missæ sunt. In his litteris notanda sequentia, quæ indictionis causas continent: „ Hinc est quod Nos, „ ut ipsa Ecclesia per Fidelium salubre consilium & auxilium fructuosum, status debiti possit habere decorem, & deplorando Terræ sanctæ discrimini, & afflicto Romano Imperio, propere valeat subvenire, „ ac inveniri remedium contra Tartaros, & alios contemptores Fidei, ac Persecutores populi Christiani, „ nec non pro negotio, quod inter Ecclesiam & Principem vertitur, Reges terræ, Prælatos Ecclesiarum, „ ac alios mundi Principes duximus advocandos „.

Fuerunt autem ad statutum diem Lugduni „ absque „ Cardinalibus duo Patriarchæ, scilicet *Constantinopolitanus*, qui & *Antiochenus*, Patriarcha *Aquilejæ*, „ qui & *Venetiæ*: *Imperator* quoque *Constantinopolitanus*; Comes etiam Tolosanus, & Procuratores Angliæ, Comes *Bigod*, cum sociis suis nobilibus; Archiepiscopi & Episcopi centum & quadraginta „, uti testantur citatus Parisiensis *pag.* 663. una monens: de Regno *Hungariæ*, quæ pro magna sua parte per Tartaros erat vastata, nullos venisse; uti de *Alemania* „ bello Imperiali perturbata paucos ad Concilium convenire potuisse „.

Cum his Prælatis & Principum Oratoribus, Pontifex stipatus Cardinalibus, quibus rubrum galerum indulserat, ædes Monachorum sancti Justi intravit, ac Concilium solemni ritu, feria secunda post festum sancti Joannis Baptistæ aperuit & inchoavit.

Feria quarta autem sequenti, cum prædictis Prælatis „ intravit Ecclesiam sancti Joannis; & facta invocatione Spiritus sancti cum Litania sequente, & aliis „ cæremoniis adhiberi solitis rite peractis prædicavit, „ præponens & singultibus interpositis hoc thema: O „ *vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus* „. Thren. c. 1. *vers.* 12.

Et satis eleganter sermonem continuans (ait Parisiensis *pag.* 664.) comparavit quinque dolores suos, quinque vulneribus & plagis Crucifixi.

Primum de Tartarorum in Christianorum terras irruptione. Secundum de Ecclesiæ Græcæ schismate. Tertium de hæresibus pullulantibus. Quartum de clade Hierosolymis a Chorosminis illata. Quintum de Friderici Imperatoris criminibus, & hostilibus in Ecclesiam actis: atque circa hoc postremum, quod ipsi præcipue cordi erat, & primam ac unicam huic Concilio occasionem & causam verisimiliter præbuit, latius se extendit, ac singulatim crimina Friderici exposuit.

§. II.

De actis Concilii in causa Friderici Imperatoris.

IN Litteris Indictionis Concilii scribit Innocentius IV. quod Fridericum Imperatorem citaverit, *ut per se vel Nuntios suos in celebrando Concilio compareat, responsurus, Nobis & aliis* (ait) *qui aliquid contra ipsum proponendum duxerint, satisfactionem idoneam præstiturus.*

Legati Friderici in Concilio perorant pro obtinenda illi pace.

Misit Fridericus Oratores, qui nomine agerent, atque inter cæteros *Thadæum* de *Suessa*, qui erat (teste Matthæo Parisiensi) Vir *prudens*, & eloquentiæ *singularis*, Miles & Legum Doctor & sacri Imperii Judex Imperialis.

Hic nomine Imperatoris Sessione I. Concilii pro pace & pristinæ amicitiæ reformatione obtulit „ confidenter, ad unitatem Romanæ Ecclesiæ totum Romaniæ, id est, Græciæ Imperium revocare: & quod sese *Tartaris* & *Chorosminis* & Saracenis, & aliis Ecclesiæ hostibus & contemptoribus, Christo fideliter „ militando, potenter opponet, & quod statum Terræ „ sanctæ discrimini magno & manifesto periculo jam „ patentem, *suis sumptibus propriis personaliter* pro „ posse suo, reformabit, & ablata Romanæ Ecclesiæ „ restituendo, de injuriis satisfacere, &c.

Papa respondit exclamando: „ O quam multa & magna sunt promissa; nusquam tamen adimpleta vel adimplenda; sed hæc, ut constat, sunt promissa, ut securis jam ad radicem posita, illuso Concilio & soluto, per dilationem avertatur „. *pag.* 663.

Cumque insinuaret Pontifex, non esse sat cautum de promissis ex parte Imperatoris adimplendis, spopondit Thadæus de Suessa, duos Reges; videlicet Francorum

& An-

& Anglorum ad hoc Fidejussores. Respondit Papa : ,, Nolumus : quia si commutasset , vel penitus infirmasset (nec aliud credimus propter frequentiam) ,, aliquo tempore imposterum , oporteret nos animadvertere in eosdem , & tunc haberet Ecclesia tres , ,, quibus non sunt in sæculari potentia majores , immo ,, nec pares , inimicos ,, . Addebatur procuratorium Thadæi ad hæc promittenda non esse sufficiens.

Pontifex accusat Imperatorem de variis criminibus.

In sequenti Concilii Sessione Pontifex singulatim proposuit enormitates Imperatoris Friderici , scilicet hæresim , sacrilegium , & inter alia mala , quod novam quamdam civitatem construxisset , eamque Saracenis replesset , quodque cum Saracenis & cum Soldano Babyloniæ familiaritatem specialem contraxisset ; quodque eorum mulieribus obscœnis abuteretur . Imponebat & ei multiplex perjurium , quasi promissis interposito juramento non stetisset , productis pluribus litteris *signorum Imperialium de auro appensione* communitis , quibus (ait Parisiensis) *evidenter arguit & redarguit ipsum Imperatorem super perjurio* .

Ad objecta respondet Legatus Imperatoris.

Ad objecta ista contra Imperatorem , *se tunc erigens imperterritus* in Concilio Thadæus Procurator Imperatoris ,, diligenter & multipliciter, secundum saltem ,, apparentes rationes , nitebatur respondere , Dominum suum Imperatorem excusando , Litteras alias ex ,, adverso Papales ostendens , & asserens , quod in eis ,, continebatur , *non esse observatum* : unde Dominum ,, suum Imperatorem suis promissis parere non debuisse ,, .

Objectioni hæreseos respondit in primis Thadæus , quod ex propria ipsius Imperatoris professione cognosci posset ; si esset præsens , *quod in cordis suis latet secretario* .

Addebat, probabile esse argumentum , Imperatorem non esse hæreticum : ,, non enim (ait) in Imperio vel ,, Regnis suis, aliquem usurarium habitare permittit ,, .

Hoc argumento indirecte Curiam Romanam redarguebat , ait Matthæus Parif. p. 665. *quam constat hoc vitio maxime laborantem* .

Quoad nimiam & suspectam Imperatoris familiaritatem cum *Saracenis* , respondebat Thadæus , hoc factum ad comprimendam quorumdam sibi subditorum rebellionem : ,, utitur enim ipsis (ait) in expeditionibus , quo- ,, rum non æstimat casum alicui Christiano deploran- ,, dum ; & sic parcit Christiano sanguini , ne frustra ,, effundatur ,, .

Inducias ægre obtinet.

Post hæc ,, supplicavit humiliter Thadæus , sibi con- ,, cedi modicam saltem dilationem inducialem , ut Do- ,, mino suo Imperatorii denuntiare posset , & tam affe- ,, ctuose quam efficaciter consulendo persuadere , ut *perso-* ,, *naliter* ad Concilium, quod eum expectavit, venire pro- ,, peraret, aut ulteriorem eidem concederet potestatem ,, .

Huic postulatio consentire noluit Pontifex dicens : ,, Ti- ,, meo laqueos , quos vix evasi , si enim veniret , sta- ,, tim recederem ; non adhuc opto sanguinem , nec me ,, sentio aut paratum martyrio , ait custodiæ carcerali ,, .

Licet tunc omnem dilationem recusasset Pontifex , postera tamen die ad instantiam Procuratorum Regum Franciæ & Angliæ , indulsit inducias *fere duarum hebdomadarum* .

His induciis obtentis , nuntiavit Thadæus Imperatori , omnia quæ de ejus causa acta essent . Porro Imperator , iis auditis , in molestia magna dixisse perhibetur , ait Parisiensis . ,, Video luce clarius , quod ad con- ,, fusionem meam toto conamine aspirat Papa : stimulat ,, enim eum libido & pruritus ulciscendi in me , eo quod ,, parentes ejus Januenses piraticos , antiquos & pu- ,, blicos Imperii inimicos simul cum Prælatis , quorum ,, duces erant & tutores , in mari capi fecerim & in- ,, carcerari . Quia nec ob aliud constat , eum Conci- ,, lium convocasse , nec sacrum decet Imperium maxi- ,, me adversanti Judicio sibi Synodali ,, .

Hæc cum Concilio innotuerunt , triumphum duxerunt adversarii Imperatoris , atque ab ejus favore multi , qui hactenus certatim cum eo steterant , recesserint , nec vix unus erat , qui palam pro Imperatore loqui audebat , *Anglis pro eo maxime redargutis* , quia præcipue ad eorum preces induciæ concessæ fuerant .

Hinc sequenti Sessione , acerrime in pleno & jam ,, plenissimo Concilio Imperator Fridericus , quasi toti ,, Ecclesiæ contumax & rebellis traductus est . Multa ,, malefacta ac notanter captura Prælatorum euntium ,, ad Concilium indictum a Gregorio IX. ipsi objicieba- ,, tur ; quibus sæpe dictus Thadæus pro Domino suo ,, respondere & satisfacere conabatur , ac tandem ul- ,, teriores inducias postulavit , spem faciens Impera- ,, torem ad Concilium accessurum ,, .

Pontifex proximam Sessionem habendam indixit die octavo sequenti : quæ eo die habita fuit , cum constaret Pontifici Imperatorem non venturum .

Legatus appellat ad Concilium generalius.

Intelligens autem Thadæus excommunicationem & depositionem Imperatoris esse conclusam comparuit in ,, Concilio pro Domino suo responsurus & appellatu- ,, rus. Et cum cœpisset eum multiformiter excusare , ,, nec exaudiretur , appellavit pro eo ad Concilium pro- ,, xime futurum *generalius* . Nec enim nunc (aiebat) ,, omnes Prælati , vel eorum , vel Principum Oratores ,, apparent hic impræsentiarum ,, .

Respondit Papa , Concilium satis esse *generale* multorum Prælatorum , & aliorum de diversis mundi partibus Nobilium , vel eorum Procuratorum . *Et qui absunt (ait) laqueis Domini tui impediuntur irretiti ; unde propter hoc indignum est , ut sententia depositionis in ipsum deferenda retardaretur , ne ex malitia sua commodum videatur reportare , cum non debeat alicui fraus patrocinari* .

Excommunicatur Imperator.

Post hæc Dominus Papa , rejectis omnibus ab Oratore Imperatoris allegatis , ipsaque appellatione tamquam frivola *in Imperatorem Fridericum (inquit Parisiensis p. 668.) sine aliqua palpatione , vel dissimulatione , vel dilatationis indultu talem sententiam excommunicationis in pleno Concilio , non sine omnium audientium & circumstantium stupore & horrore terribiliter fulguravit* .

Exemplar sententiæ subjicit ibidem citatus Historiographus , & ex illo descripta Collectioni Conciliorum inserta habetur apud Labbæum *Tom. 11. col. 640.*

In hac sententia primum refert Beneficia ab Innocentio III. aliisque Pontificibus in Fridericum Imperatorem collata : ac dein , quomodo contra fidem datam in Ecclesiam insurrexerit ; Prælatos , aliasque Personas Ecclesiasticas oppresserit ; seque de hæresi suspectum variis argumentis reddiderit , quibus omnibus fuse expositis pronuntiat in hæc verba : Nos itaque super præmissis & compluribus aliis ejus nefandis excessibus , cum Fratribus no- ,, stris , & sacro Concilio , deliberatione præhabita dili- ,, genti , cum Jesu-Christi vices , licet immeriti , tenea- ,, mus in terris , Nobisque in beati Petri Apostoli per- ,, sona sit dictum : *Quodcumque ligaveris super terram* , ,, *&c.* memoratum Principem , qui se Imperio & Regnis , ,, omnique honore ac dignitate reddidit indignum , qui- ,, que propter suas iniquitates a Deo , ne regnet vel im- ,, peret , est abjectus , suis ligatum peccatis & abjectum , ,, omnique honore & dignitate privatum à Domino ,, ostendimus , ac nihilominus sententiando privamus ; ,, omnes , qui ei juramento fidelitatis tenentur astri- ,, cti , a juramento hujusmodi perpetuo absolventes ; au- ,, ctoritate Apostolica firmiter inhibendo , ne quisquam de ,, cætero sibi tamquam Imperatori aut Regi pareat vel ,, intendat , & decernendo quoslibet , qui deinceps ei ve- ,, lut Imperatori aut Regi consilium , vel auxilium præ- ,, stiterint seu favorem , ipso facto excommunicationis ,, vinculo subjacere . Illi autem , ad quos in eodem Im- ,, perio Imperatoris spectat electio , eligant libere Suc- ,, cessorem . De præfato vero Siciliæ Regno providere ,, curabimus cum eorumdem Fratrum nostrorum con- ,, silio , sicut viderimus expedire ,, .

Scribit Parisiensis *pag.* 672. quod ,, hæc in medio Conci- ,, lio prolata , cunctis audientibus , adinstar *coruscantis* ,, *fulgoris* , non mediocriter timorem omnibus incusse- ,, rint , quodque Oratores Imperatoris emisso ejulatu ,, flebili , hic femur , hic pectus in indicium doloris per- ,, cutientes , vix a profluviis lacrymarum se se continue- ,, rint , dixeritque Magister Thadæus memoratus , *Dies* ,, *ista , dies iræ , calamitatis & miseriæ* ,, .

At e contra ,, Papa & Prælati assidentes Concilio , ,, candelis accensis , in dictum Imperatorem Frideri- ,, cum , qui jam Imperator non est nominandus , ter- ,, ribiliter , recedentibus & confusis ejus Procurator- ,, bus , fulgurarunt ,, . Ait idem Historicus .

Quandoquidem sententia in *medio Concilio* prolata , cunctis audientibus adinstar *coruscantis fulgoris* , non mediocrem timorem omnibus incusserit , argumentum apparet haud obscurum , sententiam hanc nequaquam a Patribus Concilii prævia deliberatione conceptam & conclusam fuisse , sed a Pontifice extra Concilium præconceptam in Concilio promulgatam . Quod & innuit titulus sententiæ præfixus : ,, sententia contra Fridericum Im- ,, peratorem ab Innocentio Papa IV. in Concilio lata , ,, *sacro præsente Concilio* ,, : prout & extat in *cap. 2. de Sentent. & re judic. in VI.* Nec enim Concilio , *sed soli Pontifici* sententia tribuitur . Quare & citatum *Capitulum 2* ita summatur : *Papa Imperatorem deponere potest , ex causis legitimis : hoc dicitur secundum Pasium* .

Lugubres sequelæ hujus excommunicationis.

Sententia hæc per orbem jussu Pontificis divulgata , turbas & dissidia in Ecclesia innumera , gravissimaque excitavit ; quin & clades plurimæ in Christianam rempublicam ejus occasione redundarunt , quas illius temporis Historiæ commemorant .

Neque enim Fridericus Imperator se pro exauctorato habuit : sed de sententia actisque certior factus , ira excandescens , coronam capiti imposuit : ,, Et coronatus ere- ,, xit se , & minacibus oculis , voce terribili , & insatia- ,, bili corde dixit in propatulo : *Non adhuc coronam meam* ,, *perdidi vel Papali impugnatione vel Synodali Conci-* ,, *lio , nec sine cruento perdam certamine* ,, : uti scribit Parisiensis *pag.* 679. quod cruentum certamen seu bellum etiam secutum est .

Et quidem si Trithemio Abbati sit fides in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1244. tanta malorum tempestas hanc sententiam consecuta est , ut ipsum Innocentium IV. sententiæ auctorem pœnituerit eam tulisse . ,, Quamdiu ,, enim vixit Imperator Fridericus (ait Trithemius) per ,, annos ferme sex , prævalere contra eum , nec Papa , ,, nec aliquis Principum potuit : sed non advertens sen- ,, tentiam Papæ , quam injustam & frivolam dicebat , se ,, Imperatorem gesit , magnamque Principum , Nobi- ,, lium , & Civitatum adhærentiam habuit usque ad mor- ,, tem . Intravit post depositionem sui in Italiam , &

,, tan-

„ tantis malis Papam, subjectosque illi populos afflixit, ut Pontificum vivere tæderet, *voluissetque* „ *depositionem illius se nunquam cogitasse*. Maxima enim „ partialitas populorum in Italia subsecuta est, quæ in „ præsentem ferme diem per annos ducentos & sexaginta, non sine multorum effusione sanguinis duravit. „ Enimvero qui Romani Pontificis sequebantur partes, „ quorum votis inditum erat nomen Guelforum, fautores Imperatoris, qui Gibellini dicebantur, omni „ studio, omnique virtute persequi & delere satagebant; nec minore studio Guelfos Gibellini persequebantur „.

Litteræ apologeticæ Imperatoris.

Imperator in sui excusationem & defensionem scripsit litteras ad Principes Europæ, quarum exemplar extat apud Joannem Matthæum Parisiensem ad annum 1246. *pag.* 702. in quibus scribit, quod „ etsi Catholicæ fidei „ debito suggerente manifestissime fateatur, collatam „ a Domino sacrosanctæ Romanæ Sedis Antistiti plenariam *in spiritualibus* potestatem, quantumcumque, „ quod absit, sit ipse peccator, ut *quod in terra ligaverit, sit ligatum in cœlis; quod solverit, sit solutum*, nusquam tamen verum legitur (ait) divina vel „ humana sibi lege concessum, quod transferre pro libito possit Imperia, aut de puniendis temporaliter „ in privatione Regnorum, Regibus, aut terræ Principibus judicare „.

Addit dein, quod „ licet ad eum a jure & more „ majorum consecratio Imperatoris pertineat, propterea non magis ad ipsum privatio seu remotio pertineat, quam ad quoslibet Regnorum Prælatos, qui „ Reges suos, prout assolet, consecrant & inungunt „.

Post hæc dicit, esto concederetur, ipsum talem habuisse potestatem: „ est (ait) a plenitudine potestatis „ ipsius, quod nullo prorsus ordine juris, aut ordinis „ jure servato, animadvertere possit in quoslibet, quos „ asserit suæ ditioni subjectos? Eo modo contra se „ processum esse asserit, scilicet non per accusationis „ ordinem, cum non accusator apparuisset idoneus, „ nec inscriptio præcessisset, & nec per nuntiationem, „ legitimo denuntiatore cessante, nec per inquisitionis „ modum, quam *clamosa insinuatio* non præcessit. Cum „ etiam nullorum inquisitorum facta nobis extiterit „ copia, si qui forsan occulte, cum nulli fuerint, per „ hujusmodi Judicem ad inquisitionem addicti „.

Asserebantur quidem objecta contra Fridericum esse *notoria*, sed esse *notoria* ipse negabat, & esse *notoria* per legitimum testium numerum non probari dicebat: „ Sic enim quilibet Judex posset per se, solum crimen „ asserendo *notorium*, spreto juris ordine, quemlibet „ condemnare „.

Præterea asserit paucos esse, eosque vel suspectos, vel e longinquo adscitos Prælatos, qui contra ipsum in Concilio deposuerunt.

Et ut adfuissent testes, Actor & Judex, defuisse tamen tertium prætendit: scilicet contra se absentem, nec legitime vocatum, nec contumacem potuisse sententiam proferri, plura ibidem proferens, quibus defectum citationis probare, & a contumacia se purgare studet.

Ulterius, etsi omnia servato juris ordine essent peracta, sustinet tamen, similem in se sententiam ferri non potuisse, tum quod pœna inflicta non esset delicto proportionata, tum quod ad ipsum Pontificem non spectaret in Imperatorem temporales pœnas decernere, *cum temporalem hominem Superiorem non habeat*: „ spirituales autem pœnas (inquit) per sacerdotales „ nobis pœnitentias inducendas, tam pro contemptus „ clavium, quam pro aliis transgressionis humanæ peccatis, nedum a summo Pontifice (quem in spiritualibus Patrem nostrum & Dominum profitemur, si „ tamen Nos filium debita relatione cognoscat) sed „ per quemlibet sacerdotem reverenter accipimus & „ devote servamus „.

Denique concludendo, monet Principes omnes, omnium interesse, hanc sententiam nequaquam probare; cum scire debeant, id quod contra se actum est, contra quemlibet ipsorum contingere posse. „ Advertat „ (inquit) qualis ex istis initiis exitus expectetur: a „ nobis incipitur, sed pro certo noveritis, quod in „ aliis Regibus & Principibus finietur, a quibus publice gloriantur, resistentiam aliquam minime formidare, si, quod absit, posset nostra potestas primitus conculcari (a) „.

Relatis his litteris, subjungit Parisiensis *pag.* 704. „ Hæc autem epistola cum ad notitiam multorum „ Principum pervenisset, corda a Domino Papa protinus averterunt, superbiam Romanæ Curiæ, si „ contingeret Fridericum succumbere, merito formidantes „.

Quidquid sit de mordaci hoc contra Curiam Romanam dicterio, illud constat ex Chronico Alberti Abbatis Stadensis, quod „ hac sententia per mundum „ volante, quidam Principum cum multis aliis reclamarent, dicentes: *ad Papam non pertinere Imperatorem vel instituere, vel destituere, sed electum a* „ *Principibus coronare* „.

Insuper divisiones, bellaque, quæ occasione hujus Sententiæ per Imperium, totamque pene Europam, non tantum vivente Friderico, sed etiam post mortem ipsius pluribus annis perdurarunt, probant verissimum esse, summa moderatione censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis spiritualibus contra Reges, ac supremas potestates esse procedendum; uti in *Jure Eccles. Tomo IV. parte 3. tit. 11. cap.* 8. hujus editionis, alias *cap.* 7. observatum fuit.

§. III.

De Cruciata sive subsidio Terræ Sanctæ, & quærelis Anglorum ad Concilium delatis.

Lugubre nuncium de exterminio in Terra sancta.

MATTHÆUS Parisiensis enumeratis Prælatis cæterisque, qui ad Concilium accesserunt, & postquam monuisset, de *Terra sancta* nullum potuisse accedere, subjungit *pag.* 663. „ *occasionaliter* tamen illuc „ advenit in Terra Sancta Episcopus *Begitensis*, totius „ Syriæ Nuntius generalis, & Syndicus omnium Christianorum Terræ sanctæ, mandatum bajulans lugubre de exterminio, permittente Deo, in *Terra sancta* perpetrato „.

Hic Episcopus sub initium Concilii „ legi fecit Litteras, quas Magnates, qui residui erant in *Terra* „ *sancta*, omnibus Christianis occidentalibus miserant „ consignatas, per os fratris Arnulphi de ordine Prædicatorum, in publico „: uti testatur idem Historicus *pag.* 664. qui & addit: „ quarum tenor lugubris „ omnes audientes ad lacrymarum, nec immerito, „ movit effusionem „.

Et ipse Innocentius IV. sub initium Concilii sermonem habens ad Patres, inter alia dixit, dolorem suum esse de *Terra sancta*: „ in qua (ait) Chorosmini detestabiles: domos Templi & Hospitalis, Civitatem „ quoque Jerusalem, & alias multas Christianorum „ Civitates, cum magno Christiani sanguinis profluvio „ usque ad internecionem solo tenus diruendo destruxerunt.

Litteras, de quibus supra, integras exhibet citatus Matthæus Parisiensis ad annum 1244. *pag.* 631. & *seqq.* in quibus deploratissimus status Christianorum in *Terra sancta* describitur.

Indicitur *Cruciata* seu expeditio sacræ militiæ.

Igitur commiseratione moti, uti præferebatur, Patres Concilii, in subsidium *Terræ sanctæ*, pro illis præcipue, quæ constitutis in ipsa Fidelibus noscuntur *noviter* accidisse, decreverunt *Cruciatam*, sive expeditionem sacræ militiæ, edita Constitutione, quæ incipit *Afflicti corde*; extatque inter Decreta hujus Concilii *cap.* 17.

Monita pro Crucesignatis.

In hac Constitutione in primis præcipitur: *ut ita Crucesignati se præparent, quod opportuno tempore universis insinuando Fidelibus per Prædicatores & Nuntios nostros (uti loquitur Pontifex) speciales, omnes, qui disposuerint, transfretare in locis idoneis ad hoc conveniant, de quibus in ejusdem Terræ subsidium cum divina & apostolica benedictione procedant. Tom. 11. Concil. Col. 654. Edit. Labb.*

Monet dein Clericos & Prælatos, quæ fuerint in exercitu; ut *orationi & exhortationi* diligenter insistant, & *Crucesignatos* ad pœnitentiam, modestiam, mutuam charitatem, aliasque virtutes verbo & exemplo inducant: „ ut sic spiritualibus & temporalibus armis muniti, adversus Hostes fidei securius prælientur, non „ de sua præsumentes potentia, sed de divina virtute „ sperantes „.

Nobiles ac divitiis abundantes, vult Prælatorum monitis induci, ut intuitu *Crucifixi*, pro quo *Crucis* signaculum assumpserunt, ab inutilibus expensis, præcipue quæ fiunt in commessationibus & conviviis, abstinentes, eas commutent in personarum illarum subsidium, per quas valeat Dei negotium prosperari. Utque facilius inducantur, concedit eis „ ut propter hoc, „ juxta Prælatorum suorum providentiam, peccatorum suorum indulgentia tribuatur „.

Privilegia.

Præterea ad promovendum hoc opus, indulgetur Clericis in exercitu existentibus „ ut Beneficia sua integre percipiant per triennium, ac si essent in Ecclesia residentes „. Quin & additur, quod nescio an huc usque, vel etiam post, indultum fuerit „ si „ necesse fuerit, ea (Beneficia) per idem tempus *pignori* valeant obligare „.

Præcipitur quoque Prælatis, ut singuli *Crucesignatos* ad reddenda sua *vota* moneant, & si necesse fuerit, per censuras compellant.

Subsidia.

Injungitur & ipsis, ut omnibus sub se constitutis studiose proponant *Verbum Crucis*, obsecrantes: *ut qui personaliter non accesserint in subsidium Terræ sanctæ, competentem conferant numerum bellatorum, cum expensis ad triennium necessariis, secundum proprias facultates in remissionem suorum peccatorum.*

Præcipit dein, ut *omnes Clerici tam subditi quam Prælati, vigesimum Ecclesiarum proventum usque ad triennium conferant in subsidium Terræ sanctæ, per*

(a) Hæ Litteræ, in primis quæ ad Henricum III. Anglorum Regem directæ sunt, Taurini in Pedemontio conscriptæ dicuntur 31. Julii anno 1245.

manus eorum; qui ad hoc Apoſtolica fuerint providentia ordinati. Papa autem & Cardinales *decimam* ſe perſoluturos addicunt,

Privilegia.

Crucesignatos autem, ſive *perſonaliter* ad ſuccurſum Terræ ſanctæ accedentes, a talliis, aliiſque gravaminibus immunes declarat, quin & ipſorum perſonas, & bona ſub protectione Sedis Apoſtolicæ ſuſcipit, atque una ſub Prælatorum Eccleſiæ defenſione conſiſtant, ſalvis nihilominus *propriis* deputandis *Protectoribus*.

Ulterius jubet, ut, ſi *Cruceſignati* ad ſolvendas uſuras medio juramento ſint adſtricti, Creditores ipſis præſtitum juramentum remittant; & ab uſurarum exactione deſiſtant; Judæi quoque ad remittendas uſuras deſiſtere compellantur, Cruceſignatis autem, qui Judæis in præſenti ſolvere non poſſunt; ita *Principes ſæculares provideant utili dilatione, quod poſt iter arreptum, quouſque de ipſorum reditu vel obitu cognoſcatur, uſurarum incommoda non incurrant, compulſis Judæis proventibus pignorum; quos ipſi interim perceperint, in ſortem, expenſis neceſſariis deductis, computare: cum hujuſmodi Beneficium non multum videatur habere diſpendii, quod ſolutionem ſic prorogat, quod debitum non abſorbet*,

Excommunicantur Piratæ, qui nocent Cruceſignatis.

Et ne Cruceſignatis in opere aſſumpto, impedimentum objiciatur, excommunicat omnes Piratas, eorumque principales adjutores & fautores, qui Cruceſignatis nocumentum inferent: atque ſub anathemate inhibet, ne quis ſcienter cum iis communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu; injungens inſuper Magiſtratibus, ut eos ab iniquitate revocent & compeſcant; & ni faciant, in eos per Eccleſiarum Prælatos adverti mandat; „ Quia nolle perturbare perverſos (ait) nihil eſt aliud quam favere, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare „.

Item qui ſuccurrerent Saracenis.

Poſt hæc excommunicat & anathematizat falſos illos & impios Chriſtianos, qui contra Chriſtum ipſum & Chriſtianos, naves, arma, aliave ſubſidia Saracenis ſubminiſtraverint, aut impenderint auxilium vel conſilium; vetatque talibus *gremium* aperiri Eccleſiæ: niſi totum „ quod de commercio tam damnato perceperunt, & „ tantundem de ſuo in ſubſidium prædictæ Terræ „ tranſmiſerint, *ut æquo judicio, in qua peccaverint, puniantur* „.

Inhibet quoque *ſub anathemate omnibus Chriſtianis, ne in terras Saracenorum, qui partes Orientalium inhabitant, uſque ad quadriennium tranſmittant, vel tranſvehant naves ſuas, ut per has volentibus transfretare in ſubſidium Terræ ſanctæ major navigii copia præparetur, & Saracenis prædictis ſubſtrahatur auxilium, quod eis ex hoc non modicum conſuevit provenire*.

Prohibentur Torneamenta.

Licet *torneamenta* variis in Conciliis eſſent prohibita, ea nihilominus rurſus inhibet ſub pœna excommunicationis ad *triennium* exercori.

Præcipitur pax generalis orbis Chriſtiani.

Denique ad promovendum hoc negotium, *ſancta & univerſali Synodo ſuadente* ſtatuit, ut per *quadriennium* in toto orbe Chriſtiano *pax* generaliter obſervetur, atque ad eam obſervandam per Prælatos adducantur diſcordantes; & qui acquieſcere forte contempſerint, *per excommunicationem in perſonas & interdictum in terras* „ arctiſſime compellantur, niſi tanta fuerit injuriarum malitia, quod ipſi gaudere non debeant tali pace. „

Si fortan cenſuras vilipenderint, monet eos, quod „ poterunt non immerito formidare, ut per auctoritatem Eccleſiæ contra eos, tanquam perturbatores „ negotii Crucifixi ſæcularis potentia inducatur „.

Indulgentiæ.

Omnibus autem, qui laborem iſtum in *propriis perſonis* ſubierint & *expenſis*; item ſuis expenſis juxta facultatem & qualitatem ſuam viros idoneos deſtinaverint; ſimiliter illis, qui, licet in *alienis* expenſis, in *propriis* tamen *perſonis* acceſſerint „ in pœnam ſuorum „ peccatorum, de quibus fuerint corde contriti, & ore „ confeſſi, veniam indulget, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicetur augmentum „.

„ Hujuſmodi quoque remiſſionis concedit eſſe participes, omnes, qui ad ſubventionem ipſius Terræ de „ bonis ſuis congrue miniſtrabunt, aut circa prædicta „ conſilium & auxilium impenderint opportunum, nimirum *ſinguli juxta quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum* „.

Contradictiones præſertim Anglorum circa ſubſidium conferendum.

De hoc Crucis negotio loquens Matthæus Pariſienſis *pag.* 679. ait: *de Crucis negotio nonnulla ſint in Concilio ſalubriter & prudenter conſtituta: ſed cum de contributione pecuniæ facta fuit mentio, contradictum fuit Domino Papæ in facie, maxime propter hanc adjectionem: conferant ſubſidium per manum eorum, qui ad hoc Apoſtolica fuerint providentia ordinati. Quia multoties & multipliciter conqueruntur Fideles Eccleſiæ, ſe de pecunia ſua in Terræ ſanctæ auxilium contributa, per Romanam Curiam fuiſſe defraudatos*.

Et nominatim Oratores Regis Angliæ contradixiſſe, ſcribit ipſe Papa Regi Angliæ in litteris, quæ relectæ ſunt in generaliſſimo Conventu Regni Angliæ anno ſequenti; fatebantur id Oratores tunc præſentes, dicebantque: *Cauſa contradictionis hæc fuit, quia ſcilicet decreverat Papa*, cenſum colligendi *fore tradendum cui ipſe volebat, quod ſuſpectum fuit*, Pariſius ad annum 1246. *pag.* 697.

Hæc ſeptima Cruciata, in qua & ſanctus Ludovicus Rex expeditionem ſuſcepit.

Inter *Cruciatas* ſeu expeditiones in Terram ſanctam, quæ initium cœpere ſub Urbano II. circa finem ſæculi XI. hæc numeratur *ſeptima*, quæ propter diſſidia in imperio occaſione depoſitionis Friderici Imperatoris, ſperatum non habuit ſucceſſum: ſoluſque inter Reges Sanctus Ludovicus Rex Galliæ cum aliquibus Principibus expeditionem in Terram ſanctam ſuſcepit anno 1248. qua in expeditione anno 1250. ſanctus Rex a Saracenis captus fuit, exercituſque ejus deletus; uti latius narrat Ludovicus Maimbourg in Hiſtoria ſua *de Cruciatis*.

§. IV.

De Querelis Anglorum contra Curiam Romanam in Concilio propoſitis,

Querelæ de Proviſionibus Romanis circa Beneficia.

ANTIQUAS fuiſſe Anglorum querelas de exactionibus pecuniarum, atque proviſionibus Beneficiorum, quas per Angliam exercebant Romani, præſertim qui Legati ſeu Nuntii a Papa mittebantur, teſtantur paſſim gentis illius Hiſtorici, atque initia Pontificis Innocentii IV. deſcribens Matthæus Pariſienſis ad annum 1244. *pag.* 622. *Romana Curia, inquit, rubore depoſito, tempore novi Papæ noſtri Innocentii IV. ſecus quam ſperavimus, non deſinebat per Proviſiones quotidianas redditus impudenter extorquere. Exiit igitur murmur, in cordibus Anglorum diu conceptum, & retentum in manifeſtam querimoniam, & quaſi parturientes locuti, non poterant amplius ſe ſe continere*.

Refert ibidem querelas Magnatum Angliæ de variis gravaminibus Curiæ Romanæ, Regi expoſitas, quibus permotus Rex Henricus III. litteras dedit ad Innocentium IV. quibus humiliter exponit gravamina, quæ per Proviſiones Romanas Clericis *Italis*, aliarumque exterarum Regionum fieri ſolitas, Anglis inferebantur, ſupplicans: „ quatenus Jura noſtra (inquiunt) & Libertates, quæ non aliena, ſed propria merito poteſtis „ reputare, paterna ſollicitudine velitis tueri, & illæſa „ ac integra conſervare, nec aliquorum ſuggeſtionibus eamdem velitis in veſtra Curia aliquatenus perturbari „.

Similibus litteris ſupplicaverat idem Rex Gregorio IX. hujus Pontificis Prædeceſſori, *ut parceret Regnum Angliæ talibus exactionibus affligere*, ait citatus Pariſienſis *pag.* 624. qui addit, nec ab uno, nec altero Pontifice modum hiſce exactionibus poſitum fuiſſe.

Oratores Angliæ querimonias circa exactiones Romanas deponant in Concilio.

Cum igitur Angli intellexiſſent, Concilium generale a Pontifice indictum fuiſſe, opportunum duxerunt querelas ſuas renovare, Regemque inducere, ut contra has exactiones & gravamina per ſuos Oratores in Concilio futuro querelas deponeret, & remedia poſtularet; quod & a Rege obtinuerunt; teſtaturque citatus Hiſtoricus *pag.* 659. quod „ compoſita per Regni Univerſitatem eleganti Epiſtola, in qua extorſiones Papales „ nimis execrabiles, & exactiones multiformes Legatorum ejus, & quorumdam Clericorum potentia „ inaudita fungentium, continebantur, deſignati ſint „ quidam Viri Nobiles & diſcreti (quorum nomina ibidem referuntur) ad Concilium ituri gravem ſuper „ his, & præcipue ſuper exactione tributi, in quod „ nunquam conſenſit Regni Univerſitas, querimoniam „ coram Concilio repoſituri „.

Comparuerunt hi Oratores in Concilio in ſecunda ſeſſione, præſente Pontifice, atque unus illorum „ Wilhelmus de Paweric aſſurgens ex parte Univerſitatis „ Angliæ, conqueſtus eſt graviter, quod tempore belli „ per Curiam Romanam extortum ſit *tributum* injurioſe, in quod nunquam Patres Nobilium Regni, vel „ ipſi conſenſerunt, nec conſentiunt, neque in futurum conſentient. Unde (ait) ſibi petunt exhiberi juſtitiam cum remedio „. Ita refert citatus Pariſienſis *pag.* 666. additque: „ Ad quod nec Papa oculos „ elevans, nec vocem, verbum non reſpondit.

Porro Anglorum Procurator mandata ſua proſequens, propoſuit de multiformi reditum extorſione in Anglia per Curiam Romanam facta, huncque in finem ſupradictam epiſtolam nomine Magnatum & Univerſitatis Angliæ ſcriptam ad Innocentium IV. Papam oſtendit, quæ & coram Concilio prælecta eſt.

Denarius ſancti Petri.

In hac in primis Pontifici exponunt, quod Romana Eccleſia merito ſolatium & gratitudinis affectum debeat Regno Angliæ: *quandoquidem immemor eſſe nequeat illius gratitudinis, quam ei a longe retroactis temporibus Regnum Anglicanum impendit; concedendo eidem, ad exaltationem ſuam & conſervationem majorem, ſubſidium decens & non modice fructuoſum; ut per hoc inter Eccleſiam ipſam & Regnum prædictum fœdus dilectionis firmius iniretur, quod quidem ſubſidium, ſucceſſu temporis Beati Petri Denarius extiterit nuncupatus*.

Hujus *Denarii ſancti Petri* frequens mentio occurrit apud Scriptores Anglos, eratque pecunia, quæ ab Anglis quotannis Sedi Romanæ penſitabatur; dicebaturque Anglice *Romeſcot* vel *Romſcot*. Ejus auctorem communiter ſtatuunt Angli Inam Weſt-Saxonum, alii Offam Merciæ Regem; nonnulli Ethelwolfo Regi tribuunt ejus originem.

Quidquid ſit de ejus primo auctore, hoc conſtat, ejus uſum eſſe antiquum, quodque primum *gratuito*, ac per modum eleemoſynæ, & liberalis oblationis fuerit datus.

Qua-

Quare in Paſchalis II. Papæ ad Regem Anglorum Epiſtola vocatur *eleemoſyna beati Petri* ; apud Edmarum *lib. 5. Hiſt. Novorum pag.* 88. Et in legibus ſancti Edvvardi Regis Anglorum ſæculo XI. dicitur *eleemoſyna Regis* : eo quod ex Regum pietate primitus Eccleſiæ Romanæ fuiſſet addictus . Unde & curæ fuit Regibus, ut is denarius exacte ſolveretur, uti in hac Lege Edvvardi videre eſt ; item in legibus ſancti Canuti *cap.* 10. & Edgari *cap.* 51. quæ omnes extant *tomo* 9. Concil. generalium.

At quod gratuito primitus dabatur, poſtmodum Eccleſiaſtici patrimonii vicem obtinuit ; *cenſuſque* Eccleſiæ dictus fuit ; tandem miſſi etiam Legati in Angliam , qui eum colligerent ; meminitque Urbanus II. in Epiſtola ad ſanctum Anſelmum Cantuarienſem Epiſcopum cujuſdam *Huberti* , qui cum a Gregorio VII. legationem in Regno Anglorum accepiſſet , multa *ex cenſu beati Petri dicebatur collegiſſe* . Habetur inter Epiſtolas ſancti Anſelmi *lib.* 2. *Epiſtola* 32.

Tandem & adhibitis Cenſuris tamquam rigoroſum debitum exactus fuit, uti probat Epiſtola Innocentii III. 173. *l.* 16. Plura videri poſſunt apud Du-Cange in ſuo Gloſſario verbo *Denarius ſancti Petri*, item verbo *Romeſchot* , & apud Gonzales in notis & Commentario ad *c.* Auditis ✠ *de Præſcript.* & ad *cap.* Ea quæ ✠ *de Cenſibus* , in quibus hujus *denarii fit mentio* : quibus adde eruditam obſervationem Gabrielis Gerberon ad *Epiſtolam* 85. *l.* 3. ſancti Anſelmi ; ubi recte notat , hunc *denarium* ſancti Petri fuiſſe plane diverſum a tributo, quod circa an. 1209. Regno ſuo impoſuit Joannes Rex Angliæ vulgo dictus *Sine terra* , & quem in præſenti Concilio Lugdunenſi abrogatum voluere Magnates & Nobiles Angliæ , quamvis *Denarium ſancti Petri* , Eccleſiæ Romanæ rite addictum in his litteris agnoſcant, qui & in Anglia ſolutus fuit uſque ad tempora Henrici VIII. Immo , regnante Maria Angliæ Regina , reſtitutus , donec tandem fuit abrogatus, exolevitque ſub Eliſabetha , qua regnante , Regnum Angliæ ab obedientia Romani Pontificis penitus ſe ſubſtraxit , & hactenus ſeparatum perſeveravit .

Hac occaſione *Denarii ſancti Petri*, ad querelas Anglorum redeamus .

[...]neficia [...]leſiæ [...]glicanæ [...]is col[...] .

Graviſſime querebantur de Beneficiis a Legato Pontificis *extraneis* , maxime *Italis* , collatis *nullam curam animarum gerentibus* , *ſed lupos rapaciſſimos gregem diſpergere , & oves rapere permittentibus . Qui Hoſpitalitati , eleemoſynarumque largitioni , ſicut in Eccleſia ſtatutum eſt , non inſiſtunt , ſed fructus tantum percipiunt , extra Regnum aſportantes , Regnum non mediocriter depauperando , & reditus occupando* . . . . *Ut vero veritas vobis plenius innoteſcat* (*inquiunt*) *Italici percipientes in Anglia* ſexaginta millia *Marcarum , & eo amplius annuatim* (*aliis perceptionibus diverſis exceptis*) *plus emolumenti meri reditus de regno reportant, quam ipſe* Rex; *qui eſt regni tutor, & Regni gubernacula moderatur* .

Poſt hæc altiſſime conqueruntur de Martino , qui pro Legato Sedis Apoſtolicæ ſe gerens, dicebatur abuti ſua poteſtate , conferendo Beneficia Italis , ſpretis ac violatis Patronorum juribus. *Item quorumdam Beneficiorum collationem Sedi Apoſtolicæ reſervando & a viris religioſis penſiones immoderatas inſuper extorquendo , Contradictores & Reſiſtentes excommunicationis & interdicti ſententiis paſſim , non ſine magno diſcrimine & animarum periculo , ſupponendo* .

Præterea illum quotidie nova & plane inaudita mandata proferre , eumque , majori fungi officio , quam unquam fungi Legatum aliquem viderint : „ privilegio „ Regis (inquiunt) admodum derogando, per quod ei „ a Sede Apoſtolica ſpecialiter indulgetur, ne quis in „ Anglia Legationis fungatur officio , niſi a *Rege ſpe*„ *cialiter* poſtulatus “.

Concludunt autem, quod licet „ Rex ipſorum , in „ obſequio Jeſu-Chriſti Sedem velit Apoſtolicam revere„ ri, & Eccleſiæ Romanæ , ſicut filius ejus chariſſimus, „ commodi & honoris deſideret incrementum & aug„ mentum, jure tamen Regio , dignitateque plenius con„ ſervatis , nos tamen (inquiunt) qui in negotiis ſuis „ portamus pondus dierum & æſtus , & quibus una „ cum ipſo Domino Rege , intendere conſervationi Re„ gni diligenter incumbit , dictas oppreſſiones Deo & „ hominibus deteſtabiles , & gravamina nobis intolera„ bilia, non poſſumus æquanimiter tolerare , nec per „ Dei gratiam amplius tolerabimus , veſtræ pietatis „ remedio mediante ; quod feſtinum & tempeſtivum „ habere credimus & ſperamus “.

His querimoniis addiderunt & ipſi Oratores querimoniam „ de violenta oppreſſione, intolerabili grava„ mine & impudenti exactione, quæ per hanc inviſam „ adjectionem , Papalibus litteris frequenter inſertam , „ *non obſtante* , &c. exercetur : “ uti loquitur Matthæus Pariſienſis *pag.* 668.

[...]ratores [...] obti[...]t leva[...]n.

Lectis hiſce litteris , finitaque Oratorum peroratione, Papa non reſpondit : quia , ut aſſeruit , tam arduum negotium *moroſa* indiguit deliberatione , *indiſtanter* tamen ſe reſponſa daturum ſpondendo , ſuſpendit ad tempus reſponſionem .

Urgebant igitur Oratores Angli reſolutionem Papæ prout promiſerat , ac tandem patuit , quod poſtulata ad votum non reportarent . „ Irati igitur nimis Pro„ curatores memorati receſſerunt cum comminatione „ terribiliter jurantes ſe nunquam *tributum* Romanæ „ cupiditati omni ſæculo deteſtabili , ſoluturos , nec „ ſolvere permiſſuros , vel amplius reditum Eccle„ ſiarum (præcipue quarum Nobiles Regni eſſe Pa„ troni dignoſcuntur) & proventus extorqueri non „ paſſuros “ .

Tributum , de quo hic ſermo , eſt illud , quod Joannes Rex Angliæ vulgo dictus *Sine terra* an. 1213. promiſerat Innocentio III. ejuſque Succeſſoribus , ut nimirum *de propriis & ſpecialibus reditibus Regnorum Angliæ & Hiberniæ , ſalvis per omnia* Denariis *beati Petri* , *Eccleſia Romana mille marcas Eſterlingorum præcipiat annuatim* . Ita legitur in Charta , qua dictus Joannes Rex , Regnum Angliæ & Hiberniæ feudatarium fecit Eccleſiæ Romanæ, eumque in finem juravit ſubjectionem & *homagium Ligium* ipſi Papæ, atque in hujus ſubjectionis recognitionem dictum *tributum annuatim* perpetuis futuris temporibus perſolvendum promiſit , prout in citata Charta , & formula juramenti a Joanne præſtiti (quæ integræ extant apud Pariſ. *pag.* 237.) latius exprimitur.

Tributum Romano Pontifici promiſſum a Joanne Sine terra an. 1213.

Hanc Cartham Magnates & Barones Angliæ nolebant ut legitimam agnoſcere , utpote ſine eorum conſenſu a Rege Joanne , cum eſſet in bello contra Regem Galliæ , a Pontifice , ut aſſerebant , *metu* extortam .

Innocentius IV. autem deſiderans hanc Chartam , tributumque in ea addictum ſervare integrum Eccleſiæ Romanæ , miſit ad ſingulos Epiſcopos Angliæ , præcipiens diſtrictiſſime , ut quilibet eorum illi *Chartæ* Joannis Regis ſignum ſuum appenderet , ut magis roborata perpetuaretur .

Innocentius IV. curat chartam hujus promiſſi per Epiſcopos Angliæ roborari.

Epiſcopi Pontifici obſequentes Chartam ſuis ſignis roborarunt . Verum „ cum Dominus Rex (Henricus „ III.) hoc audiſſet , in maximam iram excandens , „ juravit , quod etſi etiam Epiſcopi turpiter ſint in„ curvati , ipſe fortiter ſtaret pro Regni libertate : „ nec unquam , dum vitales carperet auras , cenſum „ ſub nomine tributi Curiæ Romanæ perſolveret “ . Pariſienſis *pag.* 681.

Conatus nihilominus fuit Pontifex animos Anglorum magnificis promiſſis delinire , datis etiam litteris ad Prælatos & Epiſcopos , quin & ad Regem ipſum, quibus promittit gravaminibus ſuper collatione Beneficiorum , & derogatione Juris Patronatus remedium adferre , quæ omnes relectæ fuerunt in Parlamento generaliſſimo totius Regni Anglicani , quod anno ſequenti , ſcilicet anno 1246. habitum eſt Dominica *Lætare* .

In hoc Parlamento ſeu conventu , tam Prælati , quam Nobiles & Barones Angliæ querebantur , quod „ Papa promiſſionis ſuæ tranſgreſſor gravius quam an„ te eorum querimoniam manum dietim exaſperans , „ aggravabat „ . Tum promiſſa ejus in Concilio Lugdunenſi recitata ſunt .

Iteratæ querelæ de exactionibus Romanorum .

Dein expoſitum fuit Regi , quod „ conceſſum eſſet „ ipſi privilegium , *ne Italicus Italico immediate ſuc*„ *cedat* in Beneficio ; hocque impetratum eſſe propter „ fraudes eorum , qui mortuis Beneficiatis , alios fur„ tim ſupponebant : ſed (inquiunt) omnia hæc & „ alia per hoc repagulum *non obſtante* , infirmantur . „ Ubi ergo Fides , ubi Jura , quæ ſcriptis ſolebant „ ſolidari ? exularunt “ Pariſienſis ibid.

His omnibus expoſitis , gravamina , quæ non obſtantibus promiſſis continuo magis ac magis Regno Angliæ imponebantur , ſingulatim enarrarunt .

Primo quod *Dominus Papa non ſit contentus ſubſidio illo , quod vocatur* Denarius beati Petri , *ſed a toto Clero Angliæ gravem extorqueat contributionem , & adhuc multo graviora nitatur extorquere . Quod & hoc faciat ſine Regis aſſenſu & conſenſu , contra antiquas conſuetudines , libertates , & Regni jura , & contra appellationem & contradictionem Procuratorum Regis & Regni in Concilio generali* .

Dicunt & ſe gravari quod Italicus Italico ſuccedat : *& quod Anglici* extra Regnum *in cauſis auctoritate Apoſtolica trahuntur contra Regni conſuetudines , contra Jura ſcripta , eo quod inter inimicos conveniri non debeant , & contra indulgentias a Prædeceſſoribus Domini Papæ , Regi & Regno Angliæ conceſſas* .

Vehemens quoque fit querimonia de gravamine *ex multiplici adventus illius Nuntii* , Non obſtante , *per quem juramenti religio , conſuetudines antiquæ , ſcripturarum vigor , conceſſionum auctoritas , Statuta , Jura , & Privilegia debilitantur & evaneſcunt* .

Reliqua gravamina verſabantur circa collationes Beneficiorum *Romanis* ſeu Italis , qui idioma Regni ignorabant , & pecunias extra Regnum aſportabant . Item de exceſſivis penſionibus exigendis . Item de *Talliis generalibus* , *collectis* , & aſſiſis , ſine Regis aſſenſu & voluntate factis .

Plures his de cauſis ſcriptæ fuere Litteræ , tum ad Pontificem , tum ad Cardinales , & ſpeciales Nuntii ad Papam deſtinati , ſed exiguo ſucceſſu , uti patet ex ſæpius poſtmodum iteratis adverſus hæc gravamina , præſertim varias exactiones pecuniarum , Prælatorum & Magnatum Angliæ querimoniis ; uti apud Matthæum Pariſienſem legi poteſt .

Querelæ Belgarum de Provisionibus Romanis.

Non absimiles fuisse Belgarum querelas de provisionibus & reservationibus, nec non pensionibus Beneficiis impositis, quæ sensim invaluerant, ostendunt querelæ Procuratorum fiscalium sive Regiorum, nec non edicta Principum ad prædictas querelas evulgata sub finem sæculi XV. de quibus in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 3. tit. 6. cap. 1. nu. 38.* alias *tit. 23.*

§. V.

De auctoritate Decretorum, quæ sub nomine hujus Concilii allegantur in Sexto Decretalium.

Dicuntur horum Decretorum aliqua ante, aliqua post Concilium confecta.

MATTHÆUS Parif. referens acta Concilii Lugdunensis sub Innocentio IV. anno 1245. celebrati, recitat nonnulla Decreta ordinem Judiciorum præcipue spectantia: aitque, quod „ postquam hæc Statuta ad notitiam audientium pervenissent, in conspectu omnium sapientium placuerunt. Et in hoc, tam favorem „ quam gratiam Dominus Papa promeruit universorum. Verumtamen (ait) quædam eorum ante Concilium, quædam durante, quædam vero post Concilium sunt statuta ".

Itaque si huic Historico, qui circa tempus hujus Concilii scripsit, credamus, sequitur, quod nequaquam omnia adscribi queant Concilio Lugdunensi, quæ nomen hujus *Concilii* in *Sexto Decretalium* præferunt: quandoquidem eorum, quæ ipse Historicus refert, & in Sexto Decretalium sub hujus Concilii nomine extant, nonnulla (ut ipse ait) *ante*, & *nonnulla post Consilium sunt statuta*.

Quin & ea, quæ *durante* Concilio *statuta* dicuntur, nescio an omnia ipsi Concilio adscribenda sint.

Cætera an in Concilio examinata.

Cum enim Concilium *tribus* sessionibus fuerit absolutum, paucisque duntaxat diebus congregatum manserit, & summi momenti negotia, nimirum de subsidio *Terræ sanctæ*, necnon de processu contra Fridericum Imperatorem tractata dicantur, nequaquam probabile apparet, Patres concipiendis & examinandis omnibus hisce Decretis, ordinem judiciorum unice pene concernentibus, fuisse detentos; præsertim cum inter Acta Concilii nulla super iis Decretis a Patribus habita deliberatio aut discussio legatur.

Quadam in Sexto referuntur, quæ apud nullum Scriptorem antiquiorem habentur.

Præterea notandum, quædam in *Sexto* Decretalium referri Decreta, sub nomine hujus Concilii, quæ nec a Matthæo Parisiensi, nec ab alio antiquiore Scriptore inter Acta hujus Concilii referuntur.

Quia tamen & hæc tanquam in *hoc Concilio* edita referuntur, etiam vel hoc titulo majoris momenti præ reliquis Decretalibus a Doctoribus existimata sunt, quare & hæc una cum præcedentibus a Matthæo relatis, compendiose, adjunctis quibusdam *Observationibus*, servato ordine *Sexti Decretalium*, exhibenda judicavi.

O B S E R V A T I O N E S.

In Decreta sub nomine Concilii Lugdunensis I. allegata.

CAPUT II. de Rescriptis in 6.

Quæ in Rescriptis observanda & notanter circa clausulam, Et quidam alii.

OBSERVATIONES.

SUB titulo *de Rescriptis cap. 2. & 3.* bina exhibentur Decreta, sub hoc titulo: *Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi.*

Per primum quod refertur *cap.* Cum in multis *2. de Rescriptis in 6.* restringitur generalitas illius clausulæ Rescriptis Apostolicis, quæ *justitiæ* dicuntur, inseri solitæ, *Et quidam alii*: ac decernitur vigore hujus clausulæ, *ultra tres vel quatuor*, in judicium trahi non posse.

Monet hic Glossographus, idem esse, si dicatur *homines talis loci*: „ nam (ait) aut conveniet eos, ut „ Universitatem, & tunc omnes habentur loco *unius*: „ aut ut *singulos*, & tunc *solos quatuor* præter expressos poterit convenire ".

Hoc monitum probat Carolus Molinæus: „ ubi hoc „ verbum *homines talis loci* ponitur in clausula *in consequentiam*, ut hic, secus si *principaliter* concederetur contra homines in genere: quia hic loquitur, „ quando multitudo venit in consequentiam " Hoc idem hic notare voluit Glossa marginalis his verbis, „ Ista clausula locum habet, ubi ponitur *post* personam „ expressam, non alias. "

Nequaquam obscurum est ex toto contextu hic solummodo sermonem esse de Litteris Papalibus: ideoque recte hic notat Glossographus ex Hostiensi, non extendi ad *Episcopales*, quod & approbat Molinæus: „ Quia „ hic textus (ait) propter odium delegationum, & „ turbationem Jurisdictionis Ordinariæ restringitur ".

Præterea edicitur, ut utens hac clausula, *Quidam alii*, debeat *nomina* eorum, quos vigore hujus clausulæ convenire intendit, in primo *citatorio* exprimere: *ne locus fraudi forsitan relinquatur, si circa ea possit libere variare.*

CAPUT III. de Rescriptis in 6.

Ut plures lites inter eosdem ab eodem judice terminentur.

OBSERVATIO.

ALTERUM Decretum relatum in *cap.* Dispendia litium *3. de Rescriptis in 6.* duo præscribit ad occurrendum dispendiis litium.

Primum, quod si quis contra eumdem *plures* actiones *personales* movere intendat, non ad diversos, sed ad eosdem Judices super omnibus hujusmodi quæstionibus litteras studeat impetrare. Si contrarium fecerit, *commodo litterarum careat*, & reo in vim similium litterarum ad diversos Judices citato, *in expensis legitimis* condemnandus.

Refert se hic textus ad Statum Gregorii Papæ IX. hancque esse veram litteram notat hic Joannes Andreas, & monet eum loqui de Decretali, quæ extat in *cap. fin. de Rescriptis*, quæ male assignatur Innocentio III. ut idem monet.

Recte quoque monet hic post Panormitanum Molinæus, quod ad identitatem rationis decisio hujus Decretalis habeat quoque locum in actionibus *realibus*, etiam quoad pœnam.

Secundum est, quo ob eamdem rationem abreviandi litigia, statuitur, *si reus eodem durante judicio actorem sibi obnoxium dixerit, reconventionis Beneficio vel conventionis, si contra eum* (actorem) *litteras impetrare maluerit, de jure suo debet apud eosdem Judices experiri*, hoc est reconventionem vel conventionem instituere, *nisi eos ut suspectos poterit recusare*.

Sed quare impetrandæ contra Actorem novæ litteræ *ad eosdem Judices*? Respondet hic Glossa: „ forte est „ talis causa, quæ non cadit in cognitionem Delegati „ sine speciali mandato Papæ: alias enim quare oneraret se litteris impetrandis, qui per litteras Actoris potest suum expedire negotium "? Unde nec dicitur, quod reus *debeat* litteras contra Actorem impetrare, sed tantum *si maluerit*.

CAPUT I. de Electione in 6.

Contra temere objicientes defectum electionis factæ, aut defectum personæ electæ.

OBSERVATIO.

SUB titulo *de Electione cap. 1.* Statuimus, refertur Decretum sub nomine *Innocentii IV. in Concilio generali Lugdunensi*, in quo agitur de oppositione contra factam electionem, postulationem, vel provisionem vel ob defectum formæ, vel incapacitatem personæ: statuiturque, ut si ob hoc ad Sedem Apostolicam appellari contigerit, *tam is, qui opponit, quam qui defendit, & generaliter omnes, quorum interest, & quos causa contingit*, teneantur *sive per se, sive per Procuratores ad causam instructos ad Sedem Apostolicam a die objectionis iter* arripere *intra mensem*.

Additur, quod si pars altera non venerit post *viginti dies post adventum alterius expectata*, poterit *non obstante ejus absentia*, in causa appellationis procedi, & si opponens contra formam electionis defectum *plene non probaverit*, condemnandus est in *expensas, quas propter hoc pars altera se fecisse docuerit*.

Si autem *defecerit in probatione ejus, quod objecit in personam, a Beneficiis Ecclesiasticis* triennio suspenditur; quibus si se *intra illud tempus ingesserit, eis* ipso jure *perpetuo sit privatus, nullam super hoc de misericordia spem aut fiduciam habiturus, nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum a calumniæ vitio causa probabilis & sufficiens excusaret.*

Cum hodie hisce in partibus difficultates & quæstiones super Provisionibus Beneficiorum soleant in *possessorio* deferri ad Tribunalia Regia, & in *petitorio* ad Ordinarios: aut si ad Sedem Apostolicam via appellationis, aliove titulo eas devolvi contigat, committi debeant Judicibus delegatis in *partibus*, nullus, aut saltem exiguus est hic usus hujus Decretalis: licet indubie justum esset, ut qui *temerarie* & calumniose vitium personæ electæ seu provisæ objecisse convincitur, pro sua *temeritate* per Judicem puniretur.

C A-

CAPUT I. de Dolo & Contumacia in 6.

De pœna in Actorem termino præfixo non comparentem.

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Actor. 1. *de dolo & contumacia in.* 6. legitur Decretum cum simplici epigraphe *Innocentius IV.* sed in Corpore Juris canonici correcto ad marginem notatur: *alias ita*: Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi: & recte, nam & apud Matthæum Parisiensem hoc Decretum habetur sub nomine Concilii Lugdunensis.

Decernitur autem hoc Decretò, quod *Actor, qui ad terminum venire, ad quem citari adversarium fecerat, non curavit; venienti reo in expensis (propter hoc factis legitime) condemnetur.* Hodie in omnibus Curiis conformiter ad præsens Decretum receptum est, contumacem in *expensas* condemnari, neque ulterius audiri seu adversus contumaciam in integrum restitui, nisi restitutis expensis.

Præterea addit præsens Decretalis, quod Actor *ad aliam*, id est, novam *citationem* ipsius rei *minime* sit *admittendus*; *nisi* sufficienter caverit, *quod in termino* fideliter, *debeat comparere*.

Notat autem Glossa, hoc verum esse *si requisitus fuerit Judex, ut si denegaret citationem, nisi præstet illam cautionem de comparendo in singulis assignationibus, nam Judex non debet interponere officium suum ad privatam utilitatem, nisi requiratur a partibus.*

At notant passim Pragmatici, cautionem *in judicio sisti*, hodie pene exolevisse, uti videre est apud citatos per D. Christinæum in notis ad Bugnionium *de Legib. abrog. lib.* 1. *Satyra* 228.

CAPUT UNICUM de eo, qui mittitur in possessionem in 6.

De Missione in possessionem Beneficii ob contumaciam Rei non comparentis.

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Eum, *de eo qui mittitur in possess. in* 6. extat rursus Decretum sub solo nomine *Innocentii IV.* sed in margine notatur: *alias ita : Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi*, occurritque & præsens Decretum inter Decreta Innocentii IV. in Concilio Lugdunensi, apud Matthæum Parisiensem.

Statuitur autem, quod litigans super Beneficio obtinendo cum aliquo Possessore, non sit mittendus in possessionem rei servandæ causa *ob partis adversæ contumaciam: Ne* (ait) *per hoc ad ea ingressus patere valeat vitiosus.*

Addit autem Decretalis, quod *liceat in hoc casu (contumacis absentiam divina replente præsentia) etiam lite non contestata, diligenter examinato negotio ipsum fine debito terminare.*

Monet Bugnonius de *Legib. abrog. lib.* 2. *sect.* 10. licet olim causæ cognitio in missione in possessionem interveniret, differenda tamen erat missio, donec de veritate tituli innotesceret, uti hæc Decretalis manifeste innuit, & probat totus titulus ff. *de eo qui mitt. in possess.* „ His tamen temporibus (ait Bugnionius) Sacerdos vel Notarius publicus in possessionem inducit. Et quia non nisi nudus minister est, ideo de causa non cognoscit; nec differt propterea in possessionem mittere, jure tamen partibus salvo, apud idoneum & competentem Judicem agendi, & experiundi interdicto retinendæ possessionis „.

Observat & citatus auctor, *lib.* 1. *Satyra* 176. quod in Gallia non recipiatur titulus Digestorum *Quibus ex causis in possess. eatur.* „ Nam (ait) non mittuntur „ Actores in possessionem bonorum ob contumaciam „ reorum „. Quod & moribus Belgii conforme esse monet Zypæus in *notitia Juris Belg. tit. de dolo & contumacia*; sed in contumaces, tam in actione reali, quam personali, ad definitivam sententiam proceditur. Plures de hac praxi testantes recitat Christinæus ad citatam *Satyram* 176.

CAPUT I. De Confessis in 6.

De Positionibus in judicio faciendis.

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Statuimus 1. *de Confessis in* 6. habetur Decretum cum inscriptione: *Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi*: extatque apud Matthæum Parisiensem.

Ad abbreviandas lites & probationes factorum, quæ in deductione causæ occurrunt, inductus fuit usus *positionum*, de quo fusius egi in *Jure Eccles. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 7. *cap.* 5. Hoc unum hac Decretali statuitur, *ut positiones negativas (quæ probari non possunt nisi per Confessionem adversarii) Judices admittere possint, si, æquitate suadente, viderint expedire.*

Certum est, quod Judex non teneatur admittere omnes positiones, sive articulos a parte propositos, sed dispicere debeat, an ad causam pertineant, & an non sint captiosæ, &c.

Recte ergo dicitur, in hac Decretali, positiones *negativas* tum demum admittendas, si Judex, *æquitate suadente, viderit expedire*. Licet enim *negativa* per rerum naturam probari nequeat, per testes, aut similem probandi modum; ideoque visum fuerit aliquibus similes *positiones* rejiciendas esse; tamen eas a Judicibus admitti posse statuitur, quia ipsa pars adversa notitiam ejus habens, potest respondere, & per ejus responsum rei veritas acquiri.

CAPUT III. De Testibus in 6.

Advocatus vel Procurator in prima instantia, non recipiendi in testes in secunda instantia.

OBSERVATIO.

IN *Cap.* 3. *de testibus in* 6. refertur Decretum sub hac inscriptione: *Innocentius IV. in generali Concilio Lugdunensi*, incipitque etiam his verbis *Romana Ecclesia*, quibus *cap.* 1. *de Officio Ord. in* 6. supra relatum, quibus initialibus verbis plura sub nomine *Innocentii IV.* simpliciter, vel addito, *in Concilio Lugdunensi*, in *Sexto* Decretalium referuntur, quæ verisimiliter fragmenta sunt unius ejusdem Decretalis, quæ incipiebat *Romana Ecclesia*; cujus tamen nulla apud Matthæum Parisiensem, aut alium Scriptorem, sub nomine Concilii Lugdunensis mentio occurrit.

Duo hac Decretali statuuntur: primo quod Procurator aut Advocatus in priori judicio non debeant in causa appellationis in testes admitti, scilicet pro appellante, idque ob affectionem, quam habere præsumuntur pro causa, quam ut justam & bene fundatam propugnarunt, vel prosecuti sunt in priore judicio.

Moribus hodiernis nec hi a testimonio dicendo repelluntur, nisi parte opponente, & si admittantur, Judicis erit æstimare, quantum testimonio illorum sit deferendum; uti notavi *in Jure Eccl. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 7. *cap.* 6. *num.* 14.

Statuitur secundo, ne Judex indistincte appellanti deferat juramentum, licet etiam præsumptio pro eo faciat: *Sed tunc cum inspectis personarum & ipsius causæ circumstantiis, id fuerit faciendum.* Juramentum suppletorium cum magna moderatione a Judice deferendum.

De circumspectione & moderatione servanda a Judice in delatione similis juramenti suppletorii, plura annotavi in *Jure Eccles. Tom. IV.* titulo citato *cap.* 8.

CAPUT I. De Exceptionibus in 6.

De Exceptione excommunicationis rei contra Actorem opposita.

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Pia 1. *de Exceptionibus in* 6. extat Decretum inscriptum: *Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi*, relatum quoque a Matthæo Parisiensi, occurritque abusui, quo per facilem oppositionem excommunicationis judicia passim sistebantur, Actoresque suo jure fraudabantur.

Statuitur itaque, ut *si quis excommunicationem opponit, speciem illius, & nomen excommunicatoris exprimat, quam intra octo dierum spatium probare* debeat *apertissimis documentis*, & *si non probaverit, Judex in causa procedere non omittat, reum in expensas, quas actor ob hoc* diebus illis se fecisse probaverit, *præhabita taxatione, condemnans.*

Si contingat post lapsum octo dierum, & non probatam objectam excommunicationem, *de eadem vel alia excipiatur iterum, & probetur, Actor* quidem *in sequentibus excludetur* ab agendo, *donec meruerit gratiam absolutionis obtinere*, iis nihilominus, *quæ præcesserunt, in robore* suo duraturis, poteritque Actor, habita absolutione, reassumere processum in illo statu, in quo erat tempore, quo reus admissus fuit ad probandum excommunicationem, uti hic notat Glossographus.

Si autem nec secundo objecta excommunicatio probata fuerit, tertio objici vetatur, præterquam si excommunicatio *nova* emerserit, vel evidens & prompta probatio supervenerit de antiqua, id est, si *antiqua* excommunicatio de *novo* nunc demum venerit ad notitiam rei; quod Judici probari debebit.

Si autem sententia jam lata, excommunicatio objiciatur & probetur, executio sententiæ sistetur, sed *sententia, quæ præcessit, non minus robur debitum obtinebit.*

Licet autem non soleat Judex habere rationem exceptionis, nisi hæc a parte fuerit proposita, hic tamen decernitur, ut *si actor sit excommunicatus* Publice, *& hoc Judex noverit quandocumque, etsi reus non excipiat, Judex Actorem ex* suo officio *repellere non postponat.*

Hodie hæc exceptio admodum rara est præsertim hisce in partibus; eo quod hic notoria praxis habeat excommunicatum non esse vitandum, nisi per sententiam Judicis specialem contra ipsum prolatam & publicatam

sur-

fuerit declaratus excommunicatus, uti latius exposui in *Jure Eccl. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 11. *cap.* 5. alias *cap.* 4.

Interim ex hac Decretali evidens est, quod ea ætate invaluisset multiplex censurarum ac notanter excommunicationis Juris, sive sententiæ latæ, prout has censuras invaluisse sæculo XI. & seqq. notavi in *Jure Eccl. Tom. IV.* citato *tit.* 11. *cap.* 7. alias *cap.* 6. & fusius in *Tractatu de Censuris*, *Tom. IX.* hujus editionis.

CAPUT I. De sententia & re judicata in 6.

Qua pœna plectendus Judex, qui contra justitiam per sordes aut favorem judicaverit.

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Cum æterni 1. *de Sent. & re jud. in* 6. exhibetur Decretum sub nomine *Innocentii IV. in Concilio Lugdunensi*, cujus & meminit sæpius citatus Parisiensis, quo monentur in primis Ecclesiastici Judices, ut *in causarum processibus nil vindicet odium, vel favor usurpet, timor exulei, præmium aut expectatio præmii justitiam non evertat, sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus, quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententiis & ferendis, præ oculis habeant solum Deum.*

Hinc indubie profluxit, quod hodie Judex Ecclesiasticus soleat dicere in pronuntiatione sententiæ, *solum Deum & justitiam præ oculis habentes.*

Si autem Judex Ecclesiasticus, non obstante hoc monito, *contra conscientiam & contra justitiam in gravamen partis alterius in Judicio quidquam fecerit, per gratiam vel per sordes, ab executione officii per annum* declaratur *suspensus*, & ulterius *ad æstimationem litis parti* læsæ *condemnandus*. Et *si, suspensione durante*, damnabiliter *ingesserit se divinis*, irregularitatis *laqueo se involvet secundum* Canonicas Sanctiones, ab ea *non nisi per summum Pontificem* absolvendus, *salvis aliis Constitutionibus, quæ Judicibus male indicantibus pœnas ingerunt & infligunt. Dignum est enim* (ait) *ut qui in tot præsumit offendere, pœna multiplici castigetur.*

Dubium non est, Judicem contra conscientiam per gratiam aut sordes contra justitiam judicantem, gravissime peccare, atque parti læsæ ad restitutionem teneri, nec non graves pœnas mereri: tamen quia pro integritate Judicis, tamquam personæ publicæ præsumitur, multumque difficile sit probare, ipsum *contra conscientiam per gratiam aut sordes judicasse* admodum raro Judice hisce pœnis plectuntur, sed pars, quæ se per sententiam læsam prætendit, remedio appellationis sibi consulere debet.

Neque hodie observatur rigor antiquus Juris, ut Judex, qui per *imperitiam* male judicasse arguitur, in judicio sententiam suam tueri teneatur; si tamen probaretur revera per *fraudem* aut *acceptis muneribus* iniquam protulisse sententiam, Officii sui depositione aut suspensione, aliave majore aut minore pœna pro qualitate delicti etiam hodie esset puniendus. Vide Stockmanus *Decis.* 144. & ab eo citatos, item Christinæum ad Bugnionium *de Legib. abrog. lib.* 1. *satyra* 224.

CAPUT II.

De sententia & re jodicata in 6.

Sententia depositionis decreta contra Fridericum II. Imperatorem.

OBSERVATIO.

REFERTUR in *Cap.* Ad Apostolicæ 2. *de sent. & re jud. in* 6. integra pene sententia prolata ab Innocentio IV. contra Fridericum Imperatorem sub hoc titulo: *Innocentius IV. sacro* præsente *Concilio, ad memoriam sempiternam*. De quo titulo & tenore sententiæ egimus supra §. 2. Dissertationis ad hoc Concilium.

CAPUT I.

De Appellationibus in 6.

De forma appellationis ab Interlocutoria, & ejus effectu, signanter si appellatum sit ad Sedem Apostolicam.

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Cordi 1. *de Appellat. in* 6. relatum Decretum adscribitur *Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi*, uti & a Matthæo Parisiensi anno 1245.

Hoc Decreto agitur de Appellationibus, sive *in judicio* sive *extra* super *interlocutoria* vel *gravamine aliquo ad Sedem Apostolicam* interpositis.

Ac primo quidem statuitur, quod hæc species appellationis debeat fieri *in scriptis*, idque sive ex intervallo, sive ex incontinenti fiat, secus quam in appellatione a *Definitiva*, ut hic notat Glossa; quia hæc ex incontinenti, Judice adhuc pro Tribunali sedenti, fieri potest *solo verbo*.

Secundo debet in ipsa appellatione ab interlocutoria exprimi *causa* appellationis, & quidem talis, quæ si vera esset, sufficiens judicaretur ad appellandum: quod rursus in appellatione a *Definitiva* non exigitur.

Præterea dicit, quod Judex *a quo* possit appellanti præfigere terminum ad prosequendum appellationem, *secundum locorum distantiam, personarum, ac negotii qualitatem*.

Post hæc *si voluerit appellatus & petierit, principalis personæ* per se *vel per Procuratores instructos, cum mandato ad agendum, & cum rationibus & munimentis* ad causam *spectantibus accedant ad* Sedem Apostolicam *sic parati*.

Hic notat Glossographus, quod procurator missus non tantum debeat esse instructus in causa appellationis „ sed & in causa *principali*; ut, si Papæ visum „ fuerit expedire, finito appellationis articulo, vel de „ partium voluntate omisso, procedatur in negotio „ *principali*, quantum de jure poterit & debebit „.

Hic observat Glossographus „ *speciale* esse in Papa, quod „ possit retinere causam *principalem*, etiamsi di„ ctum sit, *bene judicatam* & *male* appellatum: immo „ sine appellatione possit Papa inhibere Judicibus, ut „ non se intromittant amplius in causa: sed ipsam „ causam una cum partibus remittant ad Papam „. Hæc secus in Archiepiscopo obtinere dicit. Hic enim non potest omisso articulo, de causa principali cognoscere etiam de consensu partium: teneturque causam principalem ad Judicem *a quo* remittere, si dictum sit: *bene judicatum, male appellatum*.

Cum moribus nostris non remittantur partes ad Sedem Apostolicam, etiam in causa appellationis, sed dentur Judices *delegati* in *partibus*, quæ hic Papæ tribuuntur, hodie non observantur; sed hi Judices in partibus de solo articulo appellationis cognoscunt: & si *bene judicatum*, & male appellatum pronuntietur, remittunt causam principalem ad Judicem *a quo*.

Item certum est, hodie non perinde a sententia interlocutoria etiam ad Sedem Apostolicam posse appellari, prout eas appellationes admissas fuisse tempore editæ hujus Decretalis notavi *in Jure Eccl. Tom. IV. part.* 3. *tit.* 10. §. 1. hujus editionis.

CAPUT II.

De Appellationibus in 6.

De termino arbitris juris in causa recusationis electis per Judicem recusatum præficiendo.

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Legitima 2. *de Appellat. in* 6. habetur Decretum cum hac inscriptione, *Idem*, id est, Innocentius IV. at apud Binium, & qui ipsum secuti sunt Conciliorum Collectores numeratur inter Decreta *Concilii Lugdunensis*; eoque statuitur, quod si *causa suspicionis contra Judicem assignata sit*; commissa *arbitris a partibus secundum formam Juris electis*, ne ob allegatam suspicionis causam negotium principale nimium retardaretur, *ipsis arbitris per Judicem competens terminus præfigatur, intra quem* ipsi arbitri *in idem conveniant, vel tertium concorditer advocent, cum quo ambo, vel alter ipsorum, ejusdem suspicionis negotium terminare procurent. Alioquin Judex ex tunc in* Principali *negotio procedere non omittat.*

CAPUT I.

De Homicidio in 6.

De pœna homicidii maxime per assassinos *commissi.*

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Pro humani 1. *de Homicidio in* 6. habemus Decretum sub nomine *Innocentii IV. in Concilio generali Lugdunensi*; quod nec a Matthæo Parisiensi, aut alio Scriptore refertur. Agitur autem contra certum genus homicidarum, qui *assassini* dicebantur.

Dicitur enim, tempore hujus Pontificis fuisse quoddam genus *Persarum*, qui cum impietatis essent Mahometicæ conjurarent in necem Christianorum, se consecuturos vitam æternam sibi persuadentes, si quempiam Christianum interfecissent, ideoque proditorie se Christianis inserebant, eosque occidebant, neque ob id scelus, sua sententia ob præclarum & meritorium, mori tristabantur, sed e contra gaudebant.

Dicebantur autem *Assassini* vel etiam *Arsacidæ*, eo quod Princeps factionis istius ab ipsis vocaretur *Arsacidas*.

Cum autem hoc detestabili hominum genere nonnunquam & ipsi Christiani uterentur, ut se de inimicis suis vindicarent, præsenti Decreto statuit Innocentius IV. *sacri approbatione Concilii, ut quævis Ecclesiastica sæcularisve persona quempiam Christianorum per prædictos assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit* (*quamquam mors ex hoc forsan non sequatur*) *aut eos receptaverit*,

CAPUT II. de Electione in 6.

De Electione per Suffragia pura, *non conditionata, aut incerta peragenda.*

OBSERVATIO.

IN *Cap.* In Electionibus *eodem titulo* refertur alterum Decretum ſub nomine *idem*, id eſt, Innocentius IV. ſine addito tamen in *Concilio Lugdunenſi*, quod per errorem vel incuriam omiſſum fuiſſe veriſimile eſt; quandoquidem etiam apud Matthæum Pariſienſem Decretum hic relatum inter alia Decreta huic Concilio adſcripta, exhibeatur.

Hoc Decreto penitus reprobantur *in electionibus & poſtulationibus ac* ſcrutiniis, *ex quibus jus oritur eligendi*, *vota* conditionalia, alternativa *vel* (C. &) *incerta*: ſtatuiturque, *ut* (*hujuſmodi votis pro non adjectis habitis*) *ex* puris *conſenſibus celebretur electio*, *voce illorum, qui non pure conſenſerint, ea vice in alios recidente*.

Recte hic notat Gloſſographus, quod electio ſeu proviſio facta ſub conditione, ſi *vacet* Beneficium; vel ſi perſona ſit *capax*, reputanda ſit *conditionalis* ſeu *incerta* ad ſenſum hujus Decretalis, quia ad proviſionem procedere quis non debet, priuſquam ſciat vacare Beneficium, neque providere perſonæ, niſi eam capacem noverit.

Neque obſtat, ſimiles conditiones tacite ineſſe: quia conſtat, nonnunquam ea, quæ tacite inſunt, ſi exprimantur, actum reddere conditionalem.

Alias etiam poſſet dici, quod valeret electio ſub hac forma: *conſentio in illum, in quem major & ſanior pars conſenſerit*; cum hæc conditio etiam videatur ineſſe, uti recte advertit ibidem Gloſſa.

Hanc Decretalem in *præſentatione* obtinere hic notaverat Molinæus, ſed monet ibidem Gabriel Du-Pineau, Senator Andegavenſis, ſecundum Gloſſam ad *Clem.* Plures *de Jure Patron.* Patronum *Laicum* poſſe præſentare *alternative*: non etiam *Clericum*, id eſt, Patronum Eccleſiaſticum; „cujus dicti ratio eſt (ait) quia „ præſentatio *Clerici* vim habet *electionis* „. Vide quæ dixi in *Jure Eccleſ. Tom. III. parte 2. ſect. 3. tit. 8. cap. 5.* alias *tit.* 25. ubi notavi ob eamdem rationem eſſe receptum, Patronum *Laicum* in præſentatione poſſe variare, non autem Patronum *Eccleſiaſticum*.

Quinam actus conditionem reſpuant?

Apud Matthæum Pariſienſem *pag.* 676. præmittitur proœmium, quo fundamentum Decreti exprimitur: „ Cum actus legitimi dies & conditiones abhorreant, „ *ſanctione Legali*, inter legitimos actus electio Pontificum celeberrimus habeatur, cum per eam inter „ eligentes & electum ſpiritualis quædam matrimonii fœdera copulentur, atque reconcilientur in electionibus „.

Evidens eſt verba hæc *ſanctione Legali* referri ad Reſponſum Papiniani in *L. 77. ff. de R. J.* e qua videtur & Bonifacius VIII. deſumpſiſſe Regulam juris relatam in cap. 50. *de R. J. in VI.* quæ habet: *actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem*.

Verum & illud conſtat, ex mente Papiniani non omnes actus *legitimos* conditionem aut diem reſpuere; uti & paſſim Interpretes annotant; atque inter alios Covarruvias, *de Matrimonio part. 2. cap. 3. num. 3.* ait: „ ſunt actus quidam legitimi, id eſt, a legibus inſtituti, ut ſtatim ex eis effectus aliquis *purus* ſequatur, qui conditionem non recipiunt nec diem, immo „ eis refragatur conditionis adjectio, quia contra actus „ ipſius ſubſtantiam eſt, cum ille ſit a lege introductus, ut ſtatim fortiatur effectum; quemadmodum „ Matrimonium inſtitutum eſt ad cohabitationem mutuam & conjunctionem „. Unde quamvis conſenſus ad matrimonium contrahendum, conditionem admittat, ipſum tamen matrimonium nullam recipit conditionem; uti ibidem notat Covarruvias, & poſt ipſum Pekius ad citatam *Regulam* 50.

Igitur quia electio & Proviſio Beneficii a Canonibus ita eſt inſtituta, ut ex ea effectus aliquis *purus* ſequatur, nimirum ut Miniſter vel Prælatus detur Eccleſiæ, qui coram ejus gerat; & ſponſus ipſius conſtituatur, recte adducta eſt prædicta *ſanctio Legalis*, quæ dixit actus legitimos diem & conditionem non recipere.

Hinc & facile intelligitur, cur *ſpiritualis Matrimonii* mentio injecta fuerit.

CAPUT I. de Officio & poteſtate Judicis delegati in 6.

De Conſervatoribus Apoſtolicis.

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Statuimus 1. *de Officio & poteſtate Judicis delegati in 6.* extat Decretum ſimpliciter ſub nomine Innocentii IV.

Hic rurſus apparet, quod hujus Collectionis auctor hæc Decreta cenſuerit potius eſſe Innocentii IV. quam Concilii; illud tamen non tantum Binius, aliique ſequentes Conciliorum Collectores referunt inter Decreta ab Innocentio *in concilio Lugdunenſi* edita, ſed etiam Matthæus Pariſienſis eidem adſcribit, qui priorem partem Decreti relati in *cap. 2. de Reſcriptis in VI.* & quo reſtringitur clauſula, *Quidam alii* (uti ſupra expoſitum eſt) huic Decreto adjungit, ut ſimul unum Decretum conficiat.

Decretum autem præſens concernit, Conſervatores, quod pleriſque Sedes Apoſtolica concedebat, ut hic dicitur.

Declarat autem præſens Decretum, hos Conſervatores duntaxat concedi, ut eos, quibus dantur, *a manifeſtis injuriis & violentiis defendere poſſint*; ideoque *nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam poſſint extendere poteſtatem*.

Quærit hic Gloſſographus, quid ſi offenſa *manifeſta* negetur, utrum Conſervator cognoſcere poſſit, an ſit *manifeſta*? Reſpondet quod ſic: alias (ait) quilibet „ poſſet impedire Juriſdictionem ipſorum Conſervatorum, quia quilibet conventus negaret injuriam *manifeſtam* „.

Item quærit, quid ſi conventus fateatur *factum*, ſed dicat id *ſuo jure* feciſſe? reſolvit, de hoc cognoſcere poſſe, *quia alias facile eſſet Conſervatorum officium illudere*.

Verum ſi de his Conſervatores cognoſcere queant; quis etiam non videat, ipſos ſub obtentu *manifeſtæ injuriæ* facile pleraſque cauſas ad ſe trahere poſſe?

Et revera Conſervatores hos auctoritatem ſuam multoties in depreſſionem juriſdictionis ordinariæ, & vexationem ſubditorum ultra præfixos ſibi limites extendiſſe probant omnia illa Decreta in Sexto Decretalium contenta, quibus exceſſibus hæc Decreta modum conſtituere conantur. Conſervatorum olim exceſſus.

Sed nec his Decretis eorum exceſſus compeſci potuiſſe, ſignificant Principes noſtri in Edicto ſuo de 22. Sept. 1500. quo declarant, quod ſub prætextu Conſervatoriarum ſubditi ipſorum, *multum* quotidie *vexentur*, ipſa *Juriſdictio ordinaria* in his partibus *lædatur*: quapropter hoc præſenti Edicto declarant Conſervatorias nullas in hiſce ſuis ditionibus poſthac admittendas, aut tolerandas; inhibens inſuper omnibus Conſervatoribus cujuſcumque fuerint qualitatis & ſtatus, poſthac uti auctoritate Conſervatoris. Conſervatoriæ in Belgio abrogatæ.

A tempore hujus Edicti ceſſarunt in hiſce Provinciis Belgicis omnes Conſervatoriæ, excæpta ſola Conſervatoria hujus Academiæ Lovanienſis, quam ex ſpeciali gratia Princeps ad ſupplicationem Univerſitatis, ſub certis modificationibus per Edictum ſuum de 22. Decembris ejuſdem anni, curſum ſuum habere permiſit, atque in hodiernum uſque diem uſus illius perſeverat. Præterquam in Univerſitate Lovanienſi.

CAPUT I. de Officio Legati in 6.

De Legatis Apoſtolicis, eorumque auctoritate circa Collationem Beneficiorum.

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Officii 1. *de Officio Legati in 6.* extat Decretum ſub nomine *Innocentii IV.* ſine addito, *in Concilio Lugdunenſi*, quod tamen a Collectoribus Conciliorum, & Matthæo Pariſienſi, inter Decreta hujus Concilii recitatur.

Statuitur autem, quod *Eccleſiæ Romanæ Legati, quantumcumque plenam legationem obtineant, ex ipſius legationis munere conferendi Beneficia nullam habeant poteſtatem, niſi hoc alicui* ſpecialiter *duxerimus* (ait) *indulgendum*. Hic Canon Concilio non adſcribendus.

Hic per tranſennam notandum, modum illum loquendi, *ſpecialiter duxerimus indulgendum*, evidenter indicare, Decretum nequaquam ipſi *Concilio*, ſed *Pontifici* ita loquenti adſcribendum.

Declarat autem Pontifex, quod Decretum, in quantum adimit collationem Beneficiorum ipſis Legatis, *in Fratribus ſuis legatione fungentibus nolit obſervari, quia* (ait) *ſicut honoris prærogativa lætantur, ſic eos auctoritate fungi volumus ampliori*.

Per *Fratres noſtros* hic intelligi *Cardinales*, qui unum corpus faciunt cum Papa, certum eſt: obſervatque hic Gloſſographus, quod, cum Papa *promiſcue* de *Cardinalibus* loquitur, vocet illos *Fratres*; ſi *ſpecialiter* ſive de uno in ſpeciali, tunc *Epiſcopos Cardinales* vocat *Fratres*, reliquos autem *filios*. Et ita hodie habet ſtylus Curiæ Romanæ. Pontifex Cardinales Epiſcopos vocat *Fratres*, reliquos *filios*.

Legati autem *Cardinales* dicuntur Legati *de latere*, tamquam de *latere* Papæ miſſi. Qui vero non Cardinales mittuntur, vocantur ſimpliciter Legati *miſſi*. *Qui vero prætextu ſuarum Eccleſiarum legationis ſibi vendicant dignitatem* (uti loquitur hæc Decretalis) dicuntur Legati *nati*. Quinam Legati dicantur *de latere, miſſi, nati*.

Hinc tria illa famoſa Legatorum genera, de quibus latius hic Gloſſa, & plura circa ſingula notavi in *Jure Eccleſ. Tom. I. parte 1. tit. 21. cap. 1.*

Quod dicitur *Fratres* ſive Cardinales legatione fungentes *honoris prærogativa lætari*, id verum erat tempore hujus Pontificis, quo dignitas Cardinalium non exiguum ceperat incrementum, quibus & hic Pontifex *ad Terram ſanctam pergentibus* pileum *rubrum* primus indulſit, qui poſtmodum omnibus Cardinalibus communicatus fuit. Vide dicta in *Jure Eccleſ. Tom. I. parte 1. tit. 22. cap. 1.* *Pileus ruber Cardinalium.*

CAPUT I. de Officio Ordinarii in 6.

De Officialibus per Archiepiscopum in Diœcesibus Suffraganeorum non constituendis.

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Romana Ecclesia 1. *de Officio Ordinarii in 6.* extat Decretum cum hac inscriptione : *Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi* ; quod neque apud Binium in Collectione Conciliorum, neque apud Matthæum Parisiensem, aliumve Scriptorem inter Decreta hujus Concilii numeratur.

Et sane cum specialiter de Archiepiscopo *Rhemensi* agatur, cujus in actis Concilii nulla fit mentio, apparet per errorem hæc verba *in Concilio Lugdunensi* esse addita.

Agit Canon de causis ad Archiepiscopum per appellationem devolvendis.

Hoc unum fere in hoc Decreto decernitur, quod Archiepiscopus Rhemensis non possit in Diœcesi suorum Suffraganeorum *foraneos* Officiales constituere pro causis per appellationem ad ipsum *devolvendis* : sive *in quibus nondum* extitit appellatum ; secus autem in causis per appellationem jam tum ad ipsum devolutis ; quia in his causis vigore appellationis jam *jurisdictionem obtinere noscuntur isti Officiales*.

Si tamen consuetudo Ecclesiæ Rhemensis specialiter haberet, quod similes *Officiales foranei* pro causis per appellationem ad ipsos *devolvendis*, constituantur, declarat Pontifex, quod ab his sic ex *speciali* consuetudine constitutis in Rhemensi Provincia, inhibitiones, *ne procedatur in causis*, *priusquam* ad Rhemensem Curiam appelletur, fieri non possint : scilicet Judici ordinario, ne ulterius in causa procedat.

Officialis Archiepiscopi non [illegible] sententiam in Suffraganeos.

Denique mandat nominatim Officialibus Rhemensis Archiepiscopi, & generaliter Officialibus omnium Archiepiscoporum, ut in Suffraganeos Episcopos ipsorum respective Archiepiscoporum *interdicti*, *suspensionis*, *vel excommunicationis proferre sententias non attentent*, *quamdiu* Archiepiscopus *in sua Provincia*, *vel circa illam extiterit* puta in vicina Provincia intra duas dietas vulgares, ait hic Glossa.

Hoc autem indulget Episcopis Suffraganeis, *quibus* (ait) *ob reverentiam Pontificali Officii deferri volumus in hac parte*.

CAPUT I. de Judiciis in 6.

Quandonam quis citari possit, ut personaliter compareat coram Judice?

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Juris 1. *de Judiciis in* 6. exhibetur Decretum nomine *Innocentii IV. in generali Concilio Lugdunensi*, quod & refert Matthæus Parisiensis, quo declaratur : Judicem delegatum, citra *speciale* Sedis Apostolicæ mandatum, *jubere non posse alterutram partium coram se personaliter in judicio comparere*. Quod idem esse respectu Ordinarii monet post Glossam Molinæus : quia liberum est cuilibet per se vel per Procuratorem respondere.

Recte autem monet Joannes Andreas, id præcipue intelligendum de comparitione *judiciali* : nam *extrajudicialiter* potest pluribus de causis Ordinarius sive Episcopus cogere subditos suos coram se *personaliter* comparere propter obedientiam & reverentiam ipsi a subditis debitam.

A regula hujus Decreti excipitur *causa criminalis* ; nimirum *criminaliter* intentata.

Si enim de crimine agatur *civiliter*, tunc intervenire potest procurator, neque compelli potest, *personaliter* comparere ; in criminalibus autem *criminaliter* intentatis, solet & hodie fieri citatio personalis.

Addit Decretalis, *nisi pro veritate dicenda*, *vel pro juramento calumniæ faciendo*, *vel alias juris necessitas partes coram eo exegerit* personaliter *præsentari*.

Itaque apparet ex finali clausula, a Judicis quodammodo arbitrio dependere, num etiam in *civilibus* citatio *personalis* sit facienda ; cum ejus sit dispicere ; num sit *Juris necessitas*, quæ exigat, ut partes *personaliter* compareant, ut hic quoque annotat Glossa : quæ una monet, quod eo casu in ipsa citatione sit exprimenda causa, quare debeat venire *personaliter* ; monetque ulterius Molinæus ad hunc textum, quod „ Judex possit „ interdum cogere, ut pars *personaliter* compareat, „ ad jurandum de calumnia, vel de veritate, quando „ expedit, etiamsi Procurator habeat speciale mandatum ad hoc „.

Cæterum de hac citatione personali, videri possunt dicta in *Jure Eccles. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 8. *cap.* 2.

CAPUT I. de Litis contestatione in 6.

Exceptio peremptoria quando opponenda?

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Exceptionis 1. *de Litis contestat.* in 6. exhibetur Decretum nomine *Innocentii IV. in Concilio Lugdunensi*, cujus & meminit Matthæus Parisiensis ; declaraturque, quod exceptio peremptoria, quæ principalis negotii cognitionem concernit, *ante Litem contestatam* objecta, *Litis contestationem non impediat*.

Ratio est, quia exceptiones *peremptoriæ* merita causæ principalis tangunt, ideoque lite contestata, debent in discussione causæ *principalis* simul discuti & decidi.

Excipit tamen Decretum, *nisi* sint exceptiones *causæ finitæ*, puta *de re judicata* (C. *vel*) *transacta*, nam similes exceptiones proprie non contingunt merita causæ principalis ; sed dicunt litem seu causam finitam ; ideoque rursus suscitari non debere ; atque propterea opponitur ad impediendam Litis contestationem.

CAPUT I. de Restitutione Spoliatorum in 6.

De Exceptione Spolii, sive in causa civili, sive criminali objecta.

OBSERVATIO.

IN *Cap.* Frequens 1. *de Restit. spoliat. in* 6. extat Decretum sub titulo *Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi*, quod & Matthæus Parisiensis exhibet.

Dividitur in tres partes ; intenditurque hoc Decreto litium abbreviatio, quæ prætextu spolii objecti protrahebantur.

Cum enim in Jure decisum sit, *spoliatum ante omnia esse restituendum*, nonnulli ad protrahendam litem super negotio principali, calumniose objiciebant exceptionem *Spolii*, ut progressum litis, interea quo de Spolio cognosceretur, impedirent. Prima pars Canonis.

Itaque statuitur prima Parte Decreti : *ut in* civilibus *negotiis*, *spoliationis objectu* (*quæ ab alio*, *quam ab* Actore *facta proponitur*) *Judex in* Principali *procedere non postponat*.

In criminali vero, *spoliatio* objici permittitur a *quocumque* facta ; sed sive in *criminali* a *quocumque*, sive in civili ab *Actore* objecta proponatur, debet objiciens Spolium *intra* 15. *dierum spatium* post diem, quo proponitur, quod asserit comprobare ; alias in expensas, vel etiam in graviorem pœnam, si Judici videatur, condemnandus.

Declarat autem, *spoliatum*, cum *criminaliter* accusatur, eum intelligi, qui *tota sua substantia vel majore parte ipsius se per violentiam destitutum affirmat*. „ „ Ridiculum enim videbatur (ait hic Glossographus) „ quod *criminaliter* accusatus, accusatorem suum per „ exceptionem spoliationis *rei modicæ*, & vilis ab accusatione repelleret „.

Additur in Decreto : *Et secundum hoc loqui* Canones *sano credendum est intellectu* : *quia nec nudi contendere*, *nec inermes inimicis opponere nos debemus*. *Habet enim spoliatus privilegium*, *ut nec possit exui jam nudatus*.

Recte reflectit Glossographus, hic indicata *Canonem* Nullus, *Caus.* 2. *quæst.* 2. & *Canonem* Oportet *Caus.* 3. *quæst.* 2. ubi de hac exceptione spoliationis agitur : & ibidem reperiuntur hæc verba : *Quia nec nudi contendere*, *nec inermes inimicis nos debemus opponere*.

Uterque autem Canon desumptus est ex Pseudo-Epistola Stephani Papæ ; sed mirum non est eum hic adduci, quia ætate hujus Concilii Lugdunensis authenticum reputabatur, quidquid Decreto Gratiani continebatur ; uti sæpius in *Commentario in Decretum Gratiani* monui, multisque occurrentibus exemplis ostendi. Canon indicat Pseudo-Epistolam Stephani Papæ.

Parte secunda hujus Decretalis statuitur, ut si accusatus excipiat de spoliatione facta a *tertio*, debeat ei a *Judice tempus* indulgeri ; & *quod si intra tempus* a Judice statutum *restitutionem non petierit*, & *causam*, *cum potuerit*, *non ducat ad finem*, *non obstante spoliationis exceptione*, *deinceps poterit accusari*. Secunda pars Canonis.

Tertia denique parte sancitur, *ut rerum privatarum* spoliatio *agenti super Ecclesiasticis*, *vel e contrario nullatenus apponatur*. „ Ratio assignatur a Glossographo, „ quia agens nomine Ecclesiastico, non agit *suo* jure, „ sed nomine *Ecclesiæ*. Unde sicut procurator agens „ nomine alieno, de suo jure non excipit, sic nec hic : sed dubito, num hæc ratio non nimium hoc Decretum restringat. Tertia pars Canonis.

vel defenderit seu occultaverit, excommunicationis & depositionis a Dignitate, honore, Ordine, Officio & Beneficio incurrat sententias ipso facto, & illa libere aliis per illos (ad quos collatio pertinet) conferantur.

Præterea decernitur, quod *sit etiam cum suis bonis mundanis omnibus tamquam Christianæ religionis æmulus a toto populo Christiano perpetuo diffidatus.* Quin & additur, quod *postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis vel depositionis seu diffidationis adversus eum sententia requiratur.* Hæc omnia specialiter contra hoc genus homicidii ob singularem ejus malitiam constituta esse notant hic passim Interpretes, *ut metus pœnæ, meta hujusmodi præsumptionis existat;* ait Decretalis.

Quamvis primitus jam supra descripti solum dicti fuerit *assassini*, tandem communi usu invaluit; ut horum exemplo, generaliter dicantur *assassini*, qui pecunia aliave re pretio æstimabili accepta, sive fideles hi fuerint, sive infideles, *proditorie* Christianos occidunt, vel occidi mandant; quod & Covarruvias observat *Lib. 2. Var. Resolut. cap. 20. num. 9. &* 10. qui tamen verisimilius potat pœnas hoc Canone statutas non posse ad similes assassinos extendi: sed restringendas ad illos, qui opera illorum *Infidelium*, qui proprie *assassini* dicuntur, utuntur; maxime ob verba sequentia Decretalis, præsertim *cum nonnulli Magnates taliter perimi formidantes, coacti fuerint securitatem ab eorumdem Assassinorum Domino impetrare, sicque ab eo, non absque Christianæ Dignitatis opprobrio, redimere quodammodo vitam suam.* E quibus apparere putat, Pontificem præcipue attendisse, quod homicidia illa attentarentur opera *Infidelium*: quamvis fateatur, contraria opinionem esse omnium passim Doctorum & communiter receptam, quam & praxis recepisse videtur; nec immerito: cum crimen hoc a quocumque admissum similibus pœnis coercendum merito veniat.

CAPUT I. de Privilegiis in 6.

Moderatio exemptionum Clericorum tam Sæcularium quam Regularium.

OBSERVATIO.

IN *Cap. Volentes 1. de Privilegiis in 6.* extat Decretum sub nomine *Innocentii IV. in Concilio generali Lugdunensi*; quod nec a Matthæo Parisiensi, nec a Binio, aliove Scriptore refertur inter Decreta in hoc Concilio edita.

Canon non videtur Innocentio IV. in Conc. Lugd. adscribendus.

Nihilominus Patres Tridentini secuti simpliciter auctoritatem *Sexti* Decretalium, hoc Decretum *sess. 7. cap. 14. de Reformat.* renovantes, illud habuerunt pro Costitutione *Innocentii IV. in generali Concilio Lugdunensi* edita; neque enim Patres Tridentini examinandum putarunt, utrum revera in Concilio generali Lugdunensi esset hæc Constitutio edita, cum ipsis sufficeret eam regimini Ecclesiastico esse convenientem, ideoque merito renovandam.

Et sane in quantum hoc Decreto, exemptio Clericorum Sæcularium vel Regularium restringitur, seu modificatur, eatenus favorabile & pristinæ ac puriori Ecclesiæ disciplinæ conforme esse nemo dubitabit, qui attenderit, quantopere eorum exemptio a pristina disciplina discordet, & quanta in regimine Ecclesiæ secum trahat incommoda.

In duobus autem articulis exemptio per hoc Decretum modificatur. Primo, quod quantumcumque privilegio Sedis Apostolicæ exempti gaudeant libertate, non gaudeant privilegio exemptionis, sed Ordinarius in ipsos possit suam jurisdictionem exercere, si domicilium intra aliquam Diœcesim habentes, in *eadem* delinquant, vel contrahant in loco non *exempto*, vel *res*, de qua agitur, eo in loco sit *sita*, idque etiam circa illos, *quibus, ut non nisi sub non certo judice teneantur de se conquerentibus respondere Apostolico privilegio est concessum.*

Declarat autem & ibidem Pontifex, hac modificatione, privilegium exemptionis non reddi exemptis omnino inutile, quod hic latius exponit Glossographus.

Secundo declaratur, quod Monachi, quibus a Sede Apostolica est indultum, ne interdici, excommunicari, vel suspendi a quoquam valeant, si mittantur *ad Monasteriorum suorum Prioratus Ordinariis iisdem subjectos, ut vel gerant eorum regimen, vel in eis tanquam proprii locorum ipsorum Monachi resideant*, possint *Ordinarii ratione eorumdem Prioratuum, sua Jurisdictione in ipsis etiam quoad præmissa* (interdictum, suspensionem, vel excommunicationem) *quamdiu morantur in illis licite uti* (a).

Hic apertissime probatur & exprimitur Regula in hac materia exemptionis multum notanda; quod Exemptus in una qualitate, aut ratione unius rei, non sit propterea exemptus in alia qualitate, vel intuitu alterius rei, quam Regulam pluribus adstruxi & exposui *in Jure Eccles. Tom. IV. parte 3. tit. 12. cap. 5.*

Exemptus in una materia, non idcirco exemptus in alia.

CAPUT I. de Pœnitentiis in 6.

Jurisdictio Archiepiscopi non extendit se ad subditos Suffraganeorum in prima instantia.

OBSERVATIO.

IN *Cap. Romana Ecclesia 1. de Pœnit. in 6.* extat Decretum adscriptum *Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi*; quod nec apud Matthæum Parisiensem, nec apud alium Scriptorem reperitur, cumque initialia ejus verba sint, *Romana Ecclesia*; atque Archiepiscopum Rhemensem concernant, verisimile est, esse fragmentum prolixæ illius Decretalis, de qua supra diximus.

De quæstoribus Archiep. Rhemensis in Diœcesibus Suffraganeorum.

In præsenti agitur de *Quæstoribus* missis ab Archiepiscopum Rhemensem per suam Provinciam, ad colligendas Fidelium *pias* subventiones in extructionem & reparationem fabricæ Rhemensis Ecclesiæ; deciditurque, quod Archiepiscopus vel ejus Officiales nequeant dare facultatem istis Quæstoribus citandi *subditos Suffraganeorum* coram Archiepiscopo, *sive ejus Officialibus, quos iidem Quæstores sibi resistere, aut nolle parere dixerit*: sed duntaxat *charitate* monere; eo quod Archiepiscopus Jurisdictionem non habeat in subditos suorum Suffraganeorum in prima instantia, sed tantum in Causa Appellationis. Cæterum de Quæstoribus, atque de ipsorum totali abolitione ob varios & enormes eorum abusus, per Synodum Tridentinam, vide dicta in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 7. cap.* 4. de restrictione potestatis elargiendi Indulgentias facta, per Concilium Lateranense sub Innocentio III. cujus hic fit mentio.

CAPUT I.

De Sententia Excommunicationis in 6.

De Modo & Cautela in ferendis Censuris servandis.

OBSERVATIO.

IN Cap. *Cum Medicinalis 1. de Sentent. excommunic. in 6.* extat Decretum sub nomine *Innocentii IV. in Concilio Lugdunensi*; quod & a Matthæo Parisiensi, aliisque exhibetur, agitque contra Prælatos, qui subditos suos vexabant, in eos sine justa causa passim Censuras Ecclesiasticas evibrando.

In primis monetur *Judex Ecclesiasticus*, ut *caute provideat, ut in ea ferenda ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit & medentis; quod scilicet medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans.* „ Ideo si Judex Ecclesiasticus (ait hic Glossa) „ videat subditum suum non curare de Excommunicatione, & sic videt, excommunicationem non proficere; non debet bonus Judex illum excommunicare sana conscientia: sed debet in eum exercere „ aliam pœnam, scilicet captionem personæ, & pignorationem bonorum: nam Judex debet incontumacem exercere pœnam, quam viderit magis timeri „.

Si tamen crimen esse valde enorme, publicum, & in scandalum multorum, posset subinde & excommunicationi puniri, licet non in profectum excommunicati, saltem in exemplum aliorum, & reparationem scandali,

Ut ergo Judices majore cum moderatione in ferendis Ecclesiasticis Censuris procedant; statuitur primo, ut *in scriptis* Censuram illam Judex *proferat*, & *causam* Censuræ *expresse conscribat*, *propter quam* Censura *proferatur*; id est, causam specificam & individuam, ob quam excommunicatio, interdictum, vel suspensio fertur: „ & non sufficit dicere, talem Titium ex „ causis rationabilibus in his scriptis excomunicamus: ut hic monet Glossographus.

Secundo vult, ut *exemplum hujusmodi Scripturæ*, qua sententia cum expressione causæ continetur, *teneatur Excommunicato tradere intra mensem* si nimirum Judex *fuerit requisitus*.

Utque innodatus censura queat probare se copiam seu exemplum sententiæ requisivisse, fieri vult *super hac requisitione publicum instrumentum, vel Literas testimoniales confici sigillo authentico consignatas.*

Pro efficaciore Decreti executione insuper statuit, ut si Judex hujus *Constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, & divinis Officiis noverit se suspensum.*

Ulterius, ut superior, *ad quem* innodatus censura recurrerit, sententiam ipsam *sine difficultate* relaxet. Hoc est, inquit hic Hostiensis „ sine mora, sive satisdatione, sine causæ cognitione, & sine aliquo excommunicati gravamine: cum evidenter appareat contra hanc

(a) Ab accuratis Histor. Eccles. Scriptoribus velut somnia exploduntur, quæ de Paralysi Innocentii IV. refert Thomas Cantipratensis: ait iste: *Ob rescissa FF. Prædicatorum & Minorum privilegia Innocentium divinitus percussum fuisse plaga insanabilis*; sed istud figmentum merito explodunt Odericus Raynaldus *ann. Eccl. ad ann.* 1254. & Natalis Alexander *Hist. Eccles. Sæculo 13. pag.* 21. *col. 2. edit.* 1699. *in fol.*

„ hanc Constitutionem latam fuisse „. Licet forsan justa causa subfuisset.

Vult etiam superior *latorem* sententiæ, *excommunicato*, interdicto, vel suspenso *ad expensas, & omne interesse condemnet, & alias puniat animadversione condigna; ut, pœna docente* (inquit) *discant Judices, quam grave sit excommunicationum* (idem est, de Interdicto & Suspensione) *sententias sine maturitate debita fulminare.*

Denique monet *Prælatos & Judices*, caveant incurrere hanc suspensionem; *quoniam si contingeret eos sic suspensos divina Officia exequi sicut prius, Irregularitatem non effugient; juxta Canonicas Sanctiones: super qua non nisi per Summum Pontificem poterit dispensari.*

Declarat autem paulo superius: *Et hæc eadem in Suspensionis & Interdicti sententiis volumus observari.*

CAPUT II.

De Sententia Excommunicationis in 6.

De Absolutione ab excommunicatione ad cautelam.

OBSERVATIO.

IN *cap. Solet 2. de Sent. Excomm. in 6.* extat Decretum sub nomine ejusdem in eodem, hoc est Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi, quod & Matthæus Parisiensis citat, agiturque in eo de *absolutione excommunicationis ad cautelam*: quæ ita dicitur, *ad majorem* cautelam, seu cautionem excommunicati, vel eorum, qui cum ipso sunt communicaturi, ut *tutiori* loco sit ipsius aliorumque conscientia, siforte sententia teneret, aut ligaret, quam ipse tamen nulla esse credit & asserit.

Unde petens hanc absolutionem, non fatetur se valide excommunicatum; sed tantum se velle in omnem eventum sibi *tutius*, & ad majorem cautelam consulere.

Declarat autem, hanc absolutionem ad *cautelam* non esse negandam excommunicato petenti, & *Sententiam excommunicationis* dicenti *esse nullam*; tametsi *Excommunicator, vel adversarius se opponat: nisi eum excommunicatum pro manifesta dicat offensa.*

In hoc autem *casu*, vult opponenti præfigi terminum *octo dierum*, intra quem probet, excommunicatum pro *manifesta offensa*, ut *si* intra illum terminum id *probaverit*, non absolvatur excommunicatus, *nisi prius sufficiens præstetur emenda.*

Quod si non probaverit offensam esse *manifestam*, sed tamen *dubia* remaneat, tunc detur absolutio ad *cautelam*; dummodo ab excommunicato *præstetur competens cautio, de parendo juri*, casu quo fuerit repertum, excommunicationem *Juste* & *rite* latam fuisse: uti exponit Joannes Tournet in suo *Tractatu de Absolutione ad catelam cap. 7.* qui inter opera Francisci Florentis anno 1679. Parisiis reimpressus fuit.

Declaratur præterea, quod si excommunicatus appellaverit, atque offerat se probaturum excommunicationem fuisse latam *post appellationem*, vel *intolerabilem errorem in sententiam fuisse patenter expressum, pendente probationis articulo, in cæteris, quæ ut actor in Judiciis attentaverit, interim evitetur, extra Judicium vero, in Officiis, postulationibus, & electionibus, ac aliis legitimis actibus, nihilominus admittatur.*

Observat autem hic Glossographus, quod non statim sit *efficax* admissio: „ sed postea in processu apparebit. „ Nam si appareat postmodum, per eum legitime appellatum, apparebit ipsum bene admissum; sin autem, apparebit tunc illum excommunicatum, & sic „ non valere vocem ejus „.

De hac specie excommunicationis, ejus initiis, & progressu, latius agitur *Tom. IX.* hujus editionis, in Tractatu *de Censuris cap. 11. §. 3.*

CAPUT III.

De Sententia Excommunicationis in 6.

Excommunicatio major non facile ferenda in Communicantes cum excommunicato.

OBSERVATIO.

IN *Cap. Statuimus 3. eod. in 6.* refertur Decretum sub eadem inscriptione expressa his verbis: *Idem in eodem*, quod tamen apud Matthæum Parisiensem non reperitur, vetaturque judicibus Ecclesiasticis, ne Sententiam excommunicationis *majoris* ferant in *participantes cum excommunicatis*; puta *in locutione*, similibusque, *quibus ligatur participans excomunicatione minori ante canonicam monitionem*, aliterque lata excommunicatio declaratur nulla, *salvis* (ait) *Constitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præsumunt participare damnato.*

Cum Excommunicatio *minor* hodie non sit in usu (uti notavi in *Jure Eccl. Tom. IV. part. 3. tit. 11. cap. 5.* alias *cap. 4.*) etiam nullus est pene usus hujus Decretalis.

CAPUT IV.

De Sententia Excommunicationis in 6.

Prælati non incurrunt interdictum vel Suspensionem nisi in Sententia expressi.

OBSERVATIO.

SUb hac rursus inscriptione *Idem in eodem* refertur in *Cap. Quia periculosum 4. eod. in 6.* Decretum, quod desideratur quoque apud Matthæum Parisiensem; eoque statuitur, *ut Episcopi, & alii Superiores* Prælati, nullius Constitutionis occasione, Sententiæ sive Mandati, Interdicti vel Suspensionis *incurrant Sententiam ullatenus ipso jure: nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur.*

Rationem præmisit, *quia periculosum est Episcopis, & eorum Superioribus propter executionem Pontificalis Officii, quod frequenter incumbit*, hujusmodi *Sententiam incurrant ipso facto.*

Hinc concludit Glossographus, quod per hanc Decretalem, Papa voluerit non tam Episcopis quam subditis providere: eo quod subditis subtraherentur, quæ Officii sunt Pontificalis.

CAPUT V.

De Sententia Excommunicationis in 6.

Contra nonnullos prætensos abusus in ferenda Excommunicatione per Archiepiscopum Rhemensem, ejusque Officiales, vel Archidiaconos, qui committi dicebantur.

OBSERVATIO.

IN *cap. Romana Ecclesia 5. eod. in 6.* rursus extat fragmentum Decretalis, quæ incipit *Romana Ecclesia*, in eoque iterum agitur de Archiepiscopo Rhemensi, ejusque Officialibus, & Archidiaconis, referturque sub hac simplici Epigraphe, *Idem*, id est, Innocentius IV. at in margine notatur, *alias ita: In eodem: alias ita: Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi*, quæ coincidit cum præcedenti. Hoc etiam, uti reliqua hujus Decretalis fragmenta sub eadem inscriptione, vel solo nomine Innocentii IV. in *Sextum* Decretalium relata; deest apud Matthæum Parisiensem.

In hac Decretali interdicitur Archiepiscopo Rhemensi, ne relaxet *Sententias latas* ab Archidiaconis vel Officialibus, aliisque *Jurisdictionem habentibus Suffraganeorum Rhemensis Ecclesiæ: salva* tamen *contraria consuetudine, si quam* dictus Archiepiscopus, vel ejus Officiales *habeant.*

Hoc autem intelligi debet in prima instantia, sive extra casum appellationis, quia in prima instantia Archiepiscopus de jure non habet jurisdictionem in subditos suorum Suffraganeorum.

Eodem fundamento declaratur, quod Sententiæ Excommunicationum *generaliter promulgatæ, subjectos ejusdem Jurisdictioni Archiepiscopi tantum ligent.*

Ad hæc monentur Archiepiscopus, ejusque Officiales, ne *pro offensis præteritis vel præsentibus excomunicationum Sententias absque competenti monitione præmissa promulgent; & si contra præsumpserint, injustas noverit esse illas.*

Præterea ipsis injungitur, ut *caveant profuturis culpis* similes Sententias in aliquos promulgare sive specialiter sive generaliter, nisi causa *rationabilis* subsit, *quam in ipsis Sententiis exprimant.*

Denique vetat Sententiam *Excommunicationis in Universitatem vel Collegium proferri; cum nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi Sententia irretiri: sed in illos duntaxat de Collegio vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur.*

CAPUT VI.

De Sententia Excommunicationis in 6.

De Sententia Excommunicationis usurpantium bona aut jura temporalia Prælatorum.

OBSERVATIO.

IN *Cap. Dilecto filio 6. eodem in 6.* aliud Decretum extat sub hac inscriptione, *Idem in eodem*, id est, Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi; sed nec a Matthæo Parisiensi, nec ab alio Scriptore inter Decreta hujus Concilii numeratur, neque numerari posse evincit inscriptio *Dilecto filio Decano Aurelianensi.* Hæc enim probat, esse particularem Decretalem huic *Decano* destinatam: dicitque Hostiensis hic, quod hæc „ Decretalis dirigeretur cuidam Fratri Minori & „ Pœnitentiario Papæ, qui Legatus erat in illis partibus, & vocabatur Joannes Lemovicensis, qui „ super hoc Papam consuluerat, an Decano liceret

aero-

„ utroque gladio ; fcilicet materiali & fpirituali fe „ tueri „.

Quin & hic duntaxat referri fragmentum prolixioris Decretalis, probat particula *& infra* poft verba infcriptionis pofita, qua indicatur aliqua effe omiffa ; quod & evidenter probat verbum *præterea* immediate fubjectum.

Interim hoc fragmento refpondetur, quod Decanus poffit uti utroque gladio ad defendendum jura fua etiam temporalia, quæ Ballivus invadebat utendo nimirum gladio fuo fpirituali, cum defenfio ipfi temporalis non adeft: *Licuit utique* (ait) *ipfi Decano proprio fibimet fubvenire fubfidio, & fuammet temporalem injuriam fua propria fpirituali defenfione tueri: ficque utrumque quodam modo gladium & temporalem & Ecclefiafticum, alterum videlicet altero adjuvare: maxime quia hi duo gladii confueverunt, exigente neceffitate, fibi ad invicem fuffragari, & in juvamen alterius, fubventione mutua frequentius exerceri.*

Cum pro debito aut injuria temporali ad excommunicationes aut cenfuras non fit veniendum, quamdiu aliud medium fuppetit, uti declarat Synodus Trid. *feff. 25. cap. 3. de Reformat.* hodie præfertim hifce in partibus, rariffimus eft ufus cenfurarum pro reparatione alicujus injuriæ aut violentiæ in temporalibus; neque facile pro fimilibus cenfuræ latæ admitterentur; cum non defint media alia fuaviora, quibus reparatio fimilis injuriæ aut violentiæ haberi queat (*a*).

DISSERTATIO HISTORICA
In Concilium Lugdunenfe II. fub Gregorio X.

§. I.

De Indictione Concilii, & caufis Indictionis.

Indictio Concilii anno 1271. in annum 1274.

GREGORIUS X. anno 1271. Kalendis Septembris ad Pontificatum affumptus, primo fui Pontificatus anno nondum elapfo, Concilium generale indixit, inchoandum demum Kalendis Maji 1274.

Trina præcipue de caufa Concilium indictum fuit. Primo pro unione populi *Græcorum*, qui a Sedis Apoftolicæ devotione & obedientia fe fubtraxerat.

1. pro unione Græcorum.

Secundo pro fubfidio *Terræ fanctæ* „ quæ per nefandiffimos Saracenos fic audacter invaditur, fic fecura „ occupatur audacia ; fic vaftatur intrepide, fic in „ eifdem partibus Chriftianus populus immaniter trucidatur, quafi non fit illis adjutor, nec fit qui mi„ fereri poffit ipforum „.

2. Pro fubfidio Terræ Sanctæ.

Ut autem fubfidium hoc tempore celebrandi Concilii effet paratum, dicit fe „ deputaturum interim aliquos „ viros tanto Minifterio competentes ad prædicandum „ in Terræ præfatæ fuffragium, falutiferum Verbum „ *Crucis*: per quod corda Principum, Prælatorum, cæ„ terorumque Fidelium inducantur ad fubfidium eidem „ Terræ, prout ejufdem extrema neceffitas expofcit, „ impendendum „.

Tertio pro reformatione morum: „ nam (uti in „ Epiftola indictionis loquitur Pontifex) inimicus ho„ mo tanta invenitur in agro Ecclefiæ fuperfeminaffe „ vitiorum zizania, & errorum, ut ea deflere magis „ liceat, quam narrare: idemque ager quotidie potius „ arefcere videatur ad ignem, quam albefcere invenia„ tur ad meffem „.

3. Pro morum reformatione.

„ Et quia (pergit Pontifex) falubre in his adhiberi „ remedium, intereft generaliter omnium, nos cum „ Fratribus noftris, aliifque viris prudentibus, exacto „ & frequenti Tractatu præhabito, prout tantæ ne„ ceffitatis ratio exigebat; de ipforum confilio generale „ Concilium, ficut imitatione digna SS. Patrum con„ fuetudo laudabilis, longæque obfervationis exem„ plum nos inftruit, opportuno tempore decrevimus „ congregandum „.

In his litteris Indictionis locus celebrationis Concilii expreffus non erat; „ quem, licet ad præfens fubticeamus ex caufa (ait Pontifex) competenti tamen „ tempore vobis curabimus intimare „.

Lugduni celebratum.

Quo præcife tempore locus habendi Concilii intimatus fuerit non invenio; at civitatem Lugdunenfem in Gallia ante Quadragefimam anni 1273. defignatam fuiffe pro celebrando hoc generali Concilio infinuat Guillelmus De Nangis in Geftis Philippi Franciæ Regis ad annum 1273. fcribens. „ Eodem anno venit Papa Gre„ gorius circa quadragefimam apud *Lugdunum* Galliæ, „ celebraturus ibidem Concilium generale „.

Hoc & conftat, apud Lugdunum anno fequenti, fcilicet 1273. fub initium Maji celebratum fuiffe hoc Concilium: adeoque & Pontificem plufquam anno integro diem Concilii ibidem præveniffe.

De numero Prælatorum, qui huic Concilio inter fuerunt, fcribit citatus De Nangis: „ Numerus vero „ Prælatorum, qui ad hoc Concilium interfuerunt, „ quingenti Epifcopi, fexaginta Abbates, & alii Præ„ lati circa mille „. Adfuiffe etiam Patriarchas Conftantinopolitanum & Antiochenum, nec non Oratores Regum Franciæ, Germaniæ, Angliæ, & Siciliæ, teftantur Scriptores coævi; quin & fub initium Concilii adfuit & Jacobus Rex Arragoniæ: ut non immerito Matthæus Weftmonafterienfis ad annum 1274. fcribat: „ fub Gregorio Papa X. apud Lugdunum fuit Conci„ lium *maximum* celebratum, quod a Kalendis Maji „ ufque ad 16. Kalendas Augufti duravit „.

Numerus Prælatorum.

Concilium hoc inter Concilia *generalia* numeravit Concilium Conftantienfe *feff.* 19. in profeffione fidei, quam deinceps quilibet in Romanum Pontificem eligendus edere deberet, antequam fua publicetur electio.

Inter Concilia *generalia* habetur a Patribus Conftantienfibus.

Cum enim expreffe agatur de confirmanda fide in Conciliis ibidem nominatim enumeratis propofita, confequens apparet, de hoc *Concilio Lugdunenfi* locutum effe Concilium Conftantienfe: quandoquidem in nullo Concilio Lugdunenfi, nifi in hoc præfenti, de fide actum, aut definitio fidei edita fuerit.

§. II.

Enarratio Seffionum hujus Concilii & in illis Actorum.

PRIMA Seffio habita fuit 7. Maji 1274. in Ecclefia fancti Joannis primaria Lugdunenfis Civitatis, præfedit ipfe Pontifex Gregorius X. in eoque, præmiffa folita Spiritus Sancti invocatione, & confuetis precibus, ac ritibus (qui latius referuntur tomo 11. Concil. general. *col.* 956.) ad Patres difcurfum habuit, quo tres fupra memoratas caufas indicti Concilii Patribus expofuit; atque Seffionem fecundam die 18. ejufdem menfis habendam declaravit. Seffio 1.

Statuta die 18. Maji celebrata fuit Seffio fecunda. In hac Seffione latas effe *Conftitutiones pro zelo fidei*, afferit auctor tractatus fub hoc titulo; *Brevis nota eorum, quæ in hoc Concilio* acta funt: extatque citato tomo 11. Concil. general. *col.* 955. Seffio 2.

Quæ fuerint hæ Conftitutiones non exprimitur. Unica apparet in hoc Concilio edita Conftitutio fidem fpectans relata in *cap. 1. de fumma Trinit. in VI.* at eam editam fuiffe ante adventum Oratorum Imperatoris Græcorum, qui demum poft abfolutam hanc Seffionem advenerunt, non eft verifimile: unde Odoricus Raynaldus ad annum 1274. agens de hac Seffione dicit fimpliciter, *lectas nonnullas Conftitutiones.*

Conftat, quod in hac Seffione *licentiati* feu dimiffi fint *Procuratores Capitulorum, ac Abbates & Priores non Mitrati, exceptis illis, qui fuerunt nominatim ad Concilium evocati, licentiati quoque* fint *omnes alii inferiores Prælati Mitrati*. Ita legitur in citata *Brevi nota* hujus Concilii.

Hic obfervare licebit, quantum jam tum invaluiffet ufus *Mitræ*, quem fæculo XII. Abbates ambire, & a Sede Apoftolica impetrare cœpere, vehementer tum obmurmurantibus S. Bernardo, aliifque viris fanctiffimis: uti notavi in *Jure Ecclef. Tom. V. part.* 1. *tit.* 31. *c.* 6.

Quandonam *Mitra* apud Abbates invaluerint?

Infuper ex relatis verbis elucet, tempore hujus Concilii creditum fuiffe, ufum *Mitræ* aliquid dignitatibus vel majoris auctoritatis Abbatibus & Prioribus conciliare, quandoquidem ufum ejus habentes præ cæteris Concilio intereffe finerentur.

Indicta eft dein tertia Seffio habenda die 28. Maji feria fecunda poft Pentecoften, fed prorogata fuit ufque ad feptimam Junii. Seffio 3.

Hoc temporis intervallo difcuffæ & a Pontifice propofitæ nonnullæ Conftitutiones morum difciplinam fpectantes; quæ & in tertia Seffione celebrata die feptima Junii lectæ & probatæ fuere; extantque in *Sexto* Decretalium, ad quas breves *Obfervationes* infra dabimus.

In hac Seffione licentia data fuit a Pontifice Prælatis, quod poffent exire Lugduno, & elongare fe ufque ad fex leucas.

Dies habendæ futuræ Seffioni defignata non fuit propter dubium adventum Græcorum feu Oratorum Michaelis Paleologi Imperatoris Græcorum, qui in dies expectabantur: ut tandem auctoritate hujus Concilii optatum & inchoatum unionis Græcorum cum Romana Ecclefia negotium compleretur. Adventus Græcorum.

Tan-

(*a*) Integrum excommunicationis negotium confummare liceat privilegio, quod Franciæ Regibus ineffe declarat Yvo Carnutenfis; de eo ita loquitur De la Roche Flavin lib. 2. de Parlamentis Franciæ, pag. 179. *L'Avvocat du Roi Expilli allégue un témoignage de Yves de Chartres en deux de fes Epitres, favoir la 62. & la 171. que par certaines Loix & Conftitutions Royales dreffées de l'autorité des Eveques, fi le Roi de France recoit un Excommunié à fa converfation familiere, ou le fait manger à fa Table; par cette grace il eft tenu comme abfous, & peut être reçù à la Communion avec les autres Chrêtiens.*

Tandem 24. ejuſdem menſis Junii Oratores Imperatoris Græcorum advenerunt, atque cum magna pompa benigniſſime a Pontifice, præſentibus Cardinalibus, multiſque Prælatis, recepti & ad pacis oſculum admiſſi fuerunt.

Dein præſentarunt Litteras Imperatoris auro bullatas, inſcriptas Pontifici ſub hoc titulo: *Sanctiſſimo & Beatiſſimo primo & ſummo Pontifici Sedis Apoſtolicæ venerabili Papæ, & communi Patri omnium Chriſtianorum, & venerabili Patri Imperii noſtri D. Gregorio*. Reddiderunt & Litteras Prælatorum Græciæ ad Pontificem ſub hoc titulo: *Sanctiſſimo, Reverendiſſimo, & Beatiſſimo Papæ antiquo Romanorum, Domino Gregorio, Magno Pontifici excellentiſſimæ Apoſtolicæ Sedis, & venerabiliſſimo Domino & Patri noſtræ humanitatis*.

Una in præſentia Papæ aſſeruerunt, quod venirent ad omnimodam obedientiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ad recognitionem Fidei, quam Eccleſia tenet, conformiter ad Litteras Imperatoris & Prælatorum Græcorum.

Die 28. ejuſdem menſis Papa celebravit Miſſam, præſentibus Cardinalibus & Prælatis, qui ad Concilium fuerant convocati.

Lectæ Litteræ Prælatorum Græciæ, & Michaelis Paleologi.

In hoc conſeſſu lectæ fuere prædictæ litteræ; lecta eſt Epiſtola Imperatoris in *Græco & Latino*, uti & in utroque idiomate cantatum Evangelium, idque & per Diaconum Græcorum in habitu, quo Græci uti ſolent. Cantato Evangelio, S. Bonaventura, qui Concilio aderat, & in eo Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis renuntiatus eſt, ſermonem habuit.

Symbolum latine ac græce decantatum cum particula Filioque.

Hoc finito, cantatum fuit primum latine, deinde græce Symbolum cum articulo Proceſſionis Spiritus Sancti *ex Patre* Filioque, qui ter fuit decantatus.

Adventus Tartarorum.

Circa idem tempus venerunt Lugdunum Nuntii Regis Tartarorum; acceſſeruntque die quarta Julii, ad Papam a quo benigne, præſentibus Cardinalibus multiſque Prælatis, excepti fuere: de quorum adventu agens Matthæus Weſtmonaſterienſis monet: *Hi non pro fide, ſed ut confœderationem haberent cum Chriſtianis* (contra Turcas) *venerunt*.

Seſſio 4. de unione Græcorum.

Poſtea indicta fuit in eodem conſeſſu futura Seſſio Concilii in diem ſextam menſis Julii.

Aſſignata die, Seſſio quarta ſolemnis habita eſt; in qua a latere dextro Papæ poſt Cardinales ſederunt Nuntii Imperatoris Græcorum; & poſtquam Pontifex expoſuit cauſas indicti Concilii; atque inter cætera, qualiter contra opinionem quaſi omnium, Græci libere venirent ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ, profitendo fidem, & recognoſcendo primatum ipſius nihilque temporale petendo: tunc mandavit legi Litteras Imperatoris, item multorum Prælatorum, & Litteras filii ipſius Imperatoris; quæ tres erant *bullatæ Bulla aurea* translatæ in Litteras latinas.

His lectis, unus Nuntiorum ex mandato Imperatoris quod dicebat ſe habere, juravit *in animam ipſius Imperatoris*; & profeſſus eſt publice fidem Romanæ Eccleſiæ, quæ lecta fuerat in Concilio; eamque tenere dictum Imperatorem & Imperium, & eam perpetuo ſervaturos, de quo latius §. ſequenti, ubi de negotio unionis ex profeſſo agemus.

Te Deum laudamus.

Poſt cantatum, Papa intonante, *Te Deum laudamus*, recitatiſque aliquibus precibus, & brevi adhortatione Papæ ad Concilium, ſuper tanto gaudio, rurſus cantatum fuit, Papa inchoante, *Symbolum* latine: quo completo, Patriarcha Græcorum incepit ſimiliter *Credo in unum Deum*, quod Græce totum decantatum fuit, dicendo publice & ſolemniter, *Qui a Patre Filioque procedit*, cantando eum articulum *bis*.

Seſſio 5.

His actis, juſſit Papa Concilio prælegi litteras Regis Tartarorum, indictaque eſt Seſſio quinta in diem nonam ejuſdem menſis.

Quædam diſſenſio inter Papam & Cardinales.

Verum dum ſeptima, id eſt, altera die poſt celebratam Seſſionem quartam, Papa oſtendiſſet Cardinalibus Conſtitutionem, quam fecerat ſuper electione Romani Pontificis, diſſenſio magna exorta eſt inter Papam & Cardinales ipſoſque Concilii Prælatos: multaque ſollicitatione opus fuit, ut Prælatorum conſenſus ſuper hac Conſtitutione haberetur, de quo latius infra in *Obſervationibus* ad hanc Conſtitutionem relatam in *Sexto* Decretalium, ſub titulo *de Electione*. Interim hæc diſſenſio cauſa fuit prorogandi hanc Seſſionem in decimam ſextam dicti menſis Julii.

Baptizantur Nuntii Regis Tartarorum.

Sub initium hujus Seſſionis quintæ, „ antequam Papa intraret Eccleſiam, Oſtienſis Epiſcopus, præſentibus omnibus Prælatis baptizavit unum ex Nuntiis Regis Tartarorum cum duobus ſociis: quibus D. Papa fecit fieri veſtes de Scarlato more Latinorum. „

Hujus Baptiſmi meminit Matthæus Weſtmonaſterienſis ad annum 1274. ſcribens: „ Hos Tartaros Papa benigne ſuſcipiens, donis & honoribus ampliavit, & ad petitionem ipſorum, *non baptizatos, fecit honorifice baptizari*.

In hac inſuper Seſſione plures Conſtitutiones lectæ & probatæ fuerunt, quas infra indicabimus, & *Obſervationibus* additis elucidabimus.

Obitus S. Bonaventuræ.

Expoſuit præterea Pontifex: „ quomodo Eccleſia Dei inæſtimabile damnum perpeſſa fuerit ex obitu Fratris *Bonaventuræ* Albanenſis Epiſcopi: & mandavit *omnibus* Prælatis, & *omnibus* Presbyteris per *totum mundum*, ut quilibet eorum *unam Miſſam* deberet cantare pro *anima ipſius*, & aliam pro animabus omnium aliorum, qui mortui ſunt adveniendo, ſtando, ſeu redeundo ad Concilia, ſive ad Concilium. „

Crediderat Pontifex, hac Seſſione Concilio finem imponere; ſed ob Tartarorum ſolemne Baptiſma, & prolixam plurium Conſtitutionum Lectionem, hora tarda erat, ideoque Seſſionem continuavit in diem ſequentem.

In hoc conſeſſu diei ſequentis ſcilicet 17. Julii, Papa incontinenti Eccleſiam intravit, & omnibus Pontificalibus indutus, aſcendit in pulpitum, & lectæ ſunt duæ Conſtitutiones, quas infra indicabimus & elucidabimus.

De Reformatione morum.

His abſolutis, Papa ſuum ſermonem dirigens ad Concilium, vehementer invectus eſt in Prælatos malæ vitæ & converſationis; qui ſi ſe corrigerent, „ non erat neceſſe (ait) condere aliquas Conſtitutiones ſuper Reformatione eorum: alioquin dixit ſe *dure acturum* ſuper Reformatione morum. „

Dixit inſuper *ſe cito, Deo dante, ſuper Ordinatione Eccleſiarum Parochialium, ne fraudentur Rectorum ſuorum præſentia, & viri idonei ponantur in eis, & ſuper aliis, apponere remedia opportuna: quod (ait) uſque in ipſo Concilio fieri non potuit, propter multorum negotiorum occupationem*. His dictis, ac conſuetis recitatis precibus, diſſolutum eſt Concilium.

§. III.

De Unione Græcorum cum Eccleſia Romana.

Origo Schiſmatis.

NOTUM eſt, diuturnum illud ac deplorandum ſchiſma inter Eccleſiam Orientalem & Romanam ſive Latinam originem ſuam habuiſſe ſub medium ſæculi IX. ejuſque præcipuum Auctorem Promotoremque fuiſſe famoſum illum Photium, qui Patriarchatum Conſtantinopolitanum, extruſo ac depulſo S. Ignatio ejuſdem Sedis Patriarcha, invaſerat.

Nemini quoque ignotum eſt, ſæpius pro extinctione hujus ſchiſmatis, atque utriuſque Eccleſiæ unione allaboratum fuiſſe, atque pro tempore ſaltem, præſertim opera Baſilii Imperatoris & Concilii VIII. Œcumenici, quaſi extinctum, ſeu ſaltem ſopitum fuiſſe; at rurſus poſt annos aliquot recruduiſſe.

Ut autem intelligatur, quæ fuerit occaſio unionis, quæ in hoc Concilio quaſi concluſa videbatur præmittenda ſunt, quæ ſequuntur.

Anno 1195. Imperator Græcorum Iſacius Angelus anno nono Regni ſui per proprium ſuum fratrem Alexium cognomento *Comnenum* e Throno dejectus fuit; atque prius oculis excæcatus una cum filio ſuo juniore Alexio conjectus eſt in carcerem.

Filius autem ejus Alexius e carcere elapſus, fugit in Germaniam ad Philippum Imperatorem ſororium ſuum.

Hujus conſilio adiit is exercitum *Cruce ſignatorum*, qui ad expeditionem Terræ Sanctæ jam paratus erat: ſuaſitque ei proponere, ut priuſquam tranſiret exercitus in *Terram Sanctam*, ipſum Patremque ſuum Imperio Conſtantinopolitano reſtituerent, atque Imperii Uſurpatorem expellerent, una addicens, quod Imperio reſtitutus, conjunctis viribus, in ſubſidium & recuperationem *Terræ Sanctæ* progrederetur, ipſiſque notabilia ſubminiſtraret ſubſidia.

Propoſitio Cruce-ſignatis placuit; atque una cum Alexio exercitum in Græciam direxerunt: & anno 1203. Conſtantinopolim advenerunt, urbem poſt octo dierum obſidionem interceperunt, fuga elapſo Alexio Comneno Imperii uſurpatore.

Cruce-ſignati Iſacium Throno Conſtantinop. reſtituunt anno 1203.

Mox ſummo totius urbis applauſu libertati reſtitutus Iſacius, & una cum filio ſuo Alexio Imperator proclamatus, ſeu Imperio denuo reſtitututus fuit; quemadmodum latius deſcribitur in Geſtis Innocentii III. *c.* 90. edit. Baluzianæ: additurque, quod proclamatus Imperator inter alia promiſerit, quod *eam reverentiam præſtare debeat ſummo Pontifici, quam Anteceſſores ſui Imperatores Catholici Prædeceſſoribus ſuis Pontificibus pridem impendiſſe noſcuntur, ac Eccleſiam Orientalem ad hoc idem pro viribus inclinare*.

Græcorum animi a Latinis averſi.

Verum cum Imperator hic reſtitutis nondum videretur ſufficiens, ut promiſſa impleret, nec Græcis, qui a Latinis multum erant averſi, eam expeditionem perſuadere poſſet, perſuaſit Latinis, ut expeditionem in *Terram Sanctam* different in annum ſequentem.

Interea, exercitu Latinorum conſiſtente, circa portas Urbis Conſtantinopolitanæ, cum naturalis averſio, quæ erat inter Latinos & Græcos, frequentes contentiones excitaret inter milites, contigit, ut milites Latini per cives Conſtantinopolitanos aliquando repulſi & irritati partem civitatis incederint.

Hoc factum non tantum accendit Græcorum odium adverſus Latinos, ſed etiam contra Iſacium Imperatorem, ejuſque filium Alexium, quos Latinis favere ſuſpicabantur.

Hinc quidam Marculphus vel Marzulphus, occaſionem ſumpſit Imperium invadendi, qui Alexium, cui & perſuaſerat promiſſa Latinis minime exſolvere, in carcerem detruſit, ac tandem trucidari fecit; uti late refertur in Geſtis Innocentii III. *cap.* 91.

At

At breve admodum Regnum ejus extitit; Latini enim videntes a Græcis ſibi promiſſa non præſtari, Conſtantinopolim obſederunt, eamque anno ſequenti, id eſt, die 12. Aprilis interceperunt, eaque militum direptioni expoſita, tota ſpoliata & direpta fuit. Graves inſolentiæ & crudelitates hac occaſione exercitæ fuere, multaque ſcelera & ſacrilegia quoque in ea urbis direptione a Latinis patrata, non tantum Græci, ſed & Latini Scriptores teſtantur, nec ea Innocentius III. in Epiſtola ad Marcellinum Presbyterum Cardinalem apud Conſtantinopolim exiſtentem diſſimulans ſcribit inter cætera: *Quomodo Græcorum Eccleſia, quantumcumque perſecutionibus affligatur, ad unitatem Eccleſiæ & devotionem Sedis Apoſtolicæ revertetur, quæ in Latinis non niſi* proditionis *exempla, & tenebrarum opera aſpexit, ut jam merito illos abhorreant pluſquam canes.* In Geſtis *cap.* 95.

Latini occupata urbe Conſtantinop. conſtituunt Balduinum Comitem Flandriæ Imperatorem Græcorum.

Interim, occupata Regia hac urbe, rebuſque nonnihil compoſitis, electus fuit a Latinis in Imperatorem Græcorum Balduinus Comes Flandriæ; de qua electione extat ejuſdem Balduini Epiſtola ad Innocentium III. in Geſtis hujus Pontificis *cap.* 91. elegere quoque Latini Patriarcham Conſtantinop. Thomam Moroſinum Venetum, juxta pacta ante urbis expugnationem inita inter Francos & Venetos, ut ex illa gente, quæ Imperatorem non haberet, Patriarcha eligeretur, quæ legere eſt in geſtis Innocentii III. *cap.* 93.

Innnocentius III. receptis Litteris Balduini proclamati Imperatoris de intercepta Conſtantinopoli, ſcripſit Balduino, nec non Epiſcopis, & Presbyteris in ea urbe exiſtentibus, ut ſtrenue allaborarent, & incumberent totis viribus reductioni Græcorum ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ.

Nituntur importunius Græcos reducere ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ.

Et quidem Latini obſequentes juſſis Pontificis, tanta aſperitate contra Græcos, qui ſe obedientiæ Sedis Apoſtolicæ ſubjicere, & ritus Eccleſiæ Romanæ amplecti renuebant, proceſſere; ut Henricus Imperator Latinus, qui an. 1205. Balduino ſucceſſerat, modum ponere coactus fuerit: querimoniiſque Græcorum auditis, illis libertatem Sacrorum more ſuo celebrandorum ſibi a Latinis ereptam, reſtituit: etiam reluctante Sedis Apoſtolicæ Legato. Narrat enim Georgius Acropolita *n.* 17. Græcos acceſſiſſe Henricum, eum hunc in modum interpellantes: Nos alio genere orti, aliumque habentes Pontificem, noſmetipſos Imperio tuo objicimus quoad corpus quidem, ſed non quantum ad animam, reſque ſpirituales. Ad præliandum pro te in bello obſtricti ſumus; ſed Religionem noſtram deſerere nobis impoſſibile eſt. Libera ergo nos ab imminentibus malis, aut libertati redde noſtratibus jungendos.

Græci perſeverant in ſchiſmate cum ſuo Imperatore Theodoro Laſcari.

Licet igitur Latini, Urbe Conſtantinopolitana, quin & pleriſque cæteris Græcorum Imperio per Europam ſubjectis ditionibus potirentur, non tamen potuerunt Græcos ad unitatem Eccleſiæ, & ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ adducere, non ſchiſma plene extinguere.

Quin & ſuum retinebant Græci Imperatorem apud Nicænam reſidentem, quorum primus fuit Theodorus Laſcaris, qui imperavit uſque ad annum 1222. quo regnante de unione inter Græcos & Latinos actum fuiſſe non legitur.

Theodoro ſuccedit Joannes Ducas 1222.

Theodoro anno 1222. ſucceſſit Joannes Ducas gener Theodori, qui pluribus victoriis contra Latinos reportatis, ac locis plurimis a Latinis recuperatis, ad unionem Eccleſiarum allaborare viſus eſt.

Gregorius IX. ad eum legationem mittit anno 1233. ſed incaſſum.

Ipſo enim regnante, miſſi leguntur anno 1233. a Gregorio IX. Pontifice Romano Nuntii de pace Eccleſiarum cum Germano Græcorum Patriarcha, cæteriſque ejus gentis Antiſtibus, ipſoque Imperatore acturi.

Convenerunt primum Nicææ, ac dein Conſtantinopoli, quin & tandem eum in finem Synodus Nympheæ habita fuit; uti omnia latius ex Wadingo in Annalibus referuntur *Tom. XI. Concil. general. col.* 461. *& ſeqq.* videturque ipſe Imperator Græcorum ad unionem fuiſſe proclivis.

Et quidem fertur propoſuiſſe Legatis ſive Apocryſiariis Sedis Apoſtolicæ, quod „ ſicuti Domini Sæculares inter ſe contendentes de rerum dominio, hinc inde aliquid ſui Juris relaxant, & quiſque partim cedit cauſæ, ut tandem optata pace fruantur, ita & hic agendum eſſe, videlicet ut ſuam de *proceſſione Spiritus ſancti* opinionem miſſam Latini facerent, & ex Symbolo ſuiſque Libris expungerent verbum *Filioque*, permittentes ut Græci in controverſia hac eodem modo quo prius ſentirent. E regione vero Græci approbarent conſecrationem Latinorum in *azymis*, neque amplius eos Hæreticos propter hoc proclamarent; ita ut in duobus punctis controverſis unaquæque pars unum probaret, alterum condemnaret Latini hanc propoſitionem ut *ineptam & ridiculam*, exponentes, reſponderunt, Imperatorem ſcire debere ob nullum lucrum rei aut Provinciæ, quantumvis magnæ, Eccleſiam Romanam Catholicam *jota* unum aut *apicem* fundatiſſimæ ſuæ fidei motaturam, neque ullo modo uniri poſſe cum Græca, niſi hæc prius, objectis & condemnatis erroribus, præcipue circa illud punctum de *proceſſione Spiritus ſancti*, omnes ſuos libros, in quibus doctrinam illam perſuaſit, aut ſcripſerit, condemnaverit, ignique tradiderit. Quod vero attinet ad conſecrationem in fermentato, Græcam Eccleſiam non propter hoc rejici aut condemnari a Latina, neque velle ab ea condemnari propter *azymum*, dum licite unaquæque in utroque conſecrat pane, "

Hæc audiens Imperator animo concidit, omnem ſpem unionis exuens. Sciebat enim, Græcos Prælatos nunquam eo adducendos, prout & eventus probavit: nam inter ſe rurſus habitis colloquiis, quin & Synodo eam in rem habita, ampliùs irritati, facta ſeditione & tumultu, ſe ab invicem ſepararunt, utriſque in ſua pertinaciter perſeverantibus opinione.

Nuntii ſeu Apocryſiarii Sedis Apoſtolicæ obtenta ab Imperatore licentia diſceſſerunt. Sed Græci miſerunt poſt eos Nuntios ſuos, qui ſcriptum ſeu declarationem circa *Conſecrationem in azymo* eis eriperent, cujus *originariam* detexerunt & abſtulerunt: ſed tranſlationem vel exemplar Latinum non invenerunt, quod ad Pontificem detulerunt Apocryſiarii.

Vice autem declarationis circa *azymum* tradiderunt Græci Apocryſiariis Pontificis prolixam declarationem ſuæ fidei circa *proceſſionem Spiritus ſancti*, quæ extat *Tom. XI. Concil. general. col.* 466.

De hac declaratione dicit Wadingus ſupra citatus: *nullibi adeo diffuſe Græcorum fundamenta pro pertinaci illa ſua hæreſi vidi congeſta, neque in aliis eorum ſcriptis, quæ occurrerunt, neque in Concilio Florentino, neque apud Controverſiſtas.*

Joanni ſuccedit Theodorus Laſcaris junior 1255. apud quem Alexander IV. unionem fruſtra tentat.

Anno 1255. ex morbo epileptico defuncto Joanne Duca, ipſi ſucceſſit ejus filius *Theodorus Laſcaris*, ad quem pro tentanda unione Alexander IV. anno 1256. miſit Epiſcopum Urbevetanum Legati auctoritate auctum, rei cum Græcis tranſigendæ auctoritate inſtructum.

Articuli Græcis proponendi præcipue auctoritatem Sedis Apoſtolicæ ab ipſis recognoſcendam concernebant; atque præ cæteris notandus articulus tertius. *De prærogativa appellandi ad Romanam Eccleſiam, cum ſacræ perſonæ Eccleſiaſticæ Græcorum a Superioribus ſuis crediderint ſe gravatos.*

Quartus vult dari liberum recurſum ad Sedem Romanam in quæſtionibus, quas inter Prælatos & alias perſonas Eccleſiaſticas Græcas contigerit ſuboriri. „ Item ſeptimus in quæſtionibus *Fidei*, ſi quæ fortaſſis emerſerint, præ aliis dare ſententiam, ſuæque voluntatis proferre judicium, quod dummodo Evangelicis & Canonicis non obviet inſtitutis, obedienter cæteri ſuſcipient & ſequentur."

Integrum commonitorium ſive inſtructionem exhibet Odoricus Raynaldus ad ann. 1256. *nu.* 48. *& ſeqq.* notatque *nu.* 56 ex Gregorio Logotheta, Legatos ab Alexandro miſſos, infecto *negotio* rediiſſe (*a*).

Michael Paleologus Conſtantinopoli pellit Latinos 1261.

Negotium unionis ita interruptum, rurſus reſumptum fuit circa annum 1261. Hoc enim anno ſub Michaele Paleologo, qui anno præcedente Imperium invaſerat, Conſtantinopolis a Græcis intercepta fuit, fugatis & expulſis Latinis, qui eam per annos 58. tenuerant.

Legationem ad Urbanum IV. mittit pro unione.

Porro Paleologus metuens, ne terribilis contra ipſum exercitus Latinorum pro recuperatione Conſtantinopolis præpararetur, ac ſignanter *Cruciata* inſtitueretur (quemadmodum Urbanum IV. tunc Pontificem decreviſſe evincunt ejus litteræ Provinciali Fratrum Minorum inſcriptæ, apud Odoricum Raynaldum ad annum 1262. *n.* 34.) Nuntios cum litteris miſit ad Pontificem, in iis cum magna inſtantia unionem Eccleſiarum ſe deſiderare proteſtans, ipſam Romanam Eccleſiam pro Matre recognoſcens, petens inſtanter, ut Legatos ſuos „ homines videlicet pacis & pacificos Chriſti diſcipulos, non gaudentes in vanitate verborum, nec bono pacis mundanam ſapientiam præponentes, ad ſuam præſentiam Pontifex mitteret."

Nullum de Dogmatibus fidei, & conſuetudinibus ſeu ritibus Eccleſiaſticis in ſuis litteris Imperator ſermonem faciebat: „ nam dicebat: ſi in iis eſſet diſcordia, pace præmiſſa, præhabitaque inter Græcos & Latinos, hæc ſolverentur facilius, & celerius ſopirentur."

Humaniſſimis litteris reſpondit Urbanus, quas exhibet Odoricus Raynaldus ad an. 1263. Miſit & ei Nuntios ex ordine Fratrum Minorum, quibus pacis & unionis conciliandæ auctoritatem ſummam impertivit.

Interim ipſe Urbanus metuens, ne negotium hoc unionis optatum non haberet exitum, videnſque Græcos Schiſmaticos ob interceptam Conſtantinopolim, aliaſque partas victorias continuo magis inſoleſcere: totoſque impetus ad delendas Latinorum reliquias convertere, admodum ſollicitus fuit, ut Principes ac fidelem populum ad expeditionem aliquam contra Græcos faciendam excitaret; ſcriptis in eum finem variis per orbem litteris, quarum nonnullas exhibet Odoricus Raynaldus ad annum 1264. *num.* 56. *& ſeqq.*

Timens cruciatam expeditio-

Id intelligens Paleologus Imperator, iteratas litteras dedit anno 1264. ad Urbanum IV. Papam, quibus ſum-

(*a*) Attamen refert Natalis Alexander Hiſtor. Eccleſ. ſect. 13. pag. 22. col. 1. edit. 1699. in fol. quod eædem Propoſitiones a Græcis oblatæ Innocentio IV. & Alexandro IV. ab iiſdem Pontificibus approbatæ fuerint. Eaſdem Propoſitiones refert Alexander IV. *Epiſt.* 325.

rem, iterato scribit Romano Pontifici.

summum unionis faciendæ desiderium præfert; dicitque se anno præterito ad Romanam Ecclesiam cum litteris misisse Nicolaum Cortoniensem, qui erat patria & origine gentis *Romanæ*, atque utrumque idioma Latinum & Græcum apprime callentem, quique dogmata utriusque Ecclesiæ melius, quam alii, perciperet, & in quo dissensio esset, facilius exponere posset.

Scribit ulterius, quod hunc Episcopum e sua legatione redeuntem summa cum lætitia exceperit, atque ab eodem intellexerit, ac invenerit, *Sanctam Dei Ecclesiam Romanam non alienatam* (ait) *a nobis in divinis præ fidei dogmatibus, sed ea fere nobiscum sentientem ac concantantem*.

Scribit dein, se eumdem Episcopum cum hisce litteris iterato ad Pontificem destinare, ut ex ipso intelligat sincerum ejus ac promptum animum ad uniendas & subjiciendas omnes Ecclesias Imperii sui Ecclesiæ Romanæ: rogatque, ut eumdem cum adjunctis suis Apocrysiariis seu Nuntiis celeriter ad se remittat: *qui nobis* (*inquit*) *plenarie vestram voluntatem & affectionem referet, & una nobiscum omnia, quæ sunt veræ fidei, reuniendæ Ecclesiæ opere infallibili valeat percomplere.*

Urbanus IV. iteratos Nuntios mittit ad Imperatorem.

Summo gaudio litteras Paleologi, una cum Legato Imperatoris Episcopo Cortoniensi excepit Urbanus; moxque eumdem cum litteris ad Imperatorem remisit, junctis duobus Apocrysiariis ex Ordine Minorum, qui optatum negotium *unionis* perficerent.

Sane magno animarum ardore *unionis* hujus negotio utrinque promoveri videbatur; multaque agitata fuere; sed omnia incassum cecidere: apparuitque desiderium hoc unionis simulatum potius quam sincerum. Paleologus enim, qui se in maxima discrimina adductum videns; negotium hoc ardentius urserat; ubi periculis se emersisse vidit, negotium in longum protraxit. Unde sub Pontificatu Urbani IV. qui hoc eodem anno 1264. mense Octobri defunctus est, nihil perfectum fuit.

§. IV.

De his, quæ in negotio Unionis Ecclesiæ Græcæ cum Latinis acta fuere sub Pontificatu Clementis IV.

Clemens IV. hortatur Paleologum pro expeditione in Terram Sanctam.

Clemens IV. successor Urbani non tantum Occidentis Principes ad sacrum bellum in Saracenos excitabat, sed etiam datis litteris ipsum Paleologum Orientis Imperatorem, qui ad id se inclinare Clementi significaverat, quibus una indicabat, ob clades Armenis a Saracenis illatas, magno se mœrore perfusum; scribens & in litteris (apud Odoricum Raynaldum ad an. 1267. *nu.* 67.) eum ab expeditione in Terram Sanctam non debere revocari ob timorem incursus Latinorum in Terram suam, si eam ducto contra Saracenos exercitu, vacuam relinqueret, cum huic periculo facile occurrere queat, si ad Romanæ Ecclesiæ rediens *unitatem, ejus salutaribus consiliis acquiescens, proferendis, rigore justitiæ temerato, mandatis humiliter obedire voluerit.*

Cum autem intelligeret Pontifex ex quibusdam indiciis, quæ per Legatos & Litteras insinuarant Græci, se ad salubrem reditum seu unionem anhelare (uti ad Dominicanæ familiæ Magistrum, scribit Clemens, apud Odoricum Raynaldum, ibidem *num.* 72.) rursus negotium hoc promovendum censuit.

Proponit ei professionem Fidei.

Judicavit autem Clemens, quod Apocrysiarii ex Ordine *Minorum* ab Urbano Prædecessore misi, demandatæ sibi auctoritatis limites excessissent, nonnulla concedendo Græcis, quæ concedenda non fuissent, idcirco suos Nuntios ad Paleologum misit ex Ordine S. Dominici cum litteris ad eumdem Imperatorem, quibus erat inserta prolixa professio fidei, singulos Symboli articulos diserte ac claris terminis exprimens, ac signanter processionem Spiritus Sancti *ex Patre & Filio*, quibus adjungit doctrinam Ecclesiæ Romanæ de Baptismo *non iterando*, de *Purgatorio*, & animabus in eo existentibus prodesse Vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, aliaque pietatis officia. Item doctrinam de septem Sacramentis, ac signanter de Eucharistia conficienda ex *azymo*. De Matrimonio, ac notanter, eo soluto per mortem alterutrius conjugis, secundas, tertias, & deinceps nuptias successive licitas esse.

De summo & pleno Primatu Romanæ Ecclesiæ, & principatu super universam Catholicam Ecclesiam multa magnifica proponit.

Post hæc declarat, inutile omnino esse convocari Concilium *generale*, in quo prædicta puncta discutiantur: „ immo nec liceat, nec expediat in dubium revocari „ præmissam veræ fidei puritatem, tot sacræ paginæ „ auctoritatibus, tot Sanctorum roboratam sententiis, „ tot Romanorum Pontificum stabili definitione fir- „ matam, pro cujus defensione, si necesse foret (ait) „ parati essemus martyrium subire, & morti etiam „ exponere corpus nostrum. “

Mittebat præterea duos Nuntios seu Apocrysiarios ex Ordine S. Dominici, cum quibus & ipse Imperator, & Clerus, ac populus Græcus super præmissis articulis conferre & instrui possent: rogatque, ut si Apocrysiarii plenam satisfactionem dare non videantur, ipse Imperator aliquos de peritioribus ad Sedem Apostolicam mittere velit, quibus tam plene satisfactum iri non dubitat, quod „ amoto cujuslibet dubitationis „ scrupulo, fidei veritatem agnoscent, & in agnita „ salubriter gloriantes, ad ipsum cum gloria remea- „ bunt. “

Denique scribit, quod si postquam prædictam fidei professionem susceperint, & professi fuerint, tunc indicendum „ Concilium per Sedem Apostolicam, ad lo- „ cum, qui ad hoc eidem Sedi videatur idoneus, con- „ vocari petierint, ad charitatis vinculum inter Lati- „ nos & Græcos fœdere perpetuo roborandum, Lega- „ tos super hoc ad Nos (ait) poteritis destinare, qui- „ bus, faciente Domino, responsum dabitur, quo to- „ tum desiderium satiari poterit & debebit (*a*).

Litteras quoque scripsit Pontifex ad Patriarcham Græcorum, quibus ipsum ad promovendam unionem Ecclesiarum excitat: extant apud Odoricum Raynaldum ad annum 1267. *num.* 80.

Quamvis hæc fidei formula Græcis parum arrideret, tamen Paleologus Græcorum Imperator, intelligens exercitum validum *Cruce-signatorum* sub S. Ludovico Rege Francorum, & ejus fratre Carolo Duce Andegavensi & Siciliæ Rege in expeditionem Terræ Sanctæ jam esse instructum, veritus ne in Græciam ad recuperandam Constantinopolim diverteret, de unione Ecclesiarum deliberare, ipsumque negotium promovere cœpit.

Hinc paulo post obitum Clementis IV. qui contigit sub finem an. 1268. scripsit ea de re ad Ludovicum Regem Franciæ litteras, quibus suum ad hanc diu exoptatam unionem perficiendam desiderium exponit, una significans, quod plures Nuntios eam in rem ad Sedem Apostolicam destinasset, quorum aliqui in via detenti ad eamdem non pervenerant, & frequenter ac humiliter ad hæc postulavant admitti, nec eorum circa id fuerat desideriis satisfactum: quare instanter rogat Ludovicum, ut ipse Rex in tam pio ac utili negotio, *Arbitri* partes assumens, ad ipsius consummationem sollicita intenderet pietate: promittens, quidquid idem Rex super hoc diceret, se plene ac inviolabiliter observaturum.

Paleologus implorat Ludovici Regis Franciæ intercessionem pro unione.

Ludovicus vero negotii hujus determinationem, utpote *ad fidem* spectantis, non ad se, sed ad Sedem Apostolicam spectare videns, imperatori respondit, quod „ in hoc negotio, hujusmodi partes non assumeret; „ sed pro illius salubri consummatione apud eamdem „ Sedem, ad quam id pertinet, libenter instaret. “

Ludovicus scribit ad Collegium Cardinalium, Sede vacante.

Cum autem Sedes Apostolica per mortem Clementis IV. tunc temporis vacaret, misit Ludovicus Legatos Paleologi Græcorum Imperatoris, ejusque litteras ad Concilium Cardinalium, qui & Ludovico, pro sua erga Sedem Apostolicam devotione & humili submissione gratias egerunt, ac etiam litteras dederunt ad Rodulphum Cardinalem Legati munere apud Ludovicum fungentem, quibus ipsum de toto hoc unionis negotio, actisque sub Urbano IV. & Clemente IV. instruunt, & ad perficiendam unionem adhortantur: ita tamen, ut prius Græci admittere & publice profiteri teneantur, quæ in litteris Clementis IV. fuerant expressa. Extant hæ Cardinalium litteræ apud Odoricum Raynaldum ad annum 1270. *num.* 2. & 3.

§. V.

Quid in negotio unionis Græcorum cum Ecclesia Latina actum fuerit sub Gregorio X. ac notanter durante Concilio Lugdunensi?

Paragrapho præcedenti vidimus, quæ in hoc negotio unionis acta fuerint, durante Pontificatu Clementis IV.

Pergit Paleologus instare apud Gregorium X.

Vacante Sede Apostolica, nihil perfectum fuit, ac tandem post vacationem Sedis Apostolicæ duorum annorum & novem mensium, anno 1271. Kalendis Septembris, electo Gregorio X. misit rursus Paleologus Legatum ad Pontificem cum litteris, quibus ei Pontificatum gratulatur, atque summum desiderium unionis utriusque Ecclesiæ expressit.

His humanissime respondit Gregorius, laudatque ejus pro unione utriusque Ecclesiæ zelum, eumque multis excitat, ut negotium tam necessarium & exoptabile diutius non protrahat, eique in memoriam revocat, quæ sub Urbano & Clemente Prædecessoribus suis acta sunt, ac signanter formulam Fidei, quam ejus Apocrysiariis tradiderat Clemens, declarans viam compendiosissimam ac pene unicam complendæ hujus unionis esse, ut ipse, ac Patriarcha cum Episcopis, universoque Clero hanc Clementis formulam reciperent profiterenturque, ac dein eum ad Concilium generale indictum, & anno 1274. celebrandum invitat, ut per se, vel saltem per suos Legatos legitima auctoritate instructos Concilio inter-

(*a*) Eamdem agendi rationem erga Græcos Schismaticos observasse non videtur Eugenius IV. antequam eos ad Concilium Florentinum admiserit. Legantur acta hujus Concilii a PP. Labbæo & Harduino relata in suis Conciliorum Collectionibus.

intersit; ut ibidem unio illa auctoritate Concilii generalis firmetur.

Cum autem Gregorius Papa non ignoraret Paleologum ad hanc *unionem* absolvendam terrore belli a Latinis contra se indicendi præcipue moveri, noluit, ut Veneti inducias seu Treugam cum Paleologo prorogarent; uti notat Odericus Raynaldus ad annum 1272. *nu.* 31. ibidem referens litteras Pontificis ad Ducem Venetorum, quibus ipsum a prorogandis induciis avocat.

Paleologus autem, receptis his Litteris, quas attulerant quatuor Nuntii ex Ordine Minorum ad ipsum a Gregorio missi, omnem ad hanc unionem complendam operam impendebat, ipsosque Imperii sui Prælatos tum Beneficiis, tum minis ad eam amplectendam inducere conabatur.

Obsistit Patriarcha Constantinopolitanus Josephus.

Sed quia Patriarcha nomine Josephus se pertinaciter cum nonnullis aliis Prælatis opponebat, rescripsit interim Paleologus ad Pontificem, se excusare studens, quod Apocrysiarii Papæ ad ipsum missi, longiorem moram trahant, negotiumque unionis diutius, quam sperabatur, protrahatur. „Cum liceat (ait) quid modicum videretur „ in principio, quæ inter nos & vos differentia modica „ consistebat; sed ipsius prolixitas in tantam invaluit, „ & tam magnam dilatavit & fecit, quod nec facilem „ esse, quamvis hoc putetur ab aliquibus, verum etiam „ difficilem & onerosam dissolutionem hujusmodi repræ„ sentat.„

Hinc ulterius concludit, tempore & labore opus esse, ut hoc negotium ad finem optatum perducatur, & oportere, „ ut congregatio fiat Pontificum, qui longe existunt, quos necesse est adesse communi negotio, & vo„ luntatem & propriam intentionem facientem pacem „ proferre, & nobiscum sentire, quod omnibus expe„ dit: qui Prælati non modica pars Universitatis con„ sistunt; *ut ne forte* (inquit) *veterem scissuram fuere „ quærentes, alteram de novo ex imperitia, & non mi„ nore priore aliunde rumpamus.*„

Addit se remittere duos e Nuntiis Papæ, qui de omnibus hactenus in hoc unionis negotio actis, Pontificem informent; duos vero penes se retinere, qui, consummato opere cum suis Nuntiis, Apostolico culmini, quid confirmatum fuerit, annuntient: Habentur hæ Litteræ apud Labbæum, *Tom. XI. Concil. general. col.* 949.

His respondens Gregorius Papa insinuabat: quamplu„ res magnæ conditionis & status asserere unionis præ„ dictæ tractatum ex Græcorum parte *diutius in figmen„ tis verborum & simultate* deductum: „ unde monet Imperatorem, ut celeriter negotio finem imponat, quo se ab hac suspicione purget.

Imperator urget & cogit Episcopos Græcos unioni consentire.

Imperator igitur unionem tandem perficere desiderans, Prælatos ad consentiendum fortius urgere cœpit; quo & factum, ut omnes, paucis exceptis, Imperatori se accomodarent, atque unioni cum Ecclesia Romana consentirent.

Cumque præcipue unioni resisteret Josephus Patriarcha, ipsi injunxit Imperator de assensu Prælatorum unioni assentientium, ut se ad Monasterium aliquod retraheret, quousque negotium unionis esset absolutum; quod si non succederet, in sua maneret dignitate; si autem tractatus unionis concludatur, & ipse eidem nollet subscribere, tunc ad novi Patriarchæ electionem procederetur; uti ipsi Episcopi Græci in litteris ad Pontificem Romanum datis significant.

Salvo Symbolo absque additione *Filioque*, & ritibus Græcorum.

Dum ergo omnes pene Episcopos Imperii sui sibi consentientes videret Paleologus, non dubitavit mittere Nuntios suos ad Gregorium X. Papam Lugduni in Concilio existentem, cum litteris, quibus significat, Ecclesiam Græcam recipere in omnibus formulam fidei sibi a Clemente IV. & ipso Gregorio missam, nec non agnoscere Primatum Romanæ Ecclesiæ, prout in litteris Clementis IV. fuerat expositus; singulaque puncta in suis litteris Paleologus repetiit; una tamen Pontificem obsecrans; *ut Ecclesia nostra* (inquit) *dicat sanctum Symbolum prout dicebat hoc ante Schisma usque in hodiernum diem* (scilicet sine additione *Filioque*) *& quod permaneamus in ritibus nostris, quibus utebamur ante Schisma; qui scilicet ritus non sunt contra supradictam fidem.*

Similes subjectionis & professionis Litteras cum speciali Deputato, miserunt Metropolitæ plures, qui cum suis Suffraganeis fuerant in Synodis congregati, quibus eamdem cum Imperatore fidei professionem expresserunt, & Primatum Pontificis Romani agnoscunt; *nec alium primum & summum Pontificem Ecclesiarum omnium nominaturos promittunt.*

Declarant quoque, se reprobare pertinaciam sui Patriarchæ: *qui magna cum instantia tenet* (*inquiunt*) *quod agnosci debeat primus & postea, ut indicat, non decidet ab ista voluntate; nec adhuc a prima sententia, quam tenet, cum aliqua intentione mutatus est.*

Unio conclusa in Concilio Lugdunensi sess. 4.

Litteræ hæ tam Imperatoris quam Episcoporum Græcorum redditæ sunt Pontifici in Concilio Lugdunensi; atque *Sessione* 4. jussu Pontificis, & assidentibus Nuntiis Græcorum coram Patribus Concilii lectæ fuere; & facta solemni professione Fidei per Græcorum Acropolitam & magnum Luogothetam Nuntium Imperatoris (cujus exemplar extat *Tom. XI. Concil. general. col.* 967.) in animam Imperatoris, ac rursus nomine Episcoporum Græcorum, tandem unio decreta fuit, atque in signum gaudii & gratiarum actionis solemni ritu decantatum fuit *Te Deum*.

Nuntii Græcorum, absoluto unionis negotio, in Græciam redeuntes, litteras Pontificis detulerunt ad Paleologum Imperatorem, quibus ei de facta unione congratulatur, exponitque, quanto gaudio hæc unio Patres omnes in Concilio generali Lugdunensi perfuderit: ipsumque hortatur, ut „ quod cœpit, cum omni di„ ligentia & sollicitudine prosequatur, efficacem, pro „ posse, daturus operam, ut nec in aliquibus ejusdem „ Scismatis reliquiæ qualescumque supersint.„

Congratulatorias quoque dedit Andronicum filium primogenitum Imperatoris, itemque ad Prælatos Græcorum, qui unioni consenserant, & fidem ac Primatum Ecclesiæ Romanæ professi erant, eosdem similiter „ excitans, ut schismatis abolere studerent omnino *re„ liquias*, abjicientes oves morbidas, ne gregem valeant „ contaminare Dominicum, aut Fidei a vobis noviter „ agnitæ in vestris cordibus inficere puritatem„.

Quin inter *oves morbidas*, quas abjici hortatur Pontifex, præ cæteris designetur *Josephus* Patriarcha, dubium non est: utpore præ reliquis pertinacior, & dignitate atque auctoritate eminentior ad inficiendum, & a Fidei puritate reliquos abducendum plus cæteris valeret.

Et revera postquam Nuntii in Græciam reversi significaverunt unionem Ecclesiarum perfectam, & Patriarchæ Josepho conditiones unionis propositæ fuerunt, pertinaciter hic abnuit professioni Fidei in Concilio Lugdunensi juratæ subscribere, aut unionem in consequentiamm istius professionis factam approbare.

Hinc Episcopi, qui unionem probarent, in Synodum cojerunt, & Josepho Patriarchatu abdicato, Joannem Beccum in ejus locum ordinarunt.

Joannes Veccus Josepho in Patriarchatum surrogatur.

Quis hic Beccus seu Veccus fuerit, ac qualiter primum pertinax schismaticus fuerit, & deinde Ecclesiæ Latinæ Dogmata amplexus, fortissime pro unione utriusque Ecclesiæ steterit, ex Pachimere & Nicephoro Gregora narrat Odericus Raynaldus, ad annum 1285. *n.* 49.

Veccus in Concilio Constantinopolitano confirmat unionem.

Interim Veccus jam ad Patriarchatum assumptus, unionis negotium prosequi intendens, Synodum Episcoporum Constantinopoli celebravit anno 1277. atque tam suo, quam Synodi nomine litteras dedit ad Joannem XIX. Papam, in quibus unionem utriusque Ecclesiæ sub Gregorio X. factam laudat & amplectitur, singulatim fidei omnes articulos exponit & profitetur; ac signanter magnifice Primatum Ecclesiæ Romanæ proponit, inter cætera scribens: „ Apud hanc autem „ plenitudo potestatis consistit, quod ea, quæ cæteræ „ Ecclesiæ, & Patriarchales specialiter diversis tempo„ ribus privilegia obtinuerunt sanctionibus beatorum „ sanctorum Imperatorum illorum, & Canonicis San„ ctionibus sacrorum & divinorum Conciliorum, ea„ dem Romana Ecclesia confirmavit & roboravit: & „ non aliter obtinuerunt confirmationem Ecclesiarum „ hujusmodi prærogativæ, nisi eadem Ecclesia Roma„ na suum super iis judicium & sententiam protulis„ set; sua tamen prærogativa tam in generalibus „ Conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salva.„

Latius quoque in his litteris exponitur processio Spiritus Sancti *ex patre & Filio*; asseritque, quod *licet Pater fons Spiritus sit, & Filius fons Spiritus sit, non duo tamen fontes Spiritus sint Pater & Filius. Unum enim fontem Spiritus Patrem & Filium fidelis & pia intelligentia tenet: & propter hoc communem Patris & Filii Spiritum Sanct. Ecclesiæ luminaria & Doctores theologizarunt.*

Excommunicati Schismatici.

In hac Synodo sunt & excommunicati universi quacumque Dignitate Pontificali, vel Sacerdotali, alioque Ordine insigniti Schismatici, ac unionis Ecclesiæ perturbatores „ qui prope & longe sub pertinacia sua ubi„ cumque existant, qui non recipiunt sanctam Roma„ nam Ecclesiam esse Matrem & Caput omnium alia„ rum Ecclesiarum, & ipsum summum Pontificem pri„ mum Pastorem omnium Christianorum„. Similiter & „ susceptores Schismaticorum, & Persecutores ipso„ rum, qui convenerunt ad hujusmodi Ecclesiasticam „ unionem, & sicut illos, qui dividuntur (inquiunt) „ de nostra populitate, & de nostra societate fugiunt, „ propter obedientiam quam fecimus ad Apostolicam „ Sedem„.

Integra excommunicationis formula extat *Tom.* 11. *Concil. general. Col.* 1037. cui & ibidem præmittuntur prædictæ Synodicæ Litteræ ad Joannem XIX. Papam.

Hæ litteræ quamvis scriptæ fuerint anno 1277. sedente Joanne XIX. tamen anno sequenti demum Romam delatæ Nicolao III. qui Joanni successerat, redditæ fuere, una cum litteris Imperatoris, ejusque filii Andronici, qui Papam certiorem reddidit de renovata unione per Prælatos in dicta Synodo Costantinopolitana.

Nicolaus III. urget additionem *Filioque*.

Nicolaus, receptis his Litteris, querebatur, quod in his aliquid mutatum esset circa formulam a Clemente IV. præscriptam, notanter super articulo de processione Spiritus Sancti ex *Patre & Filio*: quem nonnihil fusius & aliis verbis, quamvis in substantia, ut apparet, non discrepantibus exposuerant. Missis igitur Legatis suis voluit, ut simpliciter formulam a Clemente IV. præscriptam profiterentur.

Cum

Cum autem Imperator poftulaffet, ut vox *Filioque* in Græcorum *Symbolo* non adderetur, ne vel fic permutarentur Græcorum ritus, & ne ex ea novitate Græci tumultus concitarent, Pontifex injunxit Legatis fuis, ne affentirent; fed refponderent: „ Unitas fidei non patitur diverfitatem in profeffionibus „ fuis, & maxime in *decantatione Symboli*, quod quanto magis in Ecclefia frequentatur, tanto debet apparere amplius uniforme „.

Quoad ritus alios refponderi vult, quod Ecclefia Romana intendat Græcos, quantum cum Deo poterit, favorabiliter profequi, & ipfos in illis eorum ritibus tolerare, de quibus Sedi Apoftolicæ vifum fuerit; quod per eos Catholicæ fidei non lædatur integritas, nec facrorum Canonum Statutis derogetur.

Et Ecclefiæ Romanæ Primatum.

Ad hæc injungit Legatis, petendum effe a Patriarcha, & aliis Græcorum Prælatis, & Clero, ut ipfi finguli fidei veritatem & ejufdem Ecclefiæ Romanæ Primatum *abfque ulla conditione vel adjectione, occafione præteriti temporis apponenda, feu etiam facienda; fed fimpliciter & pure, ficut petitur, recognofcant, acceptent, & profiteantur præftito juramento.*

Formula profeffionis & juramenti eifdem Legatis tradita erat; extatque una cum Commonitorio Legatorum apud Odoricum Raynaldum ad annum 1278. *n.* 9.

Super quibus exigit jusjurandum.

Præterea injunctum fuit Legatis, ne ab exactione hujus *juramenti* excufent Patriarcham aut Clerum, allegantes, quod *jurare non confueverunt*. „ Cum nunquam „ (ait Pontifex) fimilis cafus acciderit, cujus poffet „ confuetudo prætendi: nec hujufmodi confuetudines „ per ufurpationes adverfus Superiores, & jura ipforum, maxime adverfus Romanam Ecclefiam contra „ Canones ufurpata, funt aliquatenus obfervanda: nec „ dicendæ tam confuetudines quam abufus „.

Vult infuper per Prælatos promitti, quod hanc Fidei veritatem & obedientiam erga Romanam Ecclefiam publice populo proponent, & Symbolum cum additione *Filioque* cantabunt.

Quin & injungitur Legatis Apoftolicis, ut conjunctim vel divifim accedant ipfi, *perfonaliter* ad *fingula* loca *infignia* illarum partium, fimiles promiffiones ei eifdem locis cum folemnitate & obfervatione fimili recepturi.

Jubet moneri e Schifmate redeuntes de Cenfuris, quas tempore Schifmatis incurrerunt.

Denique monentur Legati, ut cum opportunam videbunt, moneant Prælatos, qui a Schifmate ad unitatem acceflerunt, ac fidei profeffionem juraverint, mirari Ecclefiam Romanam, quod Prælati, & alii hactenus non curaverint *ftatui fuo*, ex confideratione præteriti temporis, *providere*: quandoquidem contra ipfos in fchifmate exiftentes *multoties latæ fint fententiæ*, mirandum occurrit, quod quoad relaxationem fententiarum, & perfonas Ecclefiafticæ *fuper irregularitate, quam ex confequentia incurrerunt, fe immifcendo in Divinis, nullum adhuc petierunt remedium adhiberi.*

Græci exacerbati, ipfique Paleologo infenfi.

Litteræ hæ, ac Legatorum poftulata non parum Græcos exacerbarunt, tumultufque ac querelæ excitatæ funt adverfus Paleologum Imperatorem ob factam unionem cum Ecclefia Romana.

Schifmaticis favebant Philippus Imperator Conftantinopolitanus, & Carolus Rex Siciliæ. Verum copias Schifmaticorum & Latinorum eis junctas delet Paleologus; neque cum ipfis componere vult, licet id inftanter peteret Nicolaus Papa: neque decifionem Juris, judicio Pontificis fubjicere prout petierat Pontifex; uti hæc omnia latius exponuntur apud Odoricum Raynaldum ad annum 1278.

Paleologus renovat profeffionem in Concilio Lugdunenfi datam.

Porro ad poftulata & litteras Nicolai III. Prælati Græci nullum refponfum dederunt, nec quidquam eorum, quæ poftulabantur, præftitutum legitur. Imperator autem cum filio fuo Andronico renovavit fimpliciter profeffionem, quam in Concilio Lugdunenfi coram Gregorio X. præftiterat nomine Imperatoris magnus Logotheta Georgius Acropolita.

Litteras ea de re dedit Paleologus ad Nicolaum III. quæ extant apud Odoricum Raynaldum ad annum 1280. *num.* 19. & 20. atque per Ogerum Protonotarium certiorem reddidit, quod toto virium conatu ad promovendam unionem incubuiffet: verum tumultus graviffimos, conjurationefque in ipfum propterea fuiffe excitatas, adeo ut fibi periculum exauctorationis immineret, fi negotium illud urgeret vehementius: ne itaque ægre ferret Pontifex, fi œconoma quadam uteretur.

Martinus declarat Paleologum excommunicatum.

Nicolaus autem morte præventus, litteræ hæ Martino IV. qui Nicolao fuccefferat, redditæ fuerunt.

Hic autem Pontifex, occafione capta, quod Paleologus nec Nicolai, nec Clementis IV. poftulatis plene fatisfaceret, ac notanter quod additionem *Filioque* in Symbolo decantari non juberet, in gratiam Caroli Regis Siciliæ, cui Martinus erat devinctus, ipfum Paleologum *tamquam antiquorum Schifmaticorum, & in antiquo Schifmate conftitutorum, & per hoc Hæreticorum, nec non & hærefis ipforum, ac Schifmatis antiqui fautorem, denuntiavit excommunicationis Sententiam latam a Canone incurriffe, ac ipfius fore fententiæ vinculo innodatum*. Integra fententia inferta eft *tom.* 1. *Bularii Rom.*

Inhibet fub pœna excommunicationis, ne quis ei auxilietur.

Renovatæ rurfus fuere cenfuræ adverfus Paleologum anno fequenti 1283. in *Cœna Domini*, & adjectum, ne quis ullum auxilium Paleologo præftet fub pœna excommunicationis, prout latius legitur apud Odoricum Raynaldum, ad dictum annum *num.* 8. & 9. qui, relatis dictis fententiis in Paleologum latis, fubdit *num.* 10. objectæ funt Paleologi fœderatis cenfuræ ad debilitandam Caroli hoftium potentiam: cum plures, qui adverfus Paleologum Carolo adhæferant, dum fecundis „ rebus utebatur, verfis una cum fortuna ftudiis ad „ hoftem declinarent „.

Quapropter non defunt, qui credant hanc præcipitatam nimis fententiam favore Caroli Regis Siciliæ, qui Philippum generum fuum in Conftantinopolitano Imperio firmare nitebatur, a Martino latam fuiffe (*a*).

Amariffimæ querelæ Imperatoris.

His Imperatori per Nicænum Theophanem (qui a Paleologo ad Martinum Papam nuntius fuerat deftinatus) *nuntiatis, indigniffime tulit: adeo ut cum inter facra de more, Imperatore præfente, Diaconus confuetam Papæ commemorationem pronuntiaturus effet, Princeps, ne faceret, prohibuerit. Palam autem ad familiares conquerens ajebat; Præclarum enim vero fibi fructum conftare charitatis in Latinos fuæ; fe nempe caufa ipforum cum neceffariis etiam fuis, certamine fufcepto, ne pœnis quidem acribus dubitaffe comprimere. Ipfos autem pro gratiis fuæ tantæ in fide ipforum conftantiæ debitis, diras & execrationes referre. Tunc igitur revocare omnia prius fancita, & totum concordiæ tractatum refcindere voluit: feciffetque continuo, ni ab hoc eum confilio quædam revocaffent*: uti narrat Pachimeres *lib.* 6. *c.* 30.

Paleologus a Græcis Schifmaticis etiam poft mortem ut Novator habitus.

Porro Paleologum Imperatorem unionis negotium ufque ad obitum fincere ac pro viribus profecutum fuiffe, neque in Scifma aut opiniones Græcorum relapfum, adeo certum reputarunt Græci Schifmatici, & unionis impugnatores, ut eum jam demortuum, tamquam novatorem & impiorum Dogmatum propugnatorem, nulla fepultura, etiam annuente ejus filio & Regni hærede Andronico, cohoneftari paffi fint, ut plenius narrat Odoricus Raynaldus, ad annum 1283. *num.* 73. & 74.

Hinc plures etiam e Latinis Catholicis crederunt, Martinum IV. nimio in Carolum Siciliæ Regem affectu fuiffe abreptum; facilius quam oportebat, in Paleologum cenfuras Ecclefiafticas evibraffe, & tamquam Schifmatis fautorem condemnaffe.

Andronicus Imperator ad partes Schifmaticorum dilapfus.

Andronicus autem filius Paleologi, mox ut Imperium obtinuit, contra factam prius cum patre fuo Unionis profeffionem, fe palam pro Schifmaticis contra unionem declaravit. Pfeudo-Synodum anno 1284. Prælatorum Schifmaticorum Conftantinopolim convocavit, in qua, pulfo e Patriarchatu Joanne Becco, Synodus Lugdunenfis fub Gregorio X. reprobata eft & refciffa; item damnati & in carcerem conjecti unionis præcipui defenfores, atque ita unione prorfus diffoluta, rurfus in antiquum Schifma relapfi funt Græci; manfitque Schifma ufque ad Concilium Florentinum, in quo anno 1439. rurfus unio conclufa fuit, & modico tempore duravit.

(a) Referunt Jordanes & Ptolomæus Lucenfis, quod Michael Paleologus, conciliante Joanne Procida, fœdus cum Rege Aragonum contra Carolum Siciliæ Regem pepigiffet; quamobrem Carolus Pontificem impulit, ut Paleologum excommunicatum denuntiaret.

O B S E R V A T I O N E S

In *Canones* feu Decreta fub nomine Gregorii X. in Concilio Lugdunenfi, in *Sexto Decretalium* relata.

Difciplinam fpectant hi Canones.

HOc Concilium ad reformationem morum, reftaurationemque difciplinæ indictum fuiffe conftat ex litteris Indictionis; uti fupra in Differtatione proœmiali §. 1. notavimus.

Hanc in rem 31. Decreta leguntur in *Sexto* Decretalium fub nomine *Gregorii X. in Concilio Lugdunenfi*.

Non omnes in Concilio editi.

Non tamen omnia hæc Decreta edita aut promulgata effe in Concilio, ipfe Gregorius fignificavit in præfatione Decreti, quo hæc Decreta promulgat; atque in Judiciis ac Scholis ab omnibus obfervari mandat, ac infuper Corpori Juris inferi voluit, prout extat in *tom.* 11. *Concil. general. col.* 974. his verbis: *Gregorius Epifcopus fervus fervorum Dei, univerfis Chrifti fidelibus præfentes litteras infpecturis falutem*, &c. *Infcriptas Conftitutiones nuper in generali Concilio Lugdunenfi; & poft fuper certis articulis duximus promulgandas, quibus univerfos uti volumus, & mandamus in Judiciis & in Scholis, ipfafque fub titulis inferi, prout exprimitur fuper eis.*

CA-

CANON PRIMUS.

Quod Spiritus Sanctus procedat ex Patre & Filio. Cap. *Fideli* 1. de summa Trinitate in VI.

OBSERVATIO.

UNica in hoc Concilio edita fuit Constitutio *Fidem* spectans: in eaque unice agitur de *processione Spiritus Sancti*, occasione Græcorum, qui in hoc puncto præcipue a Latinis dissidere videbantur; declaraturque, quod Romana Ecclesia firmiter teneat, prædicet, profiteatur, & doceat, *quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre &* Filio, *non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit*. Addit, quod *hoc habet Orthodoxorum Patrum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis vera sententia*. Has veritates negantes, aut contrarium sentientes damnat & reprobat. Extat hæc Constitutio in Cap. 1. *de summa Trinitate in 6.*

CANON II.

De Electione Romani Pontificis. Cap. *Ubi periculum* 3. de Electione in VI.

OBSERVATIO.

SEcunda Constitutio concernit electionem summi Pontificis, extatque in *Cap. 3. de Elect. in VI.*

Hujus Constitutionis meminit Guillelmus de Nangis, de *Gestis Philippi* Regis Franciæ ad annum 1273. ubi de hoc Concilio loquens ait: „ in quo Concilio multa utilia statuta fuerunt: scilicet *de Electione summi Pontificis*, & statu Ecclesiæ universali “.

Hanc Decretalem non fuisse promulgatam ante Sessionem quintam constat ex actis Concilii, prout referuntur ab Auctore Tractatus, qui inscribitur: *Brevis nota eorum, quæ in secundo Concilio Lugdunensi generali acta sunt*. Refertur *tomo 11. Concil. general. col.* 960. *Edit, Labb.* ubi scribit Auctor; post celebratam Sessionem, *quartum*, Dominum Papam ostendisse Cardinalibus Constitutionem, quam fecerat super *Electione Romani Pontificis*.

Dissensio Papæ & Cardinalium circa hanc Constitutionem.

Narratur & ibidem, occasione hujus Constitutionis ortam esse dissensionem inter Pontificem & Cardinales primum in *privato*, quæ postmodum venit *in publico*. Et sane, si fides, ut hisce Actis, non modica fuit super evulgatione hujus Constitutionis Cardinalium resistentia, & inter Prælatos dissensio.

Narratur enim, quod „ Papa vocaverit Prælatos „ sine Cardinalibus, &, exposita intentione sua, prius „ injunxit eis in virtute sanctæ obedientiæ sub excom„ municationi pœna, quod nemini revelarent illa, „ quæ audirent, & viderent, & facerent tunc ibi „ cum eo; tum fecit eos consentire & assentire illi „ Constitutioni, & mandavit, quod singuli sua sigilla „ apponerent Constitutioni prædictæ, quod & fecerunt; „ nam factæ sunt schedulæ per Regna & Provincias, „ quibus omnes Prælati sua sigilla apposuerunt.

Cardinales quoque „ omni die conveniebant sine Pa„ pa, & similiter allocuti sunt alios Prælatos super „ Consistorio, & rogaverunt, quod si Dominus Papa „ eorum assensus requireret super ipsa Constitutione, „ quod non darent diffinitivum consilium vel consen„ sum, donec rationes ipsorum audirent, & similiter „ multi ex Cardinalibus per Nationes vocarunt Præ„ latos in domibus suis, petentes ab eis consilium, si „ necesse esset, modo prædicto “.

Hactenus citata acta Concilii, in quibus additur, quod propter hanc dissensionem *dilata sit Sessio ad diem Lunæ decimam sextam ejusdem mensis*.

Hæc Constitutio videtur in Concilio non formata, sed prælecta.

Ex hisce Actis insuper intelligitur, hanc Constitutionem non fuisse in Concilio factam, nec primitus auctoritate *Concilii*, ut formaretur, fuisse alicui injunctum; sed eam per Pontificem conceptam & formatam Prælatis & Patribus fuisse duntaxat propositam; eisque a Pontifice mandatum fuisse, ut eam probarent, & appositione sigillorum suorum munirent.

Et cum Concilium solummodo inchoatum fuerit sub initium Maji 1274. & festo S. Mariæ Magdalenæ 22. Julii dissolutum, verisimile est, & alias quasdam Constitutiones in Concilio non fuisse discussas & formatas; sed a *Pontifice* prævie factas, in Concilio simpliciter lectas, & probatas: præsertim cum sciatur majora negotia, signanter negotium unionis Græcorum cum Ecclesia Romana, Concilii Patres occupasse.

Insinuant idipsum acta Concilii jam allegata. Cum enim de Sessione *quinta* habita 16. Julii loquuntur, ubi notarunt, habitum fuisse sermonem per D. Matthæum Sanctæ Mariæ *in Porticu*, subjungunt: *Quo finito*, lectæ *sunt Constitutiones, scilicet ubi* periculum, &c. quæ sunt initialia verba hujus Constitutionis Argumentum non incertum, *lectas* simpliciter quasdam Constitutiones; præsertim cum hic dicantur *lectæ*, & nullibi reperiatur de iis in Concilio deliberatum.

His Canon obviat diuturniori vacationi Sedis Apostolicæ.

Spectat autem hæc Constitutio electionem Romani Pontificis per Cardinales faciendam, ac præcipue collimat ad occurrendum diuturnæ vacationi ejusdem Sedis, quæ frequenter cum magnis incommodis, ex Cardinalium dissensione contingebat, & signanter contigerat post mortem Clementis IX. immediati Prædecessoris hujus Pontificis Gregorii X. quando dissidentibus Cardinalibus, Sedes Apostolica vacaverat per duos annos & novem menses.

Cardinales conveniant elapsis decem diebus ab obitu Pontificis.

Primo §. ergo statuitur, ut defuncto Pontifice, *Cardinales, qui fuerint* præsentes *in Civitate*, in qua cum sua Curia Pontifex residebat, *absentes exspectare* decem diebus, *tantummodo teneantur, quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, ex tunc omnes* præsentes *conveniant in Palatio, in quo idem Pontifex habitabat, contenti singuli* singulis *tantummodo servientibus Clericis vel Laicis, prout duxerint eligendum:* vel ad summum *duobus*, si *patens* necessitas id *suggerit indulgeri*.

Conclavo.

Deinde ibidem decernitur, ut *in eodem Palatio unum* Conclave, *nullo intermedio pariete seu alio velamine, omnes inhabitent in communi, quod (reservato libero ad secretam Cameram aditu) ita claudatur undique, ut nullus illud intrare valeat, vel exire; nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas* secrete *loquendi cum eis, nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de voluntate* omnium, *pro iis tantum, quæ ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui, nuntium mittere, vel scripturam;* idque vetatur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ.

Præterea statuitur, ut *in Conclavi prædicto aliqua fenestra competens dimittatur, per quam eisdem Cardinalibus ad victum commode necessaria ministrentur, sed per eam nulli ad ipsos patere possit ingressus*.

Electio fiat intra tres dies.

Electionem *intra tres dies* absolvi desiderat: quod si intra *tres* illos dies non absolverint, vult ut *per spatium* quinque *dierum immediate sequentium, singulis diebus tam in prandio quam in cœna* uno solo *ferculo sint contenti*; quod si nec intra hoc spatium electio sit facta, & *ipsi Ecclesiæ de Pastore provisum, ex tunc tantummodo panis, vinum, & aqua ministrentur eisdem, donec eadem provisio subsequatur*.

Nil interea ex redditibus Cameræ Apostolicæ recipiant Cardinales.

Ad hæc, ad accelerandam electionem statuitur, quod *pendente* electionis *negotio, Cardinales nihil de Camera Papæ*, aut aliis Ecclesiæ Romanæ *tempore vacationis obvenientibus recipiant*.

Unice incumbant electioni.

Ut uni electionis negotio intendant, decernitur, ut nudi alteri *negotio se intromittant, nisi tam grave & tam evidens periculum immineret, quod* omnibus & singulis Cardinalibus præsentibus concorditer *videretur illi celeriter occurrendum*.

Nullus extra Conclave habeat suffragium.

Plura dein statuuntur de Cardinalibus, qui vel *Conclave* non intrarunt, vel illud, pendente negotio electionis, egressi sunt, vel regredi petierunt. Inter quæ illud generaliter decernitur, quod nulli extra *Conclave*, etiam infirmitatis causa, existenti suffragium in electione competat: possintque Cardinales in Conclavi præsentes sine illis ad electionem procedere.

Quid si Papa moritur extra urbem Curiæ suæ.

§. Secundo declaratur, in quo loco debeat haberi *Conclave*, quando contigit Pontificem mori extra civitatem, in qua erat cum sua Curia residens.

Officiales executores hujus Constitutionis.

§. Tertio constituuntur executores præsentis Constitutionis; scilicet *Domini aliique Rectores, & Officiales Civitatis illius, in qua Romani Pontificis electio fuerit celebranda*, ut hi *auctoritate* Pontificis & *approbatione* hujus *Concilii, potestate sibi tradita, præmissa omnia & singula plene ac inviolabiliter sine fraude hoc dolo aliquo faciant observari*. Quin & adstringuntur, ut *super his taliter observandis, statim audito summo Pontificis obitu, coram Clero & populo universo Civitatis ipsius ad hoc* specialiter *convocandis corporaliter juramentum*.

Quod si circa *præmissa fraudem commiserint*, vel non diligenter observaverint, *cujuscumque sint* dignitatis, *omni cessante privilegio, eo ipso Sententiam excommunicationis incurrant, & perpetuo sint infames*, & ad omnia officia inhabiles. Insuper, *feudis & bonis cæteris, quæ ab eadem Romana, vel quibuslibet aliis Ecclesiis obtinent, ipso facto* sint privati, *ita quod ad Ecclesias ipsas plene ac libere revertantur*. Ipsa *civitas non solum* sit interdicta, sed & *Pontificali dignitate privata*.

Quantopere hic partium studia vitanda.

§. Quarto obtestatur Cardinales *per aspersionem sanguinis Jesu-Christi*, ut *omni* privato affectu, partiumque studiis depositis, *& cujuslibet pactionis, conventionis; obligationis* vinculo soluti „ *puris & liberis men„ tibus, nuda electionis conscientia* utilitatem publicam „ *libere prosequantur: omni conatu & sollicitudine, „ prout possibilitas patitur, id acturi tantummodo, ut „ eorum ministerio acceleretur utilis & pernecessaria „ totius mundi provisio, idoneo celeriter eidem Ecclesiæ „ sponso dato. Qui autem secus egerint* (ait) *Divinæ „ subjaceant ultioni, eorum culpa (nisi* gravi *propter „ hoc peracta pœnitentia) nullatenus abolenda* “.

Præterea pacta omnia etiam juramento firmata super hoc electionis negotio inita declarat *irrita: ita quod nullus ad illa observanda quomodolibet sit adstrictus;*

ctus;

ctus; nec quiſquam ex eorum tranſgreſſione notam vereatur fidei non ſervatæ, ſed non indignæ laudis titulum potius mereatur.

Preces & jejunia.

Denique §. quinto *preces* per univerſam Eccleſiam; quin & jejunia, prout circumſtantiæ penſandæ ſuaſerint, mox ab obitu pontificis per Prælatos indicantur, *ut ipſe, qui concordiam facit in ſublimibus ſuis, ſic efficiat eorumdem Cardinalium corda in eligendo concordia, quod proviſio celer, concors & utilis (prout animarum ſalus exigit, & totius orbis requirit utilitas) ex ipſorum unanimitate ſequatur.*

An hæc Conſtitutio primitus viguerit?

Cardinalibus non placuiſſe hanc Conſtitutionem ſupra ex actis Concilii notavimus, notatque hic Gloſſographus verbo *Concilio*, quod „ Conſtitutio hæc ſumat „ potius vigorem ex renovatione Cœleſtini V. & hac „ approbatione & renovatione Bonifacii (per relatio„ nem in *Sextum* Decretalium) quam ex primæva Con„ ſtitutione Gregorii, ex eo, quia revocata fuerat per „ Hadrianum V. & per Joannem XXI. & pro revo„ cata habebatur, nec olim inter Gregorianas legeba„ tur. Et certe cum Conſtitutio iſta tam utilis appro„ batione Concilii fuerit edita, non æquum fuit, „ quod abſque requiſitione Concilii revocata fuerit „.

Quidquid ſit de hac revocatione vel renovatione, hoc conſtat per hanc Conſtitutionem primitus inductum fuiſſe uſum *Conclavis* in electione Pontificis, atque eam pluribus ſubſequentium Pontificum Conſtitutionibus fuiſſe renovatam, plurimaque addita, quibus liberæ & celeri ac canonicæ electioni Romani Pontificis obtinendæ amplius conſuleretur.

In primis plura dubia occaſione Decretalis exorta determinantur in *Clementina* 2. *de Elect.*

Clementina 2. de Elect. vult eam eſſe inconcuſſam.

Primo quidem opinio illorum, qui aſſerebant, quod „ per cœtum Cardinalium, Sede Apoſtolica vacante, „ poſſet hæc Conſtitutio modificari, corrigi, vel im„ mutari, aut quidquam ei detrahi, vel diſpenſari quo„ modolibet circa ipſam, ſeu aliquam ejus partem, „ aut, eidem renuntiari, tamquam veritati non con„ ſona reprobatur.

Cogitque ad Conclave redire Cardinales, ſi omnes inde exierint.

Item ſi, Romano non electo Pontifice, Cardinales ſimul vel ſucceſſive exire contingeret Conclave deputatum eiſdem, dubitatum fuerat, num iidem adhuc eligere poſſent, determinatur hic, quod hi, ad quos executio Conſtitutionis Gregorianæ ſpectat; illos ex ipſis Cardinalibus, quibus infirmitas corporis, aut nota debilitas excuſationem non dabit, idem *Conclave*, quam cito potuerunt, reintrare compellant, pœnas in dicta Conſtitutione contentas, niſi hoc fecerint, incurſuri; Cardinales autem hujuſmodi *Conclave* reintrantes ad electionem procedant.

Nemo hinc excludendus prætextu Cenſuræ.

Declaratur inſuper, quod Cardinales ab electione repelli nequeant prætextu excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, ut vitentur diſſenſiones & Schiſmata, quæ occaſione ſimilium exceptionem inter Cardinales oriri poſſent.

Conſtitutio Pii IV. ſuper Conclavi, ejuſque arctiſſima clauſura:

Superveniet & Conſtitutio Pii IV. quæ incipit *In eligendis* 63. in Bullario Romano ſuper conſtructione *Conclavis*, ejuſque *clauſura*, *cuſtodia*, *conclaviſtis*, & aliis ad ſervitium Cardinalium intromittendis, de ingreſſu Cardinalium in Conclave, & vetito eorum, aliorumque Conclaviſtarum exitu. Hoc & inter cætera ſollicite cavetur §. 9. quod, *clauſo Conclavi*, nulli ad *colloquium* etiam extra portam Conclavis, etiam *Principum Oratores*, niſi ex magna & urgente cauſa, a majore parte Collegii approbanda, admittantur.

Et §. 20. decernitur, quod „ litteras, aut cujuſvis „ generis ſcripta ad eos, qui in Conclavi erunt, ſeu „ Nuntium vel notam aut ſignum mittete ſeu recipe„ re, aut contra e Conclavi ad eos, qui foris erunt, „ ullo modo liceat ": ſub pœna privationis dignitatis etiam Cardinalatus, & Excommunicationis latæ Sententiæ Pontifici reſervatæ.

§. 23. injungitur ſub gravi pœna Prælatis ad cuſtodiam Conclavis deputatis, ut „ maxima & exquiſita „ diligentia utantur in inſpiciendis & perſcrutandis epu„ lis, & aliis rebus, ac perſonis Conclave intranti„ bus, & de eo exeuntibus, ne ſub earum rerum ve„ lamine litteræ ac notæ vel ſigna aliqua tranſmit„ tantur.

Denique §. 24. ſtatuitur, quod ſi contingat Conclaviſtam, aut alium quemcumque ſervientem ex cauſa infirmitatis ex judicio medici Conclave egredi, *nullo modo* reverti poſſit, ne forte per hunc aliquid Cardinalibus intimetur.

Hinc patet, quanta ſollicitudine & cautela proviſum ſit, ut factiones, ſollicitationes, & ſecreta conſilia, aliaque ſimilia caveantur.

Conſtitutio Gregorii XV. de forma Electionis Papæ.

Supervenit dein Conſtitutio Gregorii XV. quæ incipit *æterni patris* 13. in *Bullario Romano* quæ præcipue verſatur circa formam in electione Pontificis ſervandam; & notanter exponitur, quomodo electio fiat per *acceſſum*, item qualiter ſchedulæ formari & ſignari, ac dein aperiri debeant, quidque a Scrutatoribus obſervandum. Illud autem præ cæteris notandum, quod §. 5. ſtatuatur, ut „ in unoquoque Scrutinio, ante„ quam ſchedula in calicem mittatur, a quolibet Car„ dinale juramentum alta & intelligibili voce fiat his „ verbis: *Teſtor Chriſtum Dominum, qui me judicatu„ rus eſt, me eligere quem ſecundum Deum judico eli„ gi debere, & quod idem in acceſſu præſtabo* „.

Ejuſdem Cæremoniale.

Edidit & hic Pontifex ſpeciale *Ceremoniale*, quo forma & ritus electionis Romani Pontificis pleniſſime exhibetur, extatque integrum in *tomo* 3. *Bullarii*, poſt Conſtitutionem 19. hujus Pontificis (*a*).

Conſtitutio Urbani VIII.

Prædictam Gregorii XV. Conſtitutionem & Cæremoniale ſpeciali Bulla rurſus confirmavit, renovavit, & obſervari ab omnibus mandavit Urbanus VIII. anno 1625. Conſtitutione, quæ incipit *Ad Romani* 47. in *Bullario Rom.*

CANON III.

Cautelæ ne Proviſiones Beneficiorum Eccleſiaſticorum per appellationes protelentur. Cap. *Ut circa* 4. de Electione in VI.

OBSERVATIO.

TERTIA Conſtitutio concernit Electiones & Proviſiones quorumcumque Beneficiorum, providetque, ut eorum vacatio prætextu appellationum non nimium protrahatur. Refertur in *Cap.* Ut circa 4. *de Elect. in VI*, ſub nomine Gregorii X. *in generali Concilio Lugdunenſi*, eamque promulgatam fuiſſe in *Seſſione* 3. habita 7. Julii 1274. probant acta Concilii.

Hic igitur ſtatuitur, ut ſi quis ab Electione, ſeu alia quavis Beneficii Proviſione appellare velit, teneatur appellans in *Inſtrumento publico*, *ſeu Litteris ſuper appellatione confectis*, *omnia & ſingula* exprimere, *quæ in formam* electionis vel proviſionis, vel contra perſonam, cui proviſio facta vel facienda eſt, objicere intendit.

Inſuper jubetur Appellans, *coram perſonis authenticis*, *aut perſona* (ſcilicet authentica, id eſt, quæ *juriſdictioni præeſt*, uti hic exponit Gloſſa) *Corporali* (id eſt, tactis manu ſacris Evangeliis) *præſtito juramento*, affirmare, quod credat quæ ſic exprimit, *eſſe vera & ſe poſſe probare*,

Præter hæc expreſſa, nec Appellans, nec appellationi interpoſitæ poſtea adhærentes, quidquam proviſioni vel perſonæ proviſæ opponere poſſunt, *niſi aliquid poſtea forſan emerſerit*; id eſt, aliquid de novo a perſona electa commiſſum ſit, *vel ſuper antiquis ſupervenerit probandi facultas*, *aut aliquæ in opponentium notitiam de* novo *pervenerint*: *quæ Appellantes appellationis tempore emiſſæ*, *veriſimiliter ignorare potuerint*, *& etiam ignorarint*.

Debent autem & hic rurſus *hujuſmodi ignorantia*, *& ſuperveniente facultate probandi fidem*, *per proprium præſtandum* corporaliter facere *juramentum*; *hoc* adjiciendo *in juramento eodem*, *quod ad ea probanda credunt ſe ſufficientes probationes habere*.

Hujus Canonis explanatoria Decretalis Bonifacii VIII. prima.

Ad explanationem hujus Decretalis, plures ſupervenerunt poſteriorum Pontificum Declarationes, atque in primis Bonifacii VIII. in *Cap.* 19. *de Elect. in VI.* qua declarat non ſatisfieri Decreto Concilii Lugdunenſis, ſi Appellans juraverit, *quod illa*, *quæ in ſua appellatione expreſſerat*, vel ea, *quæ de ipſis deberent* ſufficere (id eſt, *aliqua* ex ipſis, quæ ſufficiant ad repellendum electum) *vera eſſe credebat*, *& ſe poſſe probare*: ſed id jurandum eſſe ſimpliciter de omnibus objectis.

Secunda.

Rurſus in *Cap*, 20. *eod. in VI.* declarat idem Bonifacius, Conſtitutionem Concilii Lugdunenſis ſervandam eſſe ab illo, qui *contra certam & nominatam perſonam*, *ne ab aliis eligatur*, *ad Sedem Apoſtolicam*, antequam *fiat electio*, *duxerit appellandum*, *ac ſi*, *electione jam* facta, *eum contingeret appellare*.

Tertia.

In *Cap.* 38. *eod. in VI.* declarat idem Pontifex, quod Procurator ad appellandum contra Electionem, aliamve Proviſionem idoneus non cenſeatur, *quam ſi omnia*, *quæ in formam objicere*, *vel perſonam*, *& propter quæ appellare intendit*, Singulariter & clare *in ejus procuratorio ſint expreſſa*; *habeatque* ſpeciale *mandatum jurandi corporaliter in animam eorum*, quorum Procurator *exiſtit*, *quod ipſi credant expreſſa hujuſmodi vera eſſe*, *& ſe probare poſſe*.

Quarta.

Denique in *Cap.* 41. *eod. in VI.* per eumdem Bonifacium deciditur, Decretum Concilii Lugdunenſi locum ſibi non vendicare, *niſi ſolum cum in eis* extra *judicium appellatur*: *quando vero in* judiciis *in hujuſmodi negotiis appellari contingit*, *anteriora jura obſervari oporteat*.

Rationem addit: *cum per eam* (Conſtitutionem Concilii Lugdunenſi) *immutata non fuerint*.

Ejuſdem Canonis expoſitio Clementina.

Ad hujus Conſtitutionis expoſitionem pertinet quoque *Clementina* 4. *de Elect.* atque inter alia ibi deciditur, Conſtitutionem Concilii Lugdunenſis circa exprimenda in inſtrumento Appellationis *locum non habere*, *quando*, *quæ opponuntur*, directe *reſpiciunt jus Eccleſiæ*, v. g. „ ſi Eccleſia, vel Prælatus ipſius nomine ſe „ opponit, puta dicendo, hoc eſſe de *Jure Eccleſiæ* „ illius, quod vocem habeat in electione, vel quod de „ illius gremio debeat eligi, vel quod ad eam ſpectet „ proviſio "; uti hic exemplificat Gloſſographus.

Addi-

(a) De modo eligendi Summum Pontificem ſæculo XII. relegere non pigeat, quæ D. Van-Eſpen *obſerv. in Canonem I. Concil. Lateran. III.* notavit. Vide ſupra.

Additur in textu, *vel opponentis perſonæ* „ ut quia „ dicit (juxta Gloſſam) Beneficium ad ſe ſpectare, vel „ ſibi debitum, vel quod jus in ſe habeat providere, „ forte jure ad ipſum ſolum devoluto, vel quod fuit „ contemptus " &c.

His igitur caſibus Conſtitutionem Concilii Lugdunenſis non eſſe obſervandam deciditur, *ſed tantum ubi per competitorem vel oppoſitorem quemlibet in formam aut perſonas defectus vel crimina opponuntur*,

Denique in hac Clementina declaratur, quod ſi Appellans vel opponens, *circa crimina vel defectus, debitam circumſtantiarum ſpecificationem omittit, non eſt poſtmodum in proſecutione negotii ſuper his audiendus, etiamſi circumſtantias hujuſmodi, vel probationes earum per juramentum afferat ad ſe perveniſſe de novo.*

...die præ-
...ns Canon
...x habet
...cum.

Cum autem hodie ſolis Officiariis publicis ſit auctoritas proſequendi, quæ publice muniri aut caſſare debent, vix huic Decretali hodie locus eſt; quandoquidem apponentem pro privato ſuo intereſſe hæc Decretalis non concernat, uti citata Clementina declarat; neque Officiarium publicum, publicam cauſam proſequentem.

Inſuper quandoquidem hodie quæſtiones ſuper jus ad Beneficia plerumque tractentur in poſſeſſorio coram Conſiliis Regiis, vix hujus Decretalis uſus hodie habetur.

C A N O N IV.

Quod Electo ante confirmationem nullatenus etiam prætextu Procurationis committi poſſit adminiſtratio dignitatis. Cap. *Avaritiæ* 5. de Electione in VI.

OBSERVATIO.

CONSTITUTIO quarta materiam Electionis pariter attingens, & relata in *Cap. 5. de Elect. in 6.* promulgata fuit cum præcedenti in Concilio Lugdunenſi Seſſione tertia, atque in actis notatur per initialia verba *Avaritiæ cæcitas*.

Cum jure conſtitutum eſſet; ac ſignanter *Cap. 44. ✠ de Elect.* ſeu *Can.* 26. Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. (cujus *Obſervationem* conſule) Prælatum electum non poſſe ſe adminiſtrationi ante obtentam a Superiore confirmationem immiſcere; nonnulli avaritia vel ambitione excæcati adminiſtrationem præmature ambiebant, ipſam ſibi tanquam procuratoribus ſeu œconomis committi procurantes.

His fraudibus præſens Decretalis occurrens, ſancit, *ut nullus de cætero adminiſtrationem dignitatis, ad quam electus eſt priuſquam celebrata de ipſo electio confirmetur, OEconomatus, vel procurationis ſub nomine, aut alio de novo quæſito colore, in ſpiritualibus vel temporalibus per ſe vel per alium, pro parte vel in totum, tenere vel recipere, aut illis ſe immiſcere præſumat.*

Notat hic Gloſſographus, quod licet Capitulum, *Sede vacante*, habeat plenam Eccleſiæ adminiſtrationem, poſſitque eam alteri committere *non tamen poſſit committi adminiſtratio Electo, ut adminiſtret tanquam procurator vel œconomus.*

Ulterius præſens Conſtitutio *omnes illos; qui ſecus fecerint* (id eſt adminiſtrationi quovis quæſito colore ante confirmationem ſe immiſcuerint) *Jure, ſi quod eis per electionem quæſitum fuerit*, decernit eo ipſo *eſſe privatos*. Vide latius de vetita hac adminiſtratione, & effectu confirmationis notata in *Jure Eccleſ. Tom. I. parte* 1. *tit.* 14. *cap.* 5. & 6.

C A N O N V.

De tempore quo electio Electo intimari, ab eoque conſenſus præſtari, & confirmatio poſtulari debet. Cap. *Quam ſit* 6. de Electione in VI.

OBSERVATIO.

QUINTA Conſtitutio relata in *Cap. 6. eod. in* VI. & publicata ſimiliter fuit *Seſſione* 3. & in actis conſignata ſub his verbis, *Quam ſit Eccleſiis*, remedia ſuggerit, contra diuturnas Eccleſiarum præſertim Cathedralium vacationes, eumque in finem vult, *ut ſi quando fuerit electio in aliqua Eccleſia celebrata, Electores electionem ipſam, quam citius commode poterunt, electo præſentare, ac petere conſenſum ipſius procurent.*

...tra octi-
...uum fiat
...timatio.

Tempus hic indeterminatum, determinatur in *Cap.* 16. *eod. in* 6. ad *octo dies, intra* quos *ſi* (*poſtquam commode poterunt*) *electis præſentare diſtulerint, ipſos qui culpabiles in hoc extiterint, quoad ſe a proceſſus proſecutione totaliter excludentes, omnibus Beneficiis ſuis, quæ in ipſa Eccleſia* (*de cujus electione agitur*) *obtinent, per triennium continuum ex tunc inchoandum, volumus, inquit, eo ipſo fore ſuſpenſos; ad quæ ſi intra illud tempus ſe propria temeritate, vel alio quæſito colore ingeſſerint, illis ipſo jure perpetuo ſint privati.*

Conſenſus
...tra men-
...m.

Electus autem ſecundum præſentem Canonem, poſtquam ſibi electio notificata fuit, & præſentata, *intra menſem a tempore præſentationis*, conſenſum ſuum adhibere tenetur, *quem ſi ultra præſtare diſtulerit, jure, ſi quod ei ex ſua electione fuerat acquiſitum, ex tunc ſe noverit eo ipſo privatum.*

Excipitur tamen caſus, quo electus *electioni de ſe factæ* ſine conſenſu *Superioris conſentire non poteſt*, quando tempus pro præſentia vel abſentia Superioris moderandum dicitur.

Notat hic Gloſſographus, quod *celebrata electione non poſſint Electores pro libitu ſuæ voluntatis celare electionem; ſed illam debent publicare ſolemniter Clero & populo, &, publicata electione, eam vel præſentare electo, ut conſentiat vel diſſentiat.*

Verum cum per electionem etiam ab *Electo* acceptatam nondum proviſum ſit Eccleſiæ vacanti, ſtatuitur in præſenti Decretali, ut *Electus intra tres menſes poſt conſenſum præſtitum electioni confirmationem electionis petere non omittat*, ſub pœna ut, *ſi juſto impedimento ceſſante, intra hujuſmodi trimeſtre tempus omiſerit, electio eadem eo ipſo viribus vacuetur.* Confirmationis poſtulatio intra tres menſes.

Recte hic monet Gloſſographus ſufficere juxta hanc Decretalem, quod intra *trimeſtre ſpatium* confirmatio *petatur*, licet non obtineatur.

Inſuper cum hodie Eccleſiarum præſertim Cathedralium confirmatio immediate debeat peti a Papa, obſervanda ſunt, quæ de tempore & modo petendæ confirmationis a Sede Apoſtolica præſcribit *Cap.* 16. *de Elect. in* 6. Videri etiam poſſunt, quæ juxta hodiernos mores circa confirmationem petendam ſerventur, notata in *Jure Eccleſ. Tom. I. part.* 1. *tit.* 14. *c.* 3. & 4.

C A N O N VI.

Quandonam eligens ſcienter indignum, eligendi poteſtate privetur? Cap. *Perpetuo* 7. de Elect. in VI.

OBSERVATIO.

SEXTA Conſtitutio, quæ incipit *Perpetuo ſanctionis oraculo*, prælecta fuit ſimiliter *Seſſ.* 3. extat in *Cap.* 7. *de Elect. in* 6. Edita eſt ad declarationem Decretalis Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. in *Cap.* 7. ✠ *de Elect.* Cum enim in hac Decretali declarentur *eligendi poteſtate privati*, *qui* contra formam ibidem præſcriptam elegerint *indignum*; declaratur in præſenti Decreto, *quod* ſcienter *in electionibus nominantes* indignum, *propter ſuffragium in Scrutinio præſtitum* (*etſi adeo in eo perſtiterint, quod ex votis eorum communis electio ſubſequatur*) *nequaquam eligendi poteſtate priventur*.

Itaque juxta præſentem Decretalem, ut quis ſit privatus jure eligendi, non ſufficit quod inter ſcrutandum nominaverit ſcienter indignum, ſed requiritur quod in ſua nominatione ſeu ſuffragio in *indignum* collato perſtiterit uſque ad complectam electionem, ac inſuper, quod alii ejus ſuffragium ſecuti etiam *indignum* nominaverint: atque ex ejus & aliorum votis communis electio *indigni* fuerit ſubſecuta.

Notat in Gloſſa, quod ex nominatione in Scrutinio, nullum jus acquiratur electo, poſſintque eligentes alium eligere, niſi poſt publicatum Scrutinium.

Notat inſuper, quod ſi omnes *ſcienter* elegerint *indignum*, tunc poteſtas eligendi devolvatur ad Superiorem: ſi autem omnes peccaverint, uno excepto, tunc in illo remaneat *jus Collegii*, & ipſe ſolus poſſit eligere.

Declarat tamen præſens Conſtitutio, quod licet ſic *ſcienter* nominans indignum non privetur poteſtate eligendi, tamen *divinam vindictam & Apoſtolicæ ultionis motum, quem qualitas facti ſuaſerit, poſſit non immerito formidare.*

C A N O N VII.

Electus ab iis, qui elegerunt aut electioni conſeſerunt, non impugnetur. Cap. *Nulli licere* 8. de Electione in VI.

OBSERVATIO.

SEPTIMA Conſtitutio, quæ incipit, *Nulli licere* lecta *Seſſione* 3. refertur in *Cap.* 8. *de Elect. in* 6. ſpectatque rurſus ad materiam electionis, declaratque: *Nulli licere, poſtquam in Scrutinio nominaverit aliquem, & electio fuerit ſubſecuta, vel poſtquam præſtiterit electioni ab aliis de ipſo celebratæ conſenſum, illum ſuper electione ipſa impugnare.*

Recte hic obſervat Gloſſa, occaſione ſecundi membri, ſcilicet de præſtito *electioni celebratæ conſenſu*, *vocationem abſentium non eſſe de* ſubſtantia *electionis*, *quo minus valeat electio, ſed ſi abſentes non* vocati *velint proſequi oppoſitionem, faciant electionem declarari nullam, tamen ſi velint, poſſint ratificare electionem* prout in præſenti, & *Cap.* 28. ✠ *de Elect.* Vocatio abſentium non eſt de ſubſtantia electionis.

Per electionem autem jus acquiritur electo, quod electo nequeant auferre Electores, neque proprium factum impugnare, prætextu etiam indignitatis aut incapacitatis ipſius electi; uti hac Decretali decernitur, *niſi ex cauſis* poſtea *emergentibus*, *vel niſi ei morum ipſius antea* celata *de novo pandatur improbitas; ſeu alicujus alterius* latentis *vitii vel defectus, quæ veriſimiliter ignorare potuerit, veritas reveletur.* Quando Electores electionem revocare poſſint.

De hac autem ignorantia, ſi aliud probari nequeat, *fidem faciet proprio juramento*.

Hinc eliciunt Doctores, quod ignorantia ejus rei; quæ dependet a conſcientia alicujus, probetur per juramentum.

Licet autem eligentes non poſſint prætextu indignitatis aut incapacitatis electi impugnare electionem a ſe factam: *non tamen per hoc ſunt ligatæ manus Superioris, quin, ſi velit, poſſit inquirere de defectibus, & eum repellere, ſi ſit indignus*: ut monet Gloſſographus.

CANON VIII.

Contra Electum a parte duplo majore nil opponatur, quod ſuffragium alicujus extenuet. Cap. *Si quando* 9. de Elect. in VI.

OBSERVATIO.

OCTAVA Conſtitutio, quæ incipit, *Si quando*, lecta quoque *Seſſione* 3. extat in *Cap.* 9. *de Elect.* in 6. pertinetque ad elucidationem *Cap.* 42. *de Elect.* deſumpti ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. in quo ſtatutum erat, ut is habeatur pro electo, *in quem major & ſanior pars Capituli conſenſerit*. Ex quo Canoniſtæ deducunt, vigore hujus Decreti, in electione non ſufficere majorem partem eligentium, ſed inſuper requiri *ſaniorem*.

In præſenti igitur Conſtitutione decernitur: *ſi quando contigerit duabus electionibus celebratis, partem alteram Eligentium* duplo majorem *numero inveniri: contra Electores, qui partem reliquam ſic excedunt*, aliquid *ad extenuationem zeli, meriti vel auctoritatis ipſorum* (quo prætenderetur partem non eſſe ſaniorem) *reliquis, vel electo ab eis aliquid opponendi* omnis *præſenti Decreto* interdicitur facultas.

Licet opponere, quod votum annullet.

Additur autem quod ipſis *interdictum* non intelligitur aliquod opponere, *quod votum illius, cui opponitur*, nullum *redderet ipſo jure*.

Hodie vota numerantur, non ponderantur.

Quod hac Decretali ſtatuitur in electionibus, ubi una pars eligentium altera *duplo major eſt*, ut nimirum electio a majori parte facta alteri prævaleat ſine reſpectu ad merita aut zelum eligentium, id hodie obtinet in omni electione facta a *majori* parte; tametſi etiam uno duntaxat ſuffragio aliam excederet, reputanturque hodie omnia ſuffragia æqualis ponderis & momenti, quamdiu non poſſunt omnino *nulla* probari: receptumque eſt illud dictum commune: *Vota numerantur non ponderantur*, uti notavi in *Jure Eccleſ. Tom. III. part.* 2. *ſect.* 3. *tit.* 4. *cap.* 3. alias *tit.* 21.

CANON IX.

De refrænanda frequentia appellationum ab Electionibus Epiſcoporum. Cap. *Quamvis* 10. de Electione in VI.

OBSERVATIO.

CONSTITUTIO nona, quæ incipit, *Quamvis Conſtitutio*, lecta *Seſſione* 3. & relata in *cap.* 10. *de Elect. in* 6. concernit electiones Epiſcoporum.

In primis aſſerit in præfatione, quod Conſtitutio Alexandri IV. qui ſedit ſub medium ſæculi XIII. (*a*) *ſuper electionibus Epiſcoporum non immerito majoribus cauſis annumerans, cogitationes ipſarum per appellationes quaslibet devolvi aſſerat ad Apoſtolicæ Sedis examen*.

Hujus Alexandrinæ Conſtitutionis meminerunt antiquiores Canoniſtæ; at eam hodie non reperiri monet Gloſſa, verbo *Conſtitutio*.

Protrahebatur ſæpe vacatio Eccleſiarum.

Cum autem hac Alexandrina Conſtitutione cauſæ ſuper electionibus Epiſcoporum per appellationes quaslibet devolverentur ad Sedis Apoſtolicæ examen, contigebat frequenter, per *temerarias* & frivolas appellationes, cauſas haſce ad Sedem Apoſtolicam pertrahi, eoque pacto protrahi vacationem Eccleſiarum.

Appellatio ab Electione Epiſcopi fiat in ſcriptis.

Effrænatam ergo *appellationum frequentiam refrænare* volens Gregorius X. *hac generali Conſtitutione* ſtatuit, ut dum in his cauſis *electionum* Epiſcoporum ſive *in judicio ſive extra Judicium appellatur*, debeat in primis appellari *in ſcriptis*, cum in aliis cauſis a Sententia definitiva poſſit *viva voce* incontinenti apud Judicem appellari.

Expreſſa cauſa probabili.

Secundo requiritur in hac electione, ut appelletur *ex cauſa probabili*, ſive ut appellans exprimat cauſam probabilem, *quæ probata deberet legitima reputari*.

Alias ad Sedem Apoſtolicam devolvitur.

Hæc ſi obſervata non ſint, cauſa electionis *ad Sedem* Apoſtolicam per appellationem devolvetur.

Quandonam ab hujuſmodi appellatione poſſit recedi.

Additur inſuper, quod Appellantes poſſint *ab appellationibus* interpoſitis *recedere, antequam præfatæ Sedi fuerint præſentatæ*, modo tamen nulla intervenerit pravitas: de quo cognoſcet Judex *a quo*, qui ſi pravitatem interceſſiſſe cognoverit, *ſe de cauſis ipſis nullatenus intromittat: ſed* præfigat *dictis partibus terminum peremptorium competentem, in quo cum omnibus actis & munimentis ſuis Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent*.

Ubinam hujuſmodi cauſæ devolutæ judicandæ?

Moribus hodiernis; notanter Belgii, cauſæ hujuſmodi ſi quando ad Sedem Apoſtolicam per appellationem devolvuntur, debent terminari hic *in partibus* per Judices Synodales auctoritate Sedis Apoſtolicæ delegandos.

CANON X.

Quo ordine objecta promovendo ad dignitatem debeant in judicio diſcuti? Cap. *Si forte* 11. de Electione in VI.

OBSERVATIO.

Prius diſcutiatur, quod facilioris apparet probationis.

DECIMA Conſtitutio incipit *Si forte*, recitata *Seſſione* 5. & relata in *Cap.* 11. *de Elect. in* 6. decidit, quod *ſi Electio* ad dignitatem plura puncta opponantur, is ordo debeat ſervari in probando, ut diſcuſſio incipiat ab eo puncto, quod facilioris apparet probationis, puta ſi inter alia objiciatur Electo, *evidens ſcientiæ*, vel *alius perſonæ defectus*, ſuper hoc *defectu* ante omnia inſtitui vult examen.

Quid ſi oppoſitio aliqua comperietur veritate deſtitui?

Si, examine facto, compertum fuerit, oppoſitiones has *veritate deſtitui*, opponentes *omnino a perſecutione cauſæ, in qua talia objecerunt*, excludi, *& perinde puniri decernuntur, ac ſi penitus in probatione omnium, quæ objecerant, defeciſſent*.

Nequaquam obſcurum eſt, hæc de opponentibus intelligi, qui reperiuntur defectum ſimilem ſine probabili fundamento objeciſſe Electo. Si enim tales fuerint veriſimilitudines de defectu objecto, ut vir prudens & indifferens, eum revera ſubeſſe credidiſſet, non apparet hac pœna puniendus, neque a probatione aliorum defectuum excludendus, cum nihil revera in hac oppoſitione deliquiſſe videatur.

De officio Superioris circa Electum.

Præterea tametſi opponens a proſecutione cauſæ, & probatione aliorum objectorum, in caſu hujus Decretalis excludatur, non tamen excluſus cenſetur ſuperior, ut ex officio ſuper aliis defectibus objectis inquirat, & ſi veros reperiat, Electum non admittat.

CANON XI.

Excommunicantur perſecutores nolentium a ſe commendatos eligere. Cap. *Sciant cuncti* 12. de Electione in VI.

OBSERVATIO.

CONSTITUTIO undecima, quæ incipit *Sciant cuncti*, lecta eſt *Seſſione* 5. extatque in *Cap.* 12. *de Elect. in* 6. directa contra eos, *qui Clericos*, aliaſve *perſonas Eccleſiaſticas*, ſeu eorum conſanguineos, vel Eccleſias aut Monaſteria gravare præſumpſerint, *pro eo quod rogati, ſeu alias inducti, eum, pro quo rogabantur ſive inducebantur, eligere noluerint*, denuntians ſimiles *ipſo facto excommunicationis ſententia innodatos*.

Clerici diſtincti ab Eccleſiaſticis.

Clericos & perſonas *Eccleſiaſticas* hic diſtingui advertit Gloſſographus, exemplificatque in converſis, Templariis, & Hoſpitalariis, *qui licet*, inquit, *non ſint Clerici, ſunt tamen perſonæ Eccleſiaſticæ*.

CANON XII.

Contra eos, qui bona vacantium Eccleſiarum per novitatem vel per abuſum uſurpent. Cap. *Generali* 13. de Electione in VI.

OBSERVATIO.

Contra eos qui talia faciunt, aut facientibus cooperantur.

DUODECIMA Conſtitutio lecta eſt *Seſſione* 5. & relata in *Cap.* 13. *de Elect. in* 6. ſub his verbis: *Generali Conſtitutione ſancimus univerſos & ſingulos, qui Regalia, cuſtodiam, ſive guardiam, advocationis ſeu defenſionis titulum in Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu quibuslibet aliis piis locis, de novo* uſurpantes, *bona Eccleſiarum &* piorum *locorum vacantium occupare præſumunt;* ipſoſque *Clericos*, & alias *perſonas locorum eorumdem, qui hoc fieri procurant, eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſubjacere*.

Qui iis non obſiſtunt, cum deberent.

Quin & *illos, qui ſe, ut deberent, talia facientibus* non opponunt, *de proventibus Eccleſiarum, ſeu locorum ipſorum pro tempore quo præmiſſa ſine debita contradictione permiſerint, aliquid percipere diſtrictius* inhibet *Conſtitutio*.

Ex toto contextu hujus Decretalis ſufficienter intelligitur, hanc Conſtitutionem duntaxat dirigi adverſus illos, qui *de novo* jura illa uſurpare præſumerent, quod & innuit finalis Conſtitutionis articulus, quo monentur hi, *qui ab Eccleſiarum, cæterorumque locorum fundatione vel ex antiqua conſuetudine jura ſibi hujuſmodi vendicant, ab illorum abuſu ſit prudenter* abſtinere.

Antiqua Regalia, & cuſtodias Eccleſiarum tolerat Canon.

Unde novæ *extenſioni* illorum Jurium opponi videtur, uti latius expoſui in *Jure Eccl. Tom. III. part.* 2. *ſect.* 3. *tit*, 8. alias 35. *cap.* 8. ubi & videri poſſunt quæ occaſione extenſionis Regaliæ, labente ſæculo decimo ſeptimo, in Gallia acta fuerunt; & eodem titulo *Cap.* 1. actum eſt de Advocatis ſeu Defenſoribus Eccleſiarum, quorum & hæc Conſtitutio meminit.

CA-

(*a*) Obiit Alexander IV. anno 1251.

C A N O N XIII.

Parochus, qui intra annum non fuerit Presbyter ordinatus, ipso jure officio excidit. Cap. *Licet Canon* 14. de Electione in 6.

OBSERVATIO.

Videtur [h]æc Con[s]titutio [p]ost Concil[i]um edi[tam].

CONSTUTIO decima tertia, quæ incipit, *Licet Canon*, in Concilio nec edita, nec lecta fuisse scitur; videturque esse ex illis, quas *post Concilium* Pontifex *super certis articulis* duxit promulgandas, relata extat in *Cap.* 14. *de Elect. in* 6. Renovat & amplificat Canonem Concilii Lateranensis sub Alexandro III. relatum in *Cap.* 7. ✠ *de Elect.* quo præscribuntur qualitates & ordines requisiti in promovendis ad Ecclesias *Parochiales*; atque inter alia erat per Concilium Lateranense statutum, ut „ ad regimen Ecclesiæ *Paro-* „ *chialis* assumptus, si monitus non fuerit præfixo a „ Canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, a re- „ giminis ejusdem amoveatur officio, & alii confera- „ tur „.

[C]anon Lateranensis [d]e ordina[t]ione Parochi intra annum.

Hunc articulum renovans & extendens præsens Decretalis statuit, ut promotus *ad regimen* Ecclesiæ Parochialis, *intra* annum *a commissi sibi regiminis tempore numerandum se faciat ad Sacerdotium promoveri: quod si intra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa*, nulla *etiam præmissa* monitione, *sit præsentis Constitutionis auctoritate privatus.*

[I]n quo differat a Constitutione Gregoriana.

Hæc ergo Constitutio declarat, privatum *ipso jure* non promotum ad Sacerdotium intra *annum* a tempore commissi regiminis Ecclesiæ Parochialis, cum Constitutio Concilii Lateranensis requireret sententiam privationis (*a*).

Et quidem hæc privatio ita promotum Beneficio suo privat, ut nec titulum *possidendi* amplis habeat, possitque ob non promotionem tamquam vacans impetrari & conferri juxta Rebuffum in praxi Benef. *tit. de non promotis*, *num.* 1. qui una ibidem monet, quod priusquam similis de Parochiali Beneficio reipsa amoveatur, citandus sit & audiendus, non quidem ut *privetur*, sed ut sciatur, num juxta præsentem Decretalem *sit privatus*, quia potuit subfuisse legitimum impedimentum non promotionis, quod ipsum a pœna hac privationis eximeret juxta *Cap.* Licet Episcopus 28. *de Præb. in VI.*

Præterea ut ob non promotionem quis privaretur Beneficio Parochiali Decretalis Concilii Lateranensis requirebat *monitionem præviam*; præsens vero Constitutio *privatum* declarat non promotum, *nulla præmissa monitione*. Plura de hac Decretali vide in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect.* 3. *tit.* 2. alias 19. *cap.* 3. hujus editionis.

C A N O N XIV.

De Commenda Parochialis Ecclesiæ. Cap. *Nemo deinceps* 15. de Electione in VI.

OBSERVATIO.

[C]anon non [v]idetur e[d]itus in Concilio.

CONSTITUTIO decima quarta, quæ incipit *Nemo deinceps*, quæ nec lecta nec edita reperitur in Concilio, relata autem in *Cap.* 15. *de Elect. in* 6. reprimit abusum *Commendarum*, quibus Beneficiorum pluralitas palliabatur, statuiturque, ut *nemo deinceps Parochialem Ecclesiam alicui non constituto in legitima ætate & Sacerdotio commendare præsumat, nec tali etiam* commendare præsumat, *nisi* unam, idque, *evidenti necessitate vel utilitate ipsius Ecclesiæ suadente.*

Ecclesia [n]on com[m]endetur [n]isi Sacer[d]oti, & non [n]isi una.

Præterea declarat, *commendam, ut præmittitur, rite factam ultra semestris temporis spatium non durare:* statuens, *quidquid secus de Commendis Ecclesiarum Parochialium actum fuerit, esse irritum ipso jure.*

[N]ec ultra [s]emestre.

Hæc Constitutio, si juxta terminos expressos rite observata fuisset, indubie ad obviandum abusui Commendarum Parochialium Ecclesiarum sufficiens erat, at frequentior dispensatio, quæ sensim in Curia Romana invaluit, hanc uti & plures alias non minus utiles, suis effectibus evacuavit, ut propterea & Synodus Tridentina *Sess.* 7. *cap.* 4. *de Reform.* Decretum ediderit contra eos, qui plura Beneficia *curata* per viam *Commendæ* perpetuæ retinere præsumebant. De hoc abusu, & unde originem sumpserit, dixi in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect.* 3. *tit.* 3. alies 20. *cap.* 2. *n.* 25. & *seqq.* hujus editionis.

Dispensationes no[xi]æ.

Abusus Commen[d]æ perpe[t]uæ.

(a) Hodie in Galliis Declaratione data a Ludovico X. Christianissimo Galliarum Rege prohibitum est, ne quis ad Beneficium curatum nominetur, nisi antea Sacerdotali charactere sit insignitus.

C A N O N XV.

Pœna Suspensionis per annum in eum, qui ordinaverit Clericum alienum. Cap. *Eos qui* 2. de temporibus Ordinationum in VI.

OBSERVATIO.

CONSTITUTIO decima quinta relata in *Cap.* 2. *de temporibus ordinat. in* 6. quæ incipit *Eos qui*, lecta *Sess.* 3. suspendit *per annum a collatione Ordinum* eos, qui *Clericos Parochiæ* (id est Diœcesis) *alienæ absque Superioris ordinandorum licentia, scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito præsumpserint ordinare.*

Quoad ordinatos ab alio Episcopo sine licentia Episcopi proprii refert se Summus Pontifex ad ea, quæ jura statuunt, hæcque *in suo robore* durare declarat.

Decretalis Clementis IV. tantum decernit *condignam pœnitentiam* in ordinantem, suspenso ordinato.

Videtur autem respexisse ad Decretalem Clementis IV. relatam in *Cap.* 1. *eod. in* 6. qua Episcopis Italiæ inhibetur ordinare Clericum Ultramontanum, nisi *a Sede Apostolica specialem licentiam* habeat, *vel ab Episcopo, de cujus Diœcesi traxit originem ordinandus, vel in cujus Diœcesi Beneficiatus existit, per ejus patentes litteras causas rationabiles continentes, quare ipsum nolit aut nequeat ordinare.* Ipsos autem sic ordinatos *manere* vult *absque spe dispensationis, super hoc a Sede Apostolica obtinendæ, suspensos.*

Quem præsens Canon convertit in *Suspensionem*.

Præsens ergo Decretalis conservans quoad sic ordinatos anteriora jura *in suo robore*, etiam pro suspensis habet sic ordinatos. Sed ordinantes citata Decretalis Clementis tantum vult *pœnitentia condigna puniri*; quare quoad hanc partem præsens Decretalis novum Jus introduxit, convertendo pœnitentiam arbitrariam in pœnam suspensionis *per annum a collatione Ordinum.*

Hanc Tridentinum innovavit.

Synodus Tridentina *sess.* 23. *cap.* 8. *de Reform* hanc pœnam suspensionis *per annum de collatione Ordinum* contra Ordinantes alienos subditos innovavit.

Quis circa sic ordinatum dispensare possit pro executione Ordinis suscepti.

Quin & addit, *nec cujusvis generalis aut specialis Rescripti vel privilegii prætextu* sic ordinari quemquam posse: quo derogare videtur citatæ Decretali Clementis IV. qua non obscure indulgebatur Episcopis Italis ordinare Clericum Ultramontanum, *qui a Sede Apostolica specialem licentiam* haberent.

Præterea citata Decretalis Clementis per præsentem roborata vult ordinatos manere suspensos, absque *spe dispensationis super hoc a Sede Apostolica obtinendæ*. Ex quibus verbis recte notavit Glossographus, super executione Ordinum, Episcopum cum hujusmodi ordinato dispensare non posse.

At hic rursus ab hac Decretali recessit Synodus Tridentina, statuens, quod, *sic ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu* proprio ordinario *videbitur expedire, sit suspensus.* Quo manifeste dispensandi facultatem super hac suspensione committit ordinario.

Cum vero posset contingere, ut nonnulli Clerici alias innocentes, de Diœcesi sic suspensorum Episcoporum, ad Ordines suscipiendos, pendente hac Episcoporum suspensione arctarentur, indulget præsens Decretalis; ubi *suspensio fuerit manifesta*, his Clericis *absque ipsorum* sic suspensorum *licentia, Ordines recipiendi ab aliis vicinis Episcopis, alias tamen Canonice liberam facultatem.*

C A N O N XVI.

Bigami privilegio Clericali nudantur. Cap. *Altercationis antiquæ* unico de Bigamis in VI.

OBSERVATIO.

CONSTITUTIO decima sexta, quæ incipit *Altercationis antiquæ* lecta Sessione 5. & relata in *Cap. unico de Bigamis in* 6. *Altercationis antiquæ dubium* decidens, declarat, *Bigamos omni privilegio Clericali esse nudatos, & coercitioni fori sæcularis addictos.*

Præcipue agitur de privilegio *fori*.

Verba postrema sat innuunt, *altercationem* hanc præcipue fuisse super privilegio *fori*, super quo & hodie frequenter Clericos inter & Laicos Magistratus altercatio oritur.

Quin & declarat hac in parte consuetudinem contrariam non obstare: quam fuisse in quibusdam locis Franciæ monet hic Glossographus.

Inhibetur Bigamis habitus Clericalis.

Et quia Bigami etiam per exteriorem habitum Clerici apparere affectarent, *ipsis quoque sub anathemate* prohibet, *deferre tonsuram vel habitum Clericalem.*

Ad hanc indubie Constitutionem reflexit Guillelmus Nangius de Gestis Philippi Regis Franciæ ad annum 1273. de hoc Lugdunensi Concilio scribens: „ In eo- „ dem etiam Concilio Bigami, qui Tonsuram *Cleri-* „ *calem*, tunc temporis deferebant, de cætero ferre „ prohibiti sunt, ac uti privilegio Clericali „.

CANON XVII.

Contra Canonicos, qui citra formam præscriptam inducunt publicam cessationem a divinis Officiis. Cap. *Si Canonici* 2. de Officio Ordinarii in VI.

OBSERVATIO.

DECIMA septima Constitutio, quæ incipit, *Si Canonici*, evulgata *Sessione* 5. relata in *c.* 2. *de Officio Ordinarii in* 6. spectat Canonicos, qui ex consuetudine, vel alias vendicabant sibi jus *cessandi a divinis*, dum aliquis eos offendit, vel occupat jura Ecclesiæ, uti de Ecclesiis Lugdunensi, Viennensi, Claromontensi, Atrebatensi, & quibusdam aliis, testatur Glossa hic verbo *Ecclesiis*.

Forma observanda in cessatione Officii.

Statuit igitur præsens Decretalis, quod *Canonici cessare* volentes, *antequam ad cessationem hujusmodi quoquo modo procedant, in Instrumento publico, vel patentibus litteris sigillorum suorum, aut alterius authentici munimine roboratis, cessationis ipsius causam exprimant: & illud vel illas ei, contra quem cessare intendunt, assignent*.

Post hæc pœnas decernit in Canonicos, qui præter formam hic præscriptam *cessare a divinis* contra aliquem præsumpserint; vel *causa, quam expresserint, non fuerit inventa Canonica*.

Reprobat dein *detestabilem abusum horrendæ indevotionis illorum, qui Crucis, beatæ Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum Imagines seu Statuas irreverenti ausu tractantes, in aggravationem cessationis hujusmodi prosternunt in terram, & urticis spinisque supponunt*.

Vult autem ut *contra* facientes *ultrix procedat dura sententia, quæ delinquentes sic puniat graviter, quod alios a similium præsumptione compescat*.

Differt ab *Interdicto*.

Notant hic communiter Interpretes, *cessationem a Divinis*, de qua in præsenti Decretali distinctam esse ab Interdicto, quæ est species Censuræ. Ideoque si quis in tali Ecclesia, durante hujusmodi cessatione, celebraret, non esset irregularis, uti fieret celebrans in Ecclesia *Interdicto* supposita.

Abusus.

Cæterum quantus fuerit aliquando abusus in frequentiore hac a Divinis cessatione, & Ecclesiastico Interdicto, notavi in *Jure Eccles. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 11. *cap.* 10.

CANON XVIII.

Contra pluralitatem Beneficiorum incompatibilium. Cap. *Ordinarii* 3. de Officio Ordinarii in VI.

OBSERVATIO.

Non videtur Canon in Concilio Lugdunensi editus.

CONSTITUTIO decima octava quæ incipit *Ordinarii* relata in *cap.* 3. *de Officio ordin. in* 6 in Concilio Lugdunensi edita aut lecta non reperitur: eam tamen Synodus Tridentina *sess.* 7. *cap.* 5. *de Reformat.* citat ac renovat tamquam *a Gregorio X. in generali Concilio Lugdunensi editam*.

Dirigitur præsens Constitutio sive Decretalis contra eos, qui *plures dignitates, vel Ecclesias, quibus animarum cura imminet*, obtinent; *aut dignitatem cum alio Beneficio, cui similis cura est annexa*: eam autem Synodus Tridentina extendit contra *quoscumque plura Curata, aut alias incompatibilia Beneficia Ecclesiastica obtinentes*.

Possessores Beneficiorum incompatibilium exhibeant dispensationem.

Vult igitur præsens Decretalis, ut Ordinarii prædictos possessores *districte compellant dispensationes, auctoritate quarum hujusmodi Ecclesias, Personatus, seu dignitates Canonice tenere se asserunt, intra tempus, pro facti qualitate, ipsorum Ordinariorum moderandum arbitrio, exhibere*.

Si intra tempus præstitutum, *justo impedimento cessante, nullam* contingat exhiberi *dispensationem*, tunc *Beneficia, quæ sine dispensatione aliqua* retineri nequeunt, *per eos, ad quos eorum collatio pertinet, libere personis idoneis conferantur*.

Quæ autem sint Beneficia, quæ sine dispensatione retineri nequeunt, & de eorum varia incompatibilitatis specie latius egi in *Jure Eccl. Tom. III. part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 3. alias 20. *c.* 4. *& c.* 5.

Alioqnin ipsa vacabant.

Hoc ex contextu hujus Decretalis habetur, quod Beneficia, de quibus Decretalis loquitur, *vere vacare* censeantur vigore hujus Constitutionis, si intra tempus definitum dispensatio exhibita non sit; quia alias tamquam vacantia conferri non possent. Quod & notavit Stephanus Weymesius in analysi ad hanc Constitutionem, addens *num.* 8. ,, ita enim receptum est, ut ubi lex vel ,, Canon sic *ipso facto* imponit pœnam incurrendam, ,, ex eo quod statuerit terminum defensionis, eo ipso ,, pœnam incurrat reus, quod se non defenderit, etiamsi ,, nulla intercesserit Judicis condemnatio, vel declaratoria sententia. ,,

Nec se ipsi tueri poterunt Regula *de triennali Possessore*.

Notat quoque ibidem Weymesius *num.* 10. Possessores similium incompatibilium Beneficiorum se non posse contra hoc Decretum tueri per Regulam *Cancellariæ de triennali possessore*, quia ipsis adversatur Juris communis prohibitio, quæ non permittit eos Juris Beneficio adjuvari; immo hæc Juris prohibitio possessionem inficere, & possessores in mala fide constituere videtur, atque ita Congregationem Cardinalium declarasse testatur.

Exhibens dispensationem evidenter sufficientem non molestetur.

Si autem *dispensatio* intra tempus definitum exhibeatur, eaque *sufficiens evidenter appareat*, tunc *exhibens*, *nequaquam* super *Beneficiis, quæ canonice obtinet, molestetur*, inquit Decretalis.

Sed interim providentur pluribus illis Ecclesiis, in quibus Beneficia ista requirunt residentiam.

Cum autem hic agatur de beneficiis curam *animarum* habentibus, & nemo queat *personaliter* in duabus Ecclesiis residere, & curam animarum personaliter obire, præsertim si Ecclesiæ a se distitæ sint, vult Decretalis, ut Ordinarii, casu quo *dispensatio sufficiens evidenter apparet*, provideant, ne *in iisdem Ecclesiis animarum cura negligatur, nec Beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur*.

Idipsum in supra allegato Decreto injungit Ordinariis Synodus Tridentina, declarans, quod id per Ordinarios fieri possit, *etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem, appellationibus, privilegiis, & exemptionibus quibuscumque, etiam Judicum specialium deputatione, & illorum inhibitionibus in præmissis nemini suffragantibus*.

In dubio recurratur ad Sedem Apostolicam.

Si de dispensationis exhibitæ sufficientia dubitetur, vult Decretalis, ut eo casu *ad Sedem Apostolicam* recurratur: *cujus est æstimare quem modum sui Beneficii esse velit*.

In Belgio decisio debet fieri coram Judicibus ordinariis vel delegatis *in partibus*.

Hoc moribus Belgii non observatur; sed si super validitate seu sufficientia dispensationis vel collationis etiam a Sede Apostolica obtentæ, quæstio incidat, hæc coram Judicibus Ordinariis vel Judicibus delegatis *in partibus*, secundum statum causæ, discuti & decidi consuevit.

Mens Principum Belgii videtur, ut non detur, *Placitum* super hujusmodi Dispensatione.

Quinimmo cum in hisce Provinciis Bullæ dispensationum super incompatibilitate Beneficiorum executioni mandari nequeant, sine præviis litteris *Placeti Regii*, haud facile similis dispensatio super pluribus Beneficiis *curam animarum* habentibus admittitur: quia Rex (*a*) per sua Edicta, ac signanter de 28. Novembris 1541. art. 37. & 38. declaravit Litteras Placeti super provisione hujusmodi Beneficiorum non expediendas, nisi cum clausula *personalis residentiæ*.

Cum autem in duobus hujusmodi Beneficiis curatis nemo queat eodem tempore personaliter residere; mens Principis consequenter apparet, ut super hisce dispensationibus Litteræ Placeti non expediantur.

CANON XIX.

De Juramento Advocatorum ac Procuratorum in suscipiendis causis, & transgressorem petitione.

OBSERVATIO.

DECIMA nona Constitutio, quæ incipit *Properandum*, lecta *sessione* 3. uti acta testantur, nequaquam tamen in *Sexto* Decretalium reperitur.

Renovatur formula juramenti, quæ habetur *leg.* 14. §. 1. *Cod. de Judiciis*.

Agit hæc Constitutio de Advocatis & Procuratoribus causarum, renovatque sanctionem Legalem, quæ habetur in *Leg.* 14. *Cod. de Judiciis*, ac notanter circa formulam juramenti ibidem § 1. præscriptam, & ab Advocatis præstandi de non suscipienda causa, quam *noverint injustam*, quin de eadem omnino deserenda, quando in decursu litis eam injustam noverint, de quo juramento etiam hodie ab Advocatis in admissione præstando, egi in *Jure Eccl. Tom. IV. part.* 3. *tit.* 6 *cap.* 2.

In præsenti Constitutione itaque statuitur, *ut omnes & singuli*, qui *advocationis officium in foro Ecclesiastico, sive apud Sedem Apostolicam, sive alibi* assument, *præstent tactis sacrosanctis Evangeliis hoc juramentum*; quod iisdem verbis hic exprimitur, quibus conceptum legitur in citata *leg.* 14. §. 1. *Cod. de Judiciis*.

Vult autem præsens Constitutio, ut & *Procuratores juramento simili adstringantur*.

Insuper ut *tam Advocati quam Procuratores*, *in foro, in quo idem assumpserunt officium, teneantur annis singulis* hujusmodi juramentum *iterare*.

Si autem officium suum præstituri veniant ad eamdem Sedem, vel ad Curiam cujuslibet Ecclesiastici Judicis, in qua nondum juramentum illud præstiterunt, tenebuntur illud præstare *in singulis causis*, quas assument.

Pœna prævaricatorum.

Qui hoc juramentum præstare renuerint, *executionem officiorum suorum, hujusmodi voluntate durante, sibi noverint interdictam*.

Addit autem Decretalis, *quod si Juramentum præstitutum violare præsumpserint, præter reatum perjurii, Consiliarii etiam, qui scienter iniquam causam foverint, divinam & nostram maledictionem incurrant, a qua non aliter liberentur, nisi duplum ejus restituerint, quod pro tam iniquis advocatione, procuratione, vel consilio receperint, ac nihilominus de damnis, quæ per iniqua hujusmodi ministeria partibus irrogarunt, illis satisfacere teneantur*.

Denique ne lucri cupiditate ad fovendas causas *injustas*, Advocati aut Procuratores alliciantur, statuit quod *Advocatus in quacumque causa ultra viginti, Procurator vero ultra duodecim libras Turonenses recipere salarii nomine, vel etiam sub palmarii colore præsumat*; declarans

ultra

(*a*) Rex ille censetur Carolus V. Imperator, Hispaniarum Rex, ac Belgarum Princeps supremus.

ultra eam summam receptorum dominium ab iis non acquiri; *sed ad restitutionem integram teneri illorum; ita quod nihil horum, quæ restituenda sunt, in fraudem hujus Constitutionis remitti possit eisdem.*

Monitum. Quoad Juramentum ab Advocatis & Procuratoribus de non fovenda causa, quam injustam noverunt, etiamnum hodie ex præscripto Ordinationum in omnibus Curiis tam Ecclesiasticis, quam Civilibus præstari debet in eorum ad Officium admissione, optandum esset, ut id serio ab Advocatis & Procuratoribus in susceptione & prosecutionem causarum attenderetur; sed Advocatorum & Procuratorum nimia multitudo & aviditas lucri faciunt, ut nulla sit pene causa, quantumvis male fundata, quæ non reperiat Advocatos & Procuratores.

CANON XX.

De iis qui extorquent absolutionem a Censuris, Cap. *Absolutionis*, *unico*, de iis quæ vi metusve causa fiunt in VI.

OBSERVATIO.

Constitutio vigesima, quæ incipit *Absolutionis*, lecta *sessione* 4. & relata in *cap. unico De iis quæ vi metusve causa fiunt in* 6. absolutionem ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto, *per vim vel metum* extortam *omnino viribus* vacuat; ac *eos, qui absolutionem* sic *extorserint*, *excommunicationis sententiæ subjacere* decernit.

Ad hanc Constitutionem reflexisse videntur Patres Tridentini, ubi *sessione* 25. *cap.* 3. *de Reformatione* declarant, „ nefas esse sæculari cuilibet Magistratui mandare Ecclesiastico Judici, ut latam excommunicationem revocet, sub prætextu, quod contenta in præsenti Decreto non fuerint observata, cum non ad Sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. „

Quid circa hanc Synodi Tridentinæ declarationem monuerint Consilia Regia, dum de publicatione dictæ Synodi in Belgio ageretur, & quid hodie observetur, notavi in *Jure Eccles. Tom. IV. parte* 3. *tit.* 11. *cap.* 12.

CANON XXI.

Quod, mense elapso a Beneficii vacatione in Curia Romana, possit Romanus Pontifex præveniri ab Ordinario. Cap. *Statutum* 3. de Præb. in VI.

OBSERVATIO.

Constitutio vigesima prima lecta *sessione* 5. quæ incipit *Statutum felicis recordationis*, relata in *c.* 3. *de Præbendis in* 6. moderatur statutum Clementis IV. in *cap.* 2. *eod. in* 6. circa reservationem Beneficiorum *in Curia Romana* vacantium, *ut* nimirum *ii, ad quos similium Beneficiorum spectat* collatio, ea Beneficia non obstante dicta reservatione, *post mensem a die vacationis numerandum, conferre valeant per seipsos vel (ipsis egentibus in remotis) per suos Vicarios generales in eorum Diœcesibus existentes, quibus id canonice sit commissum.*

Clausula favens Romano Pontifici. De hac reservatione facta per Clementem IV. & modificatione per præsentem Decretalem, egi in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect.* 3. *tit.* 6. *cap.* 4. alias *tit.* 23 *cap* 3. Hoc unum adde, quod Pontifex velit mense elapso, ut *Ordinarii* conferant *per seipsos aut Vicarios generales* in eorum *Diœcesibus* residentes, *quibus id canonice sit commissum*: id est, *speciali* mandato; ut hoc pacto non tam facile etiam mense elapso, ab Ordinariis Pontifex præveniatur, possitque & post mensem Pontifex conferre, quamdiu Ordinarius non prævenit; ut hic notat Glossographus.

CANON XXII.

De non submittendo bona Ecclesiarum Laicis absque consensu Capituli, & sanctæ Sedis licentia speciali. Cap. *Hoc consultissimo* 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis in VI.

OBSERVATIO.

Constitutio vigesima secunda incipiens *Hoc consultissimo*, recitata *sessione* 5. & relata in *cap.* 2. *de rebus Ecclesiæ non alienandis in* 6 agit contra *Prælatos* Ecclesiarum, qui *Ecclesias* suas, & earum *bona immobilia* & *jura Laicis* submittebant seu supponebant (*a*) non quidem ea in Laicos plene *alienando*, *sed constituendo vel recognoscendo, seu profitendo ab illis ea tamquam a superioribus se tenere, seu ab ipsis eadem advocando* (id est, ait Glossa, tamquam ab Advocatis recognoscendo) *prout in quibusdam partibus* (Gallicanis scilicet) *vulgariter dicitur* (Avoués) *ipsos Patronos Advocatos Ecclesiarum, seu bonorum ipsarum perpetuo aut ad tempus non modicum statuendo.*

Nequaquam igitur in hac Constitutione agitur de juribus, qualitatibus, aut conditionibus, quæ agris, fundisque Ecclesiarum erant imposita, antequam ad Ecclesiam pervenirent; aut in ipsa fundatione Fundatoribus & Patronis essent reservata: neque etiam de alienatione bonorum secundum Canonum præscripta, sed de novis subjectionibus, quibus Ecclesiæ, earumque bona Laicis tamquam *ipsarum Patronis & Advocatis* de novo subjiciebantur. Non vetantur antiqua sed nova onera.

Has subjectiones, sive pretio, sive gratia, vel etiam metu a Laicis incusso, Prælati facile nimis in præjudicium Ecclesiarum annuere videbantur.

Ut ergo his occurratur, præsenti Decretali editur; quod similes subjectiones Prælati facere nequeant, *absque Capituli sui consensu, & Apostolicæ Sedis licentia speciali.*

Contractus omnes super his subjectionibus contra præscriptum hujus Constitutionis *etiam juramenti, pœna vel alterius cujuslibet firmitatis adjectione vallatos, & quid ex eis secutum fuerit*, decernit *adeo viribus carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam parent.* Pœnæ in contravenientes.

Præterea *Prælatos, qui* contra Constitutionem *fecerint, ipso facto ab Officio & administratione, Clericos etiam, qui scientes contra inhibitionem prædictam aliquid esse præsumptum, id Superiori denuntiare neglexerint, a perceptione Beneficiorum, quæ in eadem Ecclesia obtinent sic gravata*, seu servituti subjecta, *triennio* statuit *esse suspensos.*

Laicos, *qui Prælatos*, aliasve *personas Ecclesiasticas ad* similes *subjectiones hactenus compulerant, nisi post monitionem, remissa submissione, bona Ecclesiarum in sua libertate dimittant*; vel *de cætero Prælatos, vel personas easdem ad talia facienda compulerint*, declarat *excommunicationis sententia* esse innodatos.

Quin & Laicis prohibet sub pœna excommunicationis, ne etiam *ex Contractibus super* his subjectionibus etiam cum consensu Capituli & Apostolicæ Sedis licentia *specialiter initis*, quidquam arrogare audeant, *ultra id quod ex natura contractuum ipsorum, vel adhibita in illis lege permittitur.* Occasio hujus Canonis.

Si attendatur, quam multa sæpe gravamina Laici potentiores, prætextu *Advocatiæ* seu *Guardiæ* Ecclesiis inferrent (quæ exposui in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect.* 3 *tit.* 8. alias 25. *c.* 1.) facile intelligitur merito frænum Prælatis injectum esse, quo ab hujusmodi subjectionibus annuendis cohiberentur, tametsi in his partibus Decretalis in omni suo rigore vix usum inveniet.

CANON XXIII.

Contra multiplicationem Religiosorum Ordinum; Cap. *Religionum diversitatem*, *unico* de Religiosis domibus in VI.

OBSERVATIO.

Constitutio vigesima tertia lecta *sessione* 6. seu ultima, quæ incipit *Religionum diversitatem*, relata in *cap. unico de Religiosis domibus in* 6. edita est ad comprimendam nimiam Religionum Regularium præsertim *Mendicantium* multiplicationem.

Constat, primitus ignotam fuisse eam, quæ hodie cernitur, Ordinum Religiosorum diversitatem, uti pluribus ostendi in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 24. *cap.* 1. hanc diversitatem primum oriri cœptam sæculo XI. ibidem notatum est. Religiosorum diversitas sæculo XI. orta.

At sæculo XII. & XIII. tanta cœpit Ordinum diversitas, totque Ordines novi præsertim Mendicantium instituti sunt, ut ex eorum multiplicatione confusio quædam merito in Ecclesia timeretur, uti significat Innocentius III. in Decreto sub nomine Concilii Lateranensis evulgato & relato in *cap. Fin.* X. *de Religiosis domibus*, quo „ firmiter, prohibet, ne quis de cætero novam Religionem inveniat, sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat" Rationem sui Decreti præmiserat: „ ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat. " Innocentius III. inhibuit novam institui Religionem.

Hoc Decretum probat & renovat Gregorius X. in præsenti Decretali, deploratque, quod *non solum importuna petentium inhibitio illarum* (Religionum) *postmodum multiplicationem extorsit, verum etiam aliquorum præsumptuosa temeritas diversorum Ordinum, præcipue Mendicantium, quorum nondum a probationis meruere principium, effrænatam quasi multitudinem adinvenit.* Idipsum confirmat præsens Canon.

Ut igitur invalescenti malo validius remedium apponat, primo repetita *Constitutione districtius* inhibet; *ne aliquis de cætero novum Ordinem aut Religionem adinveniat, vel habitum novæ Religionis assumat.*

„ Hoc intellige (inquit hic Glossa) in pluribus simul in eodem Collegio habitantibus, & eamdem Religionem profitentibus: alias singularis personæ tectas non inveniens, & seorsim habitans, novum habitum sibi inducere posset. "

Secundo *cunctas affatim*, sive generaliter *Religiones, & Or-* Revocat omnes Ordines men-

(*a*) Non agitur de alienatione, sed de gravaminis injectione.

dicantes post Decretum Innocentianum a sancta Sede non confirmatos.

& *Ordines Mendicantes post dictum Concilium* (Lateranense sub Innocentio III.) *adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni* subjicit, *& quatenus processerunt*, revocat.

Confirmatos autem prohibet ullos suscipere ad professionem sine sanctæ Sedis licentia.

Post hæc transit ad Ordines *confirmatos per Sedem eamdem post idem tamen Concilium* (Lateranense) *institutos, quibus ad congruam sustentationem reditus aut possessiones habere professio sive regula quælibet interdicunt, sed per quæsitum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas*.

Quin his verbis descripserit Ordines vulgo dictos *Mendicantes*, nemo dubitat; sciturque, olim omnibus Mendicantibus commune fuisse, *possessiones nullas* etiam *in communi* habere, quemadmodum Ordini Minorum & Cappucinorum hodie proprium est, uti latius ostendi in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 29. *cap.* 5.

De his igitur Ordinibus *Mendicantibus post Concilium Lateranense* institutis, sed tamen a Sede Apostolica confirmatis statuit, ut qui in iisdem tempore hujus Decretalis essent professi, *ita liceat in illis remanere, si velint, quod nullum deinceps ad eorum professionem admittant*, nec aliquem locum acquirant, *nec domos seu loca, quæ habent, alienare valeant sine Sedis ejusdem licentia speciali*: quæ ea suæ *dispositioni* reservat *in Terræ Sanctæ subsidium vel pauperum, vel alios pios usus per locorum Ordinarios, vel eos, quibus Sedes ipsa commiserit, convertenda*.

Declarans insuper, *si secus præsumptum fuerit*, quod *nec personarum receptio, nec domorum vel locorum acquisitio, aut ipsorum cæterorumque bonorum alienatio valeat. Et nihilominus* (ait) *contrarium facientes sententiam excommunicationis incurrant*.

Ex his per quam manifestum est, intentionem Gregorii X. fuisse per hanc Constitutionem penitus extinguere omnes Ordines illos mendicantes *post* Concilium Lateranense de novo institutos, licet a Sede Apostolica confirmati essent, confirmatione forte *per importunam penitentium inhiationem* extorta.

Unde indubie ad hanc Constitutionem reflexit Guillelmus Nangius, ubi in Gestis Philippi Regis Franciæ ad annum 1273. loquens de hoc Concilio Lugdunensi, ait: *in eodem etiam Concilio plures Ordines Mendicantes sunt quassati*.

Non extenditur id ad Ordinem *Prædicatorum*, nec *Minorum*.

Sed ne prætextu hujus Constitutionis Ordines Mendicantes ante Concilium institutos, & ut tales a Sede Apostolica rite approbatos vexari contingeret, declarat expresse, quod *ad Prædicatorum & Minorum Ordines presentem non patiatur Constitutionem extendi*: *Quos* (ait) *evidens ex eis utilitas Ecclesiæ universali proveniens perhibet approbatos*.

Cum hos duos solos Ordines a sua Constitutione eximat Gregorius, atque de his solis asserat, quod *evidens ex eis utilitas Ecclesiæ universali proveniens perhibet approbatos*, admodum verisimile apparet, hos duos duntaxat Ordines tempore hujus Concilii Lugdunensis tamquam *Ordines Mendicantes* fuisse *approbatos*.

Ordinem Carmelitarum, & Eremitarum S. Augustini in suo statu relinquit, donec aliter provisum fuerit.

Erant quidem etiam ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. Ordines Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum, sive Beatæ Mariæ de Monte Carmelo instituti, uti testatur præsens Constitutio, sed non videntur tamquam Ordines *Mendicantes* a Sede Apostolica approbati fuisse: cum de his duobus Ordinibus dicat præsens Constitutio, quod eos *in suo statu velit permanere, donec de ipsis fuerit aliter ordinatum. Intendimus siquidem tam de illis quam de reliquis etiam non Mendicantibus Ordinibus, prout animarum saluti, & eorum statui expedire videbimus providere*; quemadmodum in ipsa Constitutione in Concilio promulgata legitur: & in Collectione Conciliorum extat.

Verum quidem est, in hac Constitutione, prout extat in *Sexto* Decretalium, pro vocula *suo* legi *solido*, ac insuper totam hanc periodum, *donec de ipsis*, &c. Notat autem Glossographus verbo *solido*, *alias solito*, additque: „ Et hoc detrahit Bonifacius " (scilicet VIII. Auctor *Sexti* Decretalium) de Concilio Gregorii, sic enim dicebat Littera: *In suo statu volumus permanere, donec de ipsis aliter fuerit ordinatum; intendimus siquidem tam de illis, quam de reliquis etiam non Mendicantibus Ordinibus*, prout animarum saluti, & eorum statui expedire videbimus, *providere*. Subditque Glossographus: *Hoc est decisum*, id est, sic habit Constitutio a Gregorio in Concilio promulgata: sed sustulit & mutavit Bonifacius VIII.

Testaturque ibidem Glossographus, quod & dicebatur, „ quod Gregorius nolebat aliquem Mendicantium „ dimittere, nisi Prædicatores (*a*) & Minores: de non „ Mendicantibus tres, Cistercienses & Ordinem Nigrorum, & de Templariis & Hospitalariis unum „ Ordinem facere. „

Videntur hi duo Ordines a Gregorio X. non fuisse inter Mendicantes numerati.

Ex his apparent, duos illos Ordines, scilicet Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum tempore hujus Concilii nondum fuisse Ordinibus Mendicantibus annumeratos; sed tamen sub finem seculi XIII. id est, sedente Bonifacio VIII. jam ut tales fuisse receptos, ac propterea in eorum gratiam, hanc mutationem in textu Decretalis factam vel admissam esse; uti in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 39. *cap.* 5. observavi.

C A N O N XXIV.

Prælatus visitans nonnisi victualia, eaque moderata recipiat. Cap. *Exigit* 2. de Censibus in VI.

O B S E R V A T I O.

Canon renovat Constitutionem Innocentii IV. de non recipienda pecunia.

CONSTITUTIO vigesima quarta, quæ in *Sexto* Decretalium titulo *de Censibus cap.* 2. incipit per verbum *Exigit*: Sed in Actis *sessionis* 3. notatur his initialibus verbis: *Constitutionem felicis recordationis Innocentii Papæ*.

Hic itaque in primis renovatur Constitutio Innocentii IV. in *cap.* 1. §. *penult. eod. in* 6. in quantum ibidem constituitur, quod Prælatus visitans *procurationes* quidem *recipiat secundum quod est in Canonibus constitutum, nullam tamen pecuniam ipse vel aliquis de sua familia, occasione alicujus officii, aut consuetudinis, seu quolibet alio modo eorum nomine, sed in victualibus expensas tantum recipiat moderatas*.

Hic recte monet Glossographus, quod „ Prælatus vi„ sitans non debeat exquirere delicatas epulas, sed communibus epulis debeant esse contentus. „

Nec munera per se vel per suos.

Secundo vult dicta Constitutio Innocentii, ut Prælatus visitans *caveat, ne ipse vel quisquam suorum aliquod munus quodcumque sit, & qualitercumque offeratur, præsumat recipere: ut non* (ait) *quæ sua sunt quærere videatur, sed quæ Jesu Christi*.

Hæc bina puncta renovat præsens Decretalis, eamque pœnæ adjectione juvandam decernit.

Alioquin recipiens duplum restituet intra mensem.

Atque in primis, cum in priore Decreto declararetur simpliciter, & sine temporis limitatione, quod pecuniam aut munera contra præscriptum Constitutionis *recipiens* teneretur *duplum* restituere, in præsenti additur, restitutionem faciendam *intra mensem*, & quidem *Ecclesiæ, a qua id receptum fuerit*.

Sub pœna ingressus in Ecclesiam interdicti.

Ulterius in hac Decretali adjicitur, quod *Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi duplum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes, ingressum sibi Ecclesiæ sentiant interdictum. Inferiores vero ab officio & Beneficio noverint se suspensos, quousque de duplo hujusmodi gravatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant*.

Nec a dupli restitutione liberabit dantium remissio.

Immo neque a facienda hac *dupli* restitutione ipsos liberari, *dantium remissione; liberalitate seu gratia*, declaratur.

Hisce renovat Concilium Tridentinum.

Pœnas hac Decretali decretas innovat Synodus Tridentina *sess.* 24. *cap.* 3. *de Reformat.* ubi late de scopo visitationis, nec non moderatione procurationum seu victualium in visitatione servanda agit, lateque expositi in *Jure Eccles. Tom. I. parte* 1. *tit.* 17. *cap.* 2.

C A N O N XXV.

De reverentia in Templis & Cœmeteriis. Cap. *Decet domum* 2. de Immunitate Ecclesiarum in VI.

O B S E R V A T I O.

CONSTITUTIO vigesima quinta incipiens; *Decet domum*, publicata *sessione* 5. & relata in *cap.* 2. *de Immunit. Eccles. in* 6. agit de reverentia debita locis sacris, & contra irreverentias & profanationes Templorum.

Ingressus in Templum ædificet.

In primis docet, quod *ad Ecclesias* debeat esse *humilis & devotus ingressus*, atque *in eis* (Templis) *quieta conservatio Deo grata, inspicientibus placita, quæ considerantes non solum instruat, sed & reficiat*.

Reverentia interior atque exterior præcipue inter Missarum solemnia.

Secundo vult, ut *convenientes* in Templum, *ibidem Nomen Jesu exhibitione reverentiæ specialis attollant; præcipue dum aguntur Missarum sacra Mysteria, & gloriosum illud nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui; quod vel capitis inclinatione testentur*, ac dein generaliter in *eisdem locis attendatur intentis præcordiis sacra solemnia*, atque *devotis orationibus insistatur*: id est, ait hic Glossa, ad verbum *inventis*, ut „ nihilominus cogitet, quem precetur, ad quod Sacer„ dos populum excitat: *sursum corda* dicendo. „

Absint profani conventus.

Ut autem reverentia locis sacris major concilietur, vult in primis, ut *cessent in locis illis Universitatum & Societatum quarumlibet concilia, conciones, & publica parlamenta*.

No-

(a) Auctor opusculi recentioris Gallico idiomate conscripti *pag.* 164. &c. contendit primo in Bulla, quam Honorius III. anno 1216. dedit ad confirmandam Ordinem Prædicatorum, bona, quæ tunc ab isto Ordine possidebantur, sub protectione *Sedis Apostolicæ fuisse collocata*. Secundo, titulus quidem *Pauperum Mendicorum* ab Ordine Dominicanorum anno 1220. fuisse assumptum, sed ad sensum, qualis intelligitur Apostolorum paupertas *act. cap.* 6. *vers.* 1. tandem Ordini Dominicanorum attributum fuisse modo titulum Canonici, modum titulum *Clerici Regularis*, modo utrumque simul. Quapropter Auctor prædictus concludit, nomen *Mendici* suo Dominicanorum Ordini per accidens duntaxat fuisse tributum, atque etiamnum tribui. Opusculum, quod citavi, & publici juris factum est Bitterris anno 1750. in fronte gerit hunc titulum *Mémoires sur la Canonicité de l'institut de S. Dominique*, &c.

Nomine *Concionum* hic designari communem populi alicujus congressum, contextus palam indicat, vocemque *concio* apud Latinos frequentius in hac significatione sumi notum est.

Quod de *parlamentis* dicitur, notat hic Glossa esse „ „ contra Universitatem Italiæ, quæ frequenter faciunt „ in Ecclesiis talia parlamenta: „ id est publica colloquia, quæ nomine parlamentorum venire solent, uti ostendit Du-Cange in suo Glossario Latinitatis verbo *parlamentum*.

Confabulationes.

Abesse & vult ab his locis *vana & multo fortius fœda & profana colloquia*: item *confabulationes* quaslibet, & quæcumque *Divinum Officium turbare, aut oculos Divinæ Majestatis offendere* possent: *Ne* (inquit) *ibi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi*.

Negotiationes.

Præcipit, ut & *cessent in Ecclesiis negotiationes, & præcipue nundinarum ac fori cujuscumque tumultus*: „ „ Quia (ait Glossa) talia difficile fiunt sine peccato. „

Actiones judiciales.

Actiones quoque judiciales Laicorum, præsertim criminales abesse vult.

Absint & hæc a Cœmeteriis.

Hæc omnia non tantum in Ecclesiis, sed & in earum Cœmeteriis fieri vetat.

Sententiæ judiciales illic prolatæ, sint nullæ.

Quin & *processus Judicum sæcularium, ac specialiter* prolatas sententias *in iisdem locis omni* carere *robore firmitatis* decernit. (a)

Non tamen Contractus.

Contractus licet etiam ibi fieri prohibeantur; initi tamen non irritantur; ut hic monet Glossographus.

Synodi Belgicæ ista renovarunt.

Tandem injungit Ordinariis locorum, ut sedulo & sollicite executionem hujus Decreti urgeant; quod & monuerunt sæpius Synodi nostræ Belgicæ, quæ non tantum hæc Decreta innovarunt, sed plura pro temporum & locorum varietate addiderunt, quæ ad reverentiam locis sacris conciliandam conducere arbitrabantur, prout exposui, relatis Synodorum Decretis, in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2 sect. 1. tit. 1.* alias 16. *cap. 1.* hujus editionis.

C A N O N XXVI.

Contra Usurarios manifestos. Cap. *Usurarum voraginem* 1. de Usuris in VI.

O B S E R V A T I O.

CONSTITUTIO vigesima sexta, quæ incipit *Usurarum voraginem*, lecta est *sessione* 5. & relata in *cap. 1. de Usuris in 6.* dirigitur contra *Usurarios manifestos*, seu *fœnebrem pecuniam exercentes*.

Renovat Canon Constitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranensi III.

In primis *Constitutionem* Alexandri III. in Concilio Lateranensi III. *contra Usurarios editam*, relatam in *cap. 3. X de Usuris* (pro cujus intellectu consule *Observationem ad can. Seu, cap. 25.* dicti Concilii Lateranensis) *sub divinæ maledictione interminatione* præcipit *inviolabiliter observari*.

Nemo manifestos Usurarios toleret in ædibus suis aut terris.

Ut amplius minuatur fœnus exercendi libertas, statuit, *ut nec Collegium, nec alia Universitas, vel singularis persona cujuscumque sit dignitatis alienigenas, & alios non oriundos de terra ipsorum publice fœnebrem pecuniam exercentes, aut exercere volentes, ad hoc* (scilicet ad fœnus exercendum) *domos in terris suis conducere vel conductas habere, aut alias habitare permittant*.

Quin & vult, ut *hujusmodi Usurarios manifestos, omnes intra tres menses de terris suis expellant, nunquam aliquos tales de cætero admissuri*.

Deinde generaliter statuit, ut *nemo illis ad fœnus exercendum domos locet, vel sub alio titulo quocumque concedat*.

Pœna in contravenientes.

Qui contra fuerint, si personæ fuerint Ecclesiasticæ; Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, suspensionis; minores vero personæ, singulares (scilicet Ecclesiasticæ) *Excommunicationis: si autem Collegium, seu alia Universitas, Interdicti sententiam ipso facto* incurrant. *Hanc si per mensem animo sustinuerint indurato, terræ ipsorum* (*quamdiu in eis iidem usurarii commorantur*) *ex tunc Ecclesiastico subjaceant interdicto*.

Hæc quidem quoad personas aut Collegia Ecclesiastica præsenti Constitutioni contravenientes: *Laicos vero per suos Ordinarios ab hujusmodi excessu* (*omni cessante privilegio*) *per censuram Ecclesiasticam* compesci vult.

Quæ pœnam *ferendæ sententiæ* duntaxat significant; cum e contra Ecclesiasticæ personæ pœnam *latæ sententiæ*, sive *ipso facto* censuram incurrant.

Occasio Canonis.

Notat Joannes Andreas, quod „ hæc Constitutio facta fuit propter Florentinos, Senenses, Pistorienses, „ Lucanos, Astenses, qui circuibant Diœceses, Provincias, ad exercendum usuras immodicas „.

(a) Cum Judex Sæcularis suam potestatem desumat a supremo Principe, istius est, non Ecclesiæ irritare processus judiciarios.

C A P U T XXVII.

Usurariis manifestis Ecclesiastica Sepultura neganda, donec pecuniæ Usurariæ sint restitutæ. Cap. *Quamquam Usurarii* de Usuris in VI.

O B S E R V A T I O.

CONSTITUTIO vigesima septima, quæ incipit, *Quamquam Usurarii*, lecta *sessione* 5. & relata in *cap. 2. de Usuris in 6.* dirigitur, quemadmodum præcedens, contra *Usurarios*. Illa quidem providet ne exigatur, hæc vero ut exactæ restituantur.

Constituit enim, quod *quamquam Usurarii, manifesti de usuris satisfieri in ultima voluntate mandaverint; tamen eis Ecclesiastica sepultura denegatur, donec de usuris ipsis fuerit* (*prout patiuntur facultates eorum*) *plenarie satisfactum*, aut personis, *quibus facienda est restitutio*, vel alias ad hoc legitime deputatis, prout in præsenti describitur, *idonea de restitutione facienda sit cautum* pro qua quantitate, præsertim si de usurarum summa non constat, cautio sit exigenda, hic quoque exprimitur.

Religiosos autem *& alios manifestos Usurarios, qui contra præsentis sanctionis formam ad Ecclesiasticam ausi fuerint admittere sepulturam, pœnæ Lateranensi Concilii contra Usurarios promulgatæ* statuit *subjacere*, scilicet relatæ in *cap. 3. X de Usuris*, quo decernitur pœna suspensionis ab officio, *donec ad arbitrium Episcopi sui satisfaciat* præsentis sanctionis transgressor.

Pœna sepelientis hujusmodi usurarios.

Mandat ulterius præsens Decretalis, ut *nullus manifestorum Usurariorum Testamentis intersit, aut eos ad Confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de Usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent idoneam cautionem* juxta formam hic præscriptam.

Nemo eorum Testamentis intersit, aut Confessionem excipiat, nisi præstita cautione.

Monet hic Glossographus ad verbum *absolvat*; „ Caveant ergo Religiosi, qui interdum plus de præda, „ quam de anima solliciti sunt „.

Eorum Testamenta irrita.

Denique *Testamenta manifestorum Usurariorum aliter facta non* valere, *sed* fore *irrita ipso jure* declarat (a).

C A P U T XXVIII.

Excommunicantur, qui contra personas Ecclesiasticas, Represalias concedunt. Cap. *Etsi pignorationes*, unico de Injuriis & damno in VI.

O B S E R V A T I O.

CONSTITUTIO vigesima octava, quæ incipit, *Etsi pignorationes*, lecta est *sessione* 5. & extat in *cap. unico de Injuriis & damno in 6.* Agit de *Pignorationibus, quas vulgaris elocutio represalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur*.

Etsi hæ *Pignorationes* sive Represaliæ, *tamquam graves legibus & æquitati naturali contrariæ, civili sint constitutione prohibitæ* (ut hic dicitur): tamen *specialius* hac Constitutione prohibentur *concedi contra personas* Ecclesiasticas, vel *generaliter* sine personarum expressione *concessas* ad similes personas *extendi*; sub pœna, ut (C. *nisi præsumptionem hujusmodi revocaverint, a concessionis vel extensionis tempore infra mensem*) *personæ singulares sententiam excommunicationis incurrant; si vero Universitas, Ecclesiastico subjaceat interdicto*.

C A P U T XXIX.

Quomodo monitiones Canonicæ debeant procedere Excommunicationem? Cap. *Constitutionem* 9. de Sententia Excommunicationis in VI.

O B S E R V A T I O.

TRES posteriores Constitutiones XXIX. XXX. XXXI. quarum duæ priores lectæ sunt *sessione* 3. & postrema *sessione* 5. concernunt materiam Excommunicationis, extantque in *cap. 9. 10. & 11. de Sent. Excomm. in 6.*

Canon exponit Decretalem Innocentii IV.

Prima, quæ incipit *Constitutionem felicis recordationis* exponit Decretalem Innocentii IV. editam in Concilio Lugdunensi, & relatam in *cap. 3. eod. in 6.*

Monitio Canonica nominatim exprimat monitos.

Cum enim ibi declarasset Innocentius, quod ob participationem cum excommunicatis in *locutione* & aliis participantes, non possent excommunicari excommunicatione *majore*, ante *monitionem Canonicam*, sed non exprimeretur, quæ esset *monitio Canonica*; declarat Gregorius præsenti Decretali, tunc *demum esse monitionem canonica in hoc casu, si aliis rite servatis, eos, qui monentur*, Judex *exprimat nominatim*.

De hac speciali, & *nominatim* præmittenda monitione merito consuletur hic Glossographus.

Intervalla Monitionum.

Statuit præterea, ut *inter monitiones*, quæ juxta jura ante Sententiam Excommunicationis præmittendæ sunt, *Judices observent aliquorum dierum competentia intervalla*, id est,

(a) Principis est apponere conditiones, quæ Testamenta faciunt rata vel irrita.

est, moderanda per Judicem pro personarum & negotii qualitate & locorum distantia.

Sive fiant tres, sive una pro omnibus.

Et id quidem, *sive Judices monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus*. Notantque communiter Interpretes ad minus inter singulas monitiones debere intercedere intervallum *duorum dierum*, eo quod Decretalis utatur numero plurali (*aliquorum dierum*) & si una duntaxat monitione peremptoria utatur pro *tribus*, tunc necessarium esse terminum *sex dierum*, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos pro tertio, & peremptorio termino, assignet.

Nisi necessitas aliud suaserit.

Declarat tamen Gregorius, hoc *dierum* intervallum inter monitiones servandum; nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda: *ut quia* (*ait hic Glossa*) *partes sunt ad rixam vel arma paratæ, nec tempus patitur plenius deliberare consilium*.

CAPUT XXX.

De relaxatione Excommunicati ad cautelam. Cap. *Præsenti* 10. de Sententia Excommunicationis in VI.

OBSERVATIO.

CONSTITUTIONE XXX. relata in *cap. 10. eod. in 6.* declarat *Beneficium relaxationis ad cautelam* locum non habere, quoad *sententias Interdicti in Civitates, Castra, vel quælibet alia loca sive terras generaliter promulgatas*.

Cur Relaxatio ad cautelam non habeat locum in Interdicto?

Cur hoc Beneficium relaxationis *ad cautelam* potius obtinet circa Sententias Excommunicationis, quam *generalis* Interdicti, varii varia dixerunt, uti apud Glossographum videre est.

Non improbabilis apparet ratio, quod in excommunicatione hoc statutum sit propter communionis periculum cum excommunicatio; ideoque ad aliorum cautelam fiat hæc absolutio, sed in participatione Interdictorum non sit tantum periculum.

Deinde per excommunicationem separatur quis a corpore Christi, & traditur satanæ, & idcirco magis festinandum est, ut absolvatur & redintegretur Christo: per Interdictum autem nihil simile contingit.

CAPUT XXXI.

Contra eos, qui persequuntur Excommunicatorem. Cap. *Quicumque* 11. de Sententia Excommunicationis in VI.

OBSERVATIO.

CONSTITUTIO hæc ultima agit contra Principes & Magistratus sæculares, qui ob turbatam forsan ecclesiasticam Jurisdictionem a Judice ecclesiastico excommunicati *licentiam dederint occidendi*, vel ipsum ejusve parentes *gravandi*, vel illum, ad cujus instantiam excommunicatio lata fuit.

Primo quidem statuit, quod *nisi licentiam ipsam re integra revocaverint, eo ipso Sententiam excommunicationis incurrant*.

Si autem *ad bonorum captionem occasione ipsius licentiæ sit processum, nisi bona ipsa fuerint intra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa, eo ipso* eamdem sententiam *incurrat*.

Eadem quoque sententia innodantur *omnes, qui ausi fuerint, licentia data uti; vel aliquid præmissorum, ad quæ committenda dari licentiam* prohibuit Constitutio, *alias committere suo motu*.

Denique si prædicti *duorum mensium spatio* in excommunicatione permanserint, *ex tunc ab ea non possunt, nisi per Sedem Apostolicam absolutionis beneficium obtinere*.

Ad calcem hujus Constitutionis finalis seu Canonis additur: *datum Lugduni Kalendis Novembris anno tertio*.

Hinc intelligitur Constitutiones plusquam tribus mensibus a soluto Concilio Lugdunensi a Gregorio X. fuisse promulgatas.

Non omnes Canones sub nomine alicujus Pontificis in Concilio sive Lugdunensi, sive Lateranensi relati sunt illius Concilii.

Ex hactenus dictis, & circa hæc Decreta annotatis, manifestum est Decreta, quæ sub nomine Gregorii X. in Concilio Lugdunensi referuntur in *Sexto Decretalium*, non omnia posse dici Decreta hujus Concilii, sed quædam ipsius Gregorii, quædam in Concilio recitata, quemadmodum jam supra notavimus circa varias Decretales, quæ inter Decretales Gregorii IX. referuntur, sub nomine Alexandri III. in Concilio Lateranensi III. aut sub nomine Innocentii III. in Concilio Lateranensi IV. ac denique in *Sexto* Decretalium sub nomine Innocentii IV. in Concilio Lugdunensi I.

Tempore Concilii Lugdun. II. judicia Ecclesiastica ad normam civilium exercita.

Præterea ex his Decretis perspicuum est, quod ætate hujus Concilii judicia Ecclesiastica omnino exercerentur ad normam judiciorum civilium, quodque praxis & disciplina in his expressa jam passim stabilita esset & recepta, prout hæc in falsis Decretalibus, necnon in Decreto Gratiani, & hinc in Decretales Gregorii IX. ac subsequentium Pontificum fuerat expressa: ut proinde mirum non sit in hisce Decretis plurima contineri, quæ nec eum Patrum disciplina conveniunt, neque ubique recepta sunt: uti in Observationibus notavimus (*a*).

(*a*) Ista Collectio una est e minoribus Collectionibus, e quibus Jus Canonicum coalescit. Collectiones enim novi Juris aliæ sunt majores, aliæ minores. Majores sunt Decretum Gratiani, & Collectio Gregorii IX. Minores sunt Sextus, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII. & Extravagantes Communes.

DISSERTATIO
In Libros Decretalium vulgo Clementinam.

§. I.

Quis horum Librorum Auctor ac Evulgator, & unde dicantur Clementinæ?

POST Collectionem Decretalium auctoritate Bonifacii VIII. & confectam & publicatam, quæ hodie *Sextus Decretalium* appellatur, sequitur in corpore juris Canonici collectio Decretalium, quæ communiter dicitur *Clementinarum* (*a*).

(*a*) Observare tamen non erit superfluum, quod summi Pontifices insidiosis artibus circumventi, dum erroribus occurrere putant, quandoque insequantur justitiæ & veritatis Patronos: quod genus fraudis cum vel maxime horrerent Romani Pontifices, quamdam Alexandri III. formulam in Ecclesiæ legem & Juris Canonici formulam consecrarunt, qua Pontificia Diplomata non exequi permittitur, cum obreptum esse summo Pontifici suspicio est. „ Si quando, inquit ille Pontifex ad Archiepiscopum Ravennatensem scribens, *cap. 5. de Rescript.* aliqua tuæ „ fraternitati dirigimus, quæ animum exasperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, „ diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas. Quia patienter sustinebimus, si non „ feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum „. Hæc semper fuit quorumdam Pontificum Romanorum ratio, quibus studium fuit Christianorum controversias penitus cognoscere, cognitasque componere; non eorum cupiditatibus obsequi, qui nihil aliud quam turbas, & discordias quærunt. Non illi in Ecclesia sibi vendicarunt dominatum, quem Petrus & Paulus post Christum tam districte prohibent, sed in regimine veritatem semper pacemque secuti sunt, & eam ob rem in omnibus eorum Decretis aut exprimitur aut intelligitur hæc exceptio; si *preces veritate nitantur*. Ex quo consequens est, cum tantum valere sua Decreta Pontifices jubeant, quantum sibi rite facta exposita sunt; non ideo factum aliquod pro vero habendum, quod aliquo summi Pontificis Decreto confirmetur; sed potius e Canonistis ipsa Pontificia Decreta pro ratis ac validis tum demum habenda, cum factorum veritati nituntur.

Clementina a Clemente V. collectæ, a Joanne XXII. evulgatæ.

Hoc nomen indubie mutuata est hæc Collectio a nomine Pontificis *Clementis V.* cui omnes Decretales hujus collectionis inscribuntur, quamvis non ab ipso, sed ejus successore *Joanne XXII.* hæc collectio evulgata fuerit, uti patet ex Epistola hujus Pontificis, qua collectionem mittit Doctoribus & Scholaribus universis Bononiæ commorantibus: ipsis *per Apostolica scripta* mandans, *quatenus eas* (Constitutiones) *prompto affectu* (inquit) *suscipiatis & studio alacri, eis sic vobis manifestatis & cognitis usuri de cætero in judiciis & in Scholis*.

Plurimæ in Concilio, ante & post Concilium Viennense confectæ.

In hac insuper Epistola scribit Joannes XXII. quod ejus Prædecessor Clemens V. *Nedum in Concilio Viennensi, quin etiam ante & post ipsum Concilium Constitutiones plurimas* edidisset,

Ulterius narrat, quod idem Clemens V. eas Constitutiones collectas in *unum volumen, & sub congruis titulis collocatas* decrevisset *mittere & dare in commune subjectis*.

Deinde scribit, quod idem Pontifex propositum suum de evulgandis his Constitutionibus, ob majora intercurrentia negotia, ac tandem morte præventus exequi non potuerit.

Ipse autem Joannes XXII. credens multa utilia in dictis Constitutionibus *statui, atque salubria & nonnulla dubia in judiciis & extra frequentata decidi*, eas evulgandas resolvit, atque eadem formula confirmavit, & servari mandavit, qua præcedentes Decretalium compilationes per Gregorium IX. & Bonifacium VIII. publicatæ & roboratæ fuerant, ut ex supra relatis verbis constat. Hæc *Joannis XXII.* Epistola vice præfationis præfixa legitur huic Collectioni sive Libris Clementinarum.

Bernardus Guido de Clementinarum evulgatione.

Hæc omnia, quæ in ea Epistola contenta sunt, breviter narrat Bernardus Guido in vita Clementis V. apud Baluzium *tomo* 1. *vitarum Paparum Avenionensium p.* 80. „ Anno Domini 1313. in Festo Beati Benedicti Abbatis,

„ tis; scilicet 13. Kalendas Aprilis in castro de Montiliis prope Carpentoratem Civitatem, in qua tunc Curia morabatur, Papa Clemens fecit coram se in Consistorio publicari Constitutiones, quas prius fecerat ordinari, ex quibus decreverat fieri librum unum, quem volebat *Septimum Decretalium* appellari, sicut fecerat *Sextum* Bonifacius Papa Antecessor; cœpitque Clemens Papa exinde ægrotare, unde post obiit 31. die, scilicet 12. Kalendas Maji, & sic Liber ille non fuit missus ad studia generalia, ut est moris, nec expositus communiter ad habendum; sed remanserunt Constitutiones illæ sic fere quadriennio in suspenso, donec postmodum per ejus Successorem fuerunt publicatæ & bullatæ, & ad studia generalia destinatæ.

Quare secundum Joannem Aventinum Clemens V. hanc Collectionem non ediderit?

Joannes Aventinus *lib.* 7. annalium Bojorum, aliam rationem non factæ publicationis per Clementem V. allegat: nimirum, quod in ea collectione multa continerentur, quæ simplicitati Christianæ, & libertati Religionis imponerent, adeoque animam agentem abolere illam jussisse. Verba ejus sunt, ut referuntur a Baluzio loco citato in notis *pag.* 683. „ Septimum Juris Pontificii Librum, quem Clemens V. Decessor ejus composuerat, sed quod multa, quæ simplicitati Christianæ, libertati Religionis imponerent, ibi continerentur, publicare supersedit, atque animam agens aboleri jusserat: edidit omnia, quæ ibidem scripta erant, rata fore constituit " nimirum Joannes XXII. additque: *Hæc a VVilhelmo Occanensi accepi*.

Si huic Historico credimus, noluit Clemens V. hanc a se procuratam collectionem evulgare, *quod multa, quæ simplicitati Christianæ, libertati Religionis imponerent, continerentur*: num hæc per Joannem XXII. ante ejus evulgationem erasa sint, non legitur; immo asseritur, eam, uti per Clementem erat continuata, per Joannem ejus Successorem, esse editam & ad Doctores Bononiæ commorantes missam.

Clemens V. voluerat eam nominari *Septimum Decretalium*.

Ex citatis verbis Guidonis insuper constat, quod Clemens V. hoc suum opus appellari & haberi vellet *Septimum Decretalium*, quemadmodum Bonifacius VIII. suum vocaverat *Sextum Decretalium*, quasi adjectum vice supplementi *quinque* Librorum Decretalium Gregorii IX.

Et sane sive ordinem sive numerum Librorum hujus collectionis spectes, fateri oportebit, pari iure eam *Septimum* vocari posse, quo opus Bonifacii *Sextus* Decretalium dictum fuit. Et sic antiquitus aliquando hanc collectionem vocatam fuisse *Septimum Decretalium* ostendit Baluzius in citatis notis *pag.* 682. quamvis tandem invaluerit, ut simpliciter Liber *Clementinarum* dicatur.

Verum cum Decretales in hac Collectione contentæ non exhibeantur sub solo nomine *Clementis* V. sed sub ejus nomine cum addito, *in Concilio Viennensi*, & vulgo credantur esse etiam huic Concilio adscribendæ (quamvis certum sit, eas omnes nec huic Concilio, immo nec huic Pontifici posse tribui) non inutile judicavi occasionem, nec non acta hujus Concilii breviter referre, ut ex his & nonnullorum, quæ huic Concilio adscribuntur verus sensus intelligi possit, & quæ ipsi Concilio attribui queant.

§. II.

Indictio & causæ indictionis Concilii Viennensis.

Concilium Viennense indictum in annum 1309.

CLEMENS V. anno 1305. ad Pontificatum assumptus, tertio sui Pontificatus anno, scilicet 1307. Concilium generale in Civitate Viennensi *Allobrogum ad Rhodanum* Kalendis Octobris ad duos annos immediate sequentes, nimirum anno 1309. celebrandum indixit.

Dilatum.

Sed cum, die designata, negotia in Concilio tractanda nondum essent præparata, terminum habendi Concilii *usque ad Kalendas Octobris prædictum primum terminum jam dudum per* suas *Litteras assignatum immediate sequentes, de Fratrum* suorum *consilio* duxit *prorogandum* Bulla, quæ incipit, *Alma Mater*, extatque *tom.* 11. *Concil general. col.* 1550. edit Labb.

Inchoatum anno 1311. mense Octobri.

Juxta hunc terminum prorogationis, videbatur Concilium celebrandum Kalendis Octobris 1310. sed tamen illud demum inchoatum esse mense Octobri anni 1311. constat.

Numerus Prælatorum in hoc Concilio.

Adfuere in primis ipse Pontifex Clemens V. & præter Cardinales, Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus Latini ritus; Principum Oratores complures, necnon Prælatorum ingens numerus, at Episcoporum numerus hactenus incertus; communiter tamen creditur, *trecentorum* circiter fuisse.

Sessio 1.

Prima Sessio celebrata est 16. Octobris anni 1311. in Ecclesia Metropolitana, cui assistens ipse Pontifex, assumpto themate ex Psalmo 110. vers. 1. & 2. *In Concilio justorum & Congregatione, magna opera Domini.*

Duravit Concilium septem mensibus.

Concilium hoc septem circiter mensibus duntaxat duravit, atque habitis tribus Sessionibus, anno 1312. finem accepit.

In eo actum 1. de Templariis. 2. de Beguardis, & Beguinis. 3. de causa Philippi Pulchri. 4. de Reformmorum.

De quatuor capitibus potissimum in hoc Concilio actum fuit. Primo de causa seu negotio Templariorum. Secundo de Beguardorum & Beguinarum, aliorumque erroribus. Tertio de causa Philippi Regis cum Bonifacio VIII. Quarto de Reformatione morum, & Status Ecclesiastici, de quibus breviter agendum.

O B S E R V A T I O N E S

In negotium Templariorum.

Quid sub Clemente V. & in Concilio Viennensi in causa seu negotio Templariorum actum & decretum sit?

Historiæ Templariorum variantes.

FAMOSA admodum & a multis tradita est Templariorum historia, præsertim quæ eorum extinctionem spectat; admodumque variasse relationes istius temporis, etiam quo hæc extinctio facta fuit, recte notavit Daniel Papebrochius in suo *Conatu Chronologico Historico ad* Catalogum Pontificum in vita *Clementis V.* idque (ut ipse ait) pro vario cujusque affectu, „ multaque in gratiam Regis atque Pontificis affingere eis potuerit adulatio atque calumnia, quæ tamen aliqui tormentis fracti de se confessi sunt, alii constanter negaverunt ". Hæc ille.

Justitiam aut injustitiam eorum, quæ in hac causa gesta feruntur, hic examinare minime intendo: unice animus mihi est ea, quæ in hac causa gesta & decreta fuere, ac signanter sub hoc Pontifice Clemente V. & in Concilio Viennensi, simpliciter & historice referre.

Templarii pio instituto ad potentiæ sæcularis mores dilapsi.

Originem hujus Ordinis, & quomodo primitus in paupertate institutus, brevi ad magnas divitias pervenerit, retuli ad *Can. IX.* Concilii Lateranensis sub Alexandro III.

Porro quemadmodum aliis plerisque Ordinibus accidit, & huic Ordini contigisse potuit, ut nimirum divitiæ, quas ipsis pietas & humilitas peperat, suffocaverint ipsam Matrem, pietatem & humilitatem: qua suffocata sensim in relaxationem ac vitia eam concomitantia prolapsus sit.

Sed hic speciale fuit huic Ordini, quod cum ex instituto quasi *militaris* esset, tandem Fratres quasi sæculi *milites* facti, ac divitiarum suarum potentia confisi, etiam Regibus & Principibus sæculi bella indicerent, ipsisque formidabiles redderentur. Mirum proinde videri non debet, si Reges, quibus hic Ordo adversus videbatur, ejus extinctionem, aut humiliatiotionem optarent, & ad eam, ubi occasio se offerebat, allaborarint.

Occasio processus adversus Templarios ex Amaltico Augerio.

Occasionem instituti processus adversus Templarios, eorumque Ordinem, cujus extinctionem aut saltem depressionem summopere desiderabant Principes, notanter præ reliquis Philippus Pulcher Rex Franciæ, describit Almericus Augerius in vita Clementis V. quæ sub nomine sextæ vitæ tomo 1. vitarum Paparum Avenionensium inseruit Stephanus Baluzius: „ Tempore hujus Clementis (ait) contigit, ut fertur, quod in quodam Castro regio Diœcesis Tolosanæ per Officiales dicti Regis Franciæ quiddam nomine Squinus de Floriano civis Bitterrensis cum quodam fratre militiæ Templi apostata pro suis maleficiis capti fuerunt, & in forti carcere ambo insimul positi extiterunt. Cumque dictus Squinus & ejus socius Templarius propter maleficia, quæ perpetraverant de die in diem de sua vita more navigantium se desperarent, ad invicem peccata sua confessi fuerunt. Qui quidem Templarius sibi extitit confessus multos errores contra Deum & periculum animæ suæ, atque unitatem fidei Catholicæ, quod in ingressu sui Ordinis, & postea pluribus vicibus se communicasset; quorum maleficiorum speciem per ordinem enarravit. Quibus auditis, a Cancellaria sequenti die majorem Officiale alterius Castri regii ad se fecit convocari & ad eum adduci. Qui quidem obtulit unum magnum factum Regi Franciæ revelare, de quo plures utilitates ipse Rex habere poterat, quam si de novo acquireret unum Regnum. Et ideo me bene captum & vinculatum ad eum perduci faciatis, ut dixit, quia nulli de mundo nisi dicto Regi revelaret, esto quod ipse mortem subiret temporalem „.

„ Item quod cum ipse Officialis Regius vidisset, ut eum blandimentis, promissionibus, oblationibus, & demum quod ipse cum comminationibus præfatum Squinum inducere non poterat, quod prædictum factum sibi revelaret, ideo omnia præmissa per ordinem dicto Philippo Regi Franciæ scripsit & significavit. Qui quidem statim sibi rescripsit & injunxit, ut ipsum Squinum sub fideli custodia ad eum Parisiis mitteret.

Item quod cum postea ipse Squinus juxta mandatum Regis eidem Regi Parisiis fuisset præsentatus, statim ipsum traxit ad partem ob scire veritatem de præmissis, promittens sibi securitatem corporis & commodum, si illa, quæ dicebat, veritatem continerent. Cumque Squinus confessionem dicti Templarii apostatæ par ordinem sibi explicasset, confestim ipse Rex aliquos Templarios capi fecit, & super hoc cum eis informationem fieri fecit.

Philippus Pulcher excitat Clementem V. adversus Templarios.

Ut autem ad totius Ordinis extinctionem hæc occasio extenderetur, credidit negotium hoc tamquam totam Christianitatem attingens, Pontifici communicandum: cui & per se Lugduni in ipsa Pontificis coronatione, tum Pictavis per suos Legatos communicavit.

Pontifex relatis fidem adhibere non potuit, credens quæ Ordini imponebantur crimina, nequaquam esse verisimilia.

Templarii supplicant Pontifici, ut informationes capiat.

Id autem intelligens Ordinis Magister cum nonnullis ejusdem Ordinis, quorum intererat, tam atrocem Ordinis infamationem depellere, supplicarunt Pontifici, ut de veritate delatorum criminum se informare dignaretur, seipsos submittentes pœnis etiam gravissimis, si eorum, de quibus accusabantur, culpabiles deprehenderentur.

Pontifex scribit Regi de capiendis informationibus.

Pontifex hæc per litteras de 23. Augusti anni 1306. significavit Philippo Regi Francorum, eique una indicavit, sibi propositum esse intra paucos dies ire Pictavos, ibique informatione contra Templarios incepturus; rogans, ut Rex sibi communicaret informationes, si quæ ex nunc essent captæ.

Rex Templarios carceri mancipat.

Rex autem quasi more impatiens & veritus, ne negotium hoc, quod in publicum prodire incipiebat, tumultum vel seditionem, ob Ordinis istius, præsertim in Gallia, summam potentiam, excitaret, misit litteras ad omnes regni sui Officiarios, quibus mandabat, omnes Templarios eodem die 12. Octobris 1306. incarcerari, quod & factum esse narrat Guillelmi Nangii Continuator scribens: *Die Veneris post Festum beati Dionysii tertio idus Octobris, omnes Templarii quotquot in Regno Franciæ sunt reperti, quasi sub ejusdem horæ momento, illucente videlicet sole, vel circiter, juxta Decretum Regium ac præceptum subito capiuntur: ac diversis carceribus mancipantur. Inter quos in domo Templi Parisiis captus est, & detentus totius Ordinis Magister Transmarinus.*

Hanc Templariorum capturam describit quoque citatus Amalricus apud Baluzium, *col.* 100.

Offensus Pontifex incarceratione S. Sedi immediate subjectorum.

Hoc facto Regis, offensus Pontifex dedit litteras ad Regem de 27. Octobris 1306. quibus conqueritur, quod jusserit incarcerari Templarios subjectos immediate Sedi Apostolicæ *absque medio*, & occupasset eorum bona, cum tamen non spectet ad Potestates sæculares de personis Ecclesiasticis, quales procul dubio erant Templarii ratione votorum, quæ in suæ professione emittebant.

Ut ergo huic attentato occurreret, dicit, se mittere duos Cardinales, possitque Rex cum his de præsenti negotio conferre, bona Templariorum occupata & arrestata, eorumque personas ad eorum manus consignando.

Hic videmus quantopere Pontifex, pro tuenda sua auctoritate & immunitate, etiam quoad bona temporalia, esset sollicitus.

Interea dum hæc agerentur, Rex mandavit Inquisitori generali Apostolico per Galliam, suisque Officiariis & Prælatis, ut informationes caperent contra Templarios, quod in multis locis factum est, & plura eaque gravissima adversus Ordinem illum deposita fuisse dicuntur.

Sed Papa rursus ægre ferens, hæc citra ejus *specialem* auctoritatem contra Ordinem immediate Sedi Apostolicæ subjectum, attentari, per specialem Bullam, Episcoporum & Inquisitorum Gallicanorum auctoritate suspensa, omnem hujus causæ cognitionem sibi reservavit, ut ita inane quodammodo redderetur, quidquid in hoc negotio, Rege promovente, actum hactenus erat.

Rex queritur de inertia Pontificis.

Hac agendi ratione Rex non parum irritatus, jussit exponi Pontifici, quod ipse Pontifex nimium flaccidus in prosecutione hujus causæ videretur; cum Deus nihil magis, quam frigidos & flaccidos detestetur.

Secundo, quod hic procedendi modus, esset sceleribus accusatorum consentire; ipsisque præbere audaciam & media persistendi in negatione admissorum criminum.

Quæritur de inhibita Episcopis inquisitione in Templarios.

Tertio, quod Papa potius debuisset excitare zelum Prælatorum *ordinariorum* ad extirpationem hujus Ordinis, utpote qui cum ipso Papa sunt vocati in *partem sollicitudinis*, & qui exactius & facilius instrui possint de simili negotio in suis respective Diœcesibus, quam extranei, & ignoti.

Quarto conqueritur de gravi injuria illata Episcopis: *gravis*, (*ait*) *quod absit, fieret injuria, si semel justa causa ministerium a* Deo *sibi traditum, & defensionis fidei meritum auferetur Episcopis, nec Prælati talem injuriam meruerunt, nec hanc ferre possent, nec, scilicet Rex, salvo suo juramento posset hoc tolerare, essetque peccatum gravissimum spernere eos, quos Deus misit*: qui vos *enim* spernit, me spernit, *ait Dominus*, Luc. cap. 10. vers. 16. *Quis ergo sacrilegus vobis, Pater S. præsumet consulere, quod vos eos spernitis, immo potius Jesum Christum eos mittentem.*

Item de suspensa auctoritate ipsorum Inquisitorum.

Addebat insuper, quod suspensio auctoritatis Inquisitorum præberet Templariis fiduciam accipiendi patrocinium in Curia Romana, & causam in longum protrahendi; quodque Rex Franciæ non ut accusator, non ut denuntiator, vel partialis promotor, hæc suscepit, sed ut Dei minister, pugil fidei catholicæ, Legis divinæ zelator ad defensionem Ecclesiæ juxta traditionem sanctorum Patrum, de qua tenetur Deo reddere rationem.

Verum cum Rex Franciæ hoc Templariorum negotium, ac signanter hujus Ordinis extinctionem ardentissime prosequeretur, & finem illius desideraret, intelligeretque vix sperandum optatum hujus suscepti negotii exitum, nisi & Papam sibi consentientem haberet; tandem resolvit, duobus prædictis Cardinalibus a Pontifice in Galliam ablegatis hoc negotium remittere.

72. Templarii coram Papa crimina confessi.

Itaque e Templariis, qui Parisiis coram Inquisitore fuerant examinati numero septuaginta duo Pictavos ad Papam ducti sunt, & coram Papa, præsentibus Cardinalibus, super criminibus, de quibus Ordo infamabatur, interrogati, illa confessi sunt, uti ea coram Inquisitore Apostolico in Gallia declaraverant. Responsiones in scriptum redactas, rursus prælectas coram Cardinalibus a Pontifice deputatis, ratas habuerunt.

Accessit & Declaratio eorumdem criminum facta coram Papa a quodam hujus Ordinis milite Domestico Papæ; quæ omnia latius referuntur in Bulla data ad Regem Francorum, quæ incipit, *Regnans in cælis.*

Bulla de 5. Julii permittit Episcopis & Inquisitoribus procedere adversus Templarios usque ad sententiam exclusive.

Pontifex, auditis his testibus, vidensque Regem ad extirpationem animatum, & de imminuta Episcoporum auctoritate offensum, expedivit Bullam 5. Julii 1308. Archiepiscopis, Episcopis, & Inquisitoribus per Regnum Galliæ inscriptam, qua tollit suspensionem auctoritatis ipsorum procedendi contra hunc Ordinem, aut ejus personas singulares, permittitque ipsis, ut in suis respective Diœcesibus contra Templarios queant procedere, usque ad sententiam exclusive, quæ in Synodis Provincialibus danda erit, reservata tamen sibi & Sedi Apostolicæ causa *Magistri generalis* Ordinis, necnon quorumdam inferiorum Magistrorum & Præceptorum Ordinis in Bulla expressorum.

Bulla de 11. Augusti 1309. de procedendo contra totum Ordinem.

Itaque Pontifex volens Regi, totius Ordinis extinctionem desideranti, satisfacere; una tamen volens, ut omnia sua auctoritate agerentur, per Bullam de 11. Augusti anno Pontificatus sui tertio commisit Archiepiscopo Narbonensi, ac Bajocensi, Mimatensi, & Lemovicensi Episcopis, & quatuor minoribus Prælatis, ut in aliqua civitate Senonensis Diœcesis processum dirigerent & instituerent contra *totum* Ordinem.

In hac Bulla narrat, quæ contra Templarios hactenus informationes captæ sint, qui testes auditi, & eorum depositiones & confessiones, ex quibus confessionibus & depositionibus, ac relatione eorum, qui ex commissione Pontificis informationes ceperant, invenisse se dicit, Magistrum & Fratres dicti Ordinis in pluribus graviter deliquisse. *Sed quia* (*inquit*) *in universis mundi partibus, per quas idem Ordo diffunditur, ac Fratres, degunt ejusdem, super his non possumus inquirere per* nos ipsos, *discretioni vestræ mandamus, quatenus ad Senonensis civitatis Diœcesim & Provinciam personaliter accedatis, & per publicum citationis edictum per vos faciendum in locis, de quibus vobis visum fuerit expedire, vocetis, qui fuerint evocandi, super articulis, quos vobis sub Bulla nostra inclusos transmittimus, & super aliis, de quibus prudentiæ vestræ visum fuerit expedire, inquiratis hac auctoritate nostra contra dictum Ordinem cum diligentia veritatem, quæ super præmissis inveneritis, fideliter in scriptis publica manu redacta sub vestris sigillis ad nostram præsentiam delaturi, seu etiam transmissuri.*

Vigore hujus commissionis, convenerunt hi Commissarii Parisiis (*a*) mense Novembri, anno 1309. ad audiendos testes, & instruendum processum contra dictum Ordinem.

Informatio biennalis.

Porro Commissarii plurimos ex his Templariis examinaverunt, cumque ex parte Templariorum, ac præsertim Magistri generalis Ordinis plura opponerentur, protracta fuit hæc informatio, & instructio processus circiter per Biennium, id est, usque ad mensem Junium an. 1311. quando demum conformiter ad Litteras commissionis, captæ informationes una cum actis totius processus per Commissarios missæ sunt ad Pontificem, ut per ipsum sententia contra Ordinem & personas in litteris commissionis nominatim expressas, pronuntiaretur.

Rex urget negotium.

Cum autem instaret tempus Concilii generalis Viennensis, Rex Franciæ enixe desiderans, ut extinctio hujus Ordinis auctoritate Concilii generalis perficeretur, ad facilitandum Pontificem scripsit ad ipsum 2. Martii 1311. *Sibi a fide dignis fore datum intelligi, quod per ea, quæ reperiuntur in Requestis factis contra Fratres & Ordinem Militiæ Templi, apparet seu constat de talibus & tantis Hæresibus, & aliis horribilibus, & detestandis criminibus eorumdem, quod propterea merito dictus Ordo tolli debeat.*

Deinde Pontifici affectuose, devote & humiliter supplicat, quatenus tollat Ordinem supradictum, & alium Ordinem militarem de novo creare velit, cui bona Ordinis supradicti conferat, vel alium Ordinem de antiquis Militaribus, prout ad honorem Dei & utilitatem Terræ sanctæ viderit expedire. *Quidquid enim* (*inquit*) *in præmissis, vos, sancte Pater, duxeritis ordinandum, nos ratum & gratum habebimus, & devote recipiemus, & observabimus in Regno nostros, & nostros servare volumus, præcipimus, & decernimus Successores, & a subditis nostris faciemus, prout ad nos pertinet, observari.*

Proponitur negotium Templariorum in Concilio Viennensi ann. 1311. sessione 1.

Itaque Pontifex postulatis Regis satisfacere satagens, Concilio Viennæ mense Octobri ejusdem anni congregato, negotium Templariorum Sessione prima habita 16. dicti mensis Octobris proposuit.

Variæ fuere Patrum opiniones, quibusdam opinantibus

(*a*) Quarto-decimo Sæculo Episcopatus Parisiensis Suffraganeus erat Archiepiscopatus Senonensis, adeoque in ejus Provincia Ecclesiastica versabatur, nec nisi anno 1622. ad Archiepiscopalem dignitatem erecta est Ecclesia Parisiensis.

Patres variæ opinantur circa extinctionem Ordinis.

bus Ordinem audiri debere, priusquam ejusdem extinctio decerneretur; injustum esse ac probrosum Ecclesiæ, tam notabile ac nobile ejusdem membrum, ob quorumdam particularium excessus, penitus abscindi.

Alii vero censebant, Ordinem illum tam corruptum tamque scandalosum ulterius absque summo Fidelium scandalo tolerari non posse.

Quare negotium protrahitur usque ad mensem Martium 1312.

Hæ Prælatorum altercationes negotium protraxerunt usque ad mensem Martium anni sequentis 1312. hoc autem mense die 19. Pontifex habuit particulare Consistorium cum Cardinalibus & Prælatis, in quo extinctio Templariorum resoluta & conclusa tandem fuit.

Bulla extinctionis Ordinis Templariorum *per viam Provisionis*.

Conformiter ad hanc resolutionem Bulla Extinctionis confecta est, atque in secunda Concilii publica ac solemni Sessione, præsente ipso Rege Franciæ sedente ad sinistram Pontificis, lecta fuit & probata.

In hac Bulla dicit Pontifex, quod ,, propter Magistrum & Fratres, cæterasque personas Ordinis *Militiæ* ,, *templi* Hierosolymitani in quibuslibet mundi partibus ,, existentes, *variis & diversis non tam nefandis*, quam ,, *infandis*, proh dolor errorum & scelerum obscænitatibus, pravitatibus, maculis, & labe respersas, ,, ejusdem Ordinis statum, habitum, atque nomen, ,, non sine cordis amaritudine & dolore (inquit) sacro ,, approbante Concilio, *non per modum diffinitivæ* ,, *sententiæ*, cum eam super *hoc secundum inquisitionem, & processus super his habitos*, *non possemus ferre* de jure, sed *per viam provisionis* seu *ordinationis* ,, *Apostolicæ*, irrefragabili, & perpetuo valitura, sustulimus sanctione, ipsum prohibitioni perpetuæ supponentes: districtius inhibendo, ne quis dictum Ordinem de cætero intrare, vel ejus habitum suscipere vel portare, aut pro Templario se gerere præsumeret: quod si quis contra faceret, excommunicationis incurreret sententiam ipso facto ,,.

Hæc sententia valde insolita.

Admodum insolitam esse hujus Sententiæ formam nemo non videt; de hac sententia scribens Thomas Valsingham Historicus Anglicus ad annum 1311. ait. ,, Cum in Concilio Viennensi tractaretur, an propter ,, vocationem singularium personarum Ordinis Templariorum, vel propter acta contra eosdem, posset totus Ordo damnari propter singularium delinquentium ,, vocationes, cum constaret, quod dictus Ordo non fuerat vocatus, definitum fuit per Concilium, quod ,, non *de Jure*. Ideo Clemens V. in Bulla sua condemnatoria Ordinis, adjecit hanc clausulam: *quamquam de Jure non possumus, tamen ad plenitudinem* ,, *potestatis dictum Ordinem reprobamus*.

Eadem de concepta & formata sententia extinctionis in privato & secreto Consistorio, nec non de facta ejusdem solemni publicatione in Sessione Concilii Viennensis, præsente Rege Franciæ, scribit Amalricus Augerius in hujus Pontificis vita apud Baluzium de vitis Paparum Avenionensium, *pag.* 107.

Sententia extinctionis non tam Concilio adscribenda, quam Pontifici.

Hæc probant sententiam extinctionis adscribendam non tam Concilio, quam Pontifici, qui eam de *plenitudine potestatis* tulisse apparet, dum eamdem de *Jure*, proferri non posse, Concilium judicavit.

Albericus de Rosate de hac sententia adversus Templarios.

De hac Sententia scripsit Albericus de Rosate, qui sub medium ejusdem sæculi floruit, quemque Moreri in suo Dictionario Historico testatur fuisse inter suæ ætatis auctores eruditum Jurisconsultum, eumque scripsisse Commentarium in *Sextum Decretalium* sæpius reimpressum.

Hic postquam de his Templariis dixit: Templarii ,, erant magnus Ordo in Ecclesia, & erant strenui milites beatæ Mariæ, & destructus fuit ille Ordo tempore Clementis Papæ V. ad provocationem Regis ,, Franciæ. Et, sicut audivi ab uno, qui fuit examinator causæ & testium, destructus fuit contra justitiam. Et mihi dixit, quod ipse Clemens protulit ,, hoc: & si non per viam justitiæ potest destrui, destruatur tamen per viam expedientiæ, ne scandalizetur charus filius noster Rex Franciæ ,,.

Bona Templariorum Hospitalariis concessa.

Quoad bona hujus Ordinis, hæc primum Apostolicæ Sedis ordinationi & dispositioni auctoritate sua Clemens V. duxerat reservanda. At postmodum, ne dicta bona, debita gubernatione carentia, tamquam vacantia deperirent, vel converterentur in alios usus, quam in illos, ad quos fuerant pia devotione Fidelium deputata, post varios tractatus, & deliberationes cum Cardinalibus, Prælatis, aliisque illustribus personis, tandem resolutum fuit, ut prædicta bona *Ordini Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, & ipsi* Hospitali in perpetuum unirentur, prout per Bullam ea omnia generaliter, tam mobilia, quam immobilia, etiam jura & actiones, quæ ipse Ordo, & dicti Magister & Fratres ipsius Ordinis Militiæ Templi, tempore quo ipse Magister, & nonnulli ex ejusdem Fratribus Militiæ Templi, in Regno Franciæ communiter capti fuerunt, videlicet anno Domini 1308. mense Octobri, per se vel quoscumque alios habebant, dicto Ordini Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani & ipsi Hospitali donat, concedit, unit, incorporat, applicat, & annectit in perpetuum de *Apostolicæ plenitudine potestatis*.

Aliqua tamen Pontifex reservat suæ dispositioni.

Ab hac tamen generali incorporatione bonorum dicti Ordinis Templi excipit bona consistentia in Regnis Castellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, & Majoritarum extra Regnum Franciæ, ea per hanc Bullam, prout jam per præcedentes factum erat, rursus Sedis Apostolicæ dispositioni & ordinationi reservans; renovans quoque inhibitionem per alios processus, & Bullas factam, ne quis videlicet, cujuscumque conditionis vel status, se de personis & bonis hujusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea in præjudicium ordinationis seu dispositionis ejusdem Sedis faciendæ de illis: quas ordinationes quoad personas & bona Ordinis Templi dictis Regnis consistentia vult manere in pleno robore firmitatis: quousque (ait) de personis & rebus prædictis in eisdem ,, Regnis & Terris consistentibus per dispositionem ,, Sedis ejusdem fuerit ordinatum.

Post hæc detentores horum bonorum cujuscumque sint dignitatis, etiam Pontificalis, Regalis, aut Imperialis, nisi *infra unius mensis* spatium, postquam super hoc per dictos Magistrum & Fratres fuerint requisiti, dicta bona dimiserint, ac dicto Hospitali sancti Joannis restituerint, sententia excommunicationis punit, uti latius in Bulla exprimitur.

Bulla executioni mandata quoad Bona Hospitalariis.

In conformitatem hujus Bullæ deputabat Papa in singulis Provinciis, qui Hospitalarios S. Joannis aut eorum Procuratores mitterent in possessionem dictorum bonorum & Jurium; atque auctoritate Apostolica contra refractarios procederent. Formula deputationis habetur subnexa sententiæ extinctionis Templariorum *tomo* 11. Concil. general. *col.* 1560. edit. Labb.

Causæ particularium Templariorum Conciliis Provincialibus commissæ.

Causas particulares singulorum Templariorum remisit ad Concilia Provincialia, ut ibidem reperti nocentes, pro gravitate & qualitate criminum condigne puniantur; innocentibus autem de certis pensionibus ex dictis bonis provenientibus provideretur.

Quidquid sit de justitia aut forma hujus Sententiæ, hoc certum est, quod quoad extinctionem Ordinis suam tandem habuerit executionem, Ordoque hic sit extinctus.

Bona Templariorum a variis occupata.

Non eadem fuit bonorum Ordinis Templi in omnibus Regnis applicatio. In Regno Arragoniæ, instante Rege fuerunt incorporata auctoritate Pontificis Ordini Calatratiæ, ita tamen ut Rex sibi retinuerit septem loca munita sive Castra, quæ pertinuerant ad dictum Ordinem.

Immo Ferrdinandus IV. Rex Castellæ noluit se subjicere ordinationi Pontificis, qua bona hujus Ordinis incorporabantur Hospitali sancti Joannis, sed dominio suo applicuit civitates, terras, aliaque bona dicti Ordinis universa in Regno suo sita.

Sed nec in Gallia Hospitale sancti Joannis sive ejus Magister & Fratres potuerunt bonorum illorum possessionem integram & pacificam accipere, non obstante incorporatione ipsis facta, ac iteratis Bullis Pontificis, quibus possessio illorum ipsis adjudicabatur, & a detentoribus restitui mandabatur. Et quidem anno 1317. legitur, conventum inter Regem Galliæ & Hospitalarios sancti Joannis in Jerusalem, quod Rex deberet habere duas tertias Mobilium, & Margaritarum, & ornamentorum Domuum & Cappellarum Ordinis Militiæ Templi. Acta habentur apud Puteanum in citata Hist. *pag.* 211.

Insuper scribit sanctus Antoninus in Chronico, quod quidem ,, statutum fuerit, quod omnia bona & possessiones, quæ fuerant mansionis Templi, assignarentur ,, mansioni Hospitalis Hierosolymitani. Et quia (ait) ,, jam fuerant occupata a diversis Dominis Laicis, ,, oportuit quod illi de Hospitali *magnum thesaurum* ,, exponerent in dando Regi, & aliis, qui occupaverant dicta bona. Unde depauperata est mansio ,, Hospitalis, quæ se existimabat inde opulentam ,, fieri.

OBSERVATIONES

In Clementina ſuper Dogmatibus, & erroribus eis contrariis.

CONCILIUM Viennenſe per Clementem V. convocatum fuiſſe, ut Eccleſia *eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata fidei unitate*, perfecta libertate frueretur, narrat Pontifex Clemens V. in Litteris indictionis hujus Concilii.

Et revera inter Clementinas extant plures hanc in rem Conſtitutiones ſub nomine dicti Pontificis in Concilio Viennenſi.

PRIMA CLEMENTINA.

Quod Chriſti jam mortui latus lancea apertum fuerit. Anima rationalis ſit forma humani corporis & virtutes parvulis in Baptiſmo infundantur. Cap. *Fidei Cath.* de ſumma Trinit. & Fide Cathol.

OBSERVATIO.

Damnatur error 1. de latere Chriſti viventis lancea perforato.

IN hac Clementina Conſtitutione, in qua tres præcipue errores damnantur; primus verſatur, ut apparet, circa apertionem lateris Chriſti factam per unum militem, uti in textu Evangelico deſcribitur; videntur quidam voluiſſe, *vivente* adhuc Chriſto, *unum militum lancea latus ejus* aperuiſſe.

Declaratur autem hic S. Joannem Evangeliſtam in narratione & teſtimonio ſuo *cap. 19. rectum factæ rei ordinem tenuiſſe, narrando, quod Chriſto jam mortuo, unus militum lancea latus ejus aperuit*.

Plura hic in myſticam hujus *apertionis* & emanantis aquæ & ſanguinis ex ejus latere ſignificationem, adducuntur, ac ſignanter, quod *ſicuti de latere primi hominis ſoporati Eva ſibi in conjugium eſt formata*, ita ex latere noviſſimi Adam, id eſt, Chriſti jam mortui, *formaretur unica & immaculata, ac Virgo ſancta, Mater Eccleſia conjux Chriſti*.

2. error, quod anima rationalis non ſit forma corporis humani.

Secundus error verſabatur circa modum, quo anima rationalis informat corpus humanum. Nonnulli enim aſſerebant, quod *ſubſtantia animæ rationalis ſeu intellectivæ, vere ac per ſe humani corporis non ſit forma*. Hanc aſſertionem *vult erroneam, ac veritati Catholicæ inimicam fidei* reprobat atque declarat, quod *quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis ſeu intellectiva non ſit forma corporis humani per ſe & eſſentialiter, tamquam hæreticus ſit cenſendus* (a).

3. error, quod per Baptiſmum parvulis non conferantur virtutes.

Tertio declarat, credendum, *Baptiſma celebratum in aqua in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti eſſe tam adultis quam parvulis, communiter perfectum remedium ad ſalutem*.

Cæterum cum quidam dicerent, *per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri*; alii autem ſuſtinerent, quod per Baptiſmum parvulis non tantum *culpa remittitur*, ſed & *virtutes ac informans gratia infunduntur, quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad uſum*. Hanc poſteriorem *opinionem, tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante Concilio duximus* (inquit) *eligendam*.

Hæc definitio & declaratio, Theologiam Scholaſticam, quæ tum invaluerat, patenter refert, nec ſuper aliquo catholicæ doctrinæ articulo unquam ab aliquo alio Concilio prolatam fuiſſe ſimilis *formæ* deciſionem vel declarationem reperio.

Surpadicti errores Petro Joannis adſcripti.

Quis fuerit aſſertionum, quæ hic repudiantur vel reprobantur, aſſertor ſeu Auctor in hac Decretali non exprimitur. At Severinus Binius in notis ad Concilium Viennenſe *littera F.* refert ex Sandero: „ *Petrus Joannis* Joachim Abbatis diſcipulus erat; hic negabat, „ animam rationalem, qua rationalis eſt, formam eſſe „ humani corporis: gratias & virtutes in Baptiſmo „ infundi, Chriſtumque *adhuc viventem* lancea vulneratum, & quod Evangeliſta jam aliter narret, „ *perturbate* narratum videri aſſerebat „.

Conſonat & ſanctus Antoninus, hos quoque errores eidem auctori adſcribens, ac Concilium Viennenſe ejus errores feriiſſe narrans, Similiter in Directorio Inquiſitorum hæc Decretalis contra errores hujus *Petri Joannis* edita aſſeritur.

CLEMENTINA

Contra errores Beguardorum & Beguinarum. Cap. *Ad noſtrum* 3. de Hæreticis.

OBSERVATIO.

Contra Beguardos & Beguinas.

IN hac Clementina ait Pontifex: *Ad noſtrum ... pervenit auditum, quod ſecta quædam abominabilis quorumdam hominum malignorum, qui Beguardi, & quarumdam infidelium mulierum, quæ Beguinæ vulgariter appellantur, in Regno Allemaniæ damnabiliter inſurrexit, tenens & aſſerens doctrina ſua ſacrilega & perverſæ inferius deſignatos errores*.

8. Errores.

Tum relatis octo articulis doctrinæ eorum, *ſacro* (inquit) *approbante Concilio, ſecta ipſam tum præmiſſis erroribus damnamus, & reprobamus, inhibentes diſtrictius, ne quis ipſos teneat, approbet, vel defendat*.

1. error de impeccabilitate perfectorum, ex quo cæteri 6. pene profluunt.

Primus error, e quo reliqui fere deducebantur, erat: *Quod homo in vita præſenti tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit*.

Petrus Olivi ſive Joannis ſummo in pretio apud Beguardos & Beguinas.

Porro admodum veriſimile eſt, octo illos errores in hac Clementina damnatos, fuiſſe adſcriptos *Petro Olivi*, ſive *Joannis* (de quo in *Obſervatione* præcedenti) licet tunc a viginti circiter annis defuncto, idque per Fratres laxioris *obſervantiæ* ſive de *Communitate*: ut ita memoriam hujus viri obſcurarent.

Et revera hi errores in Directorio Inquiſitorum parte 2. huic Petro attribuuntur; tametſi in Decratali ſive Clementina hi errores ſive hæreſes non adſcribantur huic Petro, ſed quibuſdam viris & mulieribus, quas *Beguardos & Beguinas* vocat. Seitur enim, quod hi Fratres *Beguardi* uti & mulieres, quæ vocabantur *Beguinæ*, nec non *Fratricelli*, nec non Fratres *de pœnitentia*, hunc *Petrum Joannis*, tamquam ſuum Patriarcham colerent, unde & horum omnium Patriarcha nominatur in citato Directorio.

Cætetum de hoc *Petro Olivi* ſive *Joannis* plura dicentur in *Obſervationibus* ad Extravagantes Joannis XXII.

Inquiſitio in Beguardos & Beguinas culpabiles.

Porro per hanc Conſtitutionem non omnes ejus nominis & profeſſionis viros vel mulieres, prædictis erroribus infectos aut reos declarari, evincit clauſula finalis, qua injungitur: Diœceſanis, & *illarum partium* Inquiſitoribus *hereticæ pravitatis, in quibus Beguardi & Beguinæ hujuſmodi commorantur, ſuum officium circa eos diligenter exerceant inquirentes de vita & converſatione ipſorum, qualiterve ſentiant de articulis Fidei, & Eccleſiæ Sacramentis*. Dein in ſolos *culpabiles debitam* exerceri *ultionem* mandans.

CLEMENTINA

Contra Beguinas. Cap. *Cum de quibuſdam* 1. de Religioſis Domibus.

OBSERVATIO.

Beguinarum inſtituti & converſationis deſcriptio.

CIRCA mulieres illas, *Beguinas* vulgariter nuncupatas, extat & hæc altera Conſtitutio in *Clementina*, Cum de quibuſdam, *de religioſis Domibus*, ſub nomine ejuſdem *Clementis V. in Concilio Vienn.* de quibus ibidem dicitur, quod *cum nulli promittant obedientiam, nec propriis renuntient, nec profiteantur aliquam Regulam approbatam*, religioſæ *nequaquam* exiſtunt; *quamquam habitum, qui* Beguinarum *dicitur, deferant, & adhæreant Religioſis aliquibus, ad quos ſpecialiter trahitur affectio earumdem*.

Heterodoxæ earum opiniones

Inſtitutio & conſervationis modo ita breviter deſcriptis, ſubdit ſibi fide *digna relatione inſinuatum, quod eorum aliquæ quaſi perductæ in mentis inſaniam, de ſumma Trinitate, ac Divina aſſentia diſputent & prædicent, varias opiniones Fidei Catholicæ contrarias introducant, & multos ... ſimplices decipientes, in errores inducant, aliaque quam plura periculum animarum patientia ſub quodam velamine ſanctitatis faciant, & committant*.

Aboletur ſtatus Beguinarum.

His præmiſſis, non jubet inquiri, quæ earum nocentes, quæ innocentes reperiantur, ſed ſimpliciter, *ſtatum earumdem, ſacro approbante Concilio, perpetuo*, inquit, *duximus prohibendum & a Dei Eccleſia penitus abolendum: eiſdem & aliis quibuſcumque mulieribus ſub pœna excommunicationis* ipſo facto incurrendæ... *injungentes expreſſe ne ſtatum hujuſmodi dudum forte ab ipſis aſſumptum, quoquo modo ſectentur ulterius, vel ipſum aliquatenus aſſumant de novo*.

Excommunicantur Religioſi, qui eas foveant deinceps.

Religioſis quoque, *per quod eædem mulieres in hujuſmodi Beguinarii ſtatu foveri, & ad ipſum ſuſcipiendum induci* dicebantur, *ſua ſimili excommunicationis pœna eo ipſo* incurrendæ *diſtrictius* inhibet, *ne mulieres* in eo ſtatu foveant, aut ad eum aſſumendum inducant, nec *ſuper eo ſpectando vel aſſumendo* præbeant *ullo modo conſilium, au-*

xilium,

(a) Hodierna die abſque Hæreſeos nota Philoſophi aſſerunt animam eſſe formam hominis, non autem præciſe corporis humani.

xilium; *vel favorem*; *nullo* (ait) *contra præmiſſa privilegio valituro*.

Inſtitutum Beguinarum indiſcriminatim abrogatum voluit Decretalis.

Nequaquam hinc obſcurum eſt, mentem Pontificis fuiſſe, per hanc Conſtitutionem indiſcriminatim Beguinarum ſtatum ſive Inſtitutum abrogare, & ea Dei Eccleſia penitus abolere. Adeo ut nec illæ, quæ *dudum* ſtatum illum aſſumpſiſſent, poſſent *ulterius* in eo perſeverare, ſed eum deſerere deberent; idque indefinite ſine diſtinctione locorum: cum prior Conſtitutio præcipue de *Beguinis* in partibus *Alemaniæ* conſiſtentibus loqueretur.

In Galliis huic inſtituto ſucceſſere ſorores Tertii Ordinis S. Franciſci.

Hinc contigit, ut ubique pene locorum *Beguinarum* Inſtitutum contemptui haberi, & Beguinagia ut damnata conventicula reputari cœperint: & quidem in Gallia ſub Philippo Pulchro Concilii Viennenſis præcipue Promotore, Beguinarum Inſtitutum, quod in eo Regno erat admodum numeroſum, deſiit, & in earum locum ſucceſſere ſorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci, uti notat Du-Cange in ſuo Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis verbo, *Beguinæ*.

Beguinarum inſtitutum in Belgio redditum inviſum.

Decimo quarto ſæculo Beguinarum Inſtitutum late per Belgium diffuſum erat, in præcipuis Civitatibus Congregationes, quæ Beguinagia dicuntur, erant receptæ, & auctoritate Epiſcoporum probatæ, ac variis Principum Diplomatibus roboratæ (uti notat Zypæus in *Jure novo tit. de Regularibus num.* 10. & 11.) At Belgicas Beguinas Conſtitutio Concilii Viennenſis non parum turbavit, perſecutionemque in ipſas concitavit, uti pluribus deduxi in *Jure Eccleſiaſt. Tom. I. parte* 1. *tit.* 33. *cap.* 3. hujus editionis; ibidemque notavi, qua ratione hoc Inſtitutum fuerit conſervatum, & hodie perſeveret.

CLEMENTINA

Circa diſcordias Fratrum Minorum ſtrictioris & laxioris Obſervantiæ. Cap. *Exivi de Paradiſo*. 1. de Verb. ſign.

OBSERVATIO.

Petrus Joannis Olivi quorum errorum Auctor dictus fuit?

MULTIPLICES diſſenſiones exortas fuiſſe in Ordine Fratrum Minorum ſuper obſervantia Regulæ ſancti Franciſci, idque præcipue ſuper obſervantia paupertatis, late deſcribit Lucas Waddingus in Annalibus Fratrum Minorum, notatque *Petrum Olivi* vulgo *Joannis* hiſce diſſenſionibus tum ſuis ſcriptis, tum vivendi ratione præcipuam occaſionem dediſſe.

Hic Petrus Olivi fuit, qui docuiſſe dicitur errores aliquot olim in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. damnatos, quin & errores damnatos in Clementina unica *de ſumma Trinitate* huic Petro fuiſſe imputatos ſupra notavimus; immo & Beguardos & Beguinas, alioſque, de quibus in Clementina *Ad noſtrum*, *de Hæreticis*; hujus Petri diſcipulos & ſectatores fuiſſe ad eamdem *Clementinam* obſervavimus.

F. F. ſtrictioris & laxioris obſervantiæ.

Inſuper ex Waddingo habetur, quod hic Petrus, ejuſque diſcipuli noluerint ſe conformare mitigationi ipſius Regulæ ſancti Franciſci, de qua in Decretali Nicolai III. quæ incipit, *Exiit qui ſeminat*, *de verbor. ſig. in Sexto*, aliiſque mitigationibus, quæ contra Litteram Regulæ ſancti Franciſci ſenſim irrepſiſſe videbantur, ſed contendebant exactiorem & litteralem Regulæ obſervantiam vigore ſuæ Profeſſionis debere obſervari.

Eorum diſſidia.

Porro diffidia occaſione doctrinæ *Petri Joannis* in Ordine Minorum, etiam poſt mortem hujus Petri, exorta inter Fratres *ſpirituales* ſive *ſtrictioris obſervantiæ* (qui Doctrinam & vivendi rationem Petri ſectabantur) & Fratres *laxioris obſervantiæ* ſive *de communitate* dictos, per annorum ſeriem enarrat Lucas Waddingus in Annalibus Minorum: atque ibidem refert, quantas perſecutiones hi Fratres ſpirituales paſſi fuerint, notanter ſub Pontificatu Bonifacii VIII. & Benedicti XI. & quomodo ob has tandem perſecutiones ac oppreſſiones, hi Fratres ab ordine receſſerint.

Rationem hujus receſſus reddit citatus Annaliſta: „ peccabatur enim, inquit, *multipliciter* in ſanctam „ *paupertatem*; quæ tamen ubique aliquos habebat ze- „ latores; atque hi dum cæteros non poterant in ſuam „ ſententiam avocare, recedebant cum paucis arctio- „ rem vitam profeſſuri „.

Quæ originem ſumpſere a Petro Joanne.

„ Hinc multæ diſſenſiones, variæ opiniones, & quæ- „ ſtiones periculoſæ oriebantur multis in locis (pergit „ Waddingus) quæ originem ſumpſerunt a Petro Joan- „ ne *Olivi*, ejuſque doctrina, atque inde evenit, ut „ mox univerſa ſodalitas in duas ſcinderetur Partes: „ Unam quæ *ſpiritualium*, alteram quæ *Fratrum de* „ *communitate* nuncupabantur. Hæc vero, quæ major „ valde erat, illam tenui initio ſuccreſcentem pro vi- „ ribus opprimebat „.

F. F. ſpirituales.

Refert autem ipſe Waddingus ad annum 1310. *num.* 1. pro Fratribus *ſpiritualibus* ad interceſſionem medici Regis Galliæ, ab eodem Rege ſcriptum ad Clementem V. Papam, rogando ut tollerentur hæc ſcandala.

Advocantur a Clemente V. ut audiat eorum querelas.

Pontifex ſatisfacere volens poſtulatis Regis, convocavit aliquos de ſpiritualibus: „ eiſque injunxit ſub „ pœna *excommunicationis*, ut ſibi revelarent, & in „ ſcriptis traderent omnia, quæ *minus regulariter im-* „ *pune* fiebant in Religione, & matura videbantur ege- „ re correctione, præſertim ſi regulæ ſubſtantia, & „ Declaratio Nicolai III. ſuper eamdem edita, in Com- „ munitate Ordinis, vel communiter a Fratribus ob- „ ſervaretur „.

Inter eos eminet *Ubertinus de Caſalis*.

Cum autem de variis longa ac moleſta fieret diſceptatio, Fratribus *ſpiritualibus*, inter quos eminebat *Ubertinus de Caſalis*, multas tranſgreſſiones objicientibus: & e contrario Fratribus *de Communitate*, ordinem & communitatem acriter defendentibus, & *ſtudioſe* diffamantibus doctrinam *Petri Joannis Olivi*, Pontifex, poſt habita plura Conſiſtoria, hujus examinationem & inſtructionem quibuſdam Cardinalibus & Prælatis, ac Doctoribus commiſit.

Decretalis *Exivi de Paradiſo*.

Cum autem Pontifex cauſæ hujus deciſionem ſibi reſervaſſet, hæc nonnihil protracta, tandem prodiit per Decretalem, quæ incipit; *Exivi de Paradiſo*, relatam inter Clementinas ſub titulo de *verborum ſignificatione*, ſub nomine *Clementis V. in Concilio Viennenſi Seſſione* 3.

Hanc Decretalem latam eſſe in Seſſione 3. hujus Concilii ſcribit Waddingus, eamque inter Conſtitutiones in hoc Concilio editas recenſet S. Antoninus.

In hac Conſtitutione, primum referuntur dubia circa Regulam ſancti Franciſci, ejuſque obligationem orta, nec non quæ a Fratribus ſpiritualibus contra Fratres de Communitate objiciebantur, & in quibus hi a Regula recedere videbantur, ac dein reſolutio Pontificis ſuper prædictis dubiis & objectis ſubjungitur.

Declarat Fratres nullam etiam in communi habere proprietatem.

Porro dubia hæc præcipue circa *paupertatis* obſervantiam verſabantur, declaratque Pontifex, nullam bonorum ſive mobilium, ſive immobilium *proprietatem* aut dominium Fratribus *tam in ſpeciali quam in communi* Regulam permittere; *ſed tantummodo uſum* facti ſimplicis: additque quod propterea nonnulli Pontifices Romani ſui Prædeceſſores; *& rerum omnium conceſſarum, oblatarum, vel donatarum Fratribus, proprietatem, & Dominium* in ſe & Romanam Eccleſiam *receperint*, *dimiſſo ipſis Fratribus in eis tantummodo uſu facti* ſimplicis.

Porro circa hunc *uſum facti* declarat, *quod Fratres Minores ex profeſſione ſuæ Regulæ ſpecialiter obligentur ad* arctos *uſus ſeu* pauperes, *qui in ipſorum Regula continentur, & eo obligationis modo, ſub quo continet ſeu ponit Regula dictos uſus*.

Cavet tamen definire, an ille articulus ad fidem pertineat.

Dubium autem quod movebatur, utrum *uſus pauper* includeretur ſub *voto Evangelicæ paupertatis*, definire nolens Pontifex decrevit, ut nullus unam aut alteram opinionem, ut *hæreticam* damnaret. *Dicere autem* (ait) *quod hæreticum ſit tenere, uſum pauperem includi, vel non includi ſub voto Evangelicæ paupertatis, præſumptuoſum & temerarium judicamus*.

Circa habitum vult haberi rationem conditionis Patriæ.

Circa diverſitatem habitus ſeu veſtis, quæ ſummam in ordine excitabat diſcordiam, ita pronuntiavit: *vilitatem autem veſtium, tam habitus, quam interiorum tunicarum, illam intelligi debere dicimus, quæ ſecundum conſuetudinem vel conditionem Patriæ debeat quantum ad colorem panni & pretium vilitatis merito reputari; non enim quoad Regiones omnes poteſt determinatus unus modus in* talibus *aſſignari*.

Patres Concilii Viennenſis ſecundum Waddingum non faverunt Spiritualibus.

Cum ergo vilitas veſtium deſumi debeat ex conſuetudine & moribus locorum, neque generaliter determinari queat, *judicium vilitatis* committit *Miniſtris*, *Cuſtodibus* ſeu *Guardianis*, *eorum ſuper hoc conſcientias onerantes: ita tamen, quod in veſtibus ſervent* vilitatem.

Cæterum in hac Conſtitutione, nec Fratres Spirituales, nec Fratres *de Communitate* ſpeciatim damnantur aut abſolvuntur, ſed ſi Waddingo ad annum 1312. *n.* 3. credimus: „ Die præcedenti hanc ſeſſionem „ Concilii Viennenſis, Patrum ſuffragiis in *ſecreto* con- „ ſiſtorio decretum eſt contra Fratrem Ubertinum Ca- „ ſalinum, ejuſque ſequaces, modum vivendi *Commu-* „ *nitatis* Ordinis ab illis vehementer in multis accu- „ ſatum, eſſe licitum & ſufficientem ad veram Regu- „ læ ſancti Franciſci obſervantiam „.

Quid circa doctrinam Petri Joannis Olivi a Clemente in Concilio Viennenſi decretum fuerit, *Obſervatione* præcedenti dictum eſt.

Pontifex adhortatur omnes F. F. ad concordiam.

His ita conſtitutis, Pontifex hortatus eſt Superiores Ordinis ibidem præſentes, ut Regulam obſervari juberent, juxta hanc datam Declarationem, præcepitque, ut ſemina diſcordiæ procul facerent, & Fratres eo uſque exemptos *charitative* tractarent, & abſque ulla a cæteris differentia ad Ordinis officia promoverent.

Injunxit dein & Fratribus *ſpiritualibus* ſive *ſtrictioris obſervantiæ*, ut quam primum ad unitatem & obedientiam Religionis redirent.

Ubertinus de Caſalis fruſtra petiit extra obedientiam *F. F.* laxioris obſervantiæ ſub Regula Sancti Franciſci militare.

At Frater *Ubertinus* præcipuus inter ipſos, expoſuit; quod propter præceptum Pontificis ad Curiam veniſſet, multaque hic perpeſſus timeret, & ſciret ſe graviora paſſurum, ſi in manus Prælatorum traderetur; quapropter petiit, ut ſibi ſuiſque daretur facultas extra illorum obedientiam militare ſub Regula S. Franciſci, ut ita ſeparatus a perſecutoribus, commodius eamdem obſervaret juxta ejus Declarationem.

No-

Noluit huic postulato annuere Pontifex, volens omnino, ut ad *obedientiam* & unitatem redirent.

Subjunxit Pontifex, se illorum fore protectorem, atque sibi persuasum satis esse, & firmiter promissum a superioribus, nullas sibi inferendas esse molestias.

His dictis, recesserunt omnes a Curia, vixeruntque in eadem societate absque jurgiis & litigiis, patienter sufferentibus Fratribus *spiritualibus*, si quæ inferebantur a cæteris leviores injuriæ.

CLEMENTINÆ

Spectantes Dissidium inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Galliarum Regem. Cap. *Quoniam ex Constitutione unic.* de immunit. Eccl. & Cap. *Si summus* fin. de Sent. excomm. *His adjungitur Clementis V.* Extravagans *Meruit* 2. de Privileg. in Comm.

OBSERVATIONES.

Contentio inter Cardinales circa eligendum successorem Benedicti XI. qui Bonifacio successerat.

POst obitum Benedicti XI. immediati Bonifacii VIII. successoris, Sede Apostolica vacante, variis Patrum studiis de novo eligendo Pontifice contendebatur, dum pars una Cardinalium Italum hominem Bonifacio faventem, altera, cujus præcipuus erat Cardinalis Pratensis, Gallum, aut saltem Regi Galliæ faventem volebat.

Pactum concordiæ, ut una pars nominet tres ex quibus unum eligat altera.

Cum ob varia hæc partium studia, per plures menses in conclavi conclusi resedissent Cardinales, nec spes in unum consentiendi affulgeret, tandem Cardinalis Pratensis viam concordiæ proposuit, ut scilicet una pars tres ex Ultramontanis ad Pontificatum idoneos proponeret; altera vero unum ex his tribus eligere infra 40. dies teneretur, & hic ab omnibus electus Pontifex haberetur.

Propositio placuit Francisco Cajetano, Nepoti Bonifacii VIII. & alterius partis coryphæo, ea tamen lege, ut ipse cum suis tres illos nominaret.

Bertrandus de Agutis æstimatur hinc infensus Philippo, illinc ei facile conciliabilis.

Tres itaque, juxta pactum utriusque partis subscriptionibus formatum, nominati fuere; inter quos erat Bertrandus de Agutis, alias Gothus seu de Gotho, Burdigalensis Archiepiscopus a Bonifacio VIII. creatus, Philippo Pulchro Regi Galliæ, ut credebatur, non parum infensus, ob injurias a Carolo Valesio Regis Fratre consanguineis suis illatas, qui nec appellationi a Rege contra acta Bonifacii VIII. interjectæ adhærere voluerat.

Hunc nihilominus eligendum Pontificem Cardinalis Pratensis facile admisit, quia, ut ait S. Antoninus in Chronico, cum eum nossent avidum honoris „ & glo„ riæ, ut Vasconem, & ad omnia flexibilem, ut illa „ consequeretur, sperabant facile inducendum ad omnem „ partem, & amicitiam cum Rege contrahendam. „

Rex Philippus offert illi Pontificatum.

Itaque Cardinalis Pratensis initi pacti, ac nominationis per Italos factæ Philippum Regem certiorem reddit, ac una modum suggerit, quo Burdigalensem Archiepiscopum sibi devinciat Rex, receptis his nuntiis, mox dicto Archiepiscopo ad secretum colloquium vocato, Pontificatum proponit: qua propositione & spe illectum Archiepiscopum ita sibi Rex obstrinxit, ut nihil non agere in ejus gratiam sponderet, si modo ejus favore & patrocinio ad summum Pontificatum eveheretur.

Sed quasdam promissiones prævie exigit.

Rex Capita sex gratiarum ab eo postulavit præstanda, postquam ad Pontificatum esset assumptus.

Primus articulus erat: „ A censuris Ecclesiasticis ob „ captum Bonifacium plene ac sine exceptione me ab„ solves, & Ecclesiam mihi perfecte conciliabis. „

Secundus „ omnes excommunicaciones & censuras „ tam in me, quam meos latas abrogabis. „

Tertius „ decimas regni mei per quinquennium mihi „ concedes, ut damna & dispendia; quæ ob bellum „ Belgicum passus sum, resarcire possim. „

Quartus „ te Bonifacii VIII. nomen ex actis publi„ cis crasurum mihi polliceris. „

Quintus „ promittas etiam mihi te Columnenses „ Cardinales pristinæ fortunæ ac Dignitati restitutu„ rum, teque Cardinales ex amicorum meorum nu„ mero creaturum. „

Sextus „ quod grave ac maximi momenti est, nunc ta„ ceo, quodque tempore & loco tibi dicturus sum. „

Quas Bertrandus jure jurando pollicetur.

Juramento coram sacrosancto Eucharistiæ Sacramento præstito, hæc omnia se præstiturum promisit Archiepiscopus, utque fidem suam magis firmaret, fratrem suum, duosque ex ipso nepotes Regi obsides dedit.

Eligitur in Pontificem 5. Junii 1305. assumpto nomine *Clementis V.*

His sic gestis, Rex mox nuntium mittit Perusium, & Cardinali Pratensi significat, quæ ipsum inter & Archiepiscopum Burdigalensem acta sunt, rogavitque, ut dictum Archiepiscopum in Pontificem eligi curet: quod eo facilius obtinuit, quo magis eum Regi inimicum & infensum credebant.

Itaque communi utriusque partis assensu electus est in Pontificem die 5. Junii 1305. Decretum electionis, a Cardinalibus subscriptum, editum est ex MS. Jacobi Sirmondi, extatque *Tomo XI. Concil. general. col.* 1496.

Decretum hoc recepit die 21. Junii, atque die sequenti in Metropoli sua Burdigalensi publicavit, & nomen Clementis V. assumsit. Inde Lugdunum profectus, quo ipsum Cardinales convenerunt, die 14. Novembris ejusdem anni solemni ritu, præsente Rege Galliæ cum multis Franciæ Principibus, coronatus est.

Mox cœpit implere promissa, Regem absolvendo a censuris.

Archiepiscopus favore & patrocinio Regis in Pontificem assumptus, voluit & mox promissa implere: atque in primis juxta primum promissionis articulum, absolutionem Regi a Benedicto XI. Prædecessore suo datam, confirmavit, eumque hoc pacto perfecte Ecclesiæ conciliavit.

Bullam *Clericis Laicos* Bonifacii VIII. pro infecta haberi voluit per Decretalem 5. Febr. 1306.

Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit, *Clericis Laicos*, extatque sub titulo *de Immunitate Eccles. in Sexto*, nec non declarationem dictæ Bonifacianæ factam per Benedictum XI. quæ extat in Extravagante unica, *de Immunit. Eccles. inter communes*; & *quidquid ex eis secutum est, vel ob eas penitus* revocavit, *& eas haberi* voluit *pro infectis volentes*, inquit, *& firmiter statuentes illud contra Laicos exigentes tallias seu collectas aut exactiones ab Ecclesiasticis personis, & contra dantes ad id faciendum consilium, auxilium, vel favorem, nec non & circa præstandas subventiones Laicis ab Ecclesiarum Prælatis, ac aliis viris Ecclesiasticis inviolabiliter observari; quod super his a Prædecessoribus nostris* (ait) *in Lateranensibus & Generalibus Conciliis, quæ nos sub obtestatione Divini judicii præcipimus observari districte, salubriter est provisum*. Decreta hæc prædecessorum ejus, scilicet Alexandri III. & Innocentii III. in utroque Conc. Later. extant *in cap.* 4. *&* 7. ✕ *de Immunit. Eccles.* (a).

Hæc autem Clementis V. Decretalis habetur inter *Clementinas* sub titulo *de Immunit. Eccles.* sub nomine *Clementis V. in Concilio Viennensi*. De hac Clementina, uti & de Decretali Bonifacii VIII hic revocata actum est in *Jure Eccl. Tom. III part.* 2. *sect.* 4. *tit.* 4. *c.* 3. *n.* 38. *&* 39. *& seqq.* alias *Tom. I. part.* 2. *tit.* 35. *cap.* 3.

Non omnes Decretales, quæ in *Clementinis* referuntur sub nomine *Clem. V. in Conc. Viennensi*, sunt hujus Concilii.

Cæterum hæc Decretalis, relata inter Clementinas sub nomine *Clementis V. in Concilio Viennensi*, evincit, non omnes, quæ in Collectione Clementinarum referuntur Constitutiones, tamquam a Clemente in Concilio Viennensi editæ, huic Concilio posse attribui; quandoquidem unanimi scriptorum relatione constet, hanc Constitutionem a Clemente V. sub initium sui Pontificatus fuisse promulgatam, adeoque sex circiter annis ante inchoatum hoc Concilium.

Clementina revocans Bullam, *Unam sanctam*.

Ulterius, quia Extravagans *Unam sanctam* a Bonifacio VIII. evulgata, non exiguum dissidio fomentum subministrarat, ipsumque Regem Galliæ etiam quoad temporalia Romano Pontifici subjicere nitebatur, uti notavi in *Dissertatione* in *Sextum* Decretalium §. 4. similiter Clemens V. per aliam suam Decretalem declarat, quod per dictam Bonifacii Constitutionem „ nullum velit aut „ intendat Regi & Regno præjudicium generari. Ne „ quod per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ præci„ tati amplius Ecclesiæ sint subjecti Romanæ, quam „ antea existebant: sed intelligantur in eodem esse sta„ tu, quo erant ante definitionem præfatam, tam „ quantum ad Ecclesiam, quam etiam ad Regem, Re„ gnum, & Regnicolas superius nominatos: „ extat hæc Clementina Declaratio in Extravagante *Meruit de privileg. in comm.*

De revocatis per Clementem V. binis his Bonifacii VIII. Decretalibus scribit Theodoricus a Niem in Chronico: „ renovavit duas Constitutiones Bonifacii dire„ ctas contra Regem Franciæ: Unam, qua voluit, Re„ gem Franciæ Ecclesiæ Romanæ esse subjectum in *tem„ poralibus*; & aliam, quæ in *Sexto* Decretalium „ continentur, quæ incipit *Clericis Laicos*, etiam omni „ ex eisdem consecuta. „

Clemens V. restituit Cardinales Columnenses pristinæ dignitati.

Scribit S. Antoninus in Chronico, quod Clemens V. etiam sub initium sui Pontificatus, Cardinalibus Columnensibus dignitatem pristinam & opes restituerit, ut jurijurando & promissis ante assumptionem ad Papatum factis, satisfaceret. Articulo quinto enim promiserat, quod *Cardinales Columnenses pristinæ fortunæ ac dignitati restitueret*. Constitutio Bonifacii VIII. contra Columnenses habetur in *cap. Unico de Schismat. in VI.* ejusque moderatio facta a Benedicto XI. *in Extravagante unica eod. tit. in comm.*

Creat novem Cardinales Gallos.

Utque Clemens prædicto articulo plene satisfaceret, creavit nomen Cardinales Gallos. Promiserat enim, *se Cardinales ex amicorum Regis numero creaturum*.

Nectit moras circa articulum de eradendo nomine Bonifacii VIII. ex actis publicis.

Quartus arieulus, quo promiserat Regi, quod Bonifacii nomen ex actis publicis eraderet, sive acta ejus universa rescinderet, & memoriam damnaret, magis anxium reddebat Clementem jam factum Pontificem, nec modum, quo juramento suo circa hunc articulum satisfaceret, videbat: hinc moras in executione hujus articuli nectebat.

Gravissimis accusationibus contra Bonif. instat Rex.

Has moras cum videret Rex, tandem Pontificem in Civitate Pictaviensi anno 1307. conveniens, executionem hujus articuli postulavit, atque per suos Consiliarios sive suum Consilium 43. articulorum hæreticorum gravamina contra Bonifacium proponi fecit; eaque se probaturum obtulit.

Hæc Regis propositio non parum turbavit Pontificem & Cardinales, etiam illos, qui alias Regi favere vi-

(a) Mentem Concilii Tridentini circa tributa a Clero Principibus solvenda docte dilucide exposuit illustris Auctor operis, quod in lucem prodiit ann. 1751. Hic est ejus titulus: *Examen impartial des Immunités Ecclésiastiques*, &c. Mens Synodi Tridentinæ discutitur part. 2. Epocha 3. pag. 139. 140. &c.

videbantur; ac nominatim Cardinalem Pratensem adeo offendit, ut, ipso agente, tandem effectum sit, ut in hac postulatione utriusque partis Cardinales, Rex sibi adversos haberet, uti scribit Villani in Historia *lib.* 8. *c.* 91.

Indictio Concilii Viennensis anno 1307. in 1309. sed dilatum in 1311.

Scribit idem Auctor, quod Cardinalis Pratensis conscius *juramenti* a Pontefice ante Pontificatum præstiti, ei suggesserit, significare Regi, non esse securum, negotium hoc proponere Cardinalibus, sed magis convenire, ut reservaretur Concilio generali, quod Viennæ congregandum erat, & ut memoria Bonifacii reddatur amplius abominanda, & abolitio ipsius memoriæ firmior & illustrior.

Consilium placuit Pontifici; eo quod intelligeret hoc pacto negotium protrahendum, unde & mox eodem anno 1307. Concilium indixit, *post biennium*, demum Viennæ celebrandum, & quod dein in alterum biennium rursus prorogatum fuit, uti supra in Differt. §. 2. notavimus.

Accusatores Bonifacii moræ impatientes interim audiuntur.

Verum has moras non ferentes Regis Consiliarii apud Pontificem institerunt, ut processum contra Bonifacium ad finem perduceret. Pontifex tam instanter interpellatus, ne videretur palam suo nolle stare juramento, Bullam evulgavit 23. Septembris 1309. qua statuit, ut super allegatis a Rege, aliisque Principibus & Consiliariis ejus contra Bonifacium inquireretur, & Bonifacii accusatores in jus vocarentur, & intra mensem Martium anni sequentis Avenionem se sisterent, ut ibi omnia causæ argumenta monumentaque enumerarent.

In altera autem Bulla sub idem tempus declaravit, se in hac citatione nusquam intendisse Regem comprehendere. Habetur inter acta hujus Diffidii apud *Petrum Dupuy pag.* 500.

Nonnulli ex Bonifacii accusatoribus ad diem statutum Avenionem venerunt, quorum præcipuus erat Guillelmus Nogaretus, qui palam Bonifacii accusationem suscepit.

Nogaretus contra, Cajetanus pro Bonifacio.

Pontifex postquam coram se perorantem contra Bonifacium audivisset Nogaretum, & Franciscum Cajetanum nepotem Bonifacii pro suo avunculo, duos Cardinales delegavit, qui disceptatores essent & contendentium partium acta reciperent, rationesque hinc inde allegatas audirent.

Nogaretus appellationis codicillos, quibus generale Concilium appellaverat, aliaque plurima hactenus in hac causa contra Bonifacium acta, & allegata hic reproduxit & renovavit. Cardinales etiam aliquos, quorum intererat memoriam Bonifacii non damnari, eo quod ab ipso in Collegium Cardinalium essent adscripti, ut *suspectos* recusavit Nogaretus.

Bonifacii defensores, his prolixis accusatorum scriptis, contraria, quantum ad factum & jus spectabat, opposuerunt, quibus Bonifacii memoriam integram servare, modumque ejus agendi cum Rege Galliæ, justificare studuerunt.

De Excommunicatione Nogareti per Bonifacium.

Cumque Nogaretus alibi forsan jactasset, se absolutione non egere, quia sæpissime ad colloquium privatum, hujus negotii tractandi causa, Pontifex ipsum admisisset, Papa in Consistorio, ubi de hac causa disceptabatur, dixit, se non credere excommunicatum quempiam eo absolutum esse, quod Papam allocutus esset, aut salutasset, declaravitque mentem suam esse, ut excommunicatus haud absolutus sit vel censeatur; etsi cum eo quovis modo collocutus sit. Quam sententiam speciali Decretali, quæ extat *in Clem. fin. de Sent. Excomm.* promulgavit, declarans generaliter: *si summus Pontifex* scienter *etiam excommunicatum participet litteris, verbo, vel osculo, seu alio quovis modo, ipsum per hoc nullo modo absolvere censetur: nisi se velle forsitan exprimat illum ex hoc pro absoluto haberi.*

Clementina, quæ non potest Concilio Viennensi adscribi.

Certum hinc rursus est, hanc Clementinam nullatenus Concilio Viennensi posse attribui, tametsi inscribatur Clementi *in Concilio Viennensi.*

Causa Bonifacii trahitur in longum.

Interim Nogaretus in Consistorio coram Papa, & aliis Patribus, Regis nomine querelas detulit ob longas moras, quæ in disceptanda hac lite nectebantur. Causas earum morarum a se Papa rejecit in prolixas accusatorum inquisitiones.

Bonifacii defensores autem omni modo causam hanc protrahere studentes, prolixum scriptum legibus & Canonibus refertum exhibuerunt, quo inter alia contendebant, Bonifacium a Deo solo judicari debere, & propterea jurisdictionem Pontificiam declinabant: Concilium saltem indici & congregari debere: Gallos vero, nedum Regem ipsum, ad illud haud admittendos. Manus injectionem in Bonifacium & inquisitionem adversus eos, qui eum ceperant, rursus urgebant. Huic scripto aliud non minus prolixum opposuerunt Bonifacii accusatores.

Circa idem tempus contigit, a Defensoribus Bonifacii proferri in ejus defensionem falsas & fabricatas Litteras, quarum falsitas cum Auctorum dedecore & infamia detecta fuit, quæque Pontificis prolata ore sententia, tales judicatæ, spectante vulgo, publice combustæ sunt.

Ex his fat perspicuum erat Pontifici, causam Bonifacii admodum periclitari, unde cœpit cogitare, quomodo Regem a prosecutione hujus causæ averteret.

Rex autem inducitur, ut causam pontificio judicio decidendam relinquat.

Itaque sub specie facilius & promptius consequendæ justitiæ, conatus est efficere, ut tota hujus causæ decisio suo relinqueretur.

Hunc in finem litteras dedit 23. Maji 1309. ad Carolum Comitem Andevagensem fratrem Regis, ipsum rogans, ut Regem fratrem suum inducere conaretur, quatenus negotium hoc suæ & Ecclesiæ ordinationi dimitteret; scribens, quod omnibus contentionibus & difficultatibus, quas hactenus in hoc negotio perpessus est, consideratis, causa hæc, quibuslibet in hac parte cessantibus opponentibus, celerius, utilius, & honorabilius, quam si per viam jam inceptam in eodem negotio procedatur, poterit terminari, si procederetur *per viam* (ait) *nostri officii.*

Fratris sui preces aliquandiu Rex repulit, nec se exorari passus est, tandem tamen plurium Regni sui Magnatum precibus victus, diplomata seu codicillos Regios ad Fontem-Blaudi emisit, quibus totam controversiam & decisionem Pontifici & Concilio jamjam celebrando dimisit.

Hanc resolutionem significavit Pontifici, litteris datis mense Februario anno 1310. in quibus ea, quæ contra Bonifacium acta fuere, exponit; suumque in eo negotio agendi modum justificare studet; ac dein exponit, quod sæpius affectuose fuerit a Pontifice interpellatus, ut prosecutionem hujus negotii dimitteret ordinatione, salubrique dispositioni suæ Sanctitatis, & Apostolicæ Sedis. Tum addit: *sibi quodammodo fas non esse tam affectuosis monitis paternis, & exhortationibus non obtemperare, sed jucundum sibi esse, potius consentire eisdem, scientes Sanctitatis vestræ (ait) circumspectionem perfectiorem esse, quam nostram, pro firmo tenentes, quod honori Regio, animæ saluti, nec non Ecclesiæ Dei securitatem scietis disponere salubrius, in præmissis cum venerabilium Fratrum vestrorum consilio, quam requirere vel cogitare possemus, qui temporalibus occupationibus plerumque tenemur.*

Tandem concludit, quod negotium ipsum suo & Regni sui nomine, officio Sanctitatis suæ plenarie, & ex toto dimittit, & relinquit *secundum vestræ Sanctitatis (inquit) arbitrium & Fratrum vestrorum consilium in futuro Concilio vel alias dirimendum.*

Promittit dein, quod tam ipse, quam sui acquiescent ordinationi aut judicio, quam vel quod Sanctitas sua de Fratrum suorum consilio fecerit aut decreverit, in quantum ad sopiendam querelam institutam, vel imposterum instituendam, de Hæresi contra dictum Bonifacium pertinebit. *Absit enim (ait) a Regia perennitate sæculari in quæstione Fidei quidquam, quod vestra Sanctitas, maxime approbante Concilio, deciderit in aliquod unquam dubium revocare.*

Litteras quoque ad Pontificem dedit Comes Ebrolcensis filius Regis, aliique nonnulli Comites, quibus & ipsi significant, ipsos una cum Rege totam hanc controversiam Sedis Apostolicæ judicio dimisisse, promittuntque se ejus decisioni obtemperaturos: *Absit enim a nobis (inquiunt) tam execranda præsumptio in quæstione Fidei quidquam quod reverendissima Sanctitatis vestræ Sedes, & maxime, sacro approbante Concilio, deciderit, in aliquod unquam dubium revocare.*

Rex conatur Templariorum extinctionem obtinere.

Ex Litteris Regis haud obscurum apparet, Regem non parum permotum fuisse ad hanc submissionem, ut Pontificem fortius animaret in persecutione & extinctione Templariorum, in quo negotio ipsum animatum intelligebat; quodque ipse Rex præcipue cordi habebat. *Adhuc urget (ait) bene cœptum, sed non perfectum Templariorum negotium, quod merito, cum injuriæ Jesu Christi vindictam, Fidei stabilimentum, ac Ecclesiæ Dei status securitatem attingat, omnibus negotiis mundanis præponimus, cui vos, Pater sancte, totis intendere conatibus cognoscimus & experimento didicimus.*

Post hæc utrumque negotium, scilicet Templariorum & Bonifacii conjungens, scribit, quid *de utroque poterit sua Sanctitas, examinata plenius veritate in Concilio, quod circa proximum tempus imminet congregandum, ad honorem Dei, & ejus Ecclesiæ feliciter ordinare.*

Quin & asserit, se hanc dimissionem eo facilius fecisse, quia videbat Sanctitatis suæ *animum promptum & voluntarium ad extirpandum omnem Hæreticæ pravitatis radicem, quod exempla præterita & præsentia, præsertim (inquit) in Templariorum negotio, manifeste demonstrant.*

Bulla Clementis V. 5. kalend. Maij 1311. qua Philippum justificat.

Pontifex mox ut has Litteras recepit, evulgavit Bullam 5. kalendas Maji 1311. qua breviter, quæ in eo negotio gesta fuerant, enarrat, & sibi aliunde perspectum esse, Regis animum propositumque rectum fuisse in prosecutione hujus negotii: item narrat, quomodo sæpius ac diversis vicibus Regem sollicitaverit hortatusque sit, ut amoris ambagibus, & partium hinc inde allegationibus, totius negotii discussionem & decisionem Sedis Apostolicæ judicio committeret: quodque Rex diu se difficilem in hoc reddiderit, tandem tamen, mutato consilio, consenserit, denique Accusatores & Defensores Bonifacii idem fecisse *prout (inquit) per Patentes Regias, ac denuntiatorum objectorum, & assertorum prædictorum litteras, quas ad cautelam & memo-*

moriam rei gestæ in ipsius Ecclesiæ archivis repositas servari facimus, plene constat.

Irritat quasdam Constitutiones Bonifacii.

His omnibus diligenter perpensis, cupiensque hoc tædiosum negotium sopire: *omnes constitutiones Sexto Decretalium non insertas, quatenus illæ dignitati, Juribus, ac libertatibus Regni, & Regnicolarum derogant & contrariæ sunt, abrogat, irritasque ac nullas facit. Quantum vero ad Bonifacii Decretales spectabat, quarum una his verbis, Unam sanctam, incipit, altera vero his verbis, Rem non novam (quæ postea Extravagantibus communibus sub titulo de Majoritate & obedientia, & sub titulo de dolo & contumacia insertæ sunt) eas vim rigoremque habituras juxta correctionem a se antea factam, pronuntiat. Omnes insuper privilegiorum suspensiones, excommunicationes, interdicta, & privationes, cætera denique directe vel indirecte, palam vel privatim hac in controversia, tam adversus Regem, quam ipsius liberos, Regni Jura & libertates, aliosque, qui publice Papam accusaverant, lata abrogat: ii autem erant Ebroicensis, S. Pauli & Drocensis Comites, Guillelmus de Plessiaco, quique eorum adhæserant provocationi. Omnia denique adversus eos gesta a die festivitatis omnium Sanctorum anni* 1311. *revocavit. Cunctos insuper cujuscumque sortis ac conditionis essent Actuarios, Scribas, Judices, aliosque, ut intra quatuor menses omnes chartas, schedulas, Bullas suspensionis, excommunicationis, litiumque instrumenta originalia, vel ex ipsis desumpta exemplaria ad hanc rem pertinentia comburerent, eaque ex actis publicis eraderent, sub excommunicationis pœna jussit.*

Nogaretum ad *cautelam* absolvit.

Nonnullos tamen sub hac generali absolutione non comprehendi nominatim declaravit, quos inter præcipuus erat Nicolaus Nogaret, quem tamen speciali Bulla ad *cautelam* sub certis modificationibus absolvit.

Bulla in favorem Regis.

Per hanc Bullam eadem die expeditam declarat, quod si in hac causa Bonifacii quidquam unquam proponatur, „ exprimens sive tangens malum, sive iniquum Regis ejusdem zelum, quem nos (ait) *bonum* pronuntiamus, ut præmittitur, atque *justum*, aut inimicitias personæ Regis ejusdem, in judicio minime ad- „ mittatur, nec in actis, carthulariis seu registris scri- „ batur. „ Integra Bulla extat in citatis actis Diffidii *pag* 602.

Decretales seu Constitutiones sive Bullas Bonifacii VIII. & Benedicti XI. quas Clemens V. tamquam Regi, ejusque Regno contrarias & injuriosas e Registris Romanæ Ecclesiæ eradi jussit, annotantur in actis hujus Diffidii *pag.* 606.

De persona Bonifacii judicatum in Concilio.

Nemini sane dubium erat, quin Papa intenderit, ut per hanc declarationem & generalem revocationem ac abolitionem, negotium hoc totum plane sopitum maneret: tamen ut ostenderet, se velle de Bonifacii vita moribusque inquiri, ut veritas tandem pateret, Bulla speciali statuit, jussitque cunctos, qui quidquam illorum nossent, ad designatos in Bulla viros, nempe Nogaretum, Guillelmum de Plessiaco, aliosque spectans deferre, ac denuntiare, admittendosque pronuntiavit.

Bonifacius declaratur Catholicus.

Interea dum hæc Bulla publicatur, tempus Concilii generalis indicti advenit, inchoatumque Concilium mense Octobri ejusdem anni, quo hæ Bullæ datæ sunt, ibidemque juxta Regis postulata, negotium Bonifacii VIII. propositum fuit, atque super eo decretum, ac tandem Patrum Decreto Bonifacius Catholicus & Orthodoxus, nullaque hæresi contaminatus declaratus fuit.

Cur super sola hæresi hic judicatum?

Nec sane mirum de solo crimine Hæreseos contra Bonifacium fuisse inquisitum, & super hoc solo crimine fuisse in hac causa pronuntiatum.

Scitur enim, quod ea ætate tanta esset Decreti Gratiani auctoritas, notanter in Curia Romana, præsertim quoad ea, quæ spectabant prærogativas Romani Pontificis, ut quidquid in hoc Decreto contineretur, authenticum reputaretur, & pro disciplina canonica recipi, & observari debere crederent Guriales Romani (*a*).

Cum vero apud Gratianum *distinct.* 40. *Can.* 6. ex dictis Bonifacii Martyris diceretur: *Si Papæ suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper a bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos. Hujus culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse judicaturus, a nemine est judicandus*: addita tamen hac clausula: *nisi deprehendatur a fide devius.*

Ex hoc Canone conclusere Canonistæ, Papam tametsi in moribus admodum reprehensibilem in hoc a nemine judicari posse. Si tamen deprehendatur a fide devius, eo casu tamquam hæreticum, seu hæresi infectum posse judicari.

(*a*) Ex summa illa auctoritate Decreto Gratiani tributa, nati sunt circa disciplinam Ecclesiasticam, judicia, & potestatem temporalem errores, qui leguntur in Collectionibus Gratiano posterioribus: hos errores enumerat doctissimus Gibert *Tomo I. Corporis Juris Canonici pag.* 224. *artic.* 3. *edit.* 1735.

Proinde hanc antiquorum Canonistarum Decreto Gratiani pressius inhærentium opinionem secuti videntur hi Curiales Romani, sive fautores Bonifacii VIII. permittentes, ut super materia hæresis Concilium procederet, & judicaret de hac materia contra Bonifacium; non autem de iis, quæ vitia Bonifacii spectarent. Videri potest, quod dixi in *Commentario* in citatam Distinctionem Gratiani.

Finis hujus Diffidii.

Ut autem & Regi, qui ob Bonifacii absolutionem non parum videbatur offensus, aliquatenus satisfieret, Decreto lato, ipsum, ejusque Successores ab omni imposterum, de admissis in Bonifacium inquisitione, securos præstitit Concilium.

Is itaque huic longo acerboque diffidio finis impositus fuit, licet semper odiosa manserit apud Gallos Bonifacii hujus memoria, ideoque & Collectio Decretalium, quæ *Sextus* Decretalium dicitur, a Gallis recepta haud fuit, ut supra notavimus in *Dissertatione ad Sextum Decretalium Bonifacii VIII* §. 3.

Clementina Romani Principes.

Cæterum circa *Clementinam*, *Romani Principes*, *unicam de jurejurando*, qua Clemens V. declaravit, Imperatores Romanos coronam a Romano Pontifice accipere, eique juramentum fidelitatis præstare, vide *Observationem ad Extravag. Joann. XXII. Si Fratrum, unic. Ne sede vacante.*

CLEMENTINÆ

Mores ac Disciplinam spectantes.

OBSERVATIONES.

Indictio Concilii Viennensis ad morum & disciplinæ reformationem.

CLEMENS V. in Litteris indictionis *Concilii Viennensis* expresse declarat, Concilium congregari, ut & *extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, & moribus reformatis Christus verus Ecclesiæ sponsus eam habeat purgatam maculis.*

Jubet Clemens prævie inquiri in ea, quæ reformentur.

Quinimmo, ut facilius collapsa Ecclesiæ disciplina restaurari posset, in hisce indictionis Litteris præcipit Prælatis: *ut interim, quo Concilii inchoatio differtur, per se & alios viros prudentes, Deum timentes, & habentes præ oculis omnia, quæ correctionis & reformationis limam exposcunt, inquirentes salubriter, & conscribentes fideliter, eadem ad ipsius Concilii notitiam deferant.*

Afferit dein: *quod & ipse resolverit, solers studium & efficacem operam dare, ut omnia talia in examen hujusmodi deducta Concilii, correctionem & directionem recipiant opportunam.*

Durandi Mimatensis tractatus de modo celebrandi Concilii generalis.

Inter Prælatos, qui huic operi incubuerunt, emicuit Durandus Episcopus Mimatensis, vulgo dictus *speculator*, qui specialem tractatum *de modo Concilii generalis celebrandi* composuit.

In hoc tractatu hic auctor plures eosque notabiles abusus, mediaque eos reformandi exponit, nec dissimulat, quos tunc temporis & in Curia Romana, & circa Episcopos, & etiam Cardinales reformandos videbat; e quibus elucet hujus Episcopi pro reformatione Ecclesiæ sincerus zelus: nonnullos articulos ex hoc tractatu sparsim in *Jure Eccles.* annotavi. Illud autem ex hoc tractatu intelligimus, ea ætate pro authentico reputatum & receptum fuisse, quidquid in Decreto Gratiani continebatur.

Plurimæ Clementinæ super moribus & disciplina.

Plurimas Constitutiones a Clemente V. in hoc Concilio Viennensi editas esse super morum & disciplinæ reformatione, probare videtur collectio *Clementinarum* in quinque Libros divisa.

Quæ enim in hac Collectione extant Constitutiones passim Clementi V. in *Concilio Viennensi* attribui solent.

Prima sub singulis titulis inscripta sub nomine *Clementis V. in Conc. Viennensi.*

Et quidem Constitutiones omnes, quæ primum sub singulis respective titulis occupant locum; referuntur sub nomine *Clementis V. in Concilio Viennensi.*

Reliquarum plures sub hac Epigraphe *Clemens V. in eodem.*

Earum autem, quæ primam Constitutionem sequuntur, plures extant sub hac epigraphe: *Clemens V. in eodem*: quæ relativa respicit citatum *Concilium Viennense.*

Aliquæ sub solo vocabulo *idem.*

Sunt & aliquæ relatæ sub simplici relativa, *idem*, scilicet *Clemens V.* sine mentione *Concilii*, aut relativa ad illud. Has tamen & Concilio Viennensi passim tribuunt Doctores.

Omnes passim a Doctoribus reputatæ ut in Concilio editæ.

Et quidem S. Antoninus in sua Summa *cap.* 3. referens Constitutiones in hoc Concilio factas, inter illas recenset *Clementinam*, *Quia contigit*, *de Religiosis domibus*, quæ ibidem extat sub simplici relativa, *idem*. Quin & Synodus Tridentina *sess.* 7. *cap.* 15. & *sess.* 25. *cap.* 8. *de Reformat.* dictam Clementinam tamquam Constitutionem *Concilii Viennensis* renovat. Similiter Constitutionem, quæ incipit, *Ut ii qui*, relatam in *Clem.* 2. *de ætate & qualit. præficiendi* observari præcipit Synodus Trid. *sess.* 22. *cap.* 4. *de Reformat.* tamquam Constitutionem *Conclii Viennensis*, licet inter Clementinas relatam sub simplici relativa *idem.*

Hoc ipsum Synodus Tridentina supposuit.

Non dubium igitur, quin omnes Clementinæ sub quacumque inscriptione in hac collectione exhibitæ, passim a Doctoribus reputatæ fuerint ut Constitutiones in *Concilio Viennensi* editæ, atque juxta vulgarem & passim receptam hanc Doctorum opinionem, a Synodo Tridentina citatæ sive renovatæ, nolente examinare vel deter-

terminare, num revera hæ Constitutiones in *Concilio Viennensi* fuissent factæ vel evulgatæ.

Non videntur tamen omnes Concilio Viennensi posse adscribi.

Cæterum cum Synodus hæc Viennensis nequidem anno uno integro duraverit, pluraque etiam magni ponderis & diuturnioris examinis negotia, ut Templariorum extinctio; item processus Regis Galliæ contra Bonifacium VIII. subsidium Terræ Sanctæ, hæreseumque condemnantio occurrerint & terminata fuerint, verisimile non est, tot Constitutiones sive Decreta disciplinæ, quot in hoc opere Clementinarum continentur, a Synodo potuisse expendi & determinari.

Id constat de *Clementina Quoniam de immunit.*

Verum licet contra abusus, quibus in his Constitutionibus occurritur, multa suggesserit Durandus in allegato Tractatu, ut consequenter verisimile sit, de his in Concilio sermonem fuisse, nihilominus nullum inde concludens argumentum habetur; has Constitutiones, signanter, uti hodie inter Clementinas extant, in Concilio *Viennensi* esse editas, immo sat constat, Constitutionem sub titulo *de Immunitate Ecclesiarum*, qua derogatur Constitutioni Bonifacii VIII. *Clericis Laicos*, esse editam a Clemente V. sex circiter annis ante Concilium Viennense inchoatum.

Idem dic de *Clem. 1. de judic.* & *Clem. 1. de Sent. Excomm.*

Id ipsum notavit jam pridem Glossographus ad procemium Clementinarum, verbo *Ante*, hant Constitutionem esse ediam ante Concilium; uti & Constitutiones *Clem. I. de Judic.* & *Clem. I. de Sent. Excomm.*

Omnes Clementinæ reformationem univ. Ecclesiæ tangentes a Clemente solò editæ videntur.

Si continuatori Guillelmi Nangii credimus: etsi de „ aliquibus statum vel reformationem universalis Ecclesiæ tangentibus aliqua prosecuta fuerint, & eorum „ ordinatio, seu provisio, seu decisio, a Prælatis & „ aliis, quorum intererat, priusquam Concilium solveretur, & instanter & pluries a Papa pateretur, de „ quibus etiam ipse Papa (ut dixerunt aliqui) Decretales quasdam, præterea Constitutiones edidit & statuta, nunquam tamen in dicto Concilio fuerunt publice promulgata, sed penitus judicio Apostolicæ Sedis fuerunt reservata & ad plenum dimissa „.

Similiter citatus Glossographus, sive Joannes Andreas ad procemium *Clementinarum*, verbo *de cætero*, scribit, quod Clemens V. Constitutiones, quæ erant „ sub nomine Concilii Viennensis in unum collectæ, sub excommunicationis pœna (ut ferebatur) mandaverit, „ quod istas habentes, infra certos dies restituerent Cameræ, vel incenderent, vel dilacerarent etiam easdem „; quia scilicet: „ patuit, aliquas ex illis inepte, „ aliquas prolixe, aliquas defective compositas, aliquas „ etiam non expedire „. Quæ congruunt iis, quæ ex Aventino supra in *Dissert.* procemiali §. 1. retuli.

Plures Clementinæ post Concilium mutatæ, & rejectæ.

Addit autem idem Auctor, quod Clemens *demum per peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas & paucas in totum reservaverunt, aliquas in totum resecarunt, aliquas mutaverunt, quoad verba, mente servata, in aliquibus menti & verbis detraxerunt, & addiderunt. Et has, licet non sub his verbis in Concilio publicatæ fuissent, voluit sub nomine Concilii reservari.*

Novæ additæ.

Quin & monet Glossographus, quod ipse Clemens *multas Constitutiones utiles addiderit, de quibus non fuerat in Concilio tractatum; ut (ait) de Rescriptis omnes, quæ sunt post secundam: & de electione omnes post primam, cum similibus, fecit illas una cum quibusdam Constitutionibus, quas prius condiderat sub debitis titulis compilari.*

Inter *Clementinas* aliquæ sunt Joannis XXII.

Verum Clemens V. morte præventus hanc Collectionem non publicavit: sed ejus Successor Joannes XXII. post iteratum earum examen, & nonnullis mutatis & correctis, eam collectionem publicavit, etiam quibusdam de suis Constitutionibus additis; e quibus censenda famosa illa Constitutio in *Clementina, Romani. Principes de jurejurando*, quam a Joanne XXII. editam esse, durante dissidio super Jure Imperii inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Austriacum in *Observatione* ad Extravagantem Joannis XXII. Si *Fratrum ne Sede vacante*, ostendetur.

Quid inde consequatur?

Hæc sufficienter evincunt, licet Constitutiones in opere *Clementinarum* contentæ, passim citentur sub nomine *Clementis V. in Concilio Viennensi*, nequaquam tamen inde concludi posse, eas omnes esse in Concilio editas, immo nequidem consequens esse, eas a Clemente aut compositas, aut huic Collectioni, prout hodie extant, esse insertas.

Auctoritas *Clementinarum*.

Nihilominus quia a Joanne XXII. publicatæ fuerunt sub eadem forma, qua Decretales Gregorii IX. & *Sextus* Decretalium Bonifacii VIII. efficiuntque una cum his collectionibus partem Corporis Canonici, etiam pari cum illis auctoritate valent.

Plures ex his Decretalibus Synodus Tridentina in suis pro reformatione Ecclesiæ editis Decretis, sub nomine Concilii Viennensis, renovavit, observari præcepit.

Plenitudo potestatis disponendi de Beneficiis.

Ulterius constat, quod pene sub singulis titulis occurrant Decretales, quæ & hodie modernam Ecclesiæ disciplinam spectant: quamvis negari nequeat, ex his Decretalibus manifestum esse, quod eo tempore Pontifices sibi attribuerent plenitudinem potestatis disponendi de Beneficiis; omniaque tamquam Ordinarius Ordinariorum per universam Ecclesiam statuendi & ordinandi, (*a*) prout in *Jure Ecclef.* non semel notavi, ubi & sparsim exposui Decretales in his libris *Clementinarum* contentas, tum per Synodum Tridentinam renovatas, tum alias, quæ hodie ac signanter in Belgio sunt receptæ.

(*a*) Plenam hanc ac supremam summorum Pontificum potestatem Canonistæ effato stabiliant hoc celeberrimo: *Episcopi in partem sollicitudinis vocati sunt; solus Papa in plenitudinem potestatis.* De origine, & abusu hujus effati plura dixit D. Van-Espen *Tom. I. part. 1. tit. 21. cap. 3.* alias in *supplemento* ad primam partem *tit. 21. cap. 2. ad numer.* 8.

DISSERTATIO

In Extravagantes Joannis XXII. & Communes.

§. UNICUS.

Quare hæ Constitutiones retinuerint nomen Extravagantium?

Unde dictæ Extravagantes?

OBSERVATUM est supra *Dissertatione in quinque Libros Decretalium Gregorii IX.* §. 1. omnes Pontificias Constitutiones post Decretum Gratiani, editas, communi vocabulo *Extravagantium* fuisse appellatas, eo quod *extra* illud volumen Gratiani (quod tunc unicum pene pro Canonum Codice reputabatur) vagarentur; atque idcirco & primam Decretalium compilationem a Bernardo Papiensi sub titulo *Breviarii Extravagantium* fuisse editam notavimus.

Verum postquam prodiit collectio Decretalium, auctoritate Gregorii IX. adornata & publicata, Decretales hac collectione contentæ nomen *Extravagantium* amiserunt: utpote quæ jam in certum corpus & ordinem digestæ, & Puntificia munitæ auctoritate, non amplius *vagantes* seu *vagari* dicendæ essent.

Quia tamen *extra* primum Juris Codicem seu corpus, scilicet Decretum Gratiani consisterent, Doctores ejus temporis indicandæ huic Collectioni vocabulum *Extra* retinuerunt, ut notarent Decretales *extra* Decretum Gratiani contentas.

Collectio Bonifacii VIII. designata non fuit vocabulo *extra*, tametsi Decretales ea comprehensæ essent extra Decretum Gratiani, eo quod hæc Collectio habita sit tamquam appendix & *Sextus* liber Collectionis Gregorii IX., ut vel ob id *Sextus Decretalium* simpliciter dicatur.

Deinde volumini seu Compilationi *Clementinarum* inserta Decreta simpliciter *Clementinas* dicta esse, eo quod omnia hæc Decreta nomen *Clementis V.* papæ præfixum habeant, monuimus in *Dissertatione* ad *Clementinas* §. 1. quamvis & hic Liber aliquando fuerit *Septimus Decretalium*, uti ibidem probatum est.

Itaque tandem nomen *Extravagantium* proprium mansit Constitutionibus Pontificiis, quæ extra prædictas Collectiones, quæ corpus Canonicum constituebant, circumferebantur, nec hactenus in certum corpus ordinemque publica auctoritate erant redactæ.

Joannes XXII. non publicavit suam Collectionem, in qua 20. tantum ejus Constitutiones colligi jussit.

Ex his fuerunt viginti Constitutiones quas Joannes XXII. Avenione anno Pontificatus sui nono, sine distinctione Librorum, sed sub distinctis *titulis* in unum colligi jussit, nunquam vero solemniter publicavit, aut speciali Decreto sive Bulla mandavit, ut hac Collectione sive Constitutionibus in ea contentis, tam in scholis quam in judiciis utendum esset, quemadmodum circa præcedentes Decretalium Collectiones contigerat.

Verisimiliter quod speraret componere pleniorem.

Admodum verisimile est, Joannem XXII. hanc Constitutionum suarum Collectionem solemniter non promulgasse, quod speraret *pleniorem*, procedente tempore, Decretalium suarum collectionem componere, uti notat Joannes Doujatius *in Prænot. Can. lib. 4. cap. 23. num. 4.*

Inter *Communes* repeриuntur adhuc aliquæ Joannis XXII.

Et revera in Collectione, quæ postmodum prodiit sub nomine *Extravagantium communium*, plus reperiuntur ejusdem Pontificis Decretales, aliorum Pontificum Decretalibus intermixtæ, præter prædictas viginti Constitutiones.

Extravagantium *Communium* ignoratur auctor.

Quis vero Collectionis, quæ vulgo vocatur *Extravagantium Communium*, sit Auctor, nescitur. Id sat constare videtur, nec Collectionem hanc unquam speciali jussu alicujus Pontificis adornatam aut publicatam esse.

Nescitur quo tempore duæ Extravagantium Col-

Verum licet hæ duæ *Extravagantium* Collectiones non sciantur *publica* auctoritate evulgatæ aut probatæ, sensim tamen cum præcedentibus Decretalium Collectionibus Corpori Juris Canonici annexæ fuerunt, ac tandem unum

Sectiones Juris fuerunt acclusæ.

unum cum illis Codicem ſive Corpus Canonicum conſtituunt.

Inter Communes reperitur Conſtitutio Sixti V. anno 1483.

Quo autem tempore, aut quo Auctore hæ *Extravagantium* Collectiones Corpori Canonico accluſæ fuerunt, neſcitur. Hoc conſtat Collectionem *Extravagantium communium* non fuiſſe abſolutam niſi circa finem ſæculi XV. quandoquidem in ea occurrat Conſtitutio ſub titulo de *Reliquiis & venerat. Sanctorum*, edita a Sixto IV. anno 1483. (*a*).

Extravagantes non memoratæ in Viſitatione Univerſitatis Lovanienſis 1617.

Inſuper has *Extravagantium* Collectiones non fuiſſe reputatas paris ponderis & auctoritatis ac præcedentes, tempore viſitationis hujus Univerſitatis Lovanienſis inſtitutæ anno 1617. vel inde colligitur, quod ſub titulo *de Facultate Juris Canonici* præcipiatur, ut duo Profeſſores Juris Canonici quotidie legentes, ad Libros & titulos Decretalium Gregorii IX. *applicent Conſtitutiones, tam antiqui, quam novi juris, quæ Sexto & Clementinis continentur*, nulla facta mentione Conſtitutionum, quæ in *Extravagantibus* occurrunt.

Cur Corpori Juris accluſæ adhuc *Extravagantes* vocentur?

Denique conſtat, has Collectiones retinuiſſe nomen *Extravagantium*, etiam poſtquam cum reliquis Decretalium Collectionibus Corpori Canonico fuerunt accluſæ, ea indubie ratione, quod nulla publica auctoritate Collectiones hæ eſſent publicatæ, aut Corpori Canonico *incluſæ*.

Extravagantes Joannis XXII. ſolas hujus Pontificis Conſtitutiones continent.

Prior autem harum Collectionum citatur ſub nomine *Extravagantium Joannis XXII.* eo quod ſolas hujus Pontificis Decretales contineat.

Cur in Communibus Extrav. ...

Altera vero, quæ diverſorum Pontificum Conſtitutiones complectitur, præfert titulum *Extravagantium communium*, eoque nomine hodie citatur ad exemplum præcedentium Collectionum in Libros & titulos diſtincta, omiſſo tamen *Libro quarto*, quia in his *Extravagantibus* nulla de materia Matrimoniali Conſtitutio occurrit: quare ad calcem Libri tertii notatur, *quartus Liber vacat*.

liber quartus vacet?

Hæc nota a Collectore addita apparet, ut *Extravagantes*, quæ materiam Simoniæ, aliaſque materias, de quibus Libro quinto Decretalium Gregorii IX. agitur, etiam in hac Collectione exhiberi poſſent ſub rubrica Libri *quinti*.

Materia ſequentium Obſervationum.

Porro cum hodie hæ *Extravagantes* tamquam pars Corporis Canonici vulgo reputentur, & a Doctoribus paſſim allegentur, & in judiciis (*a*) proferantur, ac nonnullæ notabiles Decretales, etiam a Commentatoribus non parum vexatæ, inter illas occurrant, haud inutile reputavimus, aliqua hiſtorice hic referre, quæ Extravagantibus illis illuſtrandis ſubſervire poſſunt, ac notanter quibuſdam Conſtitutionibus, quæ inter Extravagantes Joannis XXII. occurrunt. Sunt quidem & inter Extravagantes *Communes* nonnullæ ſat notabiles, ſed cum de pleriſque in Jure Eccleſiaſtico, & in noſtris Diſſertationibus, ſufficienter actum credam, *Obſervationes* ulteriores hic non addendas exiſtimavi.

(*a*) Sunt Decretaliſtæ, qui credunt ann. 1484. hanc prodiiſſe Collectionem.

(*a*) Apud Germanos Catholicos, Jure deficiente in deciſione cauſarum, allegantur Extravagantes Joannis XXII. & Communes. Quamvis Germani non ignorent inter Canoniſtas etiamnum diſputari, num reſervatio contenta in his Extravagantibus dicenda ſit ſervatio *clauſa in Corpore Juris*. Quod quidem dubium ſatis inſinuat incertum eſſe, an dictæ Conſtitutiones ſint in Corpore Juris eodem modo incluſæ, quo præcedentes Collectiones.

EXTRAVAGANTES JOANNIS XXII.

Super intellectu Regulæ Sancti Franciſci, ac præſertim ſuper obſervantia paupertatis. *Cap. Quorumdam 1. de verb. ſign. & cap. Sancta Romana, de Religioſis domib.*

OBSERVATIO.

Clemente V. an. 1314. defuncto, vexati FF. Spirituales appellant ad futurum Pontificem Romanum.

IN Obſervatione ad *Clementinam*, *Exivi de Paradiſo* ex Waddingo notavimus, quod ſub Clemente V. aliquouſque Ordo Minorum ad unitatem eſſet reductus.

Verum, ut ſcribit Waddingus, mortuo in Aprili anno 1314. Clemente Papa, revixit tribulatio, impellentibus vitæ laxioris ſectatoribus, ut hi contra Clementis declarationem in omnibus ſecum convenirent. „ Reſtiterunt Fratres *ſpirituales*, præſertim in eis, quæ videbantur contraria obſervantiæ Regulari. Atque hinc „ nova jurgia, moleſtiæ, & graviores perſecutiones; „ & timentes graviora, inito conſilio, abierunt Narbonam, & Bitterras, ubi propter reverentiam Petri „ Joannis *Olivi* in iſta urbe educati, in illa ſepulti, cujus ſe diſcipulos profitebantur, amice recepti ſunt a „ civibus, & expulſis cæteris turbulente, tradita ſunt „ Monaſteria. Prælati Ordinis eos frequenter citarunt, „ vocarunt, cenſuris latis compellarunt, neque dimittere loca iſta voluerunt, aut Superiorum præceptis „ obedire. Sed in ſua pertinacia perſtitere. Hac de „ cauſa ſecundo male audierunt apud cæteros, & Superiores vehementer irritarunt, ut efformarent contra „ eos proceſſus, & peterent a Philippo Rege Franciæ, „ & Epiſcopis auxilium, ut tamquam contumaces & rebelles, Apoſtatæ & Schiſmaci caperentur, atque in ordinem redigerentur. Illi vero de omnibus his gravaminibus, & citationibus appellarunt ad futurum Pontificem.

Joannes XXII. electus anno 1316. FF. Spiritualibus infenſus.

Poſt duos annos vacationis tandem in Pontificem electus eſt Joannes XXII. qui ad Ordinis petitionem miſit Bertrandum de Turre, Fratrum Minorum Miniſtrum Provincialem Aquitaniæ, ut has turbas ſedaret; urgeretque prædictos rebelles, ut dimiſſis his Conventibus, redirent ad Superiorum obedientiam. Renuerunt huic Delegato obedire, ſatiuſque judicaverunt, coram ipſo Pontifice apparere, & cauſam dicere.

Verum priuſquam ipſi coram Pontifice apparerent, de tot exceſſibus & criminibus per Fratres *de communitate* fuerunt accuſati, ipſeque Pontifex ita contra præcipuos ex ipſis præventus, ut vix ipſos audire vellet, adeo ut cum F. Angelus Clarenus innocentiam Fratrum Spiritualium clarius vellet probare, juſſerit Pontifex eum tacere. Ille autem hoc ægre ferens dixit, *ſuam Sanctitatem adverſarios falſa crimina objicientes plenius audiviſſe, ſe vero veritatem narrantem debuiſſe auſcultare.*

Extravag. Joannis XXII. *de verb. ſig.*

Pontifex, auditis partibus, ſed a Fratribus de *communitate* non parum præventus, primo Pontificatus ſui anno cauſam hanc decidit, edita Conſtitutione, quæ incipit, *Quorumdam*, relata inter Extravagantes Joannis XXII. ſub titulo *de verborum ſignificat.*

Acerrimè perſtringit *Spirituales.*

In hac Extravagante oſtendit Pontifex animum non parum a Fratribus *Spiritualibus* averſum, aſſeritque, quod *irreligioſa horum ſit, vana & in hoc ſuperſtitioſa Religio, dum ſuis* (ait) *mavult temere ſub conſcientiæ velamento conceptibus, quam Prælatorum Ordinis ſui cum obedientiæ merito, provide inhærere ſententiis .... ingrata Deo, Superioribus contumax, præfato Ordini detrahens, odioſa Confratribus, unionem ſcindens.*

Circa habitum FF. Minorum.

Poſt hæc declarat, ſe velle huic negotio finem imponere, ac propterea de conſilio Fratrum ſuorum, conformitèr ad prædictam Clementis Conſtitutionem, quæ incipit, *Exivi de Paradiſo, Miniſtrorum, Cuſtodum ſeu Guardianorum judicio præſentium auctoritate committit, determinare, & arbitrari, atque præſcribere, cujus longitudinis, groſſitiei, & ſubtilitatis formæ, ſive figuræ, atque ſimilium accidentium eſſe debeant, tam habitus, ipſorumque caputia, quam interiores tunicæ, quibus Fratres omnes Minores dicti Ordinis induuntur, ac inſuper cujus quantæque utilitatis indui eos ipſis veſtimentis oporteat:* „ ita tamen (ait) quod utilitatem in veſtibus ſervent, „ præſertim cum & in Declaratione prædicti Nicolai „ dicatur: quod ſemper in eiſdem Fratribus, & eorum „ actibus paupertas ſancta reluceat, prout ipſis ex eorum Regula invenitur indicta, ac Conſtitutionibus „ ejuſdem ordinis generalibus caveatur (ut aſſerunt) „ quod in omnibus, quæ ad habitum ſpectant, reluceat „ ſemper aſperitas, vilitas, & paupertas „.

De reſervatione eorum, quæ ad victum pertinent.

Cum inſuper quæſtio eſſet, num juxta Regulam ſancti Franciſci liceret Fratribus, reſervare grana, aut vinum in granariis aut cellariis, Pontifex quoque conformiter ad præallegatam Clementinam, committit judicio Miniſtrorum, vel Cuſtodum in ſuis reſpective Cuſtodiis, & adminiſtrationibus cum Guardiani & duorum de Conventu loci diſcretorum Sacerdotum, & antiquorum in Ordine Fratrum conſilio & aſſenſu *determinare, arbitrari, atque præcipere eo caſu, qualiter, ubi, & quando, & quoties granum, panem, & vinum pro Fratrum neceſſariis, Fratres ipſi quærere debeant, conſervare ſive reponere, etiamſi reponenda ſint in prædictis granariis & cellariis conſervanda.*

Circa hæc ſe ſubmittunt Fratres ſuis Superioribus.

Præcipit dein Pontifex, ut omnes Fratres ſe ſubmittant in prædictis determinationi Superiorum, conformiter ad hanc Conſtitutionem.

Declarat inſuper, quod in prædictis, ſequendo determinationem & arbitrium, Superiorum, Fratres *nec ſint, nec dici poſſint vel debeant, nec ipſi ſeipſos autument ſuæ Regulæ, vel Conſtitutionum ſui Ordinis tranſgreſſores.*

Sub pœna Excomm. præcipit, ut circa habitum pareant ſuperioribus.

Denique omnes & ſingulos Fratres hujus Ordinis, qui *ſtrictos*, *curtos*, & *difformes* habitus ab ipſius generalis Miniſtri, & aliorum de dicta *Communitate* habitu coram ipſo Pontifice & Cardinalibus, & aliis in Romana Curia detulerunt, vel deferunt; hortatur & *ſub excommunicationis pœna per Apoſtolica ſcripta mandat, quatenus ad mandatum ipſius Generalis deponant, quos deferunt habitus, & aliis juxta ejuſdem Generalis arbitrium, determinationem ſive judicium induantur.* Ac in reliquis juxta præfatas ſuam & Clementis Declarationes, ipſi Generali in omnibus pareant.

FF. Spirituales mordicus

Hac Declaratione ſeu Conſtitutione vel Sententia tantum abeſt, ut Fratres illi *ſpirituales & ſtrictioris*

contendunt præcepta Joannis XXII. esse contra Evangelicam paupertatem.

ris Observantiæ reducti fuerint ad obedientiam & unitatem Ordinis, habitumque assumptum dimiserint, ut e contrario magis fuerint incitati & in proposito obfirmati.

Publice quippe proclamare & asserere cœperunt, quod ea, quæ in hac Constitutione de *habitu & quæstu*, & similibus mandabantur, essent contra *consilium* Christi *Evangelicum*, & eorum *votum* de *altissima & Evangelicæ paupertate*, quam Christus servavit, & Apostolis ac Professoribus Evangelicis imposuit ad servandum, & quod *nulli mortalium cum secura conscientia in eis poterant obedire*.

Pontifex committit Inquisitori, ut procedat tamquam contra hæreticos.

Pontifex horum Fratrum resistentia & inobedientia irratus *Michaeli Monacho*, Ordinis Fratrum Minorum Inquisitori hæreticæ pravitatis in Provinciæ & Forcalquerii Comitatibus, committit ut contra rebelles & *inobedientes* nominatim in Litteris Commissionis expressos, tamquam contra hæreticos inquirat, & procedat. Data est hæc commissio idibus Novembris anni 1317. anno 2. Pontificatus Joannis XXII. extatque integra apud Waddingum ad dictum annum *num.* 15. & apud Baluzium *tom.* 3. *Miscellaneorum pag.* 195.

Inquisitor procedit contra quatuor præcipuos.

Inquisitor hic contra quatuor præcipuos, nimirum *Joannem Barram* de partibus Tolosanis, *Deodatum S. Michaelis*, *Guillelmum Sautonis*, Presbyteros, & *Poncium Rocha* Diaconum de Partibus Narbonensibus, & quosdam alios, qui ex parte & de mandato Fratris *Michaelis* hujus Ordinis Ministri Generalis, per ipsius Ministri nuntios ad hoc specialiter destinatos, Inquisitori fuerant præsentati.

Hi manent immobiles in sua sententia.

Hi coram Inquisitore interrogati, palam & constanter sustinuerunt *quod præcepta eis facta, quoad habitum curtum & strictum, quem assumpserant, dimittant, & alium* Communitatis *Fratrum accipiant, non tenent seu obligant, quia sunt contra Christi Evangelium, & quod illud, quod præfatus Dominus Papa, in dicta Constitutione declaravit, & diffinivit de granariis & cellariis, est contra consilium Evangelicum, & quod non credunt ipsum in eis habere potestatem vel auctoritatem, & quod ipsi Domino Papæ in his nullatenus obedirent, nec possent cum sana conscientia alicui mortalium obedire.*

Dicunt & asseruisse Regulam sancti Francisci eamdem esse cum Evangelio, & propterea indispensabilem a Pontifice, maxime in eis, quæ præscriptorie vel inhibitorie in Regula præscribuntur. Secundo asseruisse, non potuisse Pontificem concedere FF. Minoribus cellaria aut granaria, & viventes secundum hujus concessionis licentiam mortaliter peccare.

Et quidem in his assertionibus tanta perstitisse dicuntur constantia, ut nullis vel Inquisitoris, vel Episcopi Massilicensis iteratis monitionibus & instantibus precibus ab iis dimoveri potuerint.

Pronunciantur hæretici, & brachio sæculari traduntur.

Quare Inquisitor, præhabitis solemnibus consiliis multorum Episcoporum & Prælatorum, & aliorum plurium Magistrorum, & Baccalaureorum in sacra pagina Professorum, nec non fere omnium auditorum sacri Palatii, aliorumque magnæ auctoritatis virorum, qui omnes judicaverunt articulos, quos prædicti asserunt esse *hæreticos*, & pertinaces eorum assertores fore sicut *hæreticos* judicandos, tandem assistentibus Episcopo Massiliensi, & pluribus aliis Prælatis, & Religiosis, ac personis litteratis, supradictos quatuor Fratres per sententiam definitivam pronuntiavit *hæreticos*, & *pestilentissimorum assertores Dogmatum* judicavit, & ut tales *degradavit*, & *brachio sæculari tradidit*, per cujus sententiam etiam in Civitate Massiliensi tamquam hæretici hi quatuor *combusti* sunt, uti latius refertur tum in sententia Inquisitoris (quam tom. 1. Miscellaneorum *pag.* 198. inseruit Stephanus Baluzius) tum ex historia harum turbarum Angeli Clareni, qui cunctis his turbis & accusationibus interfuit, & cujus fragmentum exhibet Vvaddingus ad ann. 1318. a *nu.* 17. usque *ad nu.* 27. *Cui licet aliquis plenam deneget fidem (ait Vvaddingus) quippe socio & fautori horum Fratrum* (Spiritualium) *attamen eam sibi vendicat ejus pietas, qua semper floruit, & opinio* sanctitatis, *sub qua tandem obiit.*

Et cremantur.

In prima vita Joannis XXII. apud Baluzium in vitis Paparum Avenionensium eadem pene leguntur *pag.* 117. „ Anno decimo nono sequenti Dominus Papa dictos „ Fratres remisit ad Prælatos communitatis Ordinis „ memorati, & quædam contenta in dicta Regula (sancti Francisci) declaravit. Quidam vero illorum no„ luerunt in hoc summo Pontifici obedire, dicentes, „ quod Papa dictas declarationes facere non poterat, „ nisi tamquam hæreticus, & vitæ Evangelicæ dissipa„ tor: quorum quatuor per Inquisitores Ordinis Mi„ norum in Aquensi Provincia traditi sunt justitiæ sæ„ culari, & apud Massiliam sunt combusti: quidam „ vero ex ipsis fugæ præsidio se dederunt ".

De Bulla, quæ incipit Sancta Romana, de Relig. Domib.

Si hactenus relata expendatur, admodum verisimile apparebit, quod contra hos *Fratres Spirit.* seu *strictioris observantiæ*. Bullam dedit, quæ incipit *Sancta Romana Ecclesia, de Religiosis domibus*. Contendit tamen Vvaddingus in annalibus Minorum ad annum 1317. quod hujus Constitutionis censura non spectet *Fratres Spirituales*, sed Fratres de paupere vita, Bizochos, sive Beguinos, qui in plurimis Italiæ & Galliæ Provinciis contra Canones Ecclesiasticos habitum novæ Religionis assumpserant, qui palam asseverabant se Fratrum Regulam profiteri, atque ad litteram observare, quamvis sub obedientia Superiorum Ordinis non morarentur.

Vvaddingus agit de Fratricellis & Bizochis, qui se Franciscanos singebant.

„ Sed quia, inquit Vvaddingus, in errorum barathrum facile ruunt, qui conceptus proprios Patrum „ definitionibus anteponunt: plurimi illorum dicebantur „ a veritate Catholicæ fidei deviantes Ecclesiastica Sa„ cramenta despexisse, & studuisse errores alios multi„ pliciter seminare. Quare Joannes Pontifex ad hujus „ anni finem 3. Kalendas Januarii, non obstantibus „ eorum excusationibus, quas frivolas reputavit, se„ ctam, ritum, & statum illorum condemnavit & an„ nullavit; professiones in illis sectis factas reddidit ir„ ritas, & Episcopis interdixit, ne deinceps ullum ad „ ejusmodi statum reciperent, uti habetur in Extrava„ ganti *Curiæ Romana*, quæ legitur in Corpore Juris „ inter Constitutiones prædicti Pontificis, tit. *de Re„ ligiosis domibus* ".

Bzovius Bullam intellexit de Fratribus Spiritualibus.

At Bzovius in suis Annalibus Ecclesiasticis asseri hanc Constitutionem datam fuisse adversus Fratres Spirituales, qui in Ordine S. Francisci professionem emiserant: ejus autem communior est opinio, quam verbis sequentibus Bzovius exponit „ Plerique ex Ordine S. Fran„ cisci cæteris se sanctiores esse existimantes ad modum „ ingenii sui contra reliquæ multitudinis sensum verba „ quædam Regulæ detorquebant, atque in errorem „ multis sodalibus seductis, sectam Fratricellorum col„ legerant. Istos dolebat Clementini Decreti (videlicet „ *Exivi de Paradiso, lib.* 5. *tit. de verb. significat.* in „ quo declaratur Regula sancti Francisci) in Corpus „ Juris redacti promulgatio, cumque & passim per Ci„ vitates, & præcipue in Curiis Regum ac Principum „ quererentur, quasi summi Pontifices rigorem illum a „ sancto Francisco præscriptum imminutum esse vel„ lent, multaque præterea nimis procaci dicacitate, „ indigna auribus Catholici, dispergerent, ideo neces„ se habuit Joannes XXII. eam sententiam scilicet in „ hac Extravaganti, quæ incipit *Sancta Ecclesia Ro„ mana*, contentam in impios statuere ". Huc usque „ Bzovius.

Bzovii sententia Minoritas offendit.

Ea Bzovii sententia feriit animos Fratrum Minorum; *Nitela Franciscanæ Religionis* hanc opinionem ut suo Ordini contumeliosam aggressus est, cui in defensione Fratrum Spiritualium successit P. Lucas Vvaddingus Minorita. Contendit ille neque Franciscanos fuisse, quos Pontificum Diploma perstringit, neque Franciscanos seu Fratres Spirituales confecisse Fratricellorum sectam, uti Bzovius narravit.

Dixerat Bzovius strictiores Minoritas multis sodalibus in errorem seductis renovasse sectam Fratricellorum, ac reliquias hujus sectæ sibi adjunxisse.

Ejus falsitatem conatur probare Vvaddingus.

At Waddingus plurimis ex Bulla prædicta textibus desumptis probare conatur Fratres Spirituales sententia hujus Diplomatis non fuisse proscriptos, ait enim Bullam, quæ *Sancta Romana Ecclesia* incipit, datam fuisse ann. 1317. cum Diploma seu Constitutio, quæ Fratres Spirituales condemnavit, ann. 1318. condita fuerit.

Quidquid sit de isto Chronologiæ facto, quod disputationum tenebris involutum videtur; constat iterum agitatam fuisse quæstionem de condemnanda doctrina Petri Joannis Olivi, e quo tot mala, totque contentiones exortas fuisse asserebant Fratres de communitate, qui huic Petro adversabantur. Ejus doctrina an. 1310. perpensa primum fuerat; deinde in Concilio Viennensi an. 1311. præside Clemente V. qui Fratres Franciscanos tum de communi tum de strictiori vita ad pacem hortatus est; ut in observatione in Clementinam *Exivi de Paradiso* dictum est superius. At cum novos tumultus doctrina Petri Joannis Olivi in Ordine Franciscano iterum excitasset; Joannes XXII. iram suam adversus Fratres Spirituales, qui istarum turbarum auctores accusabantur, continere non potuit.

Tumultus per Olivi doctrinam concitati.

Cum igitur Intelligerent Fratres laxioris Observantiæ sive de *communitate* Pontificem contra Fratres *Spirituales* & discipulos Petri Joannis, ejusque doctrinæ defensores vehementer irritatum, opportunum judicarunt, hujus Petri opera ac notanter ejus Postillam seu Commentarium in *Apocal. S. Joan.* tamquam erroribus & hæresibus notanter contra Ecclesiam Romanam refertum Pontifici denuntiare.

Itaque hanc Postillam una cum variis articulis, tamquam ex hac Postilla fideliter extractis, Pontifici obtulerunt.

Pontifex autem hos articulos, & ipsam Postillam misit ad Nicolaum Episcopum Ostiensem, qui ex commissione Pontificis eos cum Postilla commisit duodecim Theologis, ut cum diligentia eos examinarent, & de ipsis in scriptis sub suis sigillis suam sententiam concorditer dicerent, utrum videlicet dicti articuli, quorum tenores describuntur, in ipsa Postilla continerentur, & utrum ipsos articulos hæreticos, aut erroneos seu temerarios censerent.

Hæc habentur ex Litteris horum Theologorum, quibus conformiter ad commissionem sibi factam, judicium suum Pontifici exponunt, quas Litteras tomo 1. suorum Miscellaneorum *pag.* 213. inseruit Stephanus Baluzius.

His Litteris subjicitur ibidem *pag.* 299. judicium quorumdam Episcoporum & Doctorum, qui conformiter ad prædictos Theologos, nonnullos articulos ex hac Postilla extractos, esse hæreticos pronuntiarunt.

Ex horum itaque, aliorumque judicio tandem hic Pontifex Joannes XXII. in publico conſiſtorio dictam Poſtillam tamquam hæreſibus & pernicioſis erroribus refertam reprobavit.

Hanc condemnationis ſententiam recitat Bernardus Guidonis in vita hujus Pontificis apud Baluzium tom. V. *vitarum Paparum Avenionemſium*.

Meminit & hujus condemnationis Eymericus, in Directorio Inquiſitorum *part.* 1. *Commentario* 51. additque, quod idem Papa poſtquam condemnavit prædictam Poſtillam tamquam hæreſibus & blaſphemiis conſperſam, etiam Auctoris Poſtillæ Petri Joannis oſſa fecerit exhumari, verba ejus ſunt: *Quibus* (*erroribus*) *condemnatis idem Dominus Papa Joannes fecit exhumari oſſa dicti Fratris Petri Joannis, & omnia, tam cereas imagines quam pannos per manus ſimplicium ad ejus tumulum deducta, Narbone fecit publice concremari*. Aliqui tamen volunt dicere, quod licet oſſa fuerint exhumata, non tamen cum prædictis concremata; ſed Avenionem deducta, & de nocte in Rhodanum projecta.

Pergunt plures doctrinam & perſonam Petri Joannis defendere.

Porro ex Vvaddingo in Annalibus Minorum conſtat etiam poſt hanc condemnationem operum & perſonæ *Petri Joannis* plures e Fratribus, ejuſque diſcipulis & zelatoribus, ejus doctrinam & opera ab omni hæreſi, ejuſque memoriam adverſus æmulorum calumnias vindicaſſe.

Hoc inſuper ex horum ſcriptis & apologiis in defenſionem hujus Petri Joannis evulgatis habetur, ipſos ſuſtinuiſſe, Theologos ac Doctores ad examen operum & doctrinæ dicti Petri adhibitos non ſatis attendiſſe ad antecedentia & conſequentia, ad quæ ſi ſerio ſine præventione reflexiſſent, facile vidiſſent articulos ex ejus opuſculis extractos, præſertim ex ejus Poſtilla ſuper Apocalypſim ſancti Joannis, ab omni hæreſi eſſe immunes in ſenſu Auctoris, quem conſequentia & antecedentia ſufficienter exprimere ejus diſcipuli ſuſtinebant.

Sixtus IV. ex Ordine Minorum ſcripta Petri Joannis orthodoxa declarat.

Cum autem hæc diſſenſiones mirum in modum Ordinem Minorum turbarent, & in partes ſcinderent, tandem Sixtus IV. ex hoc Ordine Minorum ad ſummum Pontificatum aſſumptus, ut his diſſidiis & diſputationibus finem imponeret; libros & ſcripta (ait Vvaddingus ad ann. 1397. num. 35.) hujus viri denuo diligenter & exacte percurri præcepit, declaravitque *nihil in eiſdem contineri, quod expreſſe Fidei Catholicæ contradiceret; & omnia ſub eodem moderamine ab Auctore dicta, ut in bonum ſenſum poſſint trahi univerſa, defectumque eo uſque proveniſſe, vel ex parvo affectu, vel nimia ignorantia legentium*.

Pontifices errare poſſunt in determinando quis ſit ſenſus alicujus libri.

Ex his manifeſtum eſt, non tantum Fratres Minores hujus Petri diſcipulos ac defenſores, ſed & ipſum Pontificem Sixtum IV. exiſtimaſſe, quin & reipſa declaraſſe, Pontificem Romanum nequaquam infallibiliter declarare quis ſit ſenſus alicujus Libri.

Et ſane cum hic ſenſus dependeat ex antecedentibus & conſequentibus, nec non vocum ſignificationibus, aliiſque mutationi & varietati obnoxiis, quis ambigat, quin in his ſummi Pontifices errori obnoxii ſint.

Honorifica memoria Petri Joannis.

Quid poſt hanc Sixti IV. declarationem circa Libros & perſonam hujus Petri Joannis Olivi contigerit, neſcio: hoc conſtat, quod in menologio FF. Minorum Monachii in Bavaria impreſſo, hujus viri & plurium ejus diſcipulorum inter ſodales ejuſdem integritate & eruditione illuſtriores honorifica memoria occurrat (*a*).

Ejus diſcipuli tandem reliquis FF. adunati.

Cæterum Joannis XXII. vibrantibus Bullis horum Fratrum nec zelum extinctum, nec Congregationes diſſipatas fuiſſe aparet: quandoquidem conſtet, ſimiles Congregationes Fratrum ſub nomine *Eremitarum* ſancti Franciſci, & qui ab Angelo Clareno *Clarenorum* dicebantur, perſeveraſſe uſque ad Pium V. ſub quo facta eſt *unio Fratrum Amadeorum & Clarenorum Ordini Fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia*, ut habet titulus Conſtitutionis 53. Pii V, quæ incipit, *Beatus Chriſti*, in Bullario Romano.

(*a*) Hæc quæ profecto certa ſunt, aperte declarant R. P. Berthier Jeſuitam *tom.* 13. *Hiſt. Eccleſ. Gallicanæ* a ſemita veritatis aberrare, ubi *pag.* 61. ſcriptis & manibus Petri Joannis Olivi ita ſubiraſcitur: *Il eſt certain, quelques efforts que faſſe l' annaliſte des Freres Mineurs* (p. VVadding.) *pour juſtifier les ecrits de Pierre Jean d'Olive, que les Franciſcains ne ceſſerent point de pourſuivre ſa memoire après ſa mort.* Hæc ſane adverſantur declarationi Sixti IV. & Menologio Minorum, ſummo Pontifici fidem ſane derogare non debet R. P. Berthier; ſi ſuis velit ſtare principiis, quæ in *tom.* 13. præfatione *hiſt. Eccl. Gallicanæ* ſtatuit.

EXTRAVAGANTTES JOANNIS XXII.

Occaſione quæſtionis de pauperte Fratrum Minorum. *Cap. Quia nonumquam 2. de Verborum ſign.* & Cap. *Ad conditorem 3. eod.*

OBSERVATIONES.

Quæſtio de paupertate Chriſti exorta ann. 1321.

ANNO 1321. acrius quam antea quæſtio de paupertate Chriſti inter Minoritas agitata eſt; creverunt divortia doctrinarum, quibus Ordo Minoritarum non ſine aliqua ſuæ diſciplinæ ruina concuſſus eſt; hæc vero contentiones pluribus Conſtitutionibus Joannis XX. occaſionem dederunt.

Beguinus ſive Bizochius accuſatus, quod doceret: *Chriſtum, & Apoſtolos nil jure proprietatis communi poſſediſſe.*

Cum enim hoc anno quidam Beguinus ſive Bizochius de variis erroribus accuſaretur coram Archiepiſcopo Narbonenſi, & Joanne Belva Ordinis Prædicatorum Inquiſitore hæreticæ pravitatis, inter alios errores recenſebatur & hic: *Chriſtum Dominum, & Apoſtolos viam profectionis ſectantes, & docentes, nihil habuiſſe aut poſſediſſe jure proprietatis, aut dominii in ſpeciali aut in communi*.

Idem ſuſtinet F. Berengarius Ordinis Minorum.

Inquiſitor in hunc Beguinum ſententiam laturus, familiarum Religioſarum præcipuos ſuper erroribus huic Beguino objectis conſuluit; atque inter alios Fratrem Berengarium Ordinis Fratrum Minorum in Conventu Narbonenſi Profeſſorem; qui cum ſupradicto articulo de *paupertate Chriſti* ſentetiam dicere urgeretur, contendit, eum hæreticum non eſſe, ſed eſſe dogma ſanum & Catholicum in Decretali *Exiit qui ſeminat*, per Eccleſiam Catholicam definitum.

Berengarius ab Inquiſitore appellat ad Pontificem Joannem XXII.

His turbatus Inquiſitor, & in Berengarium commotus, juſſit, ut palinodiam ſtatim in omnium conſpectu dacantaret. Renuit Berengarius, & contra Inquiſitoris minas, repertaſque cenſuras appellationem ad Sedem Apoſtolicam interpoſuit.

a Pontifex detinere juſſit Berengarium.

Perrexit Berengarius Avenionem ad Pontificem Joannem XXII. ſed ipſum prævenerat Inquiſitor, & Pontificem contra Berengarium ita præoccupaverat, ut Pontifex Berengarium in Cœnobio Fratrum Minorum detineri juſſit, una præcipiens, ne a Curia ſine ſpeciali ſua licentia recederet.

Ordines Minorum & Prædicatorum acerrime ſic contendunt.

Hinc controverſia hæc tranſiit ad utriuſque Ordinis Minorum & Prædicatorum conſodales, ortæque ſunt ſuper hac quæſtione acres diſcordiæ inter Ordinum iſtorum Profeſſores, diſputarique cœptum fuit coram Pontifice & Cardinalibus; Minoribus ſuſtinentibus, Chriſtum & Apoſtolos nihil habuiſſe in ſpeciali aut *communi*, Prædicatoribus contrarium ſuſtinentibus, & Minorum opinionem *ut hæreticam* proclamantibus.

Inter hæc acerrima partium ſtudia, quidam *Ubertinus de Caſalis* Ordinis Minorum, rogatu Urſini Cardinalis, judicium ſuum ſuper hac quæſtione ſcripto exaravit, atque hanc opinionum contrarietatem ſopire conatus eſt, adhibitis quibuſdam diſtinctionibus. Reſponſionem integram refert Waddingus ad annum 1321. *n.* 8. & *Tomo* 1. ſuorum Miſcellaneorum *pag.* 307. inſeruit Stephanus Baluzius, additurque, quod utraque pars huic judicio ſeu reſponſo acquieverit, quodque Pontifex, audito hoc reſponſo, dixerit: *Nolumus audire, quia bene reſponſum eſt quæſtioni*.

Controverſia hæc potiſſimum verſatur circa *Cap. Exiit qui ſeminat. 3. de Verb. ſig. in VI.*

An verum ſit, partes reſponſo acquieviſſe, atque hæc a Pontifice fuiſſe dicta, neſcio. Illud conſtat, anno ſequenti eamdem controverſiam recruduiſſe; & Pontificem diſcutiendam propoſuiſſe omnibus Prælatis & Theologis in Curia præſentibus hanc propoſitionem: *Utrum pertinaciter affirmare Dominum Jeſum Chriſtum, ejuſque Apoſtolos non habuiſſe aliqua bona in ſpeciali neque in communi, forte hæreticum?*

Tota hæc controverſia potiſſimum verſabatur ſuper intellectu Decretalis Nicolai III. vel IV. quæ incipit, *Exiit qui ſeminat*, relatæ in *c.* 3. *de verb. ſignificat. in VI.*

In hac enim Decretali §. *Porro* declaratur, quod *abdicatio omnium rerum non tam in ſpeciali quam etiam in communi propter Deum, meritoria eſt & ſancta; quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo firmavit, quamque primi Fundatores militantis Eccleſia prout a primo fonte hauſerant, volentes perfecte vivere, per doctrinæ ac vitæ exempla in eos derivarunt.*

Requirebat igitur Pontifex inquiri in genuinum ſenſum horum verborum, & utrum prædicta propoſitio his verbis contineretur, & probaretur.

Extravag. *Quia nonnunquam tit.* 14. *de verb. ſignif.* declarat, poſſe aliquid mutari in Conſtitutionibus Prædeceſſorum.

Sed quia dicta Decretalis Nicolai ſub pœna excommunicationis & privationis Officii & Beneficii diſtricto præcipiebat, ne ſuper hac Conſtitutione Gloſſæ fierent, obſtaculum hoc ſuſtulit Pontifex Joannes XXII. edita Extravagante, quæ incipit, *Quia nonnunquam*, quæ extat inter Extravagantes hujus Pontificis *titulo* 14. *de verb. ſig.*

In hac Extravagante primo exponit, reprehenſibile judicari non debere, ſi ſubinde Canonum Conditor immutet aliquid circa Canones a Prædeceſſoribus editos, *quia* (ait) *nonnunquam quod conjectura profuturum credidit, ſubſequens experientia nocivum oſtendit*.

Dein relatis verbis Decretalis (quam Nicolao IV. (*a*) ad-

(*a*) In Bulla *Exiit qui ſeminat*, legitur Nicolaus IV. creditur eſſe mendum, adeo legendum eſt, *Nicolaus III.*

adſcribit) quibus omnis ejus interpretatio & diſcuſſio inhibetur, ait, quod attendens difficile eſſe volentibus Conſtitutionem prædictam perfecte legere, ac intelligere, pœnas adjectas devitare; & volens periculis, quæ ex prædictis poſſent litteratæ perſonæ præcipue ſcholaſticæ incurrere, ſalubriter obviare: „ præſertim, inquit, cum de novo ſuborta ſint aliqua dubia, circa „ quæ poſſet periclitari veritas, & erroribus via pandi, niſi liceret conferre ſuper contentis in Conſtitutione hujuſmodi & diſputare, prohibitiones & pœnas prædictas tam latas, quam comminatas, & earum effectus ... auctoritate Apoſtolica duximus uſque „ ad Sedis Apoſtolicæ beneplacitum *ſuſpendendas*. "

Hic habemus, fatente Pontifice, ſubinde poſſe Conſtitutionem Pontificiam etiam in materia doctrinæ adeo obſcure eſſe expreſſam, ut legentes in errorem inducerentur, niſi ejuſdem Conſtitutionis fiat explanatio.

FF. Minores declarant ſe firmiter inhærere Conſtitutionibus *Exiit qui ſeminat*, & *Quorumdam exigit*.

Hac ſuſpenſione publicata, cœpit hæc quæſtio acrius diſputari, pluresque interpretationes ſuper dicta Decretali *Exiit qui ſeminat*, opinioni FF. Minorum haud faventes prodire.

Hac de re moniti Minores ſub idem tempus comitia generalia Ordinis Peruſii celebrantes, per encyclicas Litteras declararunt, ſe firmiter inhærere prædictæ Decretali, *Exiit qui ſeminat*, in Concilio Viennenſi approbatæ (de qua ſupra in *Obſervatione* ad *Clementinam Exivi in Paradiſo*) & per ipſum Joannem XXII. in quadam ſua Decretali edita ſuper Regula & ſtatu FF. Minorum (quæ incipit, *Quorumdam exigit*) inter ejus Extravagantes titulo 14. plurimum commendatæ, tamquam quæ ſit ſalubriter edita, ſolida, lucida, multaque auctoritate digeſta, & ſecundum hæc ipſos FF. Minores ſuſtinere, *Chriſtum & Apoſtolos nihil jure proprietatis, dominis ſeu juris proprii in communi habuiſſe, non eſſe hæreticum*. Litteras has recitat Waddingus ad annum 1312. *n.* 53. & *nu.* 54. prolixiorem in eiſdem comitiis exaratam declarationem: in qua (ait) multis rationibus, „ & Sanctorum collectis auctoritatibus, univerſis Chriſti-Fidelibus notum eſſe voluerunt, non eſſe hæreticam illam ſententiam, ſed ſanam & Catholicam. „

Deputatur ad Curiam Pontificis F. Bonagratia de Bergamo.

Inſuper ad hanc ſuam opinionem propugnandam, in eiſdem comitiis deputatus fuit F. Bonagratia de Bergamo, ut totius Ordinis nomine Avenione in Curia Pontificia reſideret, & objectis adverſariorum reſponderet.

Joannes XXII. irritatus, quod FF. Minores lite pendente ſic judicaſſent, edit Conſtitutionem *Ad conditorem*.

Pontifex hiſce Litteris ſummopere irritatus fuit, quaſi ipſi Fratres Minores attentare præſumpſiſſent judicium proferre ſuper quæſtione coram ipſo pendente, & omnibus palam quid orthodoxum eſſet intimare; antequam Pontifex quæſtionem decidiſſet: præſertim quia ipſe Nicolaus in allegata Decretali, *Exiit qui ſeminat*, præcaverat: *Si quid penes aliquem in his ambiguitatis emerſerit, ad culmen prædictæ Sedis Apoſtolicæ deducatur, ut ex auctoritate Apoſtolica ſua in hoc manifeſtetur intentio: cui ſoli conceſſum eſt in his ſtatuta concedere, & editæ declarare.*

Itaque eodem anno Pontifex, prolixam Conſtitutionem evulgavit, quæ incipit, *Ad Conditorem*; relatam inter ejus Extravagantes ſub titulo de *verb. ſignificat.*

Quid Nicolaus ſanxerit in *Exiit qui ſeminat*?

In hac Conſtitutione primum narrat, quod *Nicolaus III. IV. . . . inter alia* ſanxiſſet, *omnium Utenſilium & Librorum, rerumque mobilium & præſentium & futurarum*, etiam *Eleemoſynis divinis oblatarum ſeu conceſſarum . . . Fratribus* Minoribus (*in quibus tamen offerentes ſeu concedentes ipſa nihil in ipſis ſibi dicerent reſervandum*) *proprietatem & dominium plene ac libere ad ſe & Romanam Eccleſiam pertinere, ipſa in ſe recipientes ac antedictam Eccleſiam, ſimplici uſu facti duntaxat in rebus, & bonis hujuſmodi reſervato Fratribus antedictis*.

Joannes XXII. explodit reſervationem dominii in bona FF. Minorum Sedi Apoſtolicæ factam.

Poſt hæc ſubjungit, quod licet ejus Prædeceſſor Nicolaus pia conſideratione motus hæc ordinaverit, ſupradicta illa dicto Ordini exiſtimans profutura, experientia tamen docuerit, hæc dicto Ordini *non profuiſſe, ſed potius tam ipſis Fratribus quam multis aliis obfuiſſe*.

Quod ea non juverit perfectionem ſtatus ipſorum.

Primo oſtendit, quod hæc dominii & proprietatis reſervatio Sedi Apoſtolicæ facta, *quantum ad ſtatum perfectionis nequaquam profuit*, qui potiſſimum *in charitate* conſiſtit, quam eorum temporalium ſollicitudo minuit. Porro *conſtat, quod poſt ordinationem prædictam*, qua hæc reſervatio facta eſt, *non fuerint in acquirendis ac conſervandis bonis prædictis in judicio & extra minus ſolliciti quam ante illam fuerant Fratres ipſi, quamquam ſint Religioſi Mendicantes alii habentes aliqua in communi*.

Quod propterea nec FF. pauperiores, nec Eccleſia Romana editior evaſerint.

Secundo dicit, nec eo titulo profuiſſe dictam reſervationem ipſis Fratribus, quaſi *propter carentiam talis proprii ſe pauperiores dicere valeant, quam ſi res ipſas cum illo (quo carere ſe dicunt) Dominio obtinerent*; eo quod *attento ipſorum Fratrum utendi modo, & ejus affectu, ac patientia circa modum ipſum, Romanæ Eccleſiæ ſubſecuta, non ipſe uſus Fratrum dici debet, ſed potius Romanæ Eccleſiæ Dominum eſſe ſimplex*. Hoc ultimum hinc patere ait, *quod in illo* dominio *nullum eidem Eccleſiæ* Romanæ *temporale hactenus obvenit commodum, nec ſperatur, quod obvenire debeat in futurum: cum nec intentio reſervantis, nec Fratrum ipſorum fuerit; quod ad quemcumque alium quam ad Fratres dictarum rerum perveniret compendium*.

Intentionem *ordinantis* (Nicolai III. vel IV.) hanc fuiſſe, vel *ex hoc* patere ait, quod nudum *ſibi & Eccleſiæ Romanæ* dominium reſervaverit, *uſu facti* Fratribus relicto: *talis autem Dominii carentia* (inquit) *re in præſenti, ac ſpe in futurum omnimodo denudati, quoad paupertatem temporalem, quam altiorem (præ mendicantibus aliis in communi habentibus) ſibi vendicant dicti Fratres, pauperiorem non efficit non habentem*.

Quod in uſu conſumptibilium proprietas ab ipſo uſu facti non differat.

Poſt hæc aſſerit, intentionem Nicolai III. vel IV. non fuiſſe in allegata Decretali, *Exiit qui ſeminat*, reſervare ſibi aut Eccleſiæ Romanæ dominium rerum, quæ uſu conſumuntur. *Quis enim* (ait) *ſanæ mentis credere poterit, quod intentio fuerit tanti Patris, unius ovi, ſeu caſei, aut fruſti panis, & aliorum uſu conſumptibilium, quæ ſæpe Fratribus ad conſumendum e veſtigio conferuntur, Dominum Romanæ Eccleſiæ & uſum Fratribus retinere?*

Pluribus dein rationibus e Theologia ſcholaſtica & ex Jure petitis, probat, Dominium ſive *proprietatem* non diſtingui ab *uſu facti in rebus uſu conſumptibilibus . . . cum in illis per uſum vel abuſum uſuarii, ſubſtantia talis rei eſſe deſinat, & per conſequens proprietas etiam inutilis non ſubſiſtat*.

Quod honori Eccleſiæ Romanæ detrahat.

Progreditur ulterius Pontifex probare, quod prædicta ordinatio Nicolai III. vel IV. non tantum *Fratribus . . . non profuit, ſed etiam occaſionaliter honori ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ* non leviter *detrahit & detraxit . . . cum occaſione retentionis dicti dominii omnes cauſæ occurrentes agendo vel defendendo*, etiam interdum coram pedaneis judicibus *pro bonis hujuſmodi, nomine Romanæ Eccleſiæ virtute cujuſdam privilegii a Martino Papa IV. . . . conceſſi ſuper hoc agitentur: & (quod gravius eſt cenſendum) Procuratores cauſarum hujuſmodi multos vexare dicuntur indebite*: addit, quod & hoc Martiniano privilegio ſæpius abuterentur, injurias & moleſtias inferendo Eccleſiarum Prælatis.

Definitiva Bulla.

His præmiſſis, aſſerit ſe *deliberatione cum* Cardinalibus, *& multis aliis præhabita diligenti, dignum arbitrari & congruum, Profeſſores ... Ordinis* Minorum, *non verbis tantum, non ſimulatis actibus, ſed operibus claris; veritate ſuffultis perfectioris ſtatus ac altioris paupertatis ſibi prærogativam præ aliis Mendicantibus vendicare, ac nihilominus honori ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus obnubiliari poſſet gloria, ſi tam perverſæ ſimulationi, quæ profecto & ipſis ſimulantibus officit, & aliis ſcandali materiam ſubminiſtrat, diſſimulando illi occurrere, conſentiret; ac inſuper velle ſe indemnitati Prælatorum providere*.

Addit, quod nolit *impoſterum ſub prætextu ſeu pallio talis dominii* temporalis, *verbalis, nudi, ac enigmatici, tanta bona, quanta dicti Fratres faciunt, infici: ac fomentum tantis malis, quanta procedunt ex ſimulatione hujuſmodi, miniſtrare*.

Itaque *Edicto in perpetuum valituro, ſancimus*, ait, *quod in bonis, quæ impoſterum conferentur, vel offerentur, aut alias obvenire continget Fratribus ſeu Ordinis ſupradictis* (*exceptis* iis, quæ ad Officium Divinum, & res ſacras ſpectant) *nullum jus ſeu Dominium aliquod, occaſione Ordinationis prædictæ* (Exiit qui ſeminat) *ſeu cujuſvis alterius a quocumque Prædeceſſorum noſtrorum ſuper hoc ſpecialiter editæ, Romanæ Eccleſiæ acquiratur, ſed quoad hoc habeantur prorſus ordinationes hujuſmodi pro non factis*.

Denique inhibet, *ne* prætextu ſupra allegati privilegii Martini Papæ IV. *deinceps pro recipiendis, petendis, extorquendis, defendendis, ſeu adminiſtrandis bonis Ordini* obventuris, *quiſquam nominatur a quoquam ſeu conſtituatur amodo nomine ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Procurator*.

Inhibet quoque, ne *occaſione cujuſvis privilegii*, quiſquam bona iſta *impoſterum in judicio vel extra defendendo, ſupplicando, vel alias quomodolibet aſſumere, vel exercere dictæ Eccleſiæ* (Romanæ) *nomine audeat, niſi de Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali: decernentes*, inquit, *irritum & inane, ſi ſecus* forſan *a quoquam impoſterum attentari contigerit*.

De Bergamo totius Ordinis Procurator appellat ab Extrav. *Ad Conditorem*.

Hac Conſtitutione mirum in modum irritati Fratres Minores, multa parum modeſta in Pontificem, ejuſque Conſtitutionem effutierunt, atque ipſe F. Bonagratia de Bergamo Ordinis totius Procurator, die 14. Januarii anni 1323. in pleno Conſiſtorio Cardinalium provocavit contra dictam Extravagantem *ad Conditorem*, Libellumque Pontifici in omnium conſpectu porrexit a ſe & aliis conſcriptum, in quo pluribus rationibus probare volebat, nimis dure & injuſte actum cum toto ſuo ſolidario, & hanc Extravagantem non poſſe ſubſiſtere, utpote cui adverſabantur tot Pontificum Prædeceſſorum Conſtitutiones.

Hæc Extravagans Corpori Juris inſerta eſt, ab excandeſcente ob eam appellationem Pontifice ampliata fuit.

Hac agendi ratione amplius in FF. Minores excandeſcens Pontifex, juſſit „ Conſtitutionem „ ſuam valvis Eccleſiæ Cathedralis affixam detrahi, eamque in „ pluribus mutari augeri, & novis additis rationibus „ ampliari, conceptamque ſuam opinionem amplius „ confirmari: hanc ſic correctam iterum ad dictas valvas appendi juſſit appoſito eodem die & anno, quo „ prior confecta ſeu data eſt, quantumvis in multis „ diſcreparet a prima editione: " uti ſcribit Waldingus ad annum 1322. *num.* 2.

Utramque editionem ſuis Annalibus inſeruit Bzovius,

vius, scilicet priorem ad annum 1322. *num.* 4. & ad annum 1323. *nu.* 11. posteriorem & prolixiorem, quam Corpori Juris insertam habemus inter Extravagantes Joannis XXII.

EXTRAVAGANTES JOANNIS XXII.

Quibus deciditur Quæstio de Paupertate Christi & Apostolorum. Cap. *Cum inter nonnullos 4. de Verbor. significat.* & Cap. *Quia quorumdam Mentes 5. eod.*

OBSERVATIONES.

Decretalis *Cum inter nonnullos* decidit quæstionem de paupertate Christi an. 1323.

CUm Pontifex Joannes XXII. resistentia Fratrum Minorum contra suas Constitutiones super eorum Regula & prætensa paupertate evulgatas, non parum ...atus sciret, cerneretque Fratres Minores in suæ prætensæ altissimæ paupertatis in expropriatione dominii in *communi* etiam rerum *ipso usu consumptibilium* defensionem adducere exemplum Christi & Apostolorum, quos asserebant, nihil omnino etiam *in communi* proprietatis habuisse, accinxit se ad decisionem principalis hujus quæstionis de paupertate Christi & Apostolorum; eamque in publico Consistorio discutiendam proposuit, atque tandem sub finem anni 1323. edita Constitutione, quæ incipit *Cum inter nonnullos*, relata inter ejus Extravagantes sub titulo *de Verbor. significat.* quæstionem decidit.

Definit Christum & Apostolos habuisse aliqua *in communi* jure proprietatis.

In hac Extravagante primum narrat Pontifex, *inter nonnullos viros scholasticos in dubium revocari, utrum pertinaciter affirmare, Redemptorem nostrum ac Dominum Jesum Christum, ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, ne in communi etiam, hæreticum sit censendum?*

Huic quæstioni *& concertationi finem imponere cupiens, assertionem* ipsorum *hujusmodi pertinacem.... deinceps erroneam fore censendam & hæreticam de Fratrum nostrorum* (ait) *consilio, hoc perpetuo declaramus Edicto.*

Rationem hujus declarationis præmisit, quod nimirum ea assertio Christum & Apostolos nihil habuisse, *Scripturæ sacræ, quæ in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat expresse, ipsamque Scripturam sacram, per quam utique Fidei orthodoxæ probantur articuli, quod præmissa fermentum aperte supponat continere mendacii, ac per consequens quantum in ea est, ejus in totum fidem evacuans, Fidem Catholicam reddat, ejus probationem adimens, dubiam & incertam.*

Quin & *assertionem pertinacem*, quod Christo, ejusque Apostolis, *quæ ipsos habuisse Scriptura sacra testatur, nequaquam jus ipsis utendi competierit, nec illa vendendi seu donandi jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi, de Fratrum nostrorum consilio*, inquit, *deinceps erroneam fore censendam merito, ac hæreticam declaramus.*

FF. Minores acerbissime constitutiones Joannis XXII. impugnant.

Hac decisione vehementius incensi Fratres Minores, signanter Michael Censenas, Guillelmus de Scham, & Bonagratia, prædictas Constitutiones acerbo & insolentissimo stylo oppugnare cœperunt, effutientes, illud quod per *Clavem scientiæ* in fide & moribus semel definierunt Pontifices, adeo immutabile esse, ut illud successori revocare non liceat in dubium.

Fuisse autem per *Clavem* scientiæ definitum per varios Pontifices, ac signanter per Nicolaum III. vel IV. in sæpius citata ipsius Decretali, *Exiit qui seminat*, quod *abdicatio proprietatis omnium rerum non tam in speciali, quam etiam in Communi propter Deum meritoria est & sancta*: quodque eamdem *Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit.*

Ludovicus Bavarus tuetur hos Fratres.

Tuebatur hos Fratres contra Pontificem Ludovicus Bavarus Pontifici infensissimus, eoque prætextu in sua acta appellationis, ab ipso adversus sententiam Pontificis, in Octobri anno 1324. publicatam, Pontificem *erroris & hæreseos* accusavit.

Joan. XXII. priores suas Const. per Extravag. *Quia quorumdam.*

Hæc itaque a Fratribus Minoribus verbo & scripto palam promulgata, permoverunt Pontificem ad edendam novam Constitutionem, quæ incipit, *Quia quorumdam mentes*, extatque inter ejus Extravagantes sub titulo *de verb. sig.* qua prædictas suas Constitutiones vindicavit & de novo confirmavit.

In primis omnibus, quæ suis prædictis Decretalibus per Fratres Minores objiciuntur, respondet: dein declarat, *tamquam hæreticos* evitandos fore omnes & singulos, qui verbo & scripto per se vel alium seu alios præsumpserint defendere aut approbare damnatam per prædictam Constitutionem, *Cum inter nonnullos*, hæresim hanc, videlicet, *quod Christus & ejus Apostoli in iis, quæ habuisse leguntur, tantum habuerint absque jure aliquo simplicem usum facti.*

Quod spectat vero Constitutionem seu Extravagantem, *Ad Conditorem*, inhibuit, *ne quis contra definita, ordinata, seu facta per ipsam verbo vel scripto scienter approbet aliquid vel defendat. Si quis vero contra præsumpserit tamquam contumax & rebellis Romanæ Ecclesiæ ab omnibus habeatur.*

Pergunt FF. Minores suam sententiam pro Fidei articulo habere.

Sed neque hæc silentium Fratribus Minoribus pro sua opinione de *paupertate* Christi, & eorum perfectissima expropriatione omnium rerum; etiam in *Communi* tamquam pro Fidei articulo decantantibus, imponere potuerunt.

Michael Cesenas cum duobus aliis coram Pontifice audacter respondet.

Inter alios Michael Cesenas Ordinis Minister generalis una cum Ochamo & Bonagratia Avenionem vocatus, a Pontifice acerrime increpatus, tamquam pertinax in condemnata sententia de paupertate Christi & Apostolorum, *quam temere* (inquiebat Pontifex,) *ausus es Decreto universi Capituli Perusini diffinire, dum coram nobis, & S. R. E. Cardinalibus disceptabatur, obtrudens Fidelibus hæreticam doctrinam.*

Ita VVaddingus ad annum 1328. *n.* 12. referens ibidem audax dicti Michaelis responsum Decisionem Peru-„ sianam asserentis per omnia *Catholicam*, sacræ Scri-„ pturæ consonam, aliorum Pontificum Decretis con-„ formem, expressisque verbis in Nicolai Papæ gravissi-„ ma Decretali contineri, quam proinde qui defende-„ rit, nota hæresis non poterit inuri. „

Præceperat ei Pontifex sub pœna excommunicationis, ne e Curia recederet absque speciali Sedis Apostolicæ licentia, atque interea convocavit Pontifex cœtum plurium Doctorum, qui responsa Michaelis examinarent & quæ requirantur, ut quis hæreticus dicatur, indagarent, intendens graviori judicio Michaelem tamquam hæreticum punire.

Appellat a Pontifice ejusque Constitutionibus.

Michael ab hoc cœtu (cui Pontifex præsidebat) nihil sibi exspectans favorabile, veritusque ne ad palinodiam & retractationem Decisionis Perusinæ compelleretur, ex aliorum sibi similium consilio, insolenti Libello porrecto, appellavit a Pontificis sententia, qua inhibuit ei recessum a Curia; atque una provocavit contra Decretales Joannis in controversia paupertatis editas, & contra omnia & singula, quæ adversum se, aut contra Minorum Sodalitium in illo cœtu constituerentur.

Fugit ad Ludovicum Bavarum.

Verum idem Michael sat intelligens, simili agendi modo, Pontificis iram magis contra se, & socios suos accendi, tutum sibi non existimavit diutius Avenione sub Pontificis potestate morari, unde paulo post una cum Guillelmo Ochamo & Bonagratia Bergomensi die 25. Maji fugit Avenione ad Ludovicum Bavarum, a quo sciebant se contra Pontificis iram protegendos.

Censuris innodatur.

Postquam Michaelis fugam, & ad Bavarum defectionem intellexit Pontifex, ipsum censuris innodavit, dignitate privavit, & inhabilem ad omnes honoris gradus declaravit.

Appellat ad Ecclesiam universam.

Audiens hæc Cesenas Pisis sub protectione Bavari existens, suo & Fratrum omnium sibi adhærentium nomine appellavit solemniter a gravaminibus Joannis ad Ecclesiam Catholicam, & futurum Concilium. Appellationem hanc Notarii manu subscriptam, & solemniter promulgatam, & ad valvas Cathedralis, Ecclesiæ affixam, in forma authentica Pontifici transmisit.

Hinc majori ira incensus Pontifex ad omnes Prælatos, & Principes scripsit asperas contra Michaelem litteras, ut caperetur, uti hæc latius narrat VVaddingus ad annum 1328.

Ejus & Ochami insolentissima contra Pontificem scripta.

Michael autem, eique adhærentes protectioni Bavari fidentes flocci fecerunt Pontificias censuras & minas, atque in sua *de paupertate Christi* opinione persistentes, palam Pontificem *hæreticum* proclamarunt, ac libellos insolentissimos contra ejus Constitutiones evulgarunt, quibus novam Constitutionem, quæ incipit, *Quia vir reprobus Michael*, opposuit Pontifex, quam exhibet Goldastus Tomo II. suæ *Monarchiæ pag.* 993. una cum tractatu Guillelmi Ochami adversus hanc Constitutionem, quem intitulavit opus *nonaginta dierum* (in quo Joannem XXII. Papam tamquam hæreticum passim infectatur) centies repetitis his verbis, *dicit iste Hæreticus*: quod opus partem facit prolixioris operis ejusdem Ochoami, quod edidit sub nomine *Dialogi*, integrumque extat ibidem apud Goldastum, cujus secunda pars, quæ incipit a *pag.* 957. intitulatur *Compendium errorum Papæ*, prætenditque ponere *cap.* 2. tredecim errores contentos in Constitutione seu Extravagante *Ad Conditorem*. Dein *cap.* 3. septem errores contentos in Extravagante, *Cum inter nonnullos*, & *cap.* 4. octodecim errores ex Constitutione seu Extravagante *Quia quorumdam*.

Contra has tres Constitutiones recte a Michaele Cesenate Ordinis Minorum Ministro Generali provocatum esse, conatur adstruere *cap.* 5. multaque insolentissima contra Pontificem effutiens, ipsum tamquam manifestum & pertinacem *hæreticum* ab omnibus fugiendum proclamat; ipsum fuisse *Tyrannum crudelissimum*,

mum, humanum sanguinem ultra modum sitientem, noverunt (inquit) *plures mundi partes*.

Post hæc *cap.* 6. proponit prætensos triginta duos errores ex ejus novissima Constitutione, *Quia vir reprobus*.

Huic operi Ochami subjunxit Goldastus *pag.* 134. tractatum dicti Michaelis Cesenatis *contra errores Joannis XXII.* Papæ, seu potius Litteras ejusdem Michaelis, & aliorum ei adhærentium.

Epistola Michaelis Cesenatis ad Capitulum FF. Minorum. Prima eorum data est ad Capitulum FF. Minorum in Parpiniano aut Avenione congregandum: in hac exponit, quid ipse anno 1328. Avenione in Curia Pontificis pro sustinenda Declaratione Capituli Generalis Ordinis Perusii celebrari facere debuerit, & quod justa fuerit ejus a sententia Pontificis ad Concilium *generale* appellatio: *quia in his* (ait) *quæ ad fidem pertinet, Papa subest Concilio*, quod adductis nonnullis Canonibus ex Decreto Gratiani, & auctoritate Glossæ adstruere nititur.

Ad omnes FF. Ordinis Minorum. In secunda Epistola *ad omnes Fratres Ordinis Minorum* asserit, quod Joannes Papa sub initium sui Pontificatus per duas Decretales seu Extravagantes, quarum una incipit, *Exivi de Paradiso*, & altera, *Quorumdam exigit*, approbaverit Regulam Fratrum Minorum esse *Catholicam* & *sanctam*; necnon probaverit & evulgaverit Constitutionem, *Exiit qui seminat*, qua asseritur sententia de paupertate Christi, & expropriatione omnium rerum etiam *in Communi*, Catholica. Sed *ipse* (ait) *postmodum in reprobum sensum datus, & a cupiditate divitiarum hujus sæculi excæcatus, etiam sibi ipsi, & dictis suis Constitutionibus contradicens, & seipsum proprio judicio condemnans, elapso anno sexto Pontificatus sui fecit quatuor detestanda statuta, hæreticalia manifeste adversantia Fidei Catholicæ. & dictæ doctrinæ Evangelicæ, & Apostolicæ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ*.

Horrenda & insolentissima sunt, quæ post hæc in Pontificem tamquam *manifestum hæreticum* evomit, idque pene unice: „ quia in his suis Constitutionibus „ notorie & pertinaciter dogmatizat, quod Christus & „ Apostoli in omnibus rebus temporalibus, quas Scri- „ ptura eos habuisse testatur, *tam in speciali*, quam „ etiam *in communi proprietatem & dominium* habue- „ runt; & quod a se proprietatem & dominium re- „ rum temporalium nullatenus abdicarunt, & omnes „ asserentes oppositum, esse censendos hæreticos, & si- „ cut hæreticos condemnandos judicat & deffinit. “

Ad Ludovicum Bavarum, & Principes Allemaniæ. Tertia Epistola Michaelis est ad Regem Romanorum, Ludovicum Bavarum, & Principes Allemaniæ. In præfatione vocat Ludovicum, *Pauperum patrem*, & *Catholicæ Fidei propugilem*; dicit, quod, ut habetur *distinct.* 96. duo sint, quibus principaliter hic mundus regitur, *auctoritas sacra Pontificum*, & *Regalis potestas*. Post hæc ausu insolenti dicere non erubescit, quod *Pontificalis auctoritas ad præsens divino judicio videatur exspirasse de medio*. Tum se convertens ad Imperatorem, ait, ipsius interesse, *negotia Fidei & pauperum causas indesinenter assumere, & incessanter prosequi*.

Constat hæc Epistola 12. capitibus, quorum singulis singulos errores Joannis XXII. asserere tentat.

Hæc illorum Fratrum pertinacia & insolentia tantam Ordini Minorum invidiam conflarunt, ut plures suggererent Pontifici, ut quod in *Templarios* nuper decreverat ejus prædecessor Clemens V. in Minoritas ipse decerneret, Ordinemque penitus deleret, de quo vide S. Antoninum, in Chronico *parte* 3. *tit.* 24. *cap.* 5. §. 15.

Hi motus anno 1341. nondum cessabant. Quo tempore hi motus & quæstiones cessaverint, nescio.

Examen judiciale Fratris Francisci de Esculo relatum a Stephano Baluzio *Tom. I.* Miscellaneorum *pag.* 315. probat, quod anno 1341. sub Pontificatu Benedicti XII. motus hi nondum plene cessarent.

Benedictus XII. sententiam Joannis XXII. de paupertate Christi probavit. Constat quoque ex eodem examine, quod Benedictus XII. sententiam Joannis XXII. de paupertate Christi probaret, & contrariam improbaret; quod & probatur ex Commentario, quem de hac quæstione ipse Benedictus ante Pontificatum vocatus *Jacobus Novellus* Ordinis Cisterciensis edidit, in quo sententiam Joannis XXII. propugnat, agnoscitque eam sententiæ Nicolai III. in Decretali, *Exiit qui seminat*, esse contrariam. Hic tractatus habetur in *Directorio Inquisitorum part.* 2. *quæst.* 17.

Et sane opinionem de paupertate Christi, quam Joannes XXII. tamquam hæreticam damnavit per Nicolaum IV. in Decretali, *Exiit qui seminat*, tamquam orthodoxam fuisse probatam evidens apparet; licet ob improbationem contrariam factam a Joanne XXII. insolentissima scripta contra hunc Pontificem evulgata nullatenus sint probanda (*a*).

(a) Quid de executione voti paupertatis ad sensum Gallorum dici debet? accipe ex 20. art. ordinationis Aurelianensis, & 30. art. ordinationis Blesensis; uterque articulus Religiosum ed ejus instituti primævam originem revocat, ut de voto paupertatis, ejusque sensu certo judicet, & innoxius vivat. Arrestorum tamen auctoritate nituntur pensiones, quæ vitæ alicujus Religiosi necessitatibus sunt destinatæ; verum ut observat eruditus Cleri Gallicani commentariorum collector, Tom. I. tit. 2. cap. §. *Ce n est que sous la condition tacite, qu'elles seront employés & administrées selon la Regle & les Constitutions du Monastère; c'est l'esprit des Arrets du Conseil privè, qui obligent les Religieux de saint Victor de Marseille de vivre en commun; le primier est du* 16. *Mars* 1668. *& l'autre du* 26. *Juillet* 1669. Utrumque Arrestum legitur in Commentariis Cleri Gallicani loco citato *num.* 40. & 41.

EXTRAVAGANTTES JOANNIS XXII.

Super controversia de Imperio inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Austriacum. Cap. *Si Fratrum, unic. Ne Sede vacante aliquid innovetur*; præmittitur *Clementina Romani Principes, unica de jurejurando*.

OBSERVATIO.

Henricus II. Imperator præstat juramentum quoddam Clementi V. ANNO 1308. electus in Regem Romanorum Henricus Comes Lutremburgensis, an. 1312. Romam venit & a Cardinalibus, quibus Clemens V. summus Pontifex Avenione residens, hanc provinciam demandaverat, ritu solemni inauguratus fuit, Imperii Coronam accepit; præstito prius juramento, quo se Romanæ Ecclesiæ & Pontifici obstrinxit, *secundum formam* Canonis, *Tibi Domino dist.* 63. *Can.* 33. aliud quoque præstitit juxta formam in Pontificali præscriptam.

Ratione ejus Pontifex vult eum conciliare cum Roberto Rege Siciliæ. Post hæc Pontifex ad Cardinales Romæ existentes scripsit, ut pacem inter Henricum & Robertum Siciliæ Regem conciliare satagerent, quod ipsos ad Ecclesiæ Romanæ defensionem conjunctos esse deceret, cui juramento fidelitatis uterque obstrictus esset.

Pernegat Henricus fidelitatis juramento obstrictum. Hæc verba finalia, *Cui juramento fidelitatis uterque obstrictus esset*, ægerrime ac indignissime ferens Henricus Imperator, Tabellionibus ac Notariis accersitis, palam professus est se non esse cuiquam *juramento fidelitatis adstrictum*, neque sciret, illud fuisse unquam a suis prædecessoribus præstitum.

Clementina Romani Principes de jurejurando. Hujus protestationis seu professionis certior factus Pontifex, defuncto jam Henrico, Constitutionem edidit, quæ incipit *Romani Principes*, qua asserit inter alia, quod electus Romanorum Rex adstringat se vinculo juramenti, *prout* (ait) *tam mos observationis antiqua, temporibus novissimis renovatæ, quam forma juramenti hujusmodi sacris inserta Canonibus manifestant*.

Indubie hic per sacros Canones indicat Canones per Gratianum relatos *dist.* 63. ad quos videri poterit *Commentarius* ad hanc distinctionem Gratiani.

Post hæc narrat, quod litteras dederit ad quosdam Romanæ Ecclesiæ Cardinales in urbe tunc degentes, pro reformanda pace, & solidanda concordia inter Henricum Imperatorem & Robertum Regem Siciliæ, *inter alia inferentes in eis* (inquit) *quod cum ipsi Reges ejusdem Ecclesiæ* (Romanæ) *specialissimi filii, sibi juramento fidelitatis & alias multipliciter essent adstricti, ipsius Ecclesiæ debeant esse promptissimi Defensores*.

Exponit dein, quomodo palam suam indignationem contra has litteras ostenderit Imperator, ob mentionem factam *juramenti fidelitatis*, prout supra dictum est.

Ut hanc Henrici Imperatoris querelam haud fundatam evincat, exponit, quæ ab Henrico ante & post coronationem præstita sint:

In primis ait: *Henricus quam primum fuit in Regem Romanorum electus, solemnes ad nos nuntios destinavit: dans eis per suas patentes Litteras plenum & speciale mandatum exponendi nobis pro eo devotionem ipsius & reverentiam filialem, quam ad nos & Romanam Ecclesiam sincero gerere se dicebat affectu, nec non petendi & impetrandi a nobis favorem & gratiam consuetos: offerendi quoque nobis, & præstandi pro eo & in ipsius animam debitæ nobis & eidem Ecclesiæ fidelitatis, & cujuslibet alterius generis juramentum, ac nihilominus petendi a nobis, per nostras sibi manus impendi unctionem, consecrationem, & Romani Imperii diadema*.

Exponit ulterius, quod Nuntiis Henrici *Avenione* coram se *in Consistorio publico* auditis, & eorum mandato, nec non Decreto Electionis ejusdem Henrici *ex parte Principum ... qui eumdem elegerant, plena cum* Cardinalibus *deliberatione discussis*, nec non *examinata persona dicti Henrici, prout absentia patiebatur, ejusdem*

& de

& de ipsius fides probitate, & aliis, quæ in persona Imperatoris sunt merito requirenda, ipsum nominaverit, denuntiaverit, & declaraverit *Regem Romanorum, ipsius* (inquit) *approbantes personam, eumque sufficientem & habilem declarantes ad suscipiendam Imperialis Celsitudinis dignitatem, ac decernentes unctionem, consecrationem, Imperiique Romani coronam sibi per manus nostras concedi debere.*

Clemens V. hic sibi asserit jus judicandi, an persona sit habilis ad Imperium.

Ex his habemus, quod hic Pontifex exemplo Innocentii III. in *cap. 34. Venerabilem* ✠ *de electione & electi potestate*, sibi asseruerit jus judicandi, num electus in Regem Romanorum sit *sufficiens & habilis*.

Asserit & *a* dictis *nuntiis sufficiens ad hoc ab eo mandatum habentibus secundum formam in Decretis, quæ incipit, tibi Domino, comprehensum fidelitatis* recepisse juramentum.

Deo juramento Henrici Pontifici præstito.

Quin & asserit, quod postmodum ipse *Henricus* in urbe coram Cardinalibus, *coronationis suæ tempore* præstiterit *juramentum temporale, quod in libro Pontificali Romano præstandum Pontifici per Imperatorem coronationis suæ tempore continetur.*

Quod hujusmodi juramentum debeat censeri esse fidelitatis.

Relato hujus juramenti tenore dicit, quod *a retro Romanis Principibus non* fuerit *hæsitatum, quin juramenta hujusmodi* fidelitatis existant.

Quin tamen *Henricus, non virtutem & mentem, sed nudum verborum inspiciens corticem, sensumque confundens, juramenta restringendo prædicta, curiose videbatur asserere, illa ad debitum* fidelitatis: *hujusmodi non extendi, novo modo curiositatis hujus luculentæ veritatis antidotum ipsius declarationis oraculo providimus*, inquit, *opponendum.*

Ne igitur *imposterum* ullus in Regem Romanorum electus, simili modo juramenta a se præstita interpretari aut restringere præsumat; *auctoritate Apostolica*, ait, *de fratrum nostrorum consilio declaramus, illa juramenta prædicta* fidelitatis *existere, & censeri debere.*

Extat integra hæc Constitutio inter Clementinas sub titulo *de jurejurando* sub nomine *Clementis V. in Concilio Viennensi.*

Hæc Clementina certo non fuit edita in Concilio Viennensi.

Verum quandoquidem Concilium Viennense finitum fuerit mense Majo anni 1312. ipseque Imperator Henricus demum obierit 24. Augusti anni 1313. evidens est, hanc Constitutionem a Clemente V. non fuisse in Concilio Viennensi editam, quandoquidem in ipsa Constitutione dicatur, *quia præfatus Henricus, qui in proximis diebus suis de* hac luce substractus, &c. aperte significante Clemente V. tempore editæ hujus Constitutionis, Henricum obiisse.

Hinc confirmatur, quod supra notavi, non omnes Constitutiones, quæ in hac collectione in *Concilio Viennensi* editæ notantur, revera in hoc Concilio editas fuisse.

Eam inter Clementinas retulit, & cum his evulgavit Joannes XXII.

Neque ipse Clemens eam inter Clementinas retulit, sed ejus successor Joannes XXII. eam una cum Clementinis evulgavit, ut controversiam de Imperio ad decisionem Sedis Apostolicæ spectare evinceret.

Controversia de Imperio inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Austriacum.

Mortuo enim prædicto Henrico, controversia orta est super Imperio inter Ludovicum Bavarum & Fredericum Austriacum: quorum primus electus fuerat Francofurti ab Archiepiscopis Moguntino, & Trevirensi, Rege Bohemorum, Marchione Brandeburgensi, & Duce Saxonum. Coloniensis Archiepiscopus autem, & Comes Palatinus adesse, licet vocati, renuerunt; habitoque cum duobus aliis Principibus consilio Fridericum elegerunt.

Uterque anno 1314. implorat coronationema Pontifice futuro.

Utraque pars Decretum electionis ad summum Pontificem futurum (Sede per mortem Clementis V. (*a*) vacante) misit, una per litteras Sanctitatem suam rogantes, ut ipsum electum in Regem Romanorum amplectens, munus inunctionis & consecrationis, & sacri Imperii diadema ipsi dignaretur loco & tempore favorabiliter impartiri. Datæ sunt hæ litteræ anno 1314.

(a) Clemens V. obiit die 20. Aprilis anno 1314.

Joannes XXII. electus anno 1316.

Porro anno 1316. Joannes XXII. electus Pontifex, his duobus Principibus de Imperio contendentibus, caussam ad se trahere omni modo possibili studuit.

Hunc in finem Collectionem Clementinarum sub nomine Clementis V. & Concilii Viennensis promulgavit, inter quas reposuit hanc Constitutionem, *Romani Principes*, quæ declarat, *approbationem personæ ad Imperialis celsitudinis apicem assumendæ, necnon unctionem, consecrationem, & Imperii Coronam*, Romanos Principes a summo Pontifice accipere, & juramentum *fidelitatis* eidem Pontifici & Romanæ Ecclesiæ præstare debere; uti supra latius expositum est.

Edit Extravagantem. Si Fratrum tit. ne sede vacante quod terreni & cælestis Imperii jura Pontifici sint commissa.

Quin & anno primo sui Pontificatus, edita Constitutione, quæ incipit, *Si Fratrum*, extatque inter ejus Extravagantes, titulo *ne Sede vacante aliquid innovetur*, declarat, de jure liquidum esse, *& ab olim* fuisse *inconcusse servatum, quod, vacante Imperio, sicut & nunc per obitum Henrici Imperatoris Romanorum vacasse dignoscitur, quum in illo ad sæcularem Judicem nequeat haberi recursus, ad summum Pontificem, cui in persona beati Petri terreni simul & cælestis Imperii prædicti jurisdictio, regimen, & dispositio devolvuntur, & ea ipse, durante ipsius vacatione Imperii, per se vel alium seu alios exercuisse noscitur in Imperio memorato.*

His præmissis, singulos Imperii Vicarios, sive præfectos, aut Commissarios, seu alio quocumque nomine vel titulo administrationi Imperii vacantis sine *Sedis Apostolicæ licentia* se immiscentes exauctoravit, atque sub pœna anathematis inhibuit, ne quis se immisceret; aut his a quocumque obediretur.

Quin *ut quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes & singulos, qui hujusmodi Vicariatus nomen retinentibus, assumentibus, seu resumentibus*, juramento fidelitatis *tenentur adstricti, a juramento hujusmodi, quantum ad hoc de* potestatis plenitudine absolvens, *auctoritate Apostolica firmiter* exhibet *ejusdem, ne talibus ut Vicariis, vel Officialibus imperii aliquatenus pareant vel intendant.*

Insuper omnes pactiones, obligationes, confœderationes & colligationes, a quibuscumque super hoc quomodolibet initas, juramento vel quacumque firmitate vallatas, omnino, inquit, *dissolvimus, viribus vacuamus, irritamus, & quatenus de facto processerint, revocamus.*

Constituit Robertum Regem Siciliæ Vicarium Imperii.

Secundum hæc Robertum Regem Siciliæ, Imperii Vicarium in Italia constituit, donec Imperator inaugураretur.

Ludovicus Bavarus appellat ad Concilium generale.

Quam hæc Ludovicum Bavarum in Imperatorem electum & Imperii administrationem jam actualiter exercentem exacerbaverint, quamque acerba inter ipsum & Pontificem excitaverint diffidia ex Historicis illius ætatis notum est, necnon ex variis scriptis in favorem Ludovici contra Joannem XXII. editis, constatque quod Ludovicus nunquam agnoscere voluerit, administrationem *imperii vacantis* ad Sedem Apostolicam spectare, aut Regem Romanorum electum debere a Sede Apostolica confirmationem accepisse, antequam Imperii administrationi se immisceat, ac signanter in Literis Ludovici, quibus continetur appellatio ipsius ad futurum Concilium generale adversus Joannem Papam XXII. datis anno 1324. necnon ejusdem Ludovici processu contra eumdem Pontificem de anno 1328. extantque integra apud Baluzium *tomo* 2. de vitis Paparum Avenionensium *cap. 75. col.* 478. & *cap. 76. col.* 512. (*b*).

(b) Legatur quoque Historia Allemanica, quam P. Barre elaboravit. Discordia, quæ inter Joannem XXII. & Ludovicum Bavarum orta est, extat tomo VI. ejusdem Historiæ.



COMMENTARIUS
IN JUS
CANONICUM NOVISSIMUM.

PARS TERTIA.

DE BULLIS AC DECRETIS RECENTIORIBUS SUMMORUM PONTIFICUM, SYNODORUM, ET PRINCIPUM,

DISSERTATIO
In Jus Canonicum Novissimum, variasque species,
adjectis nonnullis reflexionibus.

§. I.

Quid nomine Juris novissimi intelligatur.

Jus Novissimum hic dicitur, quod non est hodierno Corpori Canonico inclusum.



Us Canonicum seu Ecclesiasticum *Novissimum* hic dicimus, omne illud, quod in materia Disciplinæ seu œconomiæ Ecclesiasticæ, sive res Ecclesiasticas, sive personas, aut judicia, eorumque formam & ordinem spectat, auctoritate publica prodiit post evulgatas Decretalium & Canonum Collectiones hodierno Corpori Canonico inclusas, inter quas tempore postrema est, quæ sub nomine *Extravagantium Communium*, exeunte sæculo XV. edita fuit, utpote cui & inserta legitur Constitutio Sixti IV. anno 1483. promulgata: ut jam supra notavimus in *Dissertatione de Extravagantibus*.

Et cum nulla recentior Decretalis, quam prædicta Sixti IV. in collectionibus Corpori Canonico inclusis occurrat, omnia, quæ post tempus illud prodierunt, Juri Novissimo adscribemus.

Hujus generis in primis sunt, quæ Pontifices Romani post illa tempora in materia Ecclesiastica, sive per modum Constitutionis, sive sub nomine Bullæ, aut Brevis, vel *motu proprio*, vel interrogati, aut interpellati ediderunt, vel responderunt.

Cum autem sensim plures ejusmodi Bullæ seu Constitutiones, aut Pontificum Litteræ seu Brevia circumferrentur, cœperunt nonnulli exemplo veterum Decretalium Collectorum easdem sub simili forma, vel ordine temporum servato, in unum vel plura volumina colligere, de quibus, & eorum auctoritate §. sequenti.

§. II.

De variis recentioribus Bullarum, & Rescriptorum Pontificum Collectionibus, earumque auctoritate.

Collectio Petri Matthæi.

PRIMUS, qui legitur Bullas Pontificias collegisse, est *Petrus Matthæi* Jurisconsultus Lugdunensis, cujus Collectio anno 1491. prodiit sub hoc titulo, *Collectio Constitutionum & Bullarum post* Sextum, Clementinas, *&* Extravagantes *usque in hodiernum diem.*

Dicta Septimus Decretalium.

Sicuti autem Collectio Bonifacii VIII. dicta fuit *Sextus* Decretalium, tamquam Liber *Sextus* adjectus *quinque* libris Decretalium Gregorii IX. ita & hæc Collectio vocata fuit *Septimus* Decretalium, quasi *quinque* Libris Decretalium Gregorii IX. & *Sexto* Bonifacii VIII. additus (a).

In titulis V. Librorum non convenit cum antiquioribus collectionibus.

Præcedentium Collectionum Gregorii IX. & Bonifacii VIII. compilatores in hoc imitatus est hic auctor, quod opus suum similiter in *quinque* Libros, Librosque in varios titulos distribuerit, sed in titulorum ordine a præcedentibus recessit, quin & nonnullos titulos in antiquioribus collectionibus ignotos intermiscuit.

Collectio Laertii Cherubini sub idem tempus.

Circa idem tempus, scilicet finem sæculi XVI. *Laertius Cherubinus* Jurisconsultus Romanus ampliorem ac pleniorem Collectionem Bullarum & Constitutionum Papalium adorsus est: omnibus, quas reperire potuit a tempore Leonis I. usque ad Sixtum V. qui tum Pontificatum gerebat, in unum volumen, servato ordine temporis, quo singulæ editæ fuere, collectis: quod volumen sub auspiciis ejusdem Pontificis Sixti V. in lucem primum prodiit anno 1586.

Aucta sub Paulo V.

Hæc Collectio rursus secundis curis ejusdem auctoris magno numero Constitutionum aucta, reimpressa est sub Pontificatu Pauli V. cui & inscripta fuit.

Magnum Bullarium Romanum 1633.

Cum autem ipso Cherubino adhuc vivente, plures rursus Constitutiones subsequentium Pontificum evulgatæ essent, novæ & ampliori collectioni adornandæ se accinxit idem Cherubinus, sed morte præoccupatus opus inchoatum perficere non potuit.

Hoc opus inchoatum postmodum non tantum perfecit, sed & auxit *Angelus Maria Cherubinus* Monachus Cassinensis Laertii filius.

Cum enim Laertius collegisset plures Constitutiones, & Bullas Pauli V. post priorem operis editionem ab hoc Pontifice evulgatas, necnon Gregorii XV. & Urbani VIII. filius ejus Angelus Maria his addidit Bullas seu Constitutiones tum dicti Urbani VIII. post mortem patris demum editas, tum Innocentii X. successoris Urbani, & aliorum etiam præcedentium Pontificum a Laertio omissas, opusque suum sub nomine *magni Bullarii Romani* publicavit typis Romanis anno 1663. in quatuor tomos, qui tria volumina conficiunt, distinctum, quod anno 1655. Lugduni Galliarum recusum est.

1. Tomus continet Bullas RR. PP. a Leo-

Primus tomus exhibet Bullas & Diplomata Romanorum Pontificum a *Leone Magno* (qui sedit sub me-

dium

(a) Doujatus *Prænotionum lib. 4. cap. 26. num.* 1. refert Sixtum V. meditatam fuisse Decretalium recentiorum collectionem, edendam sub nomine Libri septimi Decretalium; novemque viros ad hoc opus electos fuisse. Doujatus deinde asserit non constare, an ille septimus unquam editus fuerit. Fagnanus in *cap.* 11. *de judiciis num.* 61. istius collectionis historiam tradit, atque exponit rationem, cur liber ille publici juris factus non fuerit.

de M. usque ad Paulum IV. inclusive.

dium sæculi V.) usque ad *Paulum IV.* inclusive, qui sedit circa medium sæculi XVI. (*a*).

2. Tomus a pio V. usque ad Innocentium IX.

Secundus tomus exhibet Bullas *Pii V.* & sequentium Pontificum usque ad Innocentium IX. qui anno 1591. duos duntaxat menses sedit, cujus & binæ solum Bullæ exhibentur.

3. Tomus Clementis VIII. Pauli IV. & Gregorii XV.

Tomus tertius complectitur trium Pontificum scilicet *Clementis VIII. Pauli V. & Gregorii XV.* Constitutiones seu Bullas, numero ducentas & nonaginta quatuor.

4. Tomus Urbani VIII. & Innocentii X.

Quartus tomus exhibet Bullas & Diplomata duorum Pontificum *Urbani VIII. & Innocentii X.* & primi quidem centum sexaginta novem; alterius autem triginta duo duntaxat, sed plura suppleta tomo quinto, ut mox notabitur.

Hinc tomo adjectæ Bullæ Privileg. Ord. B.M.V. de Redemptione captivorum.

Hinc quarto tomo per modum appendicis adjectæ sunt Pontificiæ Constitutiones seu Bullæ a diversis Pontificibus editæ circa privilegia, gratias, & indulta Ordini *Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum*, cura & diligentia Episcopi Vigevanensis, ejusdem Ordinis beatæ Mariæ de Mercede Professoris.

Indices in 2. tomo.

Tomum hunc claudunt varii indices plurimum facilitantes, ita ut singulæ Constitutiones in his quatuor tomis contentæ reperiantur, necnon intelligatur in Compendio, de qua materia in singulis agatur, & quem Pontificem auctorem habeant.

5. Tomus reliquas Urbani VIII. & Innocentii X. item Alexandri VII. Clementis IX. & Clementis X.

Quatuor his tomis adjectus est Tomus *quintus*, cura & diligentia *P. Angeli a Lantusca*, & *P. Joannis Pauli a Roma* Ordinis Minorum S. Francisci strictioris Observantiæ.

Constat hic tomus Constitutionibus *Urbani VIII. & Innocentii X.* quæ in præcedenti tomo desiderabantur, aditis Constitutionibus 176. *Alexandri VII. Clementis IX.* quadraginta, & *Clementis X.* sexaginta & una.

§. III.

Quæ sit auctoritas præcedentium Collectionum?

Hæ Collectiones non habent publicam auctoritatem,

COLLECTIONES Bullarum seu Constitutionum, aut Litterarum Romanorum Pontificum vel per *Petrum Matthæi* sub nomine *Septimi Decretalium* vel per *Laertium*, & *Angelum Mariam Cherubinum*, aut *Angelum a Lantusca* sub titulo *magni Bullarii Romani* evulgatas, nullam dare posse auctoritatem publicam Bullis in eisdem collectionibus contentis, præter eam, quam hæ Bullæ per se & citra insertionem in has Collectiones habent, expeditum est.

Hæ enim Collectiones *privata* dictorum auctorum opera & auctoritate adornatæ & evulgatæ, nullam ab his *privatis* auctoribus sive collectoribus, publicam auctoritatem mutuari potuerunt: ideoque in judiciis aut scholis hactenus non nisi ut privatorum auctorum opera reputata & suscepta sunt.

Nequaquam proinde Bullæ, seu Diplomata Pontificia pro legibus generalibus & obligantibus suscipiendæ sunt, aut ullam obligandi vim habent, eo solo titulo, quod in prædictis collectionibus reperiantur, sed circa eas expendenda veniunt omnia, quæ circa Decretales Pontificum extra Corpus Canonicum vagantes expendi debere notant communiter Canonistæ.

Porro ex Canonistarum sententia & hoc in primis habetur, quod, ut Constitutio seu Bulla Pontificia fidem faciat in judicio, sive pro lege suscipiatur, debeat ante omnia constare *authentice* & in forma probante, hanc Bullam *reipsa* a Pontifice emanasse.

Neque id sat probatur auctoritate dictarum collectionum. Cum enim collectionum istarum auctores, nulla publica auctoritate essent instructi, sed duntaxat, privato studio & opera Decretales alibi a se repertas in unum collegerint, plenam fidem in Bullis dare non potuerunt.

Habent tamen aliquid plus ponderis pro sinceritate.

Non dubium tamen, quin relatio Bullarum in præcitatas Collectiones aliquid plus ponderis habeat, pro sinceritate & veritate istarum Bullarum, quam si reperiantur duntaxat citatæ seu allegatæ apud Doctores Scholasticos, aliosque auctores, præsertim si ab his adducantur pro commoditate causæ puta Regularibus ad stabilienda sua privilegia.

Cum enim prædicti Collectores specialem ac singularem operam impenderint Bullis Pontificiis colligendis, verisimile est, ipsos etiam singulare studium adhibuisse, ut falsas & apocryphas Bullas a sinceris secernerent; quæ discretio ab auctoribus seu Theologis, seu Decretalistis adhiberi non consuevit, sed hi sæpenumero Bullis, quas hinc inde reperiunt, sine discrimine utuntur, modo præconceptæ eorum opinioni, aut prætensis juribus suis favere videantur.

Exemplum Bullæ haud sinceræ.

Præterea contingit nonnunquam, Bullis Pontificiis aliqua per Ministros Curiæ præter Pontificis intentionem inseri, aut a Pontifice per subreptionem aut obreptionem impetrari, quæ vitia per relationem in prædictas collectiones non purgantur aut supplentur: neque relatio in Bullarium probat, Bullas eo vitio carere. Exemplo sit Bulla Pii V. quæ incipit, *Etsi Mendicantium*, inserta tomo 2. Bullarii inter Bullas hujus Pontificis *num.* 2. de qua Bulla testatur ejus immediatus successor Gregorius XIII. in Bulla sua, quæ incipit *In tanta*, relata eodem tomo inter hujus Pontificis Bullas *num.* 9. Pium V. interdum conquestum esse, *multa aliter alioque sensu a se prolata fuisse, quam litteris expressa essent.*

Bullæ Bullarii non majoris auctoritatis quam vagantes.

Insuper cum Collectiones illæ nullam Bullis illis addant publicam auctoritatem, consequens est, quod Bullæ seu Brevia, quæ pro certis Provinciis, aut Congregationibus, vel personis duntaxat emanarunt, non possint vigore insertionis in Bullario extendi ultra terminos aut personas in Bullis comprehensas.

Verbo, omnia expendenda sunt circa Bullas in illas collectiones relatas, quæ expendi deberent, si extra has collectiones vagarentur, præsertim si in judicio earum auctoritas proferatur super re magni momenti, aut prætendatur juri communi per Bullam esse derogatum, aut novi aliquid statutum.

§. IV.

Unde dignoscatur auctoritas Decretalium & Bullarum, quæ in prædictis Collectionibus continentur?

Bullæ Bullarii, quæ obligant Belgas, debent pro Belgis fuisse latæ.

INDUBITATUM est Bullam Pontificiam non obligare Belgas, si ex ipso contextu Bullæ sufficienter pateat, intentionem Pontificis fuisse certis quibusdam extra Belgium Provinciis aut Regnis duntaxat legem dare.

Hoc ex capite, plures Bullæ in Tomis Bullarii Romani contentæ ultra urbem Romam, aut statum Ecclesiasticum, sive ditiones temporales Pontificis, se non extendunt. Aliquæ vero ad unum aliquod particulare Regnum aut Principatum, vel etiam Ordines Regulares unius Regni vel Provinciæ restringuntur; quod ex contextu Bullarum, aut earum inscriptionibus haud difficulter dignosci poterit.

Et in Belgio rite publicatæ,

Adhæc, ut Constitutio sive Bulla Pontificia quantumvis generalis, nec tempori nec locis aut personis circumscripta, vim suam in Belgio vicinisque Provinciis exerat, requiritur, ut more consueto & recepto fuerit rite publicata.

Porro usitatus receptusque jam pridem publicationis ritus est, ut Constitutiones Ecclesiasticæ populo a suis respective Episcopis per Pastores, aliove modo, quo facile ad singulorum notitiam venire queant, proponantur.

Probatur per tract. de Libert. Eccl. Gallicanæ,

Cum enim lex omnibus *commune* præceptum sit, & omnibus subditis in *commune* feratur, ita proponi debet, ut innotescere performiter universitati populi possit.

Hunc publicandi ritum tamquam Ecclesiasticæ Hierarchiæ consonum probat etiam nuperus auctor, qui in favorem Curiæ Romanæ publicavit tractatum *de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, *lib.* 2. *cap.* 3. docens: *Decreta Ecclesiastica primum quidem Episcopis, ab istis deinde inferioribus Sacerdotibus, & a Sacerdotibus plebi esse intimanda, adeo ut si alia via (ait) perferantur, in suspicionem merito veniant, nec satis sit, ut fidelibus quoquo modo innotescant, nisi* consueto more *promulgentur, si modo potuerit solitus ordo commode servari.*

Item ex Justiniani Novella VI.

Quin & hunc morem particularis promulgationis non tantum in civilibus, sed & in Ecclesiasticis legibus jam pridem observari voluit Justinianus Imperator, *Novella VI.* leges has ad Patriarchas dirigens, ut hi ad Metropolitas mitterent, qui dein earum publicationem singulis Episcopis demandarent. *Sanctissimi, ait, Patriarchæ hæc proponant in Ecclesiis sub se constitutis, & manifesta faciant Metropolitis, quæ a nobis constituta sunt: illi rursus constitutis sub se Episcopis manifesta faciant, illorum vero singulis in propria Ecclesia hæc proponant, ut nullus nostræ Reipublicæ ignoret &c.* Has Justiniani leges ab Ecclesia probatas, ac receptas fuisse, infra ostendetur.

Ex Conciliis.

Sed nec Concilia, nec Pontifices jam pridem sua Decreta obligare crediderunt, priusquam in notitiam totius populi prævia intimatione prolata essent.

Arelatensi I.

Ita videmus, quod Arelatense I. Concilium Canones suos ad Silvestrum Romanum Pontificem per Diœceses Romanas ab ipso promulgandas transmiserit. „ Placuit „ etiam, ajunt, a te, qui majores Diœceses tenes, per te potissimum *omnibus* intimari “.

Sardicensi

Similiter & Sardicensis Synodus, ad Julium Papam scripsit in eamdem sententiam: „ Tua autem excellens „ prudentia disponere debet, ut per *tua scripta*, qui „ in Sicilia, in Sardinia, & in Italia sunt Fratres no- „ stri, quæ acta sunt, & quæ definita sunt, cogno- „ scant “.

Lateranensi sub Innocentio III.

Et recentius Concilium Lateranense sub Innocentio III. Constitutionem suam de Medicis, relatam in *cap.* 13. ✠ *de pœnitent. & remiss.* demum obligare voluit, *postquam per Prælatos locorum fuerit publicata.*

Probatur ratione.

Et sane cum varia sint hominum ingenia, & summa circa disciplinam exteriorem Provinciarum & Ecclesiarum varietas, ac particulares occurrant in singulis consuetudines (quarum se ignaros esse ultro fatentur Pontifices

(a) Paulus IV. obiit die 18. Augusti anno 1559.

fices *cap. 1. de constit. in VI.*) quis non fatebitur, admodum fore difficile, immo quodammodo impossibile, legem *generalem* Provinciis omnibus & populis convenire, & interdum non impingere in publica commoda.

Huic rei vix aliter occurri potest, quam si de his, quæ incidunt, admoneant Legislatorem ii, quibus promulgatio legis credita est: ut Legislator de his propius instructus, legem vel restringat, vel saltem pro personarum, rerum, atque locorum circumstantiis temperet.

Belgæ non stringuntur publicatione in acie campi Floræ.

Hanc publicationis formam in Legibus etiam Ecclesiasticis necessariam semper crediderunt Belgæ, populique vicini, nec per legem *novam in acie campi Floræ* ritu Curiæ Romanæ affixam & publicatam, se obstrictos credunt, priusquam per Diœceses more hactenus observato fuerit universitati populi intimata.

Hinc omnibus passim notum est, ex innumeris illis Bullis, quæ præallegatis Bullariis comprehenduntur non alias hic vigere, aut obstringere Belgas, nisi quæ a Præsulibus receptæ populo propositæ sunt: nisi forte quædam in Familiis Regularium inter earum septa domestica observentur, quæ dum in publicum se non produnt, etiam nihil ad publicos Magistratus spectant.

Jus placiti Regii.

Præterea quia Principis est invigilare, ne quid per novæ legis aut cujuscumque novi diplomatis, promulgationem antiqua & insolita Provinciarum jura, consuetudines ac mores convellantur, quod plerumque sine notabili perturbatione, multisque incommodis non contingit, receptissima est & Belgarum & vicinorum Regnorum consuetudo, plurium sæculorum inconcusso usu firmata, ut Bullæ, Brevia, Decreta, alteriusve nominis Diplomata a Romana Curia emanantia, tametsi nomen Pontificis præferant, executioni mandari, aut publicari non sinantur, priusquam recognita discussa, & probata sint, eorum calculo, qui jurisdictioni *Vice Regia* præsunt per Provincias, constituta a Principibus nostris pœna exilii, amissionis bonorum, aliisque in eos, qui secus facere attentaverint, de quo usu egi in *Jure Eccles. Tom. III. part. 2. sect. 3. tit. 7. cap. 6.* hujus editionis; alias *tit. 24.* & latius in Tractatu de promulgatione Legum & Placito Regio (*a*).

Huic juri non obstat clausula Bullis inseri solita.

Neque huic inveteratæ, & tot sæculorum usu firmatæ consuetudini obstare credunt Belgæ clausulam hodie Bullis Pontificum ex stylo Curiæ Romanæ inserti solitam, *publicationem Romæ factam, eamdem vim habituram, ac si in singulis Provinciis particulatim facta esset*, cum derogatione contrariarum consuetudinem quarumcumque. Hujus enim clausulæ vis in Belgium nondum penetravit, obstante firmissima consuetudine, quæ non patitur, præter morem a majoribus observatum, Leges ullas Belgis imponi, uti observat juris Belgici peritissimus auctor Libelli, cui titulus: *Jus Belgarum circa Bullarum Pontificiarum receptionem*, qui & scibit, in Regno Neapolitano extare Pragmaticam Constitutionem editam 30. Augusti 1561. qua expresse cautum est, clausulam istam pro non scripta habendam esse.

Igitur moribus Belgicis, Bullæ sive Constitutiones Pontificiæ, sive alia Curiæ Romanæ Rescripta, hic vim suam non exerunt, tametsi etiam ritu solito Romæ publicatas esse constet, nisi & in his partibus prævio Principis *placeto* publicatæ vel admissæ fuerint.

Bulla in Cœna Domini in Belgio non admittitur.

Hinc famosa vulgatissima illa Bulla vulgo *in Cœna Domini*, quæ quotannis ritu solemni per unum Cardinalem Diaconum præsente Pontifice, cæteris Cardinalibus & Episcopis assistentibus, publicatur ipso die *Cœna Domini* (a quo nomen accepit) hic in Belgio usum nullum habet; eo quod nunquam admissa aut publicata hisce in Provinciis fuerit, adeo ut Consilia Regia nec mentionem illius in judiciis fieri permittant, mulctatis subinde Causidicis, qui allegare Bullam hanc, & auctoritate ejus causam suam fulcire tentarent; uti in citato Tractatu notavi.

Nec in Gallia. Ejus publicationi se opposuerunt Rodulphus Imperator, Philippus II. Rex Cathol. & Respublica Veneta.

Similiter nec in Gallia usum hujus Bullæ admitti, notissimum est: solemne Parlamenti Regii Arrestum contra ejus publicationem recitatur inter probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 6. nu. 55.* atque ibidem in adjunctis notis ostenditur Imperatorem Rodulphum II. ann. 1586. publicationi hujus Bullæ strenue se opposuisse, uti & ann. 1568. Philippum II. Regem Catholicum, & Rempublicam Venetam; vide & commentaria ad dictas Libertates Petri Pithæi *art. 17.*

Ratio Placiti Regii.

Nec adeo mirum videri debet, quod Principes sine prævio suo assensu leges Provinciis suis imponi non sinant. Cum enim pars nobilissima Regii muneris in tuendis Canonibus, & receptis moribus versetur, merito Princeps prospicit, ne novis legibus Canones, Legesque, & antiqui mores jam recepti, concutiantur, & subditorum jura & tranquillitas turbentur, uti latius deducit Petrus de Marca *lib. 2. de concord. Sacerd. & Imp. cap. 17. num. 5.*

Hinc Principis juri & officio jus placiti inniti latius deduxi in citato tractatu, una ostendens, Principem non posse hoc jus placiti a se abdicare nisi Principatum abdicando (*b*).

§. V.

De Regulis Cancellariæ.

Nulla mentio in Decretalibus Gregorii IX. de Regulis Cancellariæ.

JURI Novissimo merito accensentur Regulæ *Cancellariæ* Romanæ, quarum hic in Belgio quotidianus est usus, & quarum tamen in Decretalibus Gregorii IX. aliisque collectionibus Corpori Canonico inclusis nulla mentio occurrit.

Hæ originem habuere a Joanne XXII.

Nec mirum ibidem nullam earum memoriam esse, quandoquidem teste Ludovico Gomesio in Prœmio Commentarii ad has Regulas: *satis compertum sit, Regulas Cancellariæ a Joanne XXII. initium & originem habuisse* (*c*): *nam* (*ait*) *in vetusto quodam membrano codice* (*quem vulgares* Quinternum *Cancellariæ Apostolicæ vocant*) *primus omnium in ordine ponitur Joannes XXII. Regularum auctor, nec ante ipsum alius summorum Pontificum invenitur, qui hoc prius tentaverit, & licet Cancellaria Apostolica, & Vice-Cancellarii Officium* (*unde Regulæ istæ denominationem acceperunt*) *longe ante Joannem XXII. præcessisse videantur, nihilominus Regulæ istæ non fuerunt eo tempore saltem in scriptis, sed longo intervallo conditæ.*

Sed post ipsum auctæ fuerunt.

Verum licet Joannes XXII. originem dedisse dicatur Regulis Cancellariæ, constat tamen, quod eas ad perfectum, aut ad eum, quo hodie extant, numerum non perduxerit; sed sensim eo perductæ fuerint.

Joannes enim in his Regulis id tantum egit, ut Officiales Cancellariæ seu Abbreviatores instruerentur, qua ratione Litteras Cancellariæ in materia *Beneficiali*, juxta supplicationum varias formas deberent expedire, ut patet ex Regulis Joannis XXII. & Benedicti XI. (*d*) & aliorum, ait idem Gomesius in citato Prœmio, *quæst. 2.*

Nicolaus V. sub medium sæculi XV. eas pene ad præsentem statum perduxit.

Introductas autem Regulas subsecuti Pontifices diversimode auxerunt, usque ad tempora Nicolai V. qui anno 1447. sedere cœpit, & primus utiliores decessorum suorum Regulas colligens, ac plures alias judiciales, sive normam administrandæ justitiæ determinantes, adjiciens, has Regulas ad eum pene statum, in quo nunc habentur, perduxit.

Circa has Regulas per subsequentes Pontifices partim auctas, partim mutatas, nonnulla hic pro hodierna praxi, ac præsertim Belgica, generalia principia annotanda censui.

Unde dictæ sint Regulæ Cancellariæ.

Hæ Regulæ dicuntur *Regulæ* Cancellariæ, quia major pars, immo ante Nicolaum V. omnes concernunt expeditionem Litterarum, quæ in Cancellaria Romana expe-

(a) Extat ille Tractatus Tomo IX. hujus editionis.

(b) Placitum quoque Regis in Prussia habetur necessarium, ut Jus Canonicum in eo Regno vim legis obtineat. Hoc enim Placitum aperte declaratur in *Codice Fridericiano part. 1. lib. 1. tit. 2. §. 12.* his verbis; *Comme nos Sujets de la Religion Catholique*, inquit Prussiæ Rex, *doivent en vertu de la paix de Westphalie, etre juges selon leurs principes, en matieres de Foi, nous conservons au droit Canon force de loi, autant qu' il est necessaire pour cet effet.*

Mais nous l' abrogeons dans toutes les affaires civiles, & n' en exceptons que ce qui concerne les offices & les dignitès dans les dignitès dans les Chapitres, comme aussi les droits qui en dependent, & ce qui regarde les dimes, que nous voulons ètre decidèes selon les loix du droit Canon, meme parmi nos Sujets Portestans. Codex Fridericianus primum in Allemanica lingua, deinde anno 1751. Gallico idiomate editus est. En ejus titulus; *Code de Frederic ou Corps de droit, pour les Etats de Sa Majeste le Roi de Prusse, fondè sur la raison & les Constitutions du pais, &c.* Hunc Codicem, ejusque Auctorem summis laudibus extullerunt Scriptores Diariorum Trivultianorum (*Avril 1751. pag. 718. 779. &c.*) id unum delibare mihi liceat, quod *pag. 785.* his verbis legitur: *Il n' est rien de plus sage ni de plus beau que tout ce plan de jurisprudence; au fond c' est le droit Romain, mais degagè de toutes subtilitès, & de tous embarras; mais dispose dans un ordre admirable d' instruction, tout propre par consequent a fournis des lumieres dans toutes les controverses civiles & domestiques.*

Id tantum conqueruntur Reverend. Diariorum Scriptores, quod inter magni momenti dispositiones, quædam editæ sint de matrimonii dissolutione. Ecce eorum contextus *pag. 788.* consignatus. *Tout ceci renferme une multitude de dispositions très-importantes. Il en est sur la dissolution du Mariage que nous pouvons regarder comme singulieres; on dit à la page 149. & suiv.* (Codicis Fridericiani) *qu' un mariage legitime & accompli peut etre dissous;* primo, *lorsque l' un ou l' autre des Epoux est ...,* secundo, *lorsque les gens maries demandent constamment & de concert la dissolution de leur mariage;* tertio, *lorsqu' un des epoux a convaincu l' autre d' adultere,* &c.

Addunt deinde: *il ... est naturellement en pensée de demander comment des dispositions pareilles peuvent se concilier avec les Textes de l' Evangile, & de saint Paul, qui expriment si clairement l' indissolubilite du mariage.* Hanc claritatem in Evangelio non reperiunt, aut advertere nolunt quidam scriptores etiam catholici, ubi agitur de fornicatione, aut adulterio. Legatur *c. Matth vers. 32.*

(c) Joannes XXII. obiit die 4. Decembris anno 1334.

(d) Hunc Benedictum alii nuncupant XII.

expediuntur : ideoque nomen retinuerunt a Cancellario, ad cujus directionem primitus fuere adinventæ.

Adhæc, tametsi a tempore Nicolai V. quædam earum Regularum formam in expeditionibus Litterarum Cancellariæ servandam non præscribant, nec ad expeditiones illas spectent, prout sunt omnes Regulæ fori contentiosi, sive quæ circa judicia versantur; nihilominus, quia etiam illæ Regulæ *judiciales* in Cancellaria registrantur, & per Vice-Cancellarium publicantur, retinuerunt nomen a loco illo *Cancellariæ*, ut notavit Gomesius in Proœmio ad has Regulas, *quæst.* 2. præsertim quia Regulis Cancellariæ præsentibus additæ sunt, & unum cum illis constituunt volumen.

Quosnam ligent;

Anxie disputatur inter Commentatores harum regularum: præsertim Ultramontanos, num regulæ istæ *universaliter* ligent *omnes*, etiam extra Curiam Romanam? Hanc quæstionem loco jam citato fuse in utrumque partem disputat Gomesius, ac tandem resolvit eas pro lege generali etiam extra Curiam Romanam esse observandas.

Verum hac Doctorum Ultramontanorum disceptatione omissa, notandum, quod juxta indubitatam & notoriam praxim, notanter Belgii, & aliarum passim Provinciarum extra Italiam, & Statum Ecclesiasticum, Regulæ hæ non habeantur ut Leges generales, mox ut in Cancellaria Romana stylo Curiæ Romanæ consueto fuerint publicatæ, sed quod earum obligandi efficacia desumatur ab earum in hisce Provinciis receptione & usu.

Hinc & notorium est, in una Provincia plurium, in alia pauciorum istarum Regularum usum esse.

Monet Rebuffus in additione ad primam Regulam, multas esse ex his Regulis, quæ non sunt receptæ in Regno Franciæ, ac notanter quæ sunt contrariæ Concordatis.

Philippus Probus in notis ad Sanctionem Pragmaticam tit. *de Electionibus*, *cap.* Et quia §. ipsas omnes, *n.* 1. monet, Regulas Cancellariæ ligare, maxime quando sunt conformes juri communi: „ Quia si concernant „ (ait) principaliter *commodum bursale*; tunc Gallica„ ni Judices illas non admittunt, sed prorsus respuunt, „ ut pecuniæ exbursationem evitent.„

In marginali autem nota monet Franciscus Pinsonius: „ Regulæ Cancellariæ omnes ligant, si sunt re„ ceptæ in Regno, alias non ".

In Gallia recepta est Regula de infirmis Resignantibus.

Præ cæteris autem illo in Regno receptæ sunt Regulæ, *de infirmis Resignantibus*, *de publicandis Resignationibus*, *& de verisimili notitia*, uti loco citato observat Philippus Probus, & Petrus Rebuffus in additionibus ad dictas Regulas.

Et quidem Regula de *infirmis Resignantibus* (*a*) non tantum simplici usu recepta & probata est, sed & quarta Novembris anno 1493. in Parlamento Parisiensi registrata est, ut testantur Pragmatici Galliæ, ac novissime Perardus Castel in tractatu de usu & praxi Curiæ Romanæ, *pag.* 41. *edit.* 1693.

Item de publicandis Resignationibus.

Regulam de *publicandis Resignationibus* similiter eodem anno 27. Augusti registratam esse testatur post alios Rebuffus in additione ad hanc Regulam (*b*). Immo licet hodie hæc Regula e numero Regularum Cancellariæ sit rejecta, & vicem ejus suppleat Constitutio Gregorii XIII. nihilominus in Gallia, & Belgio quasi Lex patriæ, vim suam retinuit, non recepta hactenus dicta Constitutione Gregori XIII.

Item de verisimili notitia.

Testatur & ibidem Rebuffus, & de registratione Regulæ de *verisimili notitia* referens „ eam eodem an„ no 2. Novembris factam fuisse, eamque in Regno „ Franciæ receptam, & in forensi judicio ad unguem „ servari (*c*).

Præter has tres Regulas positivo Decreto in Gallia receptas, & in Parlamento adinstar *Legis Regni* registratas, sunt & nonnullæ aliæ usu & consuetudine probatæ ac receptæ, uti & ipse Molinæus observavit.

Item de impetrantibus Beneficia viventium, aliæque.

Post illustratas enim tres prædictas regulas, necnon Regulam 21. *de impetrantibus Beneficia viventium* (*d*) quam junxit Regulæ de *verisimili notitia*, dicit verum non esse, quod vulgo putant, reliquas omnes regulas (dictis quatuor exceptis) prorsus inutiles & spernendas esse: „ Quatenus enim, ait, jus commune vel ordinarium „ juvant, rationabiliter admittendæ sunt, & in causis „ decidendis usurpandæ, quominus a jure communi & „ disciplina Ecclesiastica recedatur „.

Regula de annali possessore.

Hinc concludit Regulam Cancellariæ de *annali possessore*, etiam in hoc Regno Franciæ omnino practicandam esse. „ quatenus scilicet restringit & coercet „ impetrationes a Papa, vel a Legato suo illorum in„ volatorum alienorum Beneficiorum, litiumque arti„ fices, quos *devolutarios* vulgo vocant „.

Similiter Rebuffus *in praxi benef. parte* 2. in Commentario ad hanc Regulam, *Glossa prima*, ait: *Ista Regula est utilis, & servatur in Francia, unde impetratio judicatur subreptitia & nulla, nisi exprimantur sequentia*: id est, quæ Regula exprimenda præscribit.

Regula de idiomate,

Eadem ratione Regula *de idiomate*, in quantum declarat, quod provisio de Parochiali Ecclesia, vel quovis alio Beneficio exercitium curæ animarum Parochianorum quomodolibet habente facta alicui personæ, quæ non intelligat, vel intelligibiliter loqui nesciat *idioma*, ubi Ecclesia, vel Beneficium hujusmodi consistit, sit nullius roboris, vel momenti, etiam in Regno Franciæ est recepta, eo quod non tantum juri communi; sed etiam naturali & divino sit conformis, ipsamque rectam disciplinam adjuvet.

Quædam in iisdem Regulis non admittuntur in Gallia.

At si quæ in his similibusve Regulis occurrant, quæ judiciorum aut Disciplinæ normam in Regno stabilitam invertunt, aut juri Ordinariorum derogant, vel solum commodum Curiæ Romanæ spectant, quoad ista Regulæ hæ non reputantur vim habere in hoc Regno.

In Regula de annali.

Hinc Molinæus postquam dixit, Regulam *de annali*, quatenus restringit & coercet impetrationes devolutariorum, esse practicandam, addit: *non autem quatenus processum judicialem concernit, vel formam futuræ instantiæ præfigit* „.

Similiter Rebuffus loco mox citato *Glossa* 18. loquens de mulcta 50. florenorum Cameræ Apostolicæ applicanda juxta præscriptum Regulæ, observat circa hoc, Regulam hanc de *annali possessore* in Gallia non esse receptam, nec Judices Regios in hoc Regno de posses„ soriis Beneficiorum cognoscentes, servare hanc mul„ ctam, sed ad damna, interesse, & expensas temere „ impetrantem condemnare ".

Usus Belgarum circa Regulas Cancellariæ.

Circa usum harum Regularum, Belgicus pene cum usu Regni Franciæ convenit, nisi quod Belgæ nonnihil liberaliores jam pridem fuisse videantur in admittendis Regulis Cancellariæ, signanter reservantibus provisionem Beneficiorum Romano Pontifici.

Circa Reg. de 8. mensibus.

Notum quippe est, in Belgio in plurimis Ecclesiis, quæ Concordatis Germaniæ non gaudent, aut alio speciali titulo non sunt munitæ, receptam esse Regulam *de octo mensibus*, qua reservantur dispositioni Pontificis Beneficia vacantia in *octo* mensibus, permittens duntaxat dispositionem ordinariis Collatoribus Beneficiorum vacantium in *quatuor* aliis mensibus: nisi quod in favorem Episcoporum in suis Diœcesibus *residentium*, posteriores Pontifices dederint *alternativam*; de qua Regula, & alternativa latius egi in *Jure Eccl. Tom. III. parte* 2. *sect.* 3. *tit.* 6. *cap.* 6. *&* 7. hujus editionis; alias *tit.* 23. *cap.* 5. *&* 6 atque in hoc puncto nonnullæ Provinciæ in Gallia cum Belgicis conveniunt, quæ & ob admissas hactenus has reservationes *Patria obedientiæ* appellantur.

Cæterum Belgæ in hoc cum Gallis conveniunt, quod usum & vim harum Regularum non admittant, nisi quatenus *diuturno* usu receptæ & probatæ ostenduntur, præsertim ubi juri Ordinariorum derogant; atque commodum bursale duntaxat Curiæ Romanæ respiciunt.

Sanctio pragmatica Philippi II. 1574. super Placito Regio.

Hoc autem majore cum rigore observatum fuisse apparet ab anno 1574. quando Rex Philippus II. Pragmaticam Sanctionem condidit, habita prius consultatione, & exquisita Sententia Senatuum Regiorum, qua diserte vetuit, ne quis ullius argumenti Bullas vel Diplomata ex urbe Romana, aut a Legatis Pontificiis profecta, per Belgium executioni mandare ausit, nisi Litteris *Placeti* obtentis comprobata fuerint a Sanctiore vel Brabantiæ Consilio: cujus Sanctionis textus integer refertur in *Jure Eccles. Tom. III. parte* 2. *sect.* 3. *tit.* 10. *cap.* 5. *nu.* 24. hujus editionis; alias *tit.* 27. & *Tomo IX.* in fine Appendicis monumentorum, quorum fit mentio in Tractatu de promulgatione Legis Ecclesiasticæ.

Et quamvis hæc Sanctio nominatim non meminerit Regularum *Cancellariæ*, quin tamen sub generali illa expressione contineantur, dubitari nequit: maxime si juri Ordinariorum aut receptis Belgii moribus, & inveterato usui contrarientur: quandoquidem scopus unicus hujus & similium Sanctionum sit, ne per Bullas aut Diplomata, quæ e Curia Romana emanant; jura publica & receptæ consuetudines, ac privilegia patriæ temere violentur & invertantur.

Hinc famosus hujus Universitatis Jurisconsultus Vande-Velden in suis eruditis ad Regulas Cancellariæ observationibus, sine hæsitatione asserit: per citatum Edictum de anno 1574. vetitum esse „ mandari executio„ ni *Regulas Cancellariæ Apostolicæ*, non obtentis Litteris „ Pla-

---

(*a*) Cognoscitur quoque sub nomine *de viginti*, id est a dierum numero, quos vivere debet Resignans post præstitum Resignationi consensum.

(*b*) Apud Rebuffum hæc Regula dicitur 34. Regularium Cancellariæ. Pastor *lib.* 3. *tit.* 8. *num.* 1. ait Regulam *de publicandis resignationibus* fuisse conditam a Bonifacio (scilicet IX.) firmatam vero ab Innocentio VIII. Causa, propter quam hæc Regula data fuit, hæc est, ut gravia, quæ ex occultis Resignationibus nascebantur, incommoda vitarentur.

(*c*) Regulæ *de verisimili notitia* Auctor est Joannes XXIII. Eodem quo hic Pontifex ediderat modo, conservata est usque ad Nicolaum V. Ab isto relectum est Proœmium brevitatis causa; sic capite truncata, sine ulla sui mutatione per manus successorum ad nos pervenit; attamen quilibet Pontifex initio sui Pontificatus, ut moris est, hanc Regulam innovavit.

(*d*) Nonnulli Canonistæ credunt hanc Regulam a Benedicto XIII. qui Pontifex a Gallis habitus est, exeunte decimoquarto sæculo fuisse confectam: verum alii hujus originem referunt ad Paulum III. qui ad summum Pontificatum anno 1534. evectus est; ipse enim hanc Regulam tantopere mutavit, ut recens ab ipso condita dici merito videatur.

„ Placeti in Conſilio privato ; vel Cancellaria Brabantiæ, ſi quæ forſan de novo condantur tendentes in „ præjudicium hujus Reipublicæ, aut alicujus tertii, „ prout Edictum illud expreſſe ſubjungit „.

Regula reſervatoria Beneficiorum.

Hoc ex capite nunquam hic in uſu fuit nova Regula Gregorii XV. quæ extat apud Barboſam de officio Epiſcopi *parte 3. allegat. 57.* reſervatoria Beneficiorum, quæ vacare contingit, Sede Epiſcopali aut Prælatura *vacante*, ſed ſemper manſerunt, & manent hactenus ad diſpoſitionem eorum, quibus ab antiquo diſpoſitio competit.'

Similiter nec novæ clauſulæ in diminutionem Juris Ordinariorum, aut recepti hic uſus admittuntur, quod exemplo mox etiam confirmabitur.

Regulæ *Cancellariæ* moriuntur moriente Pontifice, qui eas publicavit.

Circa has Regulas in generali & illud notandum, quod juxta ſtylum Curiæ Romanæ extinguantur, ſeu moriantur, moriente Pontifice, qui eas publicavit; expreſſe enim dicitur in earum Proœmio: *quas ſuo tempore duraturas obſervari voluit*. Ex qua clauſula concludunt unanimi conſenſu Regularum Commentatores, eas per mortem Pontificis expirare, omnemque earum obligandi vim extingui.

Unde ſinguli Pontifices denuo eas publicant.

Hinc & ulterius de ſtylo Curiæ Romanæ eſt, quod Regulæ hæ per ſingulos Pontifices de novo publicentur, uti notat Ludovicus Gomeſius in Proœmio Regularum Cancellariæ, *quæſt. 2. num. 12.* dicens: „ quia „ morte Pontificis Regulæ extinguuntur, viſum fuit, „ ut per novum Pontificem publicentur, per quem ite„ rum adinſtar Phœnicis reviviſcunt, & veluti Aquila „ renovantur.

Hac publicatione nondum facta, ceſſat omnis reſervatio Beneficiorum.

Reſervationes itaque, quæ his Regulis innituntur, mortuo Pontifice, ceſſant: poſſuntque Ordinarii Beneficia interim vacantia, quaſi jam omni reſervatione ſublata, libere ſine ulla menſium diſtinctione conferre, uti multis citatis auctoribus notat Joannes a Choquier in Proœmio Regularum *num. 12.* monetque, Sede Apoſtolica vacante, omnes menſes eſſe ordinarios, poſſeque Epiſcopos tamquam ad jus commune redeuntes, providere de Beneficiis vacantibus in quolibet menſe.

Quæ incipiunt vacare, Sede Apoſtolica vacante, pergunt eſſe Collationi Ordinarii.

Cum ergo, Sede Apoſtolica vacante, omnes menſes cenſeantur Ordinarii, & Beneficia medio tempore conferi debeant vacaſſe in menſe Ordinarii, conſequens eſt, quod Beneficium vacans, Sede Apoſtolica adhuc vacante in menſe, qui alias eſſet Apoſtolicus, maneant ad diſpoſitionem Ordinarii, licet illud *adhuc* contingeret vacare, poſtquam Regulæ Cancellariæ per novum Pontificem eſſent renovatæ & publicatæ.

Ut enim recte docet Gonzales ad Regulam VIII. Cancellariæ, *Gloſſa 11. num. 53. & ſeqq.* quando Beneficium per mortem, aliove titulo vacavit in menſe ordinario, ſemper manet ad diſpoſitionem Ordinarii (*a*). „ Quia ſicut, quando Beneficium vacat in menſe Apo„ ſtolico, ait *num. 57.* ſemper manet reſervatum, & „ nunquam poteſt Ordinarius illud conferre, licet va„ catio duret uſque ad menſem ordinarium; nam Bene„ ficium ſemel reſervatum ſemper remanet reſervatum, „ etiamſi ceſſet cauſa reſervationis; ſic etiam pari ra„ tione cum Beneficium vacans erit in menſe ordina„ rio, & fuerit Ordinarii diſpoſitioni ſubjectum, nun„ quam amplius incidit in reſervationem, cum corre„ lativorum eadem debeat eſſe ratio „. Hæc ille, & „ *num. 65.* monet, quod ad hoc ut dicatur Beneficium „ reſervatum, vel non reſervatum, ſolummodo conſi„ deretur tempus vacationis, non autem tempus, quo duravit, & fuit continuata vacatio. Et ex his concludit in Proœmio §. 5. *num.* 71. Beneficium in caſu hic propoſito manere ad diſpoſitionem Ordinarii.

Praxis Belgii circa hoc punctum amplectitur ſtylum Curiæ Romanæ; habetque quoad reſervationes menſium Regulas Cancellariæ, Sede Apoſtolica vacante, pro *extinctis*, reputatque pro eo tempore omnes menſes *ordinarios*.

Nova circa hoc punctum Reſervatoria Regula in Belgio non obtinet.

Teſtatur Joannes a Choquier loco citato *numero 22.* poſt Garziam, quod quandoque ſoleant Romani Pontifices reſervare omnia Beneficia, quæ vacarint in menſibus Apoſtolicis, *Sede vacante*, & de quibus ordinarii Collatores tempore aſſumptionis ad ſummi Pontificatus apicem non diſpoſuerunt, prout fecit Paulus V. in favorem Conclaviſtarum, quem ſubſequentes Pontifices ſecuti ſunt, conſtituitque hodie hæc reſervatio *Regulam 68.*

Verum licet hæc reſervatio fiat per novam clauſulam Regulis Cancellariæ inſertam, nequaquam illa Belgium intravit, nec ſine nova in Belgio facta publicatione, prævie obtentis Litteris *Placeti* intrabit, ſeu vim ſuam exercet, eo quod Belgium novas hujuſmodi reſervationes in derogationem juris Ordinariorum non admittat.

Solet novus electus Pontifex altero aſſumptionis ſuæ die Regulas Cancellariæ edere, eaſque diebus aliquot poſt editionem Vice-Cancellarius publicare in Cancellaria.

Veriſimilius hæ Regulæ non ligant, niſi per Vice-Cancellarium publicatæ.

Quæritur, a quo tempore Regulæ Cancellariæ reviviſcant, ſeu vires recipiant, præſertim reſervatoriæ, an a die editionis Regularum, an vero a die duntaxat publicationis per Vice Cancellarium factæ in Cancellaria Apoſtolica? Plures exiſtimant, eas reviviſcere & ligare a die editionis; videturque hæc opinio in Curia Romana, utpote reſervationibus magis favens, prævalere, uti notat Gomeſius in Proœmio ad has Regulas *quæſt. 2.* ſub finem.

At veriſimiliter apparet opinio Geminiani *Conſil. 92.* qui reſpondit, eas demum *a die publicationis* factæ per Vice-Cancellarium in Cancellaria Apoſtolica reviviſcere & ligare; & per conſequens uſque ad illum diem reſervationes ceſſare.

Hanc opinionem tamquam veriſimiliorem probat quoque Thomas Zerola in praxi Epiſcopali *parte 2.* verbo *Regulæ: Ratio eſt, ait, vulgatiſſima, legem incipere obligare a die promulgationis, quæ eſt cauſa formalis Legis ſancitæ*. Zerolæ aſſentitur quoque Joannes a Choquier in Proœmio Regularum *num. 22.* & conſentire videtur Rebuffus in additionibus ad Regulas Cancellariæ in Proœmio.

In Belgio reſervationes reputantur odioſæ.

Cumque in Belgio reſervationes reputentur odioſæ, quatenus derogant juri Ordinariorum in proviſione Beneficiorum; non dubium, quin hæc poſterior opinio in praxi ſit prævalitura (*a*).

In Belgio quippe favemus Ordinariis, qui libere poterunt diſponere de Beneficiis in omni menſe uſque ad factam *publicationem*, quæ ſubinde 12. aut amplius diebus contingit poſt earum editionem.

Si ſtylum Curiæ Romanæ, & formam promulgationis harum Regularum attendamus, non tantum Regulæ reſervativæ Beneficiorum, ſed omnes generaliter *morte Pontificis* expirant. Sed generalis hæc extinctio, nec Belgii, nec Galliæ praxi congruit.

Regulæ Cancellariæ, quæ in Gallia, & Belgio pro *Legibus* ſunt receptæ, nunquam moriuntur.

Sunt enim in Gallia, & in Belgio quædam Regulæ Cancellariæ pro *Legibus* receptæ, eo quod de jure eſſent receptæ communi, & ad fraudes in Beneficiorum proviſionibus occurrentes detegendas, ac amoliendas apparerent admodum opportunæ, ut ſupra dictum eſt.

Porro ſimiles Regulæ, *ut Leges patriæ* probatæ, *perpetuæ ſunt*, neque earum efficacia amplius dependet a vigore Regularum Cancellariæ.

Ut Regula de publicandis Reſignationibus.

Hinc Rebuffus ad Regulam *de publicandis Reſignationibus*, ait: *Hæc Regula fuit recepta, & in Curia Parlamenti regiſtrata anno 1593. die 27. Auguſti, unde eſt Lex Regni effecta, ideoque per mortem Papæ non tollitur.*

Item *de infirmis reſignantibus*.

Et Molinæus eſt Regulam *de infirmis Reſignantibus*, *num.* 334. dicit: *Hæc Regula non eſt de pecuniariis & mere voluntariis, ſed concernit, & facta eſt ob bonum publicum, & ad fraudes amputandas, & ſic non moritur cum Papa: ſed ſemper viridi obſervantia manet. Cum ſatis eſt, quod apud nos hæc Regula pro juſta perpetuaque lege recepta eſt.* Idem notavit Guilielmus Noyer Conſiliarius Regius in additione ad Tractatum Perardi Caſtel de uſu Curiæ Romanæ, *pag. 37. edit. anni* 1693.

Immo etſi nonnullæ ſubinde Regulæ per Pontifices poſteriores omittantur, nihilominus quæ pro Legibus fuere receptæ, retinent Legum vigorem.

Exemplum illius habemus in Regula de *publicandis Reſignationibus*, quæ licet a tempore Gregorii XIII. e numero Regularum expungi cœperit, uſus nihilominus ejus tam in Belgio, quam in Gallia manſit invariatus, uti ſupra notavi, & fuſius oſtendi in *Jure Eccleſ. Tom. III. parte 2. ſect. 3. tit. 10. cap. 7.* alias *tit. 27. c. 6. n. 6.*

Regula *Cancellariæ* ut fidem faciat, debet ex fonte Cancellariæ, & de mandato Vice-Cancellarii eſſe deprompta.

Quia de ſtylo Curiæ Romanæ ſolent Regulæ Cancellariæ ſæpius mutari; dum Pontifices poſteriores Regulis Deceſſorum aliquid addunt, vel minuunt, conſtitutum eſt *per Regulam 26. Cancellariæ*, quod Regulæ Cancellariæ nullam fidem faciant, niſi ex fonte Cancellariæ & ex mandato Vice-Cancellarii impetrentur, & in judicio producantur.

Licet hoc in Curia Romana, & Provinciis Legibus illius Curiæ ſolitis regi, poſſit eſſe receptum, adverſatur tamen notoriæ Belgii, aliarumque Provinciarum praxi.

Cum enim in his quædam Regulæ uſu inveterato ſint receptæ, neque has novas mutationes, ſignanter in præjudicium Ordinariorum admittant, ſolent illæ in judicio adinſtar aliarum Legum receptarum allegari tamquam omnibus notæ, ut docet a Choquier ad citatam *Regulam 26.* refertque conforme Placitum Senatus Sabaudiæ ex Antonio Fabro.

Quid circa Regulas de ſtylo Curiæ Romanæ, necnon praxi harum Provinciarum obtineat, hic dicendi locus non eſt, ſed de uſitatoribus magiſque famoſis hic non Bel-

(*a*) Ubicumque ſervatur octava, vel nona Cancellariæ Regula, qua conferendorum per annum Beneficiorum ſex menſes Papæ aſſignantur, alii autem Ordinario dimittuntur, Papa ſibi non reſervat præventionem conferendorum Beneficiorum in menſibus, qui Ordinario aſſignati ſunt. Hæc Regula ſervatur in Hiſpania, in Germania, in Belgio, Franciæ ditioni non ſubjecto, in Comitatu Burgundiæ, in Epiſcopatu Metenſi, Tullenſi, Virdunenſi, in Comitatu Ruſcinonenſi, in Provincia, in Minori Britannia.

(*a*) Legatur primum Monumentum, quod reperitur in fine tomi tertii hujus Operis. Illud autem ſic inſcribitur: *Reſolutio Doctorum Lovanienſium pro Theſauraria Eccleſiæ ſancti Petri Inſulenſis*. Vide citatum *Tom. III.* hujus edit ubi extat dictum Monumentum ſub litt. A.

Belgio receptis egimus in *Jure Ecclesiastico*: hic generalia quædam principia annotasse sufficere visum est (*a*).

§. VI.

De Concilio Tridentino.

Decreta Tridentina publicata per Pium IV. 1562.

CONCILIUM Tridentinum anno 1545. sub Paulo III. inchoatum, tandem post plures interruptiones & remoras finem habuit 10. Decembris anno 1562. sub Pio IV.

Acta integra, etiam sub præcedentibus Pontificibus, in prioribus sessionibus evulgata hic Pontifex confirmavit speciali Bulla, quæ incipit *Benedictus Deus*, edita & publicata Romæ 26. Januarii 1564. mandatque omnibus Ecclesiæ Prælatis, cujuscumque status, gradus, Ordinis & dignitatis, etiamsi *Cardinalatus* honore præfulgeant, ut ejusdem Concilii Decreta & Statuta in Ecclesiis suis, civitatibus, & Diœcesibus, in judicio & extra judicium diligenter observent, & a subditis quisque suis ad quos quomodolibet pertinet, inviolabiliter faciant observari, sub pœnis a sacris Canonibus constitutis, aliisque gravioribus etiam privationis.

Hanc Bullam secuta est altera ejusdem Pontificis publicata Romæ eodem anno die 20. Julii qua declarat *Decreta omnia Concilii Tridentini ad reformationem, jusque positivum duntaxat spectantia, a Kalendis Maji proxime præteriti omnes obligare cœpisse, neque post eam diem excusationem cujusquam, quod ea ignoraverit, admittendam; atque ita auctoritate Apostolica declaramus* (*ait*) *ac definimus, & ab omnibus judicari debere mandamus atque statuimus: decernentes irritum & inane, si quid secus a quoquam, quacumque dignitate, auctoritate & potestate prædito, contingerit judicari.*

Hæ Bullæ ostendunt, enixam fuisse Pontificis voluntatem & intentionem, Decreta etiam, quæ reformationem, jusque positivum spectant, ab omnibus Christi Fidelibus esse observanda, eaque omnes & singulos adstringere; tametsi in Provinciis *more solito*, per Episcopos & Pastores non essent publicata, nec auctoritate Principis revisa & probata forent (*b*).

Hæc publicatio quantum ad Decreta *Reformationis* sufficere visa est Belgis, aliisque Cismontanis.

Verum alia fuit Belgarum, aliorumque Cismontanorum populorum opinio, qui non crediderunt, se hisce Decretis adstringi, nisi more usitato essent adinstar aliarum legum publicata ac recepta, uti ex dicendis patebit.

Philippus II. jubet ea examinari 1564.

Sub initium anni 1564. Philippus II. Rex Catholicus & Belgii Princeps significavit Margaritæ Parmensi tunc Belgii Gubernatrici, quod per Nuntium Apostolicum recepta Concilii Tridentini Decreta jussisset in suis Hispaniæ Regnis examinari, volens, idipsum & in Provinciis his fieri, ut omnibus rite examinatis, statueretur pro illorum Decretorum executione & observantia.

Margarita Parmensis scribit ad Archiepiscopum Cameracensem 1564.

Margarita, his mandatis receptis, litteras scripsit ad Archiepiscopum Cameracensem sub initium anni 1564. ut Decreta Concilii expenderet, & de modo quo in sua Diœcesi secundum jura, privilegia, ac consuetudines, hæc Decreta executioni mandari possent, sententiam suam exponeret.

Responsoria Archiepiscopi.

His litteris respondit Archiepiscopus 23. Julii ejusdem anni, re, uti asserit, communicata cum Capitulo Metropolitano, & adhibitis in consilium Theologis & Jurisperitis, celebrationem Concilii Provincialis super receptione Concilii, & publicationem Decretorum per singulas Ecclesiarum Parochias, esse quidem modos juri consentaneos; & antehac in simili re usitatos, sed magnis difficultatibus fore implicitos, nisi regia auctoritate Decreta Concilii prius probentur & admittantur.

Litteræ Margaritæ ad Episcopos, Consilia Regia, Universit. Lovan. primarias civitates, ut examinarent Decreta Reform.

Litteras quoque dedit Margarita Parmensis ad Episcopos, item ad Consilia regia, Universitatem Lovaniensem, ac Primarias Civitates, quibus in primis exponit, quod Regia Majestas significaverit, se velle, Decreta Reformationis Concilii Tridentini examinari, ac dein dicit, se eum in finem mittere exemplar impressum Decretorum dicti Concilii, eos requirens, nomine Regis, ut indilate & sine mora omnia videant & examinent, adhibitis iis, qui judicabuntur convenire, expendentes quibus mediis, dicta puncta Reformationis (Dogmata enim fidei nolebant examinari ac ulterius discuti) executioni poterunt mandari, ut uberior ex illis fructus conveniens haberi queat, habito respectu ad Regalia & præeminentias suæ Majestatis, suorumque Vassallorum, similiter & ad jura, privilegia & consuetudines Ecclesiarum & singularum Provinciarum; idque ea diligentia, quatenus saltem ad diem Sancti Jacobi 25. Julii proximum, vel citius, si possibile sit, super omnibus articulis suum remittant judicium bonis rationibus firmatum: *ut omnibus judiciis & opinionibus postmodum per vos, ait, examinatis possit Regia sua Majestas informari, ac capere resolutionem, quam convenientem judicaverit.*

Episcopi & Universitas censent ea simpliciter publicanda. Secus Consilia Regia & primariæ civitates.

Episcopi, uti & Academia Lovaniensis Decretis Concilii Tridentini nihil pene opposuerunt, eaque simpliciter publicanda responderunt.

At Consilia Regia, uti & primariæ Civitates, ad plures Reformationis articulos notas suas adjecerunt, quibus notabant, quæ in singulis articulis viderentur Juribus Regiis, suorumque Vassallorum, & privilegiis, consuetudinibusque inveteratis harum Provinciarum contrariari: judicabantque publicationem Decretorum Reformationis hisce in Provinciis non faciendam, nisi in hisce articulis, adhibita quadam moderatione, ne alias ob inveteratos Belgii mores, & recepta hactenus Patriæ jura & privilegia inversa, aut saltem concussa turbarentur omnia, omnisque speratus Concilii fructus suffocaretur.

Hæc ex ipsis Episcoporum & Conciliorum responsis patescunt, notavitque Famianus Strada de Bello Belgico *pag. 147. edit. 1653. Exquisito enim, ait, & Pastorum animarum, & excellentium per Academias virorum super promulgatione judicio, auditis præterea Senatorum Sententiis; ab his præcipue reclamatum est, suamsumque ne Concilii Decreta, quoniam capita continerent aliqua adversum Regis jura, Provinciarumque privilegia, sine eorum capitum exceptione proponerentur in Belgio.*

Has Magistratuum Regiorum, aliorumque consultationes ad Regem transmisit Margarita Parmensis Belgii Gubernatrix, ut Rex resolveret quid in hac publicatione, quam Rex sæpius & instanter urserat, his visis & perpensis fieri vellet.

Rex cupit simplicem publicationem.

Quibus receptis & examinatis, Rex respondit 25. Novembris 1564. *sibi non placere in Concilio populis proponendo quidquam excipi, ne & Romæ, urbi sermonum avidæ materies obtrectandi, & reliquis Christianis Principibus in Hispaniam intentis, occasio imitandi præberetur; nam quod de regio ac provinciali jure dicebatur, consideratum abunde fuisse, cum de Concilio eodem publicando quæsitum fuit in Hispania, in qua illæ plane difficultates existebant, quarum sicuti nulla tunc ratio habita est, sed Concilium sine ulla exceptione propositum, adhibita tamen perlevi moderatione in ejus usu, ita velle in Belgio idem factitari; eoque mitti Hispanicæ promulgationis exemplum, ut parentes imperio suo populi ad unam ubique normam pariter exigantur.* Apud Stradam *de Bello Belg. lib.* 4.

Quod post aliquam moram executioni mandatur.

Licet hæ Litteræ enixam Regis voluntatem super publicatione Decretorum Concilii Tridentini sat manifeste exprimerent, nihilominus Gubernatrix prævidens motus ejus occasione excitandos, aliquamdiu ipsam Concilii publicationem distulit, donec tandem intellexit, absolutam esse Regis intentionem, ut, non obstante demonstratione facta, Concilium simpliciter & sine ulla Decreti alicujus exceptione aut moderatione per omnes Belgii Provincias sibi subjectas more consueto publicaretur.

Hunc in finem 11. Julii 1565. datæ sunt litteræ a Gubernatrice ad Archiepiscopum Cameracensem, quibus ipsi nomine Regis injungit: *ut indilate publicet & publicari faciat Concilium Tridentinum in & per omnes Ecclesias, districtus, loca, & Regiones, sive Diœceses, ubi necesse fuerit, Decretaque omni cura, zelo, & diligentia observari curaret.*

Similiter ad alios quoque Episcopos datæ fuerunt.

Sed una per litteras ad Episcopos declaravit Gubernatrix id fieri, salvis vetustis moribus, ac juribus patriæ.

Publicatum ergo fuit Concilium sine exceptione, aut limitatione alicujus nominatim articuli; at in mandatis, quibus executio & observantia Decretorum Episcopis & Magistratibus injungebatur, declaravit Gubernatrix, mentem Regis neutiquam esse, promulgatione ista licet illimitata, derogare juribus aut vetustis moribus & privilegiis suis, vel suorum Vassallorum, prout in citatis litteris ad Archiepiscopum Cameracensem fusius exprimitur; verba Gallice expressa sunt: *Et pour ce que entre les articles dudit saint Concile il y en a aussi aucuns concernans les Regales, droits, hauteurs, & preeminences de sadite Majeste, ses Vassaux, Etats & Sujets, lesquels pour le bien & repos du pays, & pour non reculer ou retarder le fait de la sainte Religion, & eviter tout debat, contradiction & opposition, ne conviendroit de changer ou innover; Sadite Majeste entend, que en ce regard l'on se conduise comme jusques ores a ete fait, sans, comme dit est, riens y changer ou innover, & specialement en l'endroit de la jurisdiction laicale jus-*

ques

(*a*) De usu Regularum Cancellariæ Romanæ in Galliis observato legantur notæ Gallicæ, quas doctissimus Gibert confecit, ut Jus Gallicum circa has Regulas intelligeretur; hæ notæ collectæ sunt in fine tertii voluminis hujus editionis, ubi de hisce Regulis agit.

(*b*) Post Concilium Tridentinum Romæ acceptum, Venetorum Respublica prima omnium Ditionum Catholicarum observationem Decretorum Concilii Tridentini suis subditis imposuit. Eam Venetorum Reipublicæ agendi rationem fuisse summo Pontifici acceptam his testatur verbis Raynaldus ad annum 1564. *num.* 50. „ cujus (Reipublicæ) exemplum Pius IV. ad Cosmam Florentiæ „ & Senatum Ducem misit: ut eorum laudem ac Religionem „ æmularetur, necnon ad Ducem & Moderatores Reipublicæ Genuensis; ac Pontifex ipse ut grati animi argumentum erga Venetorum Rempublicam, ejusque in Apostolicam Sedem obsequia „ præberet, Palatium prope ædem D. Marci a Paulo II. Romæ „ excitatum eidem liberaliter est elargitus „.

Reipublicæ Venetorum vestigiis insistens Poloniæ Regnum Decreta Concilii Tridentini suas & Ecclesiæ & Regni leges fecit, ut asserit auctor vitæ Card. Commendonis *lib.* 2. *cap.* 11.

ques à pres usitèe, ensemble du droit de Patronage lai, avec l'Indult & droit de Nomination, en connoissance de cause en matiere possessoire de Benefices aussi des dismes possidèes & pretendeus de gens seculiers, y joint la superintendance & administration jusques à ores usitèe par loix, Magistrat & autres gens lais sut Hospitaux & autres fondations pieuses, a tous lesquels droits & autres semblables, que par ci-après vous seront, si besoin est, touchè plus parniculierement. Sa Majestè n'entend dèrogue par ledit S. Concile, ni que l'on doive changer aucune chose, non point en intention de contrevenir audit Concile, mais pour tant mieux effectuer & le metre en exècution selon la qualitè & nature d'un chacun pays & Provincie à laquelle l'exècution doit être accommodèe.

Idipsum declaravit Consiliis Regiis.

Idipsum declaravit in litteris ad Consilia Regia & Magistratus primariarum Civitatum, quibus injunxit, ut executioni Decretorum Concilii Tridentini sedulo intenderent, auxiliumque Episcopis & Pastoribus pro eorum executione præstarent, addita insuper clausula, qua significat exceptiones & articulos, quos publice quietis causa, declarat illæsos debere manere, non obstante illimitata Concilii Tridentini publicatione in ipsis Conciliorum & Magistratuum annotationibus esse petendum; expressis enim articulis, quos in litteris ad Archiepiscopum salvos volebat, adjungit in his; *plus amplement reprinses par l'advis aultres fois par vous donnè sur le faict de l'acceptation general dudit saint Concile*, id est, *fusius annotata per consultationem pridem a vobis datam super generali acceptatione dicti sancti Concilii*. Habentur hæ litteræ *part.* 2. Edictorum Flandriæ *lib.* 1. *Rubrica* 2.

Nequaquam igitur obscurum est, per dictam clausulam & moderationem reflexisse Regem ad annotationes per Consilia Regia factas, atque voluisse, ut executione in Decretorum istius Concilii cum moderatione & limitatione his annotationibus expressa, fieret, non obstante generali & illimitata ejusdem Concilii publicatione.

Id observat Bertrandus Loth.

Hinc & Bertrandus Loth in suis resolutionibus Belgicis *tract.* 2. *part.* 9. relatis annotationibus Concilii Provincialis Arthesiæ, subjungit: *Concilium Tridentinum quoad dicta puncta non fuit receptum in Arthesia.*

Et Antonius Anselmo.

Et Antonius Anselmo Jurisconsultus Antuerpiensis relatis summarie, servato ordine sessionum dicti Concilii, prædictis annotationibus concludit: „Hæc itaque „sunt illa capita Concilii Tridentini, circa quæ epi„stola Ducissæ Margaretæ Gubernatricis jussu Regis „emissa, ob publicam tranquillitatem, & ad evitandas „in Belgios turbas & varias molestias, nullam muta„tionem aut innovationem admitti mandat."

Igitur Concilium Tridentinum illimitate in Belgio fuit publicatum & admissum, salvis jam dictis restrictionibus, præcipue jura Regia & Regiorum Consiliorum ac Magistratuum, nec non privilegia & consuetudines regimen politicum & externum harum Provinciarum concernentibus.

Decreta Tridentini, quæ juribus patriæ non sunt contraria, deinceps observanda in Belgio, v. g. de ætate 14. annorum in præsentando ad Beneficium.

Decreta proinde, quæ jura illa non attingunt, hic admittenda sunt; unde licet in allegatis litteris dicatur, nihil immutandum, circa Jus Patronatus Laicorum, ideoque nec recipiendum Decretum *sess.* 25. *c.* 9. *de Reform.* in quantum Jus Patronatus Laicorum restringit; nihilominus præsentandum ad Beneficium etiam a Patrono laico debere esse 14. annorum, juxta præscriptum ejusdem Concilii *sess.* 23. *cap.* 6. *de Reform.* monet Zypæus *in Jure Novo tit. de Jure Patron. num.* 3. Quia „(ait) id ad mutationem & diminutionem Juris Pa„tronatus non spectat, sed ad qualitatem præsentan„di tantum."

Conformiter ad generalem publicationem Concilii Tridentini in Belgio, respondit Consilium Privatum Regium anno 1569. Senatui Regio Frisiæ, quod in citatum Decretum de ætate 14. annorum requisita ad quodcumque etiam simplex Beneficium deberet deinceps observari, non obstante consuetudine *immemoriali contraria*, uti refert citatus Zypæus *tit. de elect. n.* 11.

In Belgio igitur Decreta Concilii Tridentini etiam in materia disciplinæ seu Reformationis observanda sunt, & vim legis obtinent, in quantum non ostenduntur per sæpe dictam clausulam restrictivam excepta aut modificata (*a*).

In Gallia non sunt Regia auctoritate publicata. Licet in pluribus Conciliis admissa quatenus non derogant Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.

In Gallia vero hactenus Decreta illa non fuerunt auctoritate Regia probata aut publicata, quamvis Clerus Gallicanus iteratis vicibus apud Regem pro hujus Concilii receptione & publicatione institerit, uti refertur in actis Cleri Gallicani *Tom. I. tit.* 2. *c.* 1. ubi notatur, quod nihilominus in pluribus Synodis Provincialibus post Concilium Tridentinum celebratis, Decreta hujus Concilii in materia disciplinæ fuerint recepta, in quantum non derogant Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.

Sunt & plures ordinationes Regiæ, quibus præcipua Concilii Tridentini Decreta disciplinæ probantur, nulla tamen illius Concilii facta mentione, eo quod Regii Magistratus noluerint, Concilium illud in materia disciplinæ agnoscere.

Unde & in Tribunalibus Regiis, hæc Decreta non admittuntur sub nomine & auctoritate Concilii Tridentini: idque præcipue ob dissensiones, quæ intercesserunt inter Henricum II. Regem Galliæ & Julium III. Papam, sub quo celebratæ fuere sessiones 11. 12. 13. 14. 15. & 16. quibus sessionibus Episcopi aut Oratores Galliæ interesse auctoritate Regia prohibiti fuerunt. Hæc latius exposui in Tractatu *de promulgatione legum Ecclesiasticarum, & Placito Regio* (*b*).

De non receptis punctis disciplinæ in Gallia etiam videri potest *de Marca lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 6. (*c*)

§. VII.

De Synodis particularibus tam in Belgio quam in Gallia, aliisque Provinciis post Concilium Tridentinum celebratis.

Voluit Conc. Tridentinum Synodos Provinciales cogi.

IN Concilio Tridentino *sess.* 24. *c.* 2. *de Reformat.* decretum fuit, ut intra annum a fine hujus Concilii Metropolitani singuli Synodum suæ respectivæ Provinciæ sive Synodum Provincialem, deinde quolibet saltem *triennio*, cogerent.

Conformiter ad hoc Concilii Decretum, plures Episcoporum Synodi celebratæ fuere tam Provinciales quam Diœcesanæ, maxime quia & perspectum erat Episcopis, aliisque, quibus disciplinæ Ecclesiasticæ conservatio & instauratio curæ erat, quod vix aut medio, quam similium Synodorum celebrationi sperari posset executio Decretorum Concilii Tridentini in materia disciplinæ.

Synodi Belgicæ.

In hoc nostro Belgio potissimum quatuor celebratæ fuere Synodi Provinciales, tam pro executione Concilii Tridentini, quam pro restauratione Ecclesiasticæ disciplinæ, nimirum duæ Synodi Cameracesis provinciæ.

Duæ *Cameracenses*. 1565. & 1586.

Prima quidem celebrata est sub Maximiliano de Berghes, anno 1565. & altera præsidentibus Joanne Francisco Bonhomio Episcopo & Comite Vercellensi, Nuntioque Apostolico cum potestate Legati de *latere*, & Ludovico de Barlaymont Archiepiscopo & Duce Cameracensi anno 1586.

Duæ *Mechlinienses* 1570. & 1607.

Duæ similiter Synodi Provinciæ Mechliniensis, altera anno 1570. præsidente Martino Rithovio Episcopo Iprensi, tamquam seniore Comprovinciali, supplente locum Antonii Perrenotti Archiepiscopi Mechliniensis, & tituli S. Petri ad Vincula Cardinalis Granvellani, tunc Romæ agentis; altera sub Mathia Hovio Archiepiscopo Mechliniensi anno 1607.

In Gallia. 2. Rhemens. 1564. & 1583. Rothom. 1581. 2. Burdigal. 1583. & 1624. Turon. 1583. Bituric. 1584. A-

In Gallia Synodi quoque in diversis Provinciis celebratæ fuere (*d*). Undecim celebratas post Concilium Tridentinum, cum suis Decretis disciplinam Ecclesiasticam concernentibus, *Tomo XV. Concil generalium* inseruit Philippus Labbæus, scilicet duas Provinciæ Rhemensis, quarum prima anno 1564. habita est, & altera anno 1583. unam Rothomagensis Provinciæ ann. 1581. duas Provinciæ Burdigalensis, unam scilicet de anno 1583. & alteram anni 1624. unam Turonensem anni 1583. Bituricensem anni 1584. Aquensem anni 1585. Tolosanam anni 1590. Avenionensem anni 1594. Narbonensem anni 1609.

Hæ

(a) Receptum fuisse in Belgicis Provinciis Concilium Tridentinum, salvis earum Provinciarum juribus, probavit antea D. Van-Espen *Tomo IX. tractatu de Censuris cap.* 8. §. 6. observat Hadriani *lib.* 18. *pag.* 1273. offensum fuisse summum Pontificem, quod Tridentini Concilii acceptatio auctoritate Philippi Regis peracta fuisset, nulla mentione facta de summi Pontificis auctoritate, Idipsum quoque refert Thuanus *lib.* 36. *num.* 19.

In Germania Prælati ac Principes Catholici Concilii Tridentini decreta receperunt, sed salvis suarum Provinciarum, & Imperii Germanici juribus, salvo insuper concordato Germanico, quod Nicolaum V. inter & Fridericum III. peractum est.

In Comitatu Burgundiæ recepta fuisse Decreta, quæ in Concilio Tridentino de disciplina condita sunt; asserit auctor novæ Historiæ Comitatus Burgundiæ Gallico idiomate conscriptæ, idque multis probare conatur, at ejus argumenta peremptoria quibusdam non videntur.

(b) Exstat hic Tractatus *Tom. IX.* hujus editionis.

(c) Observandum tamen est majorem partem Decretorum Tridentinorum, quæ disciplinam spectant in Galliis observari, idem quoque de libro 5. Decretalium dicendum est, quamvis iste liber a Gallis receptus nunquam fuerit. Thuanus *lib.* 105. *n.* 21. refert Canones aut Decreta, quæ ab acceptando Concilio Tridentino Gallos deterruerunt. De Catholicis Anglis, qui in Regno Magnæ Britanniæ degunt, certum est, quod Tridentini Concilii decreta, quæ disciplinam spectant, ut ab eo facta nunquam receperint: attamen cum observent, quæ in Romano Rituali præscripta sunt, plurima quæ a Synodo Tridentina statuta sunt, sequuntur, qualia sunt matrimonii impedimenta. Id indicare videtur auctor operis Gallico idiomate elaborati, cujus hic est titulus. *Confèrences Ecclesiastiques sur le Mariage. Tom. I. lib.* 1. *Confèrence premiere* §. 2.

(d) Guisiani Principes cum cernerent integram Gallorum nationem adduci non posse, ut Concilii Tridentini Decreta, quæ disciplinam spectant, aceptaret, confugerunt ad Concilia Provincialia, in quibus Decreta Concilii Tridentini *per partes*, ut ajebat Cardinalis a Lotharingia, reciperentur. Huic cogitato debentur Synodi provinciales, quæ deinde in Galliis celebratæ sunt. Verum in his Synodis Decreta quidem plurima Concilii Tridentini, sed non omnia fuerunt confirmata; deinde cum vis eorum obligandi tribueretur potius auctoritati illorum Synodorum, quam auctoritati Concilii Tridentini, necesse fuit Guisianis ad primum eorum redire systema, quod eo tendebat ut Decreta Concilii Tridentini in generalibus nationis Gallorum comitiis acceptarentur, sed Guisianorum hanc in re conatus inutiles semper fuerunt.

quen. 1585. Tolofan. 1590. Aven. 1594. Narb. 1609.

Cessaffe videntur Synodi Provinciales in Gallia in Decretis difciplinæ edendis ab an. 1624.

Synodus Provincialis Mexicana 1585. & Aquilejenfis 1596.

Hæ funt Synodi Provinciales, quas Metropolitani fingularum refpective Provinciarum Regni Galliæ poft Concilium Tridentinum pro reftauratione & confervatione difciplinæ Ecclefiafticæ celebrarunt, nec fcio, an ulla Synodus Provincialis poft annum 1624. quo celebrata fuit fecunda Burdigalenfis, in Gallia habita fit, quæ aliqua Decreta ad difciplinam Ecclefiafticam pertinentia publicaverit (*a*).

Nec tantum in Belgio & Gallia crebre Synodi Provinciales pro executione Concilii Tridentini coierunt, fed in omnibus paffim orbis Catholici partibus, & quidem in citato *Tomo XV.* Conciliorum præter Aquilejenfem in Italia anni 1596. edita eft Synodus Provincialis habita anno 1585. in Mexico, quæ eft Metropolis novæ Hifpaniæ, Indiarum occidentalium, in qua plurima in omni materia edita fuere Decreta ex variis Synodis anterioribus mutuata, & in quinque libros & titulos, & §§. diftributa.

Synodi Mediolanenfes fub S. Carolo Borromeo.

Eidem Conciliorum tomo infertæ funt & fex Synodi Provinciales Mediolanenfes, habitæ fub S. Carolo Borromæo Archiepifcopo Mediolanenfi, Decretis faluberrimis, & difciplinæ Ecclefiafticæ reftaurandæ ac confervandæ accommodatiffimis refertæ.

Synodi Diœcefanæ.

Præter Synodos Provinciales habitæ fuere ab Epifcopis fuarum refpective Diœcefium Synodi Diœcefanæ feu Epifcopales, tam pro executione Concilii Tridentini, quam ut ea, quæ in Provincialibus Synodis Decreta erant, per fingulas Diœcefes promulgarentur, & quod infuper fingularum Diœcefium ftatus exigere videretur, in his Synodis fuppleretur aut declararetur.

Quis in Jure Canonico ufus Decretorum in Synodis Provincialibus & Diœcefanis?

Hæc Decreta in his Synodis ad Ecclefiafticam difciplinam reftaurandam, ac fulciendam, merito ut notabilis moderni Juris Ecclefiaftiei portio reputanda funt, utpote e quibus optima difciplinæ Ecclefiafticæ norma, præfenti Ecclefiæ ftatui accommodata, hauriri poteft; quapropter & merito expendenda per eos, quibus cura confervandæ aut reftaurandæ difciplinæ incumbit.

Ne tamen ab his aberretur, notandum, quod Synodorum Provincialium obligandi auctoritas ultra Provinciarum fingularum refpective fines fe non extendat, neque Diœcefanarum extra fines fingularum refpective Diœcefium, quemadmodum latius oftendi in *Jura Ecclef. Tom. I. parte* 1. *tit.* 18. *cap.* 4. & *tit.* 20. *cap.* 5. alias *cap.* 3.

Itaque fi vim legislativam attendamus, Decreta Synodorum particularium pro *Jure generali* affumi non poffunt; nec vim conftringendi habent extra fines Provinciæ vel Diœcefis, cujus funt Synodi.

Verum fi optimam Ecclefiafticæ difciplinæ normam in his expreffam confideremus, Decreta earum Synodorum utiliter ab omnibus leguntur, & ad regimen Ecclefiæ, morefque Fidelium, ac præfertim Clericorum formandos, difciplinamque Ecclefiafticam rite inftituendam jure merito affumuntur,

Primo quidem, quia frequens Decretorum Synodalium lectio & ftudum fingulatim proderit, quod in his Decretis avitam etiam Patrum & fanctorum Canonum difciplinam terminis nonnunquam clarioribus, & modernis temporibus accommodatioribus expreffam, nec non hodiernis abufibus & vitiis extirpandis accommodatam ftudiofus lector reperiat.

Notabile circa Decreta Laicos fpectantia.

Præterea circa Decreta fimilium Synodorum obfervandum, quod eorum quædam fint quæ bona temporalia attingunt, aut faltem externam difciplinam a Laicis obfervandam. Horum executionem difficilem admodum effe, experientia docet, difficulterque Laicis perfuafum iri, fe hifce Decretis conftringi, nifi auctoritas Regia accedat: immo ægre Magiftratus Regii publicationem Synodalium Decretorum, in fimili materia, fine prævio eorum confenfu, permittent, ne forte in his quidquam occurrat, quod juribus Regiis aut Vaffallorum præjudicet, quemadmodum notavi in *Jure Ecclef. Tom. I. part* 1. *tit.* 18. *cap.* 4. & *tit.* 20. *cap.* 6. alias *cap.* 4.

Decreta Synodi Provincialis Cameracenfis, 1586. Regia auctoritate publicata.

Quapropter Decreta Provincialis Synodi Cameracenfis, quæ 23. Octobris 1586. fuerat abfoluta, & in infigni Ecclefia Collegiata S. VValdetrudis oppidi Montis Hannoniæ, nec non a Nuntio Apoftolico, Archiepifcopo Cameracenfi, Epifcopis Comprovincialibus, & deputatis Capitulorum Tornacenfis & Audomarenfis, Sede vacante, approbata, ac fignata, quin & publicata in dicta Ecclefia Colleggiata S. VValdetrudis, demum tamen in Civitate Montenfi, in lucem prodierunt anno fequenti, eo quod *pro faciliore eorumdem executione Regiam Majeftatem Catholicam multis de caufis implorandam* duxiffet Archiepifcopus, uti ipfe fignificat in Litteris univerfo Clero & populo Provinciæ Cameracenfis anno 1587. feptimo Kalendas Octobris infcriptis.

Prius a Confilio privato examinata.

Petita itaque fuit a Principe nomine Archiepifcopi & Epifcoporum Comprovincialium confirmatio ipfius Synodi, qui examen illius commifit fuo Confilio privato, de cujus tandem advifamento prodiit edictum Regium, quo Synodi hujus executio probatur, atque pro faciliore ejufdem executione nonnulla auctoritate Regia ordinantur viginti quinque articulis comprehenfa, fpeciatim concernentia illa Synodi Decreta, quæ fine Regia auctoritate difficilem videbantur habitura executionem.

Similiter actum circa Synodum Mechlinienfem 1607.

Similiter & Synodus Mechlinienfis habita fub Mathia Hovio Archiepifcopo Mechlinienfi anno 1607. probe intellexit, plura e Synodalibus Decretis difficulter executioni mandanda, nifi Principis auctoritas accederet, uti coram Patribus Synodi fub finem ejufdem publice e fchedula declaravit prædictus Archiepifcopus Synodi Præfes, dicens: „ Rerum, de quibus hactenus hic actum „ eft, multitudo & gravitas, merito tempus extenfius „ requireret, & largius, præfertim, ait, cum de plerifque etiam fint *confulendæ Sereniffimæ Confuetudines fuæ* (Albertus & Ifabella) quarum protectione „ fperamus *faciliorum* executionem. „

Itaque nomine Archiepifcopi & Epifcoporum Comprovincialium Decreta hujus Synodi prædictis fuis Celfitudinis oblata fuere. Principes autem oblata fibi Synodi Decreta communicarunt Confiliis fuis privato & Brabantiæ (*b*).

Difcuffione ab his facta, tandem anno 1608. prodiit Edictum conftans 30. articulis pro promptiore & faciliore executione ipfius Synodi, *ad exemplum*, inquiunt, *ejus quod jampridem factum eft per gloriofæ memoriæ Philipum II.* fcilicet per allegatum Edictum ad Synodum Cameracenfem, cui & hoc Principum Edictum in multis eft conforme.

Materia paragraphi fequentis.

Cum autem binis his Edictis notabiliora aliqua Belgicæ Difciplinæ in materia Ecclefiaftica puncta contineantur, haud inutile nec ab inftituto noftro alienum judicavi, articulorum illorum fummaria & præcipua hic annectere §. fequenti.

§. VIII.

De Edictis Principum Belgii ad Synodos Cameracenfem & Mechlinienfem.

Confonantia & difcrimen inter Decreta Synodi *Cameracenfis*, *& Mechlinienfis*, & articulos Edictorum Regis.

CUM prius auctoritate Philippi II. Regis Hifpaniarum & Belgii Principis prodierit Edictum ad Synodum Cameracenfem anni 1586. primum articulos hujus Edicti exhibebimus, ac dein articulos hujus Edicti ad Synodum Mechlinienfem fubnectemus, & una, in quibus confonent aut diffentiant, annotabimus.

Articuli Camerac. de *profeffione Fidei* Pii IV. emittenda.

Tribus primis articulis Edicti ad Synodum Cameracenfem agitur de profeffione fidei emittenda ab affumendis ad Magiftratum, nec non ab omnibus Officiariis juftitiæ tam Civitatum, quam pagorum, conformiter ad Decretum Synodi *tit.* 1. *cap.* 2. quo decretum erat: „ ut fupplicetur Regiæ Majeftati, ut mandare „ idem velit de iis, qui ad gerendos Magiftratus aut „ alia officia publica, tam in urbibus, quam in pagis „ affumuntur, nempe ut in ipforum admiffione dictam „ fidei profeffionem facere teneantur, nec admittan- „ tur, nifi præhabito Paftorum fuorum de anteactæ „ vitæ Catholicæ converfatione, teftimonio „ (*c*).

Placuit Regi pro Magiftratibus & Ludimagiftris formula.

Id nihilominus hic annotandum, quod Synodus Cameracenfis rogandam duxerit fuam Regiam Majeftatem, ut tum a Magiftratibus, tum ab omnibus Ludimagiftris & Migiftraftrabus, nec non Typographis exigeretur profeffio fidei juxta formulam præfcriptam a Pio IV. id tamen nequaquam Suæ Majeftati placuiffe, fed eam voluiffe ut profeffio fidei per Magiftratus & Ludimagiftros præftaretur, juxta formulam fidei breviorem in ipfo Edicto expreffam, uti latius expofui in Tractatu *de promulgatione Legum Ecclefiafticarum, & Placeto Regio parte* 5. §. 1. extat inferius ille Tractatus *Tomo IX.* hujus editionis.

De Typographis. Bibliopolis in *Edict.* Reg.

Articulo 4. Edicti ad Synodum Cameracenfem præcipitur, fidei profeffionem emitti a Bibliopolis & Typographis, nec non Ludimagiftris ac Ludimagiftrabus, tam Scholarum *latinarum*, quam aliarum, nullis exceptis: idque

(a) Inter illas Galliarum Synodos aliæ plurima, aliæ vero pauciora Concilii Tridentini Decreta receperunt, aliæ de eo filuerunt; utendum erat hoc temperamento pro varia locorum, temporum, & perfonarum qualitate, Confulatur hac de re doctiffimus Canonifta Gibert in opere, cui titulum hunc fecit; *Corpus Juris Canonici Tom. I.* a pagina 145. ufque ad paginam 160.

(b) Licet in Synodo Mechlinienfi ftatuta, quæ difciplinam fpectant, ex Concilio Tridentino defumpta fint; ea tamen obfervanda proponuntur nomine Synodi iftius Provincialis; eadem fere agendi ratio obfervata videtur in Regum Galliæ Edictis, in quibus Canonicæ Difciplinæ executio commendatur ac præcipitur. Plurima quæ ad hanc difciplinam pertinent in Edicto Blefenfi, in Conftitutione Henrici IV. 1606. in Conftitutione Regia anno 1639. in Declaratione anno 1686. in Declaratione data 11. Junii anno 1697. plurima, inquam, leguntur, quæ a Concilio Tridentino ftatuta funt; nihilominus omiffa hujus Synodi mentione, in prædictis Edictis laudantur generatim fub nomine Conciliorum, SS. Decretorum, Canonum, & Conftitutionum Canonicarum. Quid quod eo loci non erit fuperfluum obfervare, in illis Francorum Conftitutionibus nonnihil adjectum fuiffe Tridentini difciplinæ Decretis, fed ut Franciæ nationis moribus accomodarentur hujus Concilii Canones.

(c) Quid circa Magiftratus, Medicos, & Jurifconfultos, quorum fides videtur fufpecta, in Galliis obfervari debeat, ftatutum eft declarationibus Ludovici XIV. datis 15. Junii 1682. 26. Julii 1685. 6. Augufti 1685. Edicto quod menfe Octobri an. 1685. emiffum eft, & altero, quod menfe Januario 1686. fuit fancitum.

idque in manibus Scholastici; vel ubi is deest ad manus Archipresbyteri seu Decani Christianitatis, ita tamen ut Scholarum *Latinarum* magistri eam emittant juxta formulam Pii IV.

De Typographis & Bibliopolis in Synodo *Camerac.*

Hic articulus Edicti respondet Decreto Synodi *tit.* 1. *cap.* 3. quo præterea præcipitur: *ut Typographi & Librarii & Bibliopolæ præter professionem fidei, præstent juramentum in sua admissione de non invehendis libris prohibitis, nec secreto distrabendis, & de his agatur cum Magistratibus.*

De iisdem in Synodo *Mechliniensi.*

Idipsum mandat Synodus Mechliniensis *tit.* 1. *cap.* 3. pluraque præterea addit, eodem & duobus sequentibus Capitibus, uti & Principum Edictum, quæ tunc temporis exurgens in his vicinisque Provinciis hæresis & periculum infectionis exigebant.

De Scholis puerorum in *Edicto.*

Hoc quoque Edicto ad Synodum Mechliniensem *art.* 1. statuitur nemini licitum esse, puerorum scholas aperire, nisi prævie obtenta licentia Scholastici loci, si ibi habeatur, vel alibi Decani Christianitatis, & una Primarii Officialis.

De celebrandis diebus Fest. in *Camer.*

Titulo 4. de dierum festorum cultu *cap.* 1. decreverat Synodus Cameracensis ad tollendos abusus, quibus dies festi profanabantur, ut *in singulis Ecclesiis Parochialibus singularum urbium totius Provinciæ vesperæ canantur eadem hora, & semper post prandium extra quadragesimam, impetreturque a Regia Majestate aut Magistratibus Edictum publicum, quo ante finem earum prædicta (nimirum lusus publici, potationes, aliaque similia) prohibeantur, immo exitus e portis urbium hujusmodi exercitiorum causa, tam Vesperarum quam Missæ Parochialis, & concionis tempore, omnino impediatur.*

De iisdem in *Edicto.*

Huic Decreto respondet articulus V. Edicti Regii, quo durante Missa Parochiali, Concione, & Vesperis prohibentur deambulationes in foro, aut aliis locis publicis, aut prope Ecclesiam, item introitus in popinas, lusus publici, tripudia etiam prætextu solemnitatis nuptiarum, piscationes in fluviis aut fossis, ac denique deambulationes in templo tam extra tempus Officii, quam eo durante, sub pœna arbitraria secundum qualitatem personarum, idque conformiter ad anteriora Regia Edicta de anno 1531. & 1560. ibidem reclamata (*a*).

De operibus servilibus in diebus Fest. in *Camerac.*

Eodem *t.* 4. *c.* 2. decreverat Synodus Cameracensis: *ut supplicetur eidem Regiæ Majestati pro Edicto contra aurigas, nautas, & similes, ne Dominicis & aliis festis diebus merces vehere possint, atque etiam subhastationes, quas vulgo* recours, *aut* Passemens *appellant, & multo magis mercatus, auctiones publicæ, lusus publici, choreæ etiam nuptiales, & compotationes dicto tempore Missæ & Vesperarum sub gravi pœna probibeantur.*

De iisdem in *Edicto.*

Huic Decreto respondet art. VI. Edicti, quo interdicitur aurigis & nautis, onerationes curruum aut navium, aut vecturas suas inchoare die Festo, aut Dominico, etsi qui advenerint, eos exonerare vetantur, saltem durante prædicto Officio divino (*b*).

De nundinis in diebus Festis in *Camerac.*

Petendum insuper censuit Synodus eodem Decreto, ut nundinæ etiam annuæ, & forum rerum venalium hebdomadarium, cum in diem Festum incidunt, in alium transferantur ab Episcopis cum consilio Magistratuum.

De iisdem in *Edicto.*

Huic respondet articulus VIII. Edicti, quo forum, aliique Mercatus publici hebdomadarii incidentes in diem Dominicum aut Festum jubentur transferri in alium diem.

Verum cum Synodus voluisset eam translationem fieri *ab Episcopis cum consilio Magistratuum*, Edictum voluit, eam fieri *per Magistratus cum communicatione & advisamento Episcoporum.*

Credebant Consilia Regia, hæc magis ad civilem, quam Ecclesiasticam spectare politiam; ideoque & Magistratui potius, quam Episcopis eorum ordinationem esse committendam.

Permittuntur *proclamationes* post divinum Officium.

Eodem articulo conformiter ad Decretum Synodi, vetantur fieri diebus Festis & Dominicis *publicæ subhastationes*, aut *publicæ* rerum *venditiones*: permissis tamen illis diebus *denuntiationibus* & *proclamationibus* extra templum post absolutum officium, eo quod tunc populus sit congregatus.

De opera agricolarum, molitorum, lanionum, pistorum in *Camerac.*

Petierat quoque Synodus dicto *cap.* 2. ut diebus Festis *neque permittantur agrorum cultus, aut messis, molitorum, coctorum cerevisiæ, lanionum, Pistorumque operæ, nisi ob notabilem necessitatem, cujus cognitio ad Decanum Christianitatis, vel eo absente, aut nimis procul degente, ad Pastorem loci spectabit.*

De eadem in *Edicto.*

Idipsum statuitur articulo VII. ipsius Edicti, hoc salvo, quod necessitas, ob quam operæ illæ subinde his diebus permittendæ sunt, declaranda dicatur per *Officiarium & Magistratum loci, de advisamento* Decani *Christianitatis, aut in ejus absentia Curati loci*, quia hæc rursus magis civilem, quam Ecclesiasticam politiam sapere videbantur (*c*).

Edicto ad Synodum Mechl. art. IX. mandatur Magistratibus locorum, ut si liberi mercatus, & dies fori incidant in diem Dominicum, aut diem Festum, eos haberi faciant die præcedenti aut subsequenti, conformiter ad Decretum Synodi *tit.* 13. *cap.* 4.

De obstetricibus in *Camerac.*

Compererat Synodus Cameracensis, multas obstetrices in forma, aut in materia Baptismi errare: idcirco mandat *tit.* 6. *cap.* 11. *ut nullæ mulieres deinceps ad hujus officii exercitium admittantur, nisi prius per Pastorem loci examinatæ, & si opus sit, instructæ fuerint; rogentur autem Magistratus ut inter cætera ab iisdem obstetricibus exigant juramentum, quod pueros baptizandos ante diem tertium omnino Parochis denuntiabunt.*

De iisdem in *Edicto.*

Hæc omnia art. IX. Edicti injunguntur obstetricibus, jubenturque juramentum a Synodo petitum præstare in manibus Magistratus loci.

De iisdem in *Mechliniensi.*

Hæc quoque statuuntur a Synodo Mechl. *tit.* 3. *c.* 9. hortaturque insuper, ac requirit omnes Magistratus locorum, ne quam ad obstetricandum parturientibus admittant, nisi testimonio Curati loci, ubi moratur, fidem faciat, quod *materiam formamque Baptismi probe calleat.* Huic conformis est & Edicti articulus VIII (*d*)

De alienatione tituli Ordinationis in *Camerac.*

Observatum fuit a Synodo Cameracensi, quod nonnulli ad sacros Ordines promoti, titulos ordinationis contra juramentum a se præstitum alienarent; quare præcipit *tit.* 10. *cap.* 3. ut impetretur a Regia Majestate seu Consilio Regio Edictum, quo fraudibus eorum occurratur.

De iisdem in *Edicto.*

Huic postulato satisfit art. X. Edicti, atque ad obviandum dictis fraudibus, & incommodis inde resultantibus, declarantur omnes alienationes, obligationes, hypothecationes, donationes, aut dispositiones bonorum pro titulo assignatorum, *nullæ & nullius valoris*, nisi ipsis reservatus fuerit *usus fructus* & libera utendi facultas illorum bonorum, durante vita naturali illorum, qui ad sacros Ordines titulo dictorum bonorum fuerint promoti.

Idipsum statuitur Edicto ad Synodum Mechl. art. XI. & XII. additurque ad evitandum omnem abusum, ut Patrimonialia bona in titulum ordinationis assignata, in ipso instrumento tituli specificentur.

De congrua portione Parochorum in *Camerac.*

Decreverat Synodus Cameracensis *tit.* 14. *c.* 8. ut in Parochiis, ubi decimarum assignationes, aut nullo modo, aut saltem non sufficienter fieri poterunt; neque simplicia Beneficia, quæ uniantur, erunt ad manum, ut congrua portio Parochis assignetur, tunc implorato, si opus sit, brachio sæculari, Episcopi ad tertiam (a Synodo Tridentina suggestam) collectarum viam procedent; quas de consilio Magistratus statuent & definient.

De eadem in *Edicto.*

Decreto huic respondet art. XI. Edicti, in quo agnoscit Senatus Regius, *in pluribus locis impossibile esse, præsertim in Civitatibus subvenire Parochis indigentibus de portione Canonica per assignationem Decimarum aut unionem Beneficiorum; sed necessarium esse procedere ad tertium medium, a Synodo Tridentina suggestum, scilicet ad collectas Parochianorum, quæ collecta, ait, cum fieri nequeat sine nostra auctoritate & consensu, injungimus omnibus Magistratibus, & Justitiariis, ut assistant Episcopis in recipiendo quod necessarium erit ad sustentationem Parochorum, in locis ubi ipsis per priora duo media, a Synodo Tridentina proposita, sufficienter provideri non potest, usque ad summam per hanc Synodum Metropoliticam designatam, quodque Magistratus facient per impositionem sive collectam summæ, quam Episcopi declaraverint deesse duobus prioribus mediis ad habendam sustentationem dictorum Parochorum* (*e*).

De eodem argumento in *Camerac.*

Conformis est articulus XVI. Edicti ad Synodum Mechliniensem, quo insuper Principes declarant intentionem suam esse, ut si ipsi Ordinarii essent defectuosi in assignanda portione Canonica seu competentia, Parochi recurrere poterunt ad Consilia Regia, quæ ad eorum querelas defectum hunc suppleant, præsertim interventu Fiscalis Regii, si opus sit.

In assignatione portionis Canonicæ Parochis indigentibus, quia notabilis in dies oriebatur difficultas super Decimis *Laicorum*, exponi eam voluit Synodus Cameracensis *tit.* 14. *cap.* 11. Regiæ Majestati Ecclesiarum Parochialium necessitatem & difficultatem, quam patiuntur Episcopi in dictæ portionis canonicæ assignatione, ut super eo auctoritatem suam impartiri dignetur (*f*).

De eodem in *Edicto.*

Hanc in rem articulo XII. Edicti declaratum est, quod

(*a*) Apud Gratianum *can.* 2. *dist.* 3. *de cons.* jubetur. „ ut Sacerdotum & Judicum cura impediatur, ne saltationibus ac canticis turpibus deturbentur Officia, iisque adesse cogantur laici. „

(*b*) Quæ superius in Belgio diebus Festis vetita sunt, prohibentur quoque in Gallia *art.* 23. 24. & 25. Decreti Aurelianensis, & 28. Decreti Blesensis; atque hi articuli Declaratione, quam 16. Decembris 1698. dedit Ludovicus XIV. confirmati sunt.

(*c*) Qua ratione in Galliis Festa observare teneantur Tonsores Pistores dulciarii, Pistores panis, Lanii, &c. legatur opus Gallice conscriptum *Traité de la police l.* 2. *tit.* 8. *ch.* 7. 8. & 9.

Quantum ad Messores, consulatur idem opus, *l.* 5. *tit.* 9. *ch.* 6. Quod vero spectat Molitores (Meusniers) reperitur in eodem opere, *l.* 5. *tit.* 9. *ch.* 5.

(*d*) Huic quoque conformes sunt Libri Rituales Ecclesiæ Gallicanæ.

(*e*) Quid in ea circumstantia a Galliis observari debeat, statuitur declaratione, quam Ludovicus XV. Rex dedit 4. Octobris 1726.

(*f*) Vide quæ D. Van-Espen secundum Principum Belgarum Edicta de hoc negotio disseruit *Tom. VI.* in tractatu de Jure Parochorum, &c. hujus editionis.

quod ad portionem Eccleſiarum Parochialium contribuere debebunt Decimæ, quæ aliquando fuerunt *Laicales*, reverſæque nunc ſunt ad manus Eccleſiaſticorum, cujuſcumque conditionis ſint, Feudales, aut aliæ, tamquam ad primitivam ſuam naturam reverſæ, & illæ, quæ probari ſimiliter poterunt emptæ aut alio titulo acquiſitæ per Laicos ab Eccleſia, *poſt primum Concilium Lateranenſe habitum an.* 1179. *ſub Alexandro* III. Cur hæc ſpecialis fiat reſtrictio ad Decimas poſt Concilium Lateranenſe acquiſitas a Laicis, intelligi poteſt ex dictis eam in rem in *Jure Eccleſ. Tom. III. part.* 2. *ſect.* 4. *tit.* 3. *cap.* 4. (*b*).

De audiendis Computibus Fabricarum & in Cameracen.

Voluit Synodus Cameracenſis *tit.* 15. *c.* 9. „ut fabricarum ... Eccleſiarum, necnon omnium piorum locorum computus Ordinarii in ſingulos annos per ſeipſos aut aliquem ſeu aliquos ſpecialiter ab iis deputatos (ſine præjudicio eorum, qui hactenus dictorum bonorum adminiſtrationem habuerunt) audire „non omittant.

De iiſdem in Edicto.

Ut hoc Decretum executionem habeat Edicto Regio art. XIII. decernitur: „ut auditioni computus Fabricæ „Eccleſiæ adſit, & vocetur Parochus loci, aut certe „ut Epiſcopus mittat aliquem ſuum deputatum, quan„do aliqua ex cauſa æſtimaverit expedire, modo id „ſine expenſis Fabricæ, & abſque præjudicio juris Re„gii, vel particularium Toparcharum locorum fiat “.

Et art. XIV. ſub eadem clauſula declarat, quod Parochus ex parte Epiſcopi poterit intereſſe auditioni computus Hoſpitalium, Leproſariarum, Orphanotrophiorum, Scholarum, aliorumque piorum locorum ruralium.

Plura eumdem in finem ſtatuuntur Edicto ad Synodum Mechlinienſem art. XXIII. & ſequentibus, ac ſignanter art. XXIV. vult, ut conformiter ad Edictum ad Synodum Cameracenſem, quod citat, computibus piarum Fundationum, ultra eos, qui hactenus intervenire conſueverunt, interveniat Epiſcopus, aut ejus Commiſſarius, ut ita habeatur melior directio, difficultateſque occurrentes communi deliberatione eorum, qui computibus intendunt, ſopiri queant.

An Curatus loci jure proprio computibus interveniat?

Porro hic notandum, quod Edictum ad Synodum Cameracenſem ad Computum vocet *Curatum loci*, niſi Epiſcopus alium ſuum Commiſſarium deputet, declarans tamen, quod Curatus ex parte Epiſcopi queat eſſe præſens in computibus, modo ſit ſine expenſis piarum fundationum.

Hinc conſequens apparet, quod vi hujus Edicti Curatus loci jure *proprio* his computibus non interveniat, præſertim ſi alius Epiſcopi ſpecialis Commiſſarius interveniat.

Sed quia Edictum ad Synodum Mechlinienſem Epiſcopum, ejuſve Commiſſarium ad hos computus vocat ultra illos, qui hactenus intervenire conſueverant, apparet, quod vigore hujus Edicti, *Curatus loci* jure *proprio* his computibus intervenire queat, etiam cum Epiſcopo, ejuſque Commiſſario, iis in locis, ubi ante Edictum Curatus intervenire ſolitus fuit; puta in locis, in quibus vigebant Concordata inita inter Carolum V. & Epiſcopum Leodienſem anno 1541. his concordatis *tit.* 3. *art.* 11. ad hos computus nominatim vocatur Curatus loci.

De gravato per hujuſmodi computum.

Præterea eodem Edicto ad Synodum Mechlinienſem art. XXVI. ſtatuitur, quod ſi quis prætendat ſe gravatum per deciſionem ſeu reſolutionem eorum, qui computibus interveniunt, querelam ſuam inſtituere poterit coram ſuperiore Laico judice loci, in quo ſita eſt Fundatio (*a*).

De ſcolis Dominicalibus in Cameracenſi.

Titulo 21. *cap.* 3. mandavit Synodus ut tam in omnibus civitatibus quam in pagis celebrioribus erigerentur ſcholæ Dominicales; „quia ſcholæ quotidianæ „Chriſtianæ juventutis inſtitutioni non ſufficiunt, cum „maxima puerorum pars diebus ferialibus opificium „aliquod exerceat, neque ob parentum inopiam ſcho„las frequentare poſſit, quorum tamen animæ non „minus, quam aliorum, Chriſti ſanguine redemptæ, „Chriſtiana doctrina imbui debent “.

Deinde *cap.* 4. præcipit, ut Magiſtratus, Ballivi, Majores ſeu alii locorum Præfecti pueros, tum ad dictas ſcholas, tum ad Parochi lectionem omnino compellant, parentes etiam & heros non mittentes pueros ſuos, ac miniſtros propoſitis pœnis exerceant, & rebelles etiam ſuis urbibus aut pagis expellant.

De iiſdem in Edicto.

Conſilium Regium illud Synodi Decretum valde neceſſarium exiſtimans pro pauperis juventutis inſtructione, pro faciliori ejus executione art. XV. Edicti mandavit omnibus Officiariis & Magiſtratibus Civitatum & pagorum, ut in erectione dictarum ſcholarum Epiſcopis aſſiſtant, etiam in inveniendis nummis ad id neceſſariis: quodque compellent pueros, famulos & famulas frequentare dictas ſcholas, puniendo Parentes, Heros & Heras, qui negligent mittere ſuas proles, famulos, vel ancillas indigentes inſtructione.

De iiſdem in Mechlin.

His conformia ſunt, quæ de ſcholis ſtatuit Synodus Mechlinienſis *tit.* 20. ubi quoque *cap.* 2. declarat: „ut tempore, quo juventus in ſcholis inſtituitur, a „trepudiis, & aliis inſolentiis, quibus juvenes a ſcho„lis avocentur, omnino abſtineatur “.

Conſonat & Edictum ad hanc Synodum art. XIX. cum Edicto ad Synodum Cameracenſem (*b*).

Ne juriſdictio Eccleſiaſtica & civilis ſe invicem turbent, in Camerac.

Deplorat Synodus Cameracenſis *tit.* 22. *c.* 12. *quod contingat variis modis turbari aut impediri juriſdictionem Eccleſiaſticam per Judices Laicos; ideoque ſtatuit, ut ſupplicetur ex parte hujus ſacræ Synodi Regiæ Majeſtati, ut utriuſque fori & Eccleſiaſtici & civilis indemnitati & judicum omnium quieti & ſecuritati conſulens, quod ſuum cuique eſt tribuere, & ne ſe invicem turbent aut impediant, ſua auctoritate Regia providere dignetur.*

Ac primo quidem petendum cenſet, ne in ipſas perſonas Eccleſiaſticas aliquid juris, aut de earumdem exceſſibus *cognitionem Judices Laici uſurpent aut prætendant, nec eoſdem coram ſe pro actionibus perſonalibus etiam Civilibus protrahant, ſive ſint ſæculares Clerici, ſive Capitula aut Monaſteria dictis Judicibus Eccleſiaſticis ſubjecta.*

De eodem in Edicto.

Huic poſtulato annuit Conſilium Regium art. XVI. Edicti, addita tamen hac clauſula, *niſi in caſibus, in quibus a tempore immemoriali Judices Laici id facere conſueverunt.*

Et ſi prætendant Epiſcopi, hac occaſione, Judices Laicos aliquid contra ipſorum juriſdictionem attentare, vult Edictum, ut recurſum habeant ad Regem ſeu Conſilium privatum, ut ab eo, quod juſtum eſt, decernatur (*a*).

De eodem in Camer.

Secundo petendum reſolvit Synodus eodem *cap.* 12. ne Epiſcopos aut eorum Officiales ullo pacto Judices Laici impediant, quin Clericos ſibi ſubjectos criminoſos libere capere ſeu apprehendere & incarcerare, & prout ſacri Canones dictaverint, pro modo culpæ eos punire poſſint.

In Edicto.

Huic quoque poſtulato annuit Rex eodem *art.* 16. adjecta hac moderatione, quod Eccleſiaſtici Judices non poterunt eos extrahere e domibus civium vel incolarum, qui ſunt Laici, aut ubi eſt privilegium vel conſuetudo vetans hanc extractionem; ſub his tamen non comprehenduntur tabernæ, diverſoria, & ſimilia loca, niſi & hæc ſint privilegiata adinſtar aliarum domorum civium.

De eodem in Camer.

Tertio ad manutenendam juriſdictionem Eccleſiaſticam petit eodem titulo *cap.* 13. „quod ſi Judices Ec„cleſiaſtici petunt auxilium Laicorum ad dictam ap„prehenſionem in locis juriſdictionis eorumdem facien„dam, ne exigant viſionem informationis præparato„riæ, aut ipſi de cauſa apprehenſionis cognoſcant “.

In Edicto.

Poſtulatum hoc ſine ulla reſtrictione aut moderatione probatur *art* XVII. Edicti, mandaturque Judicibus Laicis, ut Judicibus Eccleſiaſticis requirentibus auxilium pro apprehenſione ſuorum ſubditorum Eccleſiaſticorum, illud concedant, non exigendo inſpectionem informationum ſive præparatoriarum, ſive aliarum, aut cognoſcendo de cauſis apprehenſionis.

De eodem in Camer.

Quarto petiit Synodus: „ne, cum ipſi Judices Eccle„ſiaſti-

(a) Vide quæ D. Van-Eſpen ſecundum principum Belgarum Edicta de hoc negotio differuit *Tom. VI.* in tractatu de Jure Parochorum, &c. hujus editionis.

(b) Eadem fere juriſprudentia in Galliis obſervari ſolet; notandum tamen, quod ſi Curatus ex Decimis trecentas libras pro portione congrua ſibi debitas elicere non poſſet, tunc ad ſummam perficiendam conferre tenerentur, qui immunes ſunt a Decimis ſolvendis: etenim intentio eorum, qui hanc ipſis immunitatem conceſſerunt, nunquam fuit, ut ea immunitas cederet in detrimentum eorum, quæ ad vitam Curati ſuſtinendam neceſſaria ſunt. Quantum vero ad reparationem Eccleſiarum prudenter illi providit Lud. XIV. Rex *art.* 21. *Edicti*, quod menſe Aprili dedit anno 1695.

(a) Quod ſpectat fabricatum rationes apud Gallos ſancitum eſt *art.* 17. Edicti dati menſe Aprili an. 1695.

(b) Quæ eo loci deſunt circa regimen ſcolarum in Galliis agnitum, poſſunt hac nota ſuppleri, quam ex D. Gibert Canoniſta Gallo deſumpſimus his verbis; *Il y a pluſieurs pièces importantes concernant le Droit François; au ſujet des petites écoles dans la ſeconde partie des procedures des Officialités; on y voit que la principale autorité ſur les écoles réſide dans les Evêques, que d'eux elle a paſsé aux Chantres en certains lieux, & en d'autres à l'Ecolatre; que le Chantre de l'Egliſe de Paris a juriſdiction ſur toutes les écoles de la ville, du fauxbourg & de la banlieue; qu aucun ne peut tenir école ſans ſa permiſſion & ſes Lettres; qu'il eſt Juge des conteſtations que les Maitres ont entr'eux, ou avec d'autres perſonnes ſur cette matiere, qu'il a à cet effet un Promoteur & un Audotoire, c'eſt le meme que celui de l'Official; qu'il a droit de convoquer les Maitres lorſqu'il le juge à propos; qu'il tient un Synode où tous ſont obligés d'aſſiſter; qu'il peut les punir, s'ils tranſgreſſent les Reglemens qui ont eté pluſieurs fois renouvellés & autoriſés par les Archeveques & par les Arrèts du Parlement, portant que les Maitres ne ſouffriront point de filles, & les Maitreſſes de garcons dans leur écoles.*

On voit encore par les pièces que j'ai citées plus haut, que les écoles de charites ne ſont pas ſoumiſes à la juriſdiction du Chantre, mais à celle des Curés; il y a pluſieurs Arrèts qui leur adjugent ce droit, ou qui les y maintiennent. Comme les écoles des Sœurs de la Croix & celles des Religieuſes Urſulines ſont auſſi exemptes de le Juriſdiction du Chantre; le Parlement de Paris les a maintenues les unes & les autres dans cette exception. Quant aux écoles de Paroiſſe qui ſont hors de le banlieue, elles ſont ſous la juriſdiction des Curés qui n'en rendent compte qu'à leurs Evèques ou à ceux qui les viſitent en ſon nom. Les Curés de la Ville d'Amiens ont le mème droit que ceux de Paris ſur les écoles de charite; ils y ont ète maintenus contre les pretentions de l'Ecolàtre.

(a) Quod hac de re in Galliis ſervatur, habetur in Edicto 1695. art. 38.

„ siastici aliquos citaverint; qui se prætendunt exemptos, dummodo notorie tales non sint, Laici Judices cognitionem declinatoriæ exceptionis coram Judicibus Ecclesiasticis interpositæ, eisdem inhibeant, aut eam sibi usurpent, contra apertissimam utriusque Juris dispositionem, qua cautum est, ut qui ad aliquod judicium evocatus, se aliquo privilegio eximere vult, teneatur nihilominus comparere, & ibidem dictum suum privilegium allegare, & de eo fidem facere „.

In *Edicto*. Postulato huic non per omnia annuit Princeps, sed eodem articulo XVIII. ita statuit: *Si quando dicti Judices Ecclesiastici citaverint aliquos, qui se prætendunt exemptos ab eorum jurisdictione, mandat suis Consiliis & Judicibus Provinciarum, ut facta ipsis de his citationibus querela, antequam permittant immissionem in bona temporalia, aut decernant cassationem, scribant Judici Ecclesiastico, quatenus rescribat statum causæ, quæ sit materia quæstionis, & super quo titulo fundet actor cognitionem Judicis Ecclesiastici. Et si Judex Ecclesiasticus videat causam dispositam ad subjiciendum Laicum jurisdictioni Ecclesiasticæ, & quo fundamento rescribat, ut visa rescriptione, & in Consilio Regio examinata, si rationes inveniantur insufficientes, requiratur nihilominus Judex Ecclesiasticus, ut a se dimittat hanc causam sub pœna providendi per media consueta, uti & in casu non paritionis fiat; suspendendo interim, pendente hac monitione, omnem processum & sententiam.*

De eodem in *Camer.* Synodus eodem titulo *cap.* 14. statuerat, ne Judices Laici Judicibus Ecclesiasticis præcipere auderent, ut revocent suas sententias suspensionis a divinis aut excommunicationis, aut alia Decreta per ipsos lata, & eo prætextu arrestare auderent bona temporalia dictorum Judicum Ecclesiasticorum; quin potius, si dictos Judices Ecclesiasticos prætendant excessisse in suis sententiis aut Decretis ad Episcopos, aut eorumdem superiores, ii quorum interest recurrant.

In *Edicto*. Ad hoc Synodale Decretum refertur *art.* 18. Edicti, quo „ idem quod præcedenti articulo vult observari a Judicibus Laicis, priusquam decernant arrestum aut immissionem in bona temporalia Judicum Ecclesiasticorum, qua cogant eosdem revocare citationes, processus, excommunicationes, suspensiones, aliasque similes ordinationes ab ipsis emanatas „.

Rursus articulo XIX. *mandat omnibus suis Judicibus, ut exequantur, quoties requisiti fuerint, captis pignoribus, aut alias Judicum Ecclesiasticorum sententias per appellationem non suspensas, nisi Judex requisitus causam habeat prægnantem in contrarium, de qua Judicem Ecclesiasticum reddet certiorem, qui causam haud sufficientem reperiens, poterit recursum habere ad Consilium privatum.*

De eodem in *Camerac.* Hic articulus refertur ad Caput 15. Synodi sub eodem titulo, quo statutum erat: „ ut ipsas sententias Judicum Ecclesiasticorum, Judices Laici, cum requisiti fuerint, sine nova causæ cognitione exequantur, per captionem pignorum, & alias; maxime cum hodie Concilium Tridentinum vetet, ne frequens sit excommunicationis usus, & quandocumque executio realis, aut personalis fieri potest, a censuris Ecclesiasticis abstineatur „.

Quædam in materia jurisdictionis Rex sibi reservavit. Si hi articuli Edicti vel Decreta Synodalia inter se conferantur, apparebit, dicta Decreta notabilem moderationem & restrictionem per Edictum Principis accepisse; Principumque sibi Consiliisve suis reservasse auctoritatem cogendi Judices Ecclesiasticos certis quibusdam casibus sententias Decretaque sua revocandi, necnon sibi suove Consilio privato difficultates super conflictu Jurisdictionis inter Ecclesiasticum & Laicum Judicem decidendi reservaverit. De quibus videri poterunt notata sparsim in *Jure Ecclesiastico*, necnon in Tractatu de *Recursu ad Principem* (*a*).

De immunitate Eccl. in *Camerac.* Et rursus Synodus Cameracensis immunitati Ecclesiasticæ consulere volens decrevit *cap.* 17. „ ut etiam Magistratus & Præfecti Sæculares non cogant Clericos, maxime in sacris ordinationibus constitutos, qui cum Christo militare debent, ad excubias diurnas aut nocturnas, nec eorumdem bona sine consensu Ordinum Ecclesiasticorum ad aliquas contributiones obligare, & taxare præsumant, in grave detrimentum animarum suarum, & immunitatis Ecclesiasticæ „.

De eadem in *Edicto*. Huic Decreto respondet articulus XX. quo Princeps declarat, quod attinet immunitatem Ecclesiasticam se velle eam servari, in quantum convenienter fieri poterunt recurrere ad ipsum Principem, aut ad suum Consilium privatum, ut ejus ratio habeatur prout justitia exiget.

Hic rursus sibi seu Consilio privato, reservat decidendam quæstionem super immunitate Ecclesiastica exorientem.

De Tutoribus usurariis in *Camerac.* Synodus Cameracensis titulo 23. tractans de Usuris declarat *cap.* 4. Usurarios esse tutores illos & curatores pupillorum, & contra eos ut tales procedi præcipit „ qui .... patrimonii eorumdem augendi causa, seu quovis alio prætextu pecunias eorum sub certo lucro singulis annis ultra sortem recipiendo mutuo dare solent, retenta facultate repetendæ sortis, ubi ad majorem ætatem pupilli pervenerint, aut matrimonium contraxerint, aut alias ad dictorum Tutorum seu Curatorum arbitrium & voluntatem „.

De iisdem in *Edicto*. Hoc Decretum probat Edictum articulo XXI. præcipiturque omnibus Magistratibus Civitatum, & Notariis, & aliis, qui similes contractus nomine pupillorum confecerint, ut eos incontinenti, ubi per Episcopi moniti fuerint, immutent, caveantque imposterum, similes contractus admittere aut conficere sub pœna procedendi contra non mutantes, aut de novo admittentes vel conficientes, tamquam usurarios; ac insuper in omnem eventum hos contractus imposterum nullos & illicitos declarat (*a*).

De alienatione bonorum Ecclesiæ in *Edicto*. Si contingat Ecclesiasticum in tentare actionem coram Judicibus Provincialibus aut aliis Laicis in ordine ad rescissionem alicujus alienationis bonorum Ecclesiæ, vult Princeps articulo XXII. Edicti, ut Judices sequantur Canones & leges civiles sanctis Canonibus non contrarias, necnon Edicta & consuetudines hactenus observata, prout magis Ecclesiis expedire videbitur (*b*).

De recta administratione bonorum Ecclesiæ in *Cameracensi*. Synodus *titulo* 15. advertens Ecclesias præsertim Parochiales passim depauperatas ob malam bonorum temporalium administrationem plura ordinanda censuit pro recta eorum administratione, quibus tres ultimi articuli Edicti respondent.

Et in primis articulo vigesimo tertio vult, ut Judices, nullas reputent omnes alienationes, & elocationes ad longum tempus factas sine consensu Superiorum, & exacta cognitione; idque non obstante consuetudine contraria, quantum ad alienationes & similes elocationes in futurum faciendas. Insuper nullas haberi vult omnes venditiones granorum, quarum termini non expiraverint, factas viliori pretio ob anticipatam solutionem.

De eadem in *Edicto*. Tempus autem elocationis determinat art. XXIV. ut terminus ordinarius elocationis bonorum Ecclesiarum, pro elocatione domorum, villarum, & terrarum arabilium sit *novem annorum* (*c*) pratorum sex annorum, decimarum elocandarum sine terris arabilibus *trium*: quodque terminus elocationis dictarum terrarum renovari nequeat nisi elapsis sex annis dicti termini, & pratorum, post elapsos quatuor annos, ac decimarum elapsis duobus; declarans ultra præfixos terminos elocationes fieri non posse sine solemnitate in alienatione bonorum Ecclesiæ de jure requisita, quod alias similes contractus reputabuntur *nulli & invalidi*, prout eos Synodus tales declaravit.

Nil in *Mechliniensi* de conflictu jurisdictionis. Denique art. XXV. declarat, bona Ecclesiarum Parochialium, Cappellarum, & piorum locorum elocari non posse, nisi præmissa trina proclamatione, aut affixione schedularum in locis consuetis, aut sint elocata tam caro, quam passim elocantur terræ circumvicinæ similis bonitatis, idque sine receptione vini in diminutionem mercedis seu pensionis, nisi adsit consensus Superioris, sub pœna quod alias similes contractus habebuntur pro invalidis nulliusque valoris.

In Edicto ad Synodum Mechliniensem nihil occurrit, quod ad materiam aut quæstiones super conflictu jurisdictionis pertinet: quia nec Synodus quidquam de hac materia speciale decreverat, aut de usu vel imminuta jurisdictione querelam moverat.

De eadem in *Edicto*. Plura autem tam circa conservationem & alienationem bonorum, quam circa formam elocationis ejusque terminos statuta sunt in Synodo Mechliniensi *tit.* 22. renovante speciatim ea quæ in administratione bonorum Ecclesiasticorum decreverat prima Synodus Mechliniensis *anno* 1570. quæ nominatim terminos in elocatione servandos expresserat, quæ & Edictum Principum servari mandat *art.* 20. & sequentibus (*d*).

Illud in Edicto ad Synodum Mechliniensem *a.* 10. speciali-

(*a*) Exstat ille Tractatus *Tom. IX*, hujus editionis.

(*a*) Hi contractus a Tutoribus in Britannia minori fieri solent: quid de eorum valore censeri debeat, exponit Auctor operis 4. tomis comprehensi, quod sic inscribitur; *Conférences de Paris sur l'Usure*.

(*b*) In Galliis sine Regis consensu Clerus sua bona immobilia alienare non potest, id constat Edictis, quæ Carolus IX. & Henricus III. repetitis vicibus dederunt, ut Clerus Gallicanus suorum bonorum partem aliquam alienaret. *Ces alienations*, inquit recens Scriptor, *ont ete faites depuis* 1563. *jusqu'a l'annee* 1585. *elles monterent à plus d'un million de rente*.

(*c*) Extat Caroli IX. Gallorum Regis Decretum, quo prohibetur ne elocationes terrarum arabilium novem annos excedant. Decretum illud datum est mense Decembri anno 1568.

(*d*) Pauca de terminis & legibus elocationum apud Gallos observatis notare juvat. Elocationes ab iis declarantur irritæ, ubi plurimum anticipant ultimam elocationem. *Il y a plusieurs Arrêts*, inquit Canonista Gallus in suis Gallicani Cleri usibus, *qui condamnent les baux par anticipation lorsqu'on les fait tels que sont les baux des maisons, que l'on fait plus de six mois avant l'exploitation des Anciens, ou des terres labourables, lorsqu'on les fait un an & demi avant l'exploitation des Anciens*. Hac de re consuli potest duplex Arrestum; primum 16. Maji an. 1538. alterum 16. Februarii an. 1572. de hoc argumento plura dicta sunt in Jure Ecclesiastico universo *tit.* 5. *cap.* 2. & in fine tomi tertii hujus editionis *tit.* 5. *cap.* 2. *num.* 2. in observationibus Gallicis.

De cura salutis extremo supplicio afficiendorum in Edicto.

liter ,, mandatur Officiariis & Judicibus Regiis , curent, ut afficiendi *ultimo supplicio* tempestive admoneantur de his , quæ salutem eorum concernunt , eisque administretur Eucharistia , non obstante quod hactenus id moris non fuerit ,, : id decretum esse , instante Synodo patet ex *c. 6. tit. 7.* hujus Synodi , ubi ,, legitur : ultimo quoque supplicio afficiendis tempestive de sacra Eucharistia provideatur , quod ut fieri ,, jubeant, rogentur *Serenissimæ suæ Celsitudines* ". De hac disciplina dandi Eucharistiam damnatis ad mortem, videri possunt notata in *Jure Eccles. Tom. II. part. 2. sect. 1. tit. 4. cap. 2.*

Uti & in Mechliniensi.

De superstitionibus in Mechliniensi.

Hæc Synodus speciali titulo 15. egit contra superstitiones , mandavitque *Cap. 2. omnibus Judicibus Ecclesiasticis , ut in exilium mittant , vel mitti curent omnes , qui super futuris eventibus secretis responsa dant , eosque qui tales consulunt graviter puniant ; & multo gravius animadvertant in maleficos , & incantatores , & etiam omnes , qui vulgo Ægyptii vocantur .*

Et *Cap. 3.* mandat Parochis , ut *subditos suos de superstitionibus doceant , & inter cætera superstitiosum esse , expectare quemcumque in quacumque re ventum , quem res illa , nec ex sua natura , nec ex institutione divina , nec ex ordinatione vel approbatione Ecclesiæ producere potest .*

De iisdem in Edicto.

Conformiter ad hæc Synodalia Decreta mandarunt Principes art. XIII. & XIV. Edictis suis Officiariis & Magistratibus , ut procedant contra eos , qui futura & secreta prædicare tentant , etiam pœna exilii eos mulctando , renovans una Edictum de 20. Julii anni 1592. quod habetur *volum 2. edit, Flandriæ pag. 35.* multaque notanda in hac materia continet .

§. IX.

De Concordatis inter Magistratum Ecclesiasticum & Civilem .

Concordatum inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem.

CUm ante erectionem novorum Episcopatuum Belgii an. 1554. per Paulum IV. ad instantiam Philippi II. factam , Diœcesis Leodiensis se extenderet in plures ditiones tunc Carolo V. tamquam Duci Brabantiæ & Comiti Namurcensi subjectas , ac plures difficultates occasione jurisdictionis Ecclesiasticæ , quam Episcopus Leodiensis & ejus Archidiaconi , eorumque Officiales prætendunt in subditos dicti Caroli , continuo emergerent , ad fodiendas hasce quæstiones ; post varias collationes habitas inter Commissarios Caroli V. & Episcopi , ac Capituli Cathedralis Leodiensis , tandem anno 1541. conclusum fuit de consensu utriusque partis Concordatum , quod vulgo dicitur *Concordatum Brabantiæ* , eo quod præcipue spectet ditiones Brabantiæ jam pridem in spiritualibus Episcopo Leodiensi subjectas . Extat integrum in primo volumine *Edictorum Brabantiæ , l. 1. tit. 1. c. 8.*

Maxime autem versatur circa jurisdictionem Civilem & Ecclesiasticam ; per novem distinctos titulos exponens, de quibus Laici , & de quibus Ecclesiastici cognoscere debeant , item quibus casibus Clerici coram Laicis in jus vocari possint ; atque in fine additur hæc mutuæ concordiæ observandæ aptissima cautio ,, quod si super præ- ,, missis & articulis superius non decisis , dubium emer- ,, gat , aut difficultas oriatur , inter Justitiarios Princi- ,, pum talis difficultas terminari & sedari debeat mu- ,, tuis communicationibus , vel Litteris , ita quod una ,, jurisdictio aliam non turbet aut impediat ".

Hæc clausula *tit. 9. §. 29.* & *§. 31.* additur : ,, *Item pœnæ & censuræ hinc inde comminatæ & fulminatæ occasione controversiæ jurisdictionis relaxabuntur , & per istius concordiæ acceptionem sublatæ censebuntur .*

De hac clausula videri potest Zypeus de *Jure novo tit. de foro compet. nu. 25. & 27* qui & eodem tit. *n.* 48. summatim complectitur crimina , quæ in vim hujus concordati sunt mere Ecclesiasticæ cognitionis , quæ mere Civilis , ac denique quæ mixti fori sint , id est , quæ uterque Judex per præventionem vel pro qualitate personarum delinquentium punire potest .

Monet quoque idem Zypæus in notitia *Juris Belgici de jurisdictione nu. 58. Quod hæc Concordata confirmata dicantur per Paulum III. & acceptata per Episcopum Cameracensem quamvis non verbo tenus , præsertim adversus speciales concordias , & res pro se judicatas .*

Quidquid sit de hac approbatione , hoc sat constat , in Belgio jurisdictionis Laicalis & Ecclesiasticæ terminos hoc Concordato regulari ; hi forsan per particularia inter Episcopos & certas Civitates aut Provincias concordata aliter provisum sit .

De his articulis sparsim pro varietate materiæ egi in *Jure Eccles.* ibidemque notavi , quæ circa hos articulos hodie hisce in partibus observari soleant , & moderatio sensim invaluerit .

Concordata inter Episcopum Cameracensem & Magistratum Antuerpiensem.

Præter hoc Concordatum , quod vulgo dicitur *Brabantinum* , extant duo Concordata inter Episcopum Cameracensem & Magistratum Antuerpiensem , unum 13. Januarii 1490. & alterum 9. Septemb. ejusdem anni , quibus Episcopo Cameracensi privative cognitio trium Causarum , nimirum testamentariæ , contractum antemixtialium , & bonorum Ecclesiasticorum amortizatorum reservatur . Hoc jure hodie utitur Episcopus Antuerpiensis in locum Cameracensis suffectus , tametsi in Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem hæ causæ sint mixti fori , & præventioni esse locum dicatur . Consule Zypæum in *Jure novo , titulo de foro comp. nu.* 26. habentur autem dicta Concordata in citato volumine Edictorum *Lib. 1. tit. 1. cap. 5. & 6.*

Edictum Principis 29. Novemb. 1449. cujus 3. primi articuli de Interdicto Locali.

Eodem volumine Edictorum Brabantiæ *tit. 1. cap. 2.* refertur Edictum Principis de 29. Novembris 1449. provisionale , & renovatum rursus per aliud Edictum de 12. Jan. 1483. constans decem articulis , quorum tres priores concernunt effectum & formam interdicti localis per Episcopum decreti vel decernendi ob crimen vel a privata , vel a publica persona commissum , ubi plura notanda occurrunt .

4. De processu in materia adulterii.

Quartus articulus enumerat casus , quibus Officialis Episcopi queat procedere in materia adulterii vel contra mulieres , vel viros illius criminis reos .

5. In Sortilegiis.

Articulus quintus declarat , quod Curia Ecclesiastica cognoscet de sortilegiis , quæ fiunt *per invocationem malorum spirituum , vel abusum sacramentorum* , de aliis sortilegiis judices Laici cognoscent , *uti consueverunt* .

6. In materia Decimarum.

Sextus articulus attribuit Judici Ecclesiastico , cognitionem decimarum , quæ debebuntur , & notæ erunt tempore motæ quæstionis , si in solutione sit defectus : sed si quæstio sit , num fundi Decimis sint subjecti , aut quæ portio fructuum pro Decimis debeatur , Curia spiritualis non cognoscet .

Quinam autem in Galliis fructus , qui Decimam debeant ? Coquille in suis institutionibus ad Jus Gallicanum , *tom. 2. pag. 55.* arbitratur Decimam in Galliis deberi duntaxat ex frumento (*Bled*) si juris communis ratio habeatur ; Decimam autem cæterorum fructuum dependere ex locorum consuetudine ; arbitrarer tamen in Galliis solvi quoque jure communi Decimam ex vino , neque enim (credo) ullum est hujus Regni vinetum , in quo vini Decima non persolvatur .

Jam vero quomodo in Galliis , & cuinam Judici competit ut de solvendis Decimis decernat ; hæc melius non possunt exponi quam exposuit doctissimus Gibertus in Epistola , quam ad me scripsit postquam legit quid de eo argumento dixeram in *Jure Ecclesiastico universo Tom. II. part. 2. tit. 33. de Decimis & Oblationibus , cap. 9. num. 6. 7. 8.* (a).

On ne souffriroit pas non plus en France , inquit eruditus Canonista , *qu' un Equèque ou un autre Prèlat se servit des Censures pour contraindre de payer la Disme ; c' est un droit temporel en lui-meme que les Decimateurs peuvent se faire payer par d' autres voyes plus convenables ; savoir , la complainte devant le Juge sèculier* (Ordonnance de 1667. tit. 15. art. 4.) *il n' est pas permis de contraindre par censure le Collateur ordinaire a conférer , quoiqu' il s' agisse d' un droit spirituel plus que temporal . Le Concile de Trente* sess. 25. cap. 3. *justifice cette maxime par la dèfense qu' il fait d' user d' excommunication , lorsqu' il y a d' autres moyens pour ranger les contumaces à leur devoir .*

Il en est de meme de l' Extravagante seconde de sententia Excommunicationis , *qui dèfend de contraindre par l' interdit à payer des dettes temporelles , elle est de Boniface VIII. qui ne doit pas ètre suspect dans cette matiere.*

On ne peut objecter que dans la plùpart des Diocèses de France on dènonce excommuniès les dètenteurs de biens Ecclesiastiques , or les Dimes sont de cette nature .

On rèpond que lorsqu' il s' agit de ces detenteurs considèrès en gènèral , il n' y a point d' autre meilleure voye pour les faire rentrer dans leur devoir que l' excommunication par le seul fait , mais quand il est question d' un dètenteur particulier & connu , on doit se pourvoir devant le Juge Sèculier pour la saisie des fruits , & faire condemner le dètenteur à payer la Dime avec dèpens , dommages & intèrèts .

L' Ordonnance que vous citez nu. 16. (c' est toujours M. Gibert qui parle) *est de l' an. 1303. il y est ordonnè au Senèchal d' empècher que ses justiciables soient molestès par l' exaction des Dimes nouvelles , l' extrait en est rapportè dans Bochel liv. 6. tit. 8. cap. 34.*

Quant à ce que vous me dites nu. 17. touchant les procès , qui surviennent au sujet des Dimes , l' ajouterois pour la France , qu' il y a souvent des contestations entre les Ecclèsiastiques , concernant le droit des Dimes , lesquelles sont ordinairement portès devant le Juge Royal , parceque les parties se fondent sur la possession , & l' allèguent pour titre , ou au moins pour une de leurs raisons , ce qui suffit pour rendre le Juge Royal competant , & comme il juge le possessoire sur le titre , le jugement de maintenue dans la possession finit entierement la contestation .

7. De negatione sepulturæ.

Articulo septimo designanter casus , quibus deneganda sit sepultura , atque ex contextu articuli liquet , quod ob non factum testamentum , aut non emissam confessionem ab ægro in articulo mortis , subinde negaretur sepultura , quod ibidem improbatur , sed hæc denegatio sepulturæ permittitur , si defunctus intra annum ante suum decessum non fuerit confessus & communicaverit , nisi de consilio sui Pastoris Communionem distulerit .

Octa-

(a) Hæc citatio aliter habetur in nova editione ; ea hodie sic legi debet *Tom. 2. part. 2. sect. 4. tit. 2. cap. 9.* & in hac editione in IV. *Tom. III. part. 2. sect. 4. tit. 2. cap. 9.* Quomodo. & coram quo Decimæ exigendæ ?

8. De cognitione *Testamentorum.*

Octavus dat Judici Ecclesiastico cognitionem testamentorum & codicillorum Clericorum Beneficiatorum & Officiatorum in habitu clericali incedentium, nisi aliquo privilegio a jurisdictione Episcopi sint exempti, & alteri Judici Ecclesiastico subjecti. Aliorum Testamentorum cognitione penes Judices Laicos remanente.

9. Quod Promotor cadens causa, expensas non recuperabit.

Articulo nono declaratur, quod Promotor nullas expensas recuperabit, casu quo pars per ipsum conventa fuerit absoluta ab ejus impetitione sive virtute purgationis, sive alio modo.

10. De cognitione in materia *debitorum.*

Articulus decimus attribuit Judicibus Laicis cognitionem de omnibus creditis Ecclesiasticorum, de quibus constat per Litteras auctoritate *Magistratus Civilis* expeditas, vel sub signatura aut sigillo debitorum Laicorum, item de his, quæ debentur ipsi Principi ratione sui dominii, subsidiorum, aliave de causa.

De his quoque articulis sparsim egi in *Jure Eccles.* unaque exposui quid hodierna Belgii praxis circa hos articulos habeat.

Concordatum conceptum inter Episcopum Cameracensem & Hannones.

Cumque iterum circa annum 1530. quæstiones & dissidia inter Curiam Spiritualem Episcopatus Cameracensis, & status Hannoniæ recruduissent, plures rursus pro his pacificandis collationes institutæ fuere inter Commissarios utriusque partis, ac tandem anno 1541. exhibiti fuere 29. articuli a Commissariis Episcopi sub beneplacito, sive approbatione tam ipsius Episcopi quam Comitis Hannoniæ.

Inserti sunt & hi articuli dicto volumini Edictorum Brabantiæ *tit.* 1. *cap.* 3. sed cum non appareat de approbatione Episcopi Cameracensis, aut Comitis Hannoniæ, videntur hi articuli mansisse in terminis nudi projecti; neque probatur, quod hactenus vim concordati aut legis obtinuerint; & utrum in Hannoniæ partibus Episcopatui Cameracensi subjectis in Tribunalibus usu sint recepti, ignoro.

Notabile circa Collectionem *Edictorum Brabantiæ.*

Observatum porro est, quod Antonius Anselmo Voluminum illorum Collector, non satis exacte discreverit monumenta in hæc volumina congesta, sed plura non sat probata, aut hisce in partibus non recepta pro legibus Belgii obtrudat: unde quæ hisce voluminibus continentur, cum sale discretionis recipienda sunt.

§. X.

De quibusdam Principum Belgii Edictis concernentibus materiam Ecclesiasticam.

Utilitas hujusmodi Edictorum.

TAMETSI Ecclesiastico Magistratui incumbat decernere ea, quæ disciplinam Ecclesiæ, aut res Ecclesiasticas spectant, tamen nisi Principes sua auctoritate Ecclesiæ Decreta suffulciant, vix Ecclesiasticorum ordinationes effectum sortientur, præsertim si circa res temporales, aut personas laicas versentur.

Hinc frequentissimæ per omnem Europam Regum & Principum ordinationes, & Edicta in materia Ecclesiastica, quæ pro legibus observantur; & quarum notitia, non minus quam Canonum aut Decretorum Ecclesiasticorum notitia, hodie necessaria est.

Plurima Principes nostri edidere exemplo Justiniani, aliorumque.

Exemplo Justiniani, aliorumque Christianorum Principum plurima edidere Edicta Principes nostri, quibus & Disciplinam externam Ecclesiæ stabiliunt, vel certe cavent subditos suos prætextu Religionis opprimi, aut vexari, vel receptos mores temere convelli.

Præter bina Edicta, unum ad Synodum Cameracensem, & alterum ad Synodum Mechliniensem, de quibus supra § VIII. & ea quæ per modum Concordati promulgata sunt, de quibus §. præcedenti, plura Principum nostrorum edicta in materia Ecclesiastica in Belgio pro lege habentur.

Edictum 1540. in materia *Decimarum.*

In primis famosum & vulgare est Edictum Caroli V. in materia Decimarum, publicatum primum Michliniæ 1. Octobris 1520 idiomate Gallico, extatque *parte* 1. Edictorum Flandriæ *Rubrica* 12. *cap.* 1. ac dein promulgatum in Brabantia 6. Novembris ejusdem anni idiomate Flandrico, extatque *parte* 1. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 5. *cap.* 2.

Novæ Decimæ non exigantur nisi a 40. annis solvi solitæ.

Hoc Decreto statuitur per modum Edicti perpetui, quod nullæ Ecclesiasticæ personæ cujuscumque conditionis aut dignitatis fuerint, aut quacumque auctoritate utantur; uti nec Ecclesiæ vel Laicæ personæ Decimas aliquas possidentes poterunt post hac accipere, levare, exhibere, aut petere in hisce ditionibus ullas *novas* Decimas, aut alia onera, vel jura, qualiacumque & cujuscumque generis, aut naturæ bona fuerint, nisi quæ ipsi & sui prædecessores soliti fuerint recipere a *quadraginta* annis & ultra.

Cognitio de hac materia ad Consilia Regia pertinet.

Declarat ulterius quod nemo subditorum occasione prætensionis Decimarum novarum, aut quæstionis seu difficultatis super interpretatione hujus Edicti emergentis citari possit coram Judice Ecclesiastico, sed omnis super illis cognitio spectabit *ad Consilia Regia.*

Regiæ declarationes super hoc Edicto.

Cum autem plures dein quæstiones emergerent super intellectu hujus Edicti, prodierunt super iis nonnullæ declarationes Regiæ, quæ sensum Edicti determinarunt, & non secus ac ipsum Edictum vim legis hic obtinent.

Declaratio.

Prima eaque præcipua interpretatio prodiit 10. Januarii 1528. ad supplicationem Cleri Diœcesis Leodiensis sub Ducatu Brabantiæ & Comitatu Namurcensi tunc existentis, inserta citato Libro Edictorum Brabantiæ *cap.* 4. ac dein renovata ad supplicationem Cleri Comitatus Flandriæ, extatque dicta Rubrica *Edictorum Flandriæ.*

Duo præcipue his Litteris Regiis in favorem Cleri sive Decimatorum declarata fuere.

In novitate Decimarum considerandi soli fructus.

Primum, in dijudicanda *novitate* Decimarum non esse attendendos fundos, aut bona, e quibus Decimæ prætenduntur; sed *fructus* duntaxat, quorum Decimæ exiguntur.

Hinc declaratur, quod si ex certis fructibus solitæ fuerint solvi Decimæ, etiam has deberi ex fundis *noviter* ad culturam redactis, & fructus, e quibus Decimæ *solitæ* sunt solvi, producentibus. Quapropter generaliter declaratur, quod in solutione Decimarum cujuscumque generis sive realium, puta granorum, lignorum, aliorumque fructuum; sive mixtarum, ut agnorum, pullorum, &c. non sit habendus respectus, in quibus terris dicta grana, fœnum aut fructus colligantur aut crescant, nec in quibus ædificiis aut pascuis dictæ bestiæ fuerint generatæ aut enutritæ, sed solummodo si eo in loco solitæ fuerint levari similes Decimæ, licet in his fundis noviter ædificatis, aut ad culturam reductis nunquam fuerint Decimæ solutæ.

Per fructus intelligi tam animalium, quam terræ.

2. Declaravit Princeps, intentionem suam fuisse, ut Decimæ ex omnibus fructibus tam terræ, quam animalium solverentur, prout de Jure solvi debent, nisi *contraria* consuetudine 40. retro annorum ostendatur, similes fructus Decimis non fuisse subjectos.

In casu dubio de fructibus, recurrendum ad consuetudinem vicinorum locorum.

Cum autem ostendi nequeat, aliquam speciem fructuum in aliquo loco a Decimis fuisse exemptam, si in illo loco nulla similis species fructuum hactenus crevisset, vel collecta esset, vult Princeps hoc casu, recurri ad vicina loca, in quibus hæc species fructuum nasci & colligi consuevit, atque juxta consuetudinem iis in locis observatam de solutione Decimarum judicari.

Si nec in locis vicinis talis species fructuum creverit, tunc Decimæ erunt solvendæ.

Quod si nec in vicinis locis hæc species excreverit aut collecta fuerit, tunc juxta declarationem Principis „ observabitur „ quantum ad solutionem Decimarum „ dictæ novæ speciei *Jus scriptum*, & illius dispositio: „ id est, Decimæ solvi debebunt, quandoquidem ex dispositione *Juris scripti* debeantur Decimæ ex omnibus fructibus.

Omnium fructuum Decimæ solvendæ, nisi probetur consuetudo contraria 40. annorum.

Itaque juxta hanc Declarationem, Parochus, aliusve Decimarum *Jus* possidens in aliqua Parochia, fundatus est in petendis Decimis quorumcumque fructuum intra limites Parochiæ excrescentium; nisi probetur, quod consuetudine 40. & ultra retro annorum solitum fuerit ex similibus fructibus Decimas non solvi, tametsi hæc species fructuum eo loco a tanto tempore creverit & collecta fuerit, uti notavi in *Jure Ecclesiast. Tomo III. parte* 2. *sect.* 4. *tit.* 2. *cap.* 2. hujus editionis, alias *tit.* 33. ubi plura pro intellectu hujus Edicti annotavi.

De reparandis juxta usum antiq. & concordata.

Alterum etiam usitatum est Edictum seu Regulamentum provisionale Alberti & Isabellæ pro Ducatu Brabantiæ 28. Martii 1611. & pro Comitatu Flandriæ 2. Octobris 1613. pro reparandis Ecclesiis, quo statuitur, circa onus hujus reparationis, observari oportere ante omnia *antiquum usum & Concordata* particularia, si quæ sint (*a*).

His deficientibus colligantur eleemosynæ.

His vero deficientibus in primis debere in reparationem, aut etiam restaurationem novorum ædificiorum, tam Chori, quam navis impendi proventus fabricæ, in ho-

(a) Eo loci necesse est exponere jurisprudentiam, quæ circa constructionem vel reparationem Ecclesiarum in Gallia observatur; Edictum jurisdictionis a Ludovico XIV. datum anno 1695. permittit *art* 24. Episcopis novarum Parochiarum erectionem, ubi eam judicaverint necessariam, quibus Presbyteros curatos, ac etiam Vicarios præficere poterunt, atque his Ministris de victu & cultu providebunt. In articulis 21. 22. 23. complexum legatur Gallorum Jus, quod Ecclesiarum reparationem spectat. *Il n y arien*, observat recentior Canonista, *dans les Ordonnaces d' Orleans art. 21. de Blois, art. 52. de Melun art. 3. dans la réponse de Henri III. à l' art. 19. de l' Assemblée du Clergé de France de 1583. & dans l' Ordonnante de 1629. art. 30. qui ne se réduise a la disposition des articles que l' on a cité de l' édit de la jurisdiction: on y voit* primo *que les dismes Ecclésiastique sont chargées de réparations du Chœur aussi bien que des fournitures necessaires pour le service divin, à moins que les revenus de la fabrique ne soient suffisans à cet effet.* Secundo, *que cette charge passe aux dismes inféodées au défaut des dismet Ecclésiastiques.* Tertio, *les Ordonnances des Evêques, qui concernent ces réparations & ces fournitures doivent être renvoyées pour l' executions aux Parlemens, ou aux Tribunaux qui y ressortissent immédiatement, dans le ressort desquels sont situées les Eglises, dont il s' agit.* Quarto, *que les habitans de la nef, c' est à l' Evêque à les ordonner, les Magistrats des lieux appellés.* Quinto, *que les ordonnances doivent être envoyées à M. le Chancelier & aux Intendans des lieux, avec des extraits des procés verbaux sur lequels elles ont été rendues.* Sexto, *que lorsque les Béneficiers manquent à faire les reparations ausquelles leur Bénéfice les oblige, il est permis aux Parlemens & aux Parlemens & aux Baillifs qui y ressortissent immédiatement de les avertir, & leurs Supérieurs, s' acquitter de cette obligation; & s' ils ne satisfont pas à leur devoir dans le trois mois suivans, les Tribunaux pourront sur la requête des gens du Roi, faire sair jusqu' à la concurrence du tiers du revenu, pour être employé à la réparation des Eglises.*

L' Ordonnance de Blois art. 37. ordonne d' appliquer aux reparations des Eglises des lieux où le delit aura été commis, la moitié des peines pécuniaires: qui seront portees contres les Blasphemateurs.

borum autem augmentum præcipue in Ecclesiis ruralibus, volunt Principes, ut sub Missa aut concione colligantur piorum hominum eleemosynæ a Parochis aliisve concionatoribus commendandæ. Insuper truncus in Ecclesia seu locus designetur, in quem intrates, aut exeuntes ex Ecclesia eleemosynas pro sua quisque devotione in idem argumentum conferre possint.

Si necesse est, ad Decimas recurratur.

Nec his omnibus ad reparationem vel restaurationem sufficientibus, recursum haberi vult Edictum ad Decimas *Ecclesiasticas* cujuscumque naturæ sint aut conditionis feudales seu aliæ a manu mortua possessæ, vel etiam a Laicis, modo probentur acquisitæ post Concilium Lateranense III. celebratum an. 1179. sub Alexandro III. cum hac tamen moderatione, ut earumdem Decimarum proventus duorum annorum in dictam reparationem & restaurationem impendi seu exigi queant, si reparatio id requirat; sed & hoccum hac restrictione, quod duorum illorum annorum proventus levari & solvi demum debeant *sensim & successive* per sex annos proximos, de trahendo singulis annis, durante tempore sexennali, duntaxat *tertiam* partem Decimarum istius respective anni, quæ *tertia* pars spatio sex annorum, conficit *duorum* annorum integros proventus.

Tandem ad collectam.

Sed nec his tribus mediis sufficientibus procedetur ad collectam, & quotisationem Parochianorum, qui in Ecclesia Parochiali, de cujus restauratione agitur, spirituali pabulo reficiuntur, mediante tamen consensu *Octroya*, ut vocant, Principis sive ejus Senatus: de hoc Edicto plura notavi in *Jure Eccles. Tom. II. parte* 2. *sect.* 2. *tit.* 1. *cap.* 6. & *cap.* 7. hujus editionis; alias *tit.* 16. *cap.* 5.

De Amortizatione Bonorum.

Sunt & notatissima Principum nostrorum Edicta, quibus cavetur, quod nemo quocumque prætextu vel colore, quacumque de causa aut occasione possit qualemcumque rem immobilem in his Provinciis sitam, vel alio quocumque titulo alienare in usum seu favorem Monasterii, Ecclesiæ, aliorumve Corporum Ecclesiasticorum, quæ vulgo *manus mortua* dicuntur, sine expresso consensu Principis, Vassallorum & Magistratus Civitatis Metropolis, sub cujus districtu bona illa sita sunt. Insuper quod nulli Prætores, homines Feudales, Scabini, Magistratus, aliique Judices seu Officiarii ervenient, aut patientur similes venditiones, cessiones, aut permutationes in favorem *manus mortuæ* fieri, nec corpora Ecclesiastica in hæc bona *inhæredari* sive investiri. Declarantes omnem similem bonorum immobilium alienationem in eorum favorem factam nullam & sine effectu.

Ordinatio Caroli V. 1520. circa amortizationem.

Notabilis est in hanc rem Ordinatio Caroli V. per modum Edicti perpetui edita 19. Octobris anno 1520. Extatque *parte* 1. Edictorum Brabantiæ *tit.* 4. *cap.* 4. & alterum de 21. Febr. anno 1588. *parte* 1. *Edictorum Flandriæ lib.* 3, *Rubrica* 1. Et recentius de 3. Decembris, anno 1638. extatque tam *parte* 1. *Edictorum Brabantiæ tit.* 4. *lib.* 9. quam *parte* 3. *Edictorum Flandriæ lib.* 1. *Rubrica* 4.

Hoc Edicto pro exactiore præcedentium observantia injungitur omnibus harum Provinciarum subditis, tam venditoribus quam emptoribus bonorum immobilium sub juramento declarare, quod alienationes, *inhæredationes* aut *exhæredationes* suorum istorum bonorum non fiant in commodum alicujus *manus mortuæ* vel *directe* vel *indirecte*, quodque in acta inhæredationis tenebitur notitia istius.

Cæterum de hac prohibitione, & de facultate a Principe impetranda seu *amortizatione* bonorum per *manum mortuam* obtinenda latius egi in *Jure Ecclesiast. Tom. I. parte* 1. *tit.* 29. *c.* 3. & *c.* 4.

De novis Monasteriis ædificandis

Sunt & plura Principum nostrorum Edicta. quibus modus ponitur novorum Monasteriorum ædificationi, nullumque, sine Placito Regio admitti præcipitur, ac signanter Edictum Caroli V. de 19. Octobris 1520. extante, *parte* 1. *Edictorum Brabantiæ lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 4. & recentiora *parte* 3. *Edictorum Brabantiæ lib.* 1. *tit.* 10. *cap.* 6. & *seqq.* (*a*)

De Conservatoriis abrogandis.

Famosum & notabile etiam Edictum de 22. Septemb. 1500. quo in his partibus abolentur omnes *conservatoriæ*, inhibeturque sub gravibus pœnis, ne ullus cujuscumque conditionis aut Dignitatis *Conservator* posthac auctoritate *Conservatoris* utatur: extat *parte* 1. *Edict. Brab. lib.* 1. *tit.* 1, *cap.* 18. & *parte* 1. *Edict. Fland. lib.* 1. *Rubrica* 8.

Privilegium Conservatoriæ Univers. Lovan.

Post generalem hanc Conservatoriarum abrogationem, ad postulationem & expositionem hujus Universitatis Lovaniensis declaravit Princeps speciali Edicto de 21. Decembris ejusdem anni, quod non obstante præcedente Edicto abrogatorio *Conservatoriarum*, permittat ex speciali gratia Universitati seu ejus suppositis uti jurisdictione sui *Conservatoris* juxta jura & privilegia circa hoc obtenta, necnon conditiones, modificationes, & articulos per Universitatem in supplici suo libello expressa, & Edicto inserta. Habetur hoc Decretum Principis in favorem Conservatoris Academici *part.* 3. *Edict. Brab. lib.* 1. *tit.* 5. *cap* 8.

Comprehensa in voluminibus Edictorum Fland.

Plurima similia circa externam Ecclesiasticam politiam in materia tam jurisdictionis Ecclesiasticæ, quam jurium temporalium, quæ ab Ecclesiasticis prætenduntur, tum observationis festorum, administrationis proventuum fabricæ, item mensæ S. Spiritus, aliisque materiis, Principum nostrorum Edicta in quatuor voluminibus Edictorum Brabantiæ, necnon totidem voluminibus Edictorum Flandriæ continentur. Duo posteriora volumina Edict. Flandriæ primum prodierunt anno 1685. opera & industria viri amplissimi Jacobi Stalins magni Consilii Regii apud Mechlinienses Consiliarii integerrimi, qui & priori volumini exactissimum indicem omnium Edictorum octo his voluminibus contentorum contexuit, servata serie annorum & dierum, quibus singula Edicta prodierunt, ac indicatis paginis singulorum voluminum, quibus ea referuntur, necnon ad marginem annotata, idque summa cum brevitate & claritate singulorum Edictorum materia: ita ut pervolvendo hunc paucarum pagellarum indicem quis accipere queat omnium horum Edictorum aliqualem notitiam.

Quos ligant Edicta?

Verum ne quis circa auctoritatem ac vim horum Edictorum aberret: notandum, quod tametsi voluminibus comprehensa Edicta soleant præferre nomen Regis Catholici aut Principis, cui plures Belgii distinctæ Provinciæ parebant, omnia tamen & singula Edicta omnes Provincias Regi Catholico aut Principi subjectas constringere.

Licet enim Brabantia, Flandria, Hannonia, pluresque aliæ Belgicæ Provinciæ pareant uni eidemque Principi, nihilominus Provinciæ illæ manent inter se divisæ, atque uni Principi parent salvo singularum jure, diversisque sæpe legibus & moribus utuntur: neque lex a Principe uni data, alias adstringit, nisi ex his specialiter posita fuerit.

Ne ergo circa auctoritatem & vim obligandi horum Edictorum aberretur inquirendum, num Edictum, de quo agitur, sit generale & directum ad omnes Provincias; an vero duntaxat sit singulare pro una alterave Provincia, aut etiam particulari Territorio; nam pro hac diversitate, illius auctoritas magis vel minus late extenditur.

Ut vero hæc diversitas innotescat, sciaturque, quæ Edicta generalia, quæ provincialia aut particularia duntaxat sint, reflectendum est ad inscriptionem, eosque, quibus Princeps *salutem* dicat, & in epilogo executionem ipsius Edicti mandet.

Si omnibus *salutem* dicit, plerumque lex generalis est; & ad eum finem Consiliis omnium Provinciarum publicatio & executio injungi solet. Mandata vero seu Edicta Provincialia Præsidi & Consilio, Statuta denique & Privilegia iis, quos concernunt, inscribi solent, uti tradit Zypæus in *introductione ad Notitiam Juris Belgici*.

„ Solent etiam (ait ibidem Zypæus) condendis legibus Principes nostri præmittere consultationes cum suis Consiliis, juxta *l.* 8. *c. de Constit.* plerumque supremis, publicationem autem omnibus provincialibus, ut dixi, in epilogo injungere: quæ etiam antequam illa fiat, examinare solent, an Juri Patrio lex non refragetur, & post illud examen, publicationis mandatum primipilari apparitori, seu ostiario dare „.

Addit Zypæus *num.* 6. „ ea hic publicatio est semper necessaria in singulis Provinciis (quod unitæ quidem omnes sunt, salvo singularum jure, adeoque nullæ alteri subjectæ) singularumque Metropolibus, tametsi plures sint, ut in Brabantia, Lovanium, Bruxellæ, Antuerpia, Sylvaducis; in Flandria, Gandavum, Brugæ, Ipræ; aliæ alibi, ante hanc promulgationem lex non solet obligare „.

Ut igitur de extensione Edicti statuatur, inquirendum, cui inscribatur, cui illius executio mandetur, quæ Consilia Rex super eo consuluerit, & ex cujus sententia confectum; ac denique, qua forma & quo loco publicatum, ut ex his omnibus appareat, an Edictum sit reputandum generale, an Provinciale, an particulare pro certo duntaxat Territorio.

Quod porro de Edictis Principum nostrorum ex Zypæo dicitur, etiam dicendum est de similibus Principum aliorum, qui diversas, distinctasque Provincias sub suis ditionibus possident.

(a) Quod dicitur de consensu Principis necessario, ut in sua ditione erigantur nova Monasteria, id quoque dicendum est ubi erecta Monasteria abolenda sunt: ait quidem Fagnanus, Papam a Rege Gallorum rogatum fuisse, ut prohiberet, ne novitii reciperentur in his Monasteriis, in quibus Regula & institutum non observarentur; at notat alter Canonista his verbis; *Pour faire un pareil réglement, le concours des puissances étoit nécessaire, car le Roi est les Superieur des Religieux de ses Etats considérés comme citoyens, & le Pape est leur Superieur, lorsqu'on les considere comme Religieux, soit parceque la plupart sont immédiates aut saint Siége, soit parceque l'approbation des nouvelles Religions lui ayant été reservée depuis cinq siecles environ, il a acquis par ce moyen une auctorité particuliere sur les Religieux.*

APPEN-

APPENDIX PRIMA.

Leges Codicis Justinianai, necnon Novellæ ejus Constitutiones utiles sunt pro Disciplina Ecclesiastica.

Leges Justiniani ab Ecclesia probatæ.

LEges Justiniani, necnon Novellas Costitutiones de rebus Ecclesiasticis non modo Orientalis, sed & Occidentalis laudavit & recepit Ecclesia.

Testimonium S. Gregorii.

De Orientali certius & evidentius quam ut probari debeat; de Occidentali vero testis est S. Gregorius, qui Joannem Defensorem abeuntem in Hispaniam monens, quid sequi debeat in causa sibi delegata, eum ad Novellam 123. Justiniani remittit; „ De persona Presbyteri, „ ait *lib.* 11. *Epist.* 57. hoc attendendum est, quia si „ quam causam habuit, non ab alio teneri, sed Episcopus ipsius adiri debuit; sicut Novella Constitutio „ manifestat, quæ loquitur de sanctissimis & Deo amabilibus ac Reverendissimis Episcopis, Clericis & Monachis. Imperator Justinianus Augustus, Petro gloriosissimo Præfecto Prætorio. Si quis contra aliquem „ Clericum „ &c.

Joannis VIII. Papæ.

Et Joannes VIII. monens Episcopos, ne quem non probata causa excommunicent, ita scribit: „ Insuper nostro Apostolatui intimavit (Bickbertinus) ut eum „ sine ratione discussa, excommunicare vultis. Quapropter Apostolica auctoritate jubemus, ut nemo vestrum eum excommunicet, antequam ad legis examen perveniat. Scitote quemadmodum in centesimo „ Capitulo Concilii Africani legitur; similiter in *secundo Novellarum Justiniani Libro*, ut nemo Episcopus „ aut Presbyter aliquem axcommunicet, antequam causa probetur „.

Hincmari Rhemensis.

Tertio id constat ex Hincmaro in Opusculo *cap.* 17. Sed & „ leges Romanæ, inquit, ab Imperatore Justiniano promulgatæ, quas probat Ecclesia, decernunt „ de Episcoporum sine Metropolitani sui auctoritate, „ perfectione „ &c.

Ivonis Carnutensis.

Denique Ivo Carnutensis *Epist.* 280. idem testatur: „ Dicunt instituta legum Novellarum, quas commendat „ & servat Romana Ecclesia „ &c.

Et quid plura? Nunquam Ecclesia respuit leges Imperatorum & Principum exteriorem Ecclesiæ disciplinam concernentes, nisi inveniantur Evangelicæ, aut Canonicæ sanctioni contrariari, *dist.* 10. *Can.* 1.

Porro leges Justinianæas his minime contrariari; sed potius Canonum & pristinæ Patrum Disciplinæ synopsim sive epitomen continere, earum diligens scrutator agnoscet.

Primum exemplum.

Pauca illius e multis accipe specimina.

In *L.* 31. *Cod. de Episcopis & Clericis*, hæc habes. „ Nemo gradum Sacerdotii pretii venalitate mercetur, „ quantum quisque mereatur, non quantum dare sufficiat, æstimetur. Profecto enim quis locus tutus, „ & quæ causa esse poterit excusata, si veneranda „ Dei templa pecuniis expugnentur? Quem murum „ integritatis aut vallem fidei providebimus, si auri „ sacra fames in penetralia veneranda proserpat? Quid „ denique cautum esse poterit aut securum, si Sanctitas „ incorrupta corrumpatur? Cesset Altaribus imminere „ profanus ardor avaritiæ, & a sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque castus & humilis „ nostris temporibus eligatur Episcopus: ut quocumque „ locorum pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate „ purificet. Nec pretio, sed precibus ordinetur Antistes; tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, „ sola illi suffragetur necessitas excusandi „.

Secundum exemplum.

An quid sanctius aut Patrum disciplinæ coformius exprimi posset; an quidquam in sacris Canonibus utilius inveniri?

Et in *l.* 42. *Cod. eod. tit.* volens, ut in eligendis ac ordinandis Episcopis meritorum ratio duntaxat habeatur, hanc præclaram subjungit sententiam: „ Si enim „ sancti & gloriosi Apostoli Sacerdotium a Domino „ Christo Deo consecuti, & qui bonis omnibus terram „ repleverunt, & ejus doctrinam omnibus impartiti „ sunt, neque ipsi vitæ suæ, quam in hoc mundo degebant, salutis nostræ causa perceperunt: quomodo „ æquum non fuerit, ut qui subingrediuntur eorum „ ordinem, & instituuntur sanctissimarum Ecclesiarum „ Sacerdotes, purum habeant propositum, & pecunias „ contemnant, omnemque vitam suam ad clementissimum applicent Deum „.

Tertium.

Deinde §. 1. ejusdem legis declarans convenire hujusmodi in Episcopum eligi & ordinari, quibus nec liberi sunt, nec nepotes, hanc præclaram & admodum notandam rationem reddit: „ Etenim vix fieri potest, „ ut vacans hujus quotidianæ vitæ curis, quas liberi „ creant parenti maximas, omne studium, omnemque „ cogitationem circa divinam liturgiam & res Ecclesiasticas consumant. Nam cum quidam, summa in „ Deum spe, & ut animæ eorum salvæ fiant, ad sanctissimas adcurrant Ecclesias, & eis omnes suas facultates adferant & derelinquant, ut in pauperes & „ egentes, & alios pios usus consumantur: indecens „ est Episcopos in suum illas auferre lucrum, aut in „ propriam sobolem & cognatos impendere „.

Volumine integro opus esset, si his non impares in legibus Codicis Justinianæi, præsertim sub titulis *De Sacrosanctis Ecclesiis*, item *de Episcopis & Clericis*, *de Episcopali Audientia*, & aliquot sequentibus præclarissimas pro Ecclesiastica disciplina contentas sententias referre vellem.

Novelæ Justinianææ disciplinam in multis exhibent.

Novellæ iterum Justinianææ promptuarium disciplinæ Ecclesiasticæ vocari merentur; atque inter reliquas legi meretur Novella tertia & quinta, quæ *de Monachis* inscribitur, plerasque Monasticæ Institutionis regulas breviter complectens: observatuque dignum, quod capite 2. præcipit, Monasterio aggregari petentes a Monasteriorum Præsulibus non prompte mox habitum Monachalem percipere; sed per triennium totum tolerare, nondum habitum Monachalem promerentes: „ sed tonsura, inquit, & veste eorum, qui Laici vocantur, „ uti, & manere divina addiscentes eloquia; & Reverendissimos eorum Abbates requirere eos, sive liberi „ sint, sive servi, & unde eis desiderium vitæ singularis accesserit: & discentes ab eis, quia nulla maligna occasio ad hoc eos adduxit, habere eos inter „ eos, qui adhuc docentur atque monentur; & experimento percipere eorum tolerantiam & honestatem, „ non enim facilis est vitæ mutatio, sed cum animæ „ fit labore „.

Quid amplius in Patrum Regulis aut sacris Canonibus a Monasteriorum Superioribus quoad Novitiorum instructionem & probationem requiritur?

His adde Novellam sextam in tres partes divisam; quarum prima qualitates ordinandi Episcopum exponit; secunda de Clericis quales eligendi sint, tractat; tertia de expensis Ecclesiarum & Clericorum multitudine non facienda.

Verum de his amplissime, & totius quodammodo disciplinæ compendium complectendo, disserit Novella 123. de *SS. Episcopis & Deo amabilibus & Reverendissimis Clericis & Monachis*: per 45. capita quidquid ad hanc materiam fere spectat exponens.

Et in Novella 137. *de Ordinatione Episcoporum & Clericorum*, per sex capita tractatur.

Hæ itaque quinque Novellæ etiam solæ, si attente legantur, disciplinæ Ecclesiasticæ assequendæ non parum proderunt.

§. II.

Aliqua notanda pro assequenda perfecta Canonum & Decretalium notitia.

PRo assequenda perfecta Canonum notitia, eorumque genuino sensu, conveniens esse, inspicere textum originalem ipsorum Canonum sive Græcum, sive Latinum sæpius in scholiis monui, & ostendi; quin & varias Canonum versiones nonnunquam subsidio esse ad sincerum Canonis sensum assequendum reipsa demonstravi; præsertim in notis ad Canones Sardicenses.

Recurrendum ad fontes Decretalium.

Ulterius *parte* 9. *cap.* 1. §. 4. 5. & 6. ex professo probavi, pro notitia Decretalium Gregorii IX. utile, immo pene necessarium esse, non tantum ad pristinas Decretalium collectiones (e quibus Raymundus pro majore parte hanc Decretalium collectionem desumpsit) sed etiam ad harum Decretalium fontes recurrere; atque ex iis earum sensum accipere. Ultra hæc, sunt quæ plurimum Canonum perfectam notitiam facilitare possunt; & sine quibus a vero eorum sensu facile aberrari contingit.

Quid occasionem dederit Canoni?

Primum, ut sciatur quid condendo Canoni occasionem dederit; v. g. quis esset, & in quo versaretur abusus, quem per Canonem eliminatum voluere Patres; quis error, cui Canon opponitur, in quo potissimum quæstio, aut dubium per Canonem determinatum versaretur, aliaque similia: quæ si una cum contextu Canonis expendantur; mirum! quantum lucis sæpius ipsis Canonibus adferant.

Horum probationem si quis expetat, tantum relegat hæc scholia nostra ad Canones, & frequentissime sensum Canonum horum subsidio acceptum reperiet; eorumque defectu non raro a vero sensu ab aliquibus fuisse deflexum.

Casus & quæstionis status per Decretales recisus.

Cum autem Decretales, præsertim in collectione Gregorii IX. magna ex parte desumptæ sint ex Epistolis Romanorum Pontificum, signanter Alexandri III, & In-

& Innocentii III. & Honorii III. quibus interrogati responderunt ad difficultates & quæstiones sibi propositas, nemini dubium esse potest, quin consequendo Decretali sensui admodum conveniens sit, statum controversiæ, & quæstionis propositæ, omnesque ejus circumstantias, ejusque occasionem novisse.

Historiarum notitia plurimum conducit.

Hæc vero cum interdum neque ex Decretali, neque ex integra Pontificis Epistola haberi queant, sed ex historicis illius temporis haurienda sint, recte monet Clarissimus Florens in Oratione *de recta juris discendi ratione*, pro consummata Juris Canonici scientia historiarum Ecclesiarum, præsertim Occidentalium notitiam esse pene necessariam: „ quæ, ait, non ex vulgatis „ & futilibus quibusque, sed ex æqualibus & coætaneis „ repetenda est „.

Quam hæc Florentis observatio vera sit, intelliget & persuadebitur, qui eruditissimos viri hujus ad Decretales Commentarios pervolverit; de quibus plura dicendi dissertatione sequenti occasio dabitur: uti de aliis nonnullis, qui eodem subsidio usi sunt.

Vocum variata significatio utilis pro Canonum intellectu.

Alterum pro assequenda perfecta atque accurata Canonum ac Juris Canonici notitia nonmodo conveniens, sed pene necessarium est scientia variatæ vocum & verborum, pro diversitate temporum & locorum, significationis.

Quis enim nescit, uno tempore aut loco ... esse vocum verborumque significationem, quam altero tempore & loco? Adeo ut qui ea in una eademque significatione semper & ubique acciperet, frequenter a mente loquentium, & verba illa usurpantium procul aberraret.

Declaratur exemplis.

Exempli gratia multis sæculis obtinuit, ut *Parœcia* sive *parochia*, quæ hodie districtum significat, uni Presbytero, quem Parochum dicimus, commissum, significaret integrum Episcoporum districtum, quem nunc *Diœcesim* dicimus. *Diœcesis autem* pro districtu plurium Provinciarum Ecclesiasticarum acciperetur; uti in scholiis ad Canones non semel notavi.

Notum quoque est, quatuor ut minus primis sæculis nomen *Sacerdotis*, quod hodie *Presbyterum* significat, pro *Episcopo* usurpatum; & pro Presbytero nonnisi cum addita clausula, *secundi Ordinis*.

Nomen *Papæ*, quod soli Pontifice Romano hodie tribuitur, olim promiscue Episcopis tributum fuisse, quis ignorat?

Quam diversa fuerit *Communionis*, *Viatici*, *Missæ*, aliorumque similium vocabulorum ab hodierna significatione, apud Veteres acceptio, quis ignorat?

Primates apud Veteres ubique pene dicebantur Episcopi, qui Metropoli civitati præsidebant, quos hodie *Metropolitanos* dicimus: ac in Africa aliter se res habebat. Is enim *Primas* apud Africanos dicebatur, qui ordinationis tempore collegas suos anteibat; quem propterea & *Senem* vocabant.

Si quis hæc aliaque fere infinita vocabula, quæ pristinam suam aut particularem significationem mutarunt, in pristinis Patrum Canonibus aut scriptis accipiat in ea significatione, quam modo obtinent, mirum! quam procul a mente & sententia Canonum & Scriptorum sæpius sit recessurus.

Plurima quoque & in Decretalibus similia vocabula, quæ vel nomenclaturam mutavere vel prorsus obsoleta sunt, occurrunt; ut nisi quis prius de Verborum significatione nonnihil sit instructus, frequenter vel circa Decretalium sensum hærebit vel cespitabit.

A titulis *de verborum significatione* studium juris inchoandum.

De hac re persuasi tum Legum, tum Canonum & Decretalium interpretes, passim suadent Jurium Candidatis, ut a titulis de *Verborum significatione* studium Juris incipiant.


Qui potissimum pro hac materia consulendi?

Cæterum pro eorum verborum intellectu, quæ seu in Canonibus, seu Decretalibus obscura, & in varia significatione occurrunt, utiliter legi possunt Virorum eruditorum observationes, notæ, vel glossaria, quibus obscuriorum aut obsoletorum verborum significationem inquirunt & exponunt: ut sunt Libri duo observationum Gabrielis Albaspinæi Episcopi Aurelianensis, ejusque in varios Canones annotationes; Francisci Pithæi in Legem Salicam, ac Libros Capitularium Glossarium; Jacobi Sirmondi in eosdem Libros, necnon in plures Canones notæ. Item Hieronymi Bignonii in Legem Salicam, & formulas Marculfi Monachi observationes; quæ cum Glossario Pithæi & notis Sirmondi ad Libros Capitularium extant in tomo 2. Capitularium editionis Stephani Baluzii; ejus quoque in Libros Capitularium eruditæ notæ non parum huic vocum obscuritati lucis adferre possunt.

His addi possunt Libri quinque observationum Innocentii Cironii, in quibus pene omnia obscuriora & obsoleta vocabula in Decretalibus occurrentia breviter exponit. Habentur hi observationum Libri una cum quinta Decretalium Collectione ab ipso primum typis evulgata (de qua supra *parte* 8. *cap.* 3.) & ejus paratitlis in quinque Libros Decretalium in uno volumine edito Tolosæ anno 1645.

Plurima sunt aliorum erudita Lexica & Glossaria, quæ eidem argumento servire possent: sed unum pro omnibus sufficere posse videtur, nimirum instructissimum ac eruditissimum Glossarium *ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis, in quo Latina vocabula novatæ significationis, aut usus rarioris, barbara & exotica explicantur, eorum notiones & originationes reteguntur*, Auctore Carolo Du-Fresne, Domino Du-Cange Regi a Consiliis, & apud Ambianos Quæstore, tribus voluminibus distinctum.

Quo opere, in hoc argumenti genere, non credo unquam aut eruditius aut absolutius aliquid prodiisse.



DISSERTATIO ULTIMA.

De Interpretibus seu Commentatoribus Canonum & Decretalium.

§. I.

De Interpretibus Canonum.

Apud Latinos aliquot sæculis pauci Canonistæ, plures apud Græcos.

POSTQUAM sæculo XII. incepit Decretalium usus, non parum apud Latinos cœpit flaccescere Sacrorum Canonum studium, uti advertit Petrus de Marca *lib.* 3. *cap.* 7. *de Concord. Sacerdotii & Imperii*: „ quod, „ ait, ab Auctore Librorum de *Hierarchia subcælesti* „ hæc verba expressit anno 1446. *In Ecclesia Græca multi sunt Canonistæ, id est, scientes Canones Universalium & generalium Conciliorum, in Latina nulli sunt Canonistæ, sed multi Decretalistæ.*

Id forsan suo tempore vere dixit auctor ille, at hoc nostro sæculo etiam inter Latinos, Canonistas, id est, scientes Canones Conciliorum plurimos esse, eorum sane erudita Commentaria plus satis evincunt: quæ mox indicabimus, si prius Græcorum aliquot celebriores notaverimus.

Joannes Zonaras.

Joannes Zonaras Vir in Imperio sæculo XII. clarissimus omnibus sæculi dignitatibus nuntium remisit, & Monachus factus, præter Historiam, Commentarios amplissimos scripsit in omnes Canones & Patrum Epistolas, qui codicem Græcorum (de quo *parte* 3. *c.* 3. egimus) conficiunt.

Magnæ apud Græcos fuisse hos Canonum Commentarios auctoritatis satis notum est: & qui eos pervolverit, inficiari haud poterit, multa eruditione, ac utilissimis reflexionibus, & documentis esse refertos.

Theodori Balsamonis Commentarii.

Alter apud Græcos admodum celebris & nominatus Canonista fuit Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus, qui præter alia plura Juris opera *scripsit illud, quod inscripsit*: *Expositio sacrorum divinorum Canonum sanctorum celebratissimorum Apostolorum, & Sacrorum OEcumenicorum atque etiam Provincialium sive particularium Conciliorum, reliquorumque sanctorum Patrum*: id est uno verbo, omnium Conciliorum & Patrum, quorum Canones in Codice Græcorum comprehenduntur.

Judicium Gentiani Herveti de his commentariis.

Hos Balsamonis Commentarios magno in pretio apud Græcos fuisse haud probari debet; de illis autem ita loquitur Vir in re Canonica versatissimus Gentianus Hervetus in Epistola ad Joannem Tullium Episcopum Briocensem: Canonibus Patrum magnam affert lucem „ Theodori Balsamonis interpretatio, quæ & Impera- „ torum Leges explicat Ecclesiasticas, & nihil omittit „ in Canonibus, quod non exacte & accurate expen- „ dat. Atque in hoc quidem opere laudando non vi- „ deo, pergit Hervetus, opus esse, ut diutius immo- „ rer, cum in eo legendo sit ejus utilitas per se omni „ ex parte se satis ostensura.

Diversus scopus Balsamonis & Zonaræ.

Porro licet super iisdem Canonibus sint Zonaræ ac Balsamonis Commentarii, tamen in his scholiis componendis aliud fuit Balsamonis, aliud Zonaræ propositum.

„ Balsamon enim Civilis æque ac Canonici Juris „ consultissimus, inquit Guillelmus Beveregius in pro- „ legomenis ad Codicem Græcorum §. 23. utriusque „ concordiam prosequitur, apparentes discrepantias „ componit, & Canonicas quæstiones a se motas mul- „ toties solvit. At Zonaras e contra ipsis Canonum „ verbis, & sensui interpretandis stricte adhæret, raro „ admodum ad civiles Leges digrediens. Hinc fit, „ quod Balsamon totum Zonaræ commentarium toti- „ dem nonnunquam verbis transcribat; superfluum ni- „ mirum judicans, alia Zonaræ dictis addere, cum ni- „ hil in tali Canone occurrat, de quo ex legibus po- „ liticis & Imperialibus Constitutionibus disputatio in- „ stituatur, hoc est, nihil quod ad suum propositum „ pertineat ".

Præferendi commentarii Zonaræ.

Et quidem ob hanc Canonum & Legum mixturam, scholia Balsamonis & longiora, & non raro obscuriora sunt,

sunt, quam scholia Zonaræ: unde & Canonum studioso hæc præ illis utiliora videntur (a).

Aristenus. Sub idem pene tempus floruit Alexius Aristenus; cujus magna cum laude meminit ipse Balsamon in scholiis Canonis 6. Apostolici, & Canonis 37. Trullani; vocans eum *incomparabilem Dominum, & magnum OEconomum*.

Notæ Guilielmi Beveregii. Scripsit hic non quidem Canonum synopsim, ut quidam crediderunt, sed eruditas in eam synopsim annotationes; quas una cum prædictis Balsamonis & Zonaræ commentariis, ac ipso integro Græcorum Codice & Latine typis elegantissimis evulgavit Guillelmus Beveregius Presbyter Ecclesiæ Anglicanæ, & recensuit ad veteres Codices manuscriptos; nec non eruditis, & copiosis annotationibus illustravit.

Quædam notanda circa prædictos Auctores. Opus sane erudita admodum Canonum explanatione, ac totius Ecclesiasticæ disciplinæ expositione refertum, lectuque dignissimum. Hoc unum tamen notandum, hos omnes Canonum Interpretes, cum ab Ecclesia Romana schismate essent divulsi, circa disciplinam & praxim Ecclesiæ Romanæ, & Pontificis Romani Primatum interdum minus æquos esse; ut in scholiis ad Canones interdum notavimus; & de Balsamone singulariter observat Baronius ad annum 1191. ibidem rationem assignans, quæ Balsamonis ab Ecclesia Latina aversionem auxit; ut propterea in ejus scriptis amplius, quam aliorum alienatio ab Ecclesia Latina se ostentet.

§. II.

De Latinis Canonum Interpretibus.

INTER Latinos tum hoc, tum præterito sæculo plures claruere, non Decretalium duntaxat, sed & Sacrorum Canonum doctissimi ac solidissimi Interpretes.

Antonius Augustinus. Claruit in primis sæculo XVI. nominatissimus, & in re Canonica exercitatissimus Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis; qui inter alia edidit *epitomen Juris Pontificii veteris* in tres partes divisam; quarum prima de personis, secunda de rebus, & tertia de judiciis fusissime, adductis Conciliorum, ac Pontificum, & SS. Patrum sententiis, discurrit; hoc unum dolendum, quod falsas illas Isidorianas merces cæteris immisceat.

Edita est hæc epitome Parisiis anno 1641. in qua editione post primam operis partem extat ejusdem Antonii Augustini *de quibusdam veteribus Canonum Ecclesiasticorum Collectionibus judicium ac censura*, opus non inutile, quo & in hoc tractatu interdum usi sumus (b).

Accedunt huic editioni Canones seu Libri tres pœnitentiales; nimirum Pœnitentiale Romanum, Bedæ Presbyteri, & Rabani Mauri Archiepiscopi Moguntinensis, cum ejusdem Antonii Augustini eruditis notis, quæ & eo titulo utiliter consuluntur, quod ex dictis Canonibus nonnullos in suum Decretum retulerit Gratianus.

Præter hæc sunt, ejusdem auctoris sæpius laudati Dialogorum libri duo de emendatione Gratiani; item notæ in Capitula vulgo Hadriani Papæ (quarum meminimus *Commentar. in Jus nov.*) in quibus plurima ad sensum Canonum eruendum, & veros a falsis secernendum occurrunt.

Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis. Gabrielis Albaspinæi Episcopi Aurelianensis Libri duo observationum, ejusdemque notæ in Canones Eliberitanos, & nonnullos aliorum Conciliorum Canones magnam spirant eruditionem; multamque Canonibus lucem adferunt.

Garsias de Loaisa, Jacobus Sirmondus, & Stephanus Baluzius. Non exiguo etiam cum fructu leguntur notæ in Canones Conciliorum Hispaniæ Garsiæ Loaisæ Archiepiscopi Toletani; & Jacobi Sirmondi in Canones Conciliorum Galliæ & Capitularia Regum Francorum. Item Stephani Baluzii in eosdem Libros Capitularium; necnon in Collectionem Reginonis, & in Decretum Gratiani.

Scholia Christiani Lupi. Scholia ac notæ P. Christiani Lupi in Canones octo primorum Conciliorum generalium, necnon quorumdam Conciliorum particularium, præsertim Romanorum, quinque tomis comprehensa, non pauca quoque pro intellectu Canonum, & notitia disciplinæ suppeditare possunt.

Scholia Auctoris. Sed cum plurimis, quibus Canonum & disciplinæ Ecclesiasticæ notitia convenit, quinque eorum notitiam habere desiderant, non liceat per occupationes, quibus vi sui muneris & professionis detinentur, fusiora illa Canonum commentaria pervolvere, ut ex illis aliquam convenientem ideam disciplinæ Ecclesiasticæ hauriant; non inutile aut ingratum futurum judicavi, exhibere, & compendiosis Scholiis illustrare, non tantum Conciliorum generalium Canones; sed eos omnes, quos Ecclesia universalis Occidentalis pariter ac Orientalis uno quasi consensu probavit & laudavit; & consequenter de quibus affirmari quodam sensu posse videtur, quod de Canonibus Nicænis dixit aliquando Leo magnus; *Canones Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati*.

In his quoque reperiet Lector puriorem Patrum disciplinam in omnibus, aut saltem præcipuis punctis expressam.

Monitum ad Lectorem. Hoc unum requiro, ut tam in meis scriptis, quam aliorum, quos hactenus allegavi, & infra citabo, observetur illud Apostoli: *Omnia probate, quod bonum est, tenete. 1. Thessalon. cap. 5. vers. 21.*

§. III.

De Interpretibus Decretalium.

Varia illorum Interpretum genera. Primum. NON unius generis sunt Decretalium sive Juris Canonici Interpretes seu Commentatores.

Nonnulli enim, iique eruditione & utilitate præcipui, explanationi Juris Canonici, & Decretalium intermiscent quoque Ecclesiæ disciplinam ex SS. Canonibus, & Sanctis Patribus haustam; ac insuper ex Decretalium fontibus, & historiis earum genuinum sensum hauriunt.

Francisci de Roye Institutiones. Hujus generis pro incipientibus sunt Institutiones Canonici Juris in tres libros divisæ; quorum primo de Legibus & Personis Ecclesiasticis; secundo de rebus Ecclesiasticis; & earum acquisitione; & tertio de actionibus & judiciis tractatur, Auctore Francisco de Roye Antecessore Andegavensi.

Commentaria Francisci Florentis. Provectioribus servire possunt erudita illa Francisci Florentis Aurelianensis primum, ac deinde Parisiensis Antecessoris, commentaria ad varios Decretalium titulos; quibus admodum erudite non tantum pristinam Ecclesiæ disciplinam ex Patribus & sacris Canonicus depromptam proponit; sed insuper ipsarum Decretalium sensus ex fontibus & historiis ea eruditione detexit; ut vel ex solis his commentariis cuivis innotescat, verissimum esse, quod supra monui, sensum Decretalium Gregorii IX. ex antiquis Decretalium compilationibus & historiis esse desumendum.

Janus a Costa. His addi possunt Jani a Costa Antecessoris Tolosani in Decretales Gregorii IX. *summaria & commentaria*.

Innocentius Cironius. Item *Paratitla* in quinque liberos Decretalium Gregorii IX. Innocentii Cironii Juris utriusque Professoris, & Academiæ Tolosanæ Cancellarii.

Antonius Altesserra. Commentarius quoque in Decretales Innocentii III. quæ Decretalium Gregorii IX. præcipuam partem constituunt, Antonii Dadini Altesserræ merito his jungitur.

Jacobus Cujacius. Doctissima denique Jacobi Cujacii Jurisconsulti celeberrimi in Decretales commentaria huic Interpretum generi annumeranda: utpote qui ex fontibus & historiis Decretalium sensum feliciter eruit, & eruendum ostendit.

Secundum genus Scriptorum. Sunt deinde Juris Canonici aut Ecclesiastici Scriptores, qui Juri Communi, non tantum aliquid de pristina disciplina immiscent; sed insuper Jus Patrium & consuetudinarium adjiciunt; illudque variis Tribunalium, præcipue Regiorum sententiis & decisionibus confirmant.

Franciscus Zypæus. Hujus generis reputari possunt opera Canonica Francisci Zypæi, qui jus Belgicum juri communi miscet, pluresque Regiorum Magistratuum decisiones refert.

Petrus Rebuffus. Item Petri Rebuffi praxis Beneficiorum; aliaque ejus de re Canonica opera: quæ Parlamentorum sententiis referta sunt.

Joannes Tournet. His merito annumerantur *Arresta* seu sententiæ prolatæ in Regiis Parlamentis Galliæ in omni pene materia Ecclesiastica, ordine alphabetico collecta in duos tomos per Joannem Tournet.

Journal des Audiences. Plurima quoque ad elucidationem rei Canonicæ cum Parlamentorum decisionibus occurrunt in Collectione, quæ vulgo dicitur, *Journal des Audiences*, & quatuor ut minus tomis constant.

Renatus Choppinus. Verum in hoc genere Doctorum sive Scriptorum eminent opera Renati Choppini de sacra Politia forensi, & ejusdem Monasticon.

Carolus Feuret. Quibus adjungi potest tractatus Caroli Feuret *de abusu*; sive de vera materia appellationis, quæ insigniri solet hac qualitate, *tamquam de abusu*.

In his operibus omnem fere materiam Ecclesiasticam ex sacris Canonibus, Patribus, & historiis primo deductam habes; ac deinde quid jure consuetudinario, præsertim Regni Galliæ, obtineat, & in contradictorio judicio decisum sit doctissime proponitur: hoc unum notandum, quod posterior plus justo videatur Jurisdictioni Laicali favere, & Ecclesiasticam deprimere.

Hi similesve Auctores licet singulariter serviant iis, qui in foro versantur, atque controversiis Ecclesiasticis decidendis & deducendis ex officio incumbunt, tamen

cum

(a) Eam utilitatem forsan agnoverunt, qui Commentarios Zonaræ in Canones sanctorum Conciliorum sæpius in lucem ediderunt. Prima editio Parisiis data est a Joanne Quintino JC. anno 1568. secunda Mediolani 1614. tertia Græce & Latine Parisiis anno 1618. de cæteris consule *D. Salmon traitè de l'etude des Conciles, pag. 618.*

(b) Hæc editio prima non fuit: duæ præcesserunt; una Romæ anno 1614. altera ibidem anno 1624.

eum in pluribus ipsam quoque Patrum puriorem disciplinam proponant, & explanent, etiam Ecclesiasticis eorum lectio utilis & conveniens esse potest.

Tertium genus Scriptorum. Tertium denique Decretalistarum seu Decretalium Interpretum genus est, qui fere ipsis Decretalibus, sive Juri Canonico scripto inhærent; nec nisi raro ex ipsis Decretalium primis fontibus vel historiis sensum Decretalium quærunt vel investigant.

Glossographi. Hujus generis famosissimi sunt, qui vulgo Glossographi dicuntur, eo quod ad singula Capitula suas Glossas sive breves annotationes aut expositiones apposuerint.

Quæ circa hos notanda. Circa Glossographos attendendum, quod præterquam nimium inhærendo litteræ Decretalium prout per fragmenta per Raymundum, aliosve Collectores sunt relatæ, verum sensum Decretalium sæpius non sint assecuti, nonnullos etiam graves errores incaute nimis immiscuerint.

Exempli gratia ad Cap. 8. *de transactionibus*, verbo *necessaria*, dicit: „ Sacramentum vero Baptismi in ne„ cessitate a quocumque recipi potest, dummodo in „ forma Ecclesiæ conferatur. Et etiam *Pœnitentia*: „ Nam confiteri possunt quicumque in necessitate, jux„ ta illud *Confitemini alterutrum peccata vestra* ".

Ad Cap. 6. ✠ *de celebrat. Missarum*, verbo *Sanguinis veritatem*, proponit tres sententias de præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, quasi æque probabiles, & indifferentes, quarum tertia aperte hæretica est hæc: *Tertia dicit, quod remanet substantia panis & vini, & sub eadem specie est Corpus Christi*.

Et ad Cap. 24. ✠ *eod. tit.* verbo *fermentato*, probare videtur sententiam Hugonis, *quod si quis conficeret de fermentato pane in Ecclesia Occidentali, nihil fieret*; qui est error manifestus.

Hæc pauca vice speciminum proposita sat ostendunt, maturo discretionis judicio glossas Juris Canonici esse legendas. Qui plura, tum in glossis Decreti Gratiani, tum Decretalium & aliarum Corporis Canonici partium errata in unum collecta videre velit, consulat libellum, cui titulus: *Collatio Censuræ in Glossas Juris Canonici jussu Pii V. Pontificis anno 1572. editæ, cum iisdem Glossis, Gregorii XIII. mandato, anno 1580. recognitis & approbatis*.

Alii Veteres Decretalium commentatores. Huic generi Auctorum annumerari quoque possunt veterum multorum, ut Joannis Andreæ, Innocentii IV. Panormitani, Cardinalis Florentini sive Francisci Zabarellæ, aliorumque in Decretales, & alias Juris Canonici partes vel commentaria vel paratitla, quæ longum esset hic enumerare.

Institutiones Lancelloti. Ex his utiliores incipientibus videntur institutiones Joannis Pauli Lancelloti, præsertim cum notis Joannis Doujatii, in quibus multa breviter & nervose ad hodierni juris notitiam supplentur & adjiciuntur.

Adjecta est & huic editioni ejusdem Doujatii brevis historia Juris Canonici, aliaque nonnulla per modum appendicis, quæ Juris Canonici Tironibus non parum subservire possunt.

Alii prolixiores Recentiorum commentarii. Provectioribus subservire possunt prolixiores Decretalium Commentarii, atque inter cæteros Henrici Canisii commentarii in Decretales; item Prosperi Fagnani; necnon quæ passim hic studiosorum manibus teruntur paratitla Andreæ Vallensis; circa quæ tamen nonnulla observanda sequente paragrapho proponemus.

§. IV.

Observanda circa Decretalium Commentatores, & specialiter circa Paratitla Andreæ Vallensis.

Prima observatio. QUEMADMODUM, ut supra notavimus, libri Decretalium & sequentes Corporis Canonici partes potissimum forensia prosequuntur, & pro judicialibus causis decidendis promulgati sunt, ita quoque Commentarii Decretalium præcipue circa judicialia & forensia occupantur.

Unde Andreas Vallensis in sua ad Paratitla Decretalium præfatione monet, quod ad *forensia negotia* hæc paratitla seu *institutiones potissimum accommodare voluerit*.

Quapropter de his Decretalium Commentatoribus jure merito dici posset, quod de Canonibus nimirum, qui ad lites judiciaque præcipue valent, dixisse fertur Joannes Salisberiensis Episcopus Carnutensis ad sanctum Thomam Cantuariensem: *Quis a Lectione Legum aut etiam Canonum compunctus surgit*.

Merito proinde suadendum Clericis, ut si hujusmodi Decretalium Commentariis, pro notitia Juris Canonici, studere velint, illorum Lectionem, aliorum Librorum, v. g. Sacræ Scripturæ, aut Sanctorum Patrum, vel sanctorum Canonum Lectione ita temperent, ut non plane aridi, totique forenses, ac veri Spiritus Ecclesiastici expertes reddantur.

Secunda reflexio. Ulterius hi Commentatores dum potissimum circa judicialia & forensia occupantur, non satis distinguere solent inter forum externum & internum: sæpiusque licita pronuntiant, quæ quidem in foro fori impugnari, aut irritari nequeunt; at in foro poli, id est, in foro conscientiæ sæpius illicita sunt.

Exemplum sit, quod Vallensis ait titulo de *Institutionibus* §. 2. *num.* 8. quod Vicarius, Sede vacante, instituit præsentatos a Patronis; *immo etiam uni ex præsentatis gratificari potest*, id enim si de foro fori intelligatur; sive quod si unice duobus Præsentatis Vicarius *gratiam* sive favorem fecerit, institutio in foro fori impugnari non possit, verum est; modo institutus capax sit. At in foro poli sive conscientiæ nullus *gratificationi* locus est; sed Vicarius in electione duorum Præsentatorum omni favore & gratificatione exclusis, eum instituere debet, quem omnibus attentis judicaverint Ecclesiæ bonum esse instituendum.

Ad hæc dum Decretalium illi Interpretes unice fere materiam Beneficiorum tractant in ordine ad forense judicium; facile contingit, ut Beneficia potissimum attendant quoad temporalia; quippe quæ pene sola sunt, ob quæ super Beneficiis Ecclesiasticis contentiones & litigia oriantur & moveantur. Tertia reflexio.

Hinc frequenter vilem ac indignam de Beneficiis Ecclesiasticis imprimunt ideam, quasi primum ac principale in Beneficiis esset ipsum temporale; atque a majori vel minori Beneficiorum temporali emolumento, aut mundano honore eis annexo magis vel minus essent æstimanda; ideoque nonnunquam de Beneficiis non secus ac de re aliqua profana & temporali ratiocinantur.

Hinc illa apud Andream Vallensem titulo, *ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, *num.* 3. quod pensio Beneficio conferendo imponi possit *in permutatione Beneficiorum, ratione inæqualitatis, si Beneficium alterum alteri præponderet*.

Et ad tit. *de rerum permutatione*, *num.* 3. cum locutus esset de Beneficiorum permutatione, addidit: „ Sic quoque aliæ res Ecclesiasticæ cum aliis item Ec„ clesiasticis permutari possint, etiam *addito pretio ad* „ *æqualitatem fructum & redituum compensandam*. "

Non hæc aliam ideam imprimunt, quam Beneficia instar rerum temporalium esse pretio coæquanda, atque in permutatione Beneficiorum id maxime attendendum, ut æqualitas fructuum utrumque servetur, quemadmodum in rerum temporalium commercio servari justitia requirit.

Has compensationes inæqualitatis fructum non esse justam causam exigendi pensionem, easque a Simoniaca labe non esse immunes, abunde ostendi in tractatu *de Simonia circa Beneficia, & Pensionibus, Tom. V. part. 2. cap.* 4. §. 4. hujus editionis.

Quidni eidem idea, nimirum quod Beneficia non satis considerent tamquam ministeria Ecclesiæ, quæ Clericos ad laborandum & militandum in militia Christi adstrigunt, adscribantur, quod cum Vallensi ad titulum *de peculio Clericorum n.* 2. communiter tradunt Decretalium Commentatores, scilicet tamquam propria Clericorum bona *quasi- Patrimonialia* censeri: „ quæ Cleri„ ci acquirunt ratione Clericalis ordinis vel officii, sed „ alia ratione quam Beneficii, veluti celebrando, con„ cionando, confessiones audiendo, Vicariæ temporali „ deserviendo, aut alias similes actiones spirituales e„ xercendo. „

„ Cum vero, pergit Vallensis, bonorum patrimonia„ lium *plene sint Domini*, perinde ut Laici suorum, „ de iis etiam liberrime, quantum volunt & cui vo„ lunt donare, aut alio quovis modo, sive inter vi„ vos, sive ultima voluntate disponere possunt. Idem „ dicendum, ait, de quasi-Patrimonialibus.

Nonne hæc aperte evincunt, ab his auctoribus Beneficia Ecclesiastica non satis considerari, ut ministeria & officia Ecclesiæ, quæ Clericos ad militandum in militia Christi, & laborandum in vinea Domini adstringunt; & quorum intuitu ipsis tamquam laborantibus & militantibus temporalia subministrantur juxta illud Christi *dignus est operarius mercede sua*. Si enim eam de Beneficiis ideam haberent, facile viderent, nullas decimas, vel alia, cujuscumque generis temporalia Clericis ratione Beneficiorum dari, nisi intuitu laboris & operæ; adeoque illa, quæ *quasi-Patrimonialia* vocant, ab his non distingui: cum & illa Clericis dentur ut Ecclesiæ Ministris laborantibus. Vide citatum tractatum de *Simonia Tom. V. part.* 1. c. 7. §. 4.

Ex eadem de Beneficiis Ecclesiasticis idea profluere videtur, quod sæpius citatus Vallensis asserit titulo de testamentis §. 5. *n.* 8. „ quod Clericus ex proventibus „ sui Beneficii donare possit intuitu sanguinis suis con„ sanguineis, si egeant, ad decentem eorum sustenta„ tionem, considerata qualitate, quam tales acquirunt „ per promotionem ejus, qui donat, ad aliud Benefi„ cium vel dignitatem. Crescit enim, inquit, Clerici „ promotione etiam consanguineorum dignitas; & in „ gradu non sufficeret eis ad decentem sustentationem, „ quod ante sufficere poterat. „

Nonne hæc eam præferunt de Beneficiis & dignitatibus Ecclesiasticis pessimam illam ac nocentissimam ideam; quasi illa non tantum suos possessores, sed & eorum consanguineos ad honores mundanos elevarent; atque his sustinendis convenientes sæculi opes essent necessariæ; quo nihil a mente Ecclesiæ magis alienum; quæ ministros suos a sæculi vanitate, & mundanis honoribus plane alienos esse vult; illudque ut profitean-

tur

tur in ipſa Clericalis Tonſuræ ſuſceptione (qua primum ſervitio Eccleſiæ nomen dant) præcipit, & verbis, atque ipſis ritibus manifeſte exponit.

Et quidem vi hujus profeſſionis tenentur Clerici omnes in quacumque etiam Epiſcopali dignitate conſtituti cavere, ne in toto vitæ genere quid appareat, *Quod non ſimplicitatem, Dei zelum, vanitatum contemptum præ ſe ferat*, ut loquitur Synodus Tridentina *ſeſſ. 25. cap. 1. de Reform.*

Ex quo manifeſtum eſt, quam alienum ſit a mente Eccleſiæ, quod non tantum Clerici, ſed & eorum conſanguinei pro qualitate Beneficii aut dignitatis, etiam dignitate mundana creſcere cenſerentur.

De hac Eccleſiæ mente optime conſcii ſanctiſſimi quique Epiſcopi ac Pontifices ſollicite cavebant, ne conſanguineis ſuis ſe extollendi, ſuamque ſecundum ſaculum conditionem augendi occaſionem præberent.

Pulcherrima in hanc rem, & utinam omnium Eccleſiaſticorum cordibus altiſſime impreſſa! eſt Epiſtola Clementis IV. ad Petrum Groſſum fratrem ſuum data; quam hic totam inſerere, nec inutile, nec ingratum fore credidi.

Epiſtola Clementis IV. de non promovendis aut ditandis conſanguineis.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Groſſo de S. Ægidio ſalutem &c. ,, Multis de noſtra promotione gaudentibus, nos ſoli ſumus qui ,, certius immenſitatem oneris experimur: & idcirco ,, quod aliis gaudium, nobis metum ſubminiſtrat & ,, fletum. Sane ut ſcias qualiter hic auditis debeas ,, eſſe. Neque enim quod nos vehementer humiliat, ,, debet noſtros extollere: maxime cum honor hujus ,, ſæculi momentaneus ſit, & ſicut ros tranſeat matu- ,, tinus: nec ad nos te, nec fratrem tuum, vel ex ,, aliis noſtris aliquem venire volumus, ſine noſtro ſpe- ,, ciali mandato. Quia ſpe ſua fruſtratos, ſi ſecus ve- ,, nire præſumerent oporteret redire confuſos. Sed nec ,, in tuæ ſororis nuptiis gradum quæras propter nos ,, haberes propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen ,, eam filio militis ſimplicius deſponſaveris, in trecen- ,, tum Libris Turonenſibus tibi proponimus ſubveni- ,, re. Et ſi altiora quæſiveris, nec a nobis denarium ,, ſperes unum, & hoc ipſum ſecretiſſimum eſſe volu- ,, mus, & tibi & patri ſolummodo ,, notum eſſe. Il- ,, lud etiam ſcias, quod nullum nullamque de ſangui- ,, ne noſtro ſub noſtræ ſublimationis obtentu, inflare ,, volumus; ſed tam Mobiliam quam Cæciliam illos ,, viros habere volumus, quos haberent, ſi eſſemus in ,, ſimplici Clericatu. Sibyllam viſita, & dic ei quod ,, locum non mutet, ſed remaneat apud Suſam, & ,, omnem maturitatem, & habitus honeſtatem ob- ,, ſervet, & preces nobis pro aliquo non præſumat ,, aſſumere. Nam & ei, pro quo fierent, eſſent inu- ,, tiles: & ipſi, qui rogaverit, damnoiæ. Et ſi forte ,, per aliquos ex hac cauſa munera offerantur, ea ,, reſpuat, ſi vult noſtram gratiam retinere. Saluta ,, matrem & fratres: non ſcribimus tibi, nec familia- ,, ribus noſtris ſub Bulla, ſed ſub piſcatoris ſigillo, ,, quo Romani Pontifices in ſuis ſecretis utuntur.,,

Conforme Judicium Hadriani VI.

Quam alienum fuerit a mente Hadriani VI. quod conſanguineorum dignitas a dignitate Pontificali, ad quam erat provectus cum proportione creſceret; eaque de cauſa plura in ipſo ex Eccleſiæ theſauris conferre liceret, clamant vitæ ipſius acta, in quibus inter alia refertur, quod nonnullos ſibi non remoto affinitatis gradu conjunctos, qui ſpe celſioris fortunæ e Germania pedibus Romam venerant, verbis ſeverioribus exceperit, ſinguloſque ſagis laneis & frugi viatico donatos, pedibus in patriam redire juſſerit.

Nepoti quoque unum ſatis tenue Beneficium habenti, aliud opulentius adjungere noluit; illud continuo habens in ore: *Eccleſias Sacerdotibus, non Sacerdotes Eccleſiis ornare ſe velle.*

Idem Judicium Marcelli II.

Quid de Marcello II. qui Pontifex factus conſanguineos ſuos nec in Urbem venire permiſit, Fratris ſui filios in Urbe morantes a nemine ſalutari voluit; raro in publicum prodire, nec ſericis veſtibus uti permiſit. Quin & rogatus ut in Palatium adduci poſſent, reſpondite? *Quid illis cum Palatio? Idne patrimonium eſſe eorum judicatis?*

Quarta reflexio.

Notiſſimum eſt, tum hoc, tum præcedenti ſæculo nonnullos Theologos ad tantam in moralibus laxitatem fuiſſe prolapſos, ut tandem eo pene deventum eſſet, teſte Cardinale Bona, *ut fere liceret, quidquid luberet*. Notum quoque eſt, plurima in Decretalibus, aliiſque Corporis Canonici partibus occurrere, quæ Canoniſtis & Theologis ſunt communia.

Hinc nonnulli e recentioribus Decretalium Commentatoribus in eas materias incidentes, etiam a Theologis illis laxioribus quoſdam conſuluerunt, eaque occaſione eorum nonnulla laxioris diſciplinæ principia ſuis quoque Commentariis inſeruerunt.

Exempla plura ſuppeditant Andreæ Vallenſis Paratitla in Decretales.

Et quidem titulo de *præſcriptionibus, paragr. 3. n. 3.* ſequutus Leonardum Leſſium aperte ipſum *probabiliſmum* omnium laxitatum fontem proponit.

Cum enim dixiſſet, ad præſcriptionem, *juris clari ignorantiam quidem non prodeſſe*, ſed aliud dicendum eſſe de ignorantia juris vere dubii, pro ratione ſubjungit: ,, Quia quando jus eſt *vere dubium*, id eſt, de ,, quo utrimque multorum ſunt ſententiæ, licet in pra- ,, xi utramlibet ſequi ſententiam, perinde ac ſi cla- ,, rum jus eſſet, Leſſius 2. *de Inſtit. cap. 6. diſp. 5.* ,, *n.* 16.,, Hæc ille.

Quid evidentius quam hunc Auctorem occaſione hujus Theologi incidiſſe in eam opinionem ſive apertum *probabiliſmum*, qui omnibus laxitatibus viam aperit.

,, Cum enim nulla fere ſit veritas moralis (verba ,, ſunt Proſperi Fagnani *ad cap. Ne innitaris X de* ,, *Conſtitut.*) quæ plauſibili aliqua ratione oppugnari ,, non poſſit, nulli dubium eſt, *quin omnis regula mo-* ,, *rum poſſit everti ex libertate opinandi*, non modo in ,, præceptis humanis, verum etiam in divinis & na- ,, turalibus, dum de ipſis interdum non occurrunt no- ,, bis rationes demonſtrativæ: *Unde his temporibus eo* ,, *res producta eſt*, ut nullus fere ſit articulus in mo- ,, ralibus, in quo non ſit varietas vel contrarie- ,, tas opinionum: adeo ut in ſolo opere non ita ,, pridem impreſſo Reſolutionum moralium Antonii ,, Dianæ, numerentur in unum collectæ quæſtio- ,, nes ſupra ter mille cum opinionibus, & Aucto- ,, ribus pro utraque parte affirmantibus, aut ambas ,, eſſe probabiles, aut unam probabilem, & alte- ,, ram probabiliorem, & in quibus fere omnibus ,, agitur de peccato mortali: ut de Sacramentis, ,, de Cenſuris, de Votis, de Jejunio, de Reſtitutio- ,, ne, & aliis hujuſmodi, quæ complectuntur, uni- ,, verſam fere materiam ad forum conſcientiæ perti- ,, nentem. Quem ſcribendi morem paſſim obſervant & ,, alii plures ex recemtioribus Theologis. Quare, per- ,, git idem Fagnanus, hæc doctrina probabilitatem vi- ,, detur fovere veluti *quamdam libertatem conſcientiæ*, ,, ac proinde magnopere indigere dextera Dei, & Bea- ,, tiſſimi Romani Pontificis proviſione, ne venenum ,, jam plus nimio dilatatum ulterius ſerpat.

Deinde prædictus Canoniſta, quod generalibus terminis dixit, ſpecialibus exemplis demonſtrare pergit eo loco, ubi agit de ,, innumeris fere opinionibus falſis, ,, verba ejus ſunt, temerariis & ſcandaloſis, quæ ex ,, libertate eligendi quaſcumque opiniones probabiles, ,, *tamquam ex Equo Trojano* in dies prodeunt, & ,, quamplurimæ pallio probabilitatis tectæ traduntur in ,, Scriptoribus noſtri temporis, quæ revera non ſunt ,, tolerandæ.,,

Hæc Fagnanus. Qui pluribus ex laxioribus illis propoſitionibus ibidem relatis, tandem laudare non dubitat quemdam Juriſconſultum, *quod hic rotundis*, ut ait, *verbis affirmet, uſum probabilitatum eſſe commentum Diaboli, ad enervandam vim præceptorum.*

Deinde proſequitur, ac ibidem fuſiſſime tum a ratione, tum ex jure, eam opinandi libertatem ſeu probabiliſmi deſtruit; ſtabilitque regulam jure naturali notiſſimam, & apertiſſime traditam in *cap. 12. X de homicidio* & *cap. 5. X de Clerico excommunicato miniſt.* nimirum: *quod in dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem*; vel quod idem eſt: *In dubiis via eſt eligenda tutior.*

Hic pariter oſtenditur, quam opportune, ut Juris tirones a *probabiliſmo* ſibi caveant, inſertus ſit diſcurſus Cardinalis de Aguire ſolidiſſime probabiliſmum evertens.

Hæc aliaque, quæ facile Lectori occurrent ſub iis titulis, qui Theologis & Canoniſtis ſunt communes, ſat evincunt laxiores Theologos, ad quos & frequenter remittit, ab hoc Auctore fuiſſe adhibitos.

De hoc Lectorem monitum velim, non eo fine exempla reflexionum generalium e paratitlis hiſce fuiſſe petita, quod in aliorum Commentariis ſimilia, immo & plura non occurrerent; ſed quia ſcio, hæc paratitla præ aliis Commentariis ſtudioſis Juris eſſe ſpecialiter nota & familiaria.

Quare ex paratitlis Vallenſis deſumpta ſint exempla?

FINIS TOMI OCTAVI.

